JO. BAPTISTÆ

DE LUCA

Venusini, S.R.E. Presbyteri Card.

THEATRUM

VERITATIS, ET JUSTITIÆ,

SIVE DECISIVI DISCURSUS PER MATERIAS, SEU TITULOS DISTINCTI, & ad veritatem editi in forensibus Controversiis Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una Partium scripsit, vel consultus respondit.

Cum Annotationibus, ac Discursibus, qui antea in Supplementis extabant; necnon aliquibus S. R. Rom. recentissimis Decisionibus, & Sum. Pont. Constitutionibus.

Adjectis insuper in hac novissima EDITIONE quamplurimis EXCERPTIS selectisque RATIONIBUS potissimum ad rem facientibus, in materiis præsertim FEUDALIBUS, JURISDICTIONALIBUS, & de PRÆEMINENTIIS. Quæ quidem omnia ex authenticis ALLEGATIONIBUS, aliisque MSS. AUTHORIS CODICIBUS in BIBLIOTHECA BALLEONIANA asservatis, nunc primum eruerunt, suisque locis aptaverunt J. B. S. & F. G.

LIBER SECUNDUS,

De Regalibus, hoc est Officiis venalibus, locis Montium, aliisque Juribus cum Principe se Republica, Vectigalibus & gabellis, salinis & mineralibus, monetis, viis publicis, fisco, & aliis, de quibus *in cap. unic. Quæ sint Regalia.*



VENETIIS,

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

M. DCC. LIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in hoc Secundo Libro de Regalibus, hoc est Officiis venalibus, locis Montium, aliisque Juribus cum Principe, seu Republica, Vectigalibus & gabellis, salinis & mineralibus, monetis, viis publicis, fisco, & aliis, de quibus *in cap. unic. Quæ sint Regalia*.

DISC. I.

Romana hereditatis seu officii.

Officium emptum sub nomine unius cum pecunia alterius, cum reservatione decreti ad istius favorem, de cujus dominio esse dicatur, & quando censeatur donatum titulari. Et de pluribus speciebus, seu formulis reservationis decreti, ac effectibus exinde resultantibus,

Et aliqua de re succedente necne loco pecuniæ hæreditariæ cum qua quæsita sit, & quando hujusmodi subrogatio sit operativa contra tertium possessorem titulo singulari.

DISC. II.

Neapolitana pretii Officiorum.

De natura & qualitate officiorum venalium Romanæ Curiæ, eorumque pretio, administratione, præeminentiis & vacatione, præsertim illa resultante ex promotione officialis ad Cardinalatum; Quomodo ista vacatio per promotionem sequatur; Et de eorumdem officiorum commercio, & facultate disponendi.

DISC. III.

Romana Officiorum de Maximis.

An Conservatores Populi Romani prorogare possint Officia vacabilia Capitolina de una persona ad aliam, sive concedere futuram officiorum successionem; Et de materia, quando id fieri possit per Principem, vel inferiorem Magistratum in supplantationem Successoris.

DISC. IV.

Romana pretii Officiorum.

An creditor in tempore posterior, qui habeat reservationem decreti super officio, præferatur in officii pretio creditoribus in tempore anterioribus; Et quomodo officii Romanæ Curiæ dicantur esse in commercio, ac veniant sub hypothecis & obligationibus.

DISC. V.

Romana officii Secretariatus.

Officia, quando non terminent cum persona, sed sint transitoria ad hæredes quoscumque, vel sint cessibilia; Et sub nomine hæredum, qui veniant in officiorum concessione.

DISC. VI.

Romana portionis Ripæ.

Regula de viginti, sive de infirmis resignantibus, an habeat locum in officiis; Et de invaliditate licentiæ resignandi officium, obtentæ dum officialis est morti proximus.

DISC. VII.

Romana pecuniaria de Ferrera, & Costa.

De reservatione Decreti super officiis quid importet, & an ille ad cujus favorem facta est reservatio, habeat officii dominium; & liberam dispositionem, & de differentia inter reservationem, quæ fit jure dominii, & eam quæ fit jure hypothecæ, seu cautelæ creditoris, & quid isto secundo casu creditor facere possit, an vendere officium, vel illud transferre de una persona ad aliam; Et quatenus transferat, cujus sit periculum.

DISC. VIII.

Romana extinctionis locorum Montium.

Facta officii resignatione ad favorem alterius sub conventione, ut resignatarius subintret ad omnia onera, & debita officii, resignans autem teneatur ad ea onera, & debita, quæ sibi ex propria persona incumbunt, an, & ad quæ officialis prædecessor resignans, & ad quæ officialis successor, & resignatarius teneatur.

DISC. IX.

Alia Romana extinctionis locorum Montium.

De eadem materia obligationis incumbentis officiali, vel ejus hæredi solvenda de proprio onere per ipsum in propriam, & privatam causam, imposita super officio postmodum vacato, quomodo intelligenda sit, & ad quid officialis, dimisso officio, teneatur.

DISC. X.

Romana concursus creditorum.

An potioritas competens super pretio officii creditoribus posterioribus habentibus decretum pro eorum creditis in sorte principali, competat etiam pro usuris, seu fructibus.

DISC. XI.

Romana pecuniaria de Valtrinis.

An illa potioritas, quæ competit super officio, ejusque pretio creditoribus habentibus reservationem decreti adversus creditores anteriores Officialis, competat etiam super ejusdem officii fructibus. Et an reservatarius decreti dicatur dominus officii, & ad quos effectus.

Et aliqua de cursu fructuum ad favorem eorumdem reservatariorum post disdictas societatis,

DISC. XII.

Romana diminutionis.

Diminuto pretio officii, ad quod emendum plures cum reservatione decreti pecuniam mutuarunt, quorum damno diminutio cedere debeat; Et an inter habentes reservationem decreti diverso tempore factam detur anterioritas, & concursus, &c.

DISC. XIII.

Romana officii Notariatus Aud. Cam.

De venditione officii facta per judicem, qui ex auctoritate Papæ suppleat consensum officialis ejusque creditorum habentium reservationem decreti, an ob non servatam formam in chirographo Pontificio præscriptam, sit invalida; Et an forma impleri debeat præcise, vel sufficiat ejus implementum per æquipollens; Et ad validitatem translationis officii, an attendi debeat instrumentum venditionis inter partes, vel potius supplicatio signata per Papam.

DISC. XIV.

Romana officii de Vaiis.

An possidens officia, vel alia Regalia cogi possit ad docendum de titulo, alias privari; Et quando sit locus privationis, ad quam Princeps, vel alter procedere possit.

DISC. XV.

Romana portionis Ripæ.

Si reperiantur duæ personæ ejusdem nominis, atque adjectum quod uni congruit, explicatum sit in altera,

an qua istarum personarum dicatur residere officium, ad effectum vacationis, vel potius actus ratione incertitudinis remaneat invalidus.

DISC. XVI.

Romana pecuniaria seu officii.

Officia Romanæ Curiæ an, & quando possint vendi, vel in contractum deduci absque Beneplacito Apostolico, cum distinctione inter substantiam officii, ejusque fructus, & utilitatem; Et de eorumdem officiorum periculo, & vacatione per obitum Officialis, an damno emptoris, vel venditoris; Et data facultate disdicendi emptionem, ac ab ea recedendi, quando disdicta dicatur bene facta pro periculo evitando.

DISC. XVII.

Romana officii agricolturæ.

Si ex Apostolica provisione officium non vacat, sed transmittitur ad hæredes officialis, an transmitti dicatur ipsa officii substantia, vel potius solum pretium; Et quatenus illud transmittatur, an pendente illius solutione transmissarius participare debeat de ejusdem officii emolumentis pro rata; Et quod tempus attendi debeat in regulando valore officii.

DISC. XVIII.

Romana, seu Maceraten. fructuum.

Quomodo probetur perfecta alienatio commoditatis officii. Et an in his juribus vitalitiis habentibus periculum amissionis potius per mortem unius, quam alterius personæ; dentur contractus præsumpti, & taciti vel debeant esse expressi.

DISC. XIX.

Reatina Cancellariæ.

An reservatarius dispositionis officii ex decreto apponi solito, possit dictum decretum seu dispositionem sine Beneplacito Apostolico remittere eidem officiali, etiam in præjudicium hypothecariorum.

DISC. XX.

Maceraten. officii Secretariatus.

Officialis, qui manualiter, & non in titulum ex electione alicujus Universitatis, assumptus est ad officium, an possit removeri etiam sine causa, & an talis officialis petere possit manutentionem in quasi possessione.

DISC. XXI.

Romana salarii.

Onera incumbentia officiis, quæ ab uno possidentur in dominio, sed ab altero exercentur titulo conductionis, ad quem pertineant, præsertim illud salarii judici debiti; Et an judex non satisfactus de salario a Notario exercente, habeat regressum contra officii dominum.

DISC. XXII.

Romana emolumentorum.

Si officialis cedit alteri commoditatem seu emolumenta officii sub assertione quod importarent certam quantitatem, an cedens teneatur de superventa diminutione sequuta ex facto Principis vel Superiorum.

DISC. XXIII.

Romana fructuum locorum Montium.

Depositarii locorum Montium an teneantur esse soliciti de vinculo, seu investimento fructuum locorum destinatorum multiplicis, itaut libere solvendo, teneantur, necne ad interatam solutionem.

Deputatis a Superiore pluribus depositariis Montis in solidum, & cum jure accrescendi, an possit unus ex eis absque eorumdem superiorum licentia cedere consortibus suum jus depositariæ, atque ita se liberare, Et de diversis hujusmodi cessionum speciebus,

DISC. XXIV.

Romana locorum Montium de Facolneriis.

Facta resignatione locorum Montium vacabilium sub reservatione facultatis disponendi ad favorem resignantis quatenus in vita disponere velit; si resignatarius prædecedat resignanti, qui nulla facta dispositione etiam moriatur, ad quem dicta loca de vacabilibus facta perpetua pertineant.

DISC. XXV.

Florentina locorum Montium.

Resignans loca Montium, sibi reservata facultate disponendi, si non disponat expresse, an censeatur disposuisse per solam institutionem hæredis universalis; & quando.

DISC. XXVI.

Mediolanen. seu Januen. locorum Montium.

De materia locorum Montium seu jurium, quæ habentur cum Principe, vel Republica, an, & quomodo sint in commercio, & de uno in alium transferantur, & an retineant hypothecas, vel alia vincula.

De retentione, seu compensatione competente creditori posteriori, vel chirographario in præjudicium creditoris anterioris, vel hypothecarii, quando intret, & practicari possit, & præsertim post mortem debitoris; Et an in prohibitis alienari sine assensu, quatenus iste accedat alienationi, sed non pacto de retrovendendo, illud valeat, & sit operativum.

Et de effectu dicti pacti pro reviviscentia antiqui dominii.

DISC. XXVII.

Romana locorum Montium.

Resignatarius locorum Montium continentium aliquod vinculum, an ab aliis sit tutus, itaut teneatur solum pro expresso; Et quæ actio competere valeat ad loca Montium contra tertium possessorem ex resignatione.

DISC. XXVIII.

Romana dotis.

An loca montium hæreditaria translata in faciem hæredis cum expressione in litteris, quod essent hæreditaria, & subjecta vinculo fideicommissi per defunctum ordinati, subjaceant aliis vinculis in litteris non expressis, a d. hæreditaria, & fideicommissaria qualitate consecutivis, itaut emptor non sit tutus.

DISC. XXIX.

Romana legati.

An libertas locorum Montium penes tertium in quem translata sunt, procedat ubi translatio sequatur ex causa legati, seu alias lucrativa.

DISC. XXX.

Romana locorum Montium de Oricellariis.

De pretio locorum Montium vinculatorum, quando dicatur esse justum, vel respective læsivum, & quæ læsio attendi debeat in juribus vitalitiis, & quomodo æstimetur vita hominis.

Venditor locorum montium, quam evictionem in casu extractionis præstare teneatur, si extractio fieret in minori summa, quam venditio facta sit, sive in diversa moneta

DISC. XXXI.

Romana locorum Montium de Panesiis.

Vendens ad ejus vitam loca Montium cum eorum vinculo fideicommissi per venditorem sperati, per ipsum tamen possessa jure assignationis sibi factæ a patre pro alimentis, an sequuta morte patris, ac facto casu fideicommissi ad ejus favorem, venditioni contravenire valeat, ipsaque loca vendicare. Et quatenus id non concedatur, an aperto fideicommisso, tam ad favorem ipsius venditoris, quam aliorum ipsius fratrum, possint isti pro eorum virili dicta loca vindicare; Et quatenus possint, an dictus venditor ad evictionem, vel aliud teneatur.

DISC.

Index Argumentorum.

D I S C. XXXII.

Romana de Mitris.

An, & quando pretium locorum Montium vinculatorum, dicatur injustum, & læsivum.

Et an venditio cum pacto de retrovendendo, juncta cum modicitate pretii, sit fœneratitia.

D I S C. XXXIII.

Romana locorum Montium Religionis.

An, & quando augmentum, seu pretium extrinsecum locorum Montium sit æstimandum; Et quid ubi erectio facta est in scutis auri, an possit immutari, & reduci ad scutos monetæ.

D I S C. XXXIV.

Romana, seu Januen. Locorum Montium.

Assignatis filiis Religiosis fructibus locorum Montium vacabilium, sub eorumdem Religiosorum vitæ periculo existentium, pro illis vitalitiis subventionibus, quæ Religiosis, præsertim Monialibus, dari solent, si hujusmodi locorum extinctio sequatur mediante pretii restitutione, an illud pertineat ad Monasterium, vel ad assignantem.

D I S C. XXXV.

Romana fructuum, seu dotis.

Marito exigente fructus locorum Montium vacabilium uxoris, dotalium, & extradotalium, quid in uno, vel altero casu restituere teneatur, soluto matrimonio; Ea quo infertur etiam ad officia; vel alia hujusmodi jura vacabilia, quæ dantur in dotem, vel paraphernum, an, & quid, soluto matrimonio, sit a viro restituendum, atque ex cujus persona, & cujus periculo hujusmodi officia, vel jura vitalitia in dotem data vacare dicantur.

D I S C. XXXVI.

Januen. Legati.

Legatis locis Montium vacabilibus, vel similibus juribus vitalitiis, an veniant fructus decursi in vita testatoris.

D I S C. XXXVII.

Romana locorum Montium de Alveris.

De locis Montium subrogatis in locum rei alienatæ, & cum eisdem vinculis, quibus ipsa res subjacebat, si res resignata fuerit, quale jus ad illa habeant creditores resignantis.

Et de cessione vel hypotheca commoditatis in feudis, vel aliis alienari vel hypothecari prohibitis, quid importare dicatur, & an hoc jus sit exercibile contra tertium, & postquam ipsa res desiit esse de dominio debitoris, vel cedentis.

D I S C. XXXVIII.

Romana Salviani.

De motu proprio Urb. VIII. super libero transitu locorum Montium in resignatarium, quando locum habeat, & quomodo sit intelligendus.

An super locis Montium competant Salvianum vel alia interdicta possessoria, ut in aliis bonis; Et quid in eis operetur clausula constituti.

D I S C. XXXIX.

Romana locorum Montium de Herreris.

An creditores, ad quorum favorem attergata sunt loca Montium, sint in istis potiores, ac vincant alios anteriores, hujusmodi attergationem non habentes, seu venientes cum sola hypotheca generali anteriori; Et an in locis Montium hæreditariis ad favorem creditorum hæredis attergatis, jus habeant creditores defuncti ex beneficio separationis bonorum.

D I S C. XL.

Mediolanen. seu Neapolitana.

De juribus, quæ in Civitate, & Regno Neapolis habentur cum Principe, & Regia Curia, super illis vectigalibus, & arrendamentis, an libere transeant in tertium, in cujus faciem intestantur, itaut iste sit tutus a creditoribus, vel aliis antea jus habentibus.

Card. de Luca, Lib. II.

D I S C. XLI.

Romana locorum Montium de Monaldensibus.

Promissio de vendendo loca Montium, an, & quando sit perfecta, itaut jus vel actionem tribuat emptori; Et quid si postea fuerint alteri resignata.

D I S C. XLII.

Bonien. Assignamentorum.

Cognitio causarum super Montibus Bononiæ, & Ferrariæ, an spectet ad Thesaurarium, & Congregationem Montium, vel potius ad Cameram.

In qua moneta solutio fructuum locorum Montium facienda sit; Et quid in hoc operetur, observantia, & cujus beneficio cedat monetæ augmentum.

D I S C. XLIII.

Ferrarien. gabella locorum Montium.

An loca Montium circumscribantur loco, & veniant sub nomine stabilium.

Et an pro alienationibus locorum Montium debeatur gabella contractuum.

D I S C. XLIV.

Spoletana Gabellæ.

Annona Urbis an gaudeat privilegio fisci circa exemptionem a gabellis, & vectigalibus; & an idem sit Camera, & Annona.

D I S C. XLV.

Ferrarien. Gabella frumenti.

An gabella frumenti vel panis, debeatur pro eo frumento, quod ipsa Civitas de tempore pecuniæ introducit pro beneficio Annonæ.

D I S C. XLVI.

Civitatis Castelli portus litterarum.

Emolumenta, quæ pro litterarum portu solvuntur, an dicantur importare simplicem mercedem laboris, & operæ, vel vectigal, seu gabellam. Et an exemptio ex consuetudine per aliquos quæsita a dicta solutione, cadat sub Constitutionibus Apostolicis revocatoriis omnium exemptionum, & franchitiarum; Qua occasione agitur incidenter de appaltu nivis, an importet vectigal vel emolumentum fiscale, idemque de appaltu impressionis librorum.

Et de officio Cursoris, seu Magistri Postarum, ejusque inventione, & utilitate; Et an sit de Regalibus.

D I S C. XLVII.

Sabinen. exemptionis.

De constitutionibus Apostolicis exemptionum, & franchitiarum revocatoriis. Quando obsient, necne.

An, & quando productio tituli exemptionis obstet præscriptioni immemorabili, illamque cessare faciat tamquam ex apparente initio.

Exemptionis privilegium ab oneribus, quando dicatur ex causa meritoria & onerosa, itaut non cadat sub generali revocatione. Et an exemptio suffragetur pro oneribus impositis ex magna necessitate.

Verbum *fodrus* quid significet.

D I S C. XLVIII.

Spoletana onerum.

An Ratiocinatores Cameræ gaudeant exemptionibus Camerallium ab oneribus, & gabellis. Et de materia præscriptionis a gabellis, & oneribus decursis, quomodo, & per quantum tempus inducatur.

D I S C. XLIX.

Ferrarien. gabella contractuum.

De Constitutione Urbani VIII. revocatoria exemptionum, an, & quando comprehendat gabellarum moderationes jam concessas.

Et aliqua de non usu gratiæ, seu privilegii.

Et quando contractus dicatur venditionis, vel permutationis, ad effectum gabellæ.

D I S C. L.

Hydruntina exemptionis seu onerum.

An, & ad quæ onera laicalia teneantur Clerici, & Ecclesiastici pro bonis emptis vel alias acquisitis a laicis.

D I S C. LI.

Mediolanen. imbottatus.

De eadem materia discursus praecedentia, an scilic. Ecclesiastici pro bonis a laicis in eos obventis, teneantur ad onera eisdem bonis incumbentia; Et ad quae onera laicalia teneantur laici coloni Ecclesiasticorum.

D I S C. LII.

Perusina gabellae vini.

An, & quando Clerici, & Ecclesiastici vendere possint vinum aliosque fructus ex eorum bonis collectos ad minutum absque solutione gabellae, vel potius ista debita sit, & quando.

D I S C. LIII.

Mantuana exemptionis.

De exemptione a gabellis, & oneribus laicalibus competente colonis, conductoribus, & emptoribus bonorum Ecclesiasticorum eorumque fructuum, quomodo, & quando locum habeat. Et an exemptio competens pro vino competat pro aqua vita.

D I S C. LIV.

Nullius Baren. gabella farinae.

De franchitia Ecclesiasticis competente, a gabella farinae seu macinatus, quomodo competat, & ad quam rationem. Et an Ecclesiastici pagellas, seu bullettas franchitiae concedere, seu vendere possint laicis, & gabellae subjectis.

D I S C. LV.

Ferrarien. exemptionis.

Gabellae Status Ecclesiastici, an, & quando exigi possint a Clericis, & Ecclesiasticis. Et de ratione ob quam in hoc Statu, etiam Ecclesiastici subijciuntur publicis oneribus, ac immunitas Ecclesiastica non suffragatur.

D I S C. LVI.

Ferrarien. praetensae exemptionis.

Gabella imposita cum Apostolica auctoritate, sub lege, ut etiam per Clericos, & Ecclesiasticos solvi debeat, sive saeculares sive Regulares, an comprehendat Congregationes Ordinis S. Benedicti amplissime exemptas, cum speciali privilegio, quod earum exemptioni, utpote ex causa onerosa concessae, derogatum non censeatur, absque specifica mentione.

D I S C. LVII.

Romana exemptionis Mendicantium.

Religiosi mendicantes per veritatem cum quaestuatione, an teneantur pro rebus alias gabellabilibus, quas ex eleemosynis acquirunt in ipsa specie, vel emunt cum pecuniis eleemosynaliter obventis, solvere illas gabellas, quas Pontifex voluit solvi per omnes Ecclesiasticos, & Regulares, etiam mendicantes.

Et quatenus non teneantur, an saltem obligati sint distincte denunciare gabellario ipsas res, quas introducunt, itaut alias praetendi possit commissum.

D I S C. LVIII.

Barchinon. exemptionis.

In locis, in quibus exigitur gabella carnis, an ad fraudes evitandas statui possint vel debeant unum vel plura macella particularia, cum praefinito numero animalium mactandorum absque solutione gabellae pro usu Ecclesiasticorum.

An, & quando Ecclesiastici teneantur ad contributiones vel taxas pro refectione murorum, pontium, viarum, aquaeductuum, & similium publicam utilitatem, ac usum concernentium; Et quae requisita pro hujusmodi contributione concurrere debeant.

Et incidenter, an gabellae inseparabiles ratione mercium, & victualium indefinite exigi possint etiam ab Ecclesiasticis, quibus in fine anni, vel alterius temporis gabellae aequivalentia reficiatur in pecunia, cum aliis circa Ecclesiasticorum exemptionem.

D I S C. LIX.

Ravennaten. collectae.

De contributione Ecclesiasticorum ad publicas expensas principaliter concernentes singulorum privatam utilitatem, secundario vero publicam, ut sunt, refectiones aggerum pro impediendis inundationibus, & similes; Quomodo talis contributio seu repartitio facienda sit pro rata bonorum; Et aliqua de expensis concernentibus annonam, vel aquas, & fontes, an, & quando etiam Ecclesiastici ad eas teneantur.

D I S C. LX.

Hydruntina collectarum.

An Clerici Orientales, seu Graeci conjugati in minoribus solaque prima tonsura initiati, sint exempti a collectis, aliisque oneribus laicalibus, vel potius jure aliorum Clericorum conjugatorum ritus latini in hoc proposito censendi sint.

Et de probatione Clericatus, quando dicatur adesse sufficiens; Et de differentia inter probationem Clericatus in genere, & probationem unius vel alterius qualitatis ejusdem Clericatus, posita ejus substantia, an scilicet esset in uno, vel altero ritu.

D I S C. LXI.

Veliterna Panis.

De jure privativo faciendi furnos, & vendendi panem, an jus vectigalis importare dicatur; Et an cives, etiam Ecclesiastici habentes facultatem faciendi panem in eorum domibus pro familiae, & famulorum usu, possint in praejudicium furnorum publicorum, dare panem operariis diurnis.

D I S C. LXII.

Ferrarien. gabellae carnis.

An gabella imposita carni venali in frusta ad certam rationem pro qualibet libra vel pondere, debeatur pro illis animalibus, quae viva introducantur ad effectum mactandi in propria domo, & pro usu proprio. Et an gabellarius incurrat censuras inflictas contra exigentes gabellas ab Ecclesiasticis ob indebitam vel excessivam ejus exactionem, si ipsi Ecclesiastici eidem gabellae in genere subjecti sint, & sola quaestio sit super interpretatione, vel super comprehensione casus.

D I S C. LXIII.

Romana gabellae ferri.

An gabella imposita pro Introductione mercium in Civitatem vel Ditionem, solvenda sit per emptorem, vel per venditorem, & quis dicatur introductor, & quomodo introductio capienda sit.

Gabella pro introductione non debetur de mercibus, quae introducantur per transitum, & quando secus.

D I S C. LXIV.

Romana Solidationis computorum.

An Appaltatori vectigalium seu aliorum jurium, & bonorum Regalium, seu Principis debeatur defalcum etiamsi non sit intolerabile, sed quale, &c. ob impedimentum belli habiti per eumdem Principem locatorem.

Immunitas competens fisco a vectigalibus, an competat pro mercibus, & bonis, non ab ipso fisco introductis, sed emptis a mercatoribus aliisque privatis, qui jam gabellam solverant, seu ejus debitores effecti erant.

D I S C. LXV.

Romana defalchi.

De Dohanis, unde illarum nomen derivet, earumque natura, & qualitate, & in quo illarum, seu alterius vectigalis substantia consistere dicatur.

An nova introductio artium in Civitate, unde deficiat concursus mercium exterarum, dicatur percutere substantiam dohanarum, seu vectigalium.

Et quando damnum dicatur esse in substantia, vel in fructibus.

De defalco, seu remissione pensionis competente Appaltatori dohanarum, seu vectigalium ob impedimentum causatum a bello, & quale damnum ad istum effectum requiratur de jure, & quid in casu pacti; an illud attendatur habita ratione fructuum, vel solutae pensionis.

DISC.

Index Argumentorum.

D I S C. LXVI.

Romana seu Albanen. defalchi.

An locator vel respective conductor, & appaltator vectigalium aliorumque jurium Principis, vel Reipublicæ, possit altera parte invita, ad certificandam quantitatem damni, quod timetur, vel lucri quod speratur, petere a judice deputari controscriptorem, qui fructus colligendos describat loco probationis; Et aliqua de materia judicii præventivi de futuro.

In restauro seu remissione conductori facienda ratione damni intolerabilis, an reficiendum sit totum damnum usque ad suppletionem integræ pensionis, vel id solum quod deficit ad æquandam dimidiam, seu respective sextam, itaut cessante hujus ratæ excessu tollatur damni intolerabilitas.

D I S C. LXVII.

Romana Dohane.

An dohana solvenda ex mercibus (quæ præsertim per flumen introducuntur) habita proportione illarum valoris ad rationem tot pro centenario, debeatur de integro valore non detractis expensis, vel potius istæ sint prius detrahendæ.

Item eligente mercatore, ex facultate sibi tributa in capitulis dohanæ illam solvere, non in pecunia, sed in ipsarum mercium rata, an de ista solvi etiam debeat dohana.

Et sive in pecunia, sive in specie solvenda ad tot pro centenario, an dohana detrahenda sit ex 100. scut. itaut reliquum sit mercatoris, vel supra 100. quod scilicet mercatori remaneant 100. gabellarius vero percipiat dohanam de eo pluri.

Gabella quæ exigitur pro quolibet dolio vini ad Urbem per flumen introducendi, quomodo exigatur, & quæ detractio facienda sit pro quolibet dolio ratione fecium, & diminutionis.

D I S C. LXVIII.

Romana, seu Veliterna Aquavitæ.

Aquavita an dicatur merces, vel potius vinum, itaut pro ea solvi debeat dohana tamquam pro merce, vel gabella tamquam pro vino, vel potius utraque.

Et aliqua de repetitione gabellæ indebite solutæ.

D I S C. LXIX.

Romana fraudatæ gabellæ.

Defraudata gabella, seu dohana, quomodo probetur, tam ad effectum commissi, & pœnæ, quam ad effectum exactionis ipsius gabellæ, seu dohanæ; Et de præscriptione tam gabellæ, quam pœnæ.

D I S C. LXX.

Terracinen. gabellæ carnis.

Disponente Statuto seu capitulis gabellæ carnis, illam solvendam non esse pro porcis, in propriis, & privatis domibus occidendis pro eorum usu; an exemptio suffragetur dominis porcorum, illos ea industria, & mercimonio vendentibus particularibus, qui in privatis domibus eos mactarent ad usum proprium.

D I S C. LXXI.

Romana Appaltus gabellæ carnis.

An Appaltator gabellæ exigens in excessu, non ex nova introductione, sed ea præterita observantia, teneatur ad restitutionem indebite, & excessive exacti necne; Et quatenus teneatur, cui dicta restitutio facienda sit.

Et an & quale defalcum competat Appaltatori gabellæ pro immutatione consueti status.

D I S C. LXXII.

Romana gabellæ equorum, seu plani.

De gabella equorum alias plani an possit exigi in toto districtu Urbis. Et de dicto districtu antiquo, & moderno quantum se extendat respective, Et de plano Urbis quid significet.

D I S C. LXXIII.

Perusina, seu Assisien.

An concordia inita super modo solvendi onera pro bonis, quæ forenses possident in territorio alicujus Civitatis, servanda sit, si tractu temporis onera notabiliter augeantur, itaut, id quod solvi consuevit, reddatur oneribus incongruum.

D I S C. LXXIV.

Camerinen. gabellæ.

Gabella imposita pro una specie, an debeatur pro altera, in qua admixta sit aliqua pars illius materiæ, ex qua dicta species gabellata constat, itaut in toto vel in parte faciat eamdem operationem; Et in specie, an gabella saponis debeatur pro aqua composita ea aliqua parte olei, aliisque rebus, ex quibus sapo conficitur.

D I S C. LXXV.

Romana gabellæ fœni.

Solutio novæ gabellæ impositæ super fœno, vel aliis victualibus, an solvi debeat per eum, qui fœnum vel alia victualia menstruatim sub certo pretio subministrare tenetur, vel per eum, qui eadem victualia recipit:

D I S C. LXXVI.

Romana gabellæ vini.

Pro gabella solvenda in ingressu portæ pro introductione vini, an cogi possint introductores accedere ad illam solvendam in domo gabellarii, ac relinquere pignus portæ custodi, vel potius teneatur gabellarius oblatam gabellam in ipsa porta recipere.

D I S C. LXXVII.

Urbinaten. collectæ.

De consuetudine collectandi forenses duplo pluries, quam fiat cum civibus, an valeat.

D I S C. LXXVIII.

Perusina appaltus.

An, & quando novus Appaltator gabellæ prætendere possit gabella de mercibus habentibus bullum appaltatoris prædecessoris; Et quando dicatur quod prædecessor supplantet successorem in appaltu.

D I S C. LXXIX.

Romana bulli alearum.

Conductores, seu Appaltatores gabellarum seu vectigalium, an possint in fine appaltus, gabellam, seu vectigal diminuere, ut ita frequentior sit rerum gabellabilium usus, ex quo locatoria, vel Appaltatoris successoris præjudicium, & supplantatio resultet.

D I S C. LXXX.

Romana bulli alearum.

An ille, cui aliquod vectigal, seu aliud jus concessum est pro universo Statu Ecclesiastico, valeat idem vectigal seu jus exigere in ea parte seu ditione, quæ de tempore concessionis, tamquam infeudata non reputabatur de statu, deinde vero per devolutionem, vel ea alio titulo cum illo incorporata est, seu alias eodem modo regitur.

D I S C. LXXXI.

Romana appaltus lignorum.

De solemnitatibus necessariis in locatione vectigalium, quando non a fisco, sed a privato possidentur.

Et quid si ab Hospitali, vel pio loco; Et de locatione bonorum, & jurium Ecclesiæ.

Quando Regalia possessa per privatum desinant esse Regalia, eorumque nomen, & prærogativam amittant.

Et aliqua de materia novæ additionis post factum appaltum.

D I S C. LXXXII.

Ferrarien. Datii.

De gabella exigi solita pro transitu salis, ad quam mensuram, seu rationem exigenda sit.

Et aliqua de materia ponderum, & mensurarum.

D I S C. LXXXIII.

Senen. Gabellæ.

An gabella solvenda per forenses pro legatis, & relictis, debeatur pro successione ab intestato, vel etiam testata universali jure hæreditario directo.

Et an d. gabella debeatur per conjunctos, quibus ex ratione, seu ordine naturæ, vel sanguinis, successio, vel dispositio morientis conveniat.

Qui dicantur in proposito forenses, & an mulier originaria, quæ occasione matrimonii degit in domicilio viri, amittat civilitatem naturalem, itaut dicenda sit civis, vel forensis.

De validitate hujusmodi Statutorum excludentium forenses a successione, vel eos ratione successionis, & acquisitionis bonorum gravantium ad certum onus, an fieri possint per Civitates recognoscentes Superiorem; Et an illa sint favorabilia, vel odiosa.

D I S C. LXXXIV.

Forolivien. Gabellæ.

De Statuto Civitatis disponente, de bonis extradotalibus, constante matrimonio delatis mulieri nuptæ viro forensi, certam gabellam a viro solvendam esse, an tale Statutum valeat, & liget, & quatenus valeat, quando ista gabella solvi debeat.

D I S C. LXXXV.

Romana gabellæ staterę.

An gabella duorum pro centenario ratione ponderis cum statera grossa Populi Romani, cedebatur pro ponderatione ferri, vel alterius materiæ mineralis, & satis ponderosæ.

D I S C. LXXXVI.

Romana redditionis rationum.

De Appaltatore gabellæ, quæ appaltu durante per Principem supprimatur seu tollatur, quam actionem habeat adversus Cameram locantem, & econverso ad quid ipse erga Cameram teneatur. Et quatenus de Appaltatore declaratur Administrator obligatus ad redditionem rationum, an ad eas teneatur pro subappaltatoribus, & inferioribus ministris.

D I S C. LXXXVII.

Romana prætensæ fraudis.

An, & quando locus additus Provinciæ, vel Gubernio subjaceat gabellis, quibus reliqua Provinciæ, seu Gubernii loca subjacebant; Et aliqua de sententia nulla, sed justa, an debeat infirmari, vel confirmari.

D I S C. LXXXVIII.

Spoletana commissi.

An excusetur transiens per locum gabellæ, illa non soluta, neque habita solita bulletta, allegando quod faciendi solutionem, vel capiendi bullettam curam dedisset famulo vel alteri, qui neglexit.

D I S C. LXXXIX.

Perusina Plumbi, seu commissi.

An, & quando dicatur factum esse locum commisso, & pœnæ ob contrectationem materiæ, in qua appaltatori tantum competat jus contrectandi privative ad omnes.

Et an ad incursum pœnæ, & commissi requiratur dolus verus, vel sufficiat præsumptus.

Et aliqua de bannimentis Thesaurarii Generalis, vel alterius officialis, quantum duret.

D I S C. XC.

Viterbien. Gabellæ.

De exemptione a solutione gabellæ ex privilegio alicui concessa in præmium inventionis, vel introductionis alicujus novæ artis, vel mercaturæ, an suffragetur ejus sociis, vel alias in negotio participantibus, etiam dissoluta societate per mortem unius, dum cum hæredibus non continuatur.

D I S C. XCI.

Romana Appaltus foni.

De societate vectigalium, an sit quandocumque dissolubilis, & quid agendum sit super vectigalium exactione & administratione, sociis inter se discordantibus.

D I S C. XCII.

Romana, seu Tudertina collectæ.

An, & quando forensea collectari possint per Communitates pro bonis ibi possessis, Et quid pro censibus cum eadem Communitate impositis super bonis particularium. Et aliqua de exemptione civium Romanorum.

An collectas debitas ratione fundi censiti, creditor censuarius cum debitore fundi domino contribuere teneatur.

D I S C. XCIII.

Carpen. Transactionis.

De constitutionibus, seu decretis revocatoriis exemptionum, & franchitiarum, an complectatur transactiones initas super litibus, & controversiis, quæ vertebantur super onerum, & gabellarum solutione, vel franchitiis respective.

D I S C. XCIV.

Romana fidæ.

Fidæ onus quid sit, quomodo introductum, quando, & pro quibus animalibus debeatur.

De districtu Urbis, & an cives Romani dicantur cives in toto districtu quoad omnia jura civica, necne.

D I S C. XCV.

Sutrina Fidæ.

Quando incolæ unius loci, depasci dicantur cum animalibus in pascuis alienis, itaut intret necne Constitutio *Gregor. XIII.* super solutione fidæ.

Et an plura loca unum Statum, seu dominium spectantia, constituere dicantur Territorium.

Et de societate Territoriorum, ac promiscui usus pascendi inter plures Civitates, Oppida, vel loca.

D I S C. XCVI.

Sabinen. Focatici.

An, & quando filius dicatur vivere seorsum a patre, ut diversum focular constituat, ac paterfamilias censeatur ad effectum onerum, collectarum, & contributionum.

D I S C. XCVII.

Prænestina Plazzatici.

De onere, seu vectigali quod nuncupatur *plazzaticum seu Plateaticum*, quid significet, & impositum pro animalibus aliisque bonis, quæ vendantur, an debeatur pro animalibus, vel aliis rebus venditis extra locum, seu territorium.

D I S C. XCVIII.

Romana taxæ Nursinorum.

De contributione debita Universitati alicujus artis, vel exercitii per homines illam artem exercentes, an debeatur licet artem non exerceant, vel alteri Universitati sint adscripti. Et an conventiones habitæ per prædecessores obligent successores idem habentes exercitium.

D I S C. XCIX

Romana contributionis.

An contributio debita per revenditores picturarum, vel aliarum rerum intret, ubi pictura, vel res venditur accessorie ad aliud opus.

D I S C. C.

Romana collectæ Hebræorum.

Facto juramento, seu æstimo bonorum Hebræorum pro datiis solvendis per quindennium, si isto durante, bona possessa per unum, ex causa dotis vel alia, transeant in alium, an, & quomodo datium augeri, ac respective minui, seu alias variari debeat.

D I S C. CI.

Romana collectæ Hebræorum.

In datiis, seu collectis Hebræorum, an sit habenda ratio bonorum sub juramento cadentium in sorte principali, vel in fructibus.

D I S C. CII.

An, & quando Hebræi non possidentes bona cadentia sub juramento seu æstimo, possint collectari pro lucris ex industria, & labore personali. Et quid in hoc operetur observantia præsertim respectu onerum ex causa extraordinaria omnes tangente, pestis vel belli, aut simili.

D I S C. CIII.

Alia Romana datiorum.

An Universitas impedire possit Hebræis, ne ab Urbe extrahant, alioque traducant in notabili quantitate pecunias, merces, aliaque bona in præjudicium collectarum & datiorum ipsius Universitatis.

DISC.

Index Argumentorum.

DISC.

D I S C. CXIX.

Ferrarien. decupli,
poena decupli imposita per Bullam Pauli Tertii contra fraudantes fiscum & Cameram, quando incurratur, & quid ad hunc effectum requiratur; Et an petatur mortuo delinquente, & de praescriptione dictae poenae.

D I S C. CXX.

Bononien. decupli.
De eadem materiu poenae decupli contra dantes minus fideles rationes administrationis, vel appaltus rerum fiscalium.

D I S C. CXXI.

Romana decupli.
De eadem materia poenae decupli resultan. ex Bulla Pauli III.
Et aliqua de administratione custodis monetarum, & expensarum desuper currentium.

D I S C. CXXII.

Romana, seu Viterbien. appaltus.
An fiscus sit in aliquo privilegiatus circa facultatem jurandi suspectos ejus debitores & Appaltatores diversimode quam cuilibet privato creditori competat.
Facto appaltu bonorum & jurium fiscalium ad certum tempus sub certa pensione iu singulos annos distributa, sub dilatione tamen majoris temporis circa solutionem, an dicta dilatione durante Appaltator dici possit debitor pensionis pro rata temporis decursi, & quomodo hujusmodi appaltus consistens in Regalibus & juribus fiscalibus reguletur.
Et aliqua de utroque pretio intrinseco, & extrinseco locorum montium, quomodo haec pretia differant.

D I S C. CXXIII.

Romana pretensa confiscationis.
An fiscus ex persona, & juribus banniti capitalis, actionem habeat ad fideicommissum bannito ante, vel post bannum respective delatum, sed non agnitum.
Et de juribus de sui natura transmissibilibus ad haeredes, quae non transmittuntur in fiscum.

D I S C. CXXIV.

Perusina participationis poenarum.
Appaltatori poenarum, seu proventuum ex maleficiis, an debeantur poenae, seu proventus provenientes ex condemnatione, seu mulcta, aut compositione sequuta in Curia Principis pro delicto in loco appaltus.

D I S C. CXXV.

Neapolitana frumenti.
De obligatione Principis, ejusque potestate circa concernentia Annonam, atque de istius administratione penes quem resideat; Et quando ex istu causa Fiscus obligetur.
Prorex an possit facere fidejussiones & assecurationes pro annona ad favorem dominorum frumenti, & victualium Civitatis, obligando Fiscum Regium ejusque bonu.
Periculum rei venditae cujus sit, & quando inducatur distractus, vel novatio contractus jam perfecti.

D I S C. CXXVI.

Mileviatana quinque Canonicatuum.
De qua moneta intelligenda sit erectio facta per Sedem Apostolicam de Canonicatibus, vel aliis beneficiis noviter erectis, & de obligatione Principis circa monetae cusionem.

D I S C. CXXVII.

Rheginen. pensionis.
An moneta unius Regni, vel Principatus attendi debeat in altero diverso, ex eo quod ibi ob alterius Regni adjacentiam de facto esset in usu; & in specie, reservata pensione in scutis monetae regionis super Ecclesia existente in Provinciu Calabriae, an debeatur in scutis monetae Regni Neapolitani, vel in illia monetae Regni Siciliae ultru Pharum; Et aliqua de hujusmodi Regnorum origine, unitate, ac diversitate respective.

D I S C. CXXVIII.

Romana, seu Januen. dotis.
De eadem materiu monetarum, an scilicet edicta, vel aliae Provisiones Principis loci, in quo initus est contractus super earum valutatione, afficiant creditorem, vel respective debitorem extru ejus ditionem, quomodo, & quando.

D I S C. CXXIX.

Romana, seu Civitatis Vetula mercium.
De materia salviconductus, & portus franchi; Et an emens u non domino merces in portubus, sive in nundinia, vel alio publico emporio, sit tutus, itaut per illarum dominum vendicari non possint saltem non restituto pretio soluto, vel econtra.
Emens a non domino merces furtivas, un & quando eisdem mercibus distractis, & non extantibus teneatur domino illarum valorem restituere.

D I S C. CXXX.

Romana, seu Civitatis Vetula statera.
De materia ponderum & mensurarum, ac jure privativo alicui Communitati competente ponderandi, vel mensurandi merces in loco contractandas, an illi subjaceant forenses, praesertim in Portu ementes, & vendentea.
Et an hoc dicatur species vectigalis & gabellae; Et aliqua de immunitate portus.

D I S C. CXXXI.

Nazarena Pedagiorum, & Nundinarum.
Facta per Principem secularem concessione juris nundinarum alicui Ecclesiae, an exemptio u vectigalibus, & pedagiis competere dicatur mercatoribus ad hujusmodi nundinas accedentibus jure Ecclesiasticae immunitatis, quae violari dicatur per vectigalium, & pedagiorum exactionem; Et de franchitiis, & exemptionibus competentibus in nundinis, & mercatia.

D I S C. CXXXII.

Imolen. Nundinarum.
De nundinis, seu mercatia, an fieri possint absque auctoritate Principis. Et an concessio loci nundinarum facta per Principem importet jus privativum, & necessarium, itaut mutari non possit.
Et de foro, in quo hujusmodi quaestiones cognosci debeant.

D I S C. CXXXIII.

Ferrarien. Extractionis, seu Tractae.
De tracta concessa alicui Appaltatori, an exerceri possit finito appaltu in frugibus emptis eo durante.

D I S C. CXXXIV.

Romana Pischeriarum, seu Defalchi.
De Regalia consistente in pischeriis enunciatis *in cap. unico quae sint Regalia*, qualis sit, & in quo consistere dicatur; Et an impedimentum superveniens super consueto usu piscium dicatur percutere substantiam appaltus pischeriarum, vel potius damnum in fructibus, ad effectum defalchi faciendi hujusmodi Regaliae Appaltatori, cum aliquibus ad defalchi materiam pertinentibus in hac specie Regalium.

D I S C. CXXXV.

Romana platea S. Joannis.
De platea, quando dicatur publica, vel privata; Et de privilegio habendi usum plateae, quamvis publicae, privative ad alios circa venditionem aliquorum bonorum.

Via

Via publica exiens in plateam, an desinat esse via, & fiat platea, vel potius retineat qualitatem viæ; Et aliqua de jure privativo in aliquo loco publico.

D I S C. CXXXVI.

Sabinen. via, seu transitus.

Via quando dicatur publica, & de illius requisitis, pluribusque viarum speciebus, & cui incumbat onus probandi eam esse talem, vel esse potius privatam; Et quando requiratur immemorabilis necne.

D I S C. CXXXVII.

Spoletana via.

De materia viæ publicæ, quando hæc dicatur constitui etiam in fundo privato, a cujus domino impediri non possit.

D I S C. CXXXVIII.

Romana Situs.

Ripa fluminis, vel alter situs prope flumen, an dicatur juris publici, & de Regalibus.

Et in iis, quæ prætenduntur esse de Regalibus, & juris publici, locum habeant interdicta possessoria sine justificatione tituli.

D I S C. CXXXIX.

Reatina Taxæ.

De contributione, seu taxa pro refectione pontium, & viarum, quomodo per dominos prædiorum, vel alios facienda sit.

D I S C. CXL.

Romana Taxæ viarum.

De eadem materia contributionis, seu taxæ pro refectione viarum, ad quem hujusmodi onus pertineat, an ad dominos, & locatores prædiorum, vel ad conductores; Et quid accedente pacto, ut ad conductores spectare debeat, quomodo illud intelligendum sit.

D I S C. CXLI.

Reatina viarum.

De Jurisdictione Magistrorum, ac Præsidis Viarum circa contributiones pro refectionibus viarum, quantum se extendat; Et quando Communitates, & populi teneantur ad hujusmodi contributiones, & collectas pro viis publicis reficiendis.

D I S C. CXLII.

Romana plateæ Rotundæ.

De jure privativo competente in aliqua platea, quid importet; Et an per illud impediri possint privati domorum & apothecarum domini vendere bona in ipsis domibus, earumque stillicidio, seu area in ipsam plateam respondente.

D I S C. CXLIII.

Tiburtina Hospitii.

An Communitas prohibere possit Domino loci, seu Baroni novum hospitium, ex eo quod ipsa solum deprætetito illud habuerit; Et de differentia inter subditos ipsius Communitatis, & ipsum Dominum.

D I S C. CXLIV.

Cornetana Molendini.

An Communitates Civitatum, & locorum subditorum condere possint statuta prohibentia accessum ad aliena molendina, seu alienos furnos, & successive cogendi ad accessum ad propria. Et quando data etiam potestate ita statuendi cum civibus tanquam propriis subditis, hujusmodi statuta, vel edicta corruant ex eo, quod domini furnorum, vel molendinorum a statuentis jurisdictione exempti sint; Et an ubi hoc jus competat, possint exinde prohiberi novæ molendinorum, vel furnorum constructiones remissive.

D I S C. CXLV.

Farfen. Molendini.

De eadem materia juris prohibendi accessum ad aliena molendina, & respective cogendi ad accessum ad propria competentis Baroni, seu Domino contra vasallos.

D I S C. CXLVI.

Amerina servitiorum.

De angariis, & perangariis, quæ dicuntur, & an, & quando competant Baronibus & inferioribus Dominis non habentibus jura Regalia & generaliter de servitiis per vassallos domino, seu Baroni præstandis. Et quid in possessorio, quando possessio sit manutenibilis; Et an in proposito adsit differentia inter Barones possidentes castra in feudum, & illos qui ea possident in allodium.

D I S C. CXLVII.

Romana, seu &c. Rerum existentium post superficiem.

An & quæ res existentea post superficiem terræ, sive subtus solum sint de Regalibus, vel respective juris privati; Et quando privato liceat absque publica auctoritate facere fodinas, seu excavationes: Et posito jure privato in toto, vel in parte, an hujusmodi res pertineant ad Dominum directum, vel potius ad Dominum utilem sive subalternum,

D I S C. CXLVIII.

Romana, seu Salernitana Revocationis Demanii.

De potestate Principis concedendi aliis in feudum, vel allodium subditos, seu vassallos invitos, non obstante privilegio eisdem tributo ne concedi possint; Et ut vulgo dicitur de potestate revocandi demanium. Qua occasione obiter habetur de hoc jure Regali potestatis tollendi jus terni, de qua Regalium specie sit, & quibus competat; Et quando revocari possint gratiæ, privilegia, & concessiones officiorum, ac beneficiorum, & similium jurium; Et quid de contractibos, & de potestate tollendi bona privatorum; Et de habilitatione inhabilium in præjudicium juris aliis habilibus, & capacibus quæsiti, vel quærendi; Et generaliter de jure tertio quæsito tollendo, vel non tollendo.

D I S C. CXLIX.

Sancti Domini bonorum vacantium.

Moriente Clerico absque legitimo successore, cuinam debeatur successio in ejus bonis stabilibus, seu quæ pro stabilibus habentur; ac loco circumscribuntur, an fisco Principis sæcularis, vel potius fisco Ecclesiastico, sive ejus loco Ecclesiæ.

D I S C. CL.

Romana hereditatis de Rivaldis.

An officium Prælatitium venale acquisitum per filiumfamilias præsumatur quæsitum de pecunia patris; Et quatenus hæc præsumptio, seu etiam probatio intret, an dictum officium, vel pretium in ejus acquisitione erogatum censeatur donatum, itaut veniat necne in collatione, sive in imputatione.

D I S C. CLI.

Romana exhibitionis librorum.

An & quando gabellarius conservare teneatur libros gabellæ, eosque cuicumque interessato petenti exhibere; an hujusmodi libri dicantur publici, vel privati, tam ad effectum probandi pro vel contra tertium, quam etiam ad alium effectum; Et an gabellarius eos lacerando, seu cassando, aut alias alterando criminaliter puniri possit, seu civiliter ad aliquid teneri.

D I S C. CLII.

Romana prætensæ fraudis.

An & quando dicatur constare de contraventione bannimentorum gabellæ, & de fraude, itaut intrent commissum, & aliæ pœnæ, necne.

D I S C. CLIII.

Camerinen. fraudis.

De eadem materia discursus præcedentis, an scilicet, & quando constare dicatur de fraude, itaut sit locus commisso, & pœnis fraudatæ gabellæ.

D I S C. CLIV.

Florentina gabellæ.

De gabella debita pro successione in hæreditatem alicujus extranei, vel remotioris conjuncti, an debeatur pro successione mediata, seu fideicommissaria, & quæ persona in proposito spectari debeat, an illa fideicommittentis, vel potius illa gravati ultimo morientis, ad interpretationem statuti Florentini excipientis aliquos casus successionis proximiorum.

D I S C. CLV.

Tranen. gabellæ.

De gabella farinæ, seu molituræ, an & quando debeatur per colonos & laboratores Clericorum, & Ecclesiasticorum, Et an isti dare possint colonis partem non gabellatum, sive illius ratione ipsi Ecclesiastici ad aliquam gabellam teneantur.

D I S C. CLVI.

Nepesina gabella passus.

De gabella passus, seu pedagii exigenda a transeuntibus per territorium ob onus refectionis pontium & viarum; Et de concordia inter duas Communitates, seu populos super reciproca exemptione a gabellia, quando valeat, & quæ ad ejus validitatem requirantur. Et an rescindatur, si tractu temporis efficiatur nimium læsiva, & præjudicialis.

D I S C. CLVII.

Imolen. societatis vectigalium.

Quomodo computari debeat annus in illis appaltibus vectigalium, quæ uniformem fructum in omnibus anni partibus non reddunt, ut est appaltus gabellæ carnis, quæ est infructifera de tempore quadragesimali cum similibus.

D I S C. CLVIII.

Imolen. seu Faventina datii.

Si Civitas subdita habeat jus exigendi aliquo datium pro omnibus rebus & mercibus transeuntibus per ejus territorium, an exigere possit datium prædictum pro transitu illius salis, quem Civitates, & loca recipiunt de necessitate a salaria Principis, cum prohibitione habendi aliunde, & cum onere solvendi cariori pretio, sub quo vectigal Principi solvi dicitur.

D I S C. CLIX.

Ferrarien. defalchi.

An diminuto solito pretio salis in una provincia, possit Appaltator salariæ alterius provinciæ ejusdem Principatus dicere se damnificatum ex facto locatoris, atque ita petere refectionem damnorum, vel remissionem pensionis; Et generaliter, an & quando damna provenientia Appaltatoribus vectigalium aliorumque jurium Regalium ex augmentis, vel diminutionibus eorumdem vectigalium sive ex aliis provisionibus refici debeant necne; Et de differentia inter casum quo innovatio sit causa proxima, & immediata damni, vel sit occasio, seu causa remota.

D I S C. CLX.

Romana, & Firmana confiscationis.

De pluribus ad materiam confiscationis, seu publicationis bonorum; Primo nempe an valeant privationes, vel substitutiones factæ delinquentibus in exclusionem Fisci; Secundo, an hujusmodi substitutiones, vel privationes capiant legitimum, tam in ordine ad voluntatem, quam in ordine ad potestatem; Tertio, an & quando numerus filiorum cessare faciat confiscationem; Quarto, de inhabilitatione, seu incapacitate filiorum rei læsæ Majestatis; Et quinto, an & quando restitutus in gratiam recuperet bona confiscata translata in tertium; Et incidenter de aliis fisci pœnalis, seu confiscatoris materiam concernentibus.

EX SUPPLEMENTO.

D I S C. CLXI.

Romana Incamerationis.

An Confiscatio inter in bonis subjectis fideicommisso, & quando.

Et de propositione, quod quilibet confiscat in suo territorio, quando, & quomodo procedat.

Et de probatione delicti ad hunc effectum confiscationis, an sufficiat sententia sine actis.

D I S C. CLXII.

Romana Quindenniorum.

An pro officiis venalibus, quæ ex concessionibus Apostolicis possidentur per Ecclesias, & pia loca, aliasque similes manus mortuas, debeantur quindennia, eo modo, quo debentur pro beneficiis unitis.

D I S C. CLXIII.

Romana Locorum Montium de Justinianis.

De libertate locorum Montium penes novum emptorem, an procedat etiam in dominio tertii, qui indebite fuerit eis spoliatus per subhastationem, seu alias cum Judicis auctoritate, vel potius libertas intelligatur de libertate ab hypotheca, aliisque vinculis adjectia per eorum dominum, & possessorem.

D I S C. CLXIV.

Romana evictionis locorum Montium.

Vendens loca Montium vinculata, an & quando teneatur ad evictionem, vel ad pretii restitutionem ob factum casum vinculi, si ex facto ipsius venditoris id processit.

D I S C. CLXV.

Interamnen. juris collectandi.

An, & quando Castra subjecta Civitati, dicantur de ejus Comitatu, vel territorio, ut propterea constituant unum corpus atque participare debeant de juribus, & proventibus Civitatis pro supportatione onerum, vel econverso, an debeant Castra contribuere in oneribus majoribus, quæ supportentur per ipsam Civitatem.

D I S C. CLXVI.

Romana Gabellæ Cadaveris.

An debeatur Gabella, seu aliud vectigal pro extractione, vel introductione, sive transitu cadaveris.

D I S C. CLXVII.

Fanen. Molendini.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 144. & 145. juris prohibendi constructionem novi Molendini; Et incidenter de iisdem, de quibus *disc.* 165. an scilicet Castra existentia in districtu, veniant sub nomine territorii.

D I S C. CLXVIII.

Placentina introductionis Salis.

De facultate introducendi salem, illumque vendendi privative, an sit de Regalibus, adeout competere non valeat feudatariis, & Domicellis inferioribus; Et quatenus competat, an concessio istius juris in appaltum sub aliqua pensione, vel mercede, importet novam impositionem gabellæ, vel abusum ejusdem juris.

DISC.

lutivo; an sit transmissibile ab hæredes, vel potius personale.

D I S C. CLXXXVIII.

Romana officii Cursoratus.

An, & quando reservatarius officii dicendus sit dominus, vel potius creditor; Et de effectibus exinde resultantibus pro augmento, vel diminutione valoris, cujus commodo, vel incommodo cedat.

D I S C. CLXXXIX.

Spoletana, seu Reatina Collectæ,

An, & ad quæ onera teneantur Forenses pro bonis, quæ in territorio possident.

D I S C. CXC.

Assisien. Collectarum.

An, & quando castrum, quod alias sit de districtu Civitatis, alteri concedatur in feudum proprium, vel improprium, sive in baroniam cum jurisdictione, & imperio, dicatur ab eadem Civitate omnino dismembratum, etiam ad effectum collectarum, aliorumque publicorum onerum.

D I S C. CXCI.

Taurinen.

De eadem materia confiscationis, de qua *disc.* 160. & 161. an scilicet per delinquentem in Fisci præjudicium, bona donari, vel alias alienari possint; Et an donatarius, vel alter possessor bonorum, sive delinquentis creditores, aliique interessati admittendi veniant ad exculpationem, vel defensionem Inquisiti absentis, & contumacis; Et quid cessante interesse.

D I S C. CXCII.

Forosempronien. Appaltus.

De obligatione, quam habet Appaltator juris privativi vendendi victualia minutatim, emendi eadem victualia a possessoribus prædiorum illa producentium, quomodo, & quando procedat.

D I S C. CXCIII.

Mutinen. legitimationis.

De eadem materia, de qua *disc.* 148. & 177. super potestate Principis tollendi jus tertii cum ejus gratiis, & habilitationibus nobilium, ipsoque declarante, non habuisse animum præjudicandi tertio, quomodo hæc declaratio intelligenda veniat.

Et in specie de legitimatione illegitimorum, an attendatur, & operativa sit extra territorium, & legitimantis jurisdictionem.

D I S C. CXCIV.

Taurinen. Renunciationis.

De eadem materia potestatis Principis præjudicandi tertio: Et incidenter, quando Princeps judex laicus sit competens in causis Ecclesiasticorum, sive istorum jus tollat; Et aliqua ad materiam renunciationis factæ per ingressuros in Monasterium.

D I S C. CXCV.

Pisana, seu Livornien. deprædationis,

An, & quando pyratica deprædatio sit licita, necne; Et quatenus illicita detegatur, an deprædator teneatur erga deprædatum ad damna, & interesse; Et de modo justificandi casum deprædationis, & liquidandi valorem rerum deprædatarum,

D I S C. CXCVI.

Senen. Gabella, seu Contractus.

De gabella solvenda pro contractibus, quando debeatur, necne, & de annullatione contractuum in casu non denunciatæ, & non solutæ gabellæ, quomodo, & quando procedat,

D I S C. CXCVII.

Avenion. Redditionis rationum.

An, & quando Officialis cum pecunia fiscali possit ad sui commodum facere lucrum cum negotiationibus, vel cum agiis, & permutationibus monetarum, vel alias, &c.

D I S C. CXCVIII.

Romana officii.

De eadem materia, & puncto de quo supra *disc.* 3. prorogationis officii ad vitam alterius; Et vendens officium non vacatum, ad quid officialis teneatur, an ad pretium, vel ad fructus donec vixit.

Et incidenter, ad quid teneatur ille, qui concessionem a Principe obtinuit de re alterius.

D I S C. CXCIX.

Taurinen. bonorum.

An Fisco competant remedia possessoria, & præsertim illud adipiscendæ ad bona, & jura delata delinquenti, vel indigno. Et de donatione facta per patrem filio, quando sit revocabilis, vel onerari possit fideicommisso in exclusionem confiscationis bonorum filii donatarii.

D I S C. CC.

Romana extinctionis Montis.

Quomodo fieri debeat depositum pecuniæ restituendæ pro extinctione locorum Montium cum illis Montistis, qui citati, non curant in termino comparere, & recipere pecuniam.

D I S C. CCI.

Romana Appaltum.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 81. super privilegio Fisci, addictionis in diem, vel rescissionis ex capite læsionis. Et incidenter, an Princeps successor obligetur facto prædecessoris.

IN-

INDEX CAUSARUM,

De quibus habetur hoc titulo de Regalibus per illarum Diœceses.

A

B

C

F

H

I

M

N

P

R

Loco-

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Liber Secundus.

DE REGALIBUS.

ROMANA HÆREDITATIS SEU OFFICII PRO MARCO ANTONIO JUSTINIANO, CUM FLORAVANTE MARTINELLO.

Casus decisus per Rotam per Martinello.

Officium emptum sub nomine unius cum pecunia alterius, cum reservatione decreti ad istius favorem, de cujus dominio esse dicatur, & quando censeatur donatum titulari, Et de pluribus speciebus, seu formulis reservationis decreti, ac effectibus exinde resultantibus.

Et aliqua de re succedente, necne loco pecuniæ hæreditariæ, cum qua quæsita sit, & quando hujusmodi subrogatio sit operativa contra tertium possessorem titulo singulari.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series cum decisione casus.*
2 *De articulis in disputatione deductis.*
3 *Distinguntur plures species, seu formulæ reservationis decreti super facultate disponendi de officio in alterius persona empto, & de variis effectibus inde resultantibus.*
4 *Facultas ex decreto reservata disponendi in vita, an exerceri possit in morte per ultimam voluntatem.*
5 *Habens facultatem disponendi, quando censeatur illa usus, & an per actum compatibilem illa deducatur.*
6 *Quando prohibitio alienationis non dicatur continere onus, sed potius favorem prohibiti.*
7 *Heres putativus bonæ fidei ad quid teneatur erga verum heredem.*
8 *Quando res probetur quæsita de pecunia hereditaria.*
9 *In particularibus, an & quando res quæsita ex pecunia hereditaria fiat talis, & competat heredi vendicatio contra tertium.*
10 *Pecunia data simpliciter, an censeatur mutuata, vel potius donata.*
11 *Ingratitudo dicitur vitium aptum etiam ad peccatum mortale.*
12 *Ob ingratitudinem donatarii revocatur donatio, atque donatio remuneratoria dicitur onerosa.*
13 *Capienda est interpretatio pro exclusione ingratitudinis.*

D I S C. I.

CUm juxta facti seriem magis distincte enarratam *sub titul. de testament.* in Romana Hæreditatis de Justinianis, Cardinali Justiniano successisset Julianus germanus frater, legitimus etiam ab intestato hæres, qui se testamentarium donec vixit credidit, in vim Schedulæ ad formam indulti Cardinalitii confectæ, distraxit iste bona hæreditaria, in suppellectilibus consistentia, pretii partem in varios usus pios erogando, partem vero præsumptive, & absque certa probatione, ut infra, in emptionem cujusdam officii vacabilis Cancellariæ Apostolicæ in personam Marci Antonii Justiniani pupilli, aliqualiter attinentis, cum reservatione decreta, super libera ejusdem officii, & fructuum dispositione, ad favorem ipsius Juliani donec viveret, itaut eo in vita non disponente, illud esset liberum ejusdem Marci Antonii, quem (absque eo quod vivens de officio prædicto disposuerit) reliquorum ejus bonorum hæredem universalem instituit, eidem prohibendo dicti officii alienationem usque ad completam ætatem 25. annorum.

Cumque post sequutam mortem Juliani, Martinellus obtinuisset per tres conformes se declarari verum hæredem Cardinalis ex priori testamento condito ante Cardinalatum, stante posterioris imperfectione, ut *in dict. tit. de testamentis*, atque in executionem trium conformium reportasset mandatum executivum contra bona hæreditaria ejusdem Juliani pro scut. 9. m. ad quæ ex judicio peritorum liquidatus fuit valor bonorum hæreditariorum Cardinalis, post illud consummatum in omnibus reliquis bonis hæreditariis ejusdem Juliani, prætendere cœpit illius executionem super dicto officio tamquam hæreditario, vel Juliani, vel Cardinalis, & dato dubio in Rota coram Ninot, *an ad dictam executionem procedendum esset*, illoque proposito sub die 9. Aprilis 1663. quamvis non essent concordantia vota super articulis in hac disputatione deductis, an scilicet Julianus dicto decreto usus esset, atque disponendi facultatem ad exercitium deduxisset, & quatenus adesset voluntas, an concurreret potestas, ut infra.

Prodiit tamen resolutio, Martinello favorabilis, ex eo quod hujusmodi officium, utpote emptum de pecunia hæreditaria Cardinalis, ad istius hæreditatem potius, quam illam Juliani hæredis putativi spectare diceretur, proindeque stante sufficientia bonorum dicti Juliani, competeret vero hæredi subsidiaria vendicatio, etiam contra tertium, utpote titulum lucrativum foventem, ita confirmando decisiones super ejusdem mandati executione præcedenter editas 10. Decembris 1660. & 13. Junii 1661. coram Celso, inter suas *dec.* 337. & 356. atque in decisis persititum fuit 3. Decembris ejusdem anni 1663. coram eodem Ninot, decidendo in hac secunda, id quod in præcedenti remanserat indecisum, tam circa voluntatem, quam circa potestatem disponendi, itaut ubi etiam officium prædictum non spectaret ad hæreditatem Cardinalis, adhuc tamquam

hæreditarium Juliani debitoris caderet sub dicti mandati executione.

Potissimum vero, an principale fundamentum fuit, quod revera officium prædictum censendum esset hæreditarium Cardinalis, utpote quæsitum ex pecunia hæreditaria, itaut locus esset subsidiariæ vendicationi adversus possidentem ex causa lucrativa, ex deductis apud Duran. *decis.* 63. Buratt. *decis.* 784. & 874. ut liquet ex decisionibus desuper editis, præsertim secunda 3. Decembris 1663. atque actore solum informante, in parte confirmata, & in parte declarata 19. Januarii 1655. coram eodem Ninot. qua ultima decisione edita, concessa fuit expeditio cum subsequuta executione.

3 De pluribus igitur articulis in hujusmodi disputationibus actum fuit, potissime autem de prædicti officii dominio, penes quem esse diceretur, an scilicet penes hæreditatem Juliani, & successive penes Marcum Antonium tamquam hæredem, vel potius penes istum tamquam tertium possessorem titulo donationis, quod pendebat a dictis punctis voluntatis, & potestatis, computative verificandis, quod scilicet Julianus potuerit moriens in vim reservationis decreti disponere, quodque disposuerit. Et quatenus in his difficultas subesset, an potius idem officium censendum esset hæreditarium Cardinalis, quod pariter a duplici puncto pendebat, uno facti, an scilicet constaret illud de pecunia hæreditaria emptum esse; & altero juris, an constito, competeret hæredi vendicativo adversus tertium, super quibus omnibus, dictæ resolutiones (reflectendo ad veritatem) partim probabiles, partim vero improbabiles videbantur.

Distinguendo siquidem causam in quatuor inspectiones, unam scilicet, an dictus Julianus, qui sub nomine Marci Antonii officium cum sua pecunia emerat, potuisset moriens in testamento sibi reservatam disponendi facultatem ad exercitium deducere; Alteram, an voluerit, itaut disposuisse dicatur; Tertiam, an constaret pecuniam in dicti officii emptione erogatam, esse hæreditariam Cardinalis; Et quartam, hoc posito, & quæ actio ejusdem Cardinalis vero hæredi competeret adversus ejusdem officii titularem & possessorem habentem causam ab hærede putativo.

4 Quatenus pertinet ad primum punctum potestatis disponendi, resultantis ex reservatione decreti, pro tollendis æquivocis, (in quæ scribentes hinc inde incidisse forte videbantur, applicando auctoritates, & decisiones unos terminos percutientes, aliis omnino diversis) observabam plures casus distinguendos esse, utpote diversos, & diversam rationem habentes, ideoque non bene auctoritates de uno loquentes, aliis applicari.

Primus casus est, ubi quis cum propria pecunia simpliciter, absque reservatione decreti, vel alia declaratione, emit officium sub nomine, seu in personam alterius. Et tunc non solum officii substantia residere dicitur in persona titularis, sed etiam eidem acquisitum pretium, quod per actum occultum, censetur sibi per acquirentem libere donatum, itaut illico titularis efficiatur plenus, & liber officii dominus, tam quoad substantiam, quam quoad pretium, & utilitatem, Gratian. *discept.* 50. & 221. Seraph. *dec.* 1303. *n.* 3. & 11. & admittitur apud Cavaler. *dec.* 635. *num. fin.* & in aliis decisionibus, de quibus infra.

Solumque isto casu intrat quæstio imputationis pretii in legitimam, quando titulari ista competit in bonis acquirentis juxta *decis* 273. Merlin. *alias decis.* 54. *par.* 5. *rec.* & *dec.* 650. *par.* 4. *rec. tom.* 8. in quibus deciditur affirmative. Ac altera, an referri debeat in executione legati, seu alterius præcedentis dispositionis juxta casum in Romana legati scut. 50. m. coram Dunozetto, & Cerro, quarum aliquæ habentur impressæ *dec.* 41. & 309. *par* 9. *rec.* ex quibus, & aliis in ea causa editis liquet, Rotam variasse, usquequo concordia illam quæstionem terminaverit.

Alter casus est, ubi de unius pecunia fit emptio officii in persona alterius, sub simplici ac indefinita reservatione decreti, seu facultatis disponendi in sorte, & fructibus, ad favorem Domini pecuniæ. Et tunc licet substantia officii residere dicatur in persona titularis, quem Princeps in ejus officialem agnoscit, tam ad effectum vacationis per istius mortem naturalem, vel civilem, quam circa ejusdem officii exercitium, præeminentias, & alias personis officialium incumbentias, quia in regalibus, vel feudis, aliisque similibus bonis, vel juribus differentibus; locum non habet titulus, *plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur*, sed ipsum nudum factum spectatur, ut in proposito feudorum habetur cæteris allegatis per Rotam *decis.* 100. *num.* 20. & *seqq. par.* 9. *rec.* repetit apud Marin. *lib.* 2. *var. post resol.* 30. ubi idem auctor concordantes colligit, & habetur sæpius in sua materia *sub tit. de feud.* præsertim in Tiburtina Castrorum *decis.* 62. & Romana seu Status Ecclesiastici infeudationum *disc.* 61.

Nihilominus, quoad ejusdem officii utilitatem, tam in sorte, quam in fructibus seu emolumentis, dicitur esse in pleno, & totali dominio reservatarii, itaut persona titularis dicatur solum demonstrata, ad effectum vacationis, vel similes effectus, taleque dominium est transmissibile ad hæredes reservatarii, per cujus mortem vacatio non sequitur, sed per illam titularis. Atque licet sub hoc dominio non cadat substantia officii, attamen adhuc cadere dicitur facultas cogendi titularem ad vendendum, seu jus implorandi ab eodem Principe, ut titulari etiam invito, illud officium alteri conferat, Cavaler. *decis.* 603. & 635. Buratt. *decis.* 863. Romana officii 2. Junii 1656. & 25. Junii 1657. Dunozetto, quod reservatarius ad effectum istius facultatis vendendi habeatur tamquam Dominus, atque hic emendi usus in Curia Romana est frequentissimus. Licet istæ decisiones revera percutiant casum proxime sequentem, in quo de hoc assumpto potest dubitari.

Tertius est casus, pariter in Curia frequentissimus, præsertim in officiis Notariorum A. C. vel Cameralium, ubi scilicet officium vere emitur in persona titularis, tam quoad substantiam, quam quoad utilitatem, sed quia emptor non habet pecuniam ad ejus acquisitionem necessariam, illam sub Societatis, vel Cambii, seu alterius contractus nomine recipit ab uno, vel pluribus mutuantibus sub reservatione decreti ad eorum favorem, & tunc ista reservatio non importat dominium, neque quoad substantiam, neque quoad utilitatem (ut plerique non bene opinantur,) sed solum importat quamdam hypothecam, seu jus reale, & privilegiativum adversus quoscumque ejusdem officialis creditores in ipso officio cum facultate cogendi ad venditionem, ut superius *hoc eod. tit.* ad hanc materiam officiorum præsertim in Romana diminutionis pretii pro creditoribus Curti, *disc.* 12. & in alia Romana pro creditoribus Valtrini, *disc.* 11. ubi de dictis decisionibus in præcedenti casu allegatis coram Dunozetto.

Quartus est, ubi (juxta primum, & secundum) de pecunia unius acquiritur officium in persona alterius, sub reservatione decreti ad favorem Domini pecuniæ, sed limitata ad vitam, quia nempe sibi reservata sit facultas libere disponendi in vita, alio non expresso, & tunc hujusmodi reservationis formula, seu species, continere dicitur casum mixtum, participantem de primo, & secundo, & sic quamdam donationem conditionalem ad favorem titularis, sub conditione scilicet, quatenus in vita non disponat, itaut eo non disponente, officium pleno jure, tam quoad substantiam, quam quoad utilitatem, juxta primum casum, remaneat penes titularem, ob implicitam donationem de tali pecunia sibi factam, Gratian. *dict. discept.* 50. *num.* 18. & 221. *num.* 3. admittitur apud Buratt. *dict. dec.* 863. *n.* 5. & 6. Romana legati scut. 50. m. 11. Maji 1640. coram Dunozetto, a qua circa istam propositionem recessum non est in supra insinuatis decisionibus revocatoriis 41. & 309. *par.* 9. *recent.* in quarum prima *num.* 41. & *seqq.* potius comprobatur. Solumque isto casu dubitari solet de natura, seu qualitate hujusmodi occultæ donationis, an scilicet censenda sit inter vivos ab initio perfecta, resolutioni solum subjecta, ut mihi probabilius videtur, vel potius causa mortis, in cujus tempus, donationis substantia, seu perfectio collata sit, ex iis, quæ hoc eod. tit. ad materiam locorum montium habentur in Romana de Falconeriis *decis.* 24. ac etiam in aliis.

Quintus demum est casus clarior, ubi ultra dictam facultatis limitationem ad vitam, exprimitur etiam, quod si reservatarius in vita non disposuerit, officium libere, ac pleno jure remaneat penes titularem, & tunc magis de plano intrat dicta donatio conditionalis in quarto casu firmata, ob clariorem, magisque expressam voluntatem reservatarii, & fortius intrant allegatæ auctoritates, & decisiones, neque hujus disputationis occasione quidquam in contrarium per scribentes hinc inde deducebatur.

In hoc autem ultimo casu versabamur, quia juxta hanc ultimam speciem, seu formulam, reservatio facta erat, unde posito quod non constaret de valida dispositione, indubitatum remanebat, reum conventum possidere officium, non ex titulo hæreditario, sed jure particulari donationis, ideoque considerandus veniebat tertius possessor titulo singulari, contra quem impossibile erat exercere directam actionem personalem executivam, absque

dubio

dubio non competentem contra tertium, cum quo solum exercibilis est actio realis, vel rei persecutoria; cum actio personalis, tamquam filia obligationis, absque ista, tamquam sine matre dari non possit, ut etiam agnoscit Rota in ultima decisione 19. Januari 165. cor. Ninot.

His positis, dum non constabat de aliqua dispositione per actum inter vivos, sed ea implicite deducebatur solum ex testamento, dicebant, scribens pro reo tamquam Advocatus, quod cum reservata facultas concerneret dispositionem in vita, exerceri non poterat in morte, & per actum ultimæ voluntatis, ut in his specialibus terminis facultatis disponendi de officiis, ut fieri non possit in morte, Marta *voto* 40. *n.* 5. Gratian. *discept.* 530. *per tot.* Et generaliter de facultate disponendi in vita, non trahenda ad ultimas voluntates, Peregr. *de fideicomm. art.* 40. *nu.* 63. & cæteri apud Fusar. *qu.* 549. *n.* 10.

Verum, in sensu veritatis, putabam hoc esse minus tutum fundamentum, unde propterea resolutio in hac parte visa est probabilis. Nimis enim dura esset conditio ementium cum sua pecunia bujusmodi officia sub alieno nomine, ut illam facultatem, quam per actus inter vivos habent libere disponendi tamquam de bonis suis, habere non debeant morientes, & per actus ultimæ voluntatis, cum nulla differentia tamo excogitabilis adesse videatur, ut habetur apud eumdem Grat. *discept.* 253. *nu.* 15. Dicta vero propositio generalis de facultate concessa in vita, non extendenda ad actus per ultimam voluntatem, recipienda est in prohibitis disponere de bonis, tamquam alienis, vel ita quæsitis, quod eorum dispositio libera non sit; tunc enim quia permissio stare dicitur tamquam dispensatio, seu limitatio regulæ probibitoriæ, non mirum si ad ejus præcisos limites restringenda est, cum extra casum limitatum urgeat regula. Secus autem ubi agitur de dispositione rei propriæ, alteri ita implicite donatæ, quatenus alias disponere non placeat, cum tunc nil videatur urgere, quod prohibeat uno, vel altero modi disponendi.

Fundamenta vero, quibus innititur Gratian. percutiunt magis voluntatem, quam potestatem: an scilicet hujusmodi facultas dicatur ad exercitium deducta per solam institutionem hæredis, seu aliam dispositionem generalem, vel potius requiratur mentio specialis. E. in hoc bene Gratian. loquitur, ut habetur in Florentina locorum montium *disc.* 25. *& in aliis hoc eod. tit.* Sed ubi constat de voluntate clara, itaut quæstio reducatur ad potestatem, casus videtur indubitatus pro disponente, ut idem Grat. *d. discept.* 252. ubi reprobatur contraria opinio Thesauri. Marta vero, ut lectura voti liquet, se involvit in materia, ejusque parum informatum se ostendit, dum confundit facultatem disponendi de ipsomet officio, ac de pretio, unde merito in eo casu contrarium decisum fuit, quia hæc videtur certa veritas.

Minus tamen probabilem credebam resolutionem, circa alterum punctum voluntatis, ex eo deductum; quod Julianus, Marco Antonio oculari prohibuerit, ne ante completam ætatem 25. annor. officium alienare posset. Cum enim talis dispositio importare dicatur donationis jam perfectæ revocationem, ad istam inducendam, requiritur actus, cum ejusdem donationis observantia, & durationе incompatibilis, per quem constet de pœnitentia, & voluntatis mutatione, seu ademptione, pro qua excludenda omnis possibilis compatibilis intellectus capiendus est, ex iis, quæ in his proximis terminis, & peculiari materia officiorum habentur in allegata Rom. legati scutor. 30. coram Dunozetto. Et in his terminis procedunt decisiones in Romana dotis cor. Cerro *dec.* 105. *per tot. par.* 9. *rec. &* 15. Maji 1656. cor. eodem, in quibus duæ priores decisiones 9. Aprilis, & 3. Decembris 1663. fundantur, ubi scilicet ille, qui disponendi facultatem habebat, debita contraxit, seu alios actus gessit, cum præcedenti revocabili donatione incompatibiles; secus autem, ubi actus est compatibilis, tendens in ejusdem donationis observantiam, ac majorem firmitatem.

Et in his ultimis terminis in hac facti specie versari credebam, quoniam Julianus non adjecit dictam prohibitionem tamquam onus, seu vinculum ad favorem alterius, per quod libera disponendi facultas ex donatione resultans sublata, vel impedita esset, ut credunt dictæ decisiones, quasi quod, adjiciendo vinculum, videatur revocasse donationem, sed eadem prohibitio continet solum quemdam favorem, ac providum consilium, ejusdem donatarii, ne scilicet, durante minori ætate, imprudentiis, & dissipationibus subjecta, se privaret ejusdem donationis commodo, & effectu. Ad instar eorum, quæ habemus in prohibitione alienandi, vel alio onere non cadentibus super legitima, admittendis tamen ubi restrictionem haberent ad minorem ætatem; quia tunc non dicitur onus, sed potius favor, & providum consilium ipsiusmet prohibiti ex deductis per Merlin. *de leg. lib.* 3. *tit.* 2. *qu.* 11. *cum similib.* Et hic proprie videbatur casus, unde in hac parte decisiones prædictas nullatenus substantiales esse dicebam, quod agnovit etiam Rota in dicta ultima decisione 19. Januarii 1655. eas in hac parte reformando, seu declarando, ut scil. per dictam prohibitionem limitatam ad minorem ætatem, non censeatur revocata d. donatio, sed officium ita penes titularem continuaret.

Item posito, quod ob dispositionem a Juliano factam de hoc officio tamquam suo, illud, seu ejus pretium dicendum esset hæreditarium ejusdem, adhuc tamen mandamm contra istam hæreditatem videbatur parum tutum, 7
utpote relaxatum pro integra summa, quam importabat valor bonorum hæreditatis Cardinalis de tempore mortis, dum non constabat, quid & quantum de tempore, quo verus hæres detectus est, reperiretur extare in specie, vel in æquippollenti penes hæredem putativum bonæ fidei, non obligatum restituere hæredi vero, nisi id, quod habet, & in quo retinendo contenderet de lucro captando. Idque adeo verum, ut etiamsi imprudenter, & male aliqua bona dissipasset, neque de his teneretur. Imo si esset hæres in partes, neque in judicio familiæ ercisciundæ teneretur in portionem propriam imputare id, quod dissipatum, seu alias in statu bonæ fidei consumptum esset, sed admittendus veniret ad æqualem divisionem extantium, juxta textus claros *in l. sed etsi lege.* §. *eos autem, & l. item veniunt.* §. *consuluit, ff. de petit. hæred.* ubi Gloss. allegat concordantia, & sine discrepantia firmant DD. ibid. præsertim Angel. & Castr. *in d.* §. *consuluit*, Faber. *in Cod. lib.* 3. *tit.* 21. *defin.* 8. *in fin.* & agnovit etiam Rota in decisione edita in hac eadem causa cor. eodem Ninot. 23. Junii 1662. neque in hoc potui umquam audire adæquatam responsionem. Licet enim, ut infra, quoad istius officii pretium, illud utpote satis probabiliter veniens ex venditione bonorum hæreditariorum Cardinalis, diceretur extans, & non consumptum; attamen de hac rata extante, hæres verus jam satisfactus erat cum aliis bonis propriis hæredis putativi ad id non obligati.

Quo vero ad aliam dictarum decisionum partem, an 8
scilicet officium prædictum censendum potius esset hæreditarium Cardinalis, quamvis multa per defensores rei conventi dicerentur circa probationem versionis, an scilicet constaret, vel ne, illud quæsitum esse ex pecuniis retractis a venditione bonorum hæreditariorum Cardinalis; attamen inspecta veritate, credebam justas esse resolutiones, quoniam stante præcedenti insufficientia d. Juliani, proximitate actuum, aliisque facti circumstantiis, abundans adesse videbatur probatio, quæ in proposito sufficit præsumptiva, ut firmatur in decisionibus desuper editis in hac parte bene fundatis.

Difficultas autem erat in ultima inspectione juris, an scil. concurrerent duo requisita copulative desiderata, ut in particularibus res succedat loco pretii, seu pecuniæ, cum qua
per alterum nomine proprio quæsita est, quod nempe adsit 9
casus subsidii, quodque possessor foveat causam lucrativam, ex deductis in allegatis decisionibus Buratt. 784. & 874. & Duran. *dec.* 63. Quando enim essemus in casu, tunc d. demandata executio substentabilis esset, non quidem in vim trium contormium contra hæreditatem, & bona hæredis putativi, sed in vim mandati de immittendo in eisdem sententiis concessi ad bona hæreditaria ipsius Cardinalis, quæ immissio practicabilis est contra tertium possessorem titulo singulari, contra quem tamen omnino impracticabilis est executio alterius mandati, ut agnoscit, ac declarat d. ultima decisio 19. Januarii 1665.

Quando igitur reus aliam non haberet possidendi causa, nisi illam a dicta occulta conditionali donatione, quæ adesse dicitur sub emptione officii per aliquem ad alterius favorem facta, tunc stante jam probata inopia Juliani hæredis putativi, quoties non obstaret dictum alterum irrefragabile fundamentum, cui decisiones non respondent, de cessante ejusdem hæredis putativi debito, ultra id, quod probetur adesse de tempore detecti veri hæredis, justas, ac probabiles dicerem resolutiones, quas tamen minus probabiles credebam, ex cessante hoc secundo requisito causæ lucrativæ, cum probabilius videretur præfatum

Marcum Antonium, onerosam, & correspectivam causam potius fovere.

Ad id probandum dicebam, concludenter in facto justificari, Josephum Marci Antonii patrem, quamvis fortunæ bonis non multum provisum, ac numerosa familia oneratum, diversis vicibus dedisse eidem Cardinali scuta mille pro necessariis expensis, quando ab Oratorio Sancti Philippi Nerii in Vallicella promotus fuit ad Episcopatum Montis alti, atque ab isto translatus fuit ad Nucerinum, ac etiam occasione Cardinalatus; unde propterea, non constito de titulo donationis, in dubio non præsumendæ, Cardinalis remanebat ejusdem Marci Antonii præfati Josephi interim defuncti filii, & hæredis debitor in dicta summa, adæquante, & forsan absorbente dicti officii valorem, unde causa possidendi remanebat onerosa, non autem lucrativa.

10 Et quamvis Rota occasione consimilis summæ scut. 3. m. post promotionem ad Cardinalatum datæ eidem Cardinali per Lucam Justinianum, censuerit eam, donationis titulo datam esse, ut liquet ex decisionibus editis in Romana Pecuniaria coram Cerro, & Celso, quarum prima impressa est post Zuffum *de legitim. process. decis.* 10. *&* 315. *par.* 11. *recent.* & altera inter proprias Celsi *decis.* 389. cum quibus decisionibus piu exclusione morivi absque formali discussione articuli processum fuit.

In hoc tamen credebam consistere hujus partis gravamen, quoniam eædem decisiones admittunt, ac firmant regulam exclusivam donationis, quoties istius probationes saltem adminiculativæ non concurrunt, in eo tamen casu inductæ ob facti circumstantias a præsenti omnino diversas: ibi enim agebatur de pecuniis traditis per Lucam virum opulentissimum, & tunc illius Reipublicæ Ducem, Cardinali postquam ad illam dignitatem promotus fuerat, unde ob ætatem, aliasque conspicuas qualitates, proximus sperari poterat illi majori dignitati, cujus intuitu hujusmodi donativa libenter ob speratas majores remunerationes fieri solent. Non sic est in hac facti specie, dum Joseph erat fortunæ bonis, inspecta ejus conditione, ac numerosa familia, destitutus, atque potius pauper quam dives, dictæque pecuniæ datæ non fuerunt in dicto statu majoribus fortunis proximo, sed in altero, quando spes erat multum remota, unde personarum, & temporum circumstantiæ erant satis diversæ, atque ex illis pendere hujusmodi quæstionis determinationem habetur in eisdem proxime allegatis decisionibus, & prius lite Rot. apud Merlin. *decis.* 692. *alias decis.* 69. *par.* 7. *recent.*

Propterea ubi etiam in hac pecunia data per Josephum, admittendus esset idem titulus donationis, firmatus in dicta altera pecunia data per Lucam, observabam tamen, negari non posse, istud magnum fuisse beneficium, obligans ad antidora, & ad condecentem remunerationem, dum Joseph, vel nullatenus conjunctus, vel satis remotus, in malo potius, quam bono fortunæ statu constitutus, ac numerosa familia oneratus, adeo notabili summa se privavit, ut amicum, vel remotum agnatum indigentem adjuvaret ad majores fortunas parandas; ita ut non improbabiliter dici possit, Cardinalem ad meliorem statum deventum, prorsus irrationabilis, ac damnabilis ingratitudinis notæ judicandum esse, si sciens adeo grati benefactoris defuncti filium in ætate pupillari, & in aliquo indigentiæ statu constitutum, istum moriens omnino sprevisset, ut prorsus extraneum famulum, ab eo etiam vivente satis bene provisum ditaret.

11 Ingratitudinem vero, utpote oppositam virtuti gratitudinis, dici vitium tale, quod aptum etiam sit ad justitiæ legem offendendam, ac peccatum mortale pro facti circumstantiis inducendum ex. D. Thom. *quæst.* 107. *art.* 3. sentit Sylvester *in summa verbo ingratitudo num.* 4. cum quo cæteri moderniores morales transeunt. Et de ingratitudine plura habentur per Tusch. *lit. I. concl.* 131.

12 Quodque ingratitudo sit causa revocationis donationis, ita ut donatarius effectus indignus liberalitate cum eo exercita, evadat debitor ejus, quod accepit, est text. *in l. fin. C. de rev. donat. cum ib. not.* Atque donationem, vel alium actum gestum ex motivo gratitudinis, & in remunerationem meritorum, satisfaciendumque obligationi antidotali, censeri potius onerosam, & correspectivam, probatum habetur in Romana donationis pro Castellano *sub tit. de feud.* ad materiam Bullæ Baronum *disc.* 94. & in sua materia *sub tit. de donationib.*

13 Quare ad hujusmodi adeo turpem notam excludendam in dicto Cardinali tantæ pietatis, & virtutum viro, omnino probabilius credendum esse insinuabam, Julianum, virum etiam piissimum, ac Sacerdotem ejusdem Oratorii, vitæ nimis exemplaris, de fratris voluntate informatissimum, cum esset etiam ejus Confessarius, emisse istud officium in persona dicti Marci Antonii cum dicta magis stricta reservationis decreti formula, ut ita dictam antidotalem obligationem impleret, ac debito gratitudinis satisfaceret ad excludendam ingratitudinem, pro cujus exclusione omnis interpretatio facienda est, Menoch. *lib.* 1. *præsumpt.* 18. *nu.* 5. *& l.* 5. *præsumpt.* 4. *nu.* 11. de quibus tamen considerationibus nulla in decisionibus ratio habetur.

S U M M A R I U M.

1 *DE Regalium origine, introductione, & distinctione in genere remissive.*

2 *De præsumpta, vel implicita donatione pretii erogati in emptione officii.*

3 *De quæstionibus inter hæredem verum, & putativum.*

4 *De testamento, de quo agitur in discursu.*

ANNOTAT. AD DISC. I.

Super iis, quæ Regalium in genere, originem, vel introductionem, ac naturam, diversasque species concernunt, videnda sunt, quæ infra *in principio Summe, seu Compendii* insinuantur, ac etiam aliquid incidenter habetur *sub tit. de feud. disc.* 2. 1

Ea vero, quæ hujus discursus particularem concernunt materiam, super præsumpta, vel implicita donatione pretii erogati in emptionem officii in alterius persona. Quamvis in dubio pro simplici juris præsumptione ab hic recensita distinctione, regulam accipiant; Nihilominus dicenda potius est quæstio facti, & voluntatis, quam juris ex facti circumstantiis principaliter decidenda, ut etiam advertitur infra *disc.* 24. 2

In idem conferentibus iis, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 75. *&* 113. super puncto præsumptæ, vel implicitæ donationis favore filiorum, & descendentium, aliorumque comprehensorum in investitura feudali, vel emphytheutica, acquisita titulo oneroso, & ex causa correspectiva, cum in omnibus eadem procedere videantur.

Alia vero in discursu contenta, super quæstionibus inter hæredem verum, & putativum ad istam Regalium materiam non pertinent, sed illam percutiunt hæredis, & hæreditatis, ideoque in sua peculiari sede agitur *sub tit. de hærede.* 3

Et de hoc ultimo testamento, cujus ratio habita non fuit favore secundi testamentarii, qui erat etiam ab intestato successor, substinendo primum testamentum ad favorem extranei, contra omnem æquitatem, ac probabilitatem agitur *sub tit. de testam. disc.* 7. 4

NEAPOLITANA PRETII OFFICIORUM PRO PRINCIPE LUDOVISIO, CUM ALMA DOMO ANNUNTIATÆ NEAPOLIS.

Casus decisus per Sac. Consilium Neapolitanum pro Ludovisio, & pendet.

De natura, & qualitate officiorum venalium Romanæ Curiæ, eorumque pretio, administratione, præeminentiis, & vacatione, præsertim illa resultante ex promotione officialis ad Cardinalatum. Quomodo ista vacatio per promotionem sequatur. Et de eorumdem officiorum commercio, & facultate disponendi.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*

2 *Fundamenta scribentium hinc inde.*

3 *Non datur repetitio turpiter dati, ubi turpitudo concurrit etiam in dante.*

4 *Officia vacabilia, frequentia etiam in antiqua Republica Romana sub nomine militiarum in jure nuncupata.*

5 *Hodie etiam frequentia in Regno Neapolitano, & in Hispania.*

6 *Officia Romanæ Curiæ aliquam habent peculiarem qualitatem ab aliis diversam.*

7 *Describuntur officia dictæ Curiæ Romanæ cum eorum qualitatibus, pretiis, & muniis incumbentibus.*

8 *Officia Curiæ Romanæ sunt in commercio, quomodo id intelligatur, & quando assensus Papæ requiratur.*

9 Quando

9 *Quando assensus prædictus negetur.*
10 *Quomodo dicta officia vendantur, seu de uno in alium transferantur.*
11 *Vacantia sunt ad liberam dispositionem Papæ.*
12 *Ex quibus causis contingat officiorum vacatio in Clericis Cameræ.*
13 *Quare Clerici Cameræ promoveantur ad Cardinalatum, & an ratione officii.*
14 *De Rotæ Auditoribus.*
15 *In quo consistat valor Clericatuum Cameræ, & qua ratione tantum sit eorum pretium.*
16 *De Viris insignibus, qui fuerunt Clerici Cameræ.*
17 *Venditor officiorum non tenetur inquirere de qualitatibus emptoris.*
18 *Quæ simulatio detur in his officiis.*
19 *Qui dat sub spe, non habet actionem, vel exceptionem, si sua spe frustratus remanet.*
20 *Hæres allegans defuncti delictum sit indignus.*
21 *In facultate, quæ officiali conceditur disponendi de officio, etiam in gravi ætate, vel infirmitate, quomodo intelligenda, & exercenda sit.*
22 *Quis sit talis facultatis effectus, & an suffragetur si male exerceatur.*

D I S C. II.

1 MArchio Corani, Antonius Caraffa, vendito feudo prædicto satis qualificato, in satis gravi, ac pene decrepita ætate, Clericalem, ac Prælatitiam vitam assumendo in Curia Romana, præter omnes prudentiæ leges, Clericatum Cameræ, ac etiam Protonotariatum Apostolicum emit, atque his non contentus, de mensibus Junii, & Septembris anni 1622. a Cardinali, & Principe de Ludovisiis, Gregorii XV. tunc Pontificis ex fratre germano nepotibus, emit 62. officia vacabilia minora, eisdem a patruo elargita pro pretio scut. 83755. hoc est 39. a Cardinali pro scutis 58425. & 23. a Principe pro scut. 25330. ex quibus a Cardinali venditis remanserunt solvenda scuta 8255. omnino tamen perfecta emptione sequuta, nedum per supplicationes juxta solitum manu Papæ signatas, sed etiam per admissionem in Cancellaria, & descriptionem officiorum in ejus faciem, cum participatione etiam emolumentorum, itaut aliud ad actus perfectionem non remaneret desiderandum.

Cum autem de mense Februarii præcedentis, ab eodem Gregorio per Chirographum obtinuisset facultatem disponendi de officiis, vel locis montium vacabilibus in futurum acquirendi, quod scilicet posset illa resignare, quamvis in gravissima ætate, vel infirmitate constitutus, itaut præsens per seipsum, ac absens per procuratorem, dare posset in manibus Datarii consensum, quo præstito, statim ac censerentur translata in resignatarium, quamvis resignatio non esset admissa, minusque resignans per 40. vel 20. dies superviveret. Hinc infirmatus graviter versus finem mensis Octobris sequentis in Civitate Neapolis, testamentum condidit, in quo hæredem scripsit Insignem Almam Domum Sanctissimæ Annunciatæ ejusdem Civitatis, ad cujus favorem, in vim dictæ facultatis, particulariter disponere professus est de officiis, & locis montium vacabilibus de proximo infra summam ducatorum circiter 100. mill. per eum emptis. Quare sequuta ejus morte, dictoque Cardinali pro residualis pretii assequutione, de anno 1627. judicium instituente in Sacro Consilio Capuanæ contra dictam hæredem, hæc ipsum reconvenit, prætendendo repetitionem soluti, ex causa dictæ emptionis, stante quod idem Papa, seu officiales Camerales dicta officia tamquam vacata aliis vendiderunt, vel concesserant, defunctoque Cardinali, lite adhuc pendente, scripto hærede dicto Principe ejus germano fratre, hic de anno 1635. ex ministrorum incuria, judicium nomine proprio pro dicto residuo instituit. Unde propterea de anno 1648. referente Consiliario Miraballo, prodiit sententia dictæ Almæ domus reæ conventæ absolutoria ex defectu actionis, quoniam in actis justificabatur ipsum actorem pro officiis ab eo venditis integre satisfactum esse. Ideoque idem Princeps testaurata per insufflationem spiritus dicta priori instantia cœpta per Cardinalem, istius hæreditario nomine eam prosequutus est, atque de anno 1659. referente Consiliario Raitano, prodiit sententia condemnatoria Almæ Domus ad solvendum hæreditati Cardinalis dictum residuum scut 8255. una cum interesse, absolvendo eamdem hæreditatem Cardinalis a petita reconventione. Et quoniam a sententiis illius Sacri Consilii, sive quia proferantur nomine Regio, sive quia dicantur sententiæ Præfecti prætorii, denegatur ordinarium remedium appellationis, idcirco ex parte Almæ Domus condemnatæ, intentatum fuit extraordinarium remedium restitutionis in integrum, cujus disputatione pendente, an scilicet petitæ restitutioni deferendum esset, necne, cum informationes hinc inde per utriusque partis defensores essent editæ, atque per dicti Principis agentes ad Urbem pro meo consilio transmissæ.

2 Ex parte Almæ Domus reæ conventæ insistebant in eo, quod cum dictus Antonius de tempore emptionis officiorum esset, ut dictum est, in pene decrepita ætate, referri non poterat hujusmodi emptio ad lucrum, & industre investimentum pecuniarum, ut per juvenes, & robustos fieri solet, minusque ad honorificentiam, vel gradum, quem hujusmodi officia minuta, & popularia nullatenus tribuebant ei, qui jam erat Prælatus, & Cameræ Clericus, unde propterea inferebant unicam, ac finalem causam fuisse illam, ita solvendi, ac respective promittendi hanc ingentem summam scut. 83755. dictis duobus Papæ nepotibus, ex causa assequutionis Cardinalitiæ dignitatis, quam ipsi turpem dicebant, ita sub hoc simulato venditionis officiorum contractu cohonestatam, insistentes in regulis generalibus, præsumptivæ, seu adminiculativæ, & imperfectæ probationis, admittendæ in materia simulationis difficilis probationis, cum actus simulati, & in fraudem legis, clam fieri soleant. Exinde etiam inferentes ad cessantem actionem petendi, quod ex turpi causa promissum est, quinimo ad repetitionem ejus, quod in eadem datum esset, magnum etiam constituendo fundamentum in dicto Chirographo Pontificio super facultate disponendi, nulla tamen expressa ratione, ob quam d. Chirographum in proposito esset considerabile, & hæc in substantia erant dictæ Domus reæ conventæ fundamenta.

E converso autem scribentes pro actore, insistentes etiam in regulis generalibus super simulatione in dubio non præsumenda, sed probanda per allegantem, ex deductis potissime in his terminis officiorum per Gratian. *discept.* 252, (quam auctoritatem, tamquam punctualem nimium magnificabant) magnum ac potissimum fundamentum in eo constituebant, quod etiam datum ex turpi causa non repetitur, quando ex parte dantis, turpitudo quoque concurrit, quia in pari causa, ob mutuam delicti compensationem, potior est conditio possessoris, *leg.* 3. *& l. pen. ff. de condict. ob turpem caus. lib.* 2. *& l. Mercalem*, *C. eodem*, & hæc in substantia erant fundamenta hujus partis. 3

Cum ergo ex his dignoscerem (excusabiliter quidem ob cessionem subjectæ materiæ notitiam,) procedi hinc inde in obscuro, ac aliquo æquivoco laborari, opportunum proinde censui, ad causæ dilucidationem, super hujusmodi Romanæ Curiæ officiorum vacabilium natura, & qualitate, eorumque vacatione, ac modo, quo sunt in commercio informationem potius historicam, seu instructivam edere, ut ita dignosceretur, omnes terminos, tam simulationis, quam turpitudinis, omnino impropios esse, ac extraneos a casu controversiæ, scribendo ut sequitur.

4 Quamvis officia venalia ad vitam, in antiqua etiam Romana Republica, seu Romano Imperio frequentia essent, sub militiarum nomine in jure explicata, ad text. *in l. Lucius Titius*, *ff. de leg.* 2. *l. fideicommissa*, *§. si servo*, *ff. de leg.* 3. *& l. omnimoda*, *§. imputari*, *C. de inoff. testam. & l. fin. C. de pign. cum concord.* Atque etiam hodie, nedum in Curia Romana, sed in omnibus Principatibus usu existant, ut in specie de eis in ipsomet Regno Neapolitano, Apont. *disc.* 18. *&* 37. *de potestate Proreg. tit. de divers. provis. rubr. de potestate substituendi in officiis*, Rovit. *decis.* 45. *&* 72. 5
Capyc. Latr. *decis.* 6. 26. *&* 182. Reverter ibique Marin. *in addit. decis.* 230. 285. 551. *&* 554. Pratus *discept.* 18. *tom.* 2. *& respons. crim.* 2. Amichangel. *in tract. de regal. off. & cæteri*. Et illis Hispaniarum Salgad. alios colligens *in labyrint. par.* 2. *cap.* 27. *& par.* 1. *cap.* 35. Et frequentiora quam alibi sint in Gallia.

Attamen ob qualitatem hujus Pontificii Principatus electivi, ac etiam utrumque gladium spiritualem, & temporalem habentis, cum Papa duplicem personam constituere dicatur, unam Summi Pontificis, & Episcopi Ecclesiæ universalis, alteram Regis, seu Principis sæcularis in Urbe, & Statu Ecclesiastico mediato, & immediato, ad text. 6
in cap. cum inter, *il secondo*, *in fin. de electione*. Necnon ob eam officiorum vacationem, quæ singulariter ad alios Principatus, in isto resultat ex possessorum promotione ad Cardinalatum cum eis incompatibilem, mortis effectum in

proposito operantem. Hinc proinde Romanam Curiam non bene versantes, incredibile est quam erroneas habeant super hoc opiniones, ideoque quædam magis specifica, & distincta notitia necessaria est hujusmodi officiorum, eorumque peculiaris naturæ, ac dictæ accidentalis vacationis, ob quam, cum nimis evidenti æqoivoco ignarus vulgus aliquam sinistram opinionem super interventu pretii pro assequutione Cardinalitiæ dignitatis habere solet.

Triplicis ergo generis, seu qualitatis sunt ea officia ve-
7 nalia ad vitam, seu vacabilia, quæ ad Papam, ejusque Cameram Apostolicam, ex utroque Principatu constitutam pertinent, ultra ea, quæ spectant ad populum Romanum ejusque Cameram particularem, de quibus nil ad rem in proposito facientibus agitur *in Romana officiorum de Maximis disc. seqq.*

Primi generis sunt ea, quæ Prælaturam, ac justitiæ, vel alterius muneris administrationem annexam habent, itaut eligatur industria personæ, ideoque frequentius conferri solent viris jam benemeritis, vel respective talibus, quod ex natalium conspicua qualitate, animique dotibus, Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ servitium, ac benemerentis probabiliter sperari valeant, & juxta officiorum qualitatem, cum alia sint, quæ nonnisi Prælatis provectis, jam benemeritis conferantur, alia vero, quæ occasione adeptionis Prælaturæ obtinentur, & hæc sunt.

Primo duo majora, & primaria officia, Auditoris Cameræ, & Thesaurarii Generalis, quorum pretium, intuitu magnorum emolumentorum, quæ per possessores obtinentur, est scut. 56. m. auri stamparum pro quolibet stante moderno augmento scut. 6. m. ad quæ officia assumi non solent, nisi ex Collegio Clericorum Cameræ, atque sic isto munere jam versati, cum facultate se reintegrandi de pretio Clericatus ab eo, cui Clericatus ita vacans per Papam conceditur.

Secundo sunt 12. Clericatus Cameræ, constituentes Tribunal Procuratoris Cæsaris, eo modo, quo in dicto Regno Præsidentes constituunt illud, quod ibi dicitur, *Regia Camera Summaria*, illorumque singulorum valor, intuitu etiam magnorum emolumentorum, stante d. moderno augmento scut. 6. m. est scut. 42. m. auri, parmcer stamparum.

Et tertio sunt alia officia Prælativa venalia, diversum habentia valorem majorem, vel minorem, juxta majora, vel minora emolumenta, ad quorum proportionem pretium regulatur, omnia tamen Clericatibus Cameræ, etiam infra dimidium minora, prout sunt, Præsidens Cameræ, Regens, & Abbreviatores, aliique officiales Cancellariæ, seu de parco, Protonotarii Apostolici, Auditores confidentiarum, & contradictarum, cum similibus, aliquam respective annexam habentia administrationem justitiæ, circa expeditionem Bullarum Apostolicarum, aliasque munera.

Secundi generis officia sunt illa, quæ annexam non habent Prælaturam, vel justitiæ administrationem, habent tamen annexam aliquam administrationem, circa Bullas, & litteras Apostolicas, vel circa alia, ac etiam aliquam respective tribuunt prærogativam, quid medium constituentis inter dicta officia primi generis, & alia minora popularia tertii generis, de quo infra, atque in istis, partim electa censetur industria personæ, itaut exerceri oporteat per se ipsos, partim vero secus, quia exercitium admittitur per peritos substitutos, eorumque valor, major vel minor, pariter pendet a quantitate, & proportione emolumentorum, ob quorum solam rationem emuntur, & possidentur, etiam a sæcularibus, & uxoratis, quamvis non impliceat, etiam a Clericis, & Prælatis acquiri, & possideri, prout sunt, Secretarii, & Scriptores Apostolici, Plumbatores, Correctores, seu Revisores, & similes, ac etiam Notarii Tribunalium Cameræ, & Auditoris Cameræ, Cursores, & alii.

Tertii demum generis sunt officia minora, & mere popularia, nullam, vel satis modicam administrationem habentia, quorum aliqua antiquum nomen militiarum, vulgo equitatuum, adhuc retinent, eorumque valor, totus etiam pendet ab emolumentis, & commodo bursali, absque aliqua honorificentia, istorumque sunt capaces omnes de populo civico, & forensi cujuscumque qualitatis, sive Clerici, & Prælati, sive magnates, & nobiles, sive populares, tam præsentes, quam absentes, etiam infantes, & mulieres, juxta eorum respective diversas qualitates. Et hæc secundi, & tertii generis officia, juxta distinctionem, de qua infra, utpote in magno numero, sunt in quotidiano commercio, itaut fere major populi substantatio in eis consistat, pretium pene certum, ac determinatum a publico foro juxta temporum conditionem habentia, & publice contractari solita per proxenetas, eodem modo, quo reliqua negotia tractantur, præsertim loca montium vacabilia, quorum Jure ista officia fere in omnibus censentur.

Hinc volitat per ora scribentium, officia Romanæ Cu- 8
riæ esse in commercio, adinstar aliarum rerum indifferentium, ut liquet ex deductis per Gratian. *discept. 670. n. 12. cum seqq* Seraph. *decis.* 1294. Capye. Latr. *decis.* 26. *num.* 8. late Salgad. *d. par. 1. cap. 35. num. 5. dec 116. num. 14. & 15. par. 4. rec. tom. 2. & in aliis*. Quod tamen procedit cum recepta distinctione, de qua in originali Romana officii Scriptoriæ, prima Aprilis 1588. coram Pamphilio, & in aliis, de quibus *hoc tit.* ad istam officiorum materiam frequenter, eodem modo; quo habemus in feudis, & aliis hujusmodi bonis differentibus. Quod aut agitur de alienanda officiorum commoditate, & emolumentis, firma remanente eorum substantia penes venditores, seu cedentes, ex quorum persona vacatio regulanda est, & id fieri potest ex privatis conventionibus, eodem modo, quo in reliquis rebus indifferentibus, absque aliquo Papæ assensu, quia non tangitur officii substantia, neque acquiritur jus in re, vel ad rem, quod etiam in ipsismet pensionibus Ecclesiasticis, alias in commercio pecuniario sine dubio non existentibus, receptum habemus.

Aut agitur de transferendo titulo, seu substantia officii de uno in alterum, itaut venditor desinat esse, ac emptor fiat officialis, sive de jure reali, quod ipsius officii substantiam tangat, & tunc quia hæc dicuntur jura regalia, non
sunt in commercio absque assensu Papæ, ad quem pertinet 9
officiales jam creatos absolvere, aliosque de novo in eorum locum creare, qui tamen assensus nemini solet negari, præterquam in casu infirmitatis, vel gravis ætatis, itaut subsit occasio fraudandi imminentem vacationem juxta ea, quæ habentur hoc *eod. tit. in Romana pro Zonga disc. 6*.

Quando autem juxta hanc secundam speciem acquiren- 10
da sunt, tunc aut agitur de officiis jam plenis, ab eorum possessoribus acquirendis, & proceditur per supplicationes resignationum manu Papæ signatas, eodem modo, quo practicatur resignatio beneficii ad favorem certæ personæ, quos terminos parificantur in proposito Doctores; ut liquet ex deductis per Salgad. in *Labyr. ubi sup.* Aut agitur de jam vacantibus, & ista acquiruntur a Papa ejusque Dataria, mediantibus etiam supplicationibus, ut supra signatis per Papam, ad cujus beneficium cedit pretium, quod primo casu cedit ad beneficium resignantium, & utraque contractatio fit publice, & palam, mediantibus proxenetis hanc artem pro principali instituto exercentibus, cum certa mercede pro consuetudine taxata.

Vacantia sunt ad liberam dispositionem Papæ, qui eodem modo, quo de locis montium vacabilibus, priusquam
sub Alexandro VII. supprimerentur, erogare solet pretium 11
vel in Sedis, & Cameræ necessitates, vel in subventionem Principum Catholicorum adversus Infideles, & Hæreticos, aliaque pia, & publica opera, & quandoque solet eadem officia vacantia gratis concedere, & elargiri ejus conjunctis, familiaribus, & benevolis pro seipsis ea retinentibus, vel accepto pretio aliis vendentibus, & resignantibus, ut est casus officiorum, de quibus in hac facti specie agitur, cum 62. officia minuta, & popularia tertii generis vacantia, Gregor. XV. ejus nepotibus elargitus esset, ad eorum liberam dispositionem, & commodum.

Omnium autem prædictorum, primi, secundi, & tertii generis officiorum vacatio, ultra resignationem ad favorem ut supra, ex tribus causis contingit. Primo scili-
cet per mortem naturalem; Secundo per delictum in of- 12
ficio; & Tertio per promotionem ad Cardinalatum, cum hæc dignitas ex antiqua consuetudine, clarius comprobata ex constitutione 148. Urb. VIII. reputetur cum dictis officiis incompatibilis, ideoque per ejus assequutionem, adinstar mortis naturalis, vacatio ad beneficium Cameræ sequi dicitur, professio autem in religione, vel alias spes mortis civilis vacationem non inducit, ut *dec. 547. par. 2. recent. & in aliis*.

Quia vero Pontificum consuetudo est, in Cardinalium 13
promotionibus frequenter assumendi præfatos duos primarios officiales, Auditorem scilicet Cameræ, & Thesaurarium, ob eorum muneris conspicuam qualitatem, itaut quando Papa confert alicui Prælato unum ex his duobus officiis, ita eum jam destinasse videatur, ob ejus merita in Cardinalem, necnon quandoque honoran-

di

di duo primaria Curiæ Tribunalia ad justitiæ administrationem principaliter deputata, præfatum scil. Cameræ, constitutum ex 12. Clericis, & alterum Rotæ gerens proprie eas partes, & figuram, quas in dicto Regno gerit idem S. Consilium, in quo præsens controversia tractatur, con-
14 stitutum ex 12. Prælatis, qui dicuntur Capellani Papæ, vulgo Auditores nuncupati, gratis assumpti ex variis nationibus, (inter quas, vel ex majorum nostrorum consuetis negligentiis, modicoque zelo ad bonum publicum, vel ex regionis malo fato, non adsunt de d. nostro Regno adeo Sedis Apostolicæ benemerito, Romanamque Curiam pene sustinente,) tres scil. Romani, duo Hispani, Gallus, Germanus, Venetus, Mediolanensis, Bononiensis, Ferrariensis, & Etruscus, promovendo ad Cardinalatum unum ex quolibet Tribunali magis benemeritum, vel magis gratum, & benevolum, eodem modo, quo in isto Regno, solet Rex dicta Tribunalia Consilii, & Cameræ honorare assumendo ex eis fere alternatim, ad magis supremum munus Regentis Regiam Cancellariam, vel ad supremum Italiæ consilium, seu duos majores Magistratus, Præsidis Sacri Consilii, & Locumtenentis Regiæ Cameræ.

Hinc proinde, apud ignarum vulgum, vel apud ambitionis febre laborantes, parum vero in Curia versatos, viget opinio vero fallax nullique fundamento innixa, quod magna vacatio aliorum officiorum, ultra Clericatum Cameræ resultans ex promotione, causare possit, potius unius quam alterius ex d. duodenario numero prælectionem, proindeque aliquando, licet raro, illi, quorum vires suppetunt, ultra Clericatum, alia quoque officia emere solent, quam credulitatem forte habuit iste parum Curiæ expers, ac nescio quantum prudens senex, qui emendo supradicta officia, æque se exposuit exoptato periculo vacationis, resultare debentis ex ejus promotione, ac ex morte, per omnes etiam juvenes, & validos ad horam timenda, multo magis per senem, ac fere decrepitum.

Prorsus autem erronea est exterorum inexpertorum,
15 seu infimi, & ignari vulgi opinio, quod adeo ingens, Auditoratus, Thesaurariæ, & Clericatus Cameræ valor, resultet a spe assequendi Cardinalitiam dignitatem, quæ ita pretio obtineri dicatur, ut plerique obliqui solent, quoniam valor totus pendet ab emolumentis, quæ non minora sunt in istis officiis majoribus, honorificentiam, & jurisdictionem quoque tribuentibus, ac sunt in aliis, secundi, & tertii generis minoribus, & popularibus, etiam solitis per laicos uxoratos, infantes, & mulieres, a quibus hæc spes omnino abest, itaut si hæc officia majora, & Cameralia, per Papam efficerentur laicalia, quorum essent capaces laici, & Uxorati, eodem modo, quo sunt capaces aliorum, cum omnimoda dictæ spei absentia, adhuc absque dubio, pro eodem pretio prompti haberentur emptores, eorum pecuniam ita sub hac incerta alea ad majorem fructum pro industria investientes: Si enim id agitur in dictis officiis minoribus in tanta quantitate, quod frequenter unus ex his habeat quantum importet valor Clericatus, vel Auditoratus Cameræ, absque ulla prærogativa, præeminentia, vel jurisdictione, multo magis emerentur ista, in quibus ultra simile emolumentum, alia prædicta obtinentur, ideoque prorsus fabulosa opinatio est, quod hoc pretium solvatur pro Cardinalatu, dum Clerici Cameræ, frequentius, & pene semper pariformiter tractantur, ac Auditores Rotæ, in quibus hæc ratio non urget, quia est honorificentia Tribunalium, ut supra.

Insignes enim nostri sæculi Pontifices, Paulus V. &
16 Urbanus VIII. fuerunt Clerici Cameræ, non autem ex sola ratione Clericatus ad Cardinalatum evecti, sed ob eorum virtutes, ac magna servitia in Nuntiaturis apud Reges aliisque muneribus Sedis Apostolicæ præstitis, ob quæ ad Summum Pontificatus apicem adeo digne assumi meruerunt, atque noster Regnicola insignis Jur. C. Parisius, Consiliorum, ac repetitionum auctor, fuit Auditor Cameræ, non ob officii pretium, sed ob virtutes ad Cardinalatum promotus, prout actu in Sacro Collegio plures cernuntur eximii, & primi ordinis Cardinales, qui fuerunt Clerici Cameræ.

His igitur ita se habentibus, omnino extranei, ac im-
17 proprii remanent termini simulationis, vel turpiter dati, seu promissi, cum quibus per doctos hinc inde scribentes procedi video, numquam enim intrat simulatio in jure damnata, in illis actibus, qui eo modo, quo facti sunt, publice, & palam licite fieri possunt, cum cesset quæcumque causa simulandi, unde cum hujusmodi officiorum venditio facta esset publice, & palam mediantibus supplicationibus, aliisque servari solitis, & per proxenetas consuetam etiam mercedem obtinentes, non videtur ubinam caderet simulatio, potissime quia venditio facta est pro illo eodem consueto pretio; pro quo absque aliqua differentia, tunc quibuscumque aliis privatis emptoribus, quorum copia semper prompta est, vendi poterant, itaut istum aliis prætulisset, benevolæ gratificationi potius referendum sit.

Ad venditorem autem, inquirere non pertinet de in- 18
tentione emptoris, seu fine ob quem officia emat, an ad industriam, & emolumenta, vel ad spem, & facilitatem alicujus dignitatis, sive an sit senex, vel juvenis, validus, vel infirmus, hæc enim cogitare pertinet ad ipsum emptorem, qui si imprudenter huic aleæ se exponit, sibi imputet, cum venditor eo ipso, quod resignationi consensum præstat, accepto pretio, statim exeat de Scena, non curato futuro eventu vacationis ex persona emptoris.

Illaque solum simulatio, de jure non damnata, in hujusmodi officiis cadit, quæ frequenter etiam in feudis cadere solet, juxta casum, de quo in Rossanen decimarum *decis.* 100. *par. 9. recent.* & post Marin. *resolut.* 38. *libr.* 2. & sæpius *sub tit. de feud.* ac etiam frequenter hoc *eod. tit.* ad istam materiam officiorum, præsertim *disc. praced.* ubi scilicet quis de propria pecunia ad proprium commodum emit officium sub nomine alterius, cujus, & non sui periculum vult currere, de reliquo autem remanent termini omnino alieni.

Et nihilominus, ubi etiam dicendum esset per possibile,
Antonium sub spe assequendæ dictæ dignitatis, eamque 19
facilitandi, Papæ nepotes sibi gratos ita reddere voluisse, emendo ab eis hæc officia, non inde tamen, quod sua spe elusus remanserit, sequitur aliquam actionem, vel exceptionem competere ad textum litteralem in *lib.* 3. *§. si quis quasi, ff. de condic. caus. dat.* ibi, *qui ea spe dedit ut ab eo, qui accipit remunerari existimaret, vel magis charum eum sibi esse futurum, si sua spe, vel falsa opinione deceptus est*, *&c.* de quo textu habetur apud Manticam *decis.* 266. *num. 6. & 7.* ubi concordantes.

Et ulterius, eidem sub dicto fine officia ementi, recte 20
dici potest, quod non debebat ita cito mori, sed expectare futuram promotionem, in qua, juxta morem, dicta tribunalia Rotæ, & Cameræ per assumptionem unius ex quolibet honorari solent, ideoque sibi imputet dum ex parte sua provenit impedimentum, quo non sequuto, forsan attentis ejus ætate, conspicua nobilitate, aliisque partibus, exoptatum finem obtinuisset, sed hæc ad superabundantiam, cum vere id nihil faciat ad rem.

Omnisque demum difficultas penitus cessat ex eo, quod 21
ipsemet emptor moriens, in testamento, ex quo Alma Domus totum suum Jus meritur, ingenue rei veritatem agnoscendo, declaravit se hujusmodi emptionem fecisse, atque credens sibi in vim dicti Chirographi licere disponere, eo modo quo fecit, de eis disposuit ad favorem ejusdem Almæ Domus, unde propterea ex dicto modo allegatæ turpitudinis potius resultare videtur ipsius hæredis indignitas, objiciendi proprio auctori, & benefactori hanc turpitudinem, ad text. in *l. prima, ff. de his, quæ ut indign.* per quem indignus reputatur ille hæres, qui proprium auctorem, & benefactorem, quasi illicitæ mercis negotiatorem detrahit, multo magis ubi hæc nota, & turpitudo gravior objicitur.

Quo vero ad dictum Chirographum, non videtur ad quid illud deducatur contra officiorum venditorem, ad quem, ut supra, nil pertinet inquirere, an emptor haberet facultatem disponendi necne: Adhuc tamen tres dantur responsiones: Primo, quod ita cessat objectum ex parte Almæ Domus deductum, quod emptio prædicta utpote non referibilis, nec ad lucrum, nec ad honorificentiam, aliam non haberet causam, nisi ut supra oppositum turpitudinis ac simulationis; ita enim stante dicta facultate, recte dici potest, emptionem esse ad lucrum, & industriam, quoniam magis expedit in gravi ætate, vel mala valetudine emere hæc officia cum dicta facultate, quam sine illa eamdem emptionem facere in juventute, seu valido, & robusto statu: Secundo, quod gratia prædicta non continet liberam facultatem disponendi in ultima voluntate de officiis tamquam de re propria libera, & allodiali, sed facultatem illa resignandi mediante solito consensu præstando coram Datario, vel ejus officialibus; quamvia ab eis ille non acceptaretur, quia nempe ratione ætatis, vel infirmitatis juxta consuetum Datariæ stylum respueretur,

unde gratia in hoc consistere dicitur, quod supplet istum defectum, ac alium supervivention per 40. vel 20. dies, sed
22 non ultra se extendit. Ideoque ubi habens istas facultates, eas non deducit ad exercitium, sibi imputet, & gratia non suffragatur ex collectis per Salgad. *in labyr. p. 2. c. 10. n. 65. & seqq. & n. 94. & seqq.*.

Et tertio, quod hujusmodi resignationes fieri non possunt, nisi certis personis morti subjectis, ex qua vacatio resultare valeat, ideoque facultas intelligitur de similibus, non autem de manibus mortuis, in quibus casus vacationis non datur: Quod jure clare probari videtur, tum ex iis, quæ frequenter habemus in materia facultatis transferendi pensiones, quia nisi exerceantur juxta formam præscriptam, nil suffragantur, *ut decis. 39. part. 6. rec.* & pluries in sua materia *sub tit. de pension.* præsertim in Imolen. tum ex iis, quæ habetur in Senogallien. Castrorum *sub titul. de feud. disc.* 1. in materia facultatis subinfeudandi, quia intelligitur, quatenus facultas sincere, & ad formam præscriptam exerceatur, & cum personis paris conditionis, ex ibi deductis. Et hæc dico, etiam cum sensu veritatis, quæ juxta præmissa procedit, ideoque prorsus incongruum videtur, ne dicam scandalosum, ut adeo insignis, & celeberrimus pius locus ad tanta pietatis opera exercenda destinatus, litem adeo insubsistentem 40. & ultra annorum spatio substineat, & quod suum alteri deneget.

Ponderabam item post hæc scripta, quod ubi etiam essemus in casu quo venditor evictionem aliquam præstare deberet, cujus contrarium omoino verius est, quia hic dicitur casus sequutus ex natura rei, adhuc illa non intraret ob dilemma clarum: Aut enim dictus Auctor legitime, & valide usus erat dicta facultate, aut non: si non usus, vel male, sibi imputet, atque dicitur evictio sequuta ejus culpa de jure non præstanda, ex deductis præsertim in Ariminen. evictionis Castrorum *sub titul. de feud. disc.* 44. ubi etiam de materia non præstandæ evictionis de natura rei. Etsi valide usus est, agere debebat ipse hæres contra Cameram, vel Datariam pro reintegratione officiorum, seu eorum valore: Et quatenus agendo, suasque diligentias faciendo id obtinere non posset, esset evictio per injuriam superioris, pariter non præstanda, dum præsertim non a simplici judice, sed a Principe, cujus factum reputatur casus fortuitus, multo magis, dum neque dictæ diligentiæ factæ erant.

Dabam in hoc practicum exemplum loco controversiæ satis adaptatum: Si enim possessor feudorum habens legitimos successores, & volens illa vendere cum regio assensu, qui habenti legitimum feudorum successorem non denegatur, inter plures emptores, quos prompte habere potuisset, illa venderet alicui, qui non habens legitimos feudorum successores, timensque proinde de facili, ac brevi devolutionis casu curet etiam mediante opera, & intercessione ipsius feudatarii venditori obtinere Regiam facultatem disponendi de feudis etiam in extraneos, ac præter leges communes, vel municipales feudales, deindeque eo moriente, ac disponente, Regia Camera capiat possessionem feudorum, illaque tamquam devoluta aliis vendat, non curata Regia facultate, vel quia male ad exercitium deducta sit, vel quia male obtenta, seu quod ipsis Cameralibus, etiam injuste ita placeat, & de facto, non exinde tamen resultat adversus feudatarium venditorem pro pretio competere aliquam actionem repetitionis, vel exceptionem denegationis solutionis illius ratæ, quæ adhuc debenda superesset, & hic est casus.

S U M M A R I U M.

1 *De statu causæ.*
2 *De alio casu controversiæ.*
3 *Quale pretium solvi debeat in emptione coacta.*
4 *Quale sit hodie pretium Clericatuum Cameræ.*

ANNOT. AD DISC. II.

1 Causa contenta in hoc discursu adhuc pendet in S. Consilio in eodem statu, cum istius domus infortunia recensita *sub tit. de feud. disc.* 118. *& sub tit. de cred. disc.* 13. *&* 151. Omnia favorabilia, & proficua silere fecerint, oppositis vero, & præjudicialibus, velocissimam dederint cursitationem, talis est mundanarum rerum vicissitudo: Sed quo magis ad hujus controversiæ casum reflectere occasio præbet, eo magis crescit admiratio, ut id in quæstione positum sit, tamquam diuturnam habuerit, ac habeat litem, cui tam magna dos attributa fuerit, cum revera sit disputatione indigna, etiam coram exiguæ Villæ pedaneo Judice.
2 Quo vero ad pretium officiorum in genere, & præsertim Clericatuum Cameræ; hoc medio tempore, in forma potius extrajudiciali, coram tribus Cardinalibus arbitris ex voluntario compromisso disputatio habita fuit super illo augmento scutor. sex mille auri, quod sequutum fuit sub Pontificatu Alexandri VII. ut in discursu insinuatur, quoniam cum Clemens IX. immediatus successor, Clericatus sub eo vocatos concessisset pro consueto pretio antiquo scut. 39. mil. auri, sine d. augmento, atque in fine ejusdem Pontificatus, ille, qui Clericatum obtinuerat sub Alexandro cum præfato augmento, occasione suæ assumptionis ad majus munus Thesaurarii Generalis, illum resignasset alteri Prælato ab eodem Clemente nominato, juxta stylum: Hinc orta est controversia super d. augmento, an esset solvendum, necne, atque rationabiliter quidem, & fundate juxta meum sensum, favore resignantis prodiit laudum pro solutione illius integri pretii, quod ipse solverat, ex conclusione, de qua pluries *sub tit. de serv.* in materia Retractus, ac etiam *sub titul. de emphyt. disc.* 12. & aliqui, quod scil. cum ista 3
sit species venditionis necessariæ, & per quamdam similitudinem retractus, retrahens teneatur possessori rei retractæ reficere totum etiam expensas extrinsecas.

Cessat autem hodie ista quæstio, dum ex Clem. X. suc- 4
cessoris decreto generali præfinitum est pretium Clericatus cum dicto augmento, sine cujus distinctione, pretium ordinarium est quadraginta duorum mille auri.

ROMANA OFFICIORUM DE MAXIMIS,

PRO MARIO DE MAXIMIS, ET JACOBATIIS.

CUM CAMERA POPULI ROMANI.

Casus non decisus.

An Conservatores Populi Romani prorogare possint officia vacabilia Capitolina de una persona ad aliam, sive concedere futuram officiorum successionem; Et de materia, quando id fieri possit per Principem, vel inferiorem magistratum in supplantatione successoris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Decuriones seu officiales inferiores Principe an possint concedere officia vacatura, seu viventis cum futura successione.*
3 *Quid in Principe.*
4 *Declaratur conclusio, de qua num. 2.*
5 *Unum, & idem officium potest eodem tempore pluribus conferri cum jure non decrescendi inter eos.*
6 *A feudis ad officia validum est argumentum.*
7 *Communis error facit jus, & antiqua consuetudo concedit id, quod alias non competeret.*
8 *Ubi officialis aliquid gerit publice, palam, & pluries, intrat præsumptio potestatis.*
9 *Confirmatio actus invalidi sapit speciem novæ concessionis, ejusque effectum operatur.*
10 *De nullitate ex capite erroris, vel falsi præsuppositi in confirmante, an & quando procedat.*
11 *Ignorantia, vel error in iis, quæ juris sunt non datur in Papa.*

D I S C. III.

Obtinens Dominicus de Jacobatiis ultimus de hac fa- 1
milia, quædam officia Capitolina, seu Populi Romani in ejus persona residentia, & cum ejus morte vacabilia, obtinuit de anno 1636. ab ejusdem Populi Conservatoribus, tamquam per viam novæ concessionis insolidum, sibi, necnon Mario de Maximis, & cuidam alteri cum jure accrescendi eadem officia concedi, itaut in ultimo superstite omnia consolidarentur, dictamque concessionem confirmari obtinuit de anno 1637. ab Urbano VIII. per litteras in forma Brevis. Innocentius autem X. Successor, prohibuit de anno 1649. Conservatoribus in futurum hujusmodi concessiones, ac moriente demum Dominico de anno 1661. scripto hærede supradicto Mario, Camera Populi Romani prætendere cœpit dictorum officiorum vacationem, atque superiorum auctoritate sibi assistente, de facto illa sequestravit.

Prætensionem fundabat Camera in auctoritate Soccin. 2
cons. 53.

conf. 53. *lib.* 3. *alias conf.* 288. *lib.* 2. qui loquens de concessione officii viventis cum futura successione facta per Priores Civitatis Senarum, concludit fieri non potuisse, ea duplici ratione, una nempe, quod officia viventium concedi non possunt absque consensu possidentis, etiam per Principem de potestate ordinaria, propter votum captandæ mortis, multo minus per Decuriones, aliosque inferiores magistratus, & altera quod quatenus etiam possessoris consensus accederet, adhuc tamen fieri non potest ex ratione supplantandi successorem, ad quem officii collatio, quando casus vacationis evenerit, spectare debet. Unde esset conferre provisionem in tempus inhabile, quando hujusmodi præventivam concessionem facientes non erunt amplius Officiales.

Ex cujus consilii auctoritate, ita in puncto consimilis concessionis officii vacaturi factæ per Conservatores populi Romani, decisum fuit per Rotam in una Romana officii æstimatoria Ripæ 24. Aprilis 1570. coram Lancellotto, relata per Fenzon. *ad statut.* 15. *lib.* 1. *in fine*, & per Gratian. *discept.* 167. *n.* 4. Et est recepta propositio generalis de prohibitis concessionibus officii, vel rei vacaturæ in supplantationem successoris, ex deductis in Fulginat. emphyteusis, seu domus *sub tit. de Emphyteusi*, ubi de hac materia supplantandi successorem, ac præventivis concessionibus latius.

3 Ego pro Maximo scribens dicebam, præmissa in Decurionibus, & inferioribus magistratibus esse vera, non solum ubi possessoris consensu deficiente, utraque ratio militat, cum tunc sit absolutum, quia etiam in Principe, de ordinaria potestate, propter votum captandæ mortis, id negatur, quamvis de potestate absoluta, ea magis communi, & recepta opinione concedatur, ex deductis per Mastr. *de magistrat. lib.* 1. *cap.* 25. Fontanell. *decis.* 212. *& seqq.* Cabedo *dec.* 2. Capyc. Latr. *consult.* 145. *n.* 30. *& seqq.* *& n.* 147. *& seqq.* & in Beneficialibus habemus circa gratias expectativas; sed etiam ubi tali consensu accedente obstaret solum secunda ratio supplantandi successorem, quia hæc non obstat Principi ex isto solo motivo præventivas concessiones de officiis, vel rebus vacaturis facere non prohibito, sed bene in Decurionibus, vel aliis inferioribus magistratibus, ut etiam in dicta Fulginat.

4 Verum credebam non esse in casu, ideoque omnia præmissa cessare ex defectu applicationis, procedunt etenim in illis concessionibus, quæ ad formam expectativæ, sive coadjutoriæ cum futura successione sunt, itaut provisus, nonnisi post mortem possidentis officium sit assecuturus, in quibus terminis loquuntur Soccin. & Rotæ decisiones ubi supra, qualis non erat casus, in quo Dominico officiorum possessore consentiente, & supplicante, Conservatores eadem officia, quæ prius in una persona residebant, ex tunc pluribus insolidum concesserunt, itaut omnes ea
5 tunc effecti fuerint Officiales. Neque implicat, ut unum & idem officium in plurium personis eodem tempore insolidum resideat, itaut per unius mortem, vel delictum, tamquam individuum, ratione Juris non decrescendi, in superstite remaneat, non per viam successionis, vel novæ acquisitionis, sed per viam retentionis, & continuationis proprii juris, Lanar. *cons.* 59. *n.* 27. *&* 28. Reverter. *dec.* 168. Merlin. in voto edito in Romana officii Rinconti 5. Junii 1623. de quo in Romana fideicommissi de Boncompagnis 14. Decembris 1663. cor. Bevilaqua §. *fin.* & conferunt in terminis feudorum deducta in Mutinen. feudi de Rangonis *sub tit. de feudis disc.* 8.

Unde quemadmodum, si tunc hujusmodi officiis vacantibus per mortem, vel resignationem Dominici, Conservatores ex Statuto Urbis 15. illorum collationem habentes, non fuissent prohibiti illa pluribus insolidum eodem tempore concedere, itaut resultaret jus non decrescendi, quod sequi non dicitur ea potestate concedentis, sed ex dispositione Juris, & propter subjectam materiam individuam, ita non videtur, quid prohibuerit per actum occultum resignationis a Dominico factæ in manibus Conservatorum, quando consensum præstitit, ut ab istis dicta officia, tamquam per resignationem vacantia, pluribus personis (illa etiam ejusdem Dominici inter eas comprehensa) potuerint conferri.

6 Eodem modo, quo officia vel beneficia in una persona residentia, de istius consensu in alteram transferuntur, quia fingitur possessorem dimittere officium, vel beneficium in manibus Superioris, & ab isto tamquam vacans alteri conferri, ex deductis per Larream *alleg.* 22. Salgad. *in Labyr. par.* 2. *cap.* 35. *n.* 21. 23. *&* 26. cum aliis in materia locorum montium sæpius deductis *hoc eod. tit.* & habetur etiam in deductis *sub tit. de feud.* a quibus ad officia validum est argumentum, Larrea *dict. alleg.* 22. *n.* 31. & 32. Mastrill. *de Magistr. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 7. *&* 10. *cum seqq.* Noguer. *alleg.* 33. *n.* 5. Et sic dicebam, in effectu nostram concessionem non continere expectativam, seu futuram concessionem juxta objecta, sed concessionem officiorum tamquam tunc vacantium, alterato solum consueto, quod scilicet, quemadmodum plus in una tantum persona residebant, ita deinde in pluribus constituta sint.

Et quando de potestate Conservatorum faciendi hujus- 7
modi collationes in plurium personis, aliqua dubitatio haberi posset, quasi quod ita per indirectum fraus fieri posset legi, atque induci supplantatio successoris (de quo cessante consuetudine satis dubitarem,) in præsenti tamen omnem difficultatem cessare dicebam stante consuetudine a magna consimilium actuum frequentia ab antiquissimo tempore bene probata, quæ propterea attendenda est, vel
ratione communis erroris, qui jus facere dicitur ad text. 8
in l. Barbarius, *ff. de officio prætoris*, ubi DD. Rot. *dec.* 608. *n.* 12. *part.* 2. *rec.* cum aliis per Salgad. *in Labyr. p.* 2. *cap.* 9. *num.* 144. *ubi distinguit.* Vel clarius, quia ubi magistratus publice, palam, & frequenter plures actus exercet, cum subsecuto effectu, præsertim in faciem Principis, intrat potestas præsumpta, quæ sufficiat ad actum substinendum, ut bene Baldus, qui dicit notandum, & menti tenendum in *l. exemplo*, *n.* 8. *versic. extra quæritur*, *Cod. de probat.* Felin. *in cap. cum in Jure peritus*, *n.* 11. *vers. limito*, *nisi de offic. legat.* Paris. *cons.* 104. *n.* 54. *lib.* 1. *add. ad decis. ult. n.* 11. *de consuetud. in novis*, & confert dispositio text. *in cap. nobilissimus 97. dist.*

Et in puncto, quod ubi aliquod officium solitum est conferri per magistratum substineatur, quamvis de jure talem potestatem non habeat, & collatio non ad ipsum, sed ad Principem pertineat, firmat decisum: refert Amicangel. *in tract. de Regalibus offic.* 9. tn. *n.* 15. dictamque consuetudinem de præterito comprobari dicebam, etiam per eamdem Innocentii prohibitionem de futuro, quia sic tacite, & implicite approbare, & fateri videbatur, quod ita de præterito factum esset, ac fieri soleret.

Nec obstare videbatur, quod in dicta decisione Rotæ coram Lancelloto, hujusmodi consuetudinibus motivum deductum, ac rejectum esset ea defectu illius non bene probatæ, tum quia ab eo tempore ad præsentem, effluxit spatium centum annorum, per quod legitima consuetudo tunc non bene inducta induci potuit, sive tunc non bene probata, nunc probari. Tum etiam quia casus est diversus, ubi enim agebatur de concessione in forma vera expectativa seu coadjutoriæ cum futura successione, cui in Decurionibus, & inferioribus magistratibus lex expresse resistit, ideo requiritur formalis consuetudo præscriptiva, & sufficiens ad acquirendum id, quod a lege est prohibitum. Hic autem agitur de diverso casu, qui prætenditur in puncto Juris validus, & legitimus, non indigens consuetudine præscriptiva, per quam Juris prohibitio seu resistentia tollatur, idcoque dicebam eam capiendam esse tamquam observantiam interpretativam illius juris, quod dubium prætendi posset, atque ita omnem difficultatem cessare, cum observantia interpretativa non egeat formali præscriptione, sed sufficiat ita aliquando observatum fuisse. Unde de uno casu ad alium non recte inferebatur.

Demum omnem difficultatem tolli dicebam ea Apostoli- 9
ca confirmatione, concessa per Urbanum VIII. omnium defectuum suppletiva, cum enim Papæ potestas sit indubitata, sequitur confirmationem actus quantumvis nulli, stare loco novæ concessionis, ejusque vim habere, Decius *cons.* 341. *n.* 7. Cassador. *decis. unica de confirmat. utili, vel inutili*, Seraph. *decis.* 1432. *n.* 5. Rota *decis.* 157. *n.* 9. *part.* 6. *rec. &* 145. *n.* 4. *&* 5. *par.* 7. & in aliis frequenter.

Adversus hujusmodi confirmationem dicebatur ex parte 10
Cameræ, illam esse invalidam, utpote concessam sub erroneo prætextu, seu falso præsupposito potestatis Conservatorum. Verum respondebam cum distinctione Felin. *in cap. Inter dilectos*, *n.* 6. *de fide instrumentum*, quod aut confirmans innititur simpliciter concessioni, quæ falsa, vel defectiva reperiatur, non subjungendo alia verba suppletiva, defectuumque sanativa, & tunc confirmatio nihil prodest, aut dicta verba adjiciuntur, itaut aliquid ultra confirmatum agatur; & confirmatio habet vim novæ concessionis, quia ea isto modo liquet fuisse dubitatum de concessionis invaliditate vel defectu, ad quem sanandum vel supplendum, Principis auctoritas implorata est.

Quod

Quod clarius in præsenti procedere videbatur, quia in litteris expeditis per conservatores, expresse & conditionaliter cum clausula, *& non alias*, reservatur Beneplacitum Apostolicum proinde obtentum, quasi quod concedentes, & recipientes, ita de actus validitate dubitantes, noluerint illum perficere nisi cum Principis approbatione. Unde corruit objectum falsi præsuppositi, quod scil. Papa præsupposuerit Conservatores habuisse potestatem hujusmodi actum faciendi, quia si tam ipsi, quam partes id credidissent, incongrua erat Beneplaciti reservatio cum clausulis conditionem, & præcisam illius necessitatem importantibus, ita ut actus, a dicto Beneplacito magis, quam ab ipsa concessione animari, & informari diceretur.

11 Eoque magis hoc objectum falsi præsuppositi cessare videbatur, quia defectus potestatis Conservatorum non consistit in facto, sed in jure, ipsi etenim tamquam Decuriones ex Statuto *cap.* 15. ac etiam forte ex juris communis dispositione facultatem habent conferendi ea Populo, & Capitolii officia, quæ de tempore eorum Decurionatus vacare contingit; defectus autem conferendi officia vacatura, seu faciendi hujusmodi prorogationes provenit a mera dispositione Juris, cujus ignorantia in Papa non datur.

Hic adducebam simile, quod si Episcopus, vel alius inferior collator, sub reservatione Beneplaciti Apostolici cum clausula, *& non alias*, concedat super beneficio coadjutoriam cum futura successione, sive pensionem reservet, vel aliud faciat, quod suæ ordinariæ potestati de jure non concedatur, Papa vero dictum actum approbet, & confirmet, cum verbis importantibus suppletionem omnium, tam juris, quam facti defectuum, utique vanum esset, adversus hujusmodi beneplacitum, seu confirmationem allegare in Papa credulitatem, vel præsuppositum, quod inferior ordinarius collator hujusmodi actum facere potuisset, quia esset in eo supponere manifestam fatuitatem in iis, quæ Juris sunt, quæ non datur.

Et ex his, credebam meliora Jura fovere Maximum, quam Cameram, stante præsertim dicta Apostolica confirmatione, cum omnium defectuum, tam juris, quam facti suppletione, sine qua tamen, cum solo fundamento concessionis Conservatorum dubitabam, quia stante comprehensione ejusdem Dominici, cessare videntur considerationes de præsentanea vacatione per dimissionem, & nova concessione ex tunc tamquam de vacanti, ut supra, dum actum dimittens donec vivit, adhuc perseverat in officio, alterum adjunctio, aliud in effectu importare non videtur, nisi illorum futuram successionem, quatenus officialis antea deficeret, quod si supervivit, nihil ex alio dicitur plus acquirere dicitur, ... ratio, qui hujusmodi actum salvare posset, resultat ab incerto eventu præmorientiæ illorum, in quos officium transferretur. Casus non fuit ulterius in judicio discussus, nec decisus, sed remanendo sub silentio, succumbentiam in Maximo forte causavit, unde cum non fuerit formiter discussus, non potui super eo efformari maturum judicium pro veritate.

ANNOT. AD DISC. III.

12 IN præcisis terminis hujus discursus, super præventiva scilicet concessione facta per Magistratum Civitatis, officii adhuc non vacantis, extat moderna *consult. 64. Rosa.* qui testatur ita decisum, quamvis in eo casu aliquæ particulares accederent circumstantiæ super defectu potestatis, quæ rem faciunt magis claram, super qua dictus Scriptor insistit. Ex duabus autem rationibus, illa vota captandæ mortis, generaliter videtur levis, & forte contemptibilis; multo vero magis ubi accedat consensus possessoris officii, ex iis, quæ in hac materia habentur *sub tit. de emphyt. disc.* 1. *&* 2. Ideoque remanet solum firma, & considerabilis in subditis: altera ratio supplantationis successoris, super quo, ultra deducta *in hoc disc.* & in supra allegatis *disc.* 1. *&* 2. *de emphyt.* plenius, magisque ex professo agitur *sub tit. de pens. disc.* 1. & licet contra ibi deducta, plura deducantur per quemdam scribentem apud Torre *de pact. futur. succ. in fine operis, ante decisiones Rotæ ibi registratas.* Adhuc tamen verius, ac firmum esse videtur id, quod *in d. disc.* 1. *de pens.* firmatur, ut in hujus Annotatione advertitur.

ROMANA PRETII OFFICIORUM PRO CREDITORIBUS VALERII DE MAXIMIS. CUM HÆREDE CARDINALIS CEVÆ.

Casus decisus per Rotam pro creditoribus.

An creditor in tempore posterior, qui habet reservationem decreti super officio, præferatur in officii pretio creditoribus in tempore anterioribus. Et quomodo officia Rom. Curiæ dicantur esse in commercio, ac veniant sub hypothecis, & obligationibus.

S U M M A R I U M.

1 *CAsus controversiæ.*
2 *Ubi debitor est detectus non idoneus, pecunia exacta per creditores semper dicitur extare, & potest avocari per anteriores.*
3 *Creditores habentes reservationem decreti super officio vincunt anteriores, & n.* 8.
4 *Quid in pretio Officii, an reguletur eodem jure, quo ipsum officium.*
5 *Resolutio causæ.*
6 *Rejicitur unum fundamentum resolutionis.*
7 *Pretium quando succedat loco rei, ac reguletur.*
8 *De conclusione, de qua n.* 3. *an procedat pro fructibus.*
9 *Reservatio decreti concessa mutuantibus ad officium emendum est naturalis, & non tollit jus tertii.*
10 *Princeps præsertim Papa non censetur velle tollere jus tertii.*
11 *Gratia sub falsa narrativa est invalida.*
12 *In gratiis, quæ solent concedi, & non denegantur, non attenditur surreptio.*
13 *In specie de gratia derogationis fideicommissi, ut sit nulla ex defectu surreptionis.*
14 *Facilius ista conceditur, quam illa tollens jus creditorum, & de ratione differentiæ.*
15 *Quando assensus, vel facultas non percutiat substantiam contractus, neque illum annullet, declaratur.*

D I S C. IV.

SUper duobus officiis Cancellariæ quæsitis per Valerium de Maximis usque ab ann. 1609. curavit iste ad cautelam Cardinalis Cevæ de anno 1620 certam pecuniam sibi mutuantis, fieri super dictis officiis consuetam decreti reservationem sub narrativa, quod illa ejusdem Cardinalis pecuniis quæsita essent. Atque sequuta in vim d. decreti eorundem officiorum venditione, obventoque pretio in dictum Cardinalem, contra istius heredem, d. Valerii creditores hypothecarii in tempore anteriores, judicium instituerunt in Rota coram Bevilaqua pro d. pretii avocatione absque dubio regulariter intrantic, dum exactio sequuta erat facto judicis, post jam detectam debitoris decoctionem, seu insufficientiam, quo casu pecuniæ habentur pro extanti, neque ejus bona fide consumptio allegari potest, *Gratt. de cred. c.* 4. *q.* 11. *n.* 1319. *cum seqq.* Rota *dec.* 317. *p.* 2. *rec.* 526. *num.* 6. *p.* 4. & est conclusio plana, de qua sæpe in sua materia *sub tit. de credito*. 1 2

Non negabantur hæc per scribentes pro hærede reo convento, sed dicebatur, quod cum officia, utpote ex Regalibus, non sint in commercio absque Papæ beneplacito, quod ita per hanc decreti reservationem concedi dicitur, hinc ad instar eorum quæ passim, & absque dubio recepta habemus in feudis, aliisque alienari, vel obligari prohibitis, habentes assensum, seu beneplacitum, quamvis posteriores, vincunt anteriores illo carentes in ipsa re prohibita, cujus respectu dicuntur simplices creditores chirographarii, ut clare occasione locorum montium disponitur in Constitutione 154. Urbani VIII. ac declarant Gratian. *discept.* 50. *num.* 27. Pacific. de Salv. *inspect.* 3. *cap.* 2. *num.* 637. Seraph. *dec.* 1294. *n.* 4. Rota *dec.* 116. *n.* 12. *p.* 4. *rec. tom.* 2. & conferunt quæ late habentur apud Salg. *in labyrint. p.* 2. *c.* 27. *per tot. dec.* 206. *n.* 7. *&* 8. *p.* 11. *rec.* ex ea clara ratione, quod ita creditor habens assensum dicitur sequi fidem Principis, atque ipse est primus, qui suum jus imprimit in officio, usque nunc libero, & immuni. 3

Econverso Ego, & cæteri scribentes pro actoribus, non negabamus dictæ conclusionis, vere incontrovertibilem veritatem. Dicebamus tamen eam procedere, quoad ipsa officia, eorumque substantiam, secus autem quoad eorum pretium, quod censetur tamquam allodiale, ac jure alio- 4

re aliorum bonorum indifferentium regulatur, unde propterea cum hac distinctione officia Romanæ Curiæ dicuntur esse in commercio, Grat. *discept.* 670. *n.* 12. *cum seqq.* Pacific. *loc. cit. n.* 647. Seraph. *dec.* 389. *n.* 6. *&* 7. *&* 1294. *num.* 3. Millin. *dec.* 251. *n.* 9. *d. dec.* 116. *n.* 12. *&* 13. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 338. *n.* 12. *& seq. p.* 11. & ita distinguendo habetur supra in Neapolitana *disc.* 2. *& alibi hoc tit. sæpius*.

5 Et ex hoc fundamento sub die 27. Novembris 1658. prodiit resolutio actoribus favorabilis, confirmata prima Decembris 1659. ut patet ex decisionibus desuper editis coram Bevilaqua.

6 Quamvis autem dictæ resolutiones ex alio motivo infectionis dictæ reservationis, ut infra probabiles essent, ac fundatæ; nihilominus istud fundamentum, mihi licet pro parte obtinente scribenti, reflectendo ad veritatem, videbatur periculosum, parumque tutum. Licet enim dicta distinctio inter substantiam officii, ejusque pretium servetur, eodem modo, quo est in feudis, quia pretium feudi non est feudale, neque cadit sub juribus feudalibus eorumque prohibitionibus, attamen, ut habemus receptissimum
7 in materia feudali, id non procedit, quando officium, vel feudum venditur de mandato judicis, ad effectum, ut exinde satisfiat creditoribus jus habentibus in officio, vel feudo, tunc enim pretium succedit loco rei, ejusque naturam in omnibus sortitur, ut apud Franch. *decis.* 64. Surd. *decis.* 306. & habetur particulariter actum in Romana locorum montium *sub tit. de feud.* ad materiam Bullæ Baronum, *disc.* 98.

8 Idque agnovit etiam postmodum Rot. in Romana concursus 10. Junii 1661. cor. Cerro, ubi firmatur potioritas in pretio officiorum ad favorem creditorum posteriorum habentium reservationem decreti, solumque ibi dubitatum fuit, an id procedat in credito ex causa fructuum, atque ibi deciditur negative, cujus tamen contrarium esse probabilius habetur infra in eadem Romana concursus *hoc eod. tit. disc.* 10.

Probabiles autem, beneque fundatæ mihi, reflectendo
9 etiam ad veritatem, visæ fuerunt dictæ resolutiones, ex alio motivo infectionis dictæ reservationis decreti, utpote concessæ sub falsa narrativa, quod pecunia data esset ad ipsa officia emenda, quo casu, juste ac rationabiliter Papa decreti reservationem concessisset absque aliquo creditorum anteriorum præjudicio, dum alias eadem officia non fuissent in bonis debitoris, de cujus patrimonio nil diminuitur ad terminos, text. *in l. licet, C. qui potior. in pignor. hab. cum ibi communiter not.* Et in terminis assensus dati mutuantibus ad officium emendum, Aponte *dec.* 34. Galeot. *lib.* 1. *controv.* 21. Salgad. *in labyrint. p.* 2. *cap.* 21. cum aliis deductis in Romana diminutionis pretii pro creditoribus Curti hoc eodem tit. *disc.* 12. secus autem, ubi ut in præsenti officia per decennium, & ultra erant in bonis debitoris, cujus creditoribus, licet nullum quæsitum esset jus reale, quod ipsorum officiorum substantiam percuteret, quæsitum tamen erat jus in pretio erogato in emptionem, utpote de bonis debitoris, & quod contra distinctum ab ipsis officiis, vel ceciderat sub hypotheca, vel affectum erat eisdem creditoribus spe satis proxima, resultante ab illa imploratione officii judicis, quæ datur etiam creditoribus sine assensu ad cogendum feudi, vel officii possessorem in actione personali ad illud vendendum, ut ex pretio exinde retrahendo tamquam libero, & allodiali possit eis satisfieri juxta *decis.* 704. Franch. & frequenter *sub tit. de feud.*

10 Ideoque ita esset tollere jus tertii, quod omissa quæstione potestatis, de qua Gabr. *de jure tertii quæsito non tollend. q.* 1. Gomes. *ad regul. de jure tertii quæsito non tollend.* Capyc. Latr. *decis.* 188. *& seqq.* Galeot. *responso Fiscali* 23. *addent. ad dec.* 666. *p.* 4. *rec. tom.* 3. illa etiam admissa, non solet per Principem tolli, ideoque intrat defectus voluntatis, qui si regulariter intrat in quocumque Principe, multo magis in Papa, qui per dictam regulam de jure tertii quæsito non tollendo specialiter, & expresse id profitetur, nisi expresse dicat, & cum dictæ regulæ derogatione, nisi agatur de gratia de sui natura, & pernecesse præjudiciali.

11 Et consequenter intrat clara regula text. *in c. super litteris, c. si proponente, c. ad audientiam, & c. postulasti, de rescript.* quod falsis orator precibus, ac impetratis gaudere non debet, ut latius in hujus causæ decisionibus.

12 Et quamvis in ratione dubitandi videretur dicendum, quod cum Papa quoties præservatur ejus, ac datariæ præjudicium soleat esse facilis ad hujusmodi gratiæ concessionem, idcirco non videantur intrare rigorosi termini surreptionis, ex iis quæ in proposito derogationis Sixtinæ dotium moderatoriæ habentur in Romana dotis coram Verospio *dec.* 253. *p.* 11. *rec. num.* 7. & est actum in Spoletana dotis pro Polo, ac aliis frequenter *sub tit. de dote cum similibus*. Nihilominus id percutere videtur ipsummet debitorem, seu habentem causam ab eo, ne assensus, vel decreti nullitatem allegare valeat, secus autem quoad tertium, cujus præjudicium alias gratiam contineret, ejusque jus tolleret: tunc enim stricte, ac rigorose procedendum est super narrativa, quæ est fundamentum gratiæ, alias, vel nullatenus, vel difficilius concedendæ, ut passim habemus in materia derogationis fideicommissorum, & majoratuum, ut ea non 13
suffragetur quoties ex falsa causa, vel ob taciturnitatem aliquarum circumstantiarum gratia patitur defectum surreptionis, vel obreptionis, seu defectus intentionis, ex plene collectis *dec.* 41. *&* 363. *p.* 10. *rec.* Firmana fideicommissi 31. Januarii, & 20. Junii 1653. cor. Peutingero, & 17. Maji 1657. cor. Priolo, & habetur in nullius vendicationis feudi *sub tit. de feud. disc.* 50. ac frequenter in sua materia *sub tit. de fideicommissis*.

Et nihilominus ista gratia non videtur adeo præjudicialis, minusque jus tertii adeo radicatum, vel quia successor fideicommissi certet magis de lucro captando, quam de damno 14
vitando, vel quia sit jus incertum, & eventuale; cum substituti præmori possint gravato, qui interim, juxta veriorem, & receptam opinionem, est verus Dominus, vel demum quia jus vocatorum ad fideicommissum resultat magis ex quadam indulgentia juris positiva a temporibus Augusti citra, ex iis quæ habentur frequenter deducta *sub tit. de feud.* ad materiam Bullæ Baronum præsertim in Romana Contributionis de Cesiis *disc.* 89. & in Romana Pecuniaria de Pallavicinis *disc.* 74. & in aliis; secus autem in præsenti, dum creditores certant de damno vitando, atque eorum jus quæsitum videtur ex eorum providentia, & ex jure naturæ, vel gentium magis, quam positivo, saltem in pretio, juxta communem distinctionem in proposito potioritatis resultantis ex dispositione text. *in leg. Assiduis, Cod. qui potior. in pign. hab.* ut plene per Add. *ad d. dec.* 666. *p.* 4. *rec. tom.* 3. & in dicta materia *sub tit. de dote*. Accedentibus etiam aliis defectibus in commissionibus a d. creditore obtentis super facultate subhastandi dicta officia, ut in dictis causarum decisionibus deducitur, ideoque resolutiones fuerunt omnino justæ, & probabiles.

Atque considerabam intrare clarum dilemma inevitabile. Aut enim gratia hujusmodi decreti, seu assensus erat præcise necessaria, utpote percutiens substantiam contractus, & de plano intrabant præmissa. Aut non percutiebat substantiam contractus, qui sine illa validus esset, & perfectus, sed solum quoddam implementum illius modi, quem Princeps pro jure suorum officialium circa emolumenta desideravit, ut habetur apud Salgad. *in labyrinth. p.* 1. *c.* 35. *num.* 65. in qua auctoritate scribentes in contrarium magnum constituebant fundamentum, tunc quæsitum esset jus creditoribus anterioribus ab initio per hypothecam generalem. Revera tamen versabamur in prima parte, cum Salgad. *loc. cit.* percurrat terminos diversos, ubi scil. præcedit assensus, seu facultas, jam perfecta cum signatura supplicationis, solumque superest expeditio litterarum tamquam conditio, vel modus præscriptus a Principe concedente pro interesse officialium ratione emolumentorum, quod nil commune cum his terminis.

ANNOT. AD DISC. IV.

SUper contentis in hoc discursu, & in pluribus aliis sequentibus, concernentibus materiam concursus creditorum, inter eos, qui habeant reservationem decreti, & illos, qui non habeant, hoc medio tempore defuit occasio disputandi in his præcisis terminis officiorum; bene tamen ad rem faciunt ea, quæ super concursu in bonis jurisdictionalibus, & aliis, alienari, vel obligari prohibitis, absque alterius licentia, vel assensu, habentur postmodum disputata *sub tit. de Credit. disc.* 13. *&* 151. & conferunt, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 78. *& sub titul. de emphyt. disc.* 58. cum omnia hujusmodi bona, vel jura pari passu ambulare videantur, ideoque ea, quæ in uno hujusmodi bonorum genere dicuntur, generaliter aliis similis naturæ, vel qualitatis congruere videntur, cum eædem intrent rationes.

RO-

ROMANA OFFICII SECRETARIATUS PRO PHILIPPO BONCOMPAGNO, CUM DATARIA APOSTOLICA,

Casus sopitus per Concordiam.

Officia, quando non terminentur cum persona, sed sint transitoria ad hæredes quoscumque, vel sint cessibilia. Et sub nomine hæredum, qui veniant in officiorum concessione.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Officiorum concessio dicitur personalis, & durante tantum vita concessionarii.*
3 *Amplia, etiamsi in perpetuum facta esset concessio, quia intelligitur de perpetuitate vitæ.*
4 *Princeps vero potest illa concedere in perpetuum, itaut sint alienabilia, & ad quoscumque hæredes transmissibilia.*
5 *Maxime in officiis non creatis pro justitia administranda, sed pro œconomica administratione sine jurisdictione, & cum certo emolumento.*
6 *Industria personæ non requiritur de necessitate in istis officiis œconomicis.*
7 *Itaut possint vendi adhibita licentia Principis, & in hæredes extraneos transferri.*
8 *In officiis jurisdictionem habentibus dicitur electa industria personæ.*
9 *Officia, quæ transeunt ad hæredes imputantur in legitimam.*
10 *Capitolina officia Romanæ Curiæ prius erant vacabilia, sed nunc facta sunt perpetua, & ad hæredes transitoria.*
11 *Vacationis vero decretum horum officiorum per mortem civilem, & naturalem, apponitur propter emolumenta Dataria, & solutiones Regaliarum, non quod ex illo fiant vere vacabilia.*
12 *Emphyteusis concessa in perpetuum de una vita in alteram sen de 29. in 29. ann. non dicitur limitata ad dictum tempus, sed ad effectum faciendi renovationes propter laudemia consequenda, ac alia emolumenta.*
13 *Super officiorum perpetuitate cadit solum quæstio voluntatis in Principe.*
14 *Concessio officiorum pro solis heredibus sanguinis, an efficiat, ut isti veniant jure proprio, vel tamquam heredes primi acquirentis.*
15 *De natura feudorum est, ut ad heredes sanguinis restringantur.*
16 *Feudum hereditarium dicitur feudum corruptum, cum potius, ut alia bona hereditaria, reputetur.*
17 *Concessio officii facta pro se, & heredibus simpliciter non restringitur ad solos heredes sanguinis, sed etiam ad extraneos transit.*
18 *Maxime si dictio,* quibuscumque, *adjecta fuisset.*
19 *Vel alia clausula omnimodam translationem dominii, & alienabilitatem importantes apponantur in concessione.*
20 *Ex observantia vero colligitur, an heredes solum sanguinis, vel etiam extranei sint in concessione officii comprehensi.*
21 *Regula Cancellariæ 64. & Constitutiones Sixti V. Pauli V. de officiis non alienandis non habent locum in officiis, quæ alterata eorum natura sunt in purum allodium concessa.*
22 *Quæ, & qualia emolumenta debeantur pro translatione officii perpetui de uno in alium*

D I S C. V.

1 IN erectione facta de anno 1563. per Pium IV. Montis Pii vacabilis recuperati nuncupati, deputatus fuit depositarius Hieronymus Ceulus pro se, hæredibus, & successoribus quibuscumque in perpetuum, cum facultate deputandi Secretarium, & ratiocinatorem, prout de facto, tam ipse, quam Tiberius filius, ac Lælius nepos, & hæredes, deputarunt dictos officiales usque ad annum 1608. quo per Lælii creditores dictum depositariæ officium pro certo pretio retrocessum fuit Cameræ, quæ illud deinde vendidit cum eisdem facultatibus Ascanio Costaguto, pariter pro se ejusque hæredibus, & successoribus, qui deputavit in Secretarium quondam Bandinum, quo resignante, de anno 1630. certo pretio soluto, deputavit Philippum Boncompagnum, contra quem de anno 1653. Camera, seu Dataria Apostolica prætendere cœpit vacationem per Costaguti obitum, quare pro Boncompagno scribens dicebam, ut sequitur.

Quamvis officiorum natura sit personalis, unde facta sim- 2
pliciter illorum concessione absque alia expressione, censeantur concessa in administrationem, durante vita concessionarii, cujus personæ industria electa dicitur ad text. *in l. antepenultima, ff. de tutelis, c. fin.* §. 1. ubi Gloss. *de Testamentis in sexto*, cum concordantibus per Bald. *cons.* 150. *n.* 5. *lib.* 3. Cyriac. *controv.* 398. *n.* 1. & 2. adeout etiamsi di-
catur concessionem fieri in perpetuum, intelligatur de per- 3
petuitate vitæ, ex deductis per Pratum *discept.* 18. *num.* 72. *vol.* 2. ubi concordantes. Non est tamen horum natura immutabilis, quin propterea possint per Principem alterari, & concedi etiam in dominium, atque ad instar allodii fieri
alienabilia, vel ad hæredes transmissibilia, quia tempus est 4
de officiorum naturalibus, non autem de substantialibus, cum totum pendeat a voluntate concedentis, quomodo, & ad quantum tempus concedere velit, Bald. *dict. cons.* 159. *num.* 5. bene aliis allegatis Montanus *de regalibus officiis n.* 5. *fol.* 167. Rota in Romana officii Notariatus 2. Martii, & 22. Junii 1668. cor. Bourlemont, de qua causa habe-
tur *hoc tit.* in Romana officii Agriculturæ *disc.* 17. Quod 5
maxime procedit in hujusmodi officiis mixtis non creatis ad justitiam administrandam, vel expediendam, sed habentibus quamdam, œconomicam potius, quam politicam administrationem, cum certo emolumento sine jurisdictione: quam distinctionem ex Saliceto ponderat Rota *decis.* 338. *n.* 2. *part.* 11. *rec.*

In istis etenim non videtur præcise necessaria personæ in- 6
dustria, sicut in illis, quæ ad Reipublicæ regimen, & justitiæ administrationem creata sunt. Unde quemadmodum
licite venduntur, ac more bonorum indifferentium, cum 7
sola necessitate adhibendi Principis auctoritatem, sunt in commercio, ita nil repugnare videtur, concedi magis ad vitam, quam in perpetuum, ac transferri in hæredes de tempore concessionis ignotos, quorum industria electa dici non potest, cum ex hoc justitia non lædatur, neque Respublica
patiatur detrimentum, sicuti sequeretur, si id in officiis ha- 8
bentibus jurisdictionem, & publicam administrationem fieret Salicet. *in l.* 3. *n.* 13. *Cod. ad legem Juliam de ambitu*, Mastril. *de magistrat. lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 22. & 24. Joan. Andr. de Georgio *de feudis cap.* 54. *n.* 50. Staiban. Jun. *resol.* 100. *n.* 42. *& seqq.* Montanus *ubi sup. n.* 7. *fol.* 170. *col.* 2. & habemus in jure communi statutum in militiis, quarum loco hujusmodi, vel alia officia subrogata sunt, ut supra *disc.* 2. nam ad
hæredes transeunt, in legitimam imputantur, atque de eis 9
tamquam de cæteris bonis judicatur ad text. *in l. omnimode*, §. *imputari*, *C. de inoff. testam.* & *l. illud*, *C. de collat.* cum concordantibus per Montan. *de regal. off. d. n.* 7. Rovit. *cons.* 106. *n.* 6. *lib.* 2. Arias de Mesa *l.* 3. *variar. c.* 49. *n.* 26.

Idque in Curia Romana de facto in praxi videmus, in
officiis præsertim Notariorum fori Capitolini, quæ antiqui- 10
tus, juxta officiorum regularem naturam, vacabilia, facta sunt perpetua, & ad instar allodialium ad hæredes transitoria, Grat. *dec.* 570. *num.* 1. & 9. & *decis.* 736. *num.* 8. Rota *decis.* 14. post Fenzon. ad statuta in Romana off. Notariatus 6. Februarii 1654. coram Celso, *inter suas decis.* 178. & *decis.* 245. *part.* 4. *recent. num.* 13. ubi bene notatur, decre-
ta vacationis hujusmodi officiorum per mortem natura- 11
lem, vel civilem apponi propter emolumenta Datariæ, & solutionem regaliarum, non autem respectu dominii. Quodque revera hujusmodi decreti appositio illa non faciat vacabilia, & habetur præsertim in d. Romana Agriculturæ *hoc tit. disc.* 17.

Quod in simili habemus in materia emphyteutica, quia 12
fieri solent concessiones de 29. in 29. annis, sive de una vita in alteram in perpetuum; sed hujusmodi temporis limitatio adjecta dicitur ad effectum petendi renovationem, pro qua Laudemia, sive capofolda solvi solent; & pro hujusmodi emolumentorum assecutione, non autem ad terminandam concessionem, itaut illa temporalis censeatur, Duran. *dec.* 402. *n.* 7. 381. *n.* 14. *part.* 5. Otthobon. *decis.* 103. *& sæpius*, multo magis ubi dictum vacationis Decretum adjectum non est, ut in præsenti.

Quapropter nulla in proposito cadere videtur quæstio 13
potestatis, an scilicet possit, necne Princeps hujusmodi officia facere perpetua, cessibilia, & ad hæredes transmissibilia, sed tota est quæstio voluntatis: an scilicet voluerit. Et quatenus respectu transitus ad hæredes, & successores voluntas esset certa, quia expresse diceretur concessio-

sionem alicui fieri ejusque hæredibus, & successoribus, an intelligatur de solis hæredibus sanguinis, vel etiam de extraneis quibuscumque rei familiaris; effectus autem quæ-
14 stionis est valde notabilis, ubi enim concessio est pro solis hæredibus sanguinis, quicquid sit, an isti jure proprio veniant, vel primi acquirentis hæreditariam qualitatem habere debeant, de quo in specie Cyriac. *controv.* 398. (cujus tamen opinio minus tuta videtur, ubi tractatur de acquisitione titulo oneroso, & pretio mediante) exinde resultat, quod illis deficientibus, officia revertuntur ad Principem, ac etiam eis extantibus, non per hoc fiunt alienabilia, quia vocatio hæredum sanguinis facit, ut dici non possit electa industria personæ, & in hac parte alteratur officiorum natura, sed non alteratur quoad alienabilitatem, quia censetur, sequuto officialis obitu, hæredem sanguinis, illud directe habere a Principe per actum occultum novæ concessionis, ex nunc in prima concessione explicatæ; Ad instar concessionis feudorum, cujus natura est, ut ad sanguinis hæredes restringatur, nec proinde inalienabilitas immutetur, ex deductis per Peregr. *de jure fisci lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 102. Ca-
15 pyc. *d. controv.* 398. Secus autem, ubi intelligitur de quibuscumque hæredibus rei familiaris, quia tunc officiorum natura omnino corrupta, seu impropriata censetur, itaut redacta ad naturam cæterorum bonorum, & jurium mere allodialium, & indifferentium sint in libero commercio, & inalienabilitate; eodem modo, quo habemus in feudis mere hæreditariis, quorum natura corrupta dicitur, itaut allodialia magis quam feuda censenda sint, ut sæpe *in tit. de feud.*

Ista voluntatis quæstio cadit, ubi agitur de concessione
16 facta pro se ejusque hæredibus simpliciter, an scil. sub hoc nomine veniant solum illi sanguinis, vel etiam extranei, & pro restrictione ad illos sanguinis, latissime agit Galeot. *responso fiscali* 12. *n.* 104. *& seq.* Contrarium autem verius firmant Montan. *de regal. off. n.* 7. *fol.* 171. *& in repetione Capituli Imperialem*, §. *Ducatus*, *n.* 33. & 34. A Ponte *dec.* 28. *post n.* 62. Lanar. jun. in add. ad Lanar. sen. *in c.* 1. *de successione feudi n.* 59. §. *& advertatur*, Rovit. *dec.* 72. *n.* 41. *& seqq.* Istaque doctrina magnificanda videtur, nedum ob auctoris
17 gravem auctoritatem, sed quia ibi conclusive hoc firmatur post maturam discussionem in arduissima causa, in qua prodit dictum responsum fiscale 12. Galeoti, qui pariter *n.* 134. id admittere videtur, ex ea declaratione, quia dum hæredes etiam sanguinis erant concedenti ignoti, non dicitur electa industria personæ, qua ratione cessante, nulla subest ratio differentiæ, maxime in hujusmodi officiis, quæ non gratis, & ex Principis munificentia, vel ex aliquo personæ particulari respectu, sed pretio mediante ad terminos justitiæ commutativæ, & in specie contractus correspectivi conceduntur, & hæc videtur veritas.

Sed ubi aliqua subesse posset difficultas in abstracto, ubi scil. agitur de hujusmodi concessione pro se, & hæredibus
18 simpliciter, in concreto cessat, quia verbo *hæredum*, adjecta erat dictio, *quibuscumque*, ob cujus universalitatem apud omnes receptum est, etiam in feudis aliisque materiis indifferentibus venire etiam extraneos, ut late in terminis feudorum habetur in Sarsinaten. feudi 22. Junii, & 14. Decembris 1635. cor. Dunozetto, & post Contrarium *dec.* 18. & 19. & apud Othobon. *dec.* 265. Capyc. Latr. *consult. & alios* & habetur in eisdem terminis feudalibus in Camerinen. Castrorum *sub tit. de feud. disc.* 49. Unde stante hujusmodi dictione, casus videbatur extra controversiam.

19 Multo magis accedentibus aliis clausulis, & verbis omnimodam dominii translationem, & alienabilitatem importantibus, ibi, *transferens omnia jura*, &c. *nullo jure reservato, & cum clausula ad habendum*, quam etiam in feudis hujusmodi effectum operari, habetur in Mantuana feudi *d. tit. de feud. disc.* 10.

20 Omnisque difficultas tolli videtur ex subsequuta observantia, quæ in omnibus dubiis materiis dicitur optima Interpres, ut ultra generalia, in his terminis Galeot. *dict. respons.* 12. *n.* 110. Lanar. *cons.* 34. *n.* 2. *cum seqq.* Rovit. *alleg. dec.* 72. *n.* 26.

21 Neque obstant regula 64. Cancellariæ, & Constitutiones Sixti V. & Pauli V. quæ in contrarium allegantur: facilis enim est replicatio, illas scil. de officiis simpliciter loquentes, intelligendas esse de illis, quæ in suo naturali officiorum statu existunt, non autem de illis, quæ alterata, & corrupta eorum natura concessa sunt in purum allodium, Gratian. *discept.* 730. *n.* 51. *& seqq.* Et in simili habemus in feudis, a quibus ad officia datur in jure argumentum, Noguerol. *allegat.* 33. *n.* 5. Larrea *alleg.* 22. *num.* 31. & 32. Mastrill. *de Magistr. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 7. & 10. *cum seqq.* quod licet feudales, præsertim *c. Imperialem de prohibita feudi alienatione* per Fredericum rigorose prohibeant feudorum alienationem, vel transitum ad hæredes extraneos, non tamen conveniunt illis feudis, quæ in forma puri hæreditarii pro hæredibus quibuscumque concessa sunt, quia tunc feudalis qualitas alterata, seu corrupta dicitur, ut in dictis Mantuana, & Camerin. *sub tit. de feudis*, & passim.

Minusque obstare videtur Datariæ prætensio, quod saltem fieri debent novæ expeditiones, cum solutionibus emo- 22
lumentorum, eo modo, quo practicatur in officiis Capitolinis, quamvis essent ad quoscumque extraneos hæredes transmissibilia, respondetur enim id procedere, quoniam ita in eorum concessionibus ex decreto disponitur, *ut dicta dec.* 244. *part.* 5. *rec.*

Quamvis autem hæc de jure sordida, & vera crederem, etiam cum aliquo sensu veritatis; adhuc tamen, ex prudentialibus motivis, consului concordiam, quæ controversiæ finem dedit.

ROMANA PORTIONIS RIPÆ, PRO JOANNE ZONZA, CUM DATARIA APOSTOLICA.

Casus per Concordiam sopitus.

Regula de viginti, sive de infirmis resignantibus, an habeat locum in officiis. Et de validitate licentiæ resignandi officium obtentæ dum officialis est morti proximus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An Regula de infirmis, seu de 20. intret solum in Beneficiis vel etiam in officiis laicalibus.*
3 *De praxi Datariæ in resignatione officiorum.*
4 *Admissa resignatione post relationem officialis si cito sequatur mors, an actus remaneat validus.*
5 *Infirmitatis mentio ubi fit de Jure communi, de qua intelligatur.*
6 *Feudi refutatio, an dicatur fraudulenter facta ubi fit ab infirmo.*
7 *Quid ubi mors provenit ex alia causa, quam ex prima infirmitate.*
8 *Medicorum judicio deferendum est.*
9 *Quando in licentia resignandi adesse, vel abesse dicatur fraus.*

D I S C. VI.

Catherina Zonga possidens quoddam officium vacabile,
portionis Ripæ nuncupatum, pretio mediante, juxta 1
hujusmodi officiorum naturam acquisitum, agnoscens se aliquibus infirmitatibus subjectam, quamvis in florida ætate constituta esset, supplicavit pro licentia resignationis ad favorem Joannis. Unde Datariæ Officiales, fraudem timentes, illam visitari curarunt, deindeque licentiæ concessionem differentes per duos menses, stantibus continuatis instantiis, aliam visitationem demandarunt, quæ sequuta, admissa fuit resignatio, post cujus perfectionem, casus dedit, quod ex superventa febre infra paucos dies decessit, unde Dataria prætendere cœpit resignationis nullitatem, ideoque expeditionem litterarum negabat. Ego autem pro Joanne resignatario scribens, dicebam hujusmodi prætensionem nullum habere juris fundamentum. Aut enim hujusmodi resignatio nulla prætendebatur ex regula Cancellariæ de infirmis resignantibus, vulgo nuncupata regula de 20. aut ex dispositione juris communis.

Primo casu, vana erat prætensio, quia regula prædicta lo- 2
quens de Beneficiis Ecclesiasticis, locum non habet in hujusmodi officiis laicalibus, quæ Viris uxoratis, ac mulieribus conferri solent, Gomes. *in d. reg. q.* 22. Paris. *de resign. l.* 12. *q.* 1. *in fin. & plenius q.* 3. *n.* 62. & 64. Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 5. §. *ult. n.* 24. & licet Salg. ex Garzia *in labyr. part.* 1. *c.* 35. *n.* 2. dicat contrarium, attamen de eo non videtur habenda ratio, quia in hoc loquatur sine fundamento.

Secundo vero casu minus, quia cum hujusmodi officia ex causa mere onerosa, & correspectiva concedantur, cum facultate illa libere, & quandocumque resignandi, Princeps non ex gratia, & benignitate, ut est in Beneficii, vel offi-

officiis gratuitis, sed ex debito justitiæ, & ex lege contractus, resignationem admittere tenetur, præterquam in casu infirmitatis, ut in eisdem litteris concessionis disponitur.

3 Unde propterea mos est Datariæ, quando hujusmodi resignationes petuntur, faciendi per aliquem ejus Officialem explorationem Status resignantis, cujus relatione habita, licentiam concedere, vel denegare solet, Seraphin. *dec.* 1294. *n.* 5. Rota *dec.* 605. *n.* 15. *&* 615. *n.* 11. *p.* 5. *rec.* Unde dum in casu, de quo agitur, bina exploratio sequuta erat, cum intervallo temporis duorum mensium, & in secunda exploratione resignans reperta fuerat in statu salutis, ut Officialis retulit, ideoque jam signata esset duplicatio, & admissa resignatio, hinc proinde non videbatur subesse ratio prætendendi ejus invaliditatem, & impediendi effectuationem.

4 Ubi etenim resignans est infirmus, sive alias suspicio fraudis habetur, potest Dataria sequendo ejus Officialis relationem, absque læsione justitiæ, & conventionis denegare licentiam; sed si post explorationem factam, illam concedit, tunc quicumque suo juri, & denegandi facultati, quam habebat, jam præjudicavit, nisi probaretur collusio inter resignantem, & officialem exploratorem, qui fraudulenter ad partis instantiam, falsam relationem dedisset, sive de personæ suppositione constaret.

5 Eo magis, quia vere, & realiter, quamvis d. mulier aliquibus uteri passionibus esset subjecta, ea quibus quandoque in mortis articulo constituta videri soleret, de eo tamen tempore, quo tam prima, quam secunda exploratio sequuta est, fuit semper in statu salutis. Et nihilominus attenta dispositione juris communis, ubi de infirmitate fit mentio, intel-
6 ligitur, non de qualibet, sed de gravi, ea qua probabilis mortis timor habeatur, ad text. *in c.* 2. *de renunciationibus in* 6. ubi Franch. *n.* 2. & cæteri per Paris. *de resignat. d. l.* 12. *q.* 6. *n.* 10. & faciunt, quæ notant feudistæ de refutatione feudi præsumenda in fraudem relevii ubi fit ab infirmo, ut intelligatur de infirmitate gravi, & ea qua mors tunc timeri valeat; non de illa, quæ solet esse longæva, ac potius, non perfectam sanitatem, quam actualem periculosam infirmitatem sapere dicitur, ex deductis per Capan. *de jure relevii p.* 4. *q.* 18. *&* *q.* 21. & habetur de hac materia fraudis in refutatione, vel subinfeudatione actum in Senogallien. Castrorum *sub tit. de feud. disc.* 1.

Nec obstare videbatur, quod illinc ad paucos dies mors
7 sequuta esset, tum quia casus ita dedit; nam etiam validi, & robusti ex improviso mori solent, unde sufficit de tempore admissæ resignationis non fuisse in eo statu. Tum etiam clarius, quia probatur, mortem sequutam non esse ex uteri affectionibus, vel ex hydropisi, cujus initium in ea prætendebatur, sed ex febre acuta postmodum superventa, ut testabantur medici, quibus tamquam in arte peritis deferendum esse, admonet text. *in l. septimo mense*, *ff. de statu hominum*, Gregor. *dec.* 125. *n.* 9.

Unde instat criminalistarum traditio, quod si vulnerato
8 superveniat febris a vulnere immediate non causata, ea qua sequatur mors, vulnerans non tenetur de homicidio, quia non ea vulnere, sed ex febre mors sequuta fuit, & in his terminis, vel proximis Gomez *ad dictam regulam de viginti q.* 11. Capan. *de jur. relevii d. part.* 4. *q.* 21. *n.* 6. *&* *c.* 8.

Eo magis, quia non agebatur de licentia concessa illico
9 postquam petita fuit, unde ex brevi morte, Datariæ Officiales se deceptos dicere possent, quia petita fuit per duos menses antea, itaut si tunc concessa esset, satisfactum esset regulæ de viginti superabunde. Accedit quia licentia non conceditur ad solam petentis assertionem, ut sequitur in resignationibus beneficiorum, sed prævia visitatione, & recognitione Datariæ per suos Officiales, in quibus fraus, vel ineptia non præsumitur, atque in dubio præsumptio est pro exclusione delicti ad communiter not. *in l.* 1. *de dolo*, concordia vero dedit finem controversiæ.

ANNOTAT. AD DISC. VI.

De ista regula de viginti, quæ percutit materiam beneficialem, agitur præsertim *sub tit. de Benefic. disc.* 34. Reflectendo autem denuo ad casum præsertim controversiæ, an scil. eadem regula locum habeat in resignationibus hujusmodi officiorum. Adhuc probabilior videtur negativa, ex pluribus rationibus, de quibus etiam in discursu. Primo nempe ex ratione, seu regula generali, quod in exorbitantibus non datur extensio de casu ad casum, ex iis, quæ in materia statutorum habentur pluries *sub tit. de Successi.* Secundo, ob adeo frequenter insinuatam distinctionem personarum formalium in una, eademque persona materiali Papæ, pro diversitate respectuum; quod scil. alia sit persona Summi Pontificis, & Episcopi Ecclesiæ universalis. Alia vero sit persona Principis temporalis Status Ecclesiastici, ideoque cum regula de viginti edatur in materia beneficiali per Papam, juxta primam personam, ista vero officia venalia saltem pro majori parte, præsertim popularia, & non Præslantia, neque spectantia ad negotia Datariæ, & Cancellariæ, pertineant ad alteram personam Principis temporalis, ut præcise erat in casu, de quo in discursu, idcirco una lex connexionem non habet cum altera.

Et tertio fortius, ob diversitatem rationis, quoniam dicta regula procedit in beneficiis universi Orbis Catholici, etiam remotarum Regionum, & super quarum provisione, vel resignatione deferunt assertionibus partium, unde propterea de facili Papa decipi potest. Secus autem in præsenti, in quo agitur de officiis in ipsamet Urbe, in qua sunt præsentes illi, qui resignationes facere volunt, & quod magis est, non defertur partium assertionibus, sed per officiales, & deputatos visitatur, & recognoscitur status personæ, juxta modum in discursu enunciatum; & per consequens longe diversa est ratio, recteque dici potest, quod Dataria imputat ejus officialibus, si bene non implent suas partes. Atque ad id conferre videntur ea, quæ habentur infra *hoc eod. tit. disc.* 69. In materia fraudatæ gabellæ circa differentiam inter casum, in quo Gabellarius sequatur fidem deferentium merces, eorumque attestationibus; deferat & casum, quo ipsi Gabellarii, vel eorum ministri revolvant sarcinas, cum similibus,

ROMANA PECUNIARIA DE ERRERA, ET COSTA, PRO HÆREDIBUS QUORUMDAM NOTARIORUM, CUM ILLIS DE ERRERA, ET COSTA.

Casus disputatus cor. Cardinali Judice Commissario.

De reservatione Decreti super officiis quid importet, & an ille ad cujus favorem facta est reservatio habeat officii dominium, & liberam dispositionem, & de differentia inter reservationem, quæ fit jure dominii, & eam quæ fit jure hypothecæ, seu cautelæ creditoris, & quid isto casu creditor facere possit, an vendere officium, vel illud transferre de una persona ad aliam, & quatenus transferat, cujus sit periculum,

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Creditor in vim Decreti non potest transferre officium in aliam personam, si officialis non fuit in mora solvendi.*
3 *Disponens de re aliena dicitur in delicto, & tenetur Domino rei ad quantum interest id non esse factum.*
4 *Etiamsi damnum a casu procedat.*
5 *Creditor habens a debitore facultatem vendendi pignus etiam propria auctoritate, si vendat tenetur pretium imputare in ipsius creditum.*
6 *Nec talis creditor potest vendere habita fide de pretio.*
7 *Creditor in vim Decreti potest resignare officium, & periculum vitæ transmutare de persona ad personam etiam contradicente officiali.*
8 *Reservatio Decreti tunc importat dominium ad favorem reservatarii, ubi iste de propriis pecuniis emit officium sub nomine alterius cum libera reservatione Decreti ad ejus favorem.*
9 *Secus est ad favorem Creditoris mutuantis pro officio emendo.*

D I S C. VII.

Quatuor Notarii Camerales, qui pro eorum officiis emen- 1
dis pecunias ad Cambium, sive Societatem officii acceperant, ut a gravioribus usuris se liberarent, summam scut. 23. mil. acceperunt ad cambium sub minoribus usuris ab Errera, & Costa Urbis mercatoribus, cum obligatione insolidum, & cum reservatione decreti super dictis officiis ad favorem creditorum, data eis facultate in casu non sequutæ solutionis pagarum, seu terminorum conventorum, dicta officia, seu eorum aliquod pro eorum arbi-

trio vendendi, resignandi, & alienandi, ita tamen, quod d. facultate uti non possent nisi in casu moræ, & inobservantiæ. Cum autem dicti creditores ob unius ex dictis notariis moram in sui debiti portione solvenda, istius officium transtulissent in aliam personam, ob cujus mortem, brevi tempore sequutam, officium ad favorem Cameræ, seu Datariæ vacavit, hinc proinde creditores prædicti ab aliis tribus notariis, a quibus de eorum ratis integre satisfacti erant, prætendere cæperunt tamquam insolidum obligatis solutionem ratæ non solutæ per dictum quartum notarium defectum, cujus officium ut supra translatum vacaverat. Unde post varias coram inferioribus Judicibus controversias, commissa per Papam causa Cardinali Petro Aloysio Caraffæ.

Pro dictis Notariis, vel eorum hæredibus scribens, dicebam minus justam videri creditorum petitionem, atque periculum dictæ vacationis officii, cujus pretium, residualem debiti summam excedebat, cedere debere ipsorum creditorum, non autem fidejussorum, sive debendi correorum damno.

2 Aut enim Notarius, cujus officium per creditores in vim decreti in aliam personam translatum fuit, erat in mora, aut non. Si non erat, ut per scribentes in facto pro hac parte prætendebatur, utique facultatem non habebant creditores utendi d. decreto, & faciendi hujusmodi translationem,

3 quæ fuit causa periculi. Ideoque data defectu potestatis, resultat Juris propositio, quod indebite disponens de re aliena dicitur in delicto, & tenetur rei domino ad quantum interest id non esse factum ad text. *in l. locatio, §. quod illicite, ff. de Publicanis, & l. 2. ff. de privatis delictis, cum pluribus concordantibus*, etiamsi damnum proveniat a casu,

4 quia ubi culpa præcedit casum alias non eventurum, nisi illa præcessisset, culposus etiam de casu tenetur ad text. *in l. non omne 38. ff. de Stat. lib. l. 15. ff. de act. & oblig. cum concord.* per Surd. *cons.* 12. *n.* 20. & latius ista conclusio examinata habetur *sub tit. de locato, & conducto* in Messanen. damnorum, & Bonon. mercium.

5 Aut juxta eorumdem creditorum prætensionem aderat mora, itaut factus esset locus usui decreti, ac facultatibus sibi concessis, & adhuc idem resultabat effectus, quia creditor, cui in casu moræ data est facultas vendendi, etiam propria auctoritate pignus a debitore traditum, illud vendit, tenetur pretium in ejus creditum imputare ad textum *in leg. Quamvis, §. 1. l. seq. & eleganter, §. si vendid. ff. de pigneratit. actione*, cum pluribus concordantibus per Negusant.

6 *de pignor. p. 6. membr. 1. num. 37. & seqq.* Merl. *de pig. lib. 4. q. 99.* per quos, & alios passim firmatur, venditionem fieri non posse pecunia credita sub periculo, & damno debitoris, qui vendendi pignoris facultatem creditori dedisse censetur, ut ita se a debito liberaret, alias enim nimis iniquum esset ut debitor facto ejusdem creditoris, bonis privatus, adhuc debito subjectus remanere deberet.

7 Hinc dicebam non obstare conclusionem, quæ pro unico, & præcipuo fundamento per creditores deducebatur; Eum scil. ad cujus favorem reservatum est decretum, habere liberam officii dispositionem, illudque posse resignare, sive vitæ periculum transmutare de persona ad personam pro ejus libito, quamvis invito, & contradicente officiali, ex deductis per Grat. *discept.* 900. Buratt. *dec.* 864. Coccin. *decis.* 841. & alios, de quibus infra.

8 Dupliciter enim dicebam hujusmodi decreti reservationem fieri solitam esse, uno scil. modo, ubi quis de propria pecunia emit officium sub nomine alterius cum libera reservatione decreti ad ejus favorem, & tunc hujusmodi reservatio importare dicitur dominium ad favorem reservatarii, ita ut officium in ejus bonis esse dicatur: persona vero Officialis præstare dicitur solum nudum nomen, solumque demonstrata tamquam illa, sub cujus vita periculum currere debet, & in his terminis procedunt deducta per Grat. & alios supra allegatos, bene Millin. *dec.* 380. *dec.* 262. *p.* 1. *div. dec.* 550. *p. 4. rec. tom.* 3. in Romana legati scut. 50.m. 11. Martii 1640. cor. Dunoz. & 26. Julii 1641. cor. Cerro, *quarum prima est* 157. post Merlin. *de leg. ac habetur deductum supra hoc tit.* in Romana hæreditatis *disc.* 1. Sed hic dici non poterat casus noster, quia Notarii, quando contraxerunt debitum, & consenserunt reservari decretum ad favorem creditorum, jam possidebant officia de aliis pecuniis ad proprium commodum, vel periculum acquisita.

Alter modus est, ubi emere volens officium nomine, & commodo proprio, pro illo emendo, sive possidens jam officium, pro aliis ejus occurrentiis indiget pecuniis mutuo accipiendis ab aliquo mercatore, pro cujus securitate ipsum officium ejusque pretium, & emolumenta obligare velit, & tunc quia hujusmodi officia non sunt in commercio, neque veniunt sub hypotheca, nisi Principis auctoritate accedente, idcirco loco dictæ hypothecæ, & pro securitate creditoris, ne Officialis debitor, officium in creditoris præjudicium resignare valeat, atque ut in casu moræ Jus habeat creditor illud vendendi, ad effectum sibi satisfaciendi de pretio, eo modo, quo de pignore facere posset, hinc proinde inolevit ista cautela reservandi de consensu Officialis hujusmodi decretum ad favorem creditoris, quo casu, reservatio importare non potest dominium, ut in præcedenti, quia implicat, ut quis esset dominus, & creditor, sed importat quandam hypothecam specialem, sive vinculum, & securitatem adversus quoscunque alios Officialis creditores, vel cessionarios, ut per Millin. *d. decis* 380. & alios allegatos, & habetur in Romana pretii officiorum *disc.* 4. & in aliis hoc tit. frequenter. Et hic est casus noster, unde semper firmum remanet, creditores non potuisse transferre officium de persona debitoris in alteram, nisi mediante venditione, ut ex pretio debitor liberationem consequeretur, ac alias totum periculum esse deberet ipsorum. Et hanc dicebam esse veritatem; Causa tamen non fuit decisa per Cardinalem ob ejus discessum ad legationem Bononiæ. Et licet Rota in Romana officii 2. Junii 1656. & magis ex professo 25. Junii 1657. Dunozetto, etiam isto casu appellet creditores habentes reservationem decreti condominos, ac habentes dominium, attamen id intelligendum venit improprie, ad effectum dictæ licitæ venditionis invito officiali, seu etiam ad effectum alicujus participationis fructuum, nullatenus autem proprie, & per veritatem, *ut plures hoc eod. tit. & ad istam materiam*, observatum habetur, quoniam est implicantia manifesta, & præsertim in Rom. pecuniaria de Valtrinis *disc.* 11.

ANNOT. AD DISC. VII.

De facultate creditoris vendendi pignus, habetur actum *sub tit. de Credit. disc.* 72. Et de periculo vacationis hujusmodi officiorum, quæ remanent in alicujus hæreditate *sub tit. de fideic. disc.* 192. de imputatione, vel collatione, agitur, infra *disc.* 150. *& tit. de leg. & detract. disc.* 15.

ROMANA EXTINCTIONIS LOCORUM MONTIUM

PRO RUFFINO PLEBANO, CUM DOMINICO DE NICCOLIS.

Casus decisus per Cameram ad favorem Plebani.

Facta Officii resignatione ad favorem alterius sub conventione, ut resignatarius subintret ad omnia onera, & debita officii; resignans autem teneatur ad ea onera, & debita, quæ sibi ex propria persona incumbunt, An & ad quæ officialis prædecessor resignans, & ad quæ officialis successor, & resignatarius teneatur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *In claris non intrant argumenta.*
3 *Ad quæ debita contracta per Officialem teneatur officii successor, vel ipsius officialis hæres, etiam dimisso officio. Distinguuntur plures casus.*
4 *De tertio possessore fundi censiti ad quos census, seu fructus dimissa re teneatur.*
5 *Et de herede gravato post restitutum fideicommissum;*
6 *Clausula præservativa intelligenda sunt de aliis, quam expressis.*
7 *Ex pretii quantitate colligitur, quid veniat in contractum.*

D I S C. VIII.

Sub Gregorio XV. aliqui Cameræ Apostolicæ Notarii licentiam obtinuerunt, ut pro pecuniis mutuo accipiendis, officia obligare possent. Superveniens autem Urbanus Octavus, vidensque hujusmodi facultatem, jam ad exercitium deductam, Cameræ, seu Dataria nimis esse præjudicialem in casu vacationis officiorum, mandavit cogi dictos Notarios ad extinctionem debiti, eorum vero precibus inductus, concessit dilationem ad id faciendum dimi-

diminute solvendo scilicet singulis annis scut. 250. & facta obligatione de relevando indemnem Cameram a præjudicio in officiis vacaturis, quæ libera ad ipsam reverti deberent, itaut non existente idonea hæreditate Notarii morientis obligati, teneantur alii Notarii ad dictæ ratæ solutionem, vel accollationem, cum declaratione, ut obligatio remanere debeat fixa, & indefinita ad hæredes transitoria, respectu aliorum Notariorum, qui debita contraxerunt, ac pecunias in eorum privatos extraneos usus erogarunt. Respectu vero successorum in officio, eorum obligatio duraret durante officio, quo in eis cessato, transire deberet in successorem, de consensu tamen Thesaurarii, admittendum. Cumque ob temporum calamitates, dictas annuas solutiones scut. 250. pro quolibet d. Notarii integre facere non potuissent, ex nova gratia obtinuerunt ab eodem Urbano admitti ad quemdam Montem, destinato quodam multiplico pro extinctione locorum montium, pro dicto debito erigendorum.

Unum ex dictis officiis devenit in Ruffinum Plebanum, qui illud emens mediate, vel immediate ab eo Notario, qui debitum contraxerat, omnia officii onera, etiam ex d. debito contracta, vel ad illud augmentum, quod pro Notarii morientis rata accreverat, in se assumpsit, deindeque Ruffinus post plurium annorum exercitium, idem officium, pretio mediante, resignavit, cum Papæ Beneplacito, Dominico de Niccolis, quoniam officii onera, illa præsertim locorum montium, tam antiqua, quam ex Notariorum deficientia adaucta, in se assumpsit, & accollavit, cum obligatione eximendi resignantem a quocumque damno, & molestia. Et econverso resignans quoque promisit solvere onera, & debita ad ipsum, usque ad diem dimittendæ possessionis, spectantia. Unde cum Cameræ Officiales urgerent ad dictorum Montium extinctionem, orta est inter prædictos quæstio, prætendente Nicolao resignatario, Plebanum teneri ad extinctionem onerum, seu locorum, quæ ob aliorum officiorum vacationem accreverunt, quasi quod hujusmodi onus annexum non esset officio, sed incumberet personæ ipsius Officialis resignantis, qui in culpa dicendus erat, non solvendo suis temporibus id, quod pro rata dictorum officiorum vacantium ex chirographo Papæ solvendum erat.

Improbabilem tamen dicebam (pro Plebano scribens) hujusmodi prætensionem, qualem etiam Thesaurarius, &
2 in gradu appellationis Cameræ judicavit; quia ubi verba conventionis, vel cujuscumque alterius dispositionis sunt clara, locus non est argumentis, vel illationibus, & interpretationibus, ad text. in l. ille, aut ille, ff. de leg. 3. cujus dispositionem procedere in omni materia, & præsertim in contractibus, firmant communiter scribentes, late congesti per Rot. dec. 44. p. 11. rec. n. 14. Unde, dum in apoca conventionis clarissimis verbis dicitur, resignatarium in se assumere omnia onera, etiam illud resultans ex d. augmento ob aliorum officiorum vacationem, idcirco casus remanebat extra omnem controversiam, neque dabatur locus disputationibus super intelligentia contractus, adversus quem, ubi est clarus, intrare quidem potest remedium rescissionis ex capite læsionis, vel alia causa, sed non intra quæstio comprehensionis.

Nil obstante, quod resignans promiserit adimplere one-
3 ra pro tempore suæ possessionis sibi incumbentia, quia in hujusmodi debitis, tres species distinguendas esse dicebam, una est illius debiti in sorte, quod ab initio sub Gregorio Decimoquinto insimul primi Notarii contraxerant, non ratione officii, sed privatis nominibus, in proprios, & privatos usus pecunias convertendo, cum obligatione officiorum: Et hoc vere, istorum contrahentium respectu, dicendum non est debitum causativum, & occasionale, sed proprium, & personale, non contractum ratione officii, sed ratione pecuniæ in alios proprios usus erogatæ, quod propterea dimisso officio non cessat, cum adhuc post hujusmodi dimissionem, penes eum remaneat causa debiti productiva, itaut in effectu, persona contrahentis dicatur debitor principalis, Officialis vero in eodem subjecto, tamquam diversa persona reduplicative consideratus, dicatur merus fidejussor; sed hæc prima species convenire non poterat Plebano resignanti, qui non fuit ex primis contrahentibus debitum, neque pecuniam habuit in privatos usus erogatam, sed solum considerandus erat debitor occasionalis, seu causativus, catenus obligatus, quatenus esset possessor officii, quo dimisso, tamquam ex cessante causa liber evaserat, non solum ex chirographo Papæ, ita expresse disponente, sed etiam de jure, cujus dispositione attenta, debitor causativus seu occasionalis, cessante causa remanet absolutus, quamvis cum personali obligatione se adstrinxisset, nisi dolo, culpa vel causa mere voluntaria, & jure non probata, habere desierit, ut in emptore in se accollante debita venditoris, seu alias ad pretium se obligante, ut sequuta evictione ex facto venditoris, vel ex natura rei, absolutus remaneat; sive de tertio possessore rei censuatæ, vel aliis oneribus obnoxiæ, cum similibus Tiraquell. cessante causa part. 1. n. 224. plene Amat. var. resol. cap. 21. n. 1. & per tot. Capyc Latr. dec. 200. n. 75. Rota dec. 428. p. 1. rec. dec. 190. num. 17. post Zacch. de oblig. in Bonon. Census 4. Februarii 1654. cor. Meluo, & in aliis, ac habetur specialiter in sua materia sub tit. de empt. & vendit. præsertim in Sutrina census pro Butio; quod etiam exemplificari potest in possessore fideicommissi, majoratus, feudi, beneficii, &c. Unde in hac specie dici non poterat debitum proprium resignantis.

Altera species est fructuum, qui singulis annis per officii possessorem ex causa dicti debiti, & locorum montium solvendi erant, & hoc admittebam esse debitum proprium resignantis, ad illud solvendum, dimisso etiam officio obligati; cum, respectu possessoris, intret eadem ratio, quæ militat contra primos Notarios in causam propriam debitum contrahentes; fructus enim passivi alicui prædio, vel rei incumbentes, solvendi sunt singulis annis ex ejusdem prædii, vel rei fructibus activis, quos possessor percipit, ideoque pro tempore possessionis officii possessor, eos pro rata onerum, indebite fecit suos, eosque in alios privatos usus convertit; & consequenter dimisso etiam officio remanet debitor, & non cessat causa debendi, quia illa non consistit in ipso officio, vel rei proprietate, sed consistit in fructibus penes eum, sequuta etiam dimissione, remanentibus.

Unde tertius possessor rei censuatæ, quamvis cessante rei possessione liberatus remaneat ab oneribus in futurum, 4
non per hoc tamen consequitur liberationem a fructibus temporis decursi, in quo ipse rei fructus percepit Amat. d. resol. 21. n. 9. Ruin pragm. 1. de cens. n. 21. Et in terminis hæredis gravati vel fideicommissarii, ut facto casu restitutionis, adhuc remaneat debitor fructuum, & onerum decursorum durante suo jure, ut solvendorum ex fructibus, quos ipse percepit Otthob. dec. 146. n. 9. dec. 260. part. 11. rec. Rom. fideicommissi de Marianis 28. Januarii 1661. Albergato. Et ex rationis identitate idem procedit in possessore feudi, Beneficii Ecclesiastici, & similium jurium resolubilium circa onera causativa, seu occasionalia.

Tertia debiti species est, oriens ex illo augmento, quod in officiis non vacatis supervenit, propter aliorum officio- 5
rum vacationem, dum Papa voluit, officium debere liberum reverti ad Cameram; itaut debitum, quod super eo aderat, accrescere deberet superstitibus Notariis, ad illius extinctionem obligatis, quatenus a Notarii morientis hæredibus se reintegrare non possent, & in hac tertia specie consistebat difficultas: dicebat enim resignatarius, ex ejusdem chirographi dispositione, debuisse Notarios tunc superstites, & possidentes, quando casus vacationis advenit, extinguere istam ratam cum illis pecuniis, quas singulis annis ad rationem scut. 250. pro quolibet solvere tenebantur, ideoque non solvendo, a propria, & privata obligatione defecisse dicuntur; verum in casu difficultas cessabat ex facto, dum expresse, & litteraliter resignatarius illud onus in se assumpserat, unde obligatio resignantis de solvendis debitis propriis, intelligenda veniebat de aliis, quam de expressis, in quibus tamquam in claris non intrant argumenta & ratiocinia ut supra.

Quod adeo verum est, ut etiam si adessent clausulæ, seu 6
verba jurium præservationem importantia, intelligenda venirent de aliis, quam de expressis ad evitandam repugnantiam, & subinde contradictionem, Barbos. clauf. 157. n. 7. Buratt. & Add. dec. 293. n. 21. 375. n. 6. 442. num. 5. & 541. n. 7. dec. 549. p. 5. rec. dec. 222. n. 26. & 27. p. 6.

Verum ubi etiam conventionis verba fuissent dubia, adhuc pro resignante, inspecta etiam veritate, respondendum esse dicebam, quia licet Papa, officiorum possessores ad hujusmodi debitum obligasset, semper tamen dicitur debitum occasionale, seu causativum ratione officii, non autem ratione propriæ, & privatæ personæ: si etenim numquam fuisset officialis, usque ad illud nullam obligationem haberet, neque illius respectu intrat ea ratio utilitatis, quæ cadit in secunda specie fructuum penes Notarium dimittentem, etiam post dimissionem remanentium. Et sic

sic nulla subest causa obligatoria, quæ faciat debitum proprium; In effectu enim dictum debitum est Notariorum morientium, qui pecunias habuerunt, sive qui illorum loco successerunt, per quorum obitum vacatio sequuta est, aliorum autem Notariorum obligatio est fidejussoria, quatenus deficientis hæreditas idonea non esset, ut in eodem chirographo disponitur, consequenter semper est debitum officii, & occasionale.

Omnemque difficultatem cessare dicebam ex quantitate
7 pretii, pro qua officium resignatum erat, ex ista namque colligitur partium voluntas, & quid in contractum deductum sit Alex. *cons.* 26. *l.* 4. Mantic. *de tacit. l.* 4. *tit.* 9. *nu.* 8. Menoch. *de præsumpt. l.* 3. *præsumpt* 73. Greg. & Add. *dec.* 126. *n.* 6. Burat. *dec.* 481. *n.* 4. & 697. *n.* 5. plene in Rom. Apothecæ, seu pecuniaria 8. Junii 1654. & 25. Junii 1655. cor. Bichio in ead. 7. Februarii 1656. cor. Bevilaqua, & in aliis frequenter; Pretium enim solutum, unitum cum eo, quod importabat omnia d. onera, adamussim correspondebat pretio, quod hujusmodi officia ab oneribus libera vendi solent; Igitur clarum remanebat, onera prædicta fuisse accollata tanquam pretii partem, perinde ac si resignatarius totum pretium resignanti solvisset: denique ab eo brevi manu partem recepisset, ut dictorum onerum extinctionem in se assumeret, cum hic sit effectus accollationis, & hoc motivum apud Judices omnem sustulit dubitationem.

His stantibus, prætendere cœpit resignatarius regressum habere posse contra heredes illius notarii, qui pecunias acceperat, & officium deinde Plebano ejus auctori resignaverat, quæ molestie per indirectum percutiebant eumdem resignantem, qui recipiendo officii resignationem, atque onera in se assumendo, se obligaverat indemnem eximere ejus auctorem ab omni obligatione, & molestia: Sed oppositum juste judicatum fuit, quia primus Notarius resignans pro eo minori pretio, quod d. onera importabant, vere acceptam pecuniam restituisse dicitur, habendo illud minus; Si enim pro integro pretio vendidisset, potuisset cum ea rata dimissa, tunc onus extinguere. Unde quemadmodum, ille Notarius, qui pro integro pretio officium ab alio acquirit, subjacet periculo vacationis super toto pretio soluto, ita subjacere debet iste pro eodem pretio partim soluto, & partim accollato, alias sequeretur, quod resignatarius ita esset in lucro de alieno, quia rem plus valentem, ita minus absque causa, & sine Domini voluntate obtineret; Solumque regressum habere posse dicebam adversus hæredes illorum Notariorum, per quorum obitum officia vacaverant, & onera pro ratis eis incumbentibus aliis officiis accreverant, cum apud prædictorum hæreditates remaneant acceptæ pecuniæ in privatos usus erogare, & hæc videbatur veritas.

ANNOTAT. AD DISC. VIII. & IX.

CONtenta in his discursibus, revera non pertinet ad istam materiam Regalium, neque percutiunt peculiarem naturam officiorum, sed cadunt sub generali, & indifferenti materia obligationis, causativæ, an, & quando cesset, cessante causa, de qua agitur etiam infra *disc.* 98. & *tit. de feud. disc.* 47. & 57. *de Cens. disc.* 28. *de empt. & vendit. disc.* 23. & 39. *de Cred. disc.* 71. & *de fideicomm. disc.* 175.

Et de materia novationis, agitur infra *disc.* 22. & 33. *tit. de Dote disc.* 28. & 159. & pluries *tit. de cred. præfert. disc.* 67.

ALIA ROMANA EXTINCTIONIS LOCORUM MONTIUM.

PRO NOTARIIS AUDITORIS CAMERÆ,

CUM HÆREDITATE VATELLI

Casus disputatus in Congregatione Camerali postea concordatus.

De eadem materia obligationis incumbentis officiali, vel ejus hæredi solvendi de proprio onera per ipsum in propriam, & privatam causam imposita super officio postmodum vacato, quomodo intelligenda sit, & ad quid officialis dimisso officio teneatur.

S U M M A R I U M.

1 *FAlli series.*
2 *Officialis in causam privatam contrahens debitum, & cum assensu Principis obligans officium, dicitur principalis debitor, & officium stat loco fidejussoris.*
3 *Declaratur conclusio, ut debitor occasionalis dimissa re, quæ est causa debiti, liberetur.*
4 *Novatio excluditur ex contraria animi declaratione.*
5 *Quando novatio induci dicatur.*

D I S C. IX.

EAdem facti specie, de quo in præcedenti retenta, cum
Notarii Camerales, tam sub Gregorio, quam sub 1
Urbano, idem quoque in omnibus fecisset, atque Vatellus unus ex illis Notariis, qui pecunias acceperat, ejus officium resignasset cuidam alteri, omnia onera in se assumenti, qui paulo post obiit, unde officium liberum ad Cameram, seu Dataria reversum fuit, accreto onere illi incumbente superstitibus Connotariis, isti post aliquod tempus, eorum præjudicium agnoscentes, pulsare cœperunt d. Vatelli hæredes ad eorum relevationem, atque extinctionem illorum locorum montium, quæ officio per ipsum jam possesso incumbebant, stante quod ultimi morientis hæreditas erat non solvendo.

Adversus quam prætensionem pulsati hæredes, excipiebant de novatione resultante a chirographo Urbani, expresse disponente, Notarios ad onera tenere, donec officia retinerent, itaut eis de consensu Thesaurarii dimissis liberi remanerent, transfuso onere in successorem: Unde cum Vatellus ita officium dimisisset, eum liberum effectum esse asserebant, neque aliam adversus ejus hæreditatem competere actionem.

Verum pro Notariorum Collegio scribens dicebam fun-
datam esse intentionem, & propriam agentium; quia cum 2
Vatellus, in privatam, & propriam causam debitum contraxisset sub officii obligatione, ipse dicendus erat principalis debitor; officium vero ex Principis indulgentia faciebat partes fidejussoris, quem debitor de suo relevare tenetur, cum officii obligatio esset solum species cautionis pro cautela creditoris. Ut in similibus terminis possessoris majoratus, vel fideicommissi obligantis de Principis licentia pro ejus privatis debitis bona ad fideicommissum, vel majoratuum spectantia, ut intrent d. termini fidejussoris relevandi Molin. *de primogen. l.* 4. *c.* 7. *n.* 16. & ibi plene Add. Avendan. *de cens. c.* 65. Silv. *in Labyr. cred. p.* 2. *c.* 7. *nu.* 56. & 57. & non semel dictum fuit sub titulo de feudis in materia Bullæ Baronum, quæ pariter obligat Barones ad supplendum de suis bonis liberis, id quod pro eorum debitis in vim ejusdem Bullæ de bonis fideicommissariis alienatum esset; Dictam autem fidejussoriam obligationem, quæ ex concessione Gregorii incumbebat officio per ipsum officialem obligantem possesso, Urbanus in casu ejusdem officii vacationis, ut illud liberum ad Cameram reverteretur, transtulit in alia officia per superstites officiales possessa, tamquam in confidejussores, & sic semper istis indubitanter competere dicebam illam relevationis actionem, quæ fidejussori contra principalem debitorem competit.

Nec referre videbatur, Vatellum alteri resignasse offi-
cium cum accollatione onerum, quæ tamquam pars pretii 3
in accollatarium transierant ex deductis *disc. præc.* Id enim est verissimum inter resignantem, & resignatarium, ad effectum, ut iste illum omnino relevare teneatur, sed posita resignatarii insufficientia, non inde resultat, principalem debitorem remanere liberatum ab obligatione erga tertium; cui gesta inter ipsum, & alium in jus locum succedentem præjudicare non debent. Adinstar imponentis sub alterius fidejussione censum super bonis emphyteuticis, vel alias devolutioni subjectis; Si enim eadem bona alteri vendit, qui censum in se collectum obligatione extinctionis, deindeque ista non sequuta, per obitum emptoris, bona ad Dominum directum libera revertantur, atque creditor censuarius cogat fidejussorem ad solutionem, utique non posset principalis debitor effugere obligationem relevationis, ex eo quod rem censuatam alteri cessisset cum oneris accollatione, cum id solum sibi actionem præstet contra accollatarium pro relevatione, non autem ejus liberationem a propria obligatione erga fidejussorem.

Conclusio enim de qua *disc. preced.* ut possidens rem censui, vel alteri oneri obnoxiam, dimisso onere liberetur, cum duplici temperamento intelligenda venit, primo nempe, nisi dimissio sit omnino voluntaria, & indebita, quod in præsenti dici non poterat, cum Papæ auctoritate resignatio sequuta sit; Secundo ubi obligatio possessoris non est personalis, & propria, sed mere causativa, sive occasionalis, eatenus contra eum militans, quatenus sit res obligatæ possessor, itaut agatur de onere mere reali, & non alia

occasione, quam ex ipsius rei possessione debendo, & in his terminis procedunt omnes auctoritates super hujusmodi conclusione in d. præcedenti discursu deductæ, quod dici non potest in casu, dum obligatio principaliter erat personalis, contracta in causam propriam, & privatam, ut in terminis impetuoris census, quod translata re censuata in alium, adhuc duret ejus obligatio personalis, atque per creditorem conveniri valeat, Cenc. *de Censib. q.73. n.13. & q. 96. num.10 cum seqq.* de Marin. *resol.* 102. *n.* 3. & 10. *l.* 1.

Atque in hoc sensu accipiendum esse dicebam chirographum Urbani, quatenus disponat, Notarios non teneri ad onera nisi durante officiorum retentione, respectu scil. successorum, de quibus proprie chirographum loquitur, quorum obligatio erat solum causativa, sive occasionalis, non alia ratione quam ex officii acquisitione, & possessione contracta, cum Principis decreta, & provisiones passivam interpretationem semper recipiant a juris dispositione.

Novatio autem quæ per hæredes allegabatur pariter non subsistebat. Aut enim illa attendebatur respectu Cameræ, & de plano cessabat ex facto, cum idem chirographum expressam contineret reservationem jurium Cameræ, & ne in ejus præjudicium aliquid innovatum censeretur; Novatio enim
4 est actus pendens a voluntate, sine qua dari non potest. Unde hujusmodi protestatione accedente semper exclusa remanet *dec.* 425. *n.* 18. *p.* 5. *rec.* Otthob. *dec.* 131. *n.* 10.

Aut prætendebatur respectu Notariorum, quasi quod admittendo resignatarium eorum in Collegium, ita illum in debitorem agnoverint, ac sibi præjudicaverint, & hoc assumptum, nec jure, nec ratione probari dicebam, quia dum tuiti erant de eorum jure, quod salvum esse sciebant cum Vatellio resignante, quatenus resignatarius suum onus non impleret, nihil eorum intererat aliam personam subrogari, quinimo ipsarum cautela crescebat, quia sic duos habebant obligatos; Novatio enim hodie de jure non inducitur, nisi
5 expresse dicatur juxta text. clarum *in l. final. Cod. de novat.* Et licet etiam hodie ista regula limitetur, ubi conjecturæ accedunt novam voluntatem præferentes, sive ob actuum incompatibilitatem ex deductis per Menoch. *lib. 3. præsumpt.* 134. Mantic. *de tacit. lib. 17. tit. 3.* Amat. *variar. res. c.* 50. Capyc. Latr. *consult.* 120. *n.* 1. *cum seqq. & dec.* 200. Adden. ad Greg. *dec.* 76. Rom. donationis de Stellis 8. Martii 1606. cor. Pamphilio post. a Innoc. X. apud quos habetur de materia, neutrum tamen concurrebat quia nullæ militabant urgentes conjecturæ, nullaque considerabatur incompatibilitas respectu notariorum admittentium ad eorum Collegium resignatarium a Papa admissum, quia recte sciebant durare obligationem personalem Vatellii, atque tunc ex admissione præjudicium resultare potuisset, ubi resignans non fuisset ex primis Notariis contrahendis debitum, sed successor; Ideoque debitor causativus, sive occasionalis, quem Papam in dicto chirographo voluit, dimisso officio, remanere liberatum, quia si resignatarius non fuisset ita idoneus sicut resignans, scientes istius obligationem solvi, potuissent, ac debuissent se opponere admissioni resignatarii pro eorum indemnitate, ideoque id respectu successorum, qui sunt solum debitores occasionales, non autem illorum, qui debita contraxerunt intelligendum erat. Quamvis autem Congregatio Cameralis inclinaret ad favorem Collegii, attamen facris honesta concordia, me laudante, & consulente, controversiam terminavit.

ROMANA CONCURSUS CREDITORUM,

PRO CREDITORIBUS POSTERIORIBUS OFFICIALIBUS HABENTIBUS RESERVATIONEM DECRETI.

CUM CREDITORIBUS ANTERIORIBUS DICTAM RESERVATIONEM NON HABENTIBUS.

Votum decisivum pro veritate.

An potioritas competens super pretio officii creditoribus posterioribus habentibus Decretum pro eorum creditis in sorte principali, competat etiam pro usuris, seu fructibus.

S U M M A R I U M

1 *Facti series.*
2 *Assensus præstitus super obligatione feudi, vel alterius prohibita pro certo debito, an suffragetur etiam quoad fructus, seu usuras.*
3 *An authores, qui suffragantur quoad usuras dotales, & num. 9.*
4 *Datur distinctio, quando assensus prosit etiam quoad usuras, & quando non.*
5 *Examinantur auctoritates hinc inde de hoc articulo agentes.*
6 *Quid importet reservatio decreti super officiis.*
7 *Fidejussor præstitus pro sorte, an censeatur etiam obligatus ad fructus, seu usuras.*
8 *An summa debiti contenta in decreto, vel assensu dicatur stare taxative.*
9 *De eadem conclusione, de qua num. 3.*
10 *Creditores habentes reservationem decreti super officio, an dicantur habere condominium.*

D I S C. X.

CUm Dominicus Petruciolus unus ex Notariis Audit. 1
Cam. quamplura debita contraxisset triplicis generis, quædam scilicet, mutui, vel Cambii anteriora sine aliqua Decreti reservatione super officio per eum possesso, quædam alia Societatum super eodem officio, sed pariter sine Decreto, & quædam alia Societatum vel Cambiorum, sed cum dicti Decreti reservatione, ipso jam effecto non solvendo, formatoque in ejus bonis concursu creditorum, ac vendito ad eorum instantiam per Datariam officio, de istius pretio in S. Monte Pietatis depositato, absque difficultate satisfacti fuerunt creditores habentes reservationem Decreti, utpote indubitate potiores in sorte principali, ex rationibus, & fundamentis, de quibus in Romana pretii officiorum *hoc eodem titul. disc.* 4. Cum autem orta esset quæstio, an eadem potioritas competeret etiam pro usuris, seu fructibus, atque in ejusdem officii pretio residuali, altera exorta esset controversia inter creditores anteriores ex causa mutui, vel cambii, & posteriores ex causa societatum contractarum super eodem officio, prætendentibus istis potioritatem, ex ea juris propositione, quod creditores Societatis in negotio sociali, & bonis ad illud spectantibus, vincant quoscumque creditores quantumvis anteriores, & potiores socii privato nomine consideratis, visum fuit Datariæ hujusmodi quæstiones Rotæ decidendas remittere, unde assumpta hac ultima disputatione inter creditores æque Decreto carentes. An scilicet causa Societatis potioritatem induceret sub 12. Junii 1661. cor. Cerro prodiit resolutio creditoribus anterioribus favorabilis, ut constat ex decisione desuper edita. Deinde vero assumpta altera disputatione super priori controversia, sub die 24. Martii 1662. coram eodem Cerro resolutum fuit contra creditores posteriores habentes Decretum, eorum scilicet potioritatem ex Decreti reservatione resultantem, pro constanti firmatam quod sortem principalem tam in prima, quam in hac secunda decisione non competere pro fructibus, seu usuris, sequendo opinionem Afflicti relatam, & amplexam per Frecc. *de subfeud. l. 2. qu. 20. nu. 6. cum sequ.* & quam sequuntur Cannerius, & cæteri relati per 2
Starban. jun. *res. 61. num. 24. cum seq.* & Larrea *dec.* 37. quod scilicet assensus a Principe præstitus super obligatione feudorum, officiorum, majoratuum, vel similium bonorum inalienabilium, & in commercio non existentium, operatur quoad solam sortem, non autem quoad fructus, seu usuras; præsertim ubi debitum, super quo assensus interpositus est, expressum fuit sub certa summa, quo casu d. opinio Afflicti, & Frecciæ omnino verior reputatur, quamvis de illa dubitari posset in altero casu, quo assensus super debito simpliciter contrahendo, absque alicujus certæ Summæ expressione præstitus esset.

Et quod magis Rota impulit ad hujusmodi resolutionem (ut ipsa decisio ostendit) fuit recepta ab eodem Tribunali propositio, quod licet dispositio *auth. res quæ* importans fa- 3
vore dotis quemdam legis assensum generalem super obligatione bonorum fideicommissariorum alias inalienabilium, juxta magis communem & receptam, procedat etiam in fructibus seu usuris. Nihilominus pro istis non competit actio ad ipsam sortem bonorum fideicommissariorum, sed solum ad illorum fructus, cum axiomate per ora peragmaticorum volitare solito, ut sors ex sorte, fructus ex fructibus *ut sæpe in sua materia sub tit. de dote, ac plene in Romana restitutionis pecuniarum pro Caffarellis sub tit. de feud. ad materiam Bullæ baronum disc.* 79.

Edita ista decisione, Cum ego pro necessaria partium in causa

sa scripserim, quidam magnus Officialis, cui incumbebat resolutionis subsistentiam inquirere, meum votum pro veritate requisivit, tanquam a Viro naturali. Unde habita desuper omni, quæ magis possibilis fuit, matura consideratione, captivare non potui intellectum, in obsequium a voluntate professatum dictæ ultimæ resolutionis, super qua tantum de proprio judicio respondere debebam, ideoque respondi, eam periculosam videri, cum ageretur de contractibus bona fide, & sui natura fructiferis, itaut fructus seu usuræ non venirent accidentaliter, ex eo solo
4 Judicis officio post motam litem, ut contingit in contractibus stricti juris, sed veniant nedum ex intrinseca natura contractus, seu crediti qualitate, sed etiam ex implicita, vel explicita partium stipulatione, itaut creditum fructuum non sit accidentale, neque omnino diversum, & separatum ab altero sortis, ut est in primo casu, sed sit unum, & idem cum sorte, tanquam intrinsecus, & naturalis effectus ejusdem contractus.

Et cum qua distinctione recipienda est opinio Freccie, ut scilicet vera sit in primo casu interesse accidentalis; In altero autem, qualis erat controversus, minus vera, & omnino reprobata sit, quia contrarium ubique, ubi istæ controversiæ sunt frequentes, receptum est, ut constat ex Aponi. *conf.* 64. *num.* 19. *& melius num.* 31. *&* 32. *conf.* 76. *num.* 14. *cum seq. vol.* 1. *& decis.* 34. *num.* 38. Paschal. *de patr. potest. par.* 2. *cap. num.* 44. *& seq.* Prat. *observ.* 78. *n.* 46. de Marin. *res. quotid.* 76. *n.* 8. *&* 9. *vol.* 1. *res.* 166. *n.* 26. *&* 34. *vol.* 2. *& in addition. ad decis.* 66. Reverter. *num. fin.* bene Annichin. *de prevent. cap.* 2. *n.* 40.

Qui omnes agunt de assensu, vel speciali, vel generali competenti favore dotis super obligatione feudalium; Et in terminis assensus super obligatione majoratuum, & fideicommissorum, ac etiam feudorum, latissime relatis omnium opinionibus, & fundamentis, juxta consuetum prolixum stylum Castill. *de alim. alias* 8. *tom. controv. cap.* 36. §. 5. ex quibus liquet hanc opinionem, juxta distinctionem prædictam esse magis communem, atque in foro receptam, melioribusque fundamentis innixam.

Quinimo observabam, consideratis, vel rationibus, vel
5 circumstantiis, in quibus fundantur tenentes contrarium, in proposita facti specie, authoritates prædictas, vel potius creditoribus assensum habentibus assistere, vel saltem non adversari, sicuti est potissime decisio Senatus Granatensis apud Larream *loc. cit.* in qua decisione constat Rotam satis se fundasse, quoniam *num.* 26. ubi Senatus determinatio refertur, proceditur cum dicta distinctione, ut scilicet in assensu non veniat illud interesse, quod ab initio conventum est, neque a Principe concedente cogitatum fuit, sed est accidentale oriens tanquam novum debitum ex mora, quod his terminis convenire non poterat, dum agebatur de creditis ex causa cambiorum, vel Societatum officii de sui natura fructiferis, & sub quibus fructus veniunt ex conventione ab initio, & ex natura contractus, itaut absque dubio Principis concedendo assensum, sed decretum, de illis cogitare potuerit, ac debuerit, unde cessat illud præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum, resultans ex cessante voluntate Principis concedentis assensum.

Præterea Freccia *loc. cit.* eatenus veriorem credit negativam, quatenus agatur de ipsius Domini præjudicio, & supplantatione super feudo in casu devolutionis, ut constat *num.* 6. ubi rationem assignat, quod alias Dominus in re sua ex alieno delicto pœnam lueret, quia ex culpa debitoris non solventis fructus seu usuras Dominus in casu devolutionis totum feudum creditori assignare cogeretur; Igitur loquitur solum pro evitando præjudicio Domini, quem censendum est voluntatem restrictam habuisse, sibi quominus fieri potest præjudicandi, quæ ratio nullatenus cadebat in proposita facti specie, in qua nullum aderat Datariæ præjudicium, dum in hujusmodi Decretis, illud etiam respectu sortis præservatur, itaut in casu vocationis, officium devolvatur liberum, ideoque non intrant difficultates excitatæ per feudistas super eo assensu, qui ita secundum afficiat, ut in casu devolutionis, affectum transeat ad Dominum ad debiti solutionem obligatum.

Eademque difficultatis ratio ex cujusdam æquitatis, seu humani discursus motivo cadit in altero casu assensus interpositi super obligatione feudorum, vel majoratuum, & fideicommissorum in præjudicium agnatorum, seu successorum, jure proprio, & independenter a debitore venientium, quia pariter gratia assensus tali casu dicatur a jure exorbitans, & præjudicialis, utpote tollens jus tertii, proindeque quo magis stricte fieri potest intelligenda, & non extendenda, sed restringenda, juxta regularem naturam exorbitantium, & præjudicialium, in quibus terminis procedunt deducta per Larream *d. disc.* 37. & alios per eum deductos.

Et nihilominus, etiam isto casu, probabilius est, assensum; non in ratione extensiva, sed in ratione comprehensiva, suffragari etiam quoad fructus seu usuras, juxta dictam distinctionem, ex natura contractus, sive explicita vel implicita conventione venientes, unum, & idem debitum constituentes, ut constat apud Castil. *loc. cit.* Salgad. in Labyr. *par.* 2. *cap.* 8. *num.* 15. *& seq.* & ex iis quæ in terminis assensus legalis resultantis *ex auth. res quæ* suffragantis etiam quoad usuras seu fructus habentur *in d. Romana restitutionis pecuniarum sub tit. de feudis ad materiam bullæ baronum disc.* 79. ac etiam in sua materia *sub tit. de dote pluries*.

Sed in nullo istorum casuum in proposito versari observabam, nullamque dictum decretum continebat exorbitantiam vel præjudicium tertii, cujus jus tolleretur. Non quidem illud ipsius Principis assentientis, quod remanet præservatum ut supra, neque alterum eorum, qui jus in officio haberent, quia creditores, Decreti reservationem non habentes, quoad officium reputantur nudi Chirographarii, nullum jus in eo vel illud habentes, neque officii fidem vel cautelam sequentes ut *in dicta Romana pretii offic. hoc tit. disc.* 4.

Unde quemadmodum lex facultatem concedit ipsimet debitori, ut contra bonam fidem, in præjudicium creditorum chirographariorum, quibus jam tenebatur, hypothecare valeat ad favorem posteriorum ejus bona, tam pro sorte, quam pro fructibus seu usuris in stipulationem explicitam
vel implicitam deductis justa terminos textus *in l. Lucius, ff. qui potior in pign. habeantur*, quia creditoribus in ipsis rebus jus non habentibus injuria inferri non dicitur, nec aliquod jus quæsitum tolli; Ita omnino in præsenti dicendum esse considerabam, cum effectu assensus, seu Decretum (quod sonat idem,) aliud importare non videatur, nisi habilitationem officialis ad commercium super officio ad favorem illius creditoris, & sic approbationem actus, sive remotionem obstaculi prohibitivi, per quam, tanquam a cessante prohibitione, seu ob dissolutionem vinculi, officium reducitur ad naturam bonorum indifferentium, & liberæ dispositionis, in quibus tanquam ex remoto obstaculo, ex sola juris communis dispositione, creditores cum assensu, utpote hypothecarii, quamvis posteriores, tam pro sorte, quam pro fructibus vincunt chirographarios quamvis anteriores, de propria negligentia imputandos, cur de eadem cautela sibi non consuluerint; Ut de assensu removente obstaculum, Aponi. *de potest. Proreg. tit. de refut. feud.* §. 11. *num.* 17. Capyc. Latr. *consult.* 82. *n.* 31. 6

Et quod hæc esset genuina veritas, ponderabam, Doctores contrarium sententiam tenentes, ut præsertim constat apud Frecc. & Larream, satis inniti pro eorum funda-
mento in iis quæ in jure habentur de obligatione fidejussoris, 7
non extendenda ad usuras, seu fructus, Et nihilominus id procedit cum dicta distinctione, usurarum scilicet accidentalium, judicis officio resultantium; non autem venientium ex intrinseca natura contractus, & quæ ab initio deductæ sunt explicite in conventione, vel etiam implicite sub clausula, *pro quibus omnibus observandis, vel æquipollenti*, cum non dubitetur fidejussorem, ubi ejus obligatio non habet expressam restrictivam, ad id teneri, ut per Rosental. *de feud. cap.* 9. *concl.* 19. *num.* 3. *&* 4. Igitur juxta hoc simile, & ad limites dictæ distinctionis contraria opinio recipienda est.

Prout nullius momenti ponderabam expressionem certæ summæ, cum qua hujusmodi assensus nunquam indefinite concedi solent, sed semper certam summam habent expressam, tum etiam quia, ubi non accedunt verba præcisam taxationem importantia, summa expressa dicitur stare demonstrative ad eam pecuniæ quantitatem, quæ in contractum deducitur, & pro qua contrahitur bonorum prohibitorum obligatio, sed sub ea tanquam de necessario, seu connaturali consequenti veniunt accessiones, ut dictum est, non accidentaliter, & extrinsece, sed intrinsece, & connaturaliter; ex ratione comprehensiva, non autem extensiva,
& in hoc ponderabam esse punctum inevitabilem; Con- 8
clusio enim de qua Salgad. *in labyr. par.* 2. *c.* 4. ut summa censeatur stare taxative, recte procedit ne excedat sortem, sive ut sub assensu non veniat interesse extrinsecum a concedente assensum non præcogitatum, non autem intrinsecum, veniens de necessaria consequentia, seu de natura contractus, cui adjectus est.

Demum ponderationem factam per decisionem (tamquam forte resolutionis præcipuum fundamentum) de similibus terminis assensus legalis resultantis in obligatione bonorum fideicommissariorum *ex auth. res quæ*, observabam potius retorqueri, quia ex ejusdem Rotæ sensu, omnino verius, ac magis receptum est, dispositionem d. authenticæ, ita suffragari pro sorte, ac pro fructibus, atque temperamentum satisfaciendi fructus ex fructibus, percutit fideicommissi, vel rei majorem conservationem, quoties dicta satisfactio est cum fructibus practicabilis; secus autem ubi infra re vendita, in concursu ad pretium, ageretur de excludendo creditore cum assensu, ad favorem creditoris illo destituti; ut *dict. disc.* 79 Et hanc retuli meo videri veritatem; Potissime vero respectu illorum creditorum, qui pecuniam dederunt ad officium emendum cum reservatione decreti, cum illi videantur condomini, vel quasi ex deductis in Rom. de Valtrinis *disc. seq.* & in aliis hoc tit. pluries.

ANNOTAT. AD DISC. X. & XI.

Super puncto, de quo principaliter agitur in his discursibus, an scil. eadem potioritas, vel anterioritas, pro sorte, competat pro fructibus, vel usuris, agitur pluries in sua materia *sub tit. de Credit. disc.* 5. *&* 6. 14. 19. 37. *& in aliis*.

Et de fructibus dotalibus, an habeant idem privilegium, eamdemque potioritatem adversus creditores Baronis in bonis fideicommissariis, quando fideicommissum destruitur in vim Bullæ Baronum, habetur *sub titul. de feud. disc.* 79. *& sub tit. de dote disc.* 145.

An autem damna, & interesse, vel fructus recompensativi hujusmodi vacabilium, seu alias periculo subjectorum, debeantur ad eandem rationem, cum considerationibus, de quibus in his discursibus habetur *sub titul. de Societ. Offic. dis.* 4. 9. *&* 11. & incidenter *tit. de Legat. disc.* 21. & apud Cyriac. *controv.* 259. ubi de fructibus animalium.

Et de altero puncto, an assensus præstitus super obligatione feudi, suffragetur etiam quoad fructus, ultra hic deducta, de Marin. ad Revert. *dec.* 290.

ROMANA PECUNIARIA DE VALTRINIS PRO CREDITORIBUS RESERVATARIIS MATHIÆ VALTRINI, CUM JOACHINO PARITER VALTRINO.

Casus disputatus coram Vicecancellario, & resolutus pro creditoribus, pendet in gradu appellationis.

An illa potioritas, quæ competit super officio, ejusque pretio creditoribus habentibus reservationem Decreti adversus creditores anterioris Officialis, competat etiam super ejusdem officii fructibus. Et an reservatarius Decreti dicatur Dominus officii, & ad quos effectus.

Et aliqua de cursu fructuum ad favorem eorumdem reservatariorum post disdictas Societates.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Creditores habentes decretum posteriores, vincunt in pretio officii anteriores.*
3 *Fructus feudi, & officii dicuntur allodiales, & non cadunt sub d. regula.*
4 *Commoditas fructuum in prohibitis est alienabilis.*
5 *Declaratur conclusio, de qua n.* 3.
6 *Solutum per debitorem decoctum habetur pro extanti, & avocatur.*
7 *Idem de eo, quod a creditore exactum est manu sua.*
8 *Fructus dicuntur pars rei, & censetur eodem Jure, quo ipsa res, & quando.*
9 *De ratione, ob quam creditores habentes decretum, vincunt alios etiam anteriores.*
10 *Fructus beneficii quomodo veniant in concursu.*
11 *Quid de fructibus feudi.*
21 *De concursu legatarii, & creditoris hæredis fructibus bonorum hæreditariorum.*
13 *Creditores habentes reservationem Decreti, an dicantur Domini officii.*
14 *Declarantur plures species reservationum Decreti.*
15 *An post disdictam societatem officii currant fructus favore ejus, qui dedit pecuniam ad officium emendum.*

DISC. XI.

Priusquam Mathias obtineret quædam officia Cancel- 1
lariæ Apostolicæ, convenit cum Joachino patruo pro eo fidejubere debente pro fructibus societatum contrahendarum cum creditoribus daturis pecuniam ad eorumdem officiorum emptionem, de ejus relevatione, ac aliis interesse inter eos vertentibus, sub pacto etiam, quod ipse Joachim percipere deberet ipsorum officiorum fructus; Postmodum vero Mathias obtentis officiis, pro pecunia ad eorum emptionem necessaria, plures iniit Societates super eisdem officiis, super quibus ad favorem creditorum prodiit reservatio Decreti in forma. Cumque post aliquod tempus ære alieno pressus, facta Societatum disdicta fugam arripuisset; Joachim vero, qui fidejussor erat in fructibus tantum, per aliquod spatium, antequam ad officiorum venditionem ad instantiam creditorum procederetur, fructus, in vim mandati ejusdem Mathiæ, percepisset; Hinc orta est controversia, inter ipsum, & dictos fructuum creditores super duobus: primo super concursu ad dictos fructus, per eum exactos, an scilicet ipse tanquam creditor in tempore anterior sine Decreto, vincere deberet posteriores reservatarios in residuo sortis, stante venditione officiorum pro minori pretio; Et secundo, an post disdictas Societates, donec officia retenta sunt sub nomine debitoris, eisdem creditoribus deberentur fructus; Et super primo puncto per V. Cancellarium, seu judicem ab eo deputatum prodiit sententia creditoribus reservatariis favorabilis, a qua pendet appellatio; Secundus autem, adhuc non est, quod sciam determinatus.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum concursus 2
seu potioritatis, scribentes pro Joachino in tempore anteriori, non negabant potioritatem creditorum habentium reservationem Decreti, quamvis posteriorum super ipsis officiis, eorumque pretio, utpote incontrovertibilem, ex his quæ habentur in Romana concursus *disc. præc. & in aliis hoc eod. tit.* cum officia tanquam de Regalibus non sint in commercio, neque sub privatorum hypothecis, & conventionibus cadant sine Principis assensu, ita per hujusmodi reservationem Decreti præstari solito, unde propterea intrat propositio inter feudistas receptissima, huic materiæ quoque congrue applicabilis, quod creditores quamvis posteriores cum assensu, vincunt anteriores sine assensu, ex cujus tempore in hujusmodi bonis differentibus, & non existentibus in commercio, hypotheca initium desumit, ac essentiam recipit quoniam assensus animat.

Secus autem dicebant in eorumdem officiorum fructibus 3
jam perceptis, & ab ipsa causa eorum productiva separatis, isti enim, ea eorumdem feudistarum pariter recepta propositione, non remanent feudales, sed cum reliquo paganico seu allodiali patrimonio comprehenduntur, ejusque naturam assumunt, ut in proposito fructuum feudi, majoratus, officii, vel beneficii cadentium sub concursu creditorum ample Salg. *in labyr. par.* 3. *cap.* 15. *ubi concord.* Et consequenter in eis intrat regula text. *in cap. qui prior. de reg. Jur. in* 6. tanquam in bonis liberis, & indifferentibus, in quibus anterioritas desumitur ex tempore.

Ex qua ratione receptum pariter habemus, tam in feu- 4
dis, ac officiis, aliisque hujusmodi in commercio non existentibus, quam etiam in ipsismet Beneficiis, & pensionibus Ecclesiasticis, esse in commercio commoditatem fructuum, utpote percutientem ipsos fructus, ab eorum causa productiva separatos tanquam allodiales, absque eo quod ipsa rei substantia tangatur, ex recepta theor. Bart. *in l. is qui*, *§. usufructus*, *ff. de pignor. de qua Rosental. de feud c.* 9. *concl.* 9. *n.* 1. Amichangel. *feudal. quæst.* 18. *n.* 10. *decis.* 481. *par.* 4. *rec. tom.* 2. 167. *par.* 9. *& habetur frequenter sub tit. de feudis, ac etiam sub aliis de emphyteusi, & de pensionibus.*

Quamvis autem omnes dictæ conclusiones, tanquam ve- 5
ræ quoad fructuum a causa productiva separatorum allodialitatem ac liberum commercium, per me scribentem pro creditoribus reservatariis admitterentur; Dicebam tamen, etiam cum sensu veritatis, in hac facti specie in hujusmodi fructibus, pro creditoribus reservatariis respondendum esse, unde propterea, justa, & probabilis fuit determinatio, præmissa enim procedunt, quoties, vel fructus a solo seu causa productiva separati, ita confusi essent cum reliquo patrimonio allodiali feudatarii, vel officialis, quod eorum vendicatio practicabilis non esset, vel quod eis distractis voluntarie non autem de mandato Judicis, concursus esset in pretio, quod juxta regulam non succede-

cederet loco, ejusque naturam non assumeret; Sive quod in eisdem fructibus ipse principalis debitor, feudatarius, vel officialis solvisset creditoribus bona fide recipientibus, & consumentibus, unde ab eis danda non esset avocatio, juxta ea, quæ generaliter habemus de pecunia creditoris posterioribus bona fide soluta, & consumpta, per anteriores non avocanda.

Non autem ubi fructus extant vere, vel æquipollenter, quia nempe percepti, & consumpti mala fide, itaut habeantur pro extantibus, ut in præsenti, absque dubio dicendum erat, tum ob decoctionem debitoris, ea quo tempore non datur amplius bona fides in creditore recipiente solutionem de pecunia, & bonis debitoris Seraph. Penia *decis. 1074. de-*
6 *cis.* 338. cum aliis per Add. *ad dec. 9. num. 45. & seqq. p. 3. rec.* Tum etiam quia non agebatur de solutione, quam debitor, habens suorum bonorum administrationem, per gratificationem fecisset alicui creditori bona fide consumenti, seu receptam pecuniam cum reliquo ejus patrimonio commiscenti, quo casu ex quadam æquitate magis, quam de stricto jure a commercii libertate derivata denegatur avocatio, juxta receptam decisionem 190. Afflicti, sed de creditore recte sciente
7 adesse alios, vel anteriores, vel potiores, & exigente effectus debitoris manu sua, quo casu dicta æquitas non intrat, quia non datur translatio dominii in recipientem, Rota *dec. 516. n. 4. p. 4. rec.* Capyc Latr. *dec. 24. n. 24. & in sua materia sub tit. de cred. pluries.*

Fructus autem, vel pendentes, vel adhuc extantes, seu
8 habendi pro extantibus, regulantur eodem jure ipsius rei principalis, seu causæ productivæ, caduntque sub eadem hypotheca, cui ipsa res affecta est, quoties nascuntur de tempore quo eadem res est in domino debitoris, juxt. text expressum *in l. Paulus 29. §. 1. de pign.* ibi, *si mancipia in causam pignoris ceciderunt, ea quoque, quæ ex his nata sunt eodem jure habentur*, & probatur etiam *in l. 3. §. cum prædium, & leg. grege in principio, ff. eod. l. in prædiis, ff. in quib. caus. tacite hypotheca contrahatur, l. quamvis, Cod. eod. l. 1. C. de partu pign. cum concor.*

Ideoque cum creditores reservatarii, ipsum officium affe-
9 ctum habeant per quamdam speciem hypothecæ vallatæ assensu Principis, cæteri vero destituti decreto nullam desuper habeant hypothecam, quæ ipsam rei substantiam tangat, utpote in jure Regali non existente in commercio, exinde de plano dicebam resultare illam anterioritatem, vel potioritatem, quam creditor hypothecarius habet adversus chirographarium, & in sola actione personali. Et ex qua ratione prodita est conclusio, de qua in Romana pretii officiorum, & in Romana concursus *disc. 4. & 10.* & in aliis *hoc tit.* quod in hujusmodi officiis, vel feudis, aliisque prohibitis, & in commercio non existentibus, habentes assensum quamvis posteriores vincunt anteriores sine assensu, ista enim conclusio, seu ejusdem conclusionis ratio, ita militat in ipsa re, sicuti in ejusdem rei fructibus, qui in dominio debitoris nascuntur, eodemque jure regulandi sunt, quia dicuntur pars rei.

Quod evidenter probari dicebam ex eo, quod quotidiana praxis docet in terminis satis proximis fructuum beneficii Ecclesiastici, qui abscissi ab ipso beneficio ejusque causa productiva, jure aliorum bonorum privatorum, & indifferen-
10 tium beneficiati censentur, atque in creditorum concursu veniunt, non tamen in præjudicium pensionarii, seu alterius ex authoritate Papæ habentis affectum ipsum beneficium ejusque fructus, quoniam hic omnes alios vincit ex deduct. per Salgad. *in labyr. p. 1. c. 42. per tot. præsertim n. 12. cum seq. & n. 23. cum seq. & est de jure planum.*

Idemque praxis docet in concursibus, qui habentur in bonis feudatarii habentis duplex patrimonium feudale, &
11 allodiale, seu militare, & paganicum, quoniam in feudalibus, creditores cum assensu vincunt alios absque assensu, nedum in sorte pretii ex feudi venditione trahendi, sed etiam in fructibus, quæ interim, donec feuda sunt sub concursu, ex iis percipiuntur. Idemque in bonis fideicommissariis, & majoratuum, quoniam creditores, vel ex defuncti judicio, vel ea Principis auctoritate habentes jus, vel hypothecam in ipsis bonis, quæ alias hypothecabilia non sunt, vincunt alios, etiam in fructibus, quoties existunt, & confusi non sunt cum reliquo patrimonio libero ut supra cum similibus.

Quæ omnia magis de plano procedunt, quoties immutata non est persona possessoris, ideoque agetur de fructibus nascentibus in dominio ejusdem debitoris, quo casu non intrat ea difficultas, quæ cadere solet, quoties agitur de fructibus natis penes hæredem in concursu creditorum defuncti, seu legatariorum, & creditorum hæredis juxta casum, de quo apud Minadoum *decis.* 20. & Apont. *cons.* 33. *lib.* 1. Ubi de concursu legatarii, & creditoris hæredis in fructibus bonorum hæreditariorum, de quo habetur actum 12
in specie *sub tit. de legatis*, ideoque videbantur esse extra omnem controversiam, cum nulla suppetat ratio, ob quam creditor nullum penitus jus habens, in re, vel ad rem, vincere deberet creditores tale jus reale habentes, in illis fructibus, qui ipsius rei pars dici possunt, ejusque jure regulantur.

Dicebam quoque scribens tamquam Advocatus, neque intrare istos terminos concursus inter creditores super bonis creditoris, sed potius terminos dominii, quod sine dubio 13
vincit quamcumque hypothecam quantumvis antiquam & privilegiatam, ut quotidianum habemus in venditoribus habentibus reservationem dominii ipsius rei venditæ pro pretio. Sive in creditoribus defuncti ea beneficio separationis bonorum adversum creditores hæredis quamvis anteriores, hypothecarios, & privilegiatos cum similibus, eo quia creditores habentes reservationem decreti dicuntur habere officii dominium, & tamquam domini illud invito titulari, ac sine ejus assensu vendere possunt, ut firmavit Rota in Romana officii 2. Junii 1656. & 25. Junii 1657. coram Dunozetto inter suas *decis. 986. & 1005.* prius in Romana officii Notariatus 4. Decemb. 1651. cor. Verospio *dec. 206. p. 11. rec. ac in aliis ibidem cumulatis*; ideoque posito dominio ipsius officii, resultat dominium fructuum, qui sunt ejus sequela ad text. *l. si dominium, C. de pign. l. fructus, & leg. ex diverso, ff. de usuris cum concord.* & habetur *infra disc. 17.*

Verum reflectendo ad veritatem, illud motivum ita præcise sumptum videbatur minus tutum, quoniam in iis, 14
quæ *hoc eod. tit. in ista materia officior.* sæpius habentur, præsertim in Romana hæreditatis, & in Rom. diminutionis pretii *disc. 1. & 12. ac in aliis*, diversa est illa decreti reservatio, quæ fit jure dominii, ac favorem scil. ejus qui ad proprium commodum vel incommodum, cum ejus pecunia emit officium in faciem, & sub nomine alterius, cujus persona pro regulando tantum periculo, seu casu vacationis demonstrata est ab illa reservatione, quæ fit ad favorem creditoris mutuantis pecuniam ad officium emendum ei, qui idem officium acquirit ad proprium commodum vel incommodum, propriumque periculum; itaut si per ejus mortem, vel delictum, casus vacationis contingat, creditor non desinat esse talis, sibique integra remaneat actio adversus personam vel bona Officialis, atque officii augmentum vel decrementum, non ipsorum creditorum, sed ipsius Officialis tantum damno vel respective commodo cedat. Et consequenter impossibile est dare verum dominium, quod haberet fructus tamquam ejus sequelam, quoniam sub eadem sequela dare oporteret dictos effectus ejusdem periculi vel commodi; Ac etiam quia in eadem persona, cessante diversitate respectuum seu reduplicatione, implicat dari dominium, & creditum, cum nemo sit creditor vel debitor sui ipsius, ideoque illud dominium, quod in allegatis decisionibus favore reservatariorum firmatur, dicendum potius est improprium, & quasi dominium, eo modo, quo datur in venditore illud sibi reservante pro consecutione pretii, cujus fides habita sit, ad effectum scilicet potioritatis adversus omnes creditores, ac etiam ad effectum licentiæ, & facultatis vendendi quoque sine consensu ipsius Titularis, cujus ad hunc effectum mandatarii, & procuratores irrevocabiles reservatarii esse videntur, & hæc videtur vera distinctio.

Quo vero ad alium punctum cessationis fructuum post dissolutas societates modica, & fere nulla habita fuit disputa- 15
tio ob cessantem effectum, stante debitoris inopia, quæ inanem reddebat actionem, cum fructus activi, super quibus erat concursus, neque sufficerent ad adæquandum creditum in sorte ob sequutam pretii officiorum diminutionem in nova venditione; Dicebam tamen, casum esse decisum in Signatura Gratiæ sub Gregorio XIII. de anno 1578. ut testatur Bocc. *in tractatu de Societ. officii n. 158.* ea eo quod dans pecuniam officiali ad officium emendum, ita videatur condominus, atque ejus favore contra officialem intret æquitas, seu ratio text. *in l. Curabit, C. de action. empt.* ne eodem tempore habeatur res & pretium, & qua æquitate receptum est, ita procedere favore venditoris contra emptorem, sicut econverso Leotar. *de usuris q. 27. n. 54. & seqq.* Surd. *cons.* 101. *n.* 26. Gregor. *dec. 347. n. 7.* ubi Add. *n. 18. apud quos concordantes.*

Verum, ut advertitur in Romana officii agriculturæ

disc. seq. & in aliis hoc tit. ad istam materiam id mihi semper visum est durum, quod scil. ita cessante periculo amissionis sortis, quod in societatibus officiorum unice salvat, ac licitam reddit perceptionem fructuum in adeo excessiva summa, eorumdem fructuum cursus dari debeat, nisi id salvet ea ratio, quæ habetur ponderata in Romana inter Olignanum, & Pasquetum *sub tit. de Societ. officii*, quod scil. quamvis sequuta disdicta, contingente casu vacationis officii per mortem officialis, sub cujus vitæ periculo frequentius hujusmodi societates iniri solent, creditor de jure non currat periculum, illud tamen currit de facto, quoniam ementes hujusmodi officia, quorum majus emolumentum in manuali exercitio, ac industria personæ consistit, ut sunt Notariæ, & Cancellariæ, frequentius, ut praxis docet, sunt quidem industres, & periti, sed pauperes juvenes, nihil proprium habentes, totamque eorum fortunam ita fabricantes, sub periculo mutuantium pecuniam pro officii acquisitione necessariam, ad Societatem officii, cujus vacatio producit amissionem pecuniæ mutuatæ, sive de jure durante Societate, sive etiam de facto ob debitoris insufficientiam, & ex qua ratione inolevit usus, quod frequentius hujusmodi Societates non fiunt sub periculo vitæ ipsius mutuantis, vel alterius sibi bene visæ personæ ut in illius Societatibus, quæ vere contrahuntur inter privatos non officiales bonam fidem recognoscentes, sed fiunt super periculo vitæ ipsiusmet Notarii, seu alterius Officialis, quæ distinctio, seu distinctionis ratio ponderatur in d. Decreto Gregorii XIII. relato per Boccac. ubi supra.

ROMANA DIMINUTIONIS

PRO CREDITORIBUS ANTIMI CURTI, CUM HÆREDIBUS DOMINICI VAINI.

Casus resolutus per A.C. contra Creditores.

Diminuto pretio officii, ad quod emendum plures cum reservatione Decreti pecuniam mutarunt, quorum damno diminutio cedere debeat: Et an inter habentes reservationem decreti diverso tempore factam detur anterioritas, & concursus, &c.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Reservatio decreti super officio importat dominium favore reservatarii.*
3 *Declaratur distinguendo plures species reservationis, & quæ sit illa importans dominium.*
4 *De altera importante speciem hypothecæ ad favorem creditoris.*
5 *De concursu æquali creditorum habentium eamdem reservationem, licet in tempore crediti sint inæquales.*
6 *Secus respectu illius, qui obtinuit reservationem separatam posteriorem.*
7 *De concursu creditorum diverso tempore mutantium in eadem causa, an ratione causæ sint æquales.*
8 *De potioritate mutantis ad rem emendam, quando intret.*
9 *Si Dominus officii illud vendat habita fide pretio pro quo sibi reservet dominium absque decreto, an creditores emptoris cum decreto ei præferantur.*

DISC. XII.

1 UT Antimus Curtus officium Notarius acquireret, diversas pecuniarum summas, illam scut. 17500. constituentes, a pluribus accepit ad Societatem officii, atque eodem tempore in eadem supplicatione, per quam sibi officium collatum fuit, reservatum quoque fuit Decretum ad favorem dictorum creditorum, cum expressione, quod omnium ad dict. officium emendum pecuniam credentium, æqualis esse deberet conditio, nulla inter eos, anterioritatis, vel potioritatis differentia constituta; Die vero sequenti idem Antimus, aliam summam scut. 500. accepit ad Societatem officii a Vaino, sub pacto reservationis decreti, quæ per separatam supplicationem, cum præsupposito jam sequutæ collationis subsequuta fuit, dictaque pecunia erogata quoque fuit in officii prædicti pretium cum resignante conventum in scut. 18.m, Cumque ad breve tempus Antimo defecto, ad creditorum instantiam officium venditum esset pro scut. 16500. orta est dubitatio, an deficientia 1500. omnium creditorum damno cedere deberet, admittendo ad æqualem concursum prædictum Dominicum, vel potius cedentibus integris scut. 16500. commodum ad dictorum priorum creditorum, deberent illi sentire solam jacturam scut. mille ad eorum credita supplenda deficientium, Vainus autem totius crediti posterioris jacturam pati.

Et introducta causa coram A. C. Prælato deputato, scribentes pro Vaini interim defuncti hæredibus, in eo constituebant fundamentum, quod cum reservatio decreti importaret reservationem dominii, ex deductis *decis.* 151. 2
post Pacific. de Salv. & decis. 16. post Fenzon. *ad Statut.* ita omnes reservatarii dicebantur effecti consocii, eandem rem pro communi possidentes, & consequenter omnes proportionaliter, & pro rata sentire debebant diminutionis damnum, quod est dominii sequela, allegantes, auctoritatem Rom. *cons.* 89. *n.* 1. *& seq.* Ac etiam quia ubi tanquam creditores considerandi essent, omnium æqualis debebat esse conditio, dum erant æquales in causa, quia tota pecunia in ejusdem officii acquisitionem erogata erat in id allegantes deducta per Galeot. *l.* 1. *controv.* 21.

Contrarium, cum aliquo etiam sensu veritatis, credebam scribens pro creditoribus, esse probabilius, quodque ab hac facti specie remanerent extranei termini dominii, cum quibus processerant scribentes in contrarium; Ad quod 3
clare dignoscendum, dictumque æquivocum convincendum, reflectendum observabam ad diversas hujusmodi decreti reservationis species, diversosque effectus ex iis resultantes, juxta ea quæ *in Rom. hæreditatis seu officii disc.* 1. *& in aliis hoc eodem titul.* pluries deducta habentur. Prima enim species est, quando decretum reservatur ad favorem ejus, qui cum sua pecunia, & proprium commodum emit officium, in faciem, seu caput alterius, tunc enim licet substantia officii residere dicatur penes illam personam, in cujus faciem acquisitum est, itaut per istius mortem, vel delictum vacet, quia huic Princeps illud contulit; ipseque in rotulo, seu libris Officialium est descriptus, nihilominus dominium pretii, ac etiam emolumentorum totiusque utilitatis est Domini pecuniæ habentis Decreti reservationem, solumque in proposito cadit quæstio super reservata facultate disponendi ad exercitium non redacta, num per reservatarii mortem evanescat, & officium remaneat jure cujusdam implicitæ donationis penes titularem, necne, *ex iis, quæ sæpius habentur hoc tit. ad istam materiam officiorum præsertim in dicta Romana hæreditatis, vel officii disc.* 1. ubi de pluribus hujusmodi reservationis formulis, seu speciebus. Atque isto casu officii augmentum, vel decrementum cedit commodo, & respective incommodo reservatarii tamquam Domini: Etsi sunt plures, coæquale est damnum, vel respective lucrum, atque bene intrant termini Societatis, vel possessionis plurium pro communi, cum dominium pretii, & utilitatis reputetur, quod mere allodiale omnino distinctum ab ipsa officii substantia, unde otii impedit esse penes plures pro communi.

Altera species reservationis decreti est illa, quæ existente officio, tam in substantia, quam in pretio, & utilitate in dominio officialis, cujus commodo, vel respective incommodo cedat ejusdem officii augmentum, vel decrementum, reservatio fit ad favorem creditorum, qui Officiali pecunias ad societatem officii, vel sub alterius contractus nomine, juxta frequentissimum Curiæ usum crediderunt, ut est dictus casus in Romana pretii officiorum 27. 4
Novembr. 1658. & prima Decembris 1659. Bevilaqua, in Romana concursus creditorum 10. Junii 1661. Cerro, de quarum utraque habetur etiam hoc titul. ad hanc eamdem materiam *disc.* 4. *&* 10. Et tunc omnino extranei sunt dicti termini, dominii, & Societatis, quoniam reservatarii gerunt personam creditoris, implicantem cum persona Domini, atque accidentale officii augmentum, vel decrementum cedit commodo, & respective incommodo Officialis: creditores autem certæ quantitatis, semper sunt tales neque ista ex officii alteratione alteratur, existentibus solum creditoribus subjectis periculo vacationis ex natura contractus societatis officii magis, quam reservationis Decreti, itaut si officium vacet per privationem, & delictum, seu etiam per mortem, cujus casus non inducat lucrum, adhuc creditoribus salvum remanet jus contra officialem ejusque hæredes, & bona, ideoque absolutum videri dicebam, eos censeri non posse officii dominos.

Unde isto casu dicta reservatio, aliud importare non dicitur, nisi quamdam speciem assensus præstiti per Papam

pam super officii hypotheca alias prohibita, quoque creditoribus absque præjudicio Cameræ in casu vocationis, Jus acquiratur super eodem officio, adinstar illius assensus, qui cum clausula sine præjudicio, per Dominum directum præstatur super obbligatione bonorum feudalium, vel emphyteuticorum, alias ex jure generali feudorum, vel ex lege particulari Investituræ in commercio non existentium absque Domini licentia, vel assensu, solumque dominium, seu societatis improprie considerati potest ad effectum cursur, fructuum societatum officii, etiam post illatum distictam, ex his quę habentur *disc. praeced.*

5 His sic stantibus, cessabant termini damni diminutionis cadentis inter plures condominos, sed bene cadebant termini contributionis inter plures concreditores coæquales ex eodem jure venientes, quales erant omnes isti, ad quorum favorem in summa scut. 17500. priori decreti reservatio, ut supra facta erat, tum quia ita in ipso decreto expresse disponitur, tum etiam, hujusmodi etiam provisione cessante, ita de jure subintelligerentur, dum eodem tempore, æqualiter cum unico decreto omnes ad idem Jus per Principem habilitantur, juxta exemplum alias datum in Romana restitutionis pecuniarum pro Caffarellis *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum, discurs.* 78. de pluribus existentibus ante januas domus clausæ, ad quam Jus ingrediendi alias non haberent, nisi ea gratia concedat ille, qui habens claves, januas eis aperiat, quia si eas eodem tempore in gratiam omnium congregatorum aperit, æqualis, & simultaneus est ingressus, & fruitio Domus, non curato quisnam prius, & quis posterius approximaverit. Et licet idem exemplum procedere deberet in terminis Bullæ Baronum, in quibus contrarium servat praxis, tamen, ut proxime insinuato loco habetur, id procedit, quia sic disponit eadem Bulla, mandans satisfieri creditoribus juxta ordinem anterioritatis, & potioritatis, nam alias æqualis esse deberet eorum conditio, adinstar plurium pensionatiorum ex eadem reservatione venientium, & similium, de quibus apud Salg. *in labyr. par.* 2. *cap.* 4.

Inter istos autem concurrentes, venire non poterat cum 6 coæquali jure dictus ultimus creditor, secundam posteriorem reservationem habens, quoniam de tempore, quo ipse Jus in officio acquisivit; jam illud ex præcedenti reservatione aliis effectum erat, unde quemadmodum in bonis indifferentibus attenditur prioritas temporis deducta ex die contractus per quem hypotheca, vel aliud jus reale ipsis bonis impressum fuit, ita dicendum est inter plures eumdem assensum, seu eandem reservationem per prius, & posterius habentes, cum eadem respective sit ratio, metiendo tempus a die assensus, qui animat, & informat, ideoque creditor anterior in assensu vincit absque dubio posteriorem in assensu, quamvis esset anterior in conventione, ex deductis per Salg. *d. par.* 2. *c.* 21. *& passim*, quia est principium receptissimum, & in feudali materia quotidianum.

Ea etiam differentiæ ratione inter unam, & alteram reservationem ponderata, quod prima facta fuit simultanee cum collatione officii in eadem supplicatione, & in ipso actu conferendi, itaut officium in actu acquirendi, transierit in officialem ita affectum, quod non est in secunda facta de tempore, quo jam officium collatum erat, ejusque substantia in persona officialis debitoris residebat, adinstar illius reservationis, quæ concedi solet credentibus pecunias officialibus, & postquam diu officium possederunt, & sic magna erat differentia inter unum casum, & alterum.

Quare sola difficultas restringebatur ad æqualem concur-
7 sum de jure resultantem ex identitate causæ, dum omnium pecunia æqualiter erogata erat in officii pretium solvendum, ex firmatis apud Apont. *disc.* 34. & Galeot. *lib.* 1. *controv.* 21. cum aliis per Salg. *d. cap.* 21. sed illa removeri videbatur ex facto, in quo cæteri creditores bene justificabant, eorum pecuniam expresse in istam causam datam fuisse, antequam concessio officii sequeretur, in alios usus non convertibilem; E converso autem hæc ultima partita scut. 500. data erat simpliciter ad Societatem officii, nulla expressa causa, in quam daretur, unde poterat debitor eam pro libito in alios usus convertere. Et licet in istam quoque erogata esset, attamen id a casu potius quam a conventione venerat, ideoque non intrat potioritas competens,
8 *ex l. licet, Cod. qui potior. ut probatur ibid. & §. his consequens, authent. de æqual. dot.* Gratian. *discept.* 670. adden. ad Buratt. *decis.* 62. *decis.* 93. *num.* 12. *&* 13. post Merlin. *de pignor.*

Proinde ex eadem ratione non subintrat in locum dimissi creditoris ille, cum cujus pecunia dimissio facta est, ubi non a conventione, sed a casu id accidit, ex firmatis per Apont. *cons.* 87. *lib.* 1. & per Rot *d. decis.* 93. post Merlin. *de pign. repetit. decis.* 324. *par.* 9. *rec. num.* 22. *cum seqq.* & in Romana Salviani 5. Febr. 1665. coram Albergato, & in eadem 19. Novembris 1666. cor. Carpineo. Licet enim dicta decisio in suo casu non videretur omnino tuta, ex iis quæ scribendo in contrarium habentur deducta in eadem causa pro Marchione Lancea *sub tit. de cred.* ob facti circumstantias in eo casu occurrentes, nihilominus ubi factum non assistit, non negatur conclusio, ut ibi.

Scribentes pro hoc ultimo creditore insistebant in dictæ conventionis probatione deducta ex pacto reservationis decreti cum subsequuto effectu, verum id non concludebat quoniam ex præmissis hujusmodi reservatio, utpote importans quandam speciem assensus præstiti obligationi bonorum, alias in commercio non existentium, recte conveniri potuit pro debito ex alia causa contracto, etiamsi accepta pecunia in alios usus erogata esset, ut docet praxis quotidiana in reservationibus, quæ fiunt pro cautela creditorum, & super officiis jam diu per debitorem possessis juxta casum de quo *Romana pretii officiorum hoc eodem tit. disc.* 4.

Cæterum, ubi etiam dici posset, hunc ultimum creditorem ad rem emendam quoque mutasse, unde sibi convenire possent termini text. *in l. eg. licet, C. qui potior. in pign. hab.* adhuc tamen in proposito ratione subjectæ materiæ id non videbatur suffragari. In officiis enim utpote de Regalibus, atque non existentibus in commercio sine assensu Principis, privatæ partium conventiones nihil faciunt, sed solum ejusdem Principis factum, eo modo, quo ipse gessit attendendum est, quamvis id de consensu officialis, & ad ejus instantiam sequatur, quoniam adhuc jus obtinens super officio, non ab officiali, sed a Principe jus metiri dicitur, adinstar obtinenti pensionem voluntariam super beneficio pleno de consensu titularis, ex deductis per Salgad. *in labyr. par.* 1. *cap.* 35. *n.* 17. *& seqq. & par.* 2. *cap.* 27. *per tot. & in aliis hoc eod. tit. sæpius.*

Unde propterea si daretur casus, quod possessor officii habita fide de pretio convento, illud resignaret aliter sub pacto inter eos reservationis dominii, ac proprietatis, id autem non exprimeretur in supplicatione, atque resignans liberum daret consensum in Dataria, cujus consensus vigore signaretur supposito, vel signata relaxaretur ad favorem resignatarii, iste ex tunc esset officialis, qui si alia contraheret debita etiam pro aliis usibus, & curaret ad istorum creditorum favorem fieri reservationem decreti, utique isti reservatarii super officio vincerent ipsummet resignantem creditorem pro pretio, non obstante quacumque conventione, quia non spectatur factum partium, sed factum Principis, ejusque assensus, qui animat, & informat actum, totumque jus tribuit, unde propterea in similibus terminis feudorum receptum habemus, quod non intrat titulus *plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur*, minusque alter titulus *de separatione bonorum*, sed creditores hæredis cum assensu vincant creditores defuncti sine assensu, quamvis feudum esset hæreditarium, ut in sua feudali materia pluries, quidquid teneat Gratian. *disc.* 730. quia vel ejus opinio de jure non subsistit, vel sustineri potest in eo casu cum præsupposito, quod officia Notariorum Capitolii, utpote non vacabilia, & transitoria ad hæredes jure allodialium, & indifferentium bonorum censeri debeant.

Ideoque cum per primam reservationem, jus quæsitum esset primis creditoribus, non potuit istis per secundam præjudicare, istantibus etiam terminis, *cap. qui prior.* inter plures assensus Principis, eo modo, quo inter plures reservationes pensionis super eodem beneficio cum similibus.

Quod clarius procedere observabam, stante Datariæ stylo ab anno 1630. circiter habendi duos hujusmodi decretorum libros, unum in quo registrantur decreta super officiis conferendis, & in ipso actu quo conferuntur; alterum super officiis jam collatis, & plenis, cum discretiva decreti juxta unam, vel alteram speciem, quæ discretiva in præsenti concurrebat, atque in secunda reservatione fiebat mentio primæ, cui Papæ intentio fuit non præjudicandi.

Neque præmissis obstare videbantur firmata per Aponte *dicta decis.* 34. & Galeot. *lib.* 1. *controv.* 21. & Salgad. *dicta par.* 1. *cap.* 21. super æquali concursu regulando ab identitate causæ, non curata diversitate temporis, quoniam id recte procedit, quando unicum est pretium ab ini-

tio conventum, in cujus causam plures diversis temporibus diversas credunt pecunias insimul constandas pro assequutione ejusdem officii alias non obtinendi, sub eodem formale assensu, itaut quilibet mutuans sciret, vel scire deberet habere socios, seu correos credendi in tota summa pro officii acquisitione necessaria, & cuilibet cognita, unde quoad assensum, & voluntatem Principis, dici poterat illum esse unicum, omnibus & pro tota summa æqualiter concessum in eandem coæqualem causam, quod non videbatur ad hanc facti speciem applicabile. His autem non obstantibus, incertum est ex quo fundamento, contrarium in prima instantia fuit judicatum, cui intellectus non acquiescebat, cum inspecta etiam veritate probabiliores viderentur partes creditorum etiam veritatem reservationum habentium.

ANNOTAT. AD DISC. XII.

CIrca concursum creditorum, qui diversis temporibus mutuarunt in eodem causa, agitur in sua peculiari materia *sub tit. de credit. disc.* 3. *&* 4. Neque super aliis discursibus sequentibus in hac materia officiorum vacabilium occasio dedit hoc medio tempore disputare, vel aliud adnotare. Potissime quia est materia finita, quæ circa jam adnotata, ut plurimum circumfertur, cum ea sola variatione, quæ resultat a diversis facti circumstantiis, ex quibus in omnibus fere aliis materiis, forensium controversiarum decisiones hodie pendere videntur. Ideoque ex jam deductis, recte desumi valent regulæ, seu Theoricæ generales: Sed punctus est applicandi congrue activo passivis: in hoc certa regula statui non potest, dum totum pendet ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ad quas principaliter per Judices, & consulentes est reflectendum.

An autem major pars creditorum cogere possit minorem ad præstandum consensum in resignatione officii, ad quod emendum omnes pecuniam crediderint, etiam quod agatur de reductione Societatum, habetur *sub tit. de Cred. in Supplemento in una Romana Resignationis Officii pro Creditoribus Antonii de Bianchis.*

ROMANA OFFICII NOTARIATUS A. C. PRO ANTONIO FELICE PEDROCCA, CUM ANTONIO BOSSIO, EJUSQUE CREDITORIBUS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Antonio Felice.

De venditione officii facta per Judicem, qui ex auctoritate Papæ, suppleat consensum officialis ejusque Creditorum habentium reservationem Decreti, an ob non servatam formam in Chirographo Pontificio præscriptam, sit invalida: & an forma impleri debeat præcise, vel sufficiat ejus implementum per æquipollens. Et ad validitatem translationis officii, an attendi debeat Instrumentum venditionis inter partes, vel potius supplicatio signata per Papam.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Alienatio bonorum inalienabilium sine assensu Principis corruit non servata dicti assensus forma.*
3 *Venditio per Judicem fieri non potest nisi præsenti pecunia, & de ratione.*
4 *Ubi forma respicit certum effectum, sufficit impleri per æquipollens.*
5 *Præjudicium accidentale, & consequutivum tertii non tollit implementum formæ.*
6 *De distinctione inter substantiam, & emolumenta officii, ut primum non sit in commercio, secundo vero sic.*
7 *Ubi agitur de substantia, gesta partium non attenduntur, sed continent simplicem tractatum.*
8 *Pro validitate gratiæ attenditur, quid Papa narratum sit.*

D I S C. XIII.

1 PResso Antonio Bossio Notario A. C. gravi ære alieno, pro quo latitare cogebatur, neque officium exercere poterat, Papa, aliquibus creditoribus instantibus, per Chirographum commisit A. C. quod ad prædicti officii venditionem procederet ad favorem Antonii Felicis Pedrocchæ, qui inter plures meliorem fecerat oblationem scutor. 12200. quæ deponi deberent in monte Pietatis, vel in banco Sancti Spiritus, per effectum, ut satisfactis oneribus Cameralibus officio incumbentibus, reliquum solveretur creditoribus, dando facultatem supplendi consensum ipsius officialis, illorumque creditorum, qui habentes decreti reservationem consentire nollent. Cumque post dictum Chirographum, aliqui ex creditoribus in summa scutor. 6100. cum dicto Pedrocca futuro officiali Societatis renovassent, ita jure novationis satisfactos se vocantes, ob transfusionem pretii in diversum contractum, idcirco in executionem Chirographi, *sub die 9. Februarii* 1664. processum est ad confectionem Instrumenti venditionis, in quo, stante dicta accollatione pro scutis 6100. conventum est, reliqua scuta 6100. in uno ex dictis banchis deponi debere, prout *sub die 20. Martii*, quando ad beneficium novi officialis relaxata fuit supplicatio, signata sub die 11. ejusdem mensis, ex aliquibus tamen impedimentis retenta, sequutum fuit.

Ex dicta vero pecunia sic deposita, idem A. C. mandavit solvi integra onera, quæ per contributum solvenda erant per omnes creditores, etiam alios per novationem, ut supra satisfactos. Hinc proinde isti creditores non consentientes, atque idem Bossius prior officialis, prætendentes ob non servatam formam in Chirographo præscriptam deponendi integra scuta 12200. actum remanere invalidum, in eodem Tribunali A.C. sed coram successore illius, qui hæc omnia gesserat judicium instituerunt reintegrationis ad officium, ejusque possessione.

Nullitatem dictæ venditionis officii cum omnibus inde sequutis, fundabant actores dupliciter, primo in vera & recepta conclusione, quam frequentem, & quotidianam habemus in materia alienationis bonorum Ecclesiæ, ac etiam in illa alienationis bonorum fideicommissariorum, seu alias inalienabilium, super nullitate actus ob non servatam formam in beneplacito Apostolico, seu Principis licentia, vel assensu præscriptam, cum paria sint, nullum adesse beneplacitum, & adesse, sed male assequutum, 2 ejusque formam non servatam *dec. 319. p. 4. rec. tom. 2. dec. 375 p. 5. 41. & 363. p. 10. & passim.* Et secundo in altera pariter vera, & recepta conclusione, quod ubi Judex instantibus creditoribus vendit bona debitoris non consentientis, vendere non potest habita fide de pretio, sed venditio facienda est præsentim pecunia, per quam illico creditoribus solutam, vel ad eorum favorem depositatam, debitor liberationem obtineat, quia nec justum est, nec rationabile, ut debitor spolietur bonis suis, & adhuc remaneat creditoribus obnoxius, ac alias venditio nulla remanet, tanquam ex deficiente potestate, nisi eorumdem credito- 3 rum accedat assensus, per quem resultare dicitur debitoris liberatio, proindeque cessat ratio conclusionis, Greg. & adden. *dec.* 23 Duran. *dec.* 257. Royas *dec.* 185. *& sæpius.*

Eoque magis præmissis locum fore dicebant, tum quia non unicus erat defectus, forte sanabilis, sed duplex, unus resultans a jure communi, alter a jure speciali formæ præscriptæ in Chirographo; tum etiam quia ea dicta forma non servata, creditorum præjudicium a Papa nolitum resultavit, quia si tota pecunia depositata fuisset, id quod ex deposito idem A. C. mandavit percipi pro satisfaciendis oneribus Cameralibus, omnium creditorum damno proportionabiliter cessisset, non autem in solum damnum medietatis creditorum, aliis integrum creditum obtinentibus.

Contrarium vero, his non obstantibus, cum sensu etiam veritatis, dicebam esse probabilius, pro Notario emptore scribens, quia ubi etiam cum Chirographo procedendum esset, illius tenor ostendebat, depositum non fuisse præscriptum præcise pro forma prius adimplenda, & tanquam species conditionis, sine qua facultas data non esset, ut est in casibus supra exemplificatis, & similibus, sed remittendo totum arbitrio, & discretioni ejusdem A. C. id respiciebat solum finem, seu effectum, ut pecunia ex tali venditione redigenda, in alios usus erogari non posset, nisi in satisfactionem onerum Cameralium, & creditorum. Ideoque intrabat pariter vera conclusio, quod ubi forma respicit certum effectum, sufficit illum sequi, ideoque attenditur etiam implementum per æquipollens, ex plene deductis per addentes *decis. 542. num. 84. & seq. par. 4. rec. tom. 3. decis. 149. num. 5. & fin. par.* 6 Salgad. *in* 4 *labyr. par. 1. cap. fin. n. 135. & seq.*

Et in specialibus terminis depositi faciendi ex præscripto Chirographi Pontificii in monte Pietatis ad commodum

dum creditorum, ut eidem Chirographo satisfactum dicatur, si pecunia consentientibus creditoribus remaneret penes eumdem campsorem, a quo solvenda erat ad effectum deponendi, quia sufficit obtineri effectum, habetur in Romana cambiorum 14. *Junii* 1660. §. *fin.* 10. *Martii* & 4. *Decembr.* 1662. Verospii, quarum secunda est *decis.* 95. post Bonden *collect.* & *in aliis*. Unde cum illi creditores, quibus erat deliberandum, pretium deponendum, se habendo pro satisfactis, renovassent Societates cum novo Officiali, depositum aliud non contineret, nisi circuitum mere inanem, non percutientem effectum, ob quem demandatum fuit.

5 Et quamvis exinde aliquod præjudicium resultasset aliis creditoribus non consentientibus, dum ex reliqua pecunia deposita, detractum est totum id, quod pro oneribus Cameralibus ex integra summa extrahendum erat, in damnum omnium creditorum, nihilominus hæc potius dicenda est injuria Judicia, qui debeat dictos alios creditores, qui novaverant tanquam jam satisfactos, cogere ad contributum, neque id ex post sequutum, aptum esse poterat ad inficiendum actum jam perfectum, & validum, potissime quia d. creditorum præjudicio incontinenti occurri poterat, cogendo dictos alios creditores notoriæ, & promptæ idoneitatis ad refectionem: Vel dicebam adeamdem prompte cogi posse eumdem Notarium, cujus nil intererat solvere hanc ratam ex ejus debito cum dictis aliis creditoribus contracto detrahendam, & sic præjudicium accidentale non in toto, sed in parte, cui sic prompte occurri poterat, non videbatur aptum ad annullationem totius actus.

Discurrebam præmissa ex abundanti, procedendo etiam cum dictis regulis, & conclusionibus generalibus, quas habemus in materiis indifferentibus. Verum clarum æquivocum videbatur cum dictis regulis procedere, atque regulare substantiam officii ex dicto Chirographo, seu ex subsequuto Instrumento venditionis facto per Judicem supplentem consensum, & vices Officialis principalis debitoris, & creditorum habentium reservationem decreti, pro qua suppletione vere, & proprie dictum Chirographum prodierat.

6 Ut enim satis frequenter ad hanc officiorum, & locorum montium materiam deductum habetur, duo in eis considerantur, unum est ipsius officii jus, seu substantia, alterum vero est ejusdem officii utilitas, seu emolumentum bursale; Ista secunda species dicitur sapere allodium, & est in privato commercio, itaut super ea dentur cessiones, venditiones, Societates, obligationes, aliæque privatæ conventiones in rebus allodialibus, & in commercio existentibus cadentes: prima vero species dicitur de Regalibus omnino pendentes a potestate Papæ tamquam species gratiæ conferri solitæ, per supplicationes, ejus manu, per organum tamen Datariæ ejusque officialium signatas, neque alio modo officia auferuntur ab uno, & transferuntur in alterum, itaut, quæcumque Istrumenta aliaque gesta, vel partium, vel Judicum, continere solum dicatur quamdam promissionem de resignando, seu præparationem futuræ resignationis, qua mediante, prior officialis tollat se de medio, atque jus suum extinguat, refutando officium in manu Papæ, a quo, adinstar beneficiorum, per quamdam speciem novæ collationis obtinere dicitur resignatarius.

Quibus sic stantibus, quatenus pertinet ad substantiam
7 Officii, & an collatio, per quam, privato antiquo Officiali, novus creatus est, dicenda esset valida, vel invalida, dicebam spectandum non esse, quod chirographum, vel Instrumentum continerent, quia his attentis, novus officialis creatus non fuit, neque officium ab uno ablatum, & in alterum translatum, sed hoc totum pendet a supplicatione per organum Datariæ signata, dotata, & perfecta. Ideoque cum hæc esset illa, quæ animabat, & informabat actum, cum ea procedendum erat, ejusque tenor solum attendendus, dum præcedentes actus prædicti respiciebant vel præparationem futuri consensus in Dataria præstandi super resignatione, vel interesse bursale, cadens super utilitate officii, non autem super substantia.

Unde cum in supplicatione, adamussim narratum esset
8 Papæ, id quod, ut supra sequutum fuerat, quod scilicet ex oblato, & stabilito pretio scut. 12200. sola medietas deponi deberet, tamquam super actu de futuro explicando instantaneæ cum effectuatione gratiæ, ut sequutum fuit, reliqua vero medietas habenda esset pro effective soluta, utpote novata per Societates cum isto novo futuro Officiali initas, & Papa totum id probaverit, itaut nulla subreptio, vel obreptio caderet in supplicatione, in qua gratiæ substantia residet, vanum dicebam prætendere invaliditatem collationis officii, quoad illius substantiam, sed si qui defectus erat, ille erat circa interesse bursale, circa quod aliud prætendi non poterat, nisi quanti partis intererat, & sic solum actio ad suppletionem interesse. Et ex his juste novus officialis absolutus fuit, condemnatione dictorum creditorum, qui cum isto novaverant ad contributionem prædictam, cui resolutioni non acquiescentes tam Bossius, quam creditores, adjecerunt signaturam gratiæ pro apertione oris, adversus clausulas Chirographi, & commissione causæ in Rota, sed rejecti fuerunt nihil rescribendo.

ROMANA OFFICII DE VAJIS.

PRO VAJIS,

CUM SERTORIO THEOPHILO

Casus varie decisus per Rotam.

An possidens officia, vel alia Regalia cogi possit ad docendum de titulo, alias privari. Et quando sit locus privationi, ad quam Princeps, vel alter procedere possit.

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *Possessores officiorum, & regalium cogi possunt ad justificationem tituli, alias privari, declaratur, num. 8.*
3 *Negativa, ubi est fundamentum intentionis est probanda.*
4 *Quid requiratur, ut negativa probetur ex revolutione.*
5 *Officiali de re spectante ad ejus officium quando sit credendum.*
6 *De attestatione Datarii post finitum officium.*
7 *De adminiculis exhibitionem tituli officii suadentibus.*
9 *Pœna privationis non inducenda, nisi ubi expresse ita disponitur.*
10 *Et ubi adjicitur in officiis empticiis intelligendum quoad fructus, & quoad exercitium tantum.*

DISC. XIV.

EMpto de anno 1646 per Stephanum Vajum Hospitalis S. Spiritus majorem Commendatarium, officio Computistæ, seu ratiocinationis populi Romani pro scut. 2000. 1
sub nomine Francisci Portii, cum decreto liberæ dispositionis ad ejus favorem 1646. Cum de anno Innocent. X. per Chirographum mandasset, titulares, vel reservatarios officiorum Capitolii exhibere teneri titulos, cum quibus illa possiderent infra sex menses, quibus elapsis ad opportunas provisiones procederetur, mandando pro dictis sex mensibus tantum, & non ultra eorumdem officiorum fructus, seu emolumenta persolvi; Atque post dictos sex menses cum aliquo intervallo objerit dictus Stephanus reservatarius, scripto hærede Vajo fratre cum perpetuo fideicommisso ad favorem ejus descendentium, victus hæres per annum, & ultra dicti officij emolumenta, justificato cor. Conservatoribus titulo hæreditario) pacifice exigit, ejusque etiam obitu ad breve tempus sequuto, superstite Joanne filio, seu ex altero fratre nepote, in d. hæreditate Stephani Jure fideicommissi succedente, idem Innocentius per Breve, prævia narrativa, quod stante exhibitione tituli infra sex menses non facta, officium prædictum per mortem Vaji vacasset, illud tanquam vacans concessit, cum subsequuta possessione, Sertorio Theophilo, contra quem dictus Joannes, cum Franciscus Portius Titularis adhuc viveret, judicium instituit pro d. officii vendicatione, & introducta causa in Rota coram Verospio, *sub die* 9. *Maji* 1659. resolutio Joanni favorabilis prodiit, sub fundamentum deficientis intentionis Papæ procedentis juxta Brevis narrativam, cum falso præsupposito, quod officium vacaverit per mortem Vaji, quod liquido constabat non subsistere, dum illud residebat in persona Portii, adhuc viventis, per cujus, non autem per reservatarii mortem vacatio sine dubio sequi dicitur; Ponderando etiam neque aliquam vacationem deduci posse ex non exhibitione tituli infra terminum, ut supra præfixum, stante quod non constabat ad titularis, vel reservatarii notitiam hujusmodi præceptum devenisse.

Verum

Verum concessa adversus dictam decisionem nova audientia, & reassumpta disputatione, *sub die* 14. *Februarii* 1661. recedendo a decisis, contrarium pro Theophilo noviter proviso resolutum fuit, ex eo fundamento, quod vacatio per Papam præsupposita, & decreta fuerit, non per mortem Vaji, solum incidenter enunciatam, sed per non exhibitionem tituli, itaut mors prædicta fuit occasio excitativa, ob quam ad Papæ notitiam vocatio devenerit. Et ad primæ decisionis fundamentum non habitæ notitiæ dicti præcepti, respondetur, eam satis præsumptive, ac verisimiliter deduci ex chirographi prædicti affixione in Aula Secretarii, seu Scribæ Populi, ubi omnibus patebat aditus, præsertim huic Officiali, qui erat ejusdem Populi Computista, seu ratiocinator, in Capitolio, & in d. Scribæ Aula pro sui muneris exercitio frequentare debens.

Negativam vero exhibitionis tituli, dixit Rota probari ex attestatione ejus, qui tunc erat Fiscalis Capitolinus,
2 penes quem, titulorum exhibitionem fieri debere idem chirographum disponit, & qua exhibitione non sequuta, infertur ad privationem, seu vacationis decretum, recte processum esse, quia possessores officiorum aliorumque Regalium, quæ sine Principis concessione possideri non possunt, ab eodem Principe cogi valent ad docendum de titulo, alias ad officia, & Jura dimittendum, absque eo quod sola possessio suffragetur, ex originali d. Lucæ de Penna, *in l. quicumque, num.* 2. *Cod. de feudis limitrophis, l.* 11. cum quo transeunt Afflict. *in cap.* 1. §. *illud numer.* 32. *de prohibita feudi alienat.* Roland. *cons.* 89. *numer.* 24. *lib.* 2. *decis.* 335. *num.* 3. apud Posthium *de manutent. quæ est repetita, decis.* 352. *part.* 11. *recent. cum aliis in decisione.*

Adversus hanc secundam decisionem, concessam etiam juxta stylum audientiæ prædicti Joannis interim defuncti filii, & dato dubio, *an in primo, vel in secundo loco decisis standum esset*, in statu ad causæ defensionem per dictos de Vajis assumptus, in disputatione desuper habita, *de mense Maji* 1664. (cum sensu etiam veritatis) dicebam parum probabilem videri hanc ultimam resolutionem, ideoque standum esse in primo loco decisis, ubi etiam, juxta ejusdem decisionis desuper editæ sensum, procedendum esset cum præsupposito, quod Papa vocationem narraverit, & decreverit, non per obitum Vaji, sed ex dicta alia causa, quod scil. nec per Stephanum reservatarium, nec per Vajum primum hæredem, nec per Franciscum Titularem, infra sex menses ad chirographi præscriptum facta esset tituli exhibitio.

Ad quod probandum, duas constituebam inspectiones; unam facti, an scil. constaret de hujusmodi exhibitionis negativa per Papam præsupposita, alteram vero Juris, an ea etiam probata, resultasset officii vacatio, cum unius, vel alterius puncti insubsistentia pro vacationis exclusione sufficere.

3 Quatenus igitur pertinet ad primam, cum negativa prędicta esset fundamentum vacationis, indubitatum de jure dicebam, illam probandam esse ab eo, cujus fundamentum in ipso consistebat, ex deductis per Gabr. *de probationib. conclus.* 9. Gregor. & adden. *dec.* 13. 210. 242. *&* 262 Buratt. & adden. *dec.* 10. *& omnes passim*, quæ probatio non aderat, licet enim Theophilus doceret de productione 18. titulorum per alios officiales facta, hæc tamen species probationis nullatenus concludebat, cum officia essent in totum 150. & non constaret alios titulos exhibitos, registratos,
4 seu in aliquam scripturam redactos esse, itaut exhibitio tituli perneccesse continere deberet in tali registro, seu scriptura, cujus revolutio negativam probaret, ut ad hunc effectum requiritur ex theor. Bald. *in finali num.* 7. *Cod. de rebus creditis cum concord.* per Buratt. *dec.* 10. *n.* 6.

Minus eamdem negativam probatam dicebam per illam
5 fiscalis attestationem, in qua secunda decisio totum fundamentum constituit, ex eo quod officiali de re ejus officium concernente deferendum sit, ex deductis per DD. *in c. post cessionem de probationibus*, Coccin. *dec.* 88. *num.* 2. *&* 404. *n.* 4. Gregor. *dec.* 426. *n.* 5. *& alibi frequenter*.

Id enim procedit cum duplici temperamento, primo nempe quod officialis perseveret in officio, itaut attestetur tanquam officiales, & secundo, quod de re ad ejus officium spectante, in quibus terminis allegati, & cæteri loquuntur, quorum utrumque in proposito cessabat, quia attestans non erat amplius in officio, sed in statu privato, ideoque faciebat solum figuram simplicis testis, cui unico, non jurato, nec formiter examinato, sed cum privata extrajudiciali attestatione deponenti, nulla fides de jure præstanda erat, ut in specialibus, ac majoribus terminis cujusdam, qui fuerat Datarius, deponentis de re spectante ad ejus factum, & officium post illud dimissum, Buratt. *decis.* 835. *n.* 4. & admittitur per Rot. *decis.* 5. *par.* 10. *recent.* 9. *& seqq.* ubi bene distinguitur inter voluntariam attestationem, quæ parte petente fiat, & alteram, quæ fiat Judici ex officio pro ejus informatione interroganti, ut primo casu tanquam simplex privata attestatio nullum constituat probationis gradum, secundo autem resideat in Judicis arbitrio illi deferre, prout exigit attestantis qualitas, quæ ubi agitur de exercente officium satis insigne, ut est illud Datarii, supponenda est conspicua, cujus contrarium dicendum erat in hoc non adeo qualificato officio Fiscalis Capitolini comparative ad dictum munus Datarii, dum præsertim versabantur in prima parte distinctionis.

Et nihilominus, etiam hujusmodi attestationi plene de-
ferendum esset, adhuc tamen dicebam, illam nihil con- 6
cludere ad effectum de quo erat quæstio, attestabatur enim notificasse Stephano chirographum, illumque nec infra sex menses; nec postea curasse tituli exhibitionem facere, sed hoc nil concludebat, quia dum exhibitio fieri potuit per titularem, cui magis quam reservatario congruit privilegium exhibere, & Papa loquitur alternative, de titulati; vel reservatario, nil concludit esse denunciatum uni, qui non exhibuit, ad negativam exhibitionis, quæ ab alio fieri potuit, ut in proximis terminis publicationis faciendæ, a resignante, vel a resignatario, Gregor. *decis.* 210. *cum similibus*, unde intrat receptum axioma, sola contraria possibilitas, præsertim in negativis tollit probationem concludentem.

Et quidem cum dictus Fiscalis, cui per chirographum demandabatur titulorum exhibitionem faciendam esse,
registrum non fecisset, ex cujus inspectione devenire pos- 7
set ex intervallo ad notitiam, quinam tituli exhibiti essent, necne, omnino improbabile erat, ut post decennium, dimissoque jam officio, quando sua nil interetat bene menti retinere, posset pro certo id affirmare in 150. officiis, quoniam tituli partim producti erant, & partim non, ut ad rem bene ratiocinatur, Alexander *cons.* 215. *num.* 5. *lib.* 2.

Clarius urgentibus pluribus adminiculis factam exhibitionem suadentibus, ex quibus indubitatum videbatur, obscuram reddi negativæ probationem, quod in proposito sufficiebat; Primum enim adminiculum resultabat ex primordio veritatis, quia vere, & realiter aderat titulus habitus ex causa onerosa, Alterum ex brevitate temporis; cum illud emptum fuisset pro notabili pretio scut. 2. mill. de anno 1646. triennio antea, itaut videretur species notorii apud fiscalem, & alios officiales; Tertium ex qualitate Stephani reservatarii viri doctissimi, & ex primariis Curiæ Prælatis, quem omnino improbabile videbatur negligere voluisse adimplere rem adeo facilem, & promptam; Quoniam satis urgens deducebam ex continuata solutionem fructuum, seu emolumentorum per annum, & menses post elapsum terminum semestris in chirographo præfinitum, Cum enim in eo mandaretur fructus per dictos sex menses tantum solvi, ad effectum, ut non exhibentibus titulos, denegaretur solutio, atque ita, vel urgerentur ad exhibendum, vel de facto privationem sentirent, nihilominus ejusdem officii emolumentorum solutio pacifice continuata fuit, cum scientia & consensu ejusdem fiscalis, qui tunc, quando memoria erat recens, recte sciebat, qui tituli exhibiti essent, & qui non.

Et quintum demum fortissimum, quia subsequuta morte Stephani, non potuisset Vajus hæres admitti ad participationem dictorum fructuum, seu emolumentorum, nisi bene legitimata ejus persona, ejusque reservationis titulo justificato, unde propterea istam circumstantiam solam importare dicebam clarum implementum chirographi; Atque ex his duobus ultimis adminiculis clarius observabam omnino ademptam remanere eam fidem, quam alias dicta attestatio fiscalis mereri potuisset, dum ita detegebat ejus turpitudinem, ac se declarabat in officio delinquentem, mandando solutionem emolumentorum tam reservatario viventi, quam successive ejus hæredi contra formam chirographi, si exhibitio facta non fuisset, quod omnino videbatur inverisimile ideoque in isto homine, quem hujusmodi circumstantiæ ita defectivum ostendebant, potius attendendus erat effectus magis verisimilis minusque criminosus resultans a lapsu memoriæ, ob quem dictam attestationem facere potuit, quam aliæ causæ per principalem interessatum suspicatæ.

Hinc

Hinc superfluas dicebam disputationes, in quibus principaliter insistebant utriusque partis defensores, super puncto scientiæ, an scil. illa probaretur, necne, & num ad effectum privationis, & pœnæ, sufficeret præsumpta, vel requireretur vera, super quo articulo, quasi quod in eo tota causa resideret, inani labore chartæ implebantur, quia pro meo judicio punctus non erat, ut probaretur scientia chirographi, necne; sed erat, an constaret de negativa exhibitionis, quæ erat fundamentum vacationis.

8 Quo vero ad alteram inspectionem, an scil. posita etiam certa probatione tam scientiæ chirographi, quam non exhibitionis prædictæ, resultaret officii vacatio, pariter dicebam omnino certam videri negativam; Licet enim regulariter vera videretur contrariæ decisionis propositio (suas tamen habens declarationes ad rem non facientes) quod scil. in hujusmodi officiis, aliisque juribus Regalibus, quæ sine titulo a Principe habito per privatum possideri non possunt, non sufficiat sola possessio, ideoque possessores cogi possint, vel ad legitimos titulos ostendendum, vel dimittendum ex supra allegatis, cum aliis per Rovit. *super pragm. t. de jurisd. invicem non turban. n. 29. & seqq.*

Nihilominus id recte procedit, ad effectum, ut titulo destitutus, non possit ex sola possessione in officio se confovere, ita ut privato non resultet ex sola contumacia, seu negligentia in non exhibendo titulum, quæ vere habet in tempore præfinito, sed ex ejusdem tituli carentia, ut bene probari observabam ex eod. Luca de Penna, *nu. 2. vers. sic etiam*, ubi dicit, quod si quis spolietur beneficio ecclesiastico, & petat restitui, non est restituendus, nisi probet, quod auctoritate Superioris habuerit installationem; Ergo Lucas admittit, quod etiam si post privationem de titulo doceat, restituendus est, quia privatio resultat ex deficiente substantia tituli non ex accidentali contumacia exhibitionis in tempore; Et clarius, quia chirographum prædictum adversus non exhibentes nullam adjiciebat, vel cominabatur pœnam, sed solum quod elapso termino præfinito, ad opportunas provisiones procederetur.

Pœna enim privationis officii, præsertim emptitii, &
9 titulo oneroso habiti, numquam inducenda est, nisi ubi expresse dicatur, ut bene in specialibus terminis officiorum, Rot. *dec. 796. n. 1. p. 1. divers.* Quinimo ubi etiam illa adjiceretur, adhuc intelligenda veniret de privatione quoad exercitium, & emolumenta, non autem quoad proprietatem; non enim de facili admittenda est privatio hujusmodi officiorum emptitiorum, quorum privatio contineret potius violationem contractus, & justitiæ commutativæ,
10 quam denegationem gratiæ, seu justitiæ distributivæ, quæ in officiis gratuitis considerantur, ut bene, *d. decis. 769. n. 11. & seq. & dec. 812. n. 19. & seq. ead. p. 1. divers.* quæ reputari solent in materia magistrales, & habetur apud Farinac. *cons. 5. n. 39. & seq. & nu. 49. seq.* Rovit. *cons.* 104. *& 105. lib. 2.* Merl. *lib. 2. controv.* 30. Capyc. Latr. *consult. 53. n. 36. & seqq. & consult. 34. n. 48.* Apont. *decis. 7. n. 12. & dec. 16. per tot.* apud quos controversia est, quoties agitur de privationis pœna resultante ex delicto, & mala administratione in officio.

Quidquid enim sit de veritate assumpti in eo casu, id indubitate recipiendum videtur in præsenti, in quo, admissa etiam probatione scientiæ, & negativæ, ut supra, agebatur de simplici negligentia, seu mora, quæ vel remissa videbatur per subsequutas emolumentorum solutiones; quasi quod in hoc titulo tamquam de recenti habito, & noto, non procederet ratio tollendi usurpationes, seu intrusiones, ob quam dicta exhibitio demandata erat, vel quod admitti debuerit moræ purgatio. Et clarius, quia ejusdem chirographi tenor ostendebat, mentem doctissimi Pontificis fuisse, dictæ juris dispositioni conformem, mulctandi solum non exhibentes eum pœna denegationis fructuum, & emolumentorum, dum hæc pro solo termino præfinito, & non ultra in eodem chirographo solvi præcepit. Proposita causa, ut supra non fuit capta resolutio, ex eo quod Theophylus agnitis difficultatibus petiis dilationem de stylo Tribunalis facile concedi solitam. Reproposita vero causa post diuturnum silentium sub die 7. Maji 1668. coram Bevilaqua in locum Verospii interim defuncti subrogato prodiit resolutio juxta præmissa, recedendo scilicet ab ultimo loco, ac persistendo in primo loco decisis, & quidem juste, ac satis probabiliter.

ROMANA PORTIONIS RIPÆ PRO VALENTE CUM GENTILE

Casus disputatus coram Datario, & resolutus pro Valente.

Si reperiantur duæ personæ ejusdem nominis, atque adjectum quod uni congruit, explicatum sit in altera, in qua istarum personarum dicatur residere officium, ad effectum vacationis, vel potius actus ratione incertitudinis remaneat invalidus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Incertitudo personæ potest certificari ex adminiculis, & inditiis.*
3 *Resignatio ad favorem certæ personæ non abdicatur a resignatione, nisi illa effectuetur in resignatario, quod declaratur, n. 7.*
4 *De incredulitate personæ vitiante actum.*
5 *Quando procedat conclusio, de qua n. 2.*
6 *In feudis, vel officiis non attenditur simulatio.*
8 *Declaratio etiam ex intervallo fieri potest.*
9 *Datarius est organum Papæ, & quando ejus declarationi standum sit.*

D I S C. XV.

Jacobus Gentilis — Flaminia Uxor,

Joannes Baptista

Joannes Stephanus — Flaminia.

Cum Jacobus Gentilis Jannensis emisset in faciem Joannis Stephani, ejus ex Joanne Baptista filio nepotis officium portionis Ripæ cum reservatione decreti super ejus libera dispositione, sequuta ejusdem Jacobi morte, executores testamentarii (qui in ea Civitate fideicommissarii vocantur) facultatem opportunam a testatore habentes, procuratorem constituerunt ad transmutandum vitæ periculum, dictumque officium transferendum a persona dicti Joannis Stephani, (de cujus valetudine forsan timebatur) in illam Flaminiæ ejusdem Jacobi ex eodem Joan. Baptista nepris; Unde procurator sub nomine Joannis Stephani de anno 1632. concessum in forma consueta præstitit ad favorem Flaminiæ, pro qua signata fuit supplicatio, in qua loco dicendi *Flaminiam natam Joannis Baptistæ*, dictum fuit *Flaminiam natam Jacobi*, sub quo nomine *Flaminiæ Jacobi*, facta fuit descriptio in rotulo officialium, dictique officii emolumenta exacta fuerunt usque ad annum 1638. de quo tempore, denunciato Datariæ officialibus obitu Flaminiæ senioris d. Jacobi uxoris, alterius Flaminiæ junioris aviæ, cessatum fuit a solutione emolumentorum usque ad annum 1646. quando Datarius, post plures disputationes, decrevit officium prædictum vacasse usque a dicto anno 1638. per obitum præfatæ Flaminiæ senioris, & in cujus decreti executionem, de eodem anno Dataria officium alteri vendidit; Atque Philippus de Valentibus appellator fructuum, & emolumentorum officiorum vacantium, ejusdem officii fructus, seu emolumenta hoc medio tempore decursa exigit; quibus ita peractis post annos fere quindecim, comparuit hæres dicti Jacobi reservatarii, & prætendens officium non vacasse per mortem Flaminiæ senioris, sed vel resedisse in persona Flaminiæ junioris, vel habendo dictam mutationem pro infecta perseverasse in persona d. Joannis Stephani adhuc viventis, judicium instituit cor. Datario, tam contra Datariam pro integratione officii, vel pretii cum fructibus ab an. 1646. citra, quam contra Valentem pro restitutione fructuum, ut supra decursorum ab anno 1638. ad 1646.

Et Pro actore scribentes dicebant, quod licet ob duplicitatem personarum ejusdem nominis, quarum neutræ adjectum in supplicatione contentum conveniebat, quia Flaminia senior dici non poterat *nata Jacobi*, cujus uxor relicta erat, non autem filia, minusque Flaminia junior, quæ Joannis Baptistæ non autem Jacobi nata erat; incertitudo exinde resultaret juxta terminos,

nes, text. *in l. duo sunt Titii, ff. de testam. tut. leg. si ita, ff. de reb. dub. cum concord.* Nihilominus ex adminiculis, & conjecturis, ac facti circumstantiis, recte ad certitudinem personæ deveniri potest, etiam ad effectum vacationis, vel alios in hujusmodi vacabilibus deduci solitos, juxta punctualem *decis.* 245. *p.* 5. *recent.* ubi de societate officii contracta super periculo personæ habentis idem nomen, & cognomen, quibus alter etiam utebatur: Et generaliter de certificatione personæ alias incertæ ob nominis duplicitatem hæredis institutæ ex conjecturis habetur, *decis.* 310. *&* 350. *p.* 10. *& rec. & est actum in Urbevetana, seu Orbetelli testamenti, sub tit. de testam.*

Conjecturæ autem, ac circumstantiæ plures deducebantur, prima nempe ex mandato procuræ facto per dictos fideicommissarios cantante pro translatione officii in personam *Flaminiæ natæ Joannis Baptistæ qu. Jacobi*, quod conveniebat juniori non autem seniori; Secundo, quia verbum *natæ Jacobi*, nullatenus convenire poterat Familiæ seniori, recte autem juniori, quæ legaliter dici etiam poterat nata Jacobi avi, a quo mediate nascebatur, cum verbum *nasci*, non incongruat etiam mediati, ut sæpius habetur formiter actum, *sub tit. de fideic.* præsertim in Firmana primogenituræ, & in Bonon. fideic. de Barberiis; Et tertio ratione maximæ inverisimilitudinis, cum prorsus inverisimile esset, ut officium cantans in persona Joannis Stephani adolescentis, ab isto removeri debuerit, ut transferretur in mulierem senem morti proximam, accedente quoque observantia circa plura consimilia officia ad eamdem d. Jacobi hæreditatem pertinentia.

3 Et in omne eventum, quando ratione incertitudinis personæ, d. nova collatio officii sub nomine Flaminiæ dicenda esset invalida, juxta not. *in l. duo sunt Titii*, ita proinde officium perseverabat in persona Joannis Stephani jam viventis, cum hic resignationem fecerit ad favorem certæ personæ, cujus resignationis utpote conditionalis natura est, ut jus non auferat a resignante, neque effectuata dicatur, nisi officium, vel beneficium cadat in persona resignatarii, ex deductis per Buratt. & adden. *decis.* 136. *n.* 36. & per beneficialistas passim, cum sit propositio in materia beneficiali plana, & recepta.

Pro valente autem scribens, quamvis more Advocati, plura deducerem circa rem judicatam resultantem ex decreto Datarii prolato, & exequuto usque ab anno 1646. impediente proinde, ne idem tribunal de hoc cognoscere possit, ac etiam deducerem motivum usucapionis triennalis, cujus beneficio tertius possessor bonæ fidei tutus redditur, ad text. *in §. 1. Instit. de usucapion.* præsertim, dum quæstio erat de fructibus non extantibus, sed jam consumptis, quorum respectu, regula est, tertium bonæ fidei possessorem excusari, quinimo neque bonam fidem positivam necessariam esse, sed sufficere abesse malam, ex deductis per Gregor. & Adden. *decis.* 74 Buratt. & Adden. *dec.* 184. *& passim.*

Nihilominus, his etiam circumscriptis, quæ ex facti circumstantiis parum tuta fundamenta videbantur, cum sensu etiam veritatis, credebam actori competere forte actionem contra Datariam ad dicti officii per eam venditi pretium, defalcatis fructibus ab eodem actore, vel ejus auctoribus præreptis ab anno 1632. quo Joannes Stephanus resignationem fecit usque ad 1638. Sed contra Valentem legitimo titulo percipientem fructus officiorum vacantium, omnino injustam, maleque fundatam esse prætensionem, cum attenta etiam lectura ipsius actoris, quam probabilem reputabam, ut de Familia seniore nullatenus partium intentio
4 fuerit intelligenda. Exinde resultet quod ob non certam, & bene explicatam personam Flaminiæ junioris, de qua intelligere voluerunt, officium vere fuerit in statu vocationis ab ipsa die, quo resignatio Joannis Stephani admissa, & perfecta fuit; stante invaliditate novæ collationis in persona incerta, juxta terminos text. *in d. l. duo sunt Titii ff. de testament. tutela, & l. si ita ff. de reb. dub.*

5 Nil refragantibus supra insinuatis, quæ ex parte actoris deducebantur ex *d. decis.* 245. *part.* 4. *rec.* firmante, ut ex conjecturis, & circumstantiis haberi possit certitudo illius personæ, quæ alias videtur, id admitti posse in rebus, ac replicatio vere solida videbatur, id admitti posse in rebus indifferentibus & in actibus a sola contrahentium voluntate regulandis, non autem in hujusmodi Regalibus, in quibus principaliter spectanda est, ac totum facit voluntas Principis, a cujus facto totum pendet, ut in proposito habemus in feudis, in quibus non procedit titulus *plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur*, sed ille dicitur feudatarius, quem Principis investivit, & sub cujus nomine Investitura cantat, quamvis illius persona simulate adjecta esset, ac vere feudum de aliena pecunia ad istius domini commodum, & utilitatem quæsitum esset, quia non curantur gesta inter partes, & quid ipsæ voluerint, sed solum spectatur, quid egerit, & voluerit Princeps, cujus assensus, seu voluntatis hujusmodi actus animat, & informat, Apont. *consil.* 45. *nu.* 14. *cum seqq. lib.* 2. Merlin. *l.* 2. *controv.* 67. *nu.* 17. Capyc. Latr. *decis.* 168. *n.* 45. *cum seqq.* de Marin. *resol.* 38. *lib.* 2. & dixit etiam Rota in Rossanen. Decimarum coram Bichio *impress.* post Marin. *d. resol.* 38. *& dec.* 100. *p.* 9. *rec.*

In proposito, cum feuda, & officia simbolizent, spectanda non est persona, de qua ipsæ partes sentire voluerint, 6
sed illa, de qua sensit Papa officii Collator, unde cum ipse senserit *de Flaminia Jacobi*. Idcirco, vel in ea dicendum est officium fuisse substantiatum, proindeque per ejus obitum sibi ipsis imputando partes, cur unam personam loco alterius male expresserint, vel saltem, ita Papam fuisse incertum, & consequenter collationem remanere invalidam, quod idem improbabat ad effectum controversum, quamvis respectu Datariæ, satis interesset, ut supra.

Agnoscentes actoris defensores difficultatem, dicebant, stante hujusmodi nullitate ratione incertitudinis resultante, officium continuasse in persona Joannis Stephani resignantis adhuc viventis, a quo ita numquam abdicatum erat ex dicta regula apud Beneficialistas recepta, ut resignatio ad favorem certæ personæ habeatur pro infecta, neque tollat Jus resignantis, nisi resignatio suum plenum fortiatur effectum in 7
persona, ad cujus favorem facta est, ex ea clara ratione, quod dicitur conditionalis, effectum proinde non sortituta, nisi conditione impleta, sed facilis fuit responsio, conclusionem scil. regulariter veram, recte procedere, quando ineffectuatio provenit a facto, & voluntate Superioris nolentis admittere resignationem, seu ab alio casu non culposo, per quem ineffectuatio impediatur; secus autem, ubi resignatio per Superiorem admissa fuit, sed infectio resultat ex facto, & culpa ipsarum partium, vel unius ipsarum, quia tunc conditio suspensiva resignationi adjecta, dicitur jam impleta, quamvis deinde actus ex alio casu cesset, ex deductis per Adden. ad Buratt. *decis.* 136. *nu.* 36. *&* 37. latius in dicta sua sede *de benef.* ac etiam; *sub tit. de pension.* Et hic erat casus, quoniam Papa resignationem admisit, & officium contulit, cum subsequuta etiam effectu perceptionis emolumentorum personæ ab ipso resignante explicatæ, unde si hæc erat incerta, per ipsum erronee significata, id non impedit resignationis perfectionem, nam alias de facili, studiose hujusmodi errores committi possent, ad evitandum vacationis periculum, quatenus contingeret resignatarium resignanti prædecedere.

Et quamvis meæ non essent partes jura Datariæ tuendi 8
pro ipsa nihilominus ponderabam, ad effectum vacationis officii per mortem d. Flaminiæ senioris, quod cum ex præmissis, voluntas Papæ totum faciat, idcirco, quamvis probabilius esset, partes sensisse de Flaminia juniore, ex errore tamen narratum esset illud adjectum, quod seniori conveniebat. Nihilominus si constat de voluntate Papæ, quod de ista senserit, cessat omnis disputatio, & hoc voluntas etiam ex post facto declarari potest, quia non est dispositio, sed apertio veritatis ex intervallo, etiam admissa in eo qui contrarium disponere non posset, ex deductis per Cyriac. *controvers.* 295. *n.* 30. *cum seqq.* Ouhobon. *dec.* 119. *num.* 8. *&* 195. *n.* 58. Unde cum de anno 1645. Datarius declaraverit officium resedisse in personis Flaminiæ senioris, proindeque per ejus obitum vacasse, ita dicitur declarata voluntas Papæ, cujus Datarius dicitur organum aptum ad talem voluntatem declarandam, & probandam, præsertim dum est in officio, cum difficultas cadat post illud cessatum, Buratt. *decis.* 883. *num.* 10. Rot. *decis.* 115. *part.* 10. *rec.* & in aliis; Sed quicquid esset de his, respectu Jurium actoris cum Dataria, claram tamen etiam cum sensu veritatis, dicebam actoris prætensionem non subsistere contra reum conventum, pro quo resolutio prodiit.

RO-

ROMANA PECUNIARIA, SEU OFFICII, PRO CAMASSEO, CUM CHRISPOLTO SOPHIO.

Casus disputatus coram Aud. Cam. & sopitus per concordiam.

Officia Romanæ Curiæ, an & quando possint vendi, vel in contractum deduci absque Beneplacito Apostolico, cum distinctione inter substantiam officii, ejusque fructus, & utilitatem: Et de eorumdem officiorum periculo, & variatione per obitum Officialis, an damno emptoris, vel venditoris: Et data facultate disdicendi emptionem ac ab ea recedendi, quando disdicta dicatur bene facta pro periculo evitando.

S U M M A R I U M

1 Facti series.
2 Quando terminus dicatur stare pro dilatione, vel causa terminandi.
3 Officia an sint in commercio, & vendi possint absque Beneplacito Apostolico, datur distinctio.
4 De disdicta vel declaratione animi recedendi a contractu, quando bene facta sit.

D I S C. XVI.

1 JOseph Camasseus possessor cujusdam officii venalis Ripæ, illud sub die 25. Novembris anni 1662. pure, & libere vendidit Chrispolto Sophio, cum fructibus a Kalendis dicti mensis jam currere cœptis, pro certo pretio convento, & soluto, cum verbis, & clausulis, perfectam venditionem, ac traditionem, seu translationem in forma consueta importantibus; Quibus ita peractis, in eodem instrumento per novum capitulum seu periodum, venditor promisit infra annum consentire ejusdem officii translationi in aliam personam emptori bene visam, ac Beneplacitum Apostolicum desuper necessarium obtinere, ita tamen cum elapso anno, & dicta translatione non facta, esset in arbitrio emptoris, vel continuare periculum vitæ in persona venditoris, vel recedere a contractu, pretiumque solutum repetere.

Nulla sequuta fuit infra annum translatio officii, quod semper continuavit in persona venditoris, atque in fine anni Chrispoltus per quosdam actus, & denunciationes extrajudiciales, per seipsum venditori factas, patefecit voluntatem recedendi a contractu, ac rehabendi pretium in alios ejus usus convertendum, hoc autem non obstante continuavit in exactione fructuum, seu emolumentorum ad totum mensem Januarii, & sic ultra jam completum annum, cum de mense Februarii Joseph venditor graviter ægrotaret, Chrispoltus sub die 16. ejusdem, fecit distinctam formulam, domi dimissa copia ad januam, seu in manibus domesticorum exequutam, & in actis reproductam, ad duos vero, vel tres dies subsequentes Josephus obiit, qua morte sequuta, dictoque officio exinde vacato, Chrispoltus pulsare cœpit filios, & hæredes d. Josephi ad restitutionem pretii.

Et introducta causa cor. A. C. actor dicebat habere intentionem fundatam in conventione, ut elapso anno, esset in ejus arbitrio, vel continuare, vel recedere, unde cum ipse arbitrium exercendo, declaraverit nolle amplius continuare tam cum benevolis extrajudicialibus declarationibus, quam cum formali interpellatione, ac disdicta judiciali, adcirco ex tunc contractus habendus erat pro resoluto, ac factus locus repetitioni pretii, procedendo cum terminis generalibus emptionis, & venditionis cum pacto de retrovendendo; Et econverso alii defensores reorum dicebant, quod cum elapso anno emptor continuaverit in contractu, percipiendo fructus per duos, vel tres menses, ita videbatur immutata voluntas recedendi a contractu, quem ita firmatum, non poterat amplius impugnare.

Judex autem, neutri complacendo, motivabat de nullitate actus ex defectu beneplaciti Apostolici, sine quo hæc officia, utpote de Regalibus, in commercio esse non possunt, neque in contractum emptionis, & venditionis deduci; Et hoc stante inferebat, periculum vacationis cessisse damno venditoris tamquam Domini cum periculum sit sequela dominii, cujus etiam sequela sunt fructus post contractum decursi, ad eumdem venditorem spectantes, proindeque sua opinio erat, condemnandi reos ad restitutionem pretii, deducta rata, quam importabant fructus ab emptore percepti in sortem imputandi, cum absque vacationis periculo non potuerit fructus percipere, ac suos facere.

Ego vero scribens pro reis conventis, non laudabam motivum aliorum hujus partis defensorum, quoniam termi- 2 nus anni adjectus, non erat causa terminandæ facultatis eligendi continuationem, vel dissolutionem contractus, sed potius causa differendi hujusmodi facultatem, non antea exercibilem; unde si eo elapso, per brevem continuationem præclusa esset via exercendi tale arbitrium, seu facultatem, sequeretur ad id gerendum aliud tempus datum non fuisse, nisi momentaneum, quod utique esset absurdum, verisimili contrahentium voluntati contrarium, ut in specie ponderatur per Rot. *dec.* 234. *p.* 5. *rec. n.* 8. *& seqq.* & habetur etiam latius actum in materia juris redimendi infra certum terminum in Romana, seu Januen. juris redimendi pro Catancis cum Costa, *sub tit. de empt. & vendit.* Ideoque dicebam, terminum anni stare pro dilatione, seu necessitate, intra quem, uterque, vel eorum alter, licet invitus stare cogeretur contractui; exinde vero, remanere in facultate quandocumque pro arbitrio exercibili ab eo recedendi, adinstar Societatis officii solitæ contrahi ad annum, vel sex menses, & exinde ad beneplacitum, quia pro primo tempore est necessaria, exinde autem voluntaria, & licet tacite prorogabilis seu renovata per perceptionem fructuum, attamen id procedit pro solo tempore fructuum solutioni proportionato, ut in sua materia, *sub tit. de Societ. officior.* præsertim in Rom. Societatis officii pro Cesarino.

Quo vero ad motivum Judicis, credendo primo aspectu indefinite recipiendam esse conclusionem (in suo casu verissimam,) ut hæc officia, utpote de Regalibus, non sint in commercio absque Principis placito, putabam exinde ad excludendum delictum usuræ, alias ex perceptione fructuum sine periculo in datore pecuniæ resultans, istum contractum resolvi in quamdam Societatem officii, per quam pecuniæ dator, licite percipit fructus, quia periculo subjacet, proindeque credebam causæ difficultatem restringi ad punctum, an bene, vel male facta esset disdicta, juxta terminos Societatis officii.

Attentius autem deinde casum considerando agnovi, neque Judicem, neque me bene dicere, quia versabamur in puris terminis contractus emptionis, & venditionis de jure validi, & liciti, itaut non concurrente legitima disdicta, seu interpellatione, super ejusdem contractus resolutione, periculum juxta naturam perfectæ emptionis, esse deberet emptoris, *ad notos terminos tot. tit. ff. & C. de peric. & commodo rei vendite*, neque defectum Beneplaciti Apostolici in aliquo præmissis refragari.

In hac etenim officiorum vacabilium contractatione, quicquid antiquitus dubitatum sit, illa videtur vera, & recepta distinctio, quod aut agitur de translatione ipsius officii ejusque substantiæ, seu tituli de una persona ad aliam, 3 ad effectum mutationis periculi vacationis per mortem naturalem, vel civilem, & tunc omnino sit necessarium Beneplacitum Apostolicum, seu assensus illius, ad quem spectat officia conferre, & ad quem solum spectat unum officialem absolvere, & alium creare, ac etiam agnoscere suos officiales, & personas, per quarum mortem naturalem, vel civilem officiorum vacatio sequi debeat, neque privatorum conventio ad hunc effectum est alicujus operationis; Idemque dicendum est ad acquirendam super eodem officio hypothecam, vel aliud jus reale, unde propterea receptum est, creditores habentes assensum super officii hypotheca, seu decreti reservationem, quæ stat loco dicti assensus, vincere creditores absque assensu, utpote solam personalem respectu officii habentes, ut *disc.* 4. *&* 10. *& pluries*.

Aut vero agitur de alienatione juris percipiendi officii emolumenta, considerati non tamquam Jus percutiens substantiam officii, sed tamquam commoditas, seu nudum factum perceptionis emolumentorum, & tunc dicuntur in commercio, & contractione absque aliquo assensu, cum substantia officii resideat in persona officialis venditoris, per cujus obitum, vel delictum vacat, periculo emptoris, qui venditoris vitam emisse dicitur eo modo, quo emitur commoditas pensionum Ecclesiarum, ut bene ita distinguendo firmatur in Romana officii Scriptoriæ 1. Aprilis 1588. coram Pamphilio, quæ reputari solet in materia Magistralis, sæpe canonizata, præsertim in Tudertina officii Cancellariæ 19. Januarii 1598. coram Lancell. apud Seraph. *decis.*

decis. 389. *n.* 6. *&* 7. Millin. *dec.* 251. *n.* 9. *&* 10. *disc.* 116. *n.* 14. *&* 15. *p.* 4. *rec. rom.* 2. in quibus primis decisionibus cor. Pamphilio, & Lanrelloto, bene quoque firmatur, in dubio, non constito de contraria voluntate, hoc jus censeri in contractum deductum, quia præsumptio est, partes fecisse id quod licite facere poterant, & ut actus sit validus, non autem inutilis, & illicitus.

Fortius id procedere dicebam in præsenti, dum ultra dictam præsumptionem, concurrebat clara voluntas ita contrahendi, quia emptor voluit esse dominus emolumentorum, etiam per multos dies ante contractum, ac ulterius voluit esse in ejus libito continuare infra annum, & postea, periculum super vita venditoris, vel illud transmutare, transferendo cum Papæ licentia officium in aliam personam; Et his stantibus difficultas tota restringebatur ad punctum disdictæ, seu validæ declarationis, decedendi a contractu, ac utendi conventa facultate, ut supra.

Duo autem hujus disdictæ, seu declarationis, animi actus per auctorem deducebantur, unus extrajudicialis pro-
4 batus per testes, decentes emptorem dixisse venditori, ut sibi restitueret pecunias ad alios usus convertendas, quia non intendebat in contractu perseverare, data sibi intentione per venditorem eas restituendi; Alter vero judicialis, continens formalem disdictam, ut supra intimatam & reproductam.

De primo actu nullam dicebam habendam esse rationem, tum quia ad evitandas fraudes usurarum, & ne dator pecuniæ ita magnos fructus absque periculo percipere satagat, disdicta debet esse hinc inde certa, & invariabilis, ut ex reformatione Pauli V. habemus in materia Societatum officii, ex deductis in Rom. Societatis Officii 2. Maji 1659. coram Meltio, & habetur actum in eadem causa pro Cæsare Columna in sua materia *sub tit. de Societ. offic.*

Tum etiam, quia si quem habuit emptor animum recedendi a contractu, ille fuit in via, non in termino, & sic simplex velleitas, non deducta ad voluntatem determinatam hinc inde stabilitam; Et clarius, quia si quę adfuisset voluntas deducta ex dictis actibus sequutis de mensibus Novembris, & Decembris, ab ea recessum fuit per actum contrarium facti, prævalentem verbis, cum exactione fructuum, seu emolumentorum pro alio mense subsequuto, ex quo actu dicitur immutata prior voluntas, quia non possunt stare simul, contractum esse dissolutum, ac fructus percipi, ut frequenter in dicta materia societatis officii præsertim in dicta Romana Societatis officii pro Cesarino.

Quo vero ad alium actum judicialis disdictæ, ex duobus dicebam illam non suffragari, primo quia interpellatio non erat personalis, prout requiritur ad effectum inducendi veram, & certam scientiam in altero contrahente, qui certus ita redeatur de dissolutione contractus, licet enim in Societatibus officii contrarium servetur, attamen id procedit stante pacto, ut observat Zacch. *de Societ. offic. n.* 222. *cum seqq.*

Et secundo clarius, quia stante gravi infirmitate, cum imminenti periculo mortis, jam ad duos, vel tres dies subsequutæ, actus dicitur continere fraudem manifestam, ad text. *in cap.* 2. *de renunc. in* 6. ubi Franch. *& cæteri* Pavis. *in resign. lib.* 12. *q.* 6. Gomez. *in regula de viginti*, & in terminis feudalibus, de refutatione, vel subinfeudatione facta in infirmitate Capan. *de jure relevii*, *qu.* 18. 21. *part.* 4. cum aliis Senogallien. Castr. *sub tit. de feud. disc.* 1. Et in terminis mutationis periculi vitæ Societatis offic. in infirmit. *decis.* 145. *num.* 10. *p.* 5. *rec.* Unde propterea in beneficialibus, renuntiationes factæ per 20. dies ante mortem judicantur fraudulentæ per regulam de 20. Et in terminis Societatis officii, reformatio Pauli Quinti præscripsit terminum 15. dierum, & ad quam materiam fraudis in his terminis conferunt deducta in Romana pro Zonghis *hoc titul. ad hanc eamdem materiam officiorum disc.* 6. Unde propterea actor, visis his difficultatibus assumpsit onus probandi disdictam extrajudicialem in tempore congruo factam, quam non negabam ita fieri posse, ut advertit Zacchias *de Societ. offic. num.* 225. *& seqq.* ubi allegantur Salustius, & cæteri, sed deinde causa fuit concordata.

ROMANA OFFICII AGRICULTURÆ

PRO CÆCILIA PAGNA

CUM BENEDICTO FRATRE;

Discursus pro veritate super casu postea deciso per Rotam, ut infra.

Si ex Apostolica provisione officiorum non vacat, sed transmittitur ad hæredes officialis, an transmitti dicatur ipsa officii substantia, vel potius solum pretium, & quatenus istud transmittatur, an pendente illius solutione transmissarius participare debeat de ejusdem officii emolumentis pro rata. Et quod tempus attendi debeat in regulando valore officii.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *De fructibus recompensativis debitis per emptorem officii creditori pretii ex l. curabit.*
3 *An dispositio dict. l. procedat alias, quam ad favorem venditoris, ad favorem scilicet creditoris ipsius venditoris.*
4 *Declaratur conclusio, quod favore d. creditoris non currant fructus recompensativi.*
5 *De fructibus debitis per primogenitum de pretio feudi novi communicando secundogenitis.*
6 *Dominus partis officii non vacabilis, post mortem officialis, an dicatur habere condominium ipsius officii, vel solum pretii, & de effectibus.*
7 *Officium concedi potest duobus insolidum.*
8 *Quando & ad quos effectus officia sint in commercio, & reputentur jure allodialium.*
9 *In officiis, & feudis non attenditur simulatio, neque locum habet titulus plus valere quod agitur, &c.*
10 *Damna, & interesse, seu fructus recompensativi, an debeantur ad rationem fructuum officii vacabilis.*

D I S C. XVII.

OFficium Notariatus agriculturæ, Sixtus V. adempta facultate, alias Consulibus competente conferendi, ap- 1
plicavit Cameræ Apostolicæ, illudque mediante cujusdam summæ solutione contulit, sub decreto, quod si mors officialis contingeret infra proximum triennium, ejus vacatio sequi non deberet, sed pro integro valore ad ejusdem officialis hæredes transmitteretur, ab inde vero citra per mortem, sequi deberet vacatio pro sola medietate, pro alia vero transmitteretur ad hæredes, quibus successor de officio provisus pretium pro hac rata solvere teneretur; Cum autem Benedicti, & Cæciliæ pater aliquam d. officii portionem possideret, atque sequuta ejus vacatione, illud per Papam collatum esset d. Benedicto, post plures annos, in quibus fuit possessor, & emolumenta percipit, ortæ fuerunt inter eosdem Benedictum, & Cæciliam communis parentis hæredes plures controversiæ, super paternæ hæreditatis divisione, compromissæ in arbitros, inter quas per istos decisas, fuit illa super dicti officii fructibus emolumentis, an scil. pro rata non vacata, quæ ad hæreditatem pertinebat, in hoc judicio familiæ erciscundæ venirent dicta emolumenta, necnon officii valor, ut de præsenti, vel potius attento tempore mortis communis parentis, & in omnibus, ad favorem Cæciliæ decisum fuit, venire scil. emolumenta, & attendendum esse valorem de præsenti.

Non acquievit in hac parte laudo Benedictus, prætendens in hæreditate remansisse solum creditum pecuniarum infructiferum pro rata ab Officialis successore assequendum, attento valore de tempore vacationis, emolumenta vero, utpote sequelam dominii, spectare ad ipsum tanquam officii dominum; Et introducta desuper lite cor. A. C. seu Prelato deputato ad laudi executionem, ex parte Cæciliæ, ac etiam arbitrorum, pro veritate de meo judicio requisitus fui, super solo puncto participationis emolumentorum.

Pro laudi justitia censui respondendum, ex duplici fundamento, primo quia ubi etiam, juxta officialis prætensionem, jus hæreditatis consisteret in solo credito pro ra- 2
ta pretii, adhuc tamen ad effectum, de quo erat controversia, id reincidebat in idem; quia cum esset creditum ex causa pretii rei fructiferæ, intraret æquitas text. in *leg. curabit*, *Codic. de action. empti*, cum non debeat emptor eodem tempore habere rem, & pretium. Licet

enim

enim ista æquitas procedat favore domini fructus rei ven-
ditæ, alias percepturi, & quorum fructuum loco subroga-
tæ dicuntur usuræ resultantes ex dicta æquitate, recompen-
3 sativæ proinde nuncupatæ, secus autem favore creditoris
pecuniarii venditoris, per emptorem accollati, ex ea ra-
tione, quod si actus venditionis sequutus non esset, de
ipsius rei venditæ fructibus, quorum loco istæ usuræ sub-
rogatæ sunt, ipse non participasset, ideoque dari non po-
test subrogatum sine principali, ut in his terminis firmatur
apud Millin. *decis.* 378. & *decis.* 258. *num.* 3. *par.* 10. *rec.*
non obstante quod ab hac decisione recessum sit, ut *decis.*
366. *eadem part.* 10. quoniam id fuit ex alio facti funda-
mento, non quod impugnetur dicta conclusio potius ap-
probata, & de qua solum dubitari potest in casu posito
per Leotar. *de usur.* q. 78. *n.* 18. & 19. de quo in præsen-
ti opus non fuit agere.

Attamen hanc difficultatem intrare dicebam in eo, qui
4 esset creditor venditoris ex causa mutui, veri, vel inter-
pretativi, sine quo receptum est non dari usuram, quam
ita creditor ex dicta causa committeret, recipiendo istos
fructus, de quibus utpotè non suis, inspicere non pertinet
ad creditorem, an illi percipiantur per venditorem, vel
per emptorem, & an hic ob retardatam sibi debitæ pecuniæ
solutionem sit in lucro, necnè; quia in materia usuraria
non spectatur utilitas debitoris, sed solum id, quod inter-
est creditoris, Leotar. *de usur.* q. 32. *nu. fin.* *qu.* 78. *num.* 14.
q. 80. *num.* 18. & sæpius in sua materia, *sub titul. de
usur.* Secus autem ubi creditum, nullum sub se continet
mutuum verum, vel interpretativum, sed provenit a con-
dominio rei, ob cujus individuitatem, illud per mortem
officialis pro rata non vacante resolvitur in pretium, ipsius
rei loco subrogatum, quia tunc occultari videtur quidam
actus emptionis & venditionis, quod scil. illa officii rata
non vacabilis, quæ jure dominii per officialem viventem
possidebatur, ob impeditam divisionem ab ipsa subjecta
materia resultantem, censeatur per hæreditatem Officialis
morientis vendita Officiali successori, ita proinde effecto
debitori in pretio rei fructiferæ, ideoque dict. difficultas,
quam à scribentibus pro Benedicto non tactam, ego pro
ratione dubitandi deducebam, non videbatur ad facti spe-
ciem applicabilis.

Ponderabam ad id probandum, simile de pretio feudi
novi acquisiti titulo onceroso in forma individua juris fran-
5 corum, per primogenitum, communicando secundogeni-
tis, juxta ea, quæ habentur sæpius deducta in sua mate-
ria, *sub. titul. de feudis*, præsertim in Parmen. *disc.* 12.
quoniam in locis, in quibus hæc materia est frequens,
receptissimum est, pro dicta rata pretii, deberi secundoge-
nitis interesse recompensativum fructuum feudi, ad eam ra-
tionem, quam illud fructavit; Prout si legitima, quæ de-
betur filiis in corporibus, ob istorum individuam naturam,
seu ex alia probabili causa assignetur in pecunia, deben-
tur adhuc fructus ad eam ratam, quam importent fructus
ipsorum bonorum, quorum loco subrogata est dicta pecu-
nia, tanquam pretium illorum jure venditionis, quam
ita lex occultat, cum similibus, stante præsertim obser-
vantia ipsius Cameræ, quæ tempore vacationis istius of-
ficii, plurimum annorum spatio ignotę, ob sequutam in
Germanię partibus mortem illius, in cujus faciem canta-
bat, reperiit solum fructus pro medietate vacata, agno-
scendo reliquę medietatis fructus, non ad ipsam, sed ad
hęredes officialis pertinere.

Alterum erat solidum fundamentum, quod (prędicto
6 etiam cessante) sufficiens erat ad laudi justificationem,
quod hæc rata officii non vacabilis pertinere diceretur ra-
tione dominii productivi fructuum, & pertinentię emolu-
mentorum; Ad quod probandum reflectendum esse dice-
bam ad receptissimam distinctionem, quam in hac mate-
ria habemus, quod aliud est agere de ipsius officii substan-
tia, ad effectum, ut ejus possessor dicatur officialis, ac
exercere possit munia officio incumbentia, aliud vero age-
re de ejusdem officii commodo, & utilitate tam in sorte,
quam in fructibus.

Primo casu, & ad primum effectum, admittebam benè
dici per scribentes pro Benedicto, officium non residere,
nisi penes eum, cui Papa concessit, ipsumque dici officia-
lem; quoniam ut hic dicatur talis, opus est, quod per
Principem, vel eum, quem Princeps deputavit, cogno-
scatur & reputetur idoneus ad exercendum illud munus,
quod officio incumbit, illumque solum Princeps in suis li-
bris, vel rotulis officialium descriptum habet, ad effectum
etiam sciendi personam, per cujus mortem, vel delictum
est vacaturum, atque isto casu, & ad effectus prædictos,
benè procedit conclusio, quod officia, utpotè de Regali-
bus, non sunt in commercio, neque transeunt de uno in
alterum absque beneplacito Principis, prout quod in offi-
ciis, adinstar feudorum non intrat titulus *plus valere quod
agitur quam quod simulate concipitur*, ut infra, & his om-
nibus spectatis, admittebam, quod solus Benedictus esset
officialis.

Licet enim non implicet officium concedi, etiam quoad 7
hanc substantiam pluribus eodem tempore insolidum, ut
per Reverter. *dec.* 168. Lanar. *cons.* 59. *num.* 27. & 28. in
voto Merlin. Datarii in Rom. officii Rioconti 5 Junii
1623. de quo in Roman. fideicommissi de Boncompagnis
14. Sept. 1663. cor. Bevilaq. in fin. etiam habetur in Ro-
mana officii de Maximis *hoc tit. disc.* 3. nihilominus Papa
id non fecit, neque Domini hujus ratæ non vacabilis, qui
possunt esse infantes, vel mulieres, dici possunt officiales.

Secundo autem casu, & ad dictum effectum commodi 8
ex ejusdem officii emolumentis resultantis, secus dicen-
dum est, quia hæc reputantur tamquam mere allodialia,
suntque in commercio absque Principis beneplacito, pos-
sideri possunt per quemcumque, licet inhabilem ad officii
exercitium, etiam infantes, & mulieres, cum quibuscum-
que aliis dominii, & liberæ dispositionis effectibus, ut in
Magistrali Romana officii scriptoriæ 13. Maji 1583. Aldo-
brand. & 1. Aprilis 1588. coram Pamphilio confirmata
27. Maji 1591. cor. eod. in Tudertina officii Cancellariæ
19. Januarii 1598. coram Lancell. apud Seraph. *decis.* 389.
num. 6. & 7. Millin. *decis.* 251. *num.* 9. & 10. *dec.* 14. post
Fenzon. *ad Statut. decis.* 116. *num.* 14. & 15. *par.* 4. *rec.*
tom. 2. *decis.* 335. *num.* 15. ap. Postium *de manut.* Romana
pretii officiorum 27. Novembr. 1658. §. *non obstat in fine*
& §. *seq.* & 1. Decembris 1659. cor. Bevilaq. & habetur
sæpiùs hoc tit. ad hanc eamdem materiam.

Istud secundum dominium, vere, & proprie non con- 9
sistit in ipsa substantia, seu titulo officii, sed solum consistit
in ejus pretio. Unde Sixtus V. benè loquutus est, dicen-
do, ad hæredes Notarii defuncti transmitti pretium portio-
nis non vacabilis, hoc vero pretium non dicitur spectare
jure simplicis crediti, sed jure dominii productivi fru-
ctuum, & emolumentorum, & sic stant simul, dominium
esse in pretio, & ex eo resultare dictum effectum.

Hinc si Mevius cum sua pecunia, & ad proprium com-
modum emit officium in faciem Titii, absque dubio, quo-
ad Principem, Titius, non autem Mevius est officialis,
quem solum Princeps in talem agnoscit, & tamen officii
emolumenta pertinent ad Mevium, qui est dominus pre-
tii, quia quoad utilitatem hic est dominus officii, quamvis
ille sit officialis quoad nomen, & potestatem exercendi
munia personalia officio incumbentia.

Habemus hoc in feudis, quæ fraternizant cum officiis,
quæ pari passu ambulant, quoniam in eis non datur simu-
latio, ideoque locum non habet titulus *plus valere quod
agitur &c.* unde si ego cum mea pecunia emo feudum ad
proprium commodum, sub simulato nomine Tertii, ex-
presse declarantis se habere nudum nomen, adhuc tamen
ille est vere feudatarius, & Baro, ut late, *dec.* 100. *par.* 9.
recent. repetit. post Marin. *resol.* 38. *lib.* 2. ubi idem fre-
quenter in Mantuana bonorum, & in aliis in sua materia
sub tit. de feud. & tamen tota utilitas feudi est Domini pe-
cuniæ, non autem illius, quem Princeps de feudo investi-
vit, quamvis ille sit feudatarius.

Comprobari dicebam hæc evidenter ex duplici circum-
stantia, una scilicet jam dictæ observantiæ Datariæ, quæ
pro tempore vacationis, ut supra, per plures annos igno-
tæ, fructus reperiit a possessore pro sola medietate vacata,
pro absoluto præsupponendo, reliquos pertinere ad officia-
les hæredes, seu dictæ ratæ non vacabilis dominos, ob
jam dictum dominium utilitatis; Et altera, quod idem
Sixtus sub eadem lege erexit, vel reformavit officia Nota-
riorum Curiæ Capitolinæ, ut scilicet succedente morte of-
ficialis infra primum triennium, non sequeretur vacatio,
ab inde vero sequatur solum pro medietate pro qua emo-
lumenta deberentur hæredibus, donec successor pretium
solveret.

Neque novum est vacationem ita non sequi, nam etiam
in antiquis militiis, quorum loco ista moderna officia su-
brogata sunt, seu speciem habent, idem quoque decerni
solebat, ut scilicet infra certum tempus non vacarent, vel
solum in parte, ut *in l. omnimodo*, §. *imputari C. de inoff.
testam.* ubi optima gloss. verba in morte testatoris.

Quodque etiam in officiis vacabilibus, damna, & inte- 10
resse

esse, debeantur ad rationem fructuum ipsorum officiorum, habetur apud Seraph. *dec.* 714. *n.* 4. quod in parte vacabili videtur parum probabile, quia, nec justum, nec æquum est, ut absque periculo, fructum adeo excessivum percipere debeat, qui sortem habet salvam, de quo tamen habetur actum in Romana pecuniaria Valerini *hoc titul. disc.* 21. sed quoad partem non vacabilem, ob cessantem dictam dubi-
5 tandi rationem casus videtur planus.

Edito isto responso, neque Benedictus acquievit, sed introducta postmodum causa in Rota coram Bourlemont, me pro neutra partium scribente, ut frequenter conringere soler in respondentibus pro veritate, assumpta fuit disputatio super valore, an scil. in hæreditate communis parentis adesset pretium, pro quo medietas non vacabilis acquisita fuit, & quod tempus esset attendendum, an scil. illud mortis, vel potius præsens, itaut augmentum ex temporis beneficio causatum, hæreditatis, ac successivè, utriusque hæredis commodo cedere deberet, necnè, & sub diebus 2. Martii & 22. Junii 1668. ad favorem Cæciliæ pro attendendo valore de tempore præsenti prodierunt resolutiones, ex quibus de consequenti resultat altera circa fructus, super qua solum requisitus fueram, dictæque resolutiones mihi justæ, & probabiles visæ sunt, ex d. ratione, quod licèt officium quoad ejus substantiam sit de Regalibus, & non possit residere nisi penes eum, quem Princeps deputavit, ad effectum ut iste in officialium rotulo sit descriptus, ipseque dicatur persona publica, officii exercitium, & præeminentias, ac jurisdictiones habens, nihilominus non implicat, etiam sine Principis placito, utilitatem bursalem esse alterius, multo magis ac indubitantes, ejusdem Principis auctoritate accedente, eo modo, quo habemus de habentibus liberam reservationem decreti, quoniam in effectu, quoad pretium, omnesque commodi pecuniarii, & utilitatis, vel damni effectus, officium dicitur in dominio reservatarii, non autem titularis, & consequenter illius debet esse augmentum, sicut econverso fuisset decrementum, ex regula *secundum naturam &c.* Individua vero officii natura percutit titulum seu substantias ad dictos alios effectus exercitii, ac usus præstandi exercenti tamquam publico officiali; necnon amissionis ob delictum, seu mutationis personæ ob mortem naturalem vel civilem, cum similibus, non autem dictos alios effectus compatibiles cum individuitate ac jure Regaliæ, ut ita conciliando contrarias auctoritates ac decisiones habetur in decisionibus desuper sub d. diebus editis coram Bourlemont, præsertim secunda 22. Junii *1668.* licèt in ea pro meo judicio non bene dicatur idem officium esse diversæ naturæ, pro medietate scil. personale, & pro alia medietate hæreditarium, & non vacabile, quoniam quoad ipsum titulum ejusque substantiam, hoc est incompatibile, dum ita esse oporteret, quod si officialis defuncti plures essent hæredes pueri, & mulieres, seu alias inepti, omnes essent officiales, & Notarii, ac ea, quæ ad officium pertinent exercere possent, quod utique dicendum non est, quoniam unus esse debet actualis officialis, in cujus persona titulus, & substantia officii residet cum exercitio, & præeminentiis, & similibus vero partis percutit commodum, & utilitatem, ut supra.

ROMANA SEU MACERATEN. FRUCTUUM

PRO VALENTE,

CUM CAMERA APOSTOLICA.

Casus disputatus coram Thesaurario.

Quomodo probetur perfecta alienatio commoditatis officii; Et an in his juribus vitalitatis habentibus periculum amissionis potius per mortem unius, quam alterius personæ, dentur contractus præsumpti, & taciti, vel debeant esse expressi.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Commoditas officiorum etiam sine beneplacito est in commercio.*
3 *In juribus vitalitatis, & vacationi subjectis contractus debet esse expressus, & non attenditur tacitus seu præsumptus, & ea ratione.*
4 *Examinantur adminicula inclusiva, vel exclusiva consensus.*

D I S C. XVIII.

Officium Notariatus Maceratæ, ex consuetudine solitum retineri in dominio seu commoditate Thesaurariorum Marchiæ pro tempore, per prædecessorem Thesaurarium cessum fuit Hadriano Honorato in Thesauraria successori, non curanti personam officialis mature, sub cujus vitæ periculo repositum erat; Mortuo autem d. Hadriano, ac deputato administrationi Thesaurariæ, cujus appaltus adhuc durabat, Quintiliano Valente, cum Cecolini, & Silvestri novum ejusdem Thesaurariæ appaltum suscepissent, factis quibusdam calculis dati, & accepti inter d. novos Thesaurarios, & dictum administratorem; inita fuit per istum sub die Septembris 1653. apoca, per quam declaravit Honoratum, seu negotium debitorem in scut. 2123 ex quibus, bonificatis scut. 1350. pro pretio officii Notariatus, promisit solutionem residui, quando Camera bonificaret eas partitas, ex quibus d. creditum proveniebat, quibus peractis, ratio bancaria Philippi valentis de mense Martii 1656. se composuit cum Camera, subintrando in universum Jus activum, & passivum d. Honorati, & Cameræ, & successivè sub credulitate, quod inter Honorati effectus adesset d. officium; De anno 1650. curavit mutari personam, sub cujus nomine, & periculo illud staret, atque de anno 1665. illud cum Beneplacito Apostolico alteri, pro pretio scut. mille circiter vendidit. 1 2

Cum autem Camera esset in notabili summa creditrix prædictorum de Cecolinis, & Silvestris ex eadem causa Thesaurariæ, prætendere cœpit d. residui solutionem a Valente excipiente de solutione cum d. officii fructibus, seu emolumentis in Thesaurariæ capsam obventis, quod non solum per Camerales impugnabatur, sed per viam reconventionis petebatur etiam pretium d. officii per Valentem venditi, utpotè ad prædictos Cecolinum, & Silvestrum pertinentis a d. anno 1653. in quo illud venditum, seu in solutum datum fuit, de cujus venditionis, vel dationis in solutum imperfectione seu ineffectuatione replicabatur, unde propterea.

Introducta causa coram Thesaurario Generali, Camerales fundatam dicebant eorum intentionem, in eo quod ad perfectionem contractus emptionis, & venditionis, sufficit intervenire tria consueta requisita, nempe rem, pretium, & consensum, absque necessitate justificandi traditionem, quamvis necessariam ad translationem dominii, cum hæc non exigantur in juribus incorporalibus, in quibus sola cessio stat loco traditionis, ac etiam, quia hæc secuta dicitur, cum iidem Cicolini, & Silvestri ejusdem officii emolumenta exegerant, & in qua præsertim exactione tamquam observantis, & effectuatione actus magnam vim faciebant, subjungendo (in hac parte bene) ad hujusmodi dominii translationem non fuisse desiderandum Beneplacitum Apostolicum, quia istud necessarium est, ubi agitur de ipsa substantia officii transferenda de una persona ad aliam, secus autem ubi persona Officialis non immutata, tractatur de sola translatione commoditatis, ex iis, quæ habentur in Romana officii seu pecuniaria pro Camasseo, *disc.* 16. & in aliis *hoc tit.* ad hanc materiam officiorum, cum sit hodie conclusio plana, 3

Scribens pro d. ratione bancaria rea conventa, non negabam, quod ubi in facto verificaretur legitimus concursus dictorum trium requisitorum, resultaret perfectio contractus absque alio requisito traditionis, ex præmissis in jure veris; Sed ultra defectum potestatis vendendi concurrentem in Quintiliano administratore, super quo puncto, utpotè in nudo facto consistente partes non erant Advocati, sed causæ Patroni, dicebam difficultatem residere in verificatione tertii requisiti consensus, qui debet esse utriusque contrahentis insimul junctus, cum aliud non sit contractus, nisi duorum consensus in idem tendens, itaut quando sequitur conjunctio consensuum; cum dicatur ille perfici, *ut decis.* 195. *num.* 2. *par.* 5. *recent.* & passim, cum sint Principia certa; De ista vero consensuum conjunctione non constabat, quoniam apoca facta erat per solum Quintilianum, personam venditoris gerentem, absentibus illis, qui personam emptorum gerere debebant, de quorum subsequuto consensu nullibi docebatur.

Et quamvis Camerales replicarent de consensu præsumpto, seu implicito deducto ex d. observantia in percipiendis d. officii emolumentis, necnon ex silentio in petendo residuali debito, quod alias non acceptata d. officii venditione, seu datione in solutum in vim ejusdem apochæ solvi debuisset, Nihilominus dicebam, id 4

recte sufficere, ubi agerentur de contractu super rebus & bonis indifferentibus, cum voluntas, non minus verbis, quam factis probari possit; secus autem in hujusmodi officiis, & juribus vitalitiis, periculo vacationis subjectis, & cujus periculi ratione, magnum solet esse eorum emolumentum longe supra fructum bonorum indifferentium, d. periculo non subjectorum: tunc enim consensus debet esse clarus, & expressus, alteri contrahenti innotescens, ita & taliter, quod actus remaneat omnino irretractabilis hincinde, ex ea clara ratione, quod alias de facili posset fraus fieri per eum, de cujus expresso consensu non apparet, dum ita posset se regulare ab eventu longævæ, vel respective brevis vitæ officialis, a qua pendet periculum vacationis, atque contingente vacatione de proximo, negare contractum, ut in consimilibus terminix Societatis officii, Zacch. *de Societ. n. 395. & seq.* Cyriac. *controverſ. 252. n. 4. & 5.* Rota *decis. 660. part. 1. diverſ.* & habetur deductum in sua materia, *sub tit. de Societ. offi.* præsertim in Romana pro Cæsare Columna, & in aliis.

4 Clarius accedente adminiculo, dicti consensus potius exclusivo, dum præfati Cecolini & Silvestri, numquam curarunt, vel mutare personam officialis, vel obtinere reservationem decreti ad eorum favorem, & econverso id gestum fuit per Valentem de anno 1658. & qui deinde tamquam dominus ad venditionem etiam processit.

Contrarium vero adminiculum deductum ab exactione emolumentorum erat æquivocum, quia cum d. Thesaurarii essent creditores Honorati, & successive Valentis, utpote in universum Jus activum, & passivum istius subrogati, prædicti residui, recte potuerunt d. emolumenta sub manu exigere in satisfactionem, & sic non est observantia univoca, quæ concludat pernecesse; potissime quia officium prædictum ex consuetudine præterita, erat quodammodo annexum Thesaurariæ, cujus Capseriu, seu Depositario, substituti dictum officium exercentes, cum præsupposito d. annexionis, continuantes antiquam consuetudinem, menstruatim emolumenta solvebant; Unde erat actus æquivocus non sufficiens ad illum consensum, qui debet esse expressus, ex d. ratione, quam cum sensu etiam veritatis credebam probabilem.

REATINA CANCELLARIÆ, PRO JOANNE DE BONIS, CUM CAMERA APOSTOLICA.

Casus disputatus coram Thesaurario, incertus est exitus.

An reservatarius dispositionis officii ex Decreto apponi solito, possit dictum decretum, seu dispositionem sine Beneplacito Apostolico remittere eidem officiali, etiam in præjudicium creditorum hypothecariorum. 1

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Quando officia sint in commercio, & alienari vel obligari possint absque assensu.*
3 *In Titulari an dari possit cessio translativa reservationis decreti, & quid hæc cessio operetur.*
4 *Quid in præjudicium creditorum cedentis, qui habebat decreti reservationem.*

D I S C. XIX.

1 EMit Mutius Orsinus de ejus pecunia, officium Cancellariæ Reatinæ, sub nomine, & in faciem Jo: de Bonis, cum reservatione Decreti super puta, & libera dispositione ad ejus favorem, & postquam debitum cum Camera Apostolica contraxerat per susceptionem Appaltus Status Castri, omne Jus, quod ipse in dicto officio habebat, eidem Joanni vendidit seu cessit pro eodem pretio, pro quo officium emptum fuerat, cor. Notario, & testibus effective numerato; Cumque post aliquod breve tempus idem Mutius prætenderetur Cameræ debitor in notabili summa juxta seriem, de qua in Romana, seu Viterbien. appaltus hoc tit. *disc.* 122. Hinc proinde Camerales molestare cœperunt d. Joannem cor. Thesaurario Judice ordinario causarum Cameralium in prima instantia, prætendentes in vim dicti decreti procedere ad alienationem officii, tamquam de bonis debitoris non obstante prædicta cessione, utpote invalida, & habenda pro infecta ex defectu Beneplaciti Apostolici.

Pro reo convento scribens, cum scosa etiam veritatis, nisi facti circumstantiæ concurrerent probantes fraudem, & collusionem in dubio non præsumendam, dum præsertim actus publice, & sincere factus apparebat mediante effectiva solutione pretii in pecunia numerata cor. Notario, & testibus in ipso actu alienationis, parum probabilem dicebam Cameralium prætensionem, cum ageretur de re indifferenti in libero commercio existente, quam nil impediebat in alium transferri.

Licet enim officia dicantur de Regalibus, neque sint in commercio sine Principis beneplacito, attamen id procedit quoad ipsius officii substantiam ejusque translationem de una persona in alteram; itaut agatur de creando novo Officiali, vel ubi agitur de acquirendo Jure reali super ipso officio in præjudicium Principis in casu vacationis, vel tertii, ex ejusdem Principis concessione, vel assensu Jus acquirentis; secus autem ubi de solo commodo, & interesse bursali circa pretium, vel circa fructus, & emolumenta, ut ita distinguendo firmatur in Romana officii Scriptoriæ prima Aprilis 1588. cor. Pamphilio, quæ reputatur in materia magistralis, sæpius canonizata, præsertim in Tudertina officii Cancellariæ 9. Januarii 1598. cor. Lancelloto apud Seraphin. *dec. 389. n. 6. & 7.* Millin. *dec. 251. n. 9. & 10. dec. 116. n. 14. & 15. par. 4. rec. tom. 2. & in aliis*, ut in Romana pecuniaria, seu officii pro Camasseo, *hoc eodem tit. disc. 16.* 2

Si ergo hujusmodi facultatis alienatio, utpote concernens merum commodum bursale super assecutione pretii, & emolumentorum, Officialis persona non immutata, cum non percuteret officii substantiam, fieri poterat sine beneplacito, etiam per viam translativæ cessionis in quemcumque tertium, multo magis fieri potuisse dicebam ad favorem ipsiusmet officialis, cujus respectu, alienatio, seu cessio prædicta, potius extinctiva, quam translativa dicenda erat, importans solum liberationem officii ab ea servitute, seu vinculo, cui ex decreto obnoxium erat, cum alias dari non possit actio, & pactio in eodem subjecto, ex iis quæ ad rem facere videntur apud Buratt. *dec. 910. n. 6. 7. & 8.* Et ad instar cessionis, seu alienationis ususfructus, quæ fiat ad favorem proprietarii ad tex. *in leg. usufructu, ff. solut. matrim. & leg. cum in fundo, ff. de jure dotium cum concord.* per Cenc. *q. 114.* ubi de Domino fundi censiti acquirente censum, vel econverso de creditore censuario, qui fiat dominus fundi, & conferunt quæ habentur apud Greg. *dec. 68. n. 4. & 5.* de cessione non reportanda a creditoribus satisfactis de pretio bonorum debitoris, itaut illa resolvatur in simplicem quietantiam, cum similibus. 3

Verum licet tamquam Advocatus hæc deducerem, non tamen in ordine ad omnimodam incompatibilitatem in hujusmodi officiis, & Juribus differentibus illa reputabam omnino tuta, ex iis quæ de compatibilitate possessoris beneficii ad acquirendam translative commoditatem pensionis, super eodem beneficio reservatæ, habentur in Albanen. pensionis 4. Decembris 1658. coram Priolo, & latius in ea causa in sua materia, *sub tit. de pensionib.* Sed opus non fuit hæc discutere in hujusmodi disputatione, dum in ea stricte satisfaciendo Cameralium objecto, agebatur de solo puncto, num in hujusmodi cessionibus, vel alienationibus requisitum esset necne Beneplacitum Apostolicum.

Examinandus tamen veniret hic punctus, quando admissa etiam validitate cessionis, prætenderent Camerales, vel alii cedentis creditores super hujusmodi pretio; seu commodo pecuniario ex dicto reservationis decreto resultante, hypothecam jam contractam exercere, quia ex eod. principio ex parte cessionarii, ut supra deducto, quod officia respectu commodi bursalis (ipsorum substantia non immutata) sint in libero commercio, adinstar quorumcumque bonorum allodialium, sequitur sub hypotheca etiam creditorum cadere, & consequenter illam exercibilem contra quemcumque tertium, in quem res hypothecata transiit, cum non potuerit debitor alienando, juri per creditores quæsito præjudicare, & in hoc puncto parti meum patrocinium requirenti, pro veritate juxta stylum, insinuabam residere majorem difficultatem; cum ita conclusiones, ut supra ex hac parte deductæ retorqueri possent. 4

Ad hanc autem difficultatem evitandam, cogitabam con-

gruum esse dictum motivum cessionis extinctivæ, seu liberationis ab onere, seu vinculo, tamquam per d. Juris confusionem, seu annihilationem, cum tunc hypothecæ resolvantur ex cessante subjecto; Ad instar hypothecæ competentis censui, quem debitor activum habeat, quia si translative in alterum alienetur, hypothecæ adhuc durant, sed si per debitorem extinguatur, evanescunt, quod pariter procedit in hypotheca competente super usufructu extincto, & cum proprietate consolidato, sive in pensione Ecclesiastica extincta cum similibus.

In hoc autem, cum verba acquisitionis concepta essent per viam emptionis, & translativæ cessionis, intrare poterat aliqua difficultas, quatenus id esset compatibile; Et sic pro meo judicio totus punctus erat in ista compatibilitate, de qua satis dubitabam contra clientem, ex iis, quæ habentur in d. Albanen. pensionis; quia tamen adhuc formiter punctum disputare occasio non præbuit, his ita per modum motivandi insinuatis, maturius judicium reservatur, quod in ista disputatione efformari non potuit, cum communicatæ non essent informationes Cameralium, &c.

MACERATEN. OFFICII SECRETARIATUS, PRO DOMINICO STAMPETTO, CUM FRANCISCO TALLEONO.

Casus disputatus in Congregatione boni Regiminis, sed non resolutus ob mortem Stampetti.

Officialis, qui manualiter, & non in titulum, ex electione alicujus Universitatis, assumptus est ad officium, an possit removeri etiam sine causa, & an talis officialis petere possit manutentionem in quasi possessione.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Remotus ab officio debet in possessione manuteneri, donec videatur, an potuerit removeri.*
3 *An Officialis possit removeri ab officio, negative.*
4 *Declaratur, quando id procedat.*
5 *Capellani manuales possunt amoveri etiam sine causa.*
6 *Infirmitas vel senectus an sit justa causa remotionis, & præsertim de morbo podagræ.*
7 *Declaratur, quando illa amovendi facultas, alias de jure libera, non sit absque causa exercibilis.*

D I S C. XX.

1 Congregatio generalis Provinciæ Marchiæ Anconitanæ, solita habere Secretarium, qui apud illum Præsidem, seu Gubernatorem resideret, ejusdemque Provinciæ negotia gereret, de ann. 1662. ad hujusmodi officium, simpliciter, & absque aliqua temporis præfinitione, elegit Dominicum Stampettum, qui continuato spatio ann. 43. illud accurate, ac laudabiliter exercuit, obtento consueto Salario ann. scut. 150. Cum autem de ann. 1665. eadem Congregatio illum amoverit, atque ad idem officium elegisset Franciscum Talleonum, assignata ratione inhabilitatis Stampetti ob podagræ morbum quo laborabat, habito per amotum recursu ad Congreg. boni Regiminis, ac petendo in primis, & ante omnia, manutentionem in sua longæva quasi possessione, assumptaque desuper disputatione.

2 Pro isto scribens dicebam, quod ex infra dicendis, negari non poterat probabiliter dubiam reddi facultatem d. Congregationis removendi de facto, & sine causa illum Officialem, qui laudabiliter officium exercuerat spatio ann. 43. quod sufficiebat, ut in summarissimo possessorio retinendæ pro eo respondendum esset, ut in specialibus terminis manutentionis dandæ Officiali de facto remoto, donec videatur, an remotio fieri potuerit, necne, habetur firmatum per Rot. *dec. 339. p. 9. rec. num. 17. & seq. & per tot.* ubi de rationibus, & auctoritatibus ibi de facili videndis.

3 Quod autem d. remotio fieri non potuerit, vel saltem id esset probabiliter dubium, in petitorio discutiendum, itaut resultaret dictus effectus principaliter desideratus manutentionis, ac discussione pendente, obtinendæ, deducebam tamquam Advocatus, late firmata per Mastrill. *de Magistr. lib. 1. c. 27. n. 56. & seqq.* Lartea *dec. 2. n. 5. & seqq.* Fregos. *de regim. Reipublicæ p. 1. lib. 3. disp. 5. n. 42. & seq.* per quos, cæteris allegatis, firmatur, hujusmodi remotiones ab officiis, de facto, & sine demeritis fieri non posse, quod in iis, qui sunt Principe inferiores, admittit etiam, Capyc. Latr. *consult. 47. n. 28. & seqq.* ubi remotionem substinendo, totum se fundat in suprema, & absoluta potestate Principis, cui dici non potest, cur ita facis, admittendo veriorem esse negativam in reliquis Principe inferioribus, in quibus d. ratio non urgeat, & in specialibus terminis officii tabellionatus concessi absque limitatione temporis, non amovendi sine causa, Grat. *discept. 167. num 15. cum seqq. & 590. num. 12. cum seqq.*

Verum quidquid esset de præmissorum veritate in suis casibus, eorum tamen applicatio cessabat in hac facti specie, unde propterea reflectendo ad veritatem, motivum remanebat periculosum, quoniam dicta etiam opinione retenta, pro meo etiam judicio veriori, in iis, qui jura Supremi Principis non habent, ea procedit in illis officiis, quæ de sui natura, ex consuetudine saltem impressa, perpetuo, & 4
ad vitam conferri solent, cum tunc inter dantem, & officialem, initus videatur quidam quasi contractus, per quem uterque obligatus dicitur pro toto tempore vitæ; Ad instar illius quasi contractus, qui contrahi dicitur inter beneficiatum, & Ecclesiam, seu Beneficii collatorem, ex deductis per Barbos. *de univers. Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 14. 15. ac omnes Beneficialistas*; Secus autem in hujusmodi muneribus manualibus jure simplicis famulatus, non autem officii, regulandis, ex iis, quæ procedendo cum similibus terminis beneficialibus, habemus de Capellaniis manualibus, quæ jure simplicis famulatus regulandæ sunt, ideoque sunt amovibiles etiam sine causa juxta veriorem, ac magis receptam 5
opinionem Card. *in Clem. 1. § præmissa de supplen. neglig. Prælat. n. 4.* Rot. *dec. 778. par. 1. divers. 325. par. 2. rec.* Hispalen. juris amovendi Curatos, 20. Aprilis 1640. 21. Junii 1641. & 22. Junii 1642. Peutingerio, *quarum ultima est 116. par. 9. rec.* Pampilon. Vicariæ 28. Martii 1659. Albergato, Sulmonen. juris amovendi Capellanos 10. Januarii 1655. Priolo, & in aliis de quibus *sub tit. de Benef.* in genere, ac etiam sub altero de Parochis, non obstante longævo servitio, quoniam istud non obligat dominum invitum ad retinendum famulum, & e converso non obligat istum ad serviendum, cum solum tempus non sit aptum ad inducendam, vel tollendam obligationem ad communiter notat. *in l. si certis annis, C. de pact.*

Potissime quia in præsenti, neque omnino dici poterat remotionem esse sine causa, stante senectute juncta cum 6
morbo podagræ, & sic dupliciter hic dici poterat morbosus, minusque aptus ad servitium; Licet enim scribens tamquam Advocatus dicerem, podagram, ubi præsertim non est continua, non inhabilitare ad officia, & munera publica ad text. *in l. unic. C. qui morbo se excusant. & l. a munerib. C. de decur. lib. 10.* & in specie de non removendo officiali ex causa infirmitatis, Fagnan. *in cap. cæterum, num. 36. & seqq. de rescript.* Nihilominus id pariter est recipiendum, ubi ageretur de remotione ab officio de sui natura perpetuo, & ad vitam, seu ad certum tempus concedi solito, itaut possessor quoddam jus, & quasi dominium ejus vita, seu præfinito tempore durante, habere videatur; secus autem in istis mere manualibus, quibus juridice, non officii, sed famulatus titulus congruentius convenit, Aponte *de potestate Prorег tit. 3. de elect. official. num. 8.* Revert. *dec. 311. n. 2.* ubi de Marin. in addit.

Id autem, quod in proposito aliquam probabilitatem habere videbatur, erat, quod ubi non agitur de simplici famu- 7
latu privato, in quo unus gerat personam famuli, alter autem Domini, habentis liberam suæ domus, ejusque bonorum administrationem, sed de quibusdam muneribus publicis, ad quæ deputatio, vel respective remotio fiat, non per dominum jure privato de rebus suis disponentem, sed per alios pariter Officiales, & administratores, tunc licet verum sit, competere in stricto jure facultatem amovendi sine causa, nihilominus hoc arbitrium videtur aliqualiter refrænatum a ratione, qua cessante, potest haberi recursus ad Superiorem, saltem per viam querelæ; præsertim ubi remotio aliquam injuriam, vel notabile præjudicium remoto causaret, ex deductis per Merlin. *dec. 882. n. 20. vers. cessat autem difficultas*, quod etiam receptum est, ac vidi sæpius practicatum in Capellaniis manualibus, ut in sua materia, *sub tit. de Benef.* in genere, ac sub altero de Canonicis & Capitulo ubi præsertim in una Materinen. Cum enim iste laudabiliter se gesserit in officio spatio ann. 43. neque senectus, vel podagra impedimentum afferrent, quia duos instruxerat filios, omnia necessaria satis bene exercentes, ac etiam daretur fumus alicujus livoris in aliquibus Provinciæ deputatis, considerabam recte posse intrare dictæ Congregationis arbitrium pro dicta facultate refrænanda.

Pro-

Proposita causa, Congregatio scripsit Gubernatori pro informatione ad effectum sciendi, an hæc remotio ex præsupposito livore prodiisset, dictæque Congregationis sensus erat expectandi novam Congregationem pro indaganda vera intentione provinciæ, sed subsequuta mors Stampetti, liti finem dedit.

ROMANA SALARII,

PRO FRANCISCO ET MAURITIO DE ASTE, CUM HÆREDE OCTAVII JOTH.

Casus disputatus coram Judice particulari.

Onera incumbentia officiis, quæ ab uno possidentur dominio, sed ab altero exercentur titulo conductionis, ad quem pertineant, præsertim illud salarii judici debiti, an judex non satisfactus de Salario a Notario exercente, habeat regressum contra officii dominum.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Qui proprie, & secundum communem usum dicantur notarii.*
3 *Verba legum, & Constitutionum intelligenda sunt juxta communem usum loquendi.*
4 *Judices tractant cum Notariis in exercitio, non cum Notariis in dominio.*
5 *Observantia satis attendenda præsertim in materia Salarii, an ab uno, vel altero debeatur.*

D I S C. XXI.

1 DUo Officia Notariorum Civilium Gubernatoris Urbis, ex Apostolica concessione onerosa possidebantur per Jo: Baptistam de Aste, seu dict. Franciscum, & Mauritium ejus hæredes, qui utpote Viri nobiles, ad solum redditum seu industriam possidentes, illa juxta antiquam consuetudinem, pro certa annua seu menstrua pensione locare solebant duobus Notariis, omnia eorumdem officiorum onera in se assumentibus, eo modo, quo practicatur etiam in majori officio Notariatus Criminalis ejusdem Gubernatoris, quod in dominio pertinet ad Insignem Archiconfraternitatem Charitatis in Ecclesia S. Hieronymi, exercitium vero residet penes unum Notarium conductorem.

Cum autem inter alia onera dictis duobus officiis incumbentia, illud esset a reformatione Pauli Quinti præscriptum, ut singuli Notarii tenerentur singulis mensibus anticipate solvere Locumtenenti causarum civilium Gubernatoris scut. sex pro ejus Salario, atque discesso ab Urbe quodam Notario, qui tamquam conductor per plures annos unum ex dictis officiis exercuerat, Octavius Tostus Locumtenens, ab altero Notario conductore pro sua rata integre satisfactus, prætenderet a d. Notario jam absente consequi debere integrum Salarium unius anni, pro isto, vivens molestare cœpit d. de Aste Officii dominos, quam molestiam post annos 20. & plus, ejus jam defuncti hærede reassumendo; Ultra facti circumstantias, ex quibus præsumpta solutio deducebatur, assumptus fuit disputandus articulus in Curia novus, numquam antea pro notitia disputatus, nec decisus; An reformatio loquens de Notariis, intelligenda sit de habentibus officium in dominio, & pro solo emolumento, vel de Notariis officium actu exercentibus, itaut pro officii oneribus actio contra Dominum competat necne.

Pro dictis de Aste Officiorum Dominis scribens dicebam, Reformationem Pauli V. *in Bullar. Constitut. 71. tit. de Gubernatore Urbis*, §. 7. disponere, quod Locumtenens habere debeat scut. auri quinque a quolibet ex duobus Notariis causarum civilium hujus Curiæ quolibet mense in ejus principio solvenda.

Istud autem Notarii verbum, indubitanter in proposito
dicendum est ambiguum, seu æquivocum, utpote aptum
2 convenire, tam habenti Notariatus officium in dominio,
quam alteri illud habenti in exercitio; Potius autem convenire videtur huic quam illi, quia secundum communem usum loquendi, Notarii proprie dicuntur illi, qui tales creantur a Principe, vel aliquo magistratu ad id deputato, ad effectum conficiendi Instrumenta vel alia acta per Notarios, & publicos tabelliones confici solita, & sub quorum vocabulo juxta d. communem usum, verè non solent habentes hujusmodi officia in dominio ad hæredes etiam transmissibilia pro sola emolumentorum utilitate, cum sæpe haberi soleant per viros qualificatos, quibus Notariatus omnino est
incongruus, sive per Infantes vel ignaros ad illud ineptos, quia Notarius proprie est scriptor gloss. 3
in l. si tibi notarium, C. de pign. & in l. defens. C. de jure fisci lib. 10. ideoque dicebam verba Constitutionis intelligenda esse juxta commun. usum loquendi ad not. *in c. ex litteris de sponsal. & l. liberor. §. quod autem Cassios, ff. de legat.* 3. Mantic. *dec. 59. n.* 3. lite Rota *dec. 135. n. 4. 5. par. 10. rec. & in aliis.*

Clarius vero observabam, d. Constitutionem loqui voluisse de Notariis exercentibus, quia Judex non tractat cum Dominis hujusmodi officiorum sibi probabiliter ignotis, sed versatur & tractat cum Notariis exercentibus, per quorum
manus concedit sententias vel mandata, pro quibus singu- 4
lis, ab eorumdem Notariorum manibus de jure recipere deberet sportulas, seu emolumenta, quorum loco, ad tollendos abusus vel contentiones, reformatio certam summam præscripsit, ab ipsis Notariis quolibet mense anticipate solvendam, subrogatum enim sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur, unde quemadmodum sportulæ seu quotidiana emolumenta pro singulis actis, seu expeditionibus præstanda essent Judici per manus illius Notarii actualis, qui expeditiones, & acta facit, ita per easdem manus recipere debet hanc mercedem, de cujus inexactione conqueri non potest, nisi de seipso, quia cum reformatio mandet illam a Notariis præstari quolibet mense anticipate, promptum habet modum exactionis absque aliquo coactionis actu, cum sola denegatione subscriptionis, & concessionis decretorum, & expeditionum, ideoque nullam dicebam suppetere legalem, vel naturalem rationem, cur hujus negligentiæ pœnam, non ipse negligens, sed officii Dominus innocens luere deberet.

Et nihilominus, sufficere observabam, ex præmissis casum dici posse dubium, ut propterea omnino deferendum
veniret observantiæ, quæ ab ipso initio editæ reformationis 5
usque ad præsens semper fuit uniformis, ut hujusmodi Locumtenentes exegerint Salarium a Notariis exercentibus, non autem ab habentibus officii dominium in sola utilitate emolumentorum; Semper enim in ambiguis attendenda est observantia tamquam optima interpres ad notat. *in leg. si de interpret. ff. de legib.* Greg. & adden. *dec.* 184. Cæsaraugustana portionum 16. Junii 1659. Albergato, & alias quotidie; Et in specie salarii præstandi officialibus, ut satis deferendum sit consuetudini, seu observantiæ, Mastrill. *de magistrat. lib. 1. cap. 32. ex num. 17. & num. 25. cum seqq.*

Barones vel Communitates, ut plurimum habent in dominio cancellarias, quas singulis annis locant Notariis illas exercentibus, & istorum generalis observantia docet onus esse solvendi officialium emolumenta, vel quotidiana, vel menstrua, atque scio in Regno Neapolitano aliquas adesse familias privatas ex Regia concessione possidentes aliquarum Civitatum, vel locorum cancellarias in dominio, seu utilitate; itaut tale jus aliquando resideat etiam in mulieribus vel infantibus, & tamen nomine Notariorum seu actuariorum, absque dubio non veniunt hujusmodi Domini seu possessores, sed illi actuarii, vel Notarii qui conductionis, vel administrationis titulo Cancellariam exercent; Et hanc dicebam saltem ex communi usu, mihi videri veritatem.

ROMANA EMOLUMENTORUM, PRO JOAN. ANTONIO TERRIBIO, CUM SERTORIO THEOPHILO.

Casus disputatus coram A. C. credo concordatus.

Si Officialis cedit alteri commoditatem, seu emolumenta officii sub assertione quod importarent certam quantitatem, an cedens teneatur de supervenientis diminutione sequuta ex facto Principis vel Superiorum.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Quando periculum casus provenientis ex facto Superiorum sit cedentis, vel cessionarii.*
3 *Et quid de sboffatione censuum.*
4 *Quando cessa commoditate officii cum expressione cer-*

ta summa, videatur hoc stare taxative, vel demonstrative.

5 *Sciens futurum casum, & cedens tenetur de casu,*

DISC. XXII.

1 POssidens Theophilus officium litigiosum, *de quo disc.* 14. illius commoditatem, & emolumenta ad ejus vitam pro pretio correspectivo cessit Tertibio, sub narrativa, quod emolumenta importarent scut. 58. in anno, quo sal fabricatur, & 28. in anno, quo non fabricatur, & in qua perceptione cessionarium manutenere promisit; Cum autem post mensem, de Superiorum mandato, salis pretium notabiliter diminutum esset, unde propterea resultavit eorumdem emolumentorum diminutio, itaut ex scut. 58. quæ in anno fabricationis importabant, redacta essent ad 18. circiter, Tertibius cessionarius, vigore d. promissionis de manutenendo, cedentem pulsavit ad refectionem.

Et introducta causa cor. A. C. reus conventus, injustam dicebat actoris prætensionem, ex recepta juris propositione, quod factum Principis, vel aliorum Superiorum, quibus resisti non potest, reputatur casus fortuitus, qui cedere debet periculo cessionarii tamquam domini juris cessi, cum periculum sit sequela dominii; Et quoad manutentionem promissam dicebatur, illam intelligendam esse respectu ipsius cedentis, & habentium causam ab eo, Ad
2 quod probandum adducebatur punctualis auctoritas, Cyr. *contr.* 458. ubi firmatur, quod facta cessione fructuum domus existentis in ghetto hebræorum, ascendentium ad certam summam, quam cedens manutenere promisit, si ex facto Principis, restricto ghetto, domus extra illum remaneat, unde fructus diminuantur, id cessionarii, non autem cedentis damno, tamquam casus fortuitus cedere debeat ad text. *in l. Lucius, ff. de evictiori.* & ex his Judex dicebat casum indubitatum pro reo.

3 In hoc statu ad actoris defensionem assumptus, primo aspectu, soluta credebam rei conventi fundamenta, tam ex prædictis quam ex aliis in praxi terminis deductis per Olcani *de cessione tit. 7. quæst. 1. n. 31. & seqq.* & Leotar. *de usur. quæst.* 80. *n.* 31. *& seqq.* per quos agendo de cessione censuum, qui habeantur cum communitatibus, cum promissione manutentionis, & exigibilitatis, distinguitur, & bene; Quod aut censuum diminutio, seu, ut vulgo dicitur, sbassatio, provenit ex injustitia, seu alio defectu contractus, seu etiam ex inopia debitoris, & cedens stante tali promissione teneatur; Aut provenit ex provisione Principis, vel alicujus majoris magistratus talem potestatem habentis, ob publicam utilitatem, seu calamitates belli divini vel humani, seu alia publica infortunia, ut frequenter contingit, & secus, ex eadem d. ratione, quod casus fortuitus, qualis dicitur proveniens ex facto Principis absque culpa vendentis vel cedentis, numquam ab isto præstandus est, nisi expresse conveniatur.

4 Cogitabam tamen pro ratione motivandi tamquam Advocatus, ac dici posset, quod cum venditum non sit ipsum officium, quod utpote de Regalibus non est in commercio absque Principis placito, sed solum cessum esset nudum emolumentum pecuniarium; An scil. stante illius expressione in certa uniformi summa singulis annis respective percipienda, & quam cedens manutenere promisit, hujusmodi expressio censeretur solum gratia demonstrationis, quanti tunc officium fructaret, vel potius gratia taxationis hincinde, itaut augmentum cederet ad beneficium cedentis, non autem cessionarii; Isto enim secundo casu, justum non esset, ut qui non poterat sperare augmentum, subjacere deberet diminutioni, & e contra ad regulam *secundum naturam, &c.* Atque tali casu potius quædam annua præstatio certa ad vitam cedentis in contractum deducta videretur, cujus solutio super d. officii fructibus esset assignata, secus e contra.

Et quod essemus in casu taxationis, desumi observabam ex præcisa taxatione summæ, quæ subjectæ materiæ incongrua sive superflua videbatur, quia sufficiebat cedere simpliciter fructus, seu emolumenta officii, talia qualia essent; Eo etiam potissime considerato, quod obligatio manutentionis in tanta summa, ad alium casum non videbatur referibilis, cum nemo possit officiorum emolumenta augere, vel minuere, nisi Princeps, ad quem solum pertinet salis pretium taxare, illud augendo vel minuendo, & ex cujus pretii quantitate resultat, major, vel minor emolumentorum perceptio.

5 Illud vero, quod pro meo judicio, reflectendo ad veritatem, tollebat in præsenti d. difficultates, atque probabilem reddere videbatur causam actoris, consistebat in mala fide cedentis, quæ satis verisimilis reddebatur, ex nimia temporis brevitate inter cessionem ac respective diminutionem, attenta præsertim qualitate personarum, cedentis, ac cessionarii respective; Cum enim hujusmodi innovationes fieri non soleant ex abrupto, sed prævio discursu, ac maturo consilio, (quamvis occulte,) per menses, atque cedens esset Vir nobilis, in Populi, & Capitolii negotiis versatus, verisimiliter de hujusmodi futura innovatione conscius; E converso autem cessionarius esset mercator ab his materiis alienus; idcirco, probabile omnino videbatur, cedentem in aliqua fraude versatum esse, cedendo pro majori pretio illam rem, quam ad dies sciebat esse diminuendam, ad instar contrahentis cum pecunia, quam sciebat de proximo reprobandam, vel diminuendam esse, sive quod cessionarius de hoc suspicans, studiose de certæ summæ manutentione convenerit. Quod motivum Judici etiam probabile videbatur: cupiebat tamen aliquam adminiculativam probationem, quod scil. de tempore factæ cessionis, in Consilio Capitolino, seu etiam apud Officiales Camerales, de hujusmodi innovatione jam agi coeptum esset, cum in his materiis, etiam ex adminiculativa, & conjecturata scientia, mala fides deducatur, ut apud Mascard. *de probat. concl.* 1003. *n.* 36. *& seq.* quod, ut censeo, ansam dedit concordiæ, dum post unicam disputationem amplius de causa tractatum non fuit,

ROMANA FRUCTUUM LOCORUM MONTIUM,

PRO FIDEICOMMISSO DE BELLIS HOMINIBUS,

CUM ORATIO FALCONERIO,

Casus varie decisus per Cameram.

Depositarii locorum montium, an teneantur esse solliciti de vinculo, seu investimento fructuum locorum destinatorum multiplicis, itaut libere solvendo, teneantur, necne ad iteratam solutionem.

Deputatis a Superiore pluribus depositariis montis in solidum, & cum jure accrescendi, an possit unus ex eis absque eorumdem superiorum licentia, cedere consortibus suum jus depositariæ, atque ita se liberare: Et de diversis hujusmodi cessionum speciebus.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Dividuntur puncti, seu inspectiones controversiæ.*
3 *Repudiatio habet vim mortis ad effectum juris accrescendi, vel non decrescendi.*
4 *Feudatarius, vel emphyteuta licite alienat sine assensu in consortes, seu comprehensos in investitura, & n. 9.*
5 *Quando ex pluribus consortibus, unus dicatur alienare, vel potius omnes alienent in aliquo ex eis diversam personam repræsentantes.*
6 *Una, & eadem persona materialis potest repræsentare diversas personas, etiam cum concursu incompatibilium inter eas.*
7 *Cessio officii sine assensu Papæ importat cessionem commoditatis, non autem substantiæ, & tituli.*
6 *Officialis tenetur de facto substituti, seu cessionarii voluntarii.*
9 *Examinatur conclusio, de qua n. 4. distinguendo plures casus, seu effectus.*
10 *Termini feudi vel emphyteusis in proposito non parificantur cum illis officiorum, & de ratione differentiæ.*
11 *Unus ex pluribus tutoribus cedendo tutelam vel administrationem contutoribus non liberatur.*
12 *Idem de pluribus Officialibus.*
13 *In negotiis specialibus exprimi solet solum nomen unius vel aliquorum, & non omnium.*
14 *Novatio non inducitur, nisi expresse dicatur, vel per actus omnino incompatibiles.*
15 *Deputationes depositariorum montium fieri solent per litteras patentes, aut Chirographum Pontificium.*
16 *De vera solutione resultante a novatione, seu transfusione crediti de una specie ad aliam.*
17 *Depositarius, vel debitor solvens contra formam præscriptam non liberatur, & tenetur ad iteratam solutionem.*

18 *Loca montium sunt debitum annui redditus, seu Census cum Principe, & Republica.*

19 *Littera patentes. & libri sunt loco instrumentorum.*

20 *De ratione ob quam depositarii montium non possunt libere solvere fructus locorum vinculatorum pro multiplicis.*

21 *Quando quietantia cum transfusione crediti in aliam speciem, non importent novationem, sed solum fieri dicantur pro accommodatione scripturæ, vel ad alium effectum.*

22 *De conclusione, quod depositarius montium non teneatur esse solicitus de investimento, vel de multiplico, ad quem effectum procedat.*

23 *Obligatus ad investiendum, seu multiplicandum, si non adimplet, tenetur ad quanti interest id esse sequutum.*

24 *De defectu investimenti, seu multiplici quis opponere possit, an solus emptor, vel etiam alii interessati.*

25 *Emptor bonorum fideicommissariorum cum derogatione fideicommissi sub certa forma servanda in investimento, & multiplico pretii, an sibi præjudicet, si remittat d. formæ implementum.*

D I S C. XXIII.

1 Apetta antè annum 1611. ratione bancaria in Urbe per Horatium Falconerium, & Camillum Palagium, Thesaurarius Generalis in vim facultatis sibi ex Pontificio Chirographo competentis, per litteras patentes deputavit Depositarios montis *Subsidii*, nuncupari, dictos Horatium, & Camillum socios, necnon Guidum Camilli filium ad eorum vitam insolidum, & cum jure accrescendi, vel non decrescendi inter eos, facta per Camillum nomine omnium obligatione, de bene, & fideliter administrando, ac rationem reddendo, necnon de solvendo fructus Montistis, sive exigeret assignamenta, sive non, quæ est consueta formula obligationis hujusmodi depositariorum; Cumque prævia derogatione Apostolica fideicommissi ordinati per N. de Bellis hominibus, per ejusdem fideicommissi possessorem venditum fuisset Principi, seu Cardinali Burghesio quoddam Casale fideicommittentis, sub lege, in hujusmodi derogationibus apponi consueta, ut pars pretii investiri deberet in tot loca Montium, quorum fructus, ac fructuum fructus, per fideicommissi possessores investiri deberent, neque ad alium usum converti possent, usquequo conflata esset integra summa, quæ dicti Casalis valorem pro fideicommissi reintegratione adæquaret; Casus dedit, quod plura ex dictis locis montium erant de cadentibus sub hac depositaria, quam una cum ratione bancaria a dicto anno 1611. usque ad 1625. Horatius, & Camillus exercuerunt, itaut sub eorum nomine consueta mandata Cameralia directa essent; De dicto autem anno 1625. sociale negotium rationis banchariæ dissolutum fuit, novumque apertum sub nomine Camilli, & Guidi, cui novæ rationi, dicta antiqua ratio sub nomine Horatii Camilli, & Guidi, cessit pro pretio scut. 3. mill. ad commune commodum converso, dictam depositariam, exindeque de facto mandata Cameralia directa fuerunt sub nomine Camilli, & Guidi, omisso illo Horatii.

Ab hoc autem anno 1625. usque ad 1635. quo hæc nova ratio defecit, aliqui procuratores deputati per dicti fideicommissi possessores, consueverunt in aliquibus annis facere in libris, seu listis solitis receptas fructuum dictorum locorum montium, tamquam de solutis, eodemque contextu, nullo solutionis actu vere intercedente, curarunt pro eisdem fructibus, dictum fideicommissum, seu ejus possessores eorum principales describi creditores in libris dictæ rationis banchariæ, tamquam ex causa depositi, unde ob subsequutam deficientiam desperata fuit actio recuperatinnis.

Quia vero in litteris patentibus præscripta est lex, ut hujusmodi fructus exigi non possent, nisi ad effectum investiendi unico contextu, vel ad effectum eos deponendi in S. Monte Pietatis cum vinculo investimenti pro multiplico, ut consueta est formula litterarum patentium in hujusmodi locis montium, quæ multiplicis destinata sunt. Hinc proinde Petrus Fraochinus d. fideicommissi possessor, judicium instituit coram Thesaurario contra dict. Horatium tamquam depositarium, pro dictorum fructuum male solutorum reiterata solutione, & obtinuit decretum favorabile, a quo introducta per appellationem causa in Camera, & judicium prosequente Ascanio Cansacco in eodem fideicommisso per obitum Franchini succedente, pro confirmatione, & executione d. mandati, cum bina, seu trina resolutione coram Ginetto responsum fuit; sed de-

nuo commissa causa appellationis cor. Aquino, bis responsum fuit pro infirmatione, cum absolutione hæreditatis d. Horatii hoc medio tempore defuncti.

2 In hujusmodi autem tot reiteratis disputationibus, tres erant inspectiones. Una super cessata, vel respective durante obligatione Horatii, postquam de anno 1625. dissoluto d. negotio sociali, ipse tollendo se de medio, cessetat hoc depositariæ officium Camillo, & Guido Consortibus: Altera, posito quod duraret ejus obligatio, an hæc dissoluta esset per solutiones fructuum factas procuratoribus deputatis per possessores fideicommissi, quibus ad formam derogationis Apostolicæ onus, & cura multiplici incumbebat, & tertia, num hoc Jus dicendi de nullitate hujusmodi solutionum præter legem litterarum patentium, competeret solum Burghesio emptori, & in multiplico interessato, ut prætendebat reus, vel etiam possessori fideicommissi, ut prætendebat actor.

3 Quatenus autem pertinet ad primum, scribentes pro Falconerio reo convento dicebant, quod cum istud officium concessum esset Horatio, Camillo, & Guido insolidum cum jure accrescendi, vel non decrescendi inter eos, exinde resultabat, licite potuisse Horatium tollere se de medio, & cedere ejus portionem consortibus, duplicem in hoc deducendo confusionem; Unam scil. quod repudiatio æquiparatur morti, ejusque effectum Joris accrescendi, vel non decrescendi operatur, ut plene colligit Bellon. Jun. *de Jure accresc. cap. 7. quæst. 35. num. 1. cum seq.*

4 Et alteram, quod licet feudatarius, vel emphyteuta sit prohibitus alteri feudum, vel emphyteusim cedere, seu alias alienare sine Domini assensu, attamen id licite fieri potest in consortes in eadem investitura vocatos, quoties pluribus concessio facta est insolidum, & cum jure accrescendi, vel non decrescendi inter eos, quia non dicitur alienari ad notitos, & ignotos; Ac etiam quia data concessione in solidum, totum jus habitualiter esse dicitur penes singulos, juxta *cons.* 10. Calder. *de locat.* & sequuntur cæteri collecti per Ciroch. *discept. 60. n. 57.* Fulg. *de emph. tit. de alien. quæst. 1. n. 193. & seq.* Surd. *dec. 343. n. 11. & seqq.*

Multoque magis id procedere dicebant, quia d. cessioni, asseosus quoque Thesaurarii aliorumque officialium accessisse videbatur, dum a d. anno 1625. citra, immutata, ut supra forma mandatorum Cameralium, ista non fuerunt amplius directa in Horatium, & Camillum, ut prius, sed in Camillum, & Guidum, unde inferebant, ita inductam seu approbatam esse novationem; Et fortius, quia de anno 1635. vel seq. post dictorum Camilli, & Guidi deficientiam; Camera d. depositariam alteri concessetit, non citatn, vel audito Horatio quamvis adhuc vivente.

5 His tamen non obstantibus, cum sensu etiam veritatis dicebam verius videri, obligationem Horatii dissolutam non esse; ideoque probabiliores esse primas resolutiones, dictasque conclusiones, quamvis in suis casibus veras, incongrue tamen ad rem adaptari, esseque a casu extraneas; Illud in primis advertendo, clarum æquivocum continere dicium facti præsuppositum, quod ex tribus officialibus, ut supra insolidum deputatis, unus tollendo se de medio, consociis jus suum cessisset per quamdam speciem repudiationis, ob quam locum aperuerit juri accrescendi, vel non decrescendi; Id enim tunc procedere dicitur, quando unus ex pluribus habet se abstentive, ita ficte faciendo se mortuum, atque casum, se effectum mortis naturalis præveniendo, aliis locum præbeat, itaut superstites, non ex jure cesso, tamquam ex novo titulo, defectam portionem obtinere dicantur, sed ex primævo, & proprio Jure; ita per quamdam cessationem consortis acretam, seu non decretum, juxta ea, quæ in proposito feudi individui, vel Jurispatronatus, cum similibus, habeotur deducta in Mutinen. feudorum de Rangonis, *sub tit. de frud. disc. 8.* Sed non erat iste casus, quoniam ex articulis ab eod. Horatio datis, ac testibus desuper ab ipso inductis constabat, omnes tres, prioremque rationem banchariam ad commune omnium commodum, cessisse hoc officium novo negotio, seu novæ rationi erectæ per Camillum, & Guidum; ideoque isti, utpote repræsentantes novam, ac diversam personam formalem, emerant officium a seipsis, & ab Horatio aliam repræsentantibus personam officialium, cum alias dari non potuisset, citra implicantiam, ut iidem essent emptores, & venditores, atque mediante pretio accepto emisset rem propriam, illamque ex novo titulo dominii translativo acquisissent.

6 Neque novum est in jure, imo satis frequens, & quotidianum, ut in eadem persona materiali concurrere, seu

C 3 repræ-

repræsentari valeant, diversis respectibus, plures personæ formales, inter se omnino diversæ, cum concursu actuum incompatibilium inter eas, itaut unus, & idem, sit sui ipsius debitor & creditor, emptor, & venditor, mandans, & mandatarius, ex collectis per Surd. *cons.* 300. *n.* 13. *dec.* 536. *p.* 3, *rec. n.* 3. 273. *n.* 8. *&* 9. *p.* 4. *tom.* 2. *dec.* 174. post Zacch. *n.* 9. *& seqq.* & habetur frequenter, *sub tit. de credito*, *& sub altero de Cambiis*, præsertim in Rom. Cambiorum de Valentibus, ac in decisionibus in ea causa editis, & ibidem allegatis 10. Junii 1660. 10. Martii, & 4. Septembris 1662. cor. Verospio, & non negabant, quinimo his decisionibus allegatis, deducebant, ac firmiter insistebant iidem scribentes in contrarium super secunda inspectione, ut infra, distinguendo in eisdem Camillo, & Guido duas personas diversas, unam scilic. depositarii, qui fructus statutis temporibus procuratoribus fideicommissariorum, ut supra solvisset, & alteram Bancherii recipientis in depositum in ejus banco pecuniam ex dictorum fructuum exactione provenientem.

7 Hinc proinde resultare dicebam, quod cum dicta cessio per quamdam speciem venditionis, seu translativæ renunciationis, per omnes tres, tamquam repræsentantes unam personam Depositarii, facta esset d. novæ rationi banchariæ, tamquam diversæ, ac extraneæ personæ absque assensu Papæ, aliud iste actus non importabat nisi cessionem commoditatis, & exercitii, non autem substantiæ ipsius officii, quod ita cessionarius tamquam procurator in rem propriam exercere dicitur nomine officialis cedentis, & tamquam ejus substitutus, & vicesgerens. Cum enim hujusmodi officia sint de Regalibus, & proinde extra commercium sine Principis assensu, idcirco receptissima est distinctio, de qua in magistrali Romana officii scriptoriæ 1. April. 1588. cor. Pamphil. Millin. *dec.* 251. *dec.* 116. *n.* 14. *p.* 4. *rec. tom.* 2. & sæpius in præcedentibus *hoc eod. tit.* ad materiam officiorum, quod scil. aut agitur de cedenda substantia officii ejusque translatione de una persona ad alteram, & omnino necessarius est Papæ assensus, sine quo cessio est inefficax, nulliusque operationis, ratione subjectæ materiæ non existentis in commercio privato; Aut agitur de cessione commoditatis, & exercitii, firmis remanentibus & continuantibus in persona ipsius Officialis cedentis, substantia, & titulo officii, cujus vacatio ex ejus persona regulanda sit ad cessionarii commodum, vel incommodum; & tunc id absque assensu fieri possit ex sola privata conventione, in cujus casu, desumendo voluntatem a potestate, præsumptio est ita gestum esse.

8 Et hic erat casus, quoniam omnes tres officiales, utpote unam socialem, seu collegiativam Depositarii personam repræsentantes, absque assensu Papæ, vel Officialium, ad quos pertinet, ex privata conventione officium cesserunt novæ rationi, omnino diversam, & extraneam personam repræsentanti; unde cessio remanebat in terminis simplicis commoditatis, proindeque officium semper continuavit in cedentibus, quorum vice & nomine, cessionarii tamquam eorum procuratores, & consequenter ipsi tenentur de facto illius substituti, quem non ex officii necessitate, sed voluntarie deputarunt ad text. cum ibi notatis *in l. nullus*, *& l. neminem*, *Cod. de decurion. lib.* 10. & habetur plene deductum apud Rovit. *dec.* 79. Greg. *dec.* 234. Reverter. & Add. *dec.* 206. *&* 325.

Quare extraneæ remanebant d. conclusiones, quæ in contrarium deducebantur, vel super effectu mortis resultante a repudiatione, vel super cessione juris proprii ad beneficium consortium, ita obtinentium totum jure proprio, & ex beneficio juris accrescendi, vel non decrescendi, ut supra, cum in neutro casu versaremur, quoniam Horatius non cessaret abstentive relinquendo pinguiorem locum consortibus, sed diverso modo ut supra, & ad quam renunciandi speciem contradistinguendum bene conferunt ea, quæ habentur in Mursicana successionis, in Sabinen. & in aliis pluries, *sub tit. de renunc.* circa renunciationes reales vel personales, sive translativas, & extinctivas.

9 Ad superabundantiam tamen, quatenus pertinet ad dictam conclusionem feudatarii, vel emphiteutæ, licite absque Domini assensu contrahentis, seu disponentis cum consortibus, seu successoribus in eadem Investitura vocatis, dicebam ad quatuor effectus de hoc in jure agi: Primo scilicet ad illum caducitatis alias incurrendæ ob alienationem sine assensu Domini factam, & sic ad solum effectum evitandi pœnam, & tunc recte procedit conclusio, quamvis non in proximiorem, sed in remotiorem alienatio fieret, cum id nil Domini intersit, sed solum concernat jus, & interesse ipsorum vocatorum inter se, & de hoc proprie agunt Calderin. *d. cons.* 10. *& ceteris* apud Fulgin. Cyroc. & Surd. *locis citatis*.

Alter est effectus divisionis, an scilicet res feudalis, vel emphyteutica pluribus concessa, inter eos absque Domini assensu dividi possit, & tunc posita competentia omnibus insolidum cum jure accrescendi, vel non decrescendi, regulariter admittitur facultas dividendi ex deductis per Clar. *in §. emphyteusis*. *q.* 14. Fulgin. *ead. q.* 1. *sub tit. de alien. n.* 204. *& seq.* Buratt. *& adden. dec.* 50. sed cum eodem præsupposito, quod nil intersit Domini, ad cujus favorem omnes remaneant obligati, ut explicite habetur apud Clar. *d. quæst.* 14. *in fine*, & apud Cæphal. *cons.* 195. *n.* 25. & supponitur apud alios, de quibus Buratt. & Fulgin. ubi supra.

Tertius est effectus unionis in una persona, num scilicet in bonis feudalibus, vel emphyteuticis, quæ pluribus, vel quorum successio pluribus, attenta natura Investituræ, deferenda est, erigi valeat primogenitura, juxta casum, de quo in Mantuana feudi *disc.* 10 in Mutinen. feudi *disc.* 9. & in aliis *sub tit. de feudis*. Et tunc ut patet ex ibi deductis, conceditur quidem id fieri posse, quoties pariter nullum exinde resultet Domini directi interesse, vel præjudicium, secus ubi immutatio naturæ concessionis sibi præjudicat, quia nempe sua interesset plures habere Vassallos actuales quam unum.

Quartus demum est effectus circa liberationem resultantis, seu cedentis suam portionem, itaut de Vassallo fiat non Vassallus, ac eximatur a servitio aliisque oneribus feudo vel emphyteusi incumbentibus, & tunc juxta ea, quæ discursa habentur in Romana, seu &c. refutationis *disc.* 71. *eod. tit. de feudis*, difficultas cadit respectu feudorum, ob eorum peculiarem legem *in c. unico*, *de Vassallo qui contra Constitutionem Lottarii*, per quam id permittitur, & nihilominus etiam isto casu, ubi Domini interest, neque id admittitur ex ibi deductis, sed respectu emphyteusis, vel aliorum contractuum indifferentium ex juris communis dispositione regulandorum, indubitata est negativa, quoniam cum inter dantem, & recipientem sit initus perfectus contractus, vel quasi correspectivus ex mutuo consensu, idem omnino necessarius est in distractu, quia unumquodque solvi debet eodem modo, quo ligatum est; Unde propterea quando etiam versaremur in casu per dictos scribentes in contrarium ut supra præsupposito, ut scilicet unus ex pluribus officialibus per viam repudiationis, seu extinctivæ cessionis, tollendo se de medio, aliis locum integrum ex beneficio juris accrescendi relinquere voluerit, adhuc tamen, respectu Principis, vel aliorum interessatorum, in quorum gratiam Princeps hujusmodi officiales deputat, dici non poterat soluta ipsius cedentis obligatio.

Fortius vero ac extra difficultatem, ob terminorum, seu rationis diversitatem, ob quam dicta conclusio in materia feodali, vel emphyteutica remanebat etiam extranea; Cum enim, ut advertitur quoque in d. Romana refutationis, a frequentius contingentibus, feudum vel emphyteusis, majoris utilitatis, seu valoris esse soleat, quam servitii, vel præstationis onus importet, idcirco, nihil vel parum Domini interesse videtur, rem pluribus concessam, penes aliquos tantum remanere; Secus vero est in hujusmodi officiis, in quibus principaliter tractatur de idoneitate, & integritate personarum, quarum industria electa censetur, unde ex unius, vel alterius mutatione, satis grave præjudicium, vel inconveniens resultare potest, & sic termini non sunt æquales, potissime quia juxta frequentem praxim, hujusmodi negotia socialia exerceri solent per plures diversæ qualitatis, quia nempe unus notorie dives, & idoneus, ut eos quos alias ministros, & famulos habere deberet, utpote agentes causam propriam, ad majorem diligentiam alliceret, assumit in socios, & participes; unde quando Princeps, vel ejus officiales hujusmodi sociis hæc officia concedunt, principaliter respiciunt ad illum, quem certo sciunt probum, & idoneum, cujus fidem sequuntur, & sine quo alias non sequerentur illam consortium, quibus facto casu mortis d. socii principalis, probabiliter officium adimerent, ideoque repositum esse non debet in partium libito, ex privata conventione se eximere, ac deputationem alterare. 10

Proindeque dicebam, magis proximos, ac proprios videri terminos text. *in lib.* 2. *C. de dividenda tutela*, ut scilicet plures tutores a Judice, vel testatore deputati insolidum, ac munus demandatum acceptantes, non possint ex eorum privatis conventionibus se eximere, ac tollere pupillo actionem contra omnes competentem, saltem in 11

sub-

subsidium, ex deductis per Surd. *conf.* 170. *n.* 11. *cum seqq.* Grat. *discept.* 760. Capyc. Latr. *consult.* 58. Merlin. *dec.* 500. *n.* 12. *alias dec.* 3. *n.* 18. *& seq. p.* 6. *rec. dec.* 69. *n.* 6. *cum seq. part.* 11. *& in aliis.*

Et magis proxime, ac in individuo convenire dispositionem text. *in lib.* 3. *Cod. de conveniendis Fisci debitoribus lib.* 10. ubi clare disponitur, quod pluribus ad idem officium assumptis, non potest unus ex privata conventione, absque deputantia consensu ab eo se eximere, ex dicta ratione, quod unumquodque dissolvendum est eo modo, quo est ligatum.

13 Neque consensus Papæ, aut Thesaurarii, vel aliorum officialium desumi poterat ex dicta immutatione mandatorum Cameralium ut supra, quoniam necessarium non est in socialibus negotiis, omnium sociorum nomina exprimi, cum frequentius sub aliquorum, imo unius tantum nomine illa explicari soleant, prout ipsis sociis videatur, Magon. *dec. Lucens.* 1. *n.* 27. Gratian. *discept.* 768. *in princip.* Capyc. Latr. *dec.* 189. *n.* 31. Rocch. *in notabil. de societat. mercator. post primum vol. conf. notab.* 66. *n.* 138. Rot. *dec.* 193. *n.* 1. post Zacch. *de obligat.* Ideoque non ex eo, quod ipsi socii nomen variaverint, sequitur inferri posse ad hujusmodi innovationis scientiam, & approbationem, cum novatio hodie non inducatur, nisi dicatur expresse, vel
14 per actus omnino incompatibiles illam pernecesse inducentea ad text. *in l. fin. C. de novat. cum concord.* per Amat. *resol.* 50. Capyc. Latr. *consult.* 120. Ac propterea necessaria erat certa publicatio dissolutionis prioris societatis, juxta decisiones in Romana societatis de Rotignis cor. Gbisletio apud Marin. *resol.* 207. *l.* 2. *& dec.* 151. *part.* 10. *rec. alias* 30. post Salgad. cum aliis in Romana creditorum Lugi, Serenæ, *sub tit. de Credito.*

Potissime quia, etiam durante primo negotio, quam-
15 via tres essent socii in hoc officio depositariæ, attamen duorum tantum, Horatii scil. & Camilli nomen exprimebatur, neglecto illo Guidi. Ergo a nomine desumi non potest concludens argumentum: Ac etiam quia, hujusmodi deputationes fieri non solent tacite, & per actus præsumptos, sed a Papa per litteras in forma Brevis, vel Chirographum, aut a Thesaurario per litteras patentes prævio implemento obligationia de bene, & fideliter administrando, & solvendo fructus, quæ, de forma, ante officii assequutionem implenda, adjici solent, ut *dec.* 388. *n.* 2. *part.* 9. *rec.* ubi quod depositariis montium deputantur auctoritate publica.

Argumentum autem deductum ex eo, quod Papa, seu ei · officiales, adhuc vivente Horatio, eo non citato, nec a [illegible]tro, post sequutam defectionem Camilli Guidi, concessissent alteri idem officium, non concludebat: tum quia est allegare inconveniens, tum etiam, quia quoad ipsas partes inter se, officium præfatum in ordine ad commodum, jam abdicatum erat ab uno, & translatum in alterum, sed punctus erat in non translata substantia, ob quam officialia tenebatur de facto cessionarii, tanquam ejus substituti, ut supra. Unde quoad hanc primam inspectionem, reflectendo etiam ad veritatem, clarum videbatur, Horatii obligationem dissolutam non esse.

Quo vero ad secundam inspectionem alterius dissolutionis obligationis, ob solutionem, ob quam bene, & valide factam non dubitatur dissolvi quamcumque obligationem, dicebant scribentes pro reo convento, quod cum procuratores constituti per eos, quibus ex ejusdem Apostolicæ derogationis tenore incumbebat onus, & cum multiplici fecissent in listis, seu libris consuetas quietantias, tamquam de recepto, ita persona depositariorum liberata remanebat, non obstante, quod unico contextu pecunia depositata esset in eodem solventium banco, quoniam,
16 ita effinguntur in eisdem personis materialibus duæ personæ formales, una scil. debitorum ratione officii depositariæ montis solventium fructus, altera vero bancheriorum recipientium in eorum banco pecunias in depositum, ut punctualiter firmatur in Cambiorum 10. Junii 1660. 10. Martii & 4. Decembris 1662. Verospio, de qua causa habetur actum *sub tit. de Cambiis,* ubi penes illum, qui tamquam campsor, seu cedulista ementia castia a Congregatione Baronum faciebat solutiones, remanebant pecuniæ solutæ tamquam penes bancherium, seu depositarium, & sic diversam personam, quamvis actus numerationis non intercederet: ita ea legia ministerio vere subintellectus, ea collectis in dictis decisionibus, & in discursu desuper edito in d. sua materia.

Non negabam ego dictam personarum duplicitatem in eadem persona materiali, quodque data potestate in Depositario montis solvendi libere dictos fructus ipsis principalibus, vel eorum procuratoribus, ita etiam sine actuali numeratione inducta diceretur solutio, quæ virtualiter inesse dicitur novationi, seu transfusioni crediti ab una specie ad aliam, cum liberatione primæ personæ solventis, ac nova obligatione secundæ recipientis in depositum. Verum punctum difficultatis consistere dicebam in eo, quod id procederet, quando ille, cui per depositarium montis fit fructuum solutio, sive sit principalis, sive procurator, libertatem haberet pecunias exinde retractas in eodem banco deponendi, vel secum asportandi pro libito voluntatis, & ubi magis placuerit deponendas, aut in propria area reponendas, seu in alios usus convertendas, secus autem ubi depositarius solvere non posset nisi sub certa forma, seu lege, ad effectum scilicet investiendi, & in ipso actu investimenti, vel ad effectum deponendi directe, & immediate in Sacro Monte Pietatis, cum eod. vinculo investimenti.

Isto enim secundo casu, solvens alias, quam juxta di- 17
ctam formam, quoad eum, qui solutionem recipit, remanet liberatus; secus autem quoad tertium, cujus interest dictam formam servari, ut in terminis depositarii, seu banci alias male solventis, & ad reiteratam solutionem obligati ad favorem tertii, ex cujus solutione alias facta præjudicatum remanet, contra montem pietatis Urbis decisum fuit in Romana census, seu depositi 8. Martii, & 21. Junii 1641. cor. Dunoz. *inter suas dec.* 604. & successive in aliis instantiis, & de qua causa habetur pro dicto Monte Pietatis, *sub tit. de credito.*

Et de debitore census creati de pecuniis spectantibus ad fideicommissum, sub ea lege, ut in casu redemptionis, pecunia sortis principalis deponi deberet in Sac. Monte Pietatis vinculata, ad effectum reinvestiendi, pro fideicommisso, quod si libere, ac alias restituatur hæredi gravato, seu fideicommissi possessori male soluta sit, & consequenter successoribus ad fideicommissum vocatis competat actio ad reiteratam solutionem, ac si extinctio facta non esset, ex Cenc. *de Cens. quæst.* 59. *n.* 35. *& seqq.* Grat. *discept.* 45. & aliis ibidem allegatis firmatur per Rot. in Romana fructuum Census 22. Junii 1646. cor. Cerro *passim recepta, dec.* 175. *n.* 7. *&* 9. *part.* 11. *rec. & in aliis.*

Et hic erat casus quoniam ut habetur hoc titulo frequen- 18
ter ad hanc materiam locorum Montium, & in proposito jurium Hispaniæ apud Larream *alleg.* 22. *& alios*, ista loca montium non sunt aliud nisi quædam species reddituum, seu Censuum, qui emuntur a Principe, seu Republica, mediantibus litteris patentibus, ac registris publicis, quæ sunt loco instrumenti alias inter privatos iniri
soliti: Ideoque sicuti in casu, quo debitor solvit, spreta 19
lege, seu forma in ipso debiti instrumento contenta, male solvere dicitur, ut supra, ita etiam male solvit Camera, quæ proinde damnificata remanere non debet ea culpa, & facto officialium ad id deputatorum, contra quos interessati, vel directe, & immediate, vel mediate ex juribus Cameræ debitricis actionem habent.

Idemque omnino convincenter docente viva ratione 20
impracticabilitatis hujusmodi multiplicorum, ac facilis supplantationis, & destructionis omnium fideicommissorum, eludendo, & fraudando mentem Summi Pontificis, vel alterius ad id potestatem habentis, cum hac lege, & non alias derogantis fideicommisso, cujus præjudicium ita credit solum temporale, ob reintegrationem a multiplico partis pretii sequendam. Ex tali enim lege non solvendi, nisi vel ad effectum investiendi, vel deponendi in Sacro Monte Pietatis, constat evidenter Papam noluisse sequi fidem ipsorum fideicommissi possessorum, minusque aliorum bancheriorum sibi ignotorum, & privatorum, qui tam de facili decoctioni subjacent, sed solum voluisse sequi fidem, vel ipsorum depositariorum tamquam publicorum officialium in montis administratione deputatorum, quorum fidem ipse Papa sic probatam habet, vel illam Sacri Montis Pietatis probabiliter non defecturi, & tuti, & hic videbatur punctus solidissimus, ac pro meo judicio inevitabilis.

Unde propterea dicebam, quod metiendo voluntatem a potestate, non intrabat dicta novatio, seu crediti transmutatio de persona ad personam diversam, sed solum transmutatio crediti de causa ad causam, penes eamdem tamen personam officialium, & depositariorum montis, quod scilicet, cum hujusmodi fructus solvi debeant, & soleant singulo quoque bimestri, pro quo absque alterius

bimestris confusione, receptæ per creditores eorumque
21 mandatarios fiunt, isti autem fructus libere solvi non possint, sed eos cumulate oporteat usquequo confiaretur summa, congruo, & opportuno investimento apta, idcirco pro accommodatione scripturæ, fieri solent d. quietantiæ, sed unico contextu, nulla vere interveniente solutione, efformatur partita depositi penes eosdem depositarios, non tamquam tertios, & diversos, sed tamquam tales, & non immutata ista persona, itaut vere, & realiter solutio habeatur pro non facta, eo modo, quo ad effectum liquidandi servata forma ritus M.C.V. inolevit in Regno Neapolitano mos, quod viri faciunt dotantibus quietantiam de recepta dote, & unico contextu dotans se constituunt viri debitorem in æquivalenti summa ex causa mutui, quia talis transmutatio facta ad dict. effectum, vere non inducit novationem, neque operatur illos effectus, qui alias ex ea resultare solent, *ut in sua materia sub tit. de dote pluries.*

Satis quoque insistebatur per scribentes pro reo, quod cura, & onus multiplici injuncta essent venditori, alisque
22 fideicommissi pro tempore possessoribus, quorum fidem Papa sequi voluit, ideoque depositarius montis non tenebatur de tali multiplico esse solicitus, cum id ipsi demandatum non esset. Verum & hoc motivum ex defectu applicationis non videbatur habere probabilem subsistentiam: Aliud enim est agere, cuinam incumbat onus, & cura multiplici, ad effectum, ut eo debitis temporibus non facto, ac pecunia retenta otiosa, seu in alios usus erogata, jus competat interessatis petendi damna, & interesse, ac si investimentum debitis temporibus ad formam multiplici sequutum esset, juxta decisiones *in Rom. multiplici dec.* 85. *&* 668. *part.* 4. *rec. tom.* 2. *&* 3. *&* *in eadem* 18. *Martii* 1654. cor. Meltio,
23 ac habetur pluries, *sub tit. de usuris*, & ad hunc effectum, recte dicebatur depositarios non teneri de hoc esse solicitos, neque ipsis hoc onus incumbere, itant etiamsi per 100. annos pecunia penes remansisset, nihil exinde prætendi debuisset, præterquam ipsum debitum. Secus vero, quoad ipsius debiti bonam, vel malam solutionem, eodem modo, quo habetur *in d. Romana Census, seu depositi Montis Pietatis, sub tit. de credito*; si enim deponitur pecunia cum aliquo vinculo, seu alia forma, non tenetur Mons, seu alter depositarius curare, an illud vinculum, seu forma statutis temporibus impleatur, necne, sed bene solicitus esse debet, ne pecunia deposita solvatur alias, quam juxta formam præscriptam, qua neglecta, habetur, ac si solutio facta non esset, ut in decisionibus in ea causa editis, cum aliis supra allegatis.

Demum quoad tertiam inspectionem, an scilic. de prædictæ formæ violatione solum opponere posset emptor, in multiplico interessatus pro cautela evictionis, fallacia motivi erat etiam clara, id enim procederet, quando vin-
24 culum, aliam interessatum non respiceret, quam emptorem, itaut circumscripto pacto pro istius cautela adjecto, pretium esset liberum, & ad liberam venditoris dispositionem, cum tunc ipsemet venditor, qui solutionem ita male factam recipit, seu ejus hæres, aut alias ab eo causam habens, absque dubio de hoc opponere non valeat, cum sit solum interesse emptoris, qui potest illud negligere, suisque cautelis renunciare, ut advertitur in Romana Salviani 23 Januarii 1643. coram Dunozett. *inter suas dec.* 699. & habetur pluries de facto præterito ad materiam Bullæ Baron. *sub tit. de feudis*, secus vero est, ubi agitur de hujusmodi investimentis, & respective multiplicis ad præscriptum derogationis Apostolicæ pro reintegratione fideicommissi, cui derogatum est: tunc enim quamvis in verbis dici soleat, quod effectus exinde acquirendi, statu deberent primario affecti ipsi emptori in casu evictionis, & molestiarum, secundario vero pro fideicommisso, ac vocatis ad illud; nihilominus, quoties, ut in præsenti, derogatio continet eam formulam, quam Pontifices quandoque adjicere solent, in gratiam emptoris, illum scilic. non teneri de investimento, & multiplico respective esse solicitum, eximendo ipsam rem ab omnibus vinculis, & hypothecis, illaque transferendo in pretium, tunc hujusmodi investimentum, quoad ipsum emptorem est, vel superfluum, vel parum necessarium, unde propterea, quidquid ut supra dicatur in verbis, in rei tamen substantia, principale interesse est vocatorum ad fideicommissum.
25 Idque adeo verum; quod Rota in Romana Vineæ coram Lichio *dec.* 10. *&* 278. *part.* 9. *rec.* fuerit in sensu, emptorem neque posse hujusmodi vinculis, & investimentis in Apostolica derogatione demandatis expresse renunciare, quia quod ita violando formam in d. derogatione præscriptam, reddatur indignus, illaque sibi non suffragentur. Quicquid enim sit de veritate istius assumpti, quoties præsertim consensus taxative præstatur *pro eo, quod concernit proprium interesse, propriamque cautelam tantum, & non alias aliter, nec alio modo*, ut continua cautela est illum præstandi. Attamen id satis considerabile videtur in proposito, per argumentum a fortiori, ad inspiciendum quod primarium, ac principale interesse in substantia sit vocatorum ad fideicommissum. Dictarumque decisionum ratiocinium, seu discursus optime comprobat rationem superius insinuatam, quod scil. ob impracticabilitatem alias resultantem, atque hujusmodi multiplicorum facilem fraudem, quæ alias sequi posset, ut supra pernecesse dare oportet in Montium Depositariis hanc obligationem adimplendi dictam formam, quoties tamen per eorumdem montium Secretarios, in listis, quæ eis dari solent, insinuatur vinculum, secus autem si negligatur, cum tunc depositarius recte solvat, obligatio autem ad damna transfundatur in Secretarium in suo munere deficientem.

Ut enim advertitur *in dicta Romana census, seu depositi pro Monte Pietatis sub tit. de Credito*, principalis interessatus, in cujus præjudicium solutionis forma neglecta est, actionem habet contra ipsum corpus inanimatum Cameræ, seu Montis, &c. sed quia istud est incapax culpæ, pernecesse supponendæ in aliquo ex ejus officialibus super hoc deputatis, obligatis proinde ad ejus indemnitatem, idcirco sicuti in banco culpa supponenda est, vel in ratiocinatore, vel in capserio, ita in præsenti, danda est, in Secretario, vel in Depositario, prout respective aliquis eorum culposus fuerit; Verum eis non obstantibus persistum fuit in ultimo loco decisis ad favorem rei conventi; incertum autem est, quænam fuerint fundamenta resolutionis cui intellectus reflectendo etiam ad veritatem non acquievit, dum hoc Tribunal non habet stylum Rotæ edendi decisiones rationem addentes de resolutis.

ROMANA LOCORUM MONTIUM DE FALCONERIIS PRO HÆREDE ALEXANDRÆ FALCONERIÆ, CUM HÆREDE HORATII ETIAM FALCONERII,

Casus sopitus per Concordiam.

Facta resignatione locorum montium vacabilium sub reservatione facultatis disponendi ad favorem resignantis, quatenus in vita disponere velit, si resignatarius prædecedat resignanti, qui nulla facta dispositione etiam moriatur, ad quem d. loca de revocabilibus facta perpetua pertineant.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Quando loca montium de aliena pecunia acquisita in faciem alterius, an istum spectent, & censeantur donata.*
3 *Quando dicatur donatio causa mortis, & substantia donationis collata in tempus mortis.*
4 *Dari potest donatio pura, & inter vivos, subjecta revocationi, seu resolutioni.*

D I S C. XXIX.

Horatius Falconerius creditor in satis notabili summa 1
montis Salis vacabilis, loca decem cum fructibus ex tunc decurrendis, resignavit ad favorem Alexandræ, ejus ex fratre neptis, sua reservata dispositione sortis principalis tantum, sub conditione, quod si in vita non disposuerit, post ejus mortem, libera dictæ Alexandræ remanerent. Extinctoque monte prædicto, pretium in alia loca montium non vacabilia, cum eisdem conditionibus investitum.

Obiit prius Alexandra, & deinde post aliquod tempus, nulla facta dispositione, obiit etiam Horatius, unde inter utriusque hæredes orta est controversia super hujusmodi locorum pertinentia. Et cum concorditer causa in Rota, ibique assumpta disputatione: Pro hæredibus dictæ Alexandræ scribens (cum aliquo etiam sensu veritatis) dicebam pro istis probabilius respondendum esse,

pro-

procedendo enim cum distinctione tradita etiam in proposito officiorum *in Romana hareditatis hoc eodem tit. discurf.* 1.

2 Quatuor casus distinguendos esse advertebam, quorum primus est, ubi quis cum propriis pecuniis emit hujusmodi jura, sub nomine, & in faciem alterius absque aliqua reservatione, & tunc censetur inducta pura, & libera donatio ad favorem ejus, in cujus faciem acquisitio facta est, Seraph. *dec.* 1303. *n.* 3. *&* 9. Grat. *discept.* 50. *&* 221. *Romana legati scut.* 50. *m.* 11. *Maii* 1640. cor. Dunozett. *inter suas decis.* 569. *& in aliis*, solumque isto casu cadit difficultas, de qua *dec.* 54. *p.* 3. *rec. & in aliis*, quoties illi, ad quorum favorem hujusmodi acquisitio facta est, sint tales, quod eis debita sit legitima in bonis acquirentis, an scil. hujusmodi donatio in eam imputanda sit.

3 Alter est casus, ubi facta dicta emptione, fit etiam reservatio dispositionis ad favorem acquirentis, & Domini pecuniæ, simpliciter, & indeterminate, & tunc omnimodum dominium esse dicitur acquirentis, nullo jure quæsito resignatario, cujus persona, tantum electa, seu demonstrata dicitur pro periculo vitæ, seu pro vacationis casu, & non alias, Caval. *decis.* 603. *&* 635. Buratt. *dec.* 863. *Rom. Officii* 2. *Junii* 1656. *&* 25. *Maii* 1657. Dunozet. & in aliis, quia est propositio plana, qua nil frequentius in Curia, unde moriente reservatario, tale jus, seu dominium remanere dicitur in ejus hæreditate, absque eo, quod Titularis quicquam prætendere valeat.

Tertius casus est mixtus, ubi scil. acquirens sibi reservat disponendi facultatem, sed limitatam ad ejus vitam, alio non expresso, & tunc receptum est, hujusmodi sic limitatam reservationem importare ad favorem Titularis quandam donationem conditionalem sub conditione resolutiva, quatenus scil. acquirens non disponat, Grat. *d. discept.* 40. *n.* 110. *&* 221. *n.* 3. admittitur apud Buratt. *d. decis.* 963. *nn.* 5. *&* 6. *in Rom. legati scut.* 50. *m.* 11. *Maii* 1640. cor. Dunozet. *inter suas decis.* 560. *& est dec.* 157. post Merlin. *de legit. & in Rom. hæredit.* 9. *Aprilis &* 3. *Decembris* 1663. cor. Ninot, *de qua causa hoc tit. ut sup. disc.* 1.

Quartus demum est casus minus dubitabilis, ubi ultra dictam limitationem adjectam facultati disponendi in vita, adjicitur etiam declaratio, quod si non disposuerit, remaneat jus prædictum in dominio, & libera dispositione Titularis, & tunc res est indubitata non admittens disputationem juxta terminos text. *in l. ille aut ille*, *ff. de legat.* 3. ut in specie habetur in Rom. Scripturæ cor. Marcomontio registrata apud Grat. *d. discept.* 221. *num.* 12. & post Pacif. de Salviano *dec.* 150. & admittitur in proxime allegatis decisionibus Romana legati cor. Dunozet. & Romana Hæreditatis cor. Ninot, unde cum versaremur in his ultimis terminis, dicebam casum esse planum.

Alterius partis defensores, agnoscentes hujus distinctionis veritatem, illam non controvertebant, sed se restringebant ad punctum, quod hæc esset donatio causa mortis, cujus substantia post donatoris mortem collata erat, quo posito inferebant, quod cum donataria donatori prædecesserit, donatio remansit caducata, neque proinde ad donatarii hæredes transmitti potuit ex deductis per Menoch. *lib.* 3. *præs.* 37. *nu.* 43. Noal. *de transmiss. casu* 45. *num.* 1. *& alios passim in sua materia sub tit. de donat.* cum esset juris principium, quod ego non impugnabam.

Ideoque tota controversia restringebatur ad hunc punctum, an dicenda esset donatio causa mortis, cujus substantia post mortem acquirentis collata esset, vel potius pura & inter vivos, sub facultate revocandi, sive sub aliqua conditione resolutiva concepta. Et omnino probabilius dicebam in his ultimis terminis versari, cum agatur de actu puro & perfecto, subsequuta etiam actuali traditione, itaut ipsius juris Dominium jam residere diceretur in persona
4 Titularis quamvis resolutioni subjectum, cum non implicet fieri donationem inter vivos puram, & perfectam sub dispositionis reservatione, sive sub aliqua conditione, vel pacto resolutivo, ex deductis apud Thesaur. *decis.* 97. in Mediolanen. donationis 10. Junii 1645. 16. Martii 1646. cor. Ghislerio, & in aliis.

Quod si procedit in omni materia indifferenti, multo magis procedere dicebam in hujusmodi juribus cum Principe, quæ quoad ipsorum substantiam, vere, & proprie residere dicuntur in persona Titularis, a cujus vita eorum vacatio, seu cessatio pendet, quamvis dispositio pretii & emolumentorum esset alterius; Donatio enim causa mortis, licet in fieri habeat figuram contractus, attamen, in facto esse dicitur potius ultima voluntas, quod hic ratione subjectæ materiæ nullatenus congruere poterat, dum vita reservatarii adjecta solum erat pro tempore in quo voluit donator reservatam facultatem posse exercere, & sic non donatio collata erat ad tempus mortis, sed potius disponendi facultas restricta ad tempus vitæ.

Adducebantur per alteram partem decis. in Romana legati scut. 50. mil. 16. Jan. & 11. Maii 1640. coram Dunoz. inter suas *decis.* 560. *&* 579. quarum secunda est impressa *decis.* 157. post Merlin. *de legitim.* firmantes hujusmodi reservationes post mortem, & in casu non factæ dispositionis, importare donationem causa mortis, & istæ magnam judicantibus inferebant difficultatem stante abusu, quod auctoritates speciales magni fieri solent, non examinando circumstantias in quibus loquuntur, earumque fundamenta; Replicabam tamen dictas decisiones (in eorum casu etiam revocatas in alia instantia cor. Cerro, *ut dec.* 41. *part.* 9. *rec.*) percurrere terminos diversos, quia Marchio Justinianus emerat officia & loca montium sub nomine diversarum personarum, cum decreto reservationis dispositionis ad ejus favorem, quodque eo non disponente in vita, censeretur idem decretum post ejus mortem reservatum ad favorem Camilli de Maximis, cujus respectu bene dicitur talem reservationem factam esse per speciem donationis causa mortis, quia nil in vita ei traditum erat, sed tota dispositionis substantia residens penes Marchionem collata erat post ejus mortem, ante cujus casum nil penitus nisi nuda spes transierat in donatarium, sed non erat iste casus controversiæ, dum loca montium jam perfecte resignata erant Alexandræ, cui etiam fructuum perceptio ac dispositio illico data erat, unde facultas disponendi Horatio reservata, in effectu importabat solum speciem conditionis, seu pacti resolutivi, ut admittitur *dec.* 149. *post num.* 9. post Pacif. de Salviano, & quod sit conditio potius resolutiva, quam suspensiva habetur in terminis *d. decis.* 41. *n.* 69. *part.* 9. *rec.*

Quodque dicta donatio esset vere perfecta & translativa dominii ab initio, subjecta solum resolutioni, considerabam quod hæc non erat acquisitio mediante resignatione ab alio facta, sed facta per eumdem Horatium priorem Dominum, unde implicare videbatur, quod idem dominium continuaret in eadem persona, quæ esset resignans, & resignatarius, cum claro concursu actionis & passionis in eodem subjecto: Item quod donec Horatius disponeret de sorte, fructus currebant ad favorem Alexandræ, quæ donec vixit per plures annos percepit, atque de eis nulla erat controversia; igitur ipsa erat Domina, cum fructus sequantur dominum; ideoque non videbantur verificabiles termini donationis causa mortis, cujus substantia collata esset in tempus mortis donatoris, penes quem dominium ita perseverare dicitur, minusque applicabiles termini dictarum decisionum, quæ adducebantur tanquam punctuales, quia in Camillum reservatarium nil de præsenti translatum fuerat, atque ad nullam traditionem facti devenerum, sed erat sola spes eventualis, ac actus expectans perfectionem a futuro eventu.

Dicebatur etiam per alteram partem, quod contractus initus sub conditione mere potestativa, dicitur imperfectus, recipiens perfectionem ex tempore purificationis absque retroractione; cum hæc sit differentia inter conditionem potestativam, & casualem vel mixtam, sed de facili tolli putabam objectum cum eadem responsione, ut id scilicet procedat in conditione suspensiva, quæ se opponat principio acquisitionis, ac perfectionem actus impediat; secus autem in conditione resolutiva, quæ supponit actum perfectum, & purum licet resolubilem ex dec. per Mantic. *de conject. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 20. Causa bis proposita, ob difficultates capta non fuit resolutio. Unde, eadem Rota insinuante, concordia terminavit quæstionem.

ANNOT. AD DISC. XXIV.

Cum pluribus sequentibus.

S U M M A R I U M.

1 *DE implicita donatione emendo loca montium in faciem alterius.*
2 *De securitate ementis loca Montium.*
3 *De valutatione locorum Montium vinculatorum.*
4 *De fructibus locorum vacabilium.*
5 *De evictione præstanda in venditione locorum vinculatorum.*

SUper puncto particulari contento in hoc discursu 24. 1
implicitæ scilicet donationis, quæ inesse dicitur, quando per

do per neum emuntur cum sua pecunia loca Montium in faciem, vel in personam alterius, est actum supra in Annot. ad d. disc. 1. occasione agendi de eodem puncto circa emptiones motorum, cum intrent iidem termini.

2 Quæstiones autem magis frequentes, quæ in hac peculiari materia contingere solent, percutiunt libertatem, & quando tertius possessor reddatur immunis ab hypothecis, aliisque vinculis, & oneribus, quinimo etiam a jure dominii prioris possessoris, ultra deducta in his discursibus, distinguendo plures casus pro materiæ dilucidatione, advertitur infra in Romana locorum Montium de Justinianis *disc.* 163.

3 De valutatione autem locorum Montium vinculatorum, juxta deducta *disc.* 30. *& seq.* quando præsertim agatur de venditione juris possessoris ad vitam, quomodo scil. vita hominis æstimetur, plane agitur *sub tit. de donat. disc.* 54. & de contentis *disc.* 32. super pacto redimendi, an causet usuram, in sua materia *sub tit. de Usuris*.

4 Et de contentis *in disc.* 35. super fructibus locorum Montium vacabilium exactis per vitam, conferunt deducta *sub tit. de Dote disc.* 148. *& disc.* 168. *n.* 42.

5 Ad casum, de quo *discurs.* 37. an, & ad quid teneatur venditor locorum Montium vinculatorum, quatenus ab emptore avocentur per alium, agitur in specie cum eod. Alvaro venditore infra *discurs.* 164. ubi etiam declarantur ea, quæ habentur supra *disc.* 31. an scil. & quando eidem venditori, ex novo jure supervento liceat venire contra factum proprium, & revocare alienationem non restituto pretio.

FLORENTINA LOCORUM MONTIUM

PRO JACOBO, ET VINCENTIO DE QUARATESIIS.

Discursus pro veritate.

Resignans loca montium, sibi reservata facultate disponendi, si non disponat expresse, an censeatur disposuisse per solam institutionem hæredis universalis, & quando.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Damnatur stylus pragmatice immorandi in solis auctoritatibus.*
3 *Facultas disponendi, an censeatur deducta ad exercitium per institutionem hæredis.*
4 *Translatio locorum montium cum reservatione facultatis disponendi, an importet donationem, & quam.*
5 *Donatio censetur revocata per alterius institutionem, & num. 8.*
6 *Quando dicatur donatio inter vivos, vel causa mortis.*
7 *Dari potest donatio inter vivos revocabilis, sed resolubilis.*
8 *Declaratur conclusio, de qua num. 5.*

D I S C. XXV.

1 POssidens Antonius Quaratesius loca 36. montis pii Florentiæ, de anno 1664. ea resignavit, atque ab ejus persona transferri mandavit in illam Franciscæ Alemannæ, ad effectum, ut sequuta ipsius morte, d. Francisca esset eorum usufructuaria ad vitam, qua finita, transire deberent in Teresiana Capponiam, cum reservatione ad favorem ipsius Antonii, ususfructus, & facultatis quandocumque de dictis locis montium ad libitum disponendi, & per illa verba, *ad ogni mio piacere*.

Obiit Antonius de anno 1666. condito testamento, in quo *in omnibus ejus bonis, mobilibus, stabilibus, semoventibus, Juribus, actionibus, & creditis montium cujuscumque generis, & ubicumque existentibus*, instituit hæredes, Jacobum, & Vincentium de Quaratesiis nepotes; unde propterea orta est controversia super dictis locis 36. an scil. per dictam generalem dispositionem de illis dispositum censerentur, itaut ad hæredes pertinerent, vel potius ob dictam reservatam facultatem ad exercitium non deductam pertinerent ad Alemannam, vel Capponiam.

2 Scribens tamquam Advocatus ad causæ opportunitatem pro dictis Jacobo, & Vincentio hæredibus, sciensque ubique invaluisse damnabilem usum pragmaticum, immorandi in auctoritatibus individualibus, non perscrutando, an sint veræ vel fallaces, & fortius non curato, an vere in casu 3 suo applicentur necne ad casum controversiæ, & in quo malæ applicationis puncto totus effectus perniciosus hujusmodi abusus consistit, adducebam tamquam individuales, ac præcisas tres Rotæ decisiones in Romana locorum montium 16. Junii 1659. & 5. Martii 1660. cor. Priolo, & 10. Decembris ejusdem anni cor. Taja, quarum duæ priores sunt impressæ apud Altograd. *post controv.* 48. in quibus firmatur, facultatem a testatore hæredi gravato tributam disponendi de locis montium ad exercitium deductam censeri, per solam institutionem universalem.

Quas decisiones dicebam loqui in terminis fortioribus, in quibus agebatur de disponendi facultate concessa hæredi gravato fideicommissi onere, multo magis in præsenti, dum agebatur de talis facultatis reservatione ad favorem ipsiusmet 4 Domini, qui sic fecisse dicebatur quandam donationem causa mortis valituram, quatenus donator in eadem voluntate perseverasset usque ad mortem, a qua perfectionem recipiebat, ut in his specialibus terminis officiorum habetur in Romana legati, scut. 30. mill. 16. Januarii, & 11. Maii 1640. coram Dunozetto inter suas *decis.* 560. *&* 579. quarum posterior est impressa *decis.* 157. post Merlin. *de legit.* & habetur discursum in Rom. locorum montium de Falconeriis *hoc eod. tit. disc. praeced.*

Ponderando etiam in aliquibus majores circumstantias in præsenti casu concurrentes, quæ deerant in allegatis decisionibus coram Priolo, & Taja, quod scil. ibi tota hæreditas 5 consistebat in illis locis montium, itaut quando facultas disponendi importaret illam libertatem, quam ibi Rota credidit, fideicommissaria dispositio esset inanis, & fatua, ut habetur deductum in casu dictarum decisionum sub tit. fideicommissi, in Rom. locorum montium de Buoncompagnis. Et altera, quod in hac institutione hæredis specialiter dicitur eam fieri, etiam in locis, seu creditis Montium, quæ verba in aliis verificari non poterant, dum alia hujusmodi Jura in hæreditate non aderant. Ponderando etiam circa tacitam, & implicitam dispositionem, sed dictæ facultatis usum, firmata in Romana hæreditatis 9. Aprilis, & 3. Decembris 1663. cor. Ninot, de qua causa habetur pariter hoc titul. ad materiam officiorum *disc.* 1. Et de implicita revocatione donationis revocabilis per generalem dispositionem *decis.* 27. *n.* 7. *& part.* 7. *rec.*

Quamvis autem hæc deducerem tamquam Advocatus, addendo illas alias regulas, & conclusiones generales, quas Advocatorum consuetudo est deducendi pro ornatu consiliorum, seu informationum, ita ignaro vulgo placentium, libere tamen requirentibus, juxta stylum, insinuavi, me non levem difficultatem contra eos sentire, tum quia dictas decisiones cor. Priolo, neque in eo casu tutas credebam, ex iis quæ in ea causa habentur deducta *sub titul. de fideicommissis*. Tum etiam quia, nempe verum credebam assumptum, ut dicta translatio, sub reservata 6 facultate disponendi, importaret donationem causa mortis expectantem perfectionem a morte: Hujusmodi enim donationis natura est, ut interim bonorum donatorum dominium non abdicetur a donante, donec vivit, itaut licet illa initii speciem contractus habeat, attamen in facto esse est potius species ultimæ voluntatis, quod repugnat translationi locorum Montium, quæ fit ab uno in alterum, cum tunc in translatarium, tamquam ex novi Juris eformatione, substantia ipsorum locorum, seu jurium transire dicatur, ut in proposito habetur in d. Rom. locorum Montium de Falconeriis *hoc tit. disc. praeced.*

Fortius vero accedente reservatione ususfructus ad favorem ipsius donatoris, seu resignantis, hoc enim de directo adversatur donationi causa mortis, ac per necesse supponit donationem inter vivos ab initio perfectam, & translativam dominii, & possessionis bonorum donatorum in donatarium, quia cum ususfructus sit servitus, quæ dari non potest in re propria, non potest quis esse eodem tempore Dominus, & usufructuarius, ut in proxime allegata de Falconeriis, ac non semel in sua materia *sub tit. de donat.* ideoque probabilius dicendum venit, hanc esse donationem ab initio validam & perfectam inter vivos, sub certa conditione resolutiva conceptam.

Regulariter enim, & attenta sola juris dispositione, 7
in hoc differunt donatio inter vivos, & causa mortis, ut ista sit revocabilis, illa vero secus, sed nulla implicantia adest, ut etiam illa de sui natura irrevocabilis,

attamen ex conventione possit esse revocabilis, vel sub certa conditione resolubilis ad text. *in l. 1. C. de condit. quæ sub mod. & l. fin. C. de donat.* utrobique scribentes, de quibus in Mediol. donationis 10. Junii 1645. 16. Martii, & 17. Decembris 1646. Ghisletio: Et de emptione officiorum, vel locorum Montium in faciem unius sub reservatione decreti, seu facultate disponendi limitata in vita, quod importet donationem resolutivam, habetur etiam ad materiam officiorum in dicta Romana hæreditatis, seu officii *disc.* 1. & in aliis frequenter hoc *eod. tit.*

Posito autem, quod donatio sit ab initio perfecta, & translativa dominii in resignatarium, sub certa conditione resolutiva, quatenus non disponatur; tunc requisita videtur dispositio specialis, per quam declaretur mutatio animi, in dubio non præsumenda; Eatenus enim per subsequentem
8 testamentariam, seu aliam generalem dispositionem censetur a priori donatione recessum, ac probatur animus adimendi, quatenus præcedens donatio sit universalis omnium bonorum, itaut subsequens dispositio sit cum donatione incompatibilis, & his terminis loquitur *decis. 27. part. 7. rec.* quæ data incompatibilitate *eod. n. 7. &* 8. contraria potius firmat per text. *in l. cum hic status, §. 1. ff. de donat. inter virum, & uxor.* Et de sequenti dispositione generali non complectente revocationem reservationis decreti, seu alterius dispositionis in terminis officiorum, Pacific. de Salviano *insp. 3. c. 2. n. 666. & seqq.*

Et licet mentio specifica locorum seu jurium Montium, aliquam inferret difficultatem, attamen testamenti tenor ostendebat, id provenire a consueta superflua formula Notariorum exprimendi sub hæredis institutione bona stabilia, mobilia, aurum, argentum, jura, actiones, nomina debitorum, jura Montium, & quæcumque alia, itaut hæc generalis expressio sufficere non videretur, dum aderat possibilitas acquirendi alia loca Montium ante mortem, nisi alia accederent adminicula mutatæ voluntatis, quodque ex iis desumi posset immutata voluntas, & sine quibus credebam hæredes malum jus potius fovere, quamvis Menoch. *cons.* 210. *per totum, & cons.* 1130. *num.* 8. *& seq.* late sustineat generalem expressionem hujusmodi comprehendere ea, quæ erant sub facultate disponendi ad beneplacitum; Quod tamen mihi non satisfacit; incertus est exitus, quia causa extra Curiam.

MEDIOLANEN. SEU JANUEN. LOCORUM MONTIUM,

PRO JOSEPHO MARIA ET MARCELLO DE DURATIIS.

Responsum pro veritate extra Curiam.

De materia locorum montium, sed jurium, quæ habentur cum Principe, vel Republica, an & quomodo sint in commercio, & de uno in alium transferantur, & an retineant hypothecas vel alia vincula.

De retentione seu compensatione competente creditori posteriori vel chirographario in præjudicium Creditoris anterioris vel hypothecarii, quando intret, & practicari possit, & præsertim post mortem debitoris: Et an in prohibitis alienari sine assensu, quatenus iste accedat alienationi, sed non pacto de retrovendendo, istud valeat, & sit operativum.

Et de effectu dicti pacti pro reviviscentia antiqui dominii.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De natura locorum montium, eorumque libero transitu ad resignatarium, & de ratione.*
3 *Locorum montium dominium non transfertur ex solo pacto partium, nisi accedat auctoritas officialis.*
4 *Emptor cum pacto de retrovendendo interim est perfecto Dominus.*
5 *De venditione feudi cum pacto de retrovendendo, super quo non adsit assensus præstitus super sola venditione.*
6 *Compensatio non datur de specie ad quantitatem.*
7 *An detur compensatio in præjudicium creditoris intermedii.*
8 *Emptor cum pacto de retrovendendo, an habeat retentionem adversùs venditorem pro aliis creditis.*
9 *An pro litteris Cambii competat hypotheca.*

D I S C. XXVI.

OLim Augustinus Ayrolus sub nomine Joanois Baptistæ Balbi possidebat duas partitas Montium S. Caroli Mediolani, unam scutorum 60. m. alteram scutorum 23236. quorum omnium dominium & utilitatem spectare ad Ayrolum, atque Balbum habere nudum nomen hic per publicum instrumentum declaravit. 1

Sub eisdem Balbi nomine de mense Julii 1654. vendita fuit d. secunda partita scutor. 23236. Cæsari Ayroldo cum pacto redimendi, atque pro hujusmodi redemptionis effectu assignati fuerunt præfacto Ayroldo fructus primæ partitæ scutor. 60. m. conventione habita, quod singulis annis temporibus pro rata dictorum fructuum exigenda, renocedi debeat rata dictorum Montium.

De mense Octobris 1656. Ayrolus vendidit Joanni Philippo Spinulæ dictam primam partitam scut. 60. m. cum Jure percipiendi fructus, postquam tamen sequuta erat satisfactio Ayroldi pro retrovenditione prædictæ alterius partitæ scutorum 23346. Et de mense Julii 1657. idem Ayrolus mediante publico instrumento cessit Spinolæ ratas montium Ayroldo ut supra venditorum. Et cum dicti fructibus pro tempore remediorum, nulla facta expressione causæ, ob quam hujusmodi cessio fieret; Atque de præcedenti mense Maji idem Ayrolus accepit ad Cambium a Datariis scutorum 8. m. auri marcharum.

Deinde mense Novembris 1658. Ayroldus ratam dictorum Montium adhuc non redemptam importantem summam scutor. 12879. vendidit seu cessit Duratiis, cum jure sibi competente exigendi fructus dictæ alterius partitæ scutorum 60. m. pro dictæ restantis ratæ redemptione, ac de tempore cessionis prædictæ, tam Ayroldus cedens, quam Duratii cessionarii, erant ignari præfatæ cessionis, quam Ayroldus de mense Julii 1657. fecerat Spinulæ.

Mortuo demum Ayrolo gravi æris alieni mole presso, quamvis in vita non esset declaratus decoctus, itaut hæreditas defecta, & creditoribus minus idonea detecta sit; Cum Duratii dictos fructus scutorum 60. m. exegerint in tanta quantitate, quod dictorum aliorum Montium pretium jam adæquarint. Unde propterea factus est locus obligandi Ayroldi, in qua sibi successerunt, restituendi Ayrolo, seu ejus hæreditati dicta loca Montium utpote jam redempta.

Orta est difficultas, an iidem Duratii pro d. alio credito scutorum 8000. Cambii prædicta loca montium retinere, sibique appropriare potuerint, vel possint in præjudicium Spinulæ cessionarii, & quæ actio d. Spinulæ competeret, ac desuper per Duratios pro veritate consultus respondi, ut sequitur.

Pro clariori resolutione prænotanda est peculiaris qualitas, & natura hujusmodi Montium, quæ tamquam jure cum Principe vel Republica, non sunt in libero commercio, absque ejusdem Principis vel Reipublicæ assensu, præstari solito per Officialem ad id deputatum, quo accedente, transeunt in emptorem, seu resignatarium libera ab omni hypotheca, alioque vinculo, cui penes venditorem, priorемque possessorem affecta essent, quia fingitur, vendentem seu resignantem illa refutare in manu ipsius Principis, itaut sequatur extinctio, deindeque per actum occultum novæ efformationis, illa de novo constitui, & conferri emptori seu resignatario, illa recipienti immediate ab ipso Principe vel Republica, itaut consensus venditoris aliud non sit, nisi instrumentum seu causa effectiva concessionis. Adinstar resignationum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ fiunt apud Papam ad favorem certæ personæ, quia resignatarius obtinet beneficium directe a Papa, non autem a resignante, qui solum tollendo se de medio causat vacationem, quæ causa est collationis, ideoque aliud non retinet vinculum nisi illud, quod ab eodem Principe, vel ejus officiali, in litteris, seu decreto translationis continetur, Larrea *alleg.* 22. Salgad. *in labyr. p. 2. cap. 27. num. 39. & seq.* quis loquuntur de Juribus Hispaniarum. a

Et de locis Montium Urbis Gratian. *disc.* 730. *num.* 48. Cenc. *de Cens. quæst.* 29. *n.* 13. Merlin. *de pign. lib. 2. tit. 1. quæst. 14. n.* 28. Rota *decis. 77. num. 20. p. 6. rec.* quod etiam ad uberiorem cautelam expresse declaravit Urbanus VIII. in ejus motu proprio de ann. 1639. & sæpius habetur in aliis hoc eodem titulo ad istam materiam locorum Montium.

Unde

Unde si quis alteri vendat, seu cedat hujusmodi Jura, non dicitur perfecta venditio translativa dominii, sed tan-
3 tum tractatus, vel promissio de vendendo, inducens solum obligationem personalem ad factum, non tamen tribuens jus in re, ut bene in his terminis Rota in Romana laudi, seu locorum Montium 19. Maii 1641. Verospio, & in Romana locorum Montium 29. Novembris 1660. Bevilaqua, & hoc *eod. tit. in Rom. de Monaldensibus disc. 41. & in aliis*; Et ex hoc in proposito resultat, quod cessio hujusmodi locorum redimendorum ab Ayrolo facta Spinolæ, nullum in istum transtulit dominium, vel jus reale.

His prænotatis, videndum est, an in ipso decreto translationis, seu intestationis hujusmodi Montium, a persona Balbi ad illam Ayroldi, contineatur, necne reciproca obligatio redimendi, & respective retrovendendi, vel potius existente intestatione libera, istud jus resultet ex privata ipsarum partium conventione.

Si enim in ipsius translationis decreto, seu litteris, hoc redemptionis vinculum utrimque obligatorium adjectum est, itaut, Principis, vel officialis ad id deputati assensus accedat, tunc eorumdem jurium, seu Montium dominium non videtur omnino abdicatum a venditore, & translatum in emptorem, sed retinere dicitur prioris dominii aptitudinem, atque jus redimendi afficit ipsam rem ejusque substantiam; itaut sequuto casu reimbursationis pretii, tamquam ex purificata conditione resolutiva, res dicatur eo ipso effici de dominio venditoris, seu verius, antiquum dominium, sublato impedimento, continuare jure suo primævo, tamquam a somno excitatum

Quamvis etenim emptor cum pacto de retrovendendo,
4 interim non sequuta redemptione, ad effectum periculi, & alios quoscumque, ex veriori sententia dicatur perfecte Dominus, ex plene deductis per Buratt. *decis.* 677. *n.* 1. Rovit. *super pragm. 1. de jur. & exact. fiscal. n. 81. cum seq.* attamen sequuto casu redemptionis, causa reducitur ad non causam, atque per speciem retrotractionis, excitatur antiquum dominium, quod continuare dicitur, non autem novum acquiri, illudque excitatur eo ipso quod pretium est restitutum absque aliquo facto hominis, sed solo ministerio legis.

Si vero translatio, seu intestatio est libera, pactum autem redemptionis resultat ex privata conventione, tunc ipsa loca montium sunt in libero, pleno, & non resolubili dominio resignatarii, neque resignanti remanet aliquod jus reale, quod prioris dominii conservationem importet, seu ipsius rei substantiam tangat, sed solum tale pactum obligat personam paciscentis, cogendam in actione personali ad præstandum factum promissum, quia in hujusmodi bonis, & juribus indifferentibus, absque Principis, vel alterius superioris assensu, de uno in alium non transmissibilibus,
5 sola partium conventio non operatur. Ut habemus in similibus terminis feudorum in commercio sine Principis assensu existentium ex dispositione *cap. Imperialem, de prohib. feud. alien. per Fedric.* quia si quis vendat feudum cum pacto de retrovendendo, cum Principis assensu, præstito super venditione, non autem super pacto, itaut in regestris, seu quinternionibus Domini, emptor describatur libere, & simpliciter absque dicto vinculo, tunc quidquid sit de quæstione inter feudistas, an ob nullitatem pacti, propter individuum voluntatis vitietur etiam ipsa venditio, quamvis habeat assensum, vel potius illa valida existente, ipsum solum pactum vitiatum remaneat, de quo *sub tit. de feud. in Rom. pro Guelfa disc. 69. in Camerinen. jurisdictionis, disc. 67. & in aliis*. Hoc unum tamen certum est, omnesque concordant, per hujusmodi pactum a Principe non approbatum, & in ipso assensu non contentum, nullum jus remanere venditori, & priori Domino ad ipsam rem ejusque substantiam, sed solum, juxta opinionem aliquorum, (a Regnicolis tamen non admissam,) ex eo resultat actio personalis ad factum, sive ejus loco actio ad interesse, ut constat ex deductis in specie per Afflict. *in Constitutione Constitutionem divæ memoriæ numer.* 31. & generaliter per Hotbein. *controv.* 26. *n.* 55. *& seqq.*

Effectus hujus distinctionis in proposito est maximus, quia si pactum redimendi continetur, juxta primam distinctionis partem, in ipso decreto, seu litteris translationis, stante subsequuta reimbursatione pretii, per quam purificata est conditio resolutiva, dominium Montium remanet in hæreditate Ayroli defuncti, atque Ayroldus, sive Duratii in ejus locum subrogati, dicuntur debitores ipsorum Montium in specie per resolutionem eorum dominii, con-
6 sequenter suffragari eis non potest beneficium compensationis, quæ non datur de specie ad quantitatem, *l. divortio, §. ob donationes*, ubi Bald. *cæteri*, *ff. solut. matrim.* Franch. *decis.* 53. *n.* 2. *& omnes*, ideoque in eis tamquam in bonis hæreditariis debitoris, Creditores prætendere possunt concursum, in quo Spinula tamquam hypothecarius, quatenus tamen se creditorem justificet, vincere poterit absque dubio Duratios chirographarios, qui quantumvis antiquiores, semper locum cedunt hypothecariis.

Econverso autem, ubi translatio esset libera, tunc Ayroldus, & ex ejus persona Spinula, seu alii creditores, prætendere non possent dominium ipsorum Montium, vel aliud jus reale, sed solum prætendere possent contra Ayroldum, & successive contra Duratios in istius locum subrogatos, actionem ad adimplementum, sive ad interesse, quod aliud non importat nisi creditum quantitatis, unde propterea recte cadere possunt termini compensationis cum alio credito supervento.

Nec de jure dubitatur, pro rata fructuum perceptorum
in causam redemptionis ex alio assignamento, intrare com- 7
pensationem, durante vita Ayroldi debitoris, quamvis Duratii utpote chirographarii tantum essent posteriores, quoniam quicquid dubitaverint Franch. *decis.* 53. & cæteri apud Salg. *in Labyr. part. 2. cap. 28. num. 31. & seqq.* magis communis, & in foro recepta est opinio, ut intret compensatio etiam in præjudicium creditoris anterioris, quoties cessat debitoris decoctio, vel collusio, & mala fides, ut constat ex deductis per Capyc. Latr. & Adden. *decis.* 25. apud Ottobon. *dec. 55. n. 13. cum seqq. & decis.* 183. *part. 9. rec. & pluries sub tit. de credito*.

Bene verum, quod ubi etiam essemus in casu secundæ partis distinctionis, quæ Duratiis est favorabilior, itaut suffragari valeat compensatio; ea tamen solum relevaret pro ratis obventis usque ad obitum Ayroldi debitoris, quem supponitur pro tempore vitæ numquam fuisse declaratum decoctum. Ab instanti autem subsequutæ mortis, ob quam decoctio illico detecta fuit, ob supervenientem malam fidem, non est amplius locus compensationi in præjudicium creditorum anteriorum, ut cum Franch. & Salgad. concordant omnes pro compensatione supra allegati.

Et quidem, a tempore mortis, ac detectæ decoctionis, compensatio, vel retentio nullatenus est substentabilis, dum redemptio sequuta est ex fructibus alterius assignamenti scutor. 60. m. qui ex d. tempore, utpote existentes in hæreditate debitoris, affecti erant creditoribus, neque in eorum præjudicium potuerunt sibi appropriare, ideoque satis debito juribus Duratiorum ab hoc tempore citra.

Neque in hoc suffragari possunt firmata per Fabrum *in C.
lib. 8. tit. 16. defin. 4.* circa retentionem competentem em- 8
ptori cum pacto de retrovendendo, pro credito ex alia causa sibi obvento, ex ea bona ratione, quod si retentio datur possidenti jure pignoris, multo magis danda est possidenti jure dominii, quia id recte procederet contra ipsum venditorem exercere volentem jus redemptionis, seu habentem causam ab eo, non autem contra creditores anteriores, cum quibus est punctus difficultatis.

Quare pro sustentatione Duratiorum, ac repellendo Spinola, seu alio ex ejus jure veniente, unicus punctus esse videtur in negando istum esse creditorem hypothecatium, præfatis Duratiis chyrographariis anteponendum: si enim verum est facti præsuppositum, quod cessio facta per Ayroldum Spinolæ de anno 1657. nullam continet causam onerosam, & correspectivam, absque dubio Spinola dici non poterit creditor hypothecatius anteponendus Duratiis chyrographariis, etiamsi adesset expressa promissio evictionis cum hypotheca, quia cessante causa correspectiva, Spinola gereret figuram donatarii, seu cessionarii ex causa lucrativa, qui concursum prætendere non potest cum creditoribus onerosis, de tempore factæ cessionis jam existentibus, quamvis chyrographariis; dum cedens detectus est decoctus, per exceptionem doli resultantem ex edicto *de iis, quæ in fraudem, &c.* Si vero cessio haberet causam onerosam, & correspectivam, itaut cessionarius propter dictæ cessionis observantiam dici possit creditor hypothecarius ex causa vere onerosa, tunc, ut dixi, non levem sentio difficultatem contra Duratios.

Et quando substentabilis esset opinio *Bursati*, *Paschalis*, 9
& sequacium, quod pro litteris cambii competat hypotheca, omnes supradictæ responsiones remanerent superfluæ, cum litteræ continentes creditum Duratiorum habeant datam anteriorem, atque difficultas resultans *ex l. scripturas, C. qui pot. in pign. hab.* esset superabilis, cum veritas datæ posset de facili aliunde comprobari, quia ex veriori sententia sufficit satisfacere dictæ legi per æquipollens; Verum non

non videtur hæc opinio substentabilis, cum contraria sit magis communiter in foro recepta, ut per Merlin. *de pign. lib. 3. qu. 16. num. 7. & seqq.* Acosta *de privil. cred. regul. 3. limit.* 12. per quos cumulantur Surd. Gaitus, & cæteri.

ROMANA LOCORUM MONTIUM DE FRANCIONIS, PRO NICOLAO FRANCIONO, CUM VICTORIA PECORINA.

Casus decisus per Rotam pro Nicolao.

Resignatarius locorum Montium continentium aliquod vinculum, an ab aliis sit tutus, itaut teneatur solum pro expresso. Et quæ actio competere valeat ad loca Montium contra tertium possessorem ex resignatione.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Loca montium transeunt libera in emptorem, & de ratione.*
3 *Intellige, ubi acquiruntur per resignationem admissam ab officiali ad id deputato, secus si a parte, vel etiam a judice.*
4 *Partium conventio super locis Montium quid importet.*
5 *Vendita vel cessa re duobus quis præferatur.*
6 *Vinculum contentum in litteris patentibus solum est attendendum, ad cujus favorem.*

D I S C. XXVII.

1 DEfunctis Ovidia, & Aurelia de Franguellis donatariis Dominici patrui decem locorum Montium ad eas translatorum, germani fratres de Sacchis, nepotes ac hæredes testamentarii Aureliæ, quæ supponebatur hæres ab intestato Ovidiæ, obtinuerunt immitti ad d. loca Montium in eorum faciem translata cum clausula *dummodo possessio sit vacans, & sine præjudicio habentium meliora, & potiora jura in hæreditate Ovidiæ ab intestato defunctæ*, quibus sequutis, fratres prædicti præfata loca Montium resignarunt Franciono cum d. vinculo.

Insurrexit post plures annos Victoria Pecorina, & prætendens in vim cujusdam concordiæ, loca Montium prædicta, per dictos fratres de Sacchis fuisse sibi cessa per biennium, antequam ab eis ad favorem Francioni resignarentur, obtinuit ab Aud. Cam. mandatum de transferendo, a quo interposita appellatione ad Rotam, me pro Franciono scribente, emanavit sub die 29. Novembris 1660. coram Bevilaqua resolutio huic parti favorabilis, infirmando per Judicem primæ instantiæ, & resolutio, justa, beneque fundata visa est.

Quia ea particulari privilegio locorum Montium, resul-
2 tante ex motu proprio Urbani VIII. de ann. 1639. *in bullar.*
constit. 154. illa nanscunt libera in tertium acquirentium titulo particulari, a quibuscumque nexibus, vinculis, hypothecis, aliisque juribus, præterquam ab expressis in ipsis litteris patentibus. Quod ultra dictum motum proprium, ad majorem ementium cautelam emanatum, prius de jure seu consuetudine firmant Grat. *discept.* 730. *n.* 48. Cenc. *de Censib. qu.* 29. *n.* 13. Merlin. *de pignor. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 28. & 29. ac etiam dixit Rota *dec.* 14. *in fin.* post Fenz. *ad Statuta*, Merlin. *decis.* 533. *n.* 16. *& seqq. alias* 77. *par.* 6. *rec.* & consetunt in proposito firmata per Salg. *in labyr. p.* 2. *cap.* 27. *n.* 39.

Ex ea manifesta ratione, quod acquirens mediante formali resignatione, non dicitur acquirere a resignante, sed a Principe, penes quem resignans illa dimittit, ad instar resignationis beneficii Ecclesiastici, seu translationis pensionis, ut sæpius in aliis hoc eod. tit. habetur.

Hinc propterea dicebam non obstare prætensam eorumdem locorum cessionem a stricti factam biennio antea, tum quia de illa docebatur per simplicem apocam privatam non recognitam, juxta formam præcisam, vel saltem æquipollentem traditam per text. *in l. Scripturas, C. qui potiores in pignore habeantur*, unde ob possibilem antidotam, concursus prætendi non poterat cum habente publicum instrumentum resignationis penes acta Secretarii Montium. Tum clarius quia data etiam d. recognitione, translatio hujusmodi locorum montium, vel jurium, non pendet a voluntate & facto partium; quinimo nec etiam Judicum. Unde, si de
mandato judicis subhastentur, licitator non erit tutus, sed 3
contra eum exerceri poterunt hypothecæ, aliaque jura, quæ alias præambula venditionis, seu subhastationis hora competere poterant contra priorem possessorem, ut in Januen. pecuniaria, seu attentatorum cor. Dunozet. *inter suas dec.* 480. & 574. & apud Postium *de subhast. dec.* 112. quia penes eum adhuc dominium residere dicitur, cum illud ab uno non auferatur, neque transferatur in alterum, nisi sequatur consensus Principis, explicandus per organum Secretarii admittentis resignationem, per cujus admissionem ille præstari dicitur, ac alias quæcumque partium conventiones im-
portant simplicem velleitatem, sive promissionem de præ- 4
stando consensu, sed non perfectionem actus & translationem dominii, ut bene habetur explicatum in Romana laudi, seu locorum montium 19. Maii 1641. cor. Verospio, & in Januen. fructuum dotis cor. Cerro, quarum secunda est impressa apud Postium de subhastationibus *decis.* 197. & habetur in Romana locorum montium de Monaldens. *disc.* 41. *& aliis hoc eod. tit. pluries.*

Unde ad summum, ex tali conventione resultare poterit contra promittentem actio personalis ad præstandum factum promissum, sive ad interesse, nullum vero jus in re, neque ad rem non existentem in commercio absque certa prævia solemnitate, ut declaratur *in d. Constit.* 154. *Urb. VIII.* adinstar eorum, quæ habemus in feudis, ac etiam in Beneficiis, &c. Quod etiam in jure communi habemus in usufru-
ctu, cujus jus formale absque proprietarii consensu in alium 5
per cessionem transferri non potest, itaut facta cessione, seu venditione, illa vel resolvatur in simplicem commoditatem prout facti est, firma remanente juris substantia penes cedentem, per cujus cessationem expirare dicitur, vel actus remanet invalidus, ex deductis apud Merlin. *decis.* 843. & *in Alban. pensionis, sub tit. de pensionib.*

Etsi de jure communi, in rebus etiam indifferentibus, statutum habemus, ut vendita, vel cessa re duobus, potior sit conditio ejus, cui traditio facta est, quamvis esset posterior, non curata cessione præcedenti, quæ sine traditione producit quidem actionem ad tradendum, vel ad interesse, non autem dominii translationem juxt. text. *in l. quoties, C. de rei vendic.* quem bene exornat Rota apud Merlin. *dec.* 568. *n.* 30. *alias decis.* 174. *p.* 6. *rec.* & *decis.* 273. *p.* 11. *rec. n.* 2. in quarum prima habentur etiam dictæ legis limitationes, & tamen translatio dominii est in potestate cedentis, a cujus solo facto pendet traditionem sequi, quod etiam habemus in promissione de vendendo, seu de donando ex deductis *dec.* 58. *p.* 6. *rec.* Multò magis in præsenti, in quo formalis traditio non est in potestate cedentis, nec ab ejus facto pendet.

Vinculum vero adjectum in litteris patentibus, continet
solum præservationem jurium competentium hæreditati Ovi- 6
diæ, unde suffragari potuisset actrici, quando suum jus a prædicta Ovidia dependeret, cum hujusmodi præservatio faciat eatare bona in eadem hæreditate, perinde ac, si adhuc in ejus faciem cantarent, ut habetur *in disc. seq.* vincula etenim in proposito non attenduntur nisi ad favorem eorum, quorum interesse respiciunt: in reliquia autem loca reputantur libera, perinde ac, si ea adjecta non essent, ut in eodem motu proprio Urbani clare disponitur. Et firmatur *in decis. d. die in causa edita*, cui hucusque altera pars acquievit.

ROMANA DOTIS, PRO JOANNA GADINA, CUM NICOLAO SPINOLA.

Casus disputatus coram Prelato Judice commissario, & sopitus per concordiam.

An loca montium hæreditaria translata in faciem hæreditatis, cum expressione in litteris, quod essent hæreditaria & subjecta vinculo fideicommissi per defunctum ordinati, subjaceant aliis vinculis litteris non expressis a d. hæreditaria & fideicommissaria qualitate consecutivis, itaut emptor non sit tutus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De libertate locorum Montium, & securitate emptoris.*
3 *De ratione dictæ libertatis.*

4 *Trans.*

4 *Translatio locorum Montium a persona defuncti ad illam hæredis quid operetur.*
5 *Substituti avocant ab emptore loca Montium habentia vinculum fideicommissi.*
6 *In quo operativa remaneat libertas, quando solum vinculum fideicommissi expressum est.*

D I S C. XXVIII.

1 TEstator instituto unico ejus filio hærede cum perpetuo successivo fideicommisso ad favorem descendentium, legavit dotem quibusdam puellis quatenus nuberent. Cumque in hæreditate quædam loca Montium remansissent, illaque juxta solitum, translata fuissent in faciem hæredis cum vinculo in litteris patentibus adjecto, ut remanere deberent obnoxia d. fideicommisso, sub cujus vinculo hæres illa deinde resignasset ad favorem Nicolai Spinolæ, contra istum ad d. loca Montium, Joanna, una ex dictis puellis, facto casu nuptiarum, pro d. legato dotis judicium instituit executivum, quod ex Statuto Urbis 85. competit etiam contra tertium in bonis, quæ debitoris fuerunt. Excipiente autem reo & possessore de motu proprio Urbani VIII. de quo *disc. præced.* & frequenter, emptorem tutum reddente ab omnibus vinculis, præterquam ab iis, quæ exprimerentur in litteris patentibus, in quibus continebatur solum illud fideicommissi. Hinc orta est difficultas, an adversus dict. possessorem solum & privative competeret actio substitutis, seu vocatis ad fideicommissum, postquam ejus casus factus erit, non autem creditoribus defuncti, vel legatariis. Et quoniam articulus reputatus fuit novus, cum per scribentes hinc inde nulla desuper deduceretur specialis auctoritas, vel decisio, idcirco Judex diu stetit indeterminatus, mandando solum revocationem quorumdam attentatorum, unde propterea partes devenerunt ad concordiam, quæ controversiæ finem dedit.

2 Scribens autem pro legataria actrice, cum sensu etiam veritatis, credebam pro ipsa probabilius respondendum videri; Admittendo siquidem, generaliter & in abstracto ea, quæ per scribentes in contrarium deducebantur, circa omnimodam hujusmodi locorum Montium libertatem, tam ex dispositione, seu intentione juris communis, ob eorum peculiarem naturam, & ratione subjectæ materiæ, quam etiam ex d. motu proprio *Urb. 8. in ejus Constit.* 154. ad majorem declarationem emanato ex deductis *d. disc præced.* & alibi, firmis solum & privative remanentibus illis vinculis, quæ in ipsis literis expressa sunt.

Dicebam tamen, fallaciam consistere in applicatione ad factum, quoniam expressio in eisdem litteris contenta, quod hæc loca Montium essent hæreditaria, ideoque subjecta remanere deberent dictæ fideicommissariæ dispositioni per defunctum ordinatæ, implicite continet vinculum subjectionis omnibus creditoribus defuncti, & legatariis, perinde ac ipsa loca adhuc in hæreditate, & in faciem defuncti continuarent, ob clare cessantem rationem dictæ libertatis productivam.

Ut enim habetur in præcedenti & sæpius in aliis, ideo loca
3 Montium empta cum formali resignatione admissa per Secretarium, seu officialem ad id deputatum, transeunt libera in resignatarium, quia hic non agnoscit in auctorem resignantem, sed ipsum Principem, seu Rempublicam, prævio actu occulto extinctionis prioris juris resignanti competentis, ac novæ efformationis cum eo, ideoque aliud vinculum non remanet, nisi illud, quod ipse concedens adje-
4 cit. Quæ ratio cessat in præsenti, quoniam quando Secretarius transfert loca Montium hæreditaria a nomine defuncti ad illud hæredis, non intendit aliquid novare, neque sequitur hujusmodi extinctio, & respective nova efformatio, sed solum, gratia exactionis fructuum, & ut satisfieret consuetudini, fit dicta translatio in hæredem, non nomine proprio, sed cum d. qualitate, quæ eum tanquam administratorem potius constituit, ita ut loca, continuare dicuntur in ipsa hæreditate, dum adjicitur expressio vinculi fideicommissi, per quod officialis redditus fuit certus, illa non posse libere transferri in præjudicium jus habentium in hæreditate, utpote tamquam jus consequutivum & accessorium d. vinculo reservato, juris hæreditarii conservativo.

5 Quemadmodum enim si substituti, facto casu restitutionis, vendicassent a possessore hujusmodi loca, ut absque dubio vendicare potuissent, *ut decis.* 83. *n.* 14. *part.* 6. *rec.* 144. *num.* 1. *p.* 8. 231. *in princip. p.* 10. *& passim*, utique legataria prædicta, contra hujusmodi fideicommissarios, tamquam pro debito testatoris, ad hæc loca Montium agere posset, ita ratione evitandi circuitus, eamdem actionem indubitanter competere dicebam adversus dictum possessorem, repræsentantem hæredem gravatum, cujus jura tantum ita emisse dicitur. Unde propterea libertas recte operativa re- 6
manet quoad hypothecas, aliaque vincula resultantia ex facto ipsius hæredis, non autem quoad reliqua concernentia ipsam hæreditatem, cum ita resignatarius sciat loca Montium remanere hæreditaria, & consequenter subjecta vinculis per defunctum adjectis, cum Principis, seu officialis ab eo deputati intentio non adsit, hujusmodi vincula, cum formali extinctione prioris juris, extinguendi.

Quando enim emuntur loca Montium libera, emptor sequitur principaliter fidem publicam officialis admittentis resignationem, non curata notitia personæ resignantis, vel juris illi competentis, unde propterea, quando quis vult emere loca Montium libera, dirigit pro pretio ordines Monti pietatis, vel alteri banco pro solutione pretii facienda ei, qui libere tot loca sibi resignasset, cum sola fide Secretarii, ignorando quis futurus esset venditor; ideoque nullius privati fidem, sed solum publicam emptor sequitur, & consequenter, ubi qualitas hæreditaria enunciatur, ac præsentatur vinculum hæreditati injunctum, Officialis denunciat resignatario, se non publicam, sed resignantis privatam fidem sequi, solumque acquirere jura ipsi resignanti competentia, cum securitate ab hypothecis & vinculis, ex ipsius resignantis facto resultantibus, explicato solum vinculo fideicommissi, tamquam universali & conservatorio juris hæreditarii, perinde ac si, ut dictum est, ipsa loca, in hæreditate adhuc perseverarent, cum deficiat voluntas novandi. Adinstar eorum, quæ habemus in pecunia soluta creditoribus obligatione, seu cautione restituendo, &c. quoniam fingitur non soluta, ac habetur pro adhuc extanti, & in dominio, & patrimonio debitoris, cum similibus. Et istam credebam veritatem, adhuc tamen occasio non præbuit eam maturius inquirere, & examinare, cum præscos controversia unicam tantum habuerit disputationem.

ROMANA LEGATI,
PRO CONGREGATIONE ORATORII,
CUM FLORAVANTE MARTINELLO.

Discursus pro directione ad concordiam.

An libertas locorum Montium penes tertium in quem translata sunt, procedat ubi translatio sequatur ex causa legati, seu alias lucrativa.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De libertate locorum Montium penes tertium.*
3 *De avocatione pecuniæ solutæ posteriori per anteriorem.*
4 *De eadem libertate, de qua n. 2. quando procedat.*
5 *An illam obtineat acquirens loca montium facto judicis.*
6 *Et quid de translatione facta in hæredem, vel legatarium an inducat libertatem.*
7 *Hæres putativus quid restituere teneatur hæredi vero.*

D I S C. XXIX.

CArdinalis Horatius Justinianus emit loca quinque 1
Montium sub nomine Juliani fratris Presbyteri Oratorii, cum reservatione liberæ dispositionis, tam de sorte, quam de fructibus, ejus vita durante; ita tamen, quod eo non disponente, libera remanerent dicti Juliani, qui dicto Cardinali non disponenti superstes, in ejus testamento, illa jure legati reliquit dicto Oratorio, cum onere preces Deo fundendi pro anima ipsius, & ejusdem Cardinalis, qui pariter in eadem Congregatione, antequam ad Episcopatum assumeretur, diu & laudabiliter vixerat, unde sequuta morte testatoris, eadem Congregatio dicta loca Montium vendidit, ad effectum erogandi pretium in Oratorii, seu habitationis ipsorum presbyterorum fabricam, quam, in licentia vendendi per Thesaurarium concessa, dictum fuit, remanere debere subrogatam loco dictorum locorum Montium pro indemnitate omnium in eis jus habentium. Cum autem juxta seriem de qua supra *in Rom. hæreditatis, seu offic. disc.* 1. Floravantes Martinellus, in vim trium conformium, declaratus fuisset creditor dicti Juliani, ejusque hæreditatis in scutis 9. m. pro pretio bonorum hæreditariorum dicti Cardinalis, cujus ipse hæres testamentarius declaratus fuit, proindeque, eodem modo, quo egit contra possessorem officii per dictum Julianum empti, judicium quoque instituit contra dictam Congregationem pro restitutione pre-

pretii dictorum locorum Montium hæreditariorum d. Juliani sui debitoris. Idcirco dictæ Congregationis Patres plurium Advocatorum judicium, tam in scriptis, quam oretenus in congressu pro veritate expetierunt, ad effectum determinandi, an litigare deberent, vel potius amplecti honestam concordiam ab actore oblatam, post congressum ob votorum veritatem, me præsertim consulente, acceptatam; unde propterea controversia ulteriorem non habuit disputationis progressum.

In d. igitur congressu, ac etiam in discursibus in scriptis editis, varia fuerunt vota: aliqui enim principaliter insistebant in privilegio, & connaturali libertate locorum Montium resultante, tam ex dispositione seu intentione juris communis, quam ex motu proprio *Urbani VIII. in ejus* 2 *Constit.* 154 ut in præcedentibus, unde propterea dicebant, quod cum sequuta morte testatoris, d. loca Montium, libere & absque vinculo translata essent in d. Congregat. legatariam, ita hæc effecta erat immunis, & exempta ab omnibus vinculis & molestiis, deducendo firmata *in Rom. locorum Montium* 29. *Novembr.* 1660. cor. Bevilaqua, ubi non solum pro hujusmodi libertate fundamentum constituitur in d. motu proprio Urbani VIII. sed etiam in peculiari natura hujusmodi jurium, ex iis, quæ habentur apud Grat. *disc.* 730. *n.* 48. Cenc. *de Cens qu.* 29. *n.* 13. Lattea *alleg.* 22. *n.* 29. Salgad. *in lab. p. rt.* 1. *cap.* 35. *n.* 20. *cum seqq.* Rota *decis.* 77. *num.* 20. *part.* 6. *rec.*

3 Alii insistebant super impugnanda avocatione pecuniæ, bona fide consumptæ per creditorem quamvis posteriorem, juxta opinionem ex æquitate & ratione commercii in foro magis receptam, verum de hoc alii dubitabant, ex eo quod d. æquitas procedat favore creditoris ex causa onerosa, secus autem ex causa lucrativa ex deductis per Amat. *variar. resol. cap.* 51. *n.* 21. *&* 22. de Marin. *res.* 71. *n.* 3. *l.* 1. Rot. *decis.* 595. *nu.* 3. *&* 760. *n.* 3 *p.* 2. *rec.* Et in specie subsidiariæ avocationis locorum Montium a legatario *in Rom. lucri dotis* coram Ghislerio & Albergato *decis.* 43. *n.* 49. *p.* 10. *& decis.* 25. *n.* 5. *& seqq. p.* 11. *rec.* Et de qua causa habetur actum *sub tit. de dote* pro PP. S. Caroli ad Catinarios, atque super hoc puncto magna inter eos erat quæstio.

Neutra ex his opinionibus mihi placebat. Quatenus enim pertinet ad hanc secundam, inanis videbatur d. quæstio; dum de mandato judicis subrogata erat fabrica, in quam pretium dictorum locorum Montium erogatum fuit, unde propterea pecunia dicebatur extare in æquipollenti, in quo saltem ex æquitate text. *in l. si me & Titium ff. de si certum petatur*, sive ex æquitativa actione de in rem verso, aut condictionis sine causa, vel doli, & locupletationis de alieno, fovens causam lucrativam tenetur erga foventem causam onerosam. Atque tunc foventi causam lucrativam consumptio suffragari posset, quando illa esset omnimoda, itaut, nec in specie, nec in æquipollenti adesset, juxta ea quæ habentur *in Rom. seu Volaterrana spolii sub tit. de donat.*

Quo vero ad alteram, dicebam tunc intrare privilegium 4 prædictum, quando militaret ratio ejus inductiva, quod scil. alias publicum commercium in hujusmodi juribus præjudicatum remaneret, sive præjudicata remaneret fides publica per Principem interposita, quam potius ementes hujusmodi loca Montium, vel jura, sequi dicuntur, agnoscendo ipsum Principem in auctorem, ut contingit in illis, qui cum pretio currenti mandant banco solutionem certæ summæ personæ ignotæ, cui Secretarius Montium, vel alter officialis ad id deputatus testetur solvi posse, ob liberam resignationem, ut in præcedenti, & frequenter in aliis *hoc tit. ad hanc materiam*. Secus autem ubi quis, non publicam fidem ut supra sequitur, neque Principem in auctorem immediatum agnoscit, sed directam & immediatam causam habet a privato jure hæreditario, seu legato, aut simili, juxta ea, quæ habentur *d. disc. præced.*

Idque adeo verum, quod etiamsi hujusmodi loca Montium emantur sub hasta de mandato Judicis, sive etiam ex 5 eadem judiciali auctoritate adjudicentur, adhuc in libris cantate dicuntur sub nomine prioris montistæ, qui reputatur eorum dominus, unde propterea super eis exerceri possunt hypothecæ, aliaque jura, quæ alias contra dictum priorem Dominum exercere possent, si d. alienatio sequuta non esset; *ut decis.* 112. apud Posth. *de subhast.* alias apud Dunoz. *dec.* 642. *Januen. fructuum dotis* 29. *Januarii* 1646. Cerro, & admittitur in d. Romana locorum Montium 29. Novembr. 1660. Bevilaqua, cum catenus hujusmodi libertas resultet, quatenus sequantur illi duo actus, qui in hujusmodi resignationibus occultari dicuntur, formalis scil. extinctionis prioris juris resignantis, per quandam retrovenditionem, & efformationis novi juris cum resignatario, quod sequi non dicitur, nisi ubi accedit factum ipsius Principis, seu officialis ad id deputati.

Et quamvis in hac facti specie adesset factum officialis, 6 circa translationem locorum Montium, a persona Juliani testatoris, in personam, seu nomen Congregationis legatariæ, nihilominus ista translatio, utpote facta non animo innovandi, ac retinens titulum hæreditarium, neque realiter continens dictos actus occultos, sive non habens rationem, cui hæc libertas innititur, non videtur in proposito considerabilis juxta ea, quæ habentur *in d. Rom. dotis disc. prec.* nisi in ordine ad tertium, cui deinde ex causa correspectiva, & sub interpositione publicæ fidei, ut supra per hujusmodi translatarium, eorum resignatio facta esset.

Clarius vero ista opinio non videbatur sustentabilis, cum hodie non ageretur de ipsis locis Montium, ad quæ etiam contra legatarium utpote favorem causam lucrativam dari subsidiarium regressum habetur *in d. Rom. lucri dotis decis.* 43. *part.* 10. *& dec.* 25. *p.* 11. sed ageretur de pretio, & sic de re indifferenti, in qua non urgebat ratio ubertatis, vere militans ad favorem tertii, & commercii ut supra.

Unicum ergo motivum, quod attenta veritate, mihi vi- 7 debatur omnino probabile, erat illud deficientis crediti in actore, in bonis propriis d. Juliani, quoniam juxta ea, quæ habentur deducta supra *in d. Romana hæreditatis hoc eodem tit. disc.* 1. hæres bonæ fidei putativus, non est debitor hæredis veri, in toto eo, quod consonat ad ejus manus pervenisse, sed solum in eo, quod extat in specie, vel in æquipollenti, sive in eo, quod dolo desiisset possidere, ac mala fide consumpsisset, secus autem in eo, quod consumptum fuit in statu bonæ fidei, etiamsi imprudenter, & dissipatorie, ex claris Juribus ibi deductis, & sic non ex eo, quod probabatur, bona remansa in hæreditate Cardinalis importare scuta 9. m. sequebatur, in tanta summa hæreditatem Juliani remanere debitricem, ut condemnata fuit: In hoc enim mihi videbatur gravamen consistere, cum exceptis bonis hæreditatis, dicti Cardinalis, existentibus, vel in specie, vel in æquipollenti, ut erat officium, de quo supra in *d. Romana hæreditatis disc.* 1. in reliquis bona fide consumptis, vere alia non competeret actio, nisi in eo, in quo constaret hæredem putativum effectum esse locupletiorem; Nimis enim asperum ac irrationabile videbatur, ut dictus hæres putativus teneri deberet de proprio ad restituendum illud, quod in statu bonæ fidei, ut attenta qualitate personæ satis probabile erat, erogasset in eleemosynas, aliaque pia opera suo suffragio animæ ejusdem Cardinalis; Verum quia in dicta alia causa, jam expertus eram, illud motivum, quamvis reputatum verum, utpote tarde, & post tres conformes deductum, parum profuisse. Idcirco, quamvis crederem illud esse solidum, cum in ista causa non obstaret dicta consideratio mali status causæ jam finitæ, cum actor satis honestam concordiam offerret, eam pro evitandis saltem litis sumptibus, & incommodis, amplectendam consului.

ROMANA LOCORUM MONTIUM, DE ORICELLARIIS, PRO PAULO SFORTIA, CUM ORATIO ORICELLARIO.

Casus disputatus in Rota, & sopitus per concordiam.

De pretio locorum Montium vinculatorum, quando dicatur esse justum, vel respective læsivum, & quæ læsio attendi debeat in juribus vitalitiis, & quomodo æstimetur vita hominis.

Venditor locorum Montium, quam evictionem in casu extinctionis præstare teneatur, si extractio fieret in minori summa, quam venditio facta sit, sive in diversa moneta.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De valutatione Jurium ad vitam ex dispositione* l. hæreditatum ad l. falcid. *& n.* 5.
3 *Restitutio fructuum venit in casu nullitatis, non autem in casu restitutionis ob læsionem.*
4 *De nullitate ex dolo præsumpto ratione læsionis enormissima in magno excessu.*
5 *De conclusione de qua n.* 2.

6 Æsti-

6 *Æstimatio jurium vitalitiorum quomodo facienda sit.*
7 *Pecunia prompta, & unita, plus æstimatur quam diminuta.*
8 *Distinguuntur plures casus circa valutationem locorum Montium vinculatorum.*
9 *Pluralitas vinculorum minuit de pretio.*
10 *In vitalitiis difficile est concludere læsionem.*
11 *De contractu sortis, nuncupato Lotto.*
12 *De læsione in venditione sub hasta.*
13 *De alio casu valutationis locorum vinculatorum.*
14 *Emens loca montium cum vinculo fideicommissi, an isto caducato, seu cessato, remaneat eorum Dominus.*
15 *Si loca montium vendita sunt juxta unam monetam, & fundata sunt in alia minori restituenda in casu extractionis, ad quid venditor teneatur.*
16 *De pretio extrinseco, augente, vel minuente pretium intrinsecum locorum Montium.*

DISC. XXX.

1 PAulus Sfortias, Horatii Oricellarii creditor, ser. ser. exequi, & subhastari fecit quædam loca Montium spectantia ad fideicommissum Horatii Oricellarii senioris, provenientia ex pretio Palatii venditi Duci Caetano; Cumque sub hasta posita esset sola commoditas, pro vita, seu jure d. Horatii debitoris, firmo remanente vinculo fideicommissi, non reperto majori oblatore, sibimet tamquam extraneo licitatori, & plus offerenti deliberata fuerunt, pro pretio scutor. 13. circiter pro quolibet loco, unde propterea post aliquod temporis intervallum, Horatius prædictus, in exequutionem quarumdam litterarum Apostolicarum, de quibus non ad rem, judicium instituit prius coram Aud. C. deinde in Rota cor. Celso, super dictorum locorum Montium recuperatione, ob dictæ venditionis nullitatem, resultantem ab enormissima læsione, cujus ratione prætendebat restitutionem fructuum medio tempore perceptorum, sive illorum imputatione in dictum creditum, ita satisfactum, atque post binam propositionem in Rota absque resolutione, ex ejusdem Rotæ sensu, deventum est ad concordiam, quæ controversiæ finem dedit.

2 In hujusmodi autem disputationibus, scribentes pro actore, cum ageretur de venditione juris vitalitii, læsionem regulabant ex dispositione textus *in l. hereditatum, ff. ad l. falcid.* quam in proposito attendendam esse, habetur in specie apud Cavaler. *decis.* 587. *num.* 4. qua valutatione facta, attendendo ætatem d. Horatii, inferebatur ad læsionem longe ultra dimidiam, cum tamen in Urbe ex Statuto, sufficiat ultra tertiam.

Quia vero controversia erat principaliter super puncto restitutionis fructuum medio tempore perceptorum, cum de reliquo, reus conventus, & possessor non curaret substinere actum, ac offerret restitutionem locorum Montium, restituto pretio: Idcirco scribens pro dicto reo, & possessore dicebam, quod ubi etiam d. prætensa læsio probata esset,
3 itaut intrarent termini textus *in l. 2. C. de rescind. vendit.* non inde tamen inferri poterat ad restitutionem fructuum, intrantem in casu nullitatis, non autem in casu rescissionis ex dicto remedio, juxta veriorem magisque receptam opinionem, de qua Franch. & Adden. *decis.* 495. *& seq.* Fab. de Ann. *cons.* 24. Hodiern. *controv.* 3. *num.* 87. *& seqq.* Rota *in Romana domus* 14. *Maii* 1657. Bevilaqua, ubi in hac materia fructuum distinguitur, an actus impugnetur ex capite nullitatis, vel capite rescissionis, ut primo casu intret eorum restitutio, secus autem secundo.

4 Prætendebant scribentes pro actore, adesse nullitatem resultantem ex dolo præsumpto, ratione læsionis in magno excessu, qui adesse dicitur, ubi est in besse, ut per Fontanel. *decis.* 66. cujus opinionem tenuit Rota *in Romana transactionis* 19. *Aprilis, &* 28. *Junii* 1660. cor. Verospio. Verum, reflectendo etiam ad solam veritatem, credebam hujusmodi prætensionem omni prorsus carere fundamento, tum quia ex infra deducendis, impossibile erat probare læsionem, & statuere justum pretium, nedum quia agebatur de jure vitalitio, sed etiam ob alia vincula, & pericula ut infra. Tum etiam quia, ex iis, quæ habentur super hoc puncto magis particulariter deducta *in d. Rom. transaction. sub tit. de empt. & vendit.* contrarium probabilius videtur per textum *in cap. 3. de empt. & vendit.* ubi res, quæ valebat 52. libris, vendita fuit pro solis *decem*, & tamen deciditur intrare solum rescissionem, cum electione emptoris, vel restituendi rem recepto pretio soluto, vel supplendi justum pretium, quæ electio utique non intrat, quoties accedit dolus importans nullitatem; ideoque verius est, hujusmodi dolum non resultare, nisi ex satis magno excessu, itaut nec quinta, vel sexta pars justi pretii solvatur, ut bene aliis allegatis probant Burgal *de dolo, lib. 2. cap. de dolo reipsa, fol.* 159. *& seqq.* & plene Castill. *lib. 6. controversiarum, cap.* 18. *n.* 108. *& seqq.* ubi in specie reprobat Fontanellam, & observat istum motum esse auctoritate Fabri in Codice, qui deinde palynodiam canendo, contrariam sententiam, magis secure affirmandam esse dixit *de erroribus pragmaticorum decade prima errore septimo*, ut per Castill. *num.* 109. Et hanc veritatem agnovit etiam postmodum Rota in dicta Romana transactionis 19. Februarii 1661. coram Verospio, ubi persistendo in sententia, quod in ea transactione intraret læsio (quod tamen in eo casu adhuc minus probabile mihi videtur) ut habetur in dicta causa *sub tit. de empt. & vendit.* Attamen recedendo ab antecedenter supra decisis, firmatur intrare electionem, juxta terminos text. *in d. cap. 3. de empt. & vend.*

5 Quatenus igitur ad punctum læsionis pertinet, prorsus erroneum dicebam assumptum actoris, ut pretium hujusmodi locorum, quæ cum vinculo fideicommissi, ad solam vitam fideicommissarii, sive aliorum jurium vitalitiorum, venduntur, æstimandum esset juxta taxam textus *in dict. l. hæreditatum*, ut incidenter, & non discusso articulo sentire visa est Rota apud Caval. *d. decis.* 387. Dicta etenim taxa, est solum præsumpta ad firmandum statum hæreditaris, & pro faciendis detractionibus, firma tamen in suo esse remanente incertitudine commodi, vel incommodi ex longiori, vel breviori vita resultante, quia si legatarius ususfructus, annuæ præstationis ad vitam, vivit ultra tempus a dicta lege taxatum, adhuc pro subsequentibus annis legatum consequitur, & e contra, si brevi tempore moritur, legatum cessat, juxta opinionem, quæ videtur magis communis, & probabilis; licet non desint tenentes contrariam, ex deductis hinc inde per Franch. *decis.* 186. *n.* 6. *& per tot.*

Et quidem omnino improbabile dicebam, ita generaliter & distincte applicare dispositionem dicti textus istis terminis, ex duplici manifesta ratione. Una, quia, non omnium hominum salus, & vitæ periodus est uniformis, cum id pendeat, ex magis, & minus robusta, vel exili complexione, necnon ex valida, vel infirma valetudine, & ex moderato, vel irregulato vivendi modo, ac etiam ex aeris majori, vel minori salubritate, & similibus: cum sæpe res ad vitam vilius vendatur juveni exilis, & delicatæ complexionis, ac malæ habitudinis, quam seni valido, & robusto, ut quotidie experimur.

6 Ideoque, prudentis judicis arbitrio, spectatis singulorum casuum particularibus facti circumstantiis, hujusmodi pretium regulandum esse, occasione regulandi justum pretium in censibus vitalitiis, melius dixit Rota in Bononien. Salviani 25. Junii 1629. coram Virili, & in Romana Domus tertia Decembris ejusdem anni coram Pirovano, & bene prosequitur Leottard. *de usuris, qu.* 49. *n.* 6.

7 Altera, quia pecunia diminute singulis annis in plurium annorum spatio colligenda, multo minus æstimanda est, quam unita & prompta ab initio, ex deductis *decis.* 41. *num.* 12. *part.* 9. *recent. & sæpius.* Ideoque, non ex eo, quod vendens rem ad vitam præsumatur vivere tot annis, in quibus tot fructus percipere posset; Ergo tanti res vendenda est. Hoc enim videbatur merum figmentum propter incertitudinis periculum, quia potest venditor ad horam mori, unde emptor nihil penitus percipiendo, totum pretium amitteret. Ac etiam quia nullus unquam reperiretur adeo fatuus, qui ab initio solvere deberet, quantum plurium annorum spatio cum diminutis perceptionibus assequuturus erit.

Clarius vero, ac ad nimiam evidentiam; quoniam alias jus percipiendi fructus ex aliqua re ad vitam, plus æstimandum esset, quam ipsiusmet rei proprietas in perpetuum vendenda esset. Si quidem in juvene, dicta lex præsumit ætatem etiam usque ad 30. annos, ut ibidem disponitur, & tamen ipsius rei pretium justum dicitur, ubi adæquatum est fructibus 20. annorum spatio percipiendis, juxta receptam Glos. *in auth. perpetua, C. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Et sic res, quæ pleno jure & in proprietate fructando annua scut. 100. valeret scutis bis mille, ita ad solam vitam valeret 3000. quo nihil absurdius; ideoque hujusmodi assumptum vere fabulosum dicendum est, ac leguleicam continet simplicitatem, potissimum vero stante quotidiana praxi, & observantia, quam ubique habemus in venditionibus ad vitam, frequentius vero in extinctionibus pensionum, sive in cessioni-

bus

bus illarum commoditatis, quia fiunt pro sex, quinque, quatuor, & quandoque etiam pro duabus annatis, prout personarum qualitas, aliæque facti circumstantiæ exigunt, idemque quotidiana praxis docet in ipsis locis montium, ut etiam infra Romana locorum Montium de Panesiis *hoc eodem tit. disc. seqq.*

8 Ad judicandum igitur justum pretium hujusmodi locorum Montium vinculatorum, plures casus distinguendos esse, advertebam. Unus est, ubi venduntur loca montium in proprietate in perpetuum absque aliquo vinculo fideicommissi, sed solum cum vinculo alicujus evictionis, vel restitutionis creditoribus anterioribus, ut quotidie in Curia practicatur, quia loca cautionis de evictione, vel de restituendo anterioribus, investiuntur pecunia in loca montium cum isto vinculo, & tuoc pretium regulatur a numero vinculorum, atque ab illorum magis vel minus probabili timore, juxta facti circumstantias, cum plura vincula magis minuant de pretio, Altograd. *cons.* 102. *num.* 70. *lib.* 2.
9 Surd. *dec.* 30. *n.* 15. Baratt. *dec.* 675. *num.* 10. *& seqq.* Rot. apud Postium *de subhastatione in addit. dec. ult. alias decis.* 264. *n.* 5. *p.* 11. *rec.* Ideoque certa regula dari non potest, sed attendendum est judicium proxenetarum, & negotiantium per quorum manus in dies hujusmodi venditiones transeunt, inspiciendo scil. quanti hujusmodi loca in banchis, seu publico foro venalia exposita, verisimiliter attento tempore contractus vendi possent, & ex hujusmodi quantitate regulanda est circumventio, seu læsio.

Ista etenim vincula, solum casum evictionis, vel restitutionis concernentia, non habent eam resolutionis certitudinem, & determinationem ad solam vitam, quam habent ea loca, quæ venduntur cum fideicommisso, quorum venditio a communiter contingentibus, in effectu est potius de sola commoditate percipiendi fructus, durante vita, seu jure venditoris, unde casus evictionis potest non contingere, stante præsertim Bulla Baronum, ideoque pretium solet esse multo majus; Atque in Romana cambiorum 28. Januarii 1664. coram Verospio taxata fuerunt ad scut. 60. pro quolibet, cum tamen illa cum vinculo fideicommissi vendantur ad 25. vel ad summum pro 30. ut in d. Romana de Panesiis *disc. seqq.*

Alter casus est, ubi venduntur loca montium cum vinculo fideicommissi, & tunc, neque certa, & uniformis regula dari potest, sed totum pendet a circumstantiis facti, quibus attentis, exquirendum pariter videtur, proxenetarum, & negotiantium judicium, eodem modo quo supra, inspiciendum, nempe, an fideicommissum sit clarum, vel turbidum, & disputabile, itaut prætendi possit ejus non existentia, & locorum libertas. Et quatenus sit clarum, inspiciendum pariter, an sit omnino exiturum, quia nempe substituta sit Ecclesia, vel aliud corpus, quod numquam perit, sive aliquod genus personarum verisimiliter non defecturum ante venditorem. Vel potius econverso sperari possit fideicommissi caducatio, ejusque conditionis defectus.

Proot spectandum est, quoque, an posito fideicommisso certo, emptoris periculum sit solum in vita venditoris, itaut fieri non debeat casus restitutionis, nisi ejus morte sequuta, vel potius eo etiam vivente, aliud caducitatis periculum subsit ex dispositione legis, vel testatoris, ratione delicti, vel alienationum, seu dissipationum resultante; Quibus omnibus pensatis, quatenus periculum restringatur ad solam vitam vendentis, tunc spectanda est ejus ætas, necnon bona, vel mala valetudo, ac moderata, vel irregulata vita, cum aliis, ut supra.

Ex quibus omnibus, nisi aliæ concurrant circumstantiæ,
10 dolum & positivam deceptionem redolentes, impossibilis videtur probatio læsionis, quæ non datur in actu omnino incerto, ex quo commodum, vel incommodum resultare potest, quia in effectu est emere aleam, sive jactum retis, ad communiter notata per DD. *in l. fideicommisso C. de transaction.* & late habetur in Signina Castrorum *decis.* 12. 292. *&* 320. *p.* 6. *rec.* ubi futura spes fideicommissi importans scut. 200. m. & ultra, cessa fuit pro solo pretio scutor. 25. m. Quod etiam firmatur apud Othob. *dec.* 182. *& de-*
11 *cis.* 23. *part.* 11. *rec.* Et ex qua ratione resultat, apud morales substineri contractum sortis, vulgo nuncupatum Lotto, in quo cum uno denario, centum vel mille denarios quis lucrari potest, ut habetur in Romana fideicommissi 24. Martii 1662. coram Taja, ubi cæteri.

Applicando igitur ad casum, hujusmodi loca montium, pluribus subjacebant vinculis, & periculis: non solum enim habebant illud fideicommissi omnino certi, & exituri post

mortem Horatii venditoris, itaut ejus vita spectanda esset; sed habebant etiam alterum, quod in dies contingere poterat casus ejusdem fideicommissi, vivente etiam venditore, ob multas caducitates ab eodem testatore in casu delicti, alienationis, vel continuatæ assumptionis cognominis, & insignium demandatas, ut eventus docuit; Ac ulterius aderat etiam aliud vinculum evictionis palatii, ex cujus pretio hujusmodi loca proveniebant, necnon aliud suberat periculum creditorum anteriorum ejusdem venditoris, qui poterant emptorem molestare, cum non intret privilegium locorum montium favore ementis subhasta solum jus venditoris, penes quem ejusdem loci substantia perseverat, quia nempe per formalem resignationem a Secretario admissam processum non fuerit, ut in præcedentibus habetur; Quibus omnibus pensatis, verisimiliter nec emptor inventus esset, qui decem pro quolibet loco solvisset.

Eo magis, quia non tractabatur de venditione voluntaria, resultante ex privata conventione, in qua terminus circumventionis, & doli facilius cadit, & frequenter contingit, sed de emptione judiciali, publice & palam subhasta, non reperto meliori oblatore. Licet enim etiam hujusmodi venditiones ex capite læsionis rescindantur, ac in eis locum habeat dispositio, text. *in l.* 2 *Cod. de rescindend. ven-* 12
ditione, eodem modo, quo locum habet in venditione conventionali. Quinimo juxta opinionem Regnicolarum sufficit in his venditionibus subhasta læsio in sexta, quod tamen Rota, & Curia Romana, licet discursive d.... in Romana læsionis 15. Junii 1654. coram Bichio, numquam recipere voluit, ut se pluries declaravit, præsertim in Fulginaten. subhastationis 14. Martii 1655. Alberg. Fanen. separationis bonorum 14. Februarii 1656. Bevilaqua, Imolen. bonorum 6. Martii 1665. Verospio, & in aliis post dictum discursum coram Bichio editis. Adhuc tamen hujusmodi circumstantia considerabilis dicebatur, ad effectum tollendi dolum, & formalem circumventionem, quæ inter versutum emptorem, ad faciem, & imprudentem, sive inexpertum venditorem datur, stante libertate cujuscumque absque oblatoris tractatu, & conventione venditoris, qui se circumventum dicat.

Bis proposita, & disputata causa coram Celso, capta non fuit resolutio, sed mediante ejusdem Ponentis opera; me laudante, & cooperante, controversia per honestam concordiam sopita fuit.

In alio autem casu converso, disputato per me coram A. C. cujus tamen exitus est incertus, inter Bartholomæum Rotam, & Christophorum Cincium, actum fuit de eodem
puncto læsionis in venditione locorum montium venditoris, quia cum Rota emisset a Cincio aliqua loca montium ad rationem integri valoris intrinseci scut. con. pro quolibet, in quorum litteris aderat vinculum fideicommissi, cujus casus detectus fuit, unde dictus emptor illis remansit spoliatus, dicebatur, vel venditorem teneri de dolo, dum sub verborum involucro asseruit se cessionarium fisci, qui ob notorium parricidii infortunium in ista alias ditissima domo eventum, omnia confiscare prætendebat, credere potuit, se hoc cessionario nomine vendidisse, tamquam per jus fisci effecta libera, ut ostendit qualitas pretii, ex quo semper desumi solet intentio contrahentium, & quid veniat in contractu, Alex. *consil.* 25. *lib.* 4. Greg. *dec.* 126. Baratt. *dec.* 471. *&* 667. *ac cæteri.* Vel saltem locum esse læsioni ultra tertiam, quæ in Urbe sufficit ex Statuto, cum tamen adesse etiam ultra dimidiam, juxta terminos, *l.* 2. *C. de resc. in. vend.* dum ex communi usu, ac etiam particulari observantia ejusdem venditoris ostendebatur, pretium hujusmodi locorum vinculatorum, sub vinculo fideicommissi certi, itaut sola vita venditoris acquiri dicatur, non excedere scut. 30. pro quolibet. Et quamvis pro dicto pretio regulando deduceretur dicta taxa facta, per text. *in l. hereditatum, ff. ad l. Falcid.* respondebatur cum eisdem, de quibus supra.

Contigit etiam mihi disputandus casus in alia Romana, 14
cujus exitum, ac partium nomina memoria non suggerit, quod facta venditione locorum montium ita vinculatorum cum vinculo fideicommissi clari, casus dedit, quod ob plurium vocatorum tunc viventium prædecessum, fideicommissum remansit caducatum, bonaque effecta libera: Num scil. sequuta morte venditoris, loca montium reverti deberent ad ejus hæredes. Et respondi negative, si venditionis verba percuterent ipsa loca eorumque substantiam, quia fideicommissarius ejus jure durante dicitur Dominus, juxta veriorem opinionem, quam tenet Rota, & Curia, ideoque ipsorum bonorum dominium, cessante expressa hominis dispositione, in alium transfert, quamvis facto

D casu

casu restitutionis, resolubile, unde per cessationem objecti, seu casus alias inducentis resolutionem, remanere dicuntur bona empta penes emptorem jure continuationis dominii jam quæsiti, reportando commodum aleæ, seu fortunæ, quam ita emere voluit, nisi verba contractus, vel aliæ facti circumstantiæ ostenderent, deductam esse in conventionem solam commoditatem percipiendi fructus, durante vita alienantis, ac propterea esse quæstionem facti potius, quam juris, ex pretii quantitate satis regulandam.

Et in alia Romana pro Urbano Rosario, alter casus in pro-
15 posito cor. A.C. mihi pro Rosario scribenti contigit disputandus, sed non absque ratione succubui, quod cum Rosarius emisset ad rationem scut. 100. monetæ Romanæ tot loca montium, bene fructuantia Civitatis Ferrariæ, quoniam tamen erectio facta erat ad rationem consueti valoris intrinseci scutor. 100. monetæ Ferrariæ importantis quid minus, quam moneta Romana, atque facto casu extinctionis in ea moneta inferiori, cum qua erecta fuerunt, emptor remansisset damnificatus, idcirco prætendere cœpit a venditore hujusmodi damni emendationem. Ad quod adducebam intrare actionem, quanti minoris resultan. ex text. *in l. cum ab eo, in fin. ff. de contrah. empt. cum concordan.* per Surd. *dec.* 164. Cyriac. *contr.* 54. *n.* 6. Greg. *dec.* 119. *n* 3. *decis.* 136. *post secundum vel. cons. Farinac.* Sed replicabatur dupliciter, & non male. Primo, quia dum venditor professus est vendere loca Montium Ferrariæ, in nihilo decepit emptorem, qui sibi imputet propriam erroneam credulitatem, quod illa moneta esset æqualis Romanæ, quoties credulitas non fundatur in ejusdem venditoris diversa assertione, quo casu intrare dicitur actio quanti minoris, vel doli, & secundo clarius, quia etiam apud eos, qui hanc circumstantiam sciebant, erant hujusmodi loca ob eorum bonitatem in commercio ad rationem monetæ Romanæ, cujus major valor erat species illius augmenti extrinseci, quod frequenter habetur etiam in locis Montium Urbis, quæ licet extinguibilia ad rationem scut. 100. pro quolibet, vendi vidimus etiam ad rationem scutor. 115. Ac etiam in censibus
16 pro certo pretio constitutis, datur cum tertio non emptore augmentum, vel diminutio pretii extrinseci resultantis a bona, vel mala debitoris qualitate, ex deductis per Cenc. de Cens. *q.* 72. Rodet. *de omn. redd. lib.* 1. *q.* 8. *n.* 22. Cyriac. *controvers.* 170. *n.* 13. Salgad. *in labyr. p.* 1. *c.* 13. §. 2. *n.* 36. *& seqq. c.* 27. *n.* 8. *& seqq.* Atque ubi docet quotidiana praxis; nam vidimus fiscalia, & jura super arrendamentis Neapolis, ac jura Hispaniarum, vel loca Montium Florentiæ, Venetiarum, & aliorum locorum, & etiam quædam Baronalia male dotata in Urbe, vendi ad rationem 50. 40. & 30. ac multo minus pro centenario, ut habetur in Januen. separationis thori 28. Junii 1649. & 22. Junii 1650. coram Meltio, Capyc. Latr. *dec.* 188. Olea *de cessione tit.* 7. *q.* 3. *n.* 32. ubi quod augmentum, vel decrementum est cessionarii, non autem cedentis. Et ad materiam pretii locorum vinculatorum habetur in alia Romana locorum Montium de Panesiis *hoc tit. disc. seqq.*

ROMANA LOCORUM MONTIUM DE PANESSIS,

PRO HÆREDITATE FRANCISCI CICOGNINI,

CUM JOANNE BAPTISTA, ET STEPHANO DE PANESIIS.

Casus varie decisus per Cameram, ubi pendet.

Vendens ad ejus vitam, loca montium cum eorum vinculo fideicommissi, per venditorem sperati, per ipsum tamen possessa jure assignationis sibi factæ a patre pro alimentis. An sequuta morte patris, ac facto casu fideicommissi ad ejus favorem, venditioni contravenire valeat, ipsaque loca vendicare. Et quatenus id non concedatur; An aperto fideicommisso, tam ad favorem ipsius venditoris, quam aliorum ipsius fratrum, possint isti pro eorum virili dicta loca vendicare: Et quatenus possint, An dictus venditor ad evictionem, vel aliud teneatur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Causæ resolutio.*
3 *De casu, in quo vendens loca montium cum vinculo fideicommissi, ipsemet admittitur ad ea vendicanda.*
4 *Venditio facta ad certum tempus, vel sub certa conditione, resolvitur defecta die, vel conditione.*
5 *Venditor censetur vendidisse pro eo jure, quod tunc habebat, non pro altero diverso supervento.*
6 *Evictio de natura rei non præstatur.*
7 *Emens rem vinculatam scienter, non agit de evictione.*
8 *De eadem conclusione, ac qua n. 5.*
9 *Quando intret d. conclusio, & quod ista sit quæstio cadens solum in dubio, ubi voluntas est ambigua.*
10 *In claris non intrant præsumptiones, & argumenta.*
11 *Vendi etiam potest res, tam pro jure de præsenti, quam de futuro sperato.*
12 *Vendito jure vitalitio, censetur vendita tota vita naturalis, unde si res cesset ex facto venditoris, ipse tenetur ad quanti interest.*
13 *Idem si sequatur ejus mors violenta per manus Justitiæ.*
14 *Moriens per manus Justitiæ dicitur voluntarie mori.*
15 *Ex pretii quantitate resultat argumentum voluntatis partium, & quid in contractum deductum sit.*
16 *Quomodo æstimetur pretium locorum montium vinculatorum, ac jurium ad vitam.*
17 *Declarantur decisiones Rotæ in Rom. locorum Montium coram Ninor.*
18 *Frater non obligat fratrem, neque ejus bona alienat.*
19 *Alienationes factæ per gravatum cedunt in causam legitimæ, alterarumque detractionum, & substinentur.*
20 *Gravatus possidens bona propria pro communi cum fideicommisso, si alienat aliquam rem, in totum substinetur alienatio, & de ratione.*

D I S C. XXXI.

POssidente Hieronymo Panesio Januense, Urbis incola,
quamplura loca montium, aliqua bona subjecta perpe- 1
tuo descensivo fideicommisso per ejus patrem ordinato, cum Joannes Baptista ejus filius primogenitus, jam adultus, & major, ex aliquibus causis in paterna domo vivere, ac alimenta suscipere non posset, ex Judicis auctoritate obtinuit, ab eodem patre pro alimentis sibi assignari nonnulla ex dictis locis montium fideicommissariis, cum ipso vinculo fideicommissi, cum quo idem Joannes Baptista 19. loca montium, seu eorum fructus, & commoditatem ad ejus vitam, juxta consuetas hujusmodi locorum vinculatorum venditiones, cessit, seu resignavit ad favorem Francisci Cicognini, cum pacto redimendi pro pretio scut. 633. & sic ad rationem scutor. 32. circiter pro quolibet. Cum autem ad breve tempus biennii sequuta esset mors dicti Hieronymi, proindeque dictum fideicommissum delatum, tam d. Joanni Baptistæ, quam Stephano alteri ejusdem Hieronymi filio. Hinc u-
terque judicium instituit coram Thesaurario, contra dicti 2
Francisci interim defuncti hæreditatem, sub quibusdam administratoribus pro ejus erogatione, in pios usus existente, pro dictorum locorum montium vendicatione, super qua sententia actoribus favorabilis prodiit, & introducta per appellationem causa in Camera coram de Mari, datoque dubio, an dicta sententia Thesaurarii sit confirmanda, vel infirmanda, pro infirmatione prodiit resolutio, quæ in propositione coram eodem reformata fuit pro medietate, ut scil. dicta vendicatio non competeret Joanni Baptistæ venditori pro ejus virili; secus autem quoad portionem Stephani alterius fideicommissarii in dicta venditione non intervenientis, adversus quam secundam resolutionem pendet nova audientia dictæ hæreditati concessa. Atque ex meo judicio, in repropositione probabiliter spectandus creditur recessus ab hac ultima, confirmando primam resolutionem in totum, vel saltem declarando, quod ubi etiam d. Stephano competeret jus vindicandi propriam portionem, teneretur Joannes Baptista venditor præstare evictionem, seu quanti interest.

Fundamentum scribentium pro actoribus, principaliter
consistebat in duabus Rotæ decisionibus, quæ videban- 3
tur nimis punctuales in Romana locorum Montium 16. Januarii 1662. & 23. Januarii 1664. cor. Ninor, in quorum casu cum Christophorus, & Franciscus fratres de Cincis vendidissent insimul quædam loca montium cum vinculo fideicommissi eorum majorum, sequuto casu mortis Francisci absque filiis, apertoque proinde in ejus portione fideicommisso ad favorem Christophori fratris. Hic non impugnando venditionem propriæ portionis,

nis, admissus fuit ad vendicanda loca montium cadentia
sub portione dicti Francisci defuncti, ex auctoritate Ro-
mani *cons.* 503. *n.* 10. *&* 11. & Surd. *cons.* 70. cum aliis de-
ductis in præfatis decisionibus, & hoc respectu portionis,
spectandis ad Stephanum non venditorem.

Quo vero ad portionem propriam ipsius venditoris, ad-
duc dicebant pro eo scribentes, licite factum proprium im-
pugnari posse, dictamque vendicationem competere, quo-
niam loca prædicta ab ipso Joan. Baptista non possideban-
tur jure fideicommissi, vivente patre adhuc non aperti, ne-
que delati, sed jure alimentorum, quæ sibi, vel a patre ex
paterna obligatione, vel ex bonis avitis adinstar, & ex ra-
tione textus *in auth. res, quæ C. commun. de legat.* tamquam
descendenti, & ad fideicommissum vocato per hæredem
gravatum debebantur, quæ assignationis causa, utpote mi-
litans durante vita patris, ita cessaverat, & consequenter
resolutum erat jus temporis, qui stante expressa reserva-
tione vinculi fideicommissi in litteris patentibus, cense-
batur solum emisse hanc incertam aleam, seu jus vendi-
tori competens, durante dicta causa suæ possessionis, qua
cessata resolutum erat, ad regulam text. *in l. ex vectigali, ff.
de pignor.* & magis ad rem facit regula text. *in l. fin. & tot.
tit. de leg. commissoria*, super cessante jure ementis rem ad
certum tempus, seu sub certa conditione facto istius casu
ex deduct. per Leotar. *de usur. quæst.* 69. *&* 70. Censetur enim
venditum illud jus, quod tunc venditori competebat, non
autem alterum postea ex diverso titulo de novo superven-
tum, quia in eo consideratur tamquam novus, & diver-
sus homo, ex deduct. per Rom. *d. cons.* 503. Surd. *d. cons.* 70.
cum aliis in allegatis decisionibus Romana locorum mon-
tium coram Ninot.

Hinc proinde dicebant excludi quamcumque evictionis
obligationem, vel quia hæc sit evictio de natura rei, quæ
de jure præstanda non est, juxta glos. magistralem *in l. si fa-
milia, C. famil. ercisc.* quam sequuntur communiter DD. ple-
ne collecti per Thes. jun. *lib.* 2. *q. for.* 23. & habetur actum in
Arimin. evictionis Castrorum *sub tit. de feud. disc.* 44. Vel
quia emptor sciret vitium, seu vinculum rei, utpote expres-
sum in ipsa resignatione, ac litteris patentibus, quo casu ne-
que intrat evictio, minusque, juxta magis communem opi-
nionem, restitutio pretii, nisi conventum sit, ad text. *in l. fun-
dum sciens, C. de evict.* & plene firmatur *dec.* 453. 457. *&* 459.
par. 9. *rec.* ubi concordantes, ac in specie advertitur in dictis
decisionibus coram Ninot. Atque comprobat communis
4 usus, & quotidiana Curiæ observantia, tam circa hujusmo-
di venditiones locorum montium vinculatorum, quoniam
contingente casu vinculi, venditor est totus, neque em-
ptor aliam habet actionem, dum solum illud jus, seu aleam
5 emisse dicitur, quam etiam habemus frequentissimum in
venditionibus, seu cessionibus commoditatis pensionis.

Scribens pro hæreditate rea conventa dicebam, etiam
cum sensu veritatis, præmissas conclusiones, generaliter,
& in abstracto esse veras, fallaciam vero manifestam con-
6 sistere in applicatione ad casum. Quare distinguendo dispu-
tationem in duas inspectiones, unam circa medietatem
dictorum locorum montium cadentem sub propria portio-
ne fideicommissaria ipsius venditoris, alteram vero circa
reliquam medietatem cadentem sub portione, ejus fratris
non venditoris. Quatenus pertinet ad primam, dicebam
quod tunc difficultas caderet, quando venditor, facta nar-
rativa causæ, ob quam dicta loca montium possidebat,
7 alio non expresso, simpliciter cum vinculo in litteris pa-
tentibus contento, illa, seu illorum commoditatem cessis-
set, cum tali casu censeatur deductum in contractum jus,
quod tunc venditori competebat, non autem illud postmo-
dum superventum ex diverso titulo, per quem repræsentari
dicitur novus, & diversus homo, & consequenter cum re-
duplicatione personarum non prohibetur evincere ab em-
ptore, ab ipsomet causam habente, justa *d. cons.* 503. Ro-
mani cum aliis allegatis.

8 Secus autem, dum expresse professus vendere dicta loca
montium ad ejus vitam, illaque durante, quoniam hoc
est tempus, quod deductum est in contractum, neque ad
emptorem pertinet inquirere de causa, ob quam venditor
rei venditæ dominium, vel possessionem obtinuerit, sed
attendit ad substantiam temporis, vel conditionis, sub
qua ille vendere professus est. Quæstio enim, an vendens
9 rem, seu aliis de ea disponens, censeatur eam vendere to-
tam, vel solum pro parte, seu jure ad ipsum spectante, seu
ubi ea est aliena, etiam in gratuitis dispositionibus, puta
legatis, &c. ac intret æstimatio cum similibus, tota est vo-
luntatis, quoties hæc est ambigua, ad notat. *in l. qui tabernas
ff. de contrah. empt. & in c. Pastoralis de donat.* cum con-
cord. per Gregor. & Add. *decis.* 225. Cenc. de Cens. *q.* 50.
Rota in Romana pecuniaria, seu apothecæ 8. Junii 1654.
& 25. Junii 1655. coram Bichio, & in eadem 7. Februa-
rii 1656. coram Bevilaqua Melevitana territorii coram
Othobon. *inter suas dec.* 145. ac habetur pluries actum *sub
tit. de legatis, & sub tit. de empt. & vendit.* Sed ubi verba
sunt clara, quia nempe quis expresse dicat, vendere, seu
alias concedere totum, tunc illa quæstio cessat, ut patet
ex eisdem mox allegatis auctoritatibus, ex vulgari regula
text. *in leg. ille, aut ille, §. cum in verbis ff. de legatis ter-
tio*, generaliter intrante in omni materia, etiam in acti-
bus inter vivos, ut cæteris collectis advertitur, *decis.* 44.
n. 14. *part.* 11. *rec.*

Et ideo cum expresse dictum sit vendi hæc loca mon- 10
tium, ad ipsius venditoris vitam, eaque durante, versaba-
mur in claris, dum ipse adhuc vivebat, & sic durabat con-
ditio sub qua venditio facta est, non obstante quod tunc
viveret pater venditoris, qui possidebat fideicommissum,
atque possessio ipsius venditoris esset ex diversa causa assigna-
tionis alimentorum, quoniam cum ipse venditor vocatus
esset, ad fideicommissum post mortem patris, unde esset 11
proxime successurus, recte suam vitam vendidit, quoniam
aut patri præmoriebatur, priusquam fieret casus fideicom-
missi, & jus emptoris resolvebatur tamquam ex defecta
conditione, aut supervivebat, & ipsemet venditor ad ejus
vitam, ex dicto jam prævisæ, & de recenti sperato titulo
fideicommissi futurus erat dominus, & possessor, unde ita
utrumque jus in contractum deduxit, actuale scilicet, &
habituale, seu speratum, quod exceptis casibus, in quibus
ob votum captandæ mortis, in jure prohibitum est, non
prohibetur vendi, seu alias in contractum deduci, ad text.
in l. spem C. de donat. & habetur frequenter deductum in
sua materia *sub tit. de Renunciationibus*.

Adeoque ubi venditur res ad vitam, durat jus empto- 12
ris, ac respective obligatio venditoris, quod id censeatur
durante vita naturali, quæ in contractum deducta dicitur,
adeout si per venditoris felloniam, vel aliud factum, de-
volvatur feudum, sive amittatur pensio, aut aperiatur fi-
deicommissum pœnale, cum similibus, ipse teneatur em-
ptori ad quanti interest, ut bene ex Bald. Thom. de Ma-
rin. *& aliis feudistis*, Rosental. *de feud. cap.* 9. *concl.* 99.
in gl. litt. L. Unde propterea in Melphiten. pensionis de
qua habetur in sua materia *sub tit. de pension.* sustinui, 13
quod si pensionarius, qui pensionis commoditatem alteri
cessit ad ejus vitam, illam amittat violenter per manus justi-
tiæ, ob ejus delictum, tenetur emptori ad quanti interest, 14
quia moriens per manus justitiæ, dicitur voluntarie mori,
& ex facto proprio, ob quasi contractum, quem, contra-
hendo delictum, iniit cum Republica, vel Justitia, Ca-
stracan. *de Societ. officii c.* 29. *n.* 11. *& per tot.* Rot. *dec.* 54.
post Zacch. *de societ. officii*.

Omnisque pœnitus difficultas, pro meo judicio, in hac
facti specie cessare videbatur ex quantitate pretii, pro quo 15
hujusmodi venditio facta erat, quod est omnium clarius, &
fortissimum argumentum voluntatis partium, & quod in
contrarium deductum sit, Alex. *consil.* 26. *lib.* 4. Mantic.
de tacit. lib. 4. *tit.* 9. *n.* 8. Gregor. *dec.* 126. *num.* 9. Buratt.
dec. 471. *n.* 4. & late in dicta Romana apothecæ, seu pe-
cuniaria 8. Junii 1654. & 25. Junii 1653. cor. Bichio, &
7. Februarii 1656. cor. Bevilaqua.

Pretium etenim hujusmodi locorum montium vincula-
torum, seu jurium ad vitam, non recipit certam, &
uniformem æstimationem, sed regulandum est ex facti
circumstantiis, ac juxta majorem probabilitatem pericu-
li, ex iis, quæ in proposito super hoc puncto habentur
particulariter, & ex professo tractata in Romana locorum
Montium de Oricellaris pro Paulo Sforza *hoc eod. tit. disc.
præced.* Unde cum pater dicti venditoris esset in statu fa-
tis malæ valetudinis, itaut ad menses, & dies timeri,
seu verius a filio sperari deberet ejus mors. Nullatenus
probabile erat, quod pro pretio scut. circiter 32. quod in
hujusmodi venditionibus ad vitam est omnium majus,
illum consuetum pretium, etiam ubi juvenes, & robusti
vendunt, vix & raro ad scuta 30. ascendere soleat, emi
voluerit alea sub duplicato periculo, uno pene imminenti
mortis patris, altero mortis ejusdem juvenis venditoris an-
te patrem, cum sæpe agni ovibus prædecedere soleant, jux-
ta frequentem traditionem beneficialistarum in materia
translationis pensionis. Adeout alea prædicta, neque pro
scutis decem & minus invenissent emptorem. Etsi partium
intentio fuisset deducendi in contractum vitam patris,

ista expressa fuisset, non autem illa filii, unde propterea casus mihi videbatur dubitatione, ac disputatione indignus; & tamen adeo dubitatum fuit, unde edocemur, quanta sit ingeniorum varietas, & quantum ex ista ratione varietatis ingeniorum, incerti, ac periculosi sint litium eventus.

Decisiones autem prædictæ in Romana locorum Montium 16. Januarii 1662. & 23. Januarii 1664. cor. Ni-
17 no, sunt veræ in casu suo, quoniam ibi quilibet ex fratribus in propria portione, aleam sui juris, suæque vitæ vendiderat; unde facto casu mortis unius, jam in ea portione purificata erat conditio, & resolutum jus emptoris, cujus proinde nihil interest, an bona, in quibus ipse amplius jus non habebat, transireot in extraneum, vel in eum, qui suam etiam portionem, & vitam sibi vendiderat, cum venditio vitæ supervivientis percuteret solum portionem propriam. Quæ omnia nil penitus commune habent cum casu præsentis controversiæ, in quo unicus erat venditor, qui omnia loca, sub unica conditione ejus vitæ vendiderat, unde, sive ea essent propria, sive aliena, iste tenebatur conservare emptorem in possessione juris venditi, alias ad evictionem, seu ad quanti interest, ex vulgari juris propositione, quod etiam res aliena vendi potest.

18 Hinc proinde, quatenus pertinet ad alteram inspectionem portionis, spectantis ad venditoris fratrem, qui in venditione non intervenerat, neque ex facto fratris præjudicium pati poterat, juxta textum expressum *in l. 3. C. res inter alios acta*, Buratt. *decis.* 810. *n.* 1. & passim. Dicebam inane opus esse, disputationem assumere; quoniam parum, vel nihil intererat, ipsa loca pro medietate vindicari, si venditor ad evictionem, vel ad quanti interest tenebatur, cum effectus esset idem.

Verum cum in hac fideicommissaria hæreditate pleraque alia adessent loca montium, bona, & jura, in quibus integram suam portionem dictus alter frater percipere poterat, atque hæc integra 19. loca recte caderent sub portione venditoris. Idcirco venditio in totum sustineri debebat, ex recepta æquitate, seu ratione circuitus, ut quotidianum, & receptum in foro habemus circa alienationes, quæ fiunt per hæredes gravatos, quibus legitima, vel alia detractio competit, & in cujus causam alienatio facta censetur, juxta regulam textus *in leg. Marcellus, ff. ad Trebell.* Licet enim de stricto jure, legitima pro ejus quota debeatur de singulis bonis, & corporibus hæreditatis, atque, ut DD. dicunt, ex qualibet gleba; nihilominus ex quadam recepta æquitate, quoties non agitur de bonis melioribus, quæ in fideicommisso conservare expediat, sustinetur alienatio in totum, quamvis in ea solam tertiam partem pro legitima, ille qui alienavit, habeat, ex deductis per Adden. ad Gregor. *decis.* 580. *n.* 7. *cum seqq.* & habetur frequenter *sub tit. de fideicomm.* ac etiam sub altero *de legitima, & detractionibus*,

Ad quod etiam confert conclusio, de qua Honded. *cons.* 58. *n.* 18. *&* 23. *lib.* 1. Fusar. *quæst.* 718. *n.* 68. bene Rot.
19 *decis.* 429. *part.* 4. *diversorum*, & habetur pluries actum *sub titul. de fideicommiss.* præsertim in Eugubina fideicommissi de Benamatis, quod si fideicommisso gravatus possideret plura bona pro communi cum fideicommittente, itaut singulorum corporum, & bonorum medietas, ad ipsum pertineret tamquam libera; altera vero medietas esset fideicommissaria, si ipse unam, vel plures res in totum alienat, sustinetur alienatio, quoniam ad excludendum delictum alienationis rei non suæ, lex præsumit quamdam occultam divisionem, per quam gravatus alienans, ipsa bona alienata elegisse dicatur integre in portionem propriam liberam, & reliqua æquivalentia integre assignasse in portionem fideicommissariam. Qui termini ad rem bene facere videbantur, cum loca Montium videantur sapere speciem bonorum recipientium functionem in genere, unde propterea nil refert, una, vel alia loca habere, & sic cessat illa difficultas, quæ in proposito cadere solet inter bona meliora, & deteriora, ideoque omnino justa, & probabilis videbatur dicta prima resolutio super infirmatione sententiæ in totum.

ROMANA DE MUTIS,
PRO HÆREDITATE HIERONYMI MUTI,
CUM ANNA CRESCENTIA.

Casus resolutus per Judicem particularem pro hæreditate,

An & quando pretium locorum montium vinculatorum, dicatur injustum, & læsivum.
Et an venditio cum pacto de retrovendendo, juncta cum modicitate pretii sit fœneratitia.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De Statuto Urbis reducente læsionem ad tertiam partem.*
3 *De requisitis ad faciendum contractum fœneratitium.*
4 *Statuta Urbis non ligant Ecclesiasticos.*
5 *Tales dicuntur milites militiarum a Sede Apostolica probatarum.*
6 *Vincula minuunt valorem locorum montium.*
7 *Loca montium transeunt libera in resignatarium.*
8 *Quando ex causa læsionis veniat restitutio fructuum.*
9 *Læsio quando dicatur in magno excessu, ut dolum redoleat.*
10 *De differentia inter emptionem, & venditionem, ac dationem in solutum ad effectum judicandi contractum fœneratitium.*
11 *Bona fama creditoris attendenda est ad exclusionem fœnoris.*
12 *Statutum Urbis disponens de læsione, an inducat præsumptionem doli.*

D I S C. XXXII.

Anna Crescentia hæres N. Crescentii debitoris Hieronymi Muti in annuo censu, pro istius fructibus decursis 1
in summa scut. circiter 400. mediante ejus procuratore, de mandato tamen expresso non docente, in solutum dedit loca octo Montium vinculata pro evictione quorumdam bonorum, & sub aliis vinculis, cum pacto redimendi infra triennium; sed quia non docebatur de mandato procuræ, idcirco conventum est, quod in eventum, in quem ex causa vinculorum evinceretur, possit creditor ad ejus primæva jura redire, prædictorum fructuum consecutione, pacto etiam adjecto, ut fructus currere non deberent ad favorem resignatarii, nisi post sex menses a die cessionis.

Post annos 25. & ultra, prætendens Anna dictum contractum, vel esse nullum ratione enormissimæ læsionis redolentis dolum, vel esse fœneratitium ob pretii modicitatem, ac pactum de retrovendendo, ideoque, sive uno, sive alio modo, fructus hoc medio tempore perceptos esse imputandos, ac respective restituendos. Hinc judicium introduxit contra d. Hieronymi jam defuncti hæredes cor. Vicario Sanctæ Mariæ Majoris, ex eo quod unus ex hæredibus esset 2
illius Basilicæ Canonicus. Atque ad læsionem, seu pretii modicitatem probandam, deducebat locorum montium valorem intrinsecum consistentem in scutis 100. pro quolibet, & qui potius major, quam minor erat ratione valoris extrinseci, dum etiam pro 104. & ultra, eo tempore vendi solita esse dicebat, unde propterea inferebat ad pretii diminutionem notabilem, cum data essent in solutum ad rationem scut. 50. & minus, quæ diminutio enormissima dici poterat, attento Statuto Urbis 154. per quod, reformata dispositione juris, *in leg. 2. Cod. de rescind. vend.* illa læsio, quæ non judicatur enormis, nisi dimidium excedat, ad solum excessum in tertia parte reducitur.

Ulterius dicebatur, dictum Statutum inducere dolum, 3
quo concurrente contractus remanet ipso jure nullus, itaut fructus etiam debeantur, quamvis læsio esset infra dimidium, ut late alios cumulando probat Capyc. Latr. *consil.* 35. *num.* 25. *cum seqq.* Atque hinc, stante pacto de retrovendendo, inferebatur ad fœneratitiam qualitatem, pro qua licet plerique, ultra duo necessaria requisita consistentia in pacto de retrovendendo, ac pretii diminutione, aliud desiderent, quod emptor solitus esset fœnerari; Magis tamen communis, & recepta opinio est, istud tertium non esse necessarium, atque duo propria sufficere, ut aliis allegatis Menoch. *l. 3. præsumpt.* 122. *n.* 30. *& seqq.* Ro-

vit.

vit. *pragm.* 1. *de fid. memorial. n.* 50. plene Ad. ad Buratt. *dec.* 761. Rot. *dec.* 17. *par.* 6. *rec. n.* 3. Romana simulationis contractus 29. Maji 1648. Dunozetto *inter suas dec.* 801.

4 Accedentibus præsertim conjecturis, quibus concurrentibus, concors est scribentium sententia, dictum tertium requisitum non esse desiderandum, quia usuris, quæ in fraudem prohibitionis, clam, & occulte, sub alia licita specie, ut plurimum palliari solent, receptissima omnium est propositio, conjecturas, & præsumptiones admini, ut in Savourn. & in aliis in sua materia *sub tit. de usur.* Conjecturæ autem plures deducebantur, primo scilicet dolus a dicto Statuto Urbis 154. præsumptus, secundo, pactum regressus ad primæva jura, & tertio, quod incertum esset, an fructus decursi, & debiti ascenderent ad tantam summam, pro qua datio in solutum facta erat, unde conventum fuit, ut illud plus quod forte excederet, cedere deberet in causa maturandorum; licet enim aliæ deducerentur, attamen cessabant evidenter ex facto, in quo fuerat æquivocatum, ideo discursu indiguæ.

Pro teis conventis autem scribens, pro clariori veritatis indagatione, distinguebam inspectionem læsionis, ab altera fœnoris, quarum quælibet diversos habet terminos, & canones. Unde quatenus ad primam læsionis pertineret, dicebam locum non esse Statuto Urbis, præscribenti læsionem in tertia parte, sed procedendum esse cum dispositione juris communis *in l. 2. C. de rescind. vend. & l. 2. & 3. de empt. & vend.* quia juxta opinionem, in qua hodie residet Rota, & Curia, Statuta Urbis, tamquam Laicalia, non capiunt personas Ecclesiasticas, nisi ubi explicita, vel implicita ipsorum mentio habetur, ut ultra generalia, in specialibus terminis hujus Statuti 154. habetur *dec.* 69. post Fenzon. *ad Statut.* & in Romana læsionis 12. Junii 1654. coram Bichio; unde cum dictus Hieronymus esset Eques Sancti Jacobi de Spatha, censendus erat in proposito persona Ecclesiastica, ut in terminis istorum Equitum, non

5 cadentium sub Statutis Urbia, habetur in Romana dotis 11. Februarii 1647. coram Bichio, & de quo puncto habetur formiter actum in Lucana *sub tit. de jurisd.* ubi de his militibus S. Jacobi de Spatha, de Calatrava, de Alcantara, & S. Stephani, ac similibus.

Læsio autem, attento jure communi, ultra dimidiam non aderat, quia valor intrinsecus locorum montium ad rationem scut. 100. pro quolibet, de anno 1644. quo hæc datio in solutum sequuta est, ob bellum inter Sedem Apostolicam, & aliquos Italiæ Principes adhuc urgens, vel de proximo cessaturum, potius diminutus erat, itaut excessus in dimidia vere considerari non posset, quamvis ageretur de locis liberis nullum habentibus annexum vinculum, quod valoris diminutionem importaret, unde quæstio cessabat ex facto.

6 Multo magis, dum non agebatur de locis liberis, sed vinculatis, quorum pretium, satis notorium est, esse longe inferius; quia vincula, & onera minuunt de valore, ut in specie firmatur *dec.* 249. *n.* 5. apud Postium *de subhast. in addit.* in Romana Cambiorum 4. Decembris 1662. §. *fin.* coram Verospio, & in alia *hoc tit.* præsertim *disc.* 30. & 31. Nil obstante replicatione, quod de vinculis habenda non esset ratio, stante pacto regressus ad primæva jura in casu, quo illorum ratione sequeretur evictio, unde cessabat periculum, cujus ratione pretii diminutio resultat, quia posito etiam dicto libero regressu, qui tamen, utpote ad certum casum restrictus, in facto cessabat, ut infra, adhuc vincula operantur notabilem pretii diminutionem.

Longa siquidem differentia est inter loca montium, quæ libere absque aliquo vinculo resignantur, & loca vinculata, quamvis in casu vinculorum cedens promittat cessionatio accepti pretii restitutionem. Ubi enim sunt libera,

7 emptor omnino tutus est a quibuscumque hypothecis, obligationibus, fideicommissis, vel aliis nexibus, quibus penes venditorem obnoxia erant, tum ex juris dispositione, ob hujusmodi jurium naturam, ex deductis per Grat. *dec.* 730. *n.* 48. Merl. *de pign. lib.* 2. *tit.* 1. *q.* 14. *n.* 28. Rot. *dec.* 77. *n.* 19 & 20. *par.* 6. *rec.* & est sæpius deductum hoc titulo: Tum clarius attento motu proprio Urb. VIII. inter ejus constitutiones la 154. ut firmat Romana locorum Montium 29. Novembris 1660. Bevilaqua, & satis frequenter *hoc tit.*

E converso autem, ubi non resignantur tamquam omnino libera, remanent obnoxia prioribus vinculis, & oneribus; & quamvis contingente casu vinculi, remaneat actio evictionis, attamen adhuc duo concurrunt mala, valorem minuentia, unum nempe litis, quam in casu evictionis contra venditorem agere oportet, alterum periculi, quod interim venditor fiat, seu detegatur non solvendo, itaut actio evictionis remaneat inanis.

Altera notabilis est differentia, quod loca montium libera habentur loco pecuniæ numeratæ, in arca promptæ existentis, in quocumque fortunæ statu illorum possessor reperiatur, dum illico invenitur emptor, ad quem indagare non pertinet, an venditor, vel ejus auctor sit idoneus, necne, dum transeant in resignatarium libera ab omni nexu, ut supra. Non sic est in vinculatis, pro quibus distrahendis, necessarium esset emptori seipsum obligare ad evictionem, ac etiam se ostendere divitem, & omnino idoneum, ut emptor sua obligatione contentetur, alias in malo stato constitutus, vel forensis non possidens in loco bona stabilia, emptorem non inveniret absque idonea cautione. Et nihilominus, etiamsi dives, & idoneus, adhuc absque dubio numquam inveniret emptorem pro eo pretio, quo currunt loca libera, unde mera stultitia videtur velle asserere, quod ob cautelam evictionis, seu regressus ad primæva jura, idem censeri debeat valor locorum liberorum, & vinculatorum cum promissione evictionis. 8

Et his circumstantiis minuentibus, aliæ duæ accedebant relevantes, una nempe pacti de retrovendendo, quod minuit de justo pretio, juxta benigniorem opinionem in sexta parte, & altera, quod in casu evictionis, alia non competeret actio, nisi ad regressum ad primæva jura, itaut quodcumque augmentum, medio tempore occurrens, amitteretur, cum quibus omnibus circumstantiis, si hujusmodi loca montium in banchis venalia tunc exposita fuissent, utique non invenissent emptorem pro scut. 60. circiter, itaut nedum dimidia, sed neque in tertia parte læsio considerari posset.

Fortius, quia de læsione in proposito non agebatur ad effectum a jure præscriptum *in d. l.* 1. *C. de rescin. vend. & c.* 3. *de empt. & vend.* ut scilicet rescisso contractu, sit in electione emptoris, vel justum pretium supplere, vel rem recepto pretio soluto restituere, cum hanc restitutionem, etiam non concurrente sufficienti læsione, emptor vivens, ejusque hæredes ea benevolentia non semel obtulerint, quam oblationem in specie ad effectum excludendi læsionem, ac depravatum emptoris animum ponderat Rota *decis.* 311. & 249. utrobique *in fin.* apud Postium *de subhast.* Sed agebatur ad effectum restitutionis fructuum, ad quem effectum, omnino verior, ac recepta est opinio; fructus medii temporis non venire ex simplici enormi læsione, quamvis ad rescissionem idonea, sed necessariam esse enormissimam in tam magno excessu, quod dolum redoleat annullantem actum ab initio, qui excessus, juxta opinionem pro venditore benigniorem, saltem esse debet ultra bessem, & sic ultra duas tertias partes, juxta *dec.* 64. & *seqq.* Fontanell e, cum quibus processit Rota in Romana transactionis 28. Junii 1660. coram Verospio, quæ tamen opinio, neque in puncto Juris subsistit, ut ex Bargal. *de dolo*, & aliis late habetur per Castill. *lib.* 6. *contr. cap.* 18. *n.* 108. & *seqq.* & est dictum in d. Romana de Oricellariis *hoc tit. disc.* 30. & ex professo probatur in d. Romana transactionis pro Honorato *sub tit. de empt. & vendit.* Unde quoad fructuum restitutionem; prorsus improbabilis erat prætensio ex capite læsionis. 9

Idque etiamsi admitteretur facti præsuppositum, quod emptor, seu cessionarius, vinculorum periculo subjacere noluisset, sed in eorum casu, libere, & simpliciter de regressu ad primæva jura sibi consuluisset, multo magis hoc præsupposito cessante, quia vere pactum dicti regressus conceptum esse ostendebatur ex lectura instrumenti, ob defectum mandati procuræ, quo, seu ratificatione accedente evanuerat, ut emptor, seu hæredes ita contra seipsos pacta interpretabantur, neque interim venditor in vim pacti prædicti aliquod damnum, vel molestiam passus erat.

His stantibus, corruere dicebam de consequenti alterum fœnoris objectum, quia hoc dari non potest absque notabili pretii diminutione, quæ est ejus fundamentum, ut observat Leotar. *de usur. q.* 9. *n.* 12. Et nihilominus ea concurrente, dubitare facilius posse observabam de fœnore in contractu emptionis, & venditionis, secus autem in illo datione in solutum, ex ea differentiæ ratione, quod usura non datur absque mutuo vero, vel interpretativo, quod de facili cadit in emptione, & venditione, ob pecuniam indigenti sub nomine pretii datam, non autem in datione in solutum, in qua nullus adest promptæ pecuniæ usus, ut bene Fulgos. *cons.* 113. Dec. *cons.* 166. *n.* 6. Menoch. *cons.* 343. *n.* 17. & cæteri simpliciter negantes hoc fœnus in datione in solutum. 10

Et quamvis hæc opinio non videatur tuta, quia etiam in datione in solutum ob creditum pecuniarum, verificari potest mutuum implicitum, seu interpretativum ob suffocationem debitoris inferendam a depravato fœneratore, ita usuras sub hoc specioso titulo extorquere volente, ut habetur late deductum in Tiburtina Castri S. Angeli 26. Januarii 1594. & 14. Febr. 1656. cor. Meltio, de qua causa habetur actum *sub tit. de usur.* attamen major pretii diminutio, ac majores fœnoris conjecturæ desiderantur, ut aliis allegatis advertunt, & probant Mantic. *de tacit. lib. 8. titul.* 23. Leotar. *de usur. q.* 40. *n.* 24. *& seqq.*

11 Accedebat bona fama integritatis d. Hieronymi, emptoris de fœnore non suspecti, quam in proposito, & pro fœnoris exclusione, satis esse spectandam, observant Mantic. *d. lib.* 8. *tit.* 25. *n.* 3. & Leotar. *q.* 95. *n.* 57. qui alios adducunt, & quia vere venditor nullum damnum, vel præjudicium exinde passus est.

12 Conjecturæ autem erant levissimæ, utpote solum percutientes diminutionem pretii, quæ est principale requisitum, non autem operari etiam alias extrinsecas conjecturas: Et dolos præsumptus a Stato Urbis 154. omnino cessabat, tum quia emptor, tamquam Ecclesiasticus, ei non subjacebat, ut supra; tum clarius, quia statutum non præsumit contractum dolosum, neque ex sola læsione in tertia parte doli præsumptionem inducit, sed solum ad enervandam vim juramenti, istud præsumit dolo extortum, eodem modo, quo in omnibus contractibus sub certa solemnitate non confectis, disponit. Et sic dolus præsumptus non est in contractu, sed in juramento pro istius inefficacia. Et propterea satis juste, cum sensu veritatis, mihi visum est, dictis reis absolutoriam concessam esse.

ROMANA LOCORUM MONTIUM RELIGIONIS,
PRO MONTISTIS CUM CAMERA.

An & quando augmentum, seu pretium extrinsecum locorum montium sit restituendum: Et quid, ubi erectio facta est in scutis auri: an possit immutari, & reduci ad scutos monetæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Pacta per Principem etiam servari debent.*
3 *Pro extinctione locorum montium sufficit solvere pretium intrinsecum.*
4 *Quale dicatur pretium extrinsecum.*
5 *Idem in censibus.*
6 *Cessionarius census repetit totum pretium sortis, licet pro minori acquisierit.*
7 *De cessione ad terminos* text. in l. per diversas, & l. ab Anastasio, C. mandat.
8 *Pretium extrinsecum restituendum est accedente pacto.*
9 *Transmutatio locorum montium de una specie monetæ ad alteram, non tollit obligationem.*
10 *Quid operetur d. transmutatio.*
11 *Novatio censetur facta cum eisdem qualitatibus.*
12 *Subrogatum assumit naturam ejus, in cujus locum facta est surrogatio.*
13 *Extinctio montium facienda est in specie monetæ, in qua facta est erectio.*
14 *Datur novatio circa modum solvendi fructus absque novatione in sorte principali.*
15 *Quando hodie detur novatio.*
16 *Procurator ad exigendum fructus, non potest recipere sortem, neque novare.*

D I S C. XXXIII.

1 Pius V. erexit Montem Religionis in scutis aureis, ad rationem centum pro quolibet loco, pro quo pretio, sub ipso, & successoribus, Camera partem dictorum locorum vendidit, partem autem adhuc invenditam in summa locorum 2188. sub Sixto V. vendidit ad rationem scutor. 180. cum pacto, ut in casu extinctionis eadem summa scutorum 108. auri restituenda esset, quamvis aliis primis emptoribus sola centum restituerentur.

De anno 1652. Thesaurarius ex Papæ oraculo, ut est probabile, mandavit d. Montis Secretario, ut loco cujuslibet Montis in auro, quemlibet Montistam loci Montis unius, cum dimidio monetæ, in lista creditorem constitueret, proutetiam in forte; tunc tanti importabant scuta 108. auri; quam locus unus, cum dimidio monetæ, computato etiam augmento extrinseco, cum ista loca valerent ad rationem scutorum 110. pro quolibet, ac demum de anno 1656. facta fuit dictorum locorum extinctio, quo tempore attento, adhuc dictum pretium extrinsecum ad rationem 110 pro quolibet continuabat, & potius majus.

Prætendente autem Camera, generaliter, & indefinite, juxta omnium locorum montium regularem naturam restituere solum valorem intrinsecum scut. 110. pro quolibet, hinc orta fuit difficultas respectu dictorum locorum 2188. quæ ut supra dictum est, vendita fuerunt cum pacto expresso restituendi illud idem pretium scut. 108. auri, pro quo empta fuerant, unde assumpta desuper amicabili, & extrajudiciali, ad veritatem potius, quam contentiosa disputatione in Congregatione Camerali.

Ego scribens pro aliquibus Januensibus, qui pro majori parte d. loca possidebant, distinguebam disputationem in duos punctos, quorum primus erat super restitutione augmenti extrinseci in genere, sive esset in auro, sive in moneta. Alter vero, posita obligatione restituendi dictum augmentum, an restitutio facienda esset in scutis 108. aureis pro uno loco, ad rationem scutor. 110 monetæ juxta valutationem unius loci cum dimidio.

Quoad primum, dicebam rem esse planam, disputatione 2
indignam, stante pacto expresso, quod etiam a Principe servandum est, ad notata per Canonist. *in cap.* 1. *de prob. & Civilist. in l. digna vox, C. de legib. & l.* 1. *ff. de pact.* cum concord. deductis in his terminis per Capyc. Latr. *dec.* 188. 3
n. 5. *& seqq. &* 192. *n.* 42. Licet enim, ubi hujusmodi locorum montium extinctio sequitur, Camera, vel alter montis debitor, regulariter restituere non soleat, nec debeat, nisi intrinsecum pretium scut. 100. pro quolibet loco, non autem augmentum extrinsecum, attamen id provenit, 4
quia ipse debitor aliud non recepit, nisi dictum intrinsecum valorem, ad tantumdem propterea obligatus, cum extrinsecum dicatur pretium affectionis, seu negotiationis in privatis venditionibus inter ipsos Montistas, adinstar census, qui impositus per debitorem in mille cum primævo emptore, 5
quamvis pro majori pretio alteri ratione bonitatis, vel affectionis credatur, quod de jure fieri posse, jam in foro est receptum; nihilominus debitor volens censum redimere, non tenetur, nisi ad sola mille, & sic ad quanti recepit: quia econverso, si cessionarius pro minori pretio illum acquisivit, adhuc debitor cessus non liberatur, nisi restituendo totum, Salgad. *in labyr. p.* 1. *cap.* 27. *n.* 80. *& seqq.* quoniam 6
in cessionibus hujusmodi jurium non litigiosorum non intrat dispositio, text. *in l. per diversas, & l. ab Anastasio, C. mandati*, ex deduct. per Olcam. *de cess. tit.* 6. *q.* 10. *n.* 53. 7
& seqq. & frequenter *sub tit. de cred.*
Attamen, ubi expressum pactum accedit, e re ipsa, seu 8
justitia commutativa vestitum, quia nempe eadem Camera in ipsa prima venditione recepit hujusmodi augmentum, tamquam speciem pretii intrinseci, cum obligatione restituendi tantumdem, tunc nulla penitus, nec legalis, nec naturalis subesse videtur ratio, quæ ab hujusmodi restitutione excusaret: Ut de pretio extrinseco restituendo in casu pacti, Cravet. *cons.* 47. *num.* 1. Alias enim sequeretur, quod emptores inæqualiter ementes, æqualiter tractarentur, contra omnem justitiæ rationem, ut bene in his terminis Capyc. Latr. *d. decis.* 188. *n.* 92. *& seqq.* ubi testatur, prævia magna discussione, resolutum fuisse, ut cui plus solvit, plus restitui deberet, juxta terminos, & proportionem justitiæ commutativæ.
Nec referre dicebam, quod per hujusmodi transmutationem de uno loco auri in unum cum dimidio monetæ, indu- 9
cta esset novatio dictæ conventionis, tum quia hæc negabatur, ut infra in sequenti puncto; tum etiam quia ea admissa, semper obstabat, non restitui tantumdem, neque satisfieri justitiæ commutativæ.
Per novationem enim fingitur actus extinctionis primi contractus, & creationis novi, perinde ac si tunc Camera 10
restituisset Montistis scuta 108. aurea pro quolibet loco, & Montistæ cum eadem moneta incontinenti, denuo emissent ab eadem Camera locum unum cum dimidio in moneta, ad rationem scut. 110. pro quolibet, & sic semper firmum remanet, pretium intrinsecum pervenisse ad manus primi venditoris, tamquam pretium intrinsecum, ac propterea Montis debitorem, seu venditorem cum pacto redimendi, redimere, seu extinguere volentem, teneri restituere totum acceptum.

Novatio enim censetur facta cum omnibus qualitatibus,

quæ

quæ ex conventione, vel juris dispositione insunt in actu novato favore creditoris, quidquid sit in illis, quæ insunt in
11 solum odium debitoris, juxta theor. Bart. communiter receptam *in l. si quis cum aliter* 36. *n.* 4. *ff. de verb. obl.* Alex. *n.* 3. Jas. *n.* 12. & cæteri per Surd. *cons.* 269. *n.* 17. Mantic. *de tac. l.* 3. *tit.* 3. *n.* 14 Capyc. Latr. *cons.* 120. *n.* 47. *& seqq.* Suffragante quoque alia juris regula, ut subrogatum assumat naturam, & qualitatem ejus, in cujus locum fit subrogatio,
12 etiam in materia stricta, & correctoria, itaut qualitates censeantur repetitæ, Dec. *cons.* 189. *alias* 190. *n.* 3. *&* 5. Menoch. *cons.* 117. *n.* 70. Capyc. Latr. *d. cons.* 120. *n.* 62. *& seq.* late Barb. *axiom.* 213. Rota *dec.* 232. *n.* 14. post Zacch. *de obligat. Cam.* Ideoque in hoc primo puncto dicebam versari
13 omnino in claris, Montistæ siquidem, videntes loco unius Montis aurei, tunc communiter vendi soliti pro scut. 165. monetæ, sibi assignari locum unum cum dimidio monetæ, importans eamdem summam scut. 165. juxta valorem tunc currentem, tamquam in æquivalenti satisfacti, non habebant causam contradicendi hujusmodi novationi, cui propterea acquieverunt, juste credentes, dictum augmentum, tamquam effectum ex pacto intrinsecum, manere in sua natura, atque loca subrogata esse in hac parte ejusdem naturæ, & qualitatis, qualia erant in illa pro quibus subrogatio facta erat.

Hoc firmato, modica disputationis occasio remanebat super secundo puncto, quia inter scuta 208. auri, & 165. monetæ fere nulla, vel satis modica versabatur differentia: Et nihilominus, in stricta juris censura dicebam, restitutionem in auro esse potius faciendam juxta primævam conventionem: Nil obstante novatione per Cameram prætensa, quia ordo Thesaurarii non loquebatur de sorte, ut scil. qui erat creditor unius loci in auro, crearetur creditor unius loci cum dimidio in moneta, sed loquebatur solum de modo solvendi fructus, ut scil. fructus, qui prius ad formam erectionis solvebantur uno modo, tunc solverentur ad illam rationem, quam importarent fructus unius loci cum dimi-
14 dio ea illis monetæ, & sic Montistæ credere potuerunt hujusmodi innovationem fuisse solum circa modum solvendi fructus, qui non alterata debiti substantia in sorte principali, recte innovari potest, & solet ad notata per DD. *in cap. cum olim de cens. disc.* 126. & habetur *hoc eodem tit. ad materiam monetarum*, ac etiam *sub titul. de pension.* non semel deductum: Ideoque hæc sola possibilitas, seu compatibilitas sufficit ad excludendam novationem, quæ hodie non inducitur, nisi expresse dicatur, juxta text. clarum *in l. fin. C. de*
15 *novation.* qui licet limitetur, ubi accedit incompatibilitas, cujus ratione, etiam hodie ex actu tacito resultat novatio, attamen sola compatibilitatis possibilitas sufficit pro illa excludenda, saltem in parte compatibili, Grat. *discept.* 290. *n.* 23. *& seqq.* Capyc. Latr. *cons.* 120. *n.* 43.

Eo magis respectu Montistarum absentium, quales erant Januenses, in quibus nullus proprius consensus considerari poterat, dum exegerant juxta formam immutatam per eo-
16 rum procuratores, qui tamquam deputati ad exigendum solos fructus, sicuti absque speciali mandato sortem exigere non poterant, ea plene deduct. in Rom. Census 10. Februarii 1659. & 31. Maji 1660. Melzio, Cenc. *de Cens. q.* 109. *num.* 49. *& seqq.* & fortiter disputatum habetur *sub titul. de Cens.* in eadem Rom. Census pro PP. Jesuitis domus professæ: Itaneque novare, vel alium actum præjudicialem facere potuerunt, cum prohibitus recipere solutionem veram, & expressam, non possit facere actum, ea quo illa ficta, & tacita resultet, Surd. *dec.* 229. *n.* 27. Seraph. *dec.* 831. *n.* 1. *& seqq.* Greg. *dec.* 311. *n.* 1. *& seqq.* Rot. *dec.* 374. *n.* 1. *& seqq. p.* 5. *rec. & dec.* 44. *n.* 8. post Merlin. *de pign.*

Et quamvis replicaretur de præsumpta verisimili certioratione, stante longæva acquiescentia, dicebam tamen, id percutere fructus, non autem sortem, circa quam impossibile videbatur, novationem, respectu præsertim absentium, induci posse, quia neque id ipsorum procuratorum, seu exactorum vera scientia constabat, sed illa solum præsumptive deducebatur ex actu exactionis fructuum, ideoque ex scientia præsumpta procuratoris inferri non poterat ad alteram scientiam præsumptam principalium, quia esset dare cumulum præsumptionum de jure prohibitum. Camerales igitur agnoscentes justitiam Montistarum, honestam obtulerunt concordiam, libenter acceptatam, per quam, controversia ulteriorem disputationis progressum non habuit, unde inspici non potuit, pro melius eruenda veritate, quid in contrarium his responderetur.

ROMANA SEU JANUEN. LOCORUM MONTIUM,

PRO ILLIS DE PAVIA.

Responsum pro veritate.

Assignatis filiis Religiosis fructibus locorum Montium vacabilium, sub eorumdem Religiosorum vitæ periculo existentium, pro illis vitalitiis subventionibus, quæ Religiosis, præsertim Monialibus dari solent, si hujusmodi locorum extinctio sequatur mediante pretii restitutione, An istud pertineat ad Monasterium, vel ad assignantem.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *In juribus vitalitiis sors principalis dicitur mori a principio, nec repeti potest.*
3 *Restitutio sortis jurium vitalitiorum dicitur quadam anticipatio solutionis fructuum futurorum.*
4 *Pensio Ecclesiastica extincta per Titularem cum Beneplacito Apostolico dicitur soluta loco fructuum futurorum.*
5 *Si loca Montium vacabilia assignata Religioso extinguantur, cui debeatur pretium pro extinctione restitutum, & quatenus debeatur Monasterio, an & qualem actionem habeant conjuncti Religiosi pro istius subventione.*

D I S C. XXXIV.

JOannes Thomas Pavia Januen. duobus filiis religiosis, & 1
tribus filiabus Monialibus, pro ea vitalitia subventione, quæ ex tolerata Ecclesiæ consuetudine, Religiosis per parentes, præsertim nobiles, vel divites præstari solet, & quæ in Monialibus reputatur dos, vel dotis pars, ut apud Merlin. *dec.* 671. *n.* 39. *& seqq alias dec.* 30. *p.* 2. *rec.* & habetur *sub tit. de dote*, & alibi, enim in faciem cujuslibet, tot loca montium vacabilia, ut ex eorum fructibus dictam subventionem consequerentur.

Cum autem, præter omnem credulitatem, contigisset hujusmodi Montium vacabilium extinctio, cum restitutione pretii tunc currentis in pecunia, vel istius vice, in uno loco cum dimidio montis non vacabilis noviter erecti: Orta est dubitatio, and. sors restituta pertineret ad Religiosos, & successive ex eorum persona ad Monasterium, vel potius ad assignantem, obligatum proinde continuare dictam vitalitiam præstationem, ad eamdem rationem primævæ assignationis.

Contra assignantem, favore Monasterii censui respon- 2
dendum, quia restitutio, quam Camera fecit Montistis, vere, & proprie non est restitutio sortis debitæ, quia in juribus vitalitiis illa ab initio, & incontinenti absque spe re-
petitionis omnino moritur, ex deductis per Leotar. *de usur.* 3
q. 49. *n.* 7. Sed est quædam compensatio, seu anticipata solutio illorum fructuum, quos plurium annorum spatio Montistæ pro ejus vita percipere debuissent: Eodem modo, quo cum Beneplacito Apostolico, cum certa summa ab initio soluta, extinguitur pensio Ecclesiastica per titularem ad illius solutionem obligatum, ideoque tamquam soluta loco futurorum fructuum, debita videtur ei, cui fructus debebantur: Unde nullam dignosci dicebam rationem, quæ contrarium suaderet.

Eo magis, quia pater ad hujusmodi vitalitiam præstatio- 4
nem, loco alimentorum, seu dotis, erga filios obligatus, quando assignavit loca, cum eorumdem filiorum vita vacare debentia, jam cogitavit, se suamque hæreditatem, totaliter privare illa pecunia, quam in dictorum locorum Montium acquisitionem erogavit, cum attenta præterita observantia, nulla subesset spes illius repetitionis, quæ licet practicari solita esset in æquipollenti mediante eorumdem locorum venditione, cum licentia Papæ de facili concedi solita, quoties mala valetudo, vel gravis ætas ex præsumpta fraude impedimentum non præstat, eo modo, quo in officiis; nihilominus assignans, hujusmodi voluntatem non habuit, dum nullam dispositionem sibi reservavit, ut fieri solet, ideoque hoc jus percipiendi ad vitam quamdam annuam præstationem, in quo jure adinstar census vitalitii proprie, loca montium vacabilia consistere dicuntur, quæsitum fuit assignatario, & successive Monasterio.

Bene verum, quod cum ex hujusmodi pretio restituto,
5 per Monasterium investiendo, sive in alium locorum montium speciem investito, percipi non possit tantus fructus, quatenus ex locis vacabilibus percipiebatur, unde assignatarii non habuissent eam integram subventionem, quam pater eis assignare voluit: Hinc proinde dicebam, juste ab isto, vel ejus hæredibus prætendi posse, quod Monasterium dictam sortem lucrari volens, cogi posset ad præstandam assignatariis dictam subventionem, ad eamdem rationem, vel ad investiendam dictam pecuniam in emptione alterius redditus, vitalitii consimilis, quia finalis causa, & intentio assignantis, non fuit ditandi Monasterium, neque ei aliquid dandi, sed pinguius providendi filiorum necessitatibus, in quam causam, & non alias dedit: Ideoque etiam ipsum Patrem, vel ejus hæredes, dictorum religiosorum fratres, recte id agere possunt.

Ad instar donationis factæ, contemplatione matrimonii, Sponsæ, ut commodius vivat; nam Sponsæ, & filiorum conjuncti, ad illius implementum, etiam invito donatario agere possunt, ex deductis per Franch. *dec.* 205. Rot. *decis.* 44. *p.* 6. *rec.* & in aliis, de quibus in Romana donationis de Jordani, & in Urbinaten. *sub tit. de donat.*

Quinimo dictorum patris, vel fratrum interesse, isto casu videtur esse primarium, quia cum per Monasteria suppeditari non soleant omnia ad commodiorem usum necessaria, hinc sequitur, quod in casu indigentiæ, onus redundat in ipsos, saltem ex debito charitatis, vel ex ratione convenientiæ, supplendi totum id quod deest, ut frequens experientia comprobat: unde propterea esset locupletatio cum aliena jactura, & usurpatio rei alienæ invito Domino. Sufficere igitur debere Monasterio sibi concedi electionem, unum vel alterum, prout sibi magis expediret, faciendi; & hoc mihi visum fuit in illa non multum tractata controversia respondere.

ROMANA FRUCTUUM, SEU DOTIS, PRO FRANCISCA PENNACHIA, CUM VANNINIS.

Casus sopitus per Concordiam.

Marito exigente fructus locorum Montium vacabilium Uxoris dotalium, extradotalium, quid in uno vel altero casu restituere teneatur soluto matrimonio. Ex quo infertur etiam ad officia, vel alia hujusmodi jura vacabilia, quæ dantur in dotem, vel paraphernum. An & quid soluto matrimonio sit a Viro restituendum; neque ex cujus persona, & cujus periculo hujusmodi officia, vel jura vitalitia in dotem data, vacare dicantur.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *De fructibus bonorum extradotalium, quando vir eos faciat suos.*
3 *Usufructuarius jurium vitalitiorum finito usufructu quid restituere teneatur.*
4 *De imputatione Census vitalitii in legitimam.*
5 *Soluto matrimonio quid maritus teneatur restituere de fructibus locorum montium vacabilium, aliorumque jurium vitalitiorum dotalium.*
6 *Loca montium vacabilia, seu alia jura vitalitia data in dotem, per cujus mortem vacent, Viri, vel Uxoris, & cujus periculo.*
7 *Casus in quo officium cantat in faciem Viri, per ejus mortem non vacat.*
8 *De pensionibus Hispania conferri solitis Italis sub nomine Hispanorum.*
9 *Et de pensionibus confidentiariis.*
10 *Distinguuntur plures casus de quæstione, de qua n.* 6.
11 *Valor jurium vitalitiorum quomodo æstimandus in sorte principali.*

DISC. XXXV.

1 Nubens Francisca, simpliciter ejus bona in dotem dedit, inter quæ aderant quædam loca montium vacabilia, officiis, sive censibus vitalitiis assimilata, & quæ per Hispanos dicuntur *Juros por vida*, & post matrimonium alia similia loca montium vacabilia, ex conjunctorum successionibus quæsivit, quorum omnium, tam dotalium, quam extradotalium fructus, vir exegit constante matrimonio, quo per Viri obitum dissoluto, inter illius hæredes, & mulierem, orta est quæstio coram A. C. super dictorum fructuum restitutione, atque in disputationibus super habitis, distinguendo extradotalia a dotalibus.

Quatenus ad primam speciem pertinet, pro muliere scribens dicebam, quod quicquid sit de fructibus illorum bonorum, quorum proprietas, & substantia salva remanet, ut sunt prædia, domus, vineæ, census perpetui, loca montium non vacabilia, & similia, num scil. maritus, de expresso, vel tacito uxoris mandato illos percipiens faciat suos, de quo Thes. *dec.* 187. Surd. *cons.* 290. *ex d.* 29. Fontan. *de pact. claus.* 6. *gloss.* 2. *p.* 7. Arias de Mesa *lib.* 2. *variar. c.* 30. Merlin. *lib.* 2. *controv.* 92. *n.* 31. *cum seqq.* & non semel in sua materia *sub tit. de dote.*

In istis tamen locis montium vacabilium, res videtur 2
plana pro restitutione, quia cum eorum proprietas non remaneat salva, dum per possessoris mortem extinguuntur, & vacant, ita ut tamquam jura vitalitia, cum terminis ususfructus, seu census vitalitii regulanda sint; hinc sequitur, quod talis annua perceptio, proprietatis potius, quam fructuum jure censenda est; unde quicquid sit in dotalibus, in quibus maritus habet dominium, vel quasi, & emolumenta percipit jure suo, & ex causa onerosa in compensationem onerum matrimonii, de quo infra.

In extradotalibus tamen, cum habeat solum, ex præsumpto mulieris consensu, quamdam legalem administrationem, cujus ratione in casibus, de quibus per DD. supra allegatos ex dispositione text. *in l. fin. C. de pactis conventis*, suos facit fructus, seu usuras consumptas, quia Uxori consultum dicitur per conservationem proprietatis ex Viri administratione resultantem, nullatenus dici posse videtur, ut suos facere debeat istos fructus, in quibus ipsa proprietas, seu substantia consistit, quia non esset administrator, sed Dominus, qui totam administratam substantiam in suos usus converteret.

Ad quod probandum deducebam firmata per Surd. *cons.* 3
575. per terminos usufructuarii hujusmodi jurium, & emolumentorum ad vitam, ut finito usufructu, teneantur emolumenta percepta restituere tamquam sortem, considerato solum usufructu in ea commoditate, seu fruitione medii temporis, ad instar ususfructus pecuniæ sive bonorum, quæ usu consumuntur; & nihilominus absolutum est, longe potentius esse jus usufructuarii, quam Viri in extradotalibus, quia ille percipit jure suo, iste vero jure alieno, & simplicis administrationis, secum ferentis hujusmodi licentiam, & utilitatem, ex sola tacita, & præsumpta Domini voluntate.

Atque in idem conferunt, quæ in fortioribus etiam termi- 4
nis habentur de imputatione per filios facienda in legitimam fructuum ex censibus vitalitiis, vel officiis vacabilibus, ad paternam hæreditatem spectantibus perceptorum, ut in Romana fideicommissi de Marianis pro Alicorna *sub tit. de legitima, seu detractionibus*: Ideoque doctus Judex super jus nullam difficultatem habebat, quæ solum erat in ordine ad extradotalia, circa fructus locorum montium non vacabilium, aliorumque bonorum fructiferorum, quorum proprietas salva remanebat, stante quod ex parte mulieris prætendebatur, illos in æquipollenti adhuc extare, tamquam investitos in census, & alia bona ad favorem Viri, qui exinde locupletior remanebat, quos virum non facere suos probant superius allegati, & super quibus, me approbante honesta emanavit concordia.

Quo vero ad fructus illorum locorum montium vacabilium, quæ dotalia erant, discerni non poterat, an essemus in terminis text. *in l. usufructu ff. soluto matr. & l. si convenerit ff. de pact. dotal.* per quos disponitur, fructus, vel emolumenta ex vitalitiis juribus uxoris percepta, soluto matrimonio restituenda esse tamquam sortem; vel potius essemus in casu, text. *in l. dotis fructuum, vers. Si usufructu ff. de jur. dot.* in quo disponitur, maritum soluto matrimonio, fructus, & emolumenta percepta ex usufructu, vel juribus vitalitiis uxori competentibus, non teneri restituere, sed suæ satisfacere obligationi, si restituat ipsum usumfructum, sive ipsum jus dictorum emolumentorum productivum, quatenus adhuc extet, & duret.

Istarum autem legum contrarietatem, nostri scribentes communiter, conciliant cum ea distinctione, quod aut in dotem dati sunt principaliter ipsi fructus, seu emolumenta, & procedant jura primo loco allegata, ut fructus restituantur tamquam sors, aut datum est ipsum jus ususfructus, seu percipiendi annua emolumenta, & procedant

dant jura secundo loco allegata pro non restitutione, ut post antiquiores Barbos. *in d. l. usufructu, ff. solut. matr.* Thes. *l. 3. quæst. for.* 41. plene Rota apud Merlin. *dec.* 483. *num.* 5. *&* 6 ubi luculenter, & docte iste articulus examinatur, ideoque ista videtur potius quæstio facti, & applicationis, quam juris, an scilicet in una, vel altera distinctionis parte versaremur.

In casu autem, de quo agebatur, non poterat ex facto percipi, in qua distinctionis parte versaremur, quia nulla specialis conventio super hujusmodi bonorum specie legebatur, cum simpliciter mulier, sub generica dispositione, omnia bona jura, quæ tunc habebat in dotem dederit; unde propterea in casu ambiguo, ubi scilicet incertum est, an uno, vel altero modo talia jura data sint, recurrendum esse ad conjecturas, & præsumptiones, bene aliis allegatis habetur apud Merlin. *d. dec.* 843. *n.* 12.

Inter conjecturas autem, & præsumptiones, ea fortis, & frequens videtur, resultans ex conjugum qualitate, dictorumque jurium, aliorumque bonorum quantitate, cum regula vulgari, quod ex pretii quantitate desumitur contrahentium voluntas, & quid in contractum deductum sit. Si enim conjugum conditio est talis, quod hujusmodi jurium emolumenta, unita cum aliorum bonorum dotalium fructibus, matrimonii oneta adæquent, sive parum excedant, itaur dici oon valeat, solum usumfructum dictorum fructuum, seu emolumentorum esse matrimonii oneribus adæquatum, & tunc sine dubio præsumendum est, hujusmodi jura censeri data ad formam, text. *in leg. dotis fructus ff. de jur. dot.* ut scil. oon ipsa emolumenta tamquam sors in dotem data censeantur, sed ipsum jus illorum productivum, quod solum restituere sufficit.

Aut econverso d. emolumenta sint in magna quantitate, & talia, quod illorum sola fruitio, juncta cum fructibus aliorum bonorum, matrimonii oneribus præponderet, & tunc secus, & casus est dubius. Tunc præsumptio assistere videtur magis viro, quam uxori, ut potius ipsum jus, quam ipsa emolumenta data censeantur, ut probare videtur text. *in d. l. dotis fructuum, vers. si ususfructus,* ibi, *& nisi appareat aliud putare seipsum jus in dotem esse, non etiam fructus*, & observat Menoch. *l. 3. præs. 9. n.* 8. qui ad id allegat Joannem Andream ad Speculatorem, quantum videre potui, id oon asserentem; & sic io summa concludebam, istam esse quæstionem facti, juxta ejus circumstantias, pro judicis prudentis arbitrio terminandam.

Incidenter vero, ad docti Judicis satisfactionem potius, quam ad causæ necessitatem; cum præmissa omnia procedant, ubi loca montium vacabilia, sive officia, vel alia hujusmodi jura vitalitia viro dantur in dotem ad solam fruitionem, sive emolumentorum perceptionem, ipsius juris substantiam, ejusdem mulieris persona adhuc remanente, & perseverante.

5 Assumpta fuit disputatio, quid ubi eadem jura formaliter viro dentur, itaut Principis, seu proprietarii, vel alterius, ad quem pertinet, accedente consensum, illa in ipsum virum transferantur, atque in ejus persona, per actum cujusdam novæ creationis, ut dici solet, intestentur: quid scil. soluto matrimonio veniat restituendum, & cujus damno, seu periculo ejusdem officii, vel juris vacatio, seu extinctio cedat; atque ex cujus persona, an scil. ipsius viri, vel mulieris, hujusmodi vacatio sequi dicatur.

In hoc autem, spectandam in primis esse dicebam partium 6 voluntatem, qua clara accedente, aliud non est inquirendum, juxta terminos text. *in l. ille, aut ille, ff. de leg.* 3. *cum concordan.* Unde si in faciem viri officia, vel loca montium, & similia descripta sunt, eo animo, & intentione, ut persona viri solum demonstrata sit, remanente duratione utilitatis penes mulierem, & tunc damnum, seu periculum vacationis erit mulieris, cujus in effectu erat officii, vel alterius juris vacabilis dominium; eo modo, quo practicamus quotidie in vacationibus, seu cessationibus officiorum, locorum montium, societatum officii, & censuum vitalitiorum, quorum dominium est unius, vitæ autem periculum in alterius penitus extraneæ personæ oomine apponi solet, juxta distinctiones, de quibus io proposito officiorum *hoc eod. tit. disc.* 8. & in aliis; atque tali casu circa restitutionem a viro de perceptis faciendam, procedendum etiam videtur cum eadem superius tradita distinctione usufructus, vel similis rei, quæ residens penes personam mulieris, viro in dotem tradatur.

7 Nisi quoad vacationem intret ratio confidentiæ, quod scilicet Princeps tradere voluerit officium mulieri, ut ista, donec vixerit, commodum consequatur, sed ob ejusdem officii qualitatem non aptam in muliebri sexu residere, illud concessum sit sub nomine viri, quia ipso naturaliter, vel civiliter moriente, tunc ex ejusdem Principis tacita, seu præsumpta voluntate, vacare non dicitur, sed in alterius masculi persona, cum eodem confidentiæ titulo admittenda est situatio, donec mulier vivat, ut bene in his terminis habetur apud Capyc. Latr. *decis.* 182. ex rationibus ibidem deductis, quamvis valde remotis.

8 Quibus magis proxime addi possunt, quæ habemus io materia pensionum Ecclesiasticarum, quæ super beneficiis Hispaniarum quotidie per Papam reservantur ad favorem Italorum, vel Romanæ Curiæ Curialium. Ex privilegiis enim, nec beneficia, nec pensiones in Hispaniis haberi possunt ab aliis, quam a naturalibus; unde propterea usus inolevit, quod pensiones per Papam reserventur super illis beneficiis ad favorem unius Hispani confidentiarii, nudum nomen præstantis, vulgo nuncupati *testa di ferro*, ad commodum tamen alterius, cui Papa gratificari voluerit, & cujus persona spectatur, itaur, naturaliter, vel civiliter moriente Hispano reservatario, non per hoc pensio extinguatur, ut plene aliis allegatis habetur in Toletana Pensionis 15. Januarii 1646. coram Dunozetto *inter suas decis.* 761. repetita apud Dian. *par.* 8. *resol.* & latius explicatum habetur io sua materia *sub tit. de pensionibus.*

9 Prout etiam in Italia datur casus hujusmodi confidentiariæ reservationis, quia nempe volens Papa uni gratificari, qui sit incapax pensionis, illam reservat sub nomine capacis, ad commodum tamen, & utilitatem ejus, cui gratificari voluit, juxta casum positum per Buratt. *dec* 724. 791. *&* 835. in quarum ultima firmatur, id solum admittendum, quatenus scientia, & voluntas saltem tacita accedat Papæ, ex cujus defectu, recedendo a duabus præcedentibus, firmatur contra prætendentem commodum, & de qua materia pensionis confidentiariæ in Italia habetur, præsertim, actum in Imolen. Pensionis *sub tit. de pension.*

Ex qua ratione, idem quod de officiis ob Principis voluntatem dicitur, adaptabile dicebam quoque usufructui, Societati officii, vel censui vitalitio, quoties proprietarii, vel Officialis, seu debitoris voluntas accedit, quia nulla dignosci videtur ratio differentiæ, nisi facti circumstantiæ suadeant in fraudem usurarum, ac ad evitandum periculum, per calidum creditorem ita conventum esse, quod ex facti qualitate judicandum est.

10 Aut formaliter, & vere officium, sive ususfructus, vel aliud jus vitalitium, & de consensu Principis, sive proprietarii, vel alterius interessati, substantiatur in persona viri, & tunc per istius, non autem per mulieris cessationem vacatio sequi dicitur, juxta dispositionem text. *in lib. 4. ff. de novationib.* Barb. *l. ususfructus, ff. soluto matr. n.* 20. & cæteri apud Castill. *de usufructu cap. 69. n.* 7. Salgad. *in labyr. par. 3. cap. 43. num.* 24. *& seq.* Merlin. *dec.* 843. cum per illius cessationem hujusmodi jura cessare dicantur, in cujus persona ipsius juris substantia residet, non autem illius, cujus sit commoditas, vel utilitas, ut latius habetur *sub tit. de pension. & sub altero de societatibus officii.*

Atque tali casu, ad effectum restitutionis, dicebam, mihi videri, non esse restituenda emolumento percepta, quia ea vir accepit, non tanquam dotalia, sed tamquam sua, neque restituendum esse ipsum jus, cujus duratio dari potest, casu quo matrimonium morte mulieris, vel ex divortio dissolvatur, sive etiam matrimonio constante, alter restitutionis casus eveniat.

11 Cum tune duos dicatur consistere in ea quantitate, quam dicti officii, seu juris valor, attento tempore hujusmodi transmutationis importaret, regulandus, vel juxta unam opinionem (meo judicio minus veram) juxta computationem text. *in l. hæreditatum, ff. ad l. falcidiam*, vel juxta alteram veriorem, peritorum judicio, & prout hujusmodi jura attento eo tempore, attentisque particularibus facti circumstantiis, vendi seu æstimari solebant, ex deductis supra in Romana locorum montium de Oricel. *disc.* 30 quia in effectu videtur dictum jus ita datum, æstimatum vera æstimatione, itaut insit ille actus occultus emptionis, & venditionis, qui in bonis, quæ in dotem æstimata dantur, subintelligitur: Et hanc dixi mihi videri veritatem, circa theoricam in abstracto, absque eo quod certa, & determinata regula, seu decisio cadat in concreto, cum ut supra, totum pendeat ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus contrahentium voluntas desumenda est.

JA-

JANUEN. LEGATI AD INTERROGATIONEM SUPPRESSIS NOMINIBUS,

Responsum pro veritate,

Legatis locis Montium vacabilibus, vel similibus juribus vitalitiis, an veniant fructus decursi in vita Testatoris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Fructus decursi in vita testatoris debentur legatariis.*
3 *Contrarium.*
4 *Distinguitur.*
5 *Fructus censuum habentur tamquam debitum sortis, stans de per se.*
6 *An ex fructibus censuum debeatur interesse.*
7 *Redditus vitalitii decursi in vita defuncti non debentur legatariis.*
8 *Sors census vitalitii demortua dicitur, & repeti non valet.*
9 *Testor mandans solvi redditus annuos legatariis, non dicitur legasse decursos in vita sua.*

D I S C. XXXVI.

1 TEstator possidens quædam loca montium vacabilia, seu annuum redditum vitalitium super vectigalibus, & Juribus Reipublicæ Venetæ, sub diversarum personarum nominibus cantantia, & sub quarum vitæ periculo acquisivit, ut frequenter etiam in Urbe in officiis, & locis vacabilibus practicatur, dictos redditus legavit diversis personis, quæ prætendere cœperunt, sibi etiam deberi fructus, sive annualitates in vita Testatoris decursas, & non exactas; & de orta inter eos, & hæredes extrajudiciali controversia, utriusque partis nomine pro veritate interrogatus.

2 Respondi primo aspectu, pro legatariis respondendum videri, per text. *in l. nomen debitoris, ff. de leg.* 3. ubi deciditur, quod sub legato nominis debitoris, veniunt etiam usuræ decursæ in vita Testatoris, per quem text. Paulus de Castro *in l. si tibi homo, §. cum servus, ff. de leg.* 1. *num.* 3. dicit consuluisse, quod legata sorte, quam quis habebat super Montibus Florentiæ, vel Venetiarum, censetur etiam legasse fructus, vel usuras vivente Testatore decursas, quæ auctoritas videtur individualis, & Castr. sequuntur Alex. *ibid. n.*8. Jas. *n.* 1. & alii deducti per Surd. *dec.* 88. *n.* 18.

3 In contrarium tamen dixi mihi videri veritatem, quoniam auctoritates prædictæ procedunt in usuris, seu accessionibus crediti pecuniarii, mutui, vel impræstantiæ naturam retinentis, & per creditorem repetibilis, itaut veniant sub nominibus debitorum, de quibus proprie loquitur text. cum tali casu hujusmodi fructus dicantur omnino accessorii: In pluribus enim locis practicatur, quod publicum banchum, vel pius locus recipit pecunias sub quadam spe-
4 cie mutui, vel depositi, solvendo deponentibus quamdam fructuum, seu usurarum moderatam quantitatem pro tempore, quo pecuniam retinent, habita ratione ad majus emolumentum, quod ex hujusmodi pecuniæ retentione, & trafico reportant (quod an licite fieri possit, necne, utpote extra casum, non censui examinandum,) ut præsertim practicare solet Bancum Insignis Hospitalis Sanctissimæ Annunciatæ Neapoli, & in his terminis bene procederet legatariorum prætensio.

5 Sed ubi agitur de annuis redditibus legitime constitutis sub titulo census, vel simili; itaut sors, quæ pro eis soluta est, non sit repetibilis, neque depositi, vel mutui naturam retineat, sed potius dicatur pretium illius juris exigendi annuam præstationem: Et tunc fructus, sive annualitates hujusmodi, non dicuntur accessiones, neque sub usurarum nomine veniunt, sed repetantur tamquam species sortis stantis de per se, itaut quot sunt anni, tot sint credita, Merlin. *dec.* 585. & 663. alias *dec.* 3. *n.* 6. & *seqq. dec.* 281. *n.* 4. & *seqq. p.* 8. *rec.* Idque etiamsi ageretur de censibus, vel redditibus perpetuis non redimibilibus, nisi mediante ejusdem pretii restitutione, quia interim sors dicitur demortua, neque acquirens redditum dicitur ejus creditor, sed solum consideratur tamquam pretium a venditore restituendum, quatenus rem venditam in vim pacti de retrovendendo redimere velis, ut bene dictis auctoribus declaratis firmant Franc. *dec.* 254. *n.* 9. & *seqq.* Castill. *dec.* 4. *n.* 13. & *seqq.* Mastrill. *dec.* 115 Hodiern. ad Surd. *dec.* 88. *n.* 5. Cenc. de Cens. *q.* 72. *n.* 28. Duard. *eod. tract. in princip. q.* 26. *n.* 75. & §. 3. *q.* 19. *n.* 12. de Marin. *resol.* 10. *volum.* 1. Mantic. *dec.* 14. *nu.* 7. firmante sub legato census non venire fructus decursos in vita.

6 Adeoque tenaciter dictam propositionem veram habent DD. dictor scil. annuos redditus non reputari accessiones, & veros fructus, sed considerari tamquam sortem stantem de per se, quod plerique, præsertim Regnicolæ, licet tamquam absolutam teneant opinionem, ut non dentur fructus fructuum, neque usuræ usurarum; attamen ex hujusmodi annualitatibus, quas vocant tertias, pro constanti tenent, & practicant, dari usuras, sive interesse, liciteque converti posse in sortem principalem, & constitui novum censum, sive redditum aliorum fructuum productivum, quod tamen Curia Rom. non recipit, ut habetur in sua materia *sub tit. de Censib. & in altero de usur.*

Longe clarius in hujusmodi juribus, seu redditibus vitalitiis, in quibus sors, neque tamquam pretium amplius exi- 7
stit, neque illius probabilis spes pro casu redemptionis viget, nam quod ab initio solvitur, consideratur tamquam pretium aleæ, & spei rehabendi majorem sortis quantitatem, diminute exigendam in tot annis, quot acquirentis vita importabit, sub periculo consequendi parum, vel nihil, ob mortem brevi contingentem, & per quod compensatur illa major utilitas, quæ ex longæva vita reportatur, ut bene in terminis census vitalitii, ut ejus sors omnino demortua sit absque illa spe repetitionis, quæ viget in censu perpetuo, Leotar. *de usur. q.* 49. *n.* 7. Rovit. *in pragm.* 2. *de censib. nu.* 4. qui alios allegant, & rationes expendunt.

8 Hæc procedere dixi generaliter, sed fortius in casu, de quo agebatur, quia testator non reliquerat hujusmodi redditus, seu jura directe legatariis, itaut transeunte in eos illorum dominio, dici posset, accessorie, & consequutive transire fructus decursos, & non exactos in vita testatoris, Mantic. *decis.* 14. Cenc. de Cens. *quæst.* 72. *num.* 28. Sed mandaverat quibusdam exequutoribus, quos in Civitate Januæ nun- 9
cupant fideicommissarios, ut hujusmodi annuos redditus exigerent, & legatariis distribuerent, & sic legatum non consistebat in ipsius juris exigendi substantia, sed in singulis annuis distributionibus, itaut tot essent legata, quot sunt anni, unde casum dicebam indubitatum pro hærede contra legatarios.

ROMANA LOCORUM MONTIUM DE ALVERIC, PRO ABB. ANGELO LANA ET CONSORTIBUS, CUM CREDITORIBUS CASPARI ALVERI.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro creditoribus.

De locis montium subrogatis in locum rei alienatæ. & cum eisdem vinculis; quibus ipsa res subjacebat: Si tertio resignata fuerint, quale jus ad illa habeant Creditores resignantis.

Et de cessione vel hypotheca commoditatis in feudis, vel aliis alienari, vel hypothecari prohibitis, quid importare dicatur, & an per hoc, jus sit exercibile contra tertium, & postquam ipsa res desiit esse de dominio debitoris, vel cedentis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Loca montium quando subrogata loco rei subjaceant eisdem vinculis.*
3 *Regulariter transeunt libera in resignatarium.*
4 *Ubi prohibitioni legis accedit etiam prohibitio hominis, alienatio est ipso jure nulla.*
5 *De prohibitione alienandi, vel obligandi bona jurisdictionalia, & an capiat etiam impositiones censuum.*
6 *An d. prohibitio capiat alienationem commoditatis.*
7 *De dicta commoditatis alienatione, vel hypotheca in prohibitis.*
8 *An dicta commoditatis cessio, vel hypotheca sit exercibilis contra tertium possessorem titulo singulari.*
9 *Explicatur natura, seu ratio dictæ commoditatis, & quid ejus ratione acquiratur, cessionario vel creditori.*
10 *Fructus quando cadant sub hypotheca, cui res affecta est.*
11 *Quod jus competat in feudis, creditoribus sine assensu.*
12 *De distinctione feudi, vel emphyteusis ad effectum commoditatis.*

DISC.

DISC. XXXVII.

1 Gaspar Alverus possidens Castrum dirutum jurisdictionale nuncupatum *Castel Romano*, suorum majorum fideicommisso subjectum, cum strictissima prohibitione alienationis, & hypothecæ, illud cum Beneplacito Apostolico vendidit Cardinali Sacchetto pro scut. 60. m. quorum pars erogata fuit in extinctionem æris alieni ipsius venditoris, altera pars destinata fuit multiplico usque ad integri valoris supplementum, pro reintegratione fideicommissi, & residuum in summa sc. 20. m. investitum fuit in loca montium, prævia per Papæ chirographum derogatione quibuscumque fideicommissis, dictique castri liberatione a quibuscumque hypothecis, oneribus & vinculis, quæ omnia Papa transtulit in pretium, tam remanens, ut supra in loca montium investitum, quam alterum ex multiplico adæquandum, itaut pretium, in omnibus, loco rei, subrogatum remaneret; Cum autem idem Gaspar loca montium ex dictis scut. 20. m. comparata, cum dictis vinculis, mediante resignatione, pro modico pretio scutorum circiter 25. pro quolibet, juxta naturam vinculatorum, alienasset in Lanem, & alios, post hæc alii ejus creditores, dictos locorum montium possessores coram A.C. molestarent cum remedio associationis in vim clausulæ constituti, vel pacti de capiendo adjecti in ipsius castri obligatione.

2 Pro dictis possessoribus scribens, dicebam, loca montium, de quibus agitur, ex chirographo, esse quidem in omnibus surrogata loco castri, unde admittebam illa subjacere omnibus illis oneribus, vinculis, & hypothecis, quæ ad ipsum castrum competerent, quatenus istud in tres conventos distractum fuisset, perinde ac si ipsi essent dicti castri possessores, quod in locis montium emptis ex pretio castri alienandi de ordine Congregationis Baronum, in specie dixit aliquando Rota præsertim *decis.* 4. 43. & 171. *par.* 11. *recent.* & sæpe ad materiam Bullæ Baronum *sub tit. de feud.*

3 Verum ultra vincula in ipsis literis expressa, aliud prætendi non poterat, quia loca montium de peculiari eorum natura & privilegio tam ex intentione juris communis, quam ex motu proprio Urbani VIII. *ex const.* 154. aliud non recipiunt vinculum, nisi illud, quod in ipsis literis patentibus exprimitur, ut per Grat. *disc.* 730. *n.* 48. Cenc. *de cens. q.* 29. *n.* 13. Merl. *de pign. l.* 2. *tit.* 1. *q.* 14. *n.* 28. *dec.* 77. *n.* 19. & 20. *par.* 6. *rec.* in Romana locorum Montium 29. Novembris 1660. §. Injustitia coram Bevilaqua edita in causa de qua *hoc eod tit. pro Francionio*, *disc.* 26.

Quare punctus in eo consistebat quid dicendum esset, si ipsum Castrum ab Alvero absque liberatione vinculorum, cum ejus intrinsecis vinculis, & oneribus distractum esset in dictorum locorum montium emptores, qui essent illius tertii possessores, an scilicet, & quæ actio actoribus competeret contra eos.

4 Et nullam competere dicebam, quia dictum castrum erat cujuscumque hypothecæ generalis, vel specialis incapax, itaut creditores, nullum jus reale desuper haberent, tam ex ratione fideicommissi, cui subjacere supponebatur habentes strictissimam & expressam prohibitionem alienationis altissime sumpto vocabulo, sub qua venit etiam hypotheca, cujus specialis, & expressa prohibitio quoque supponebatur, ideoque de jure dubitandum non erat de nullitate actus, & rei incapacitate, etiam pro vita fideicommissarii, nam quoties prohibitioni legis accedit etiam prohibitio hominis, ne ista stare videatur otiosa, & inanis, operatur hunc effectum, juxta conclusionem hodie receptissimam, amplius testimoniis non indigentem de qua non semel *in sua materia sub tit. de fideic.* Quam etiam, quia tractabatur de Castro Jurisdictionali, quod ex Constitutionibus Clemen. VIII. Pauli V. & Urb. VIII. nullatenus alienari, vel alicui oneri subjici potuit absque beneplacito Apostolico, quas Constitutiones, procedere etiam in impositione census,

5 expresse declaratum fuit in Constitutione 65. Urb. VIII. de qua Rot. *dec.* 211. & 318. *par.* 5. *rec.* & *in aliis*, ideoque dicti creditores habere non poterant in subrogato, plus juris, quam in principali, ex vulgari axiomate subrogatorum, de quo Barbos. *axiom.* 213. Greg. *dec.* 215. &c.

6 Neque obstare videbatur unicum objectum, quod scilicet sub creditorum hypotheca, saltem veniret dicti castri commoditas, quoniam istam conclusionem procedere insinuabam, quam concurreret solum obstaculum resultans a fideicommisso, ex privativa prohibitione fideicommittentis; secus autem concurrente altero Constitutionum Apostolicarum, quæ in hac materia nimis late & rigorose disponunt, ut præsertim constat ex dictis Constitutionibus Clem. & Urban. & ex alia ejusdem Urbani la 151. & strictius ex Constitutione Innoc. per Alex. VII. innovata, ex quibuslibet, omnem & quamcumque speciem contrahendi, directam & indirectam prohibitam esse, itaut per generalem prohibitionem cujuscumque contractus, ac etiam tractatus, prohibitum quoque videatur id, quod respectu commoditatis etiam in feudis, & aliis bonis alienari prohibitis est permissum, ut proxime infra.

7 Præterea quatenus pertinet ad dictam conclusionem super alienatione commoditatis etiam in feudis, & aliis prohibitis, derivaram ex theor. Bart. *in l. si is qui §. usufructus ff. de pign.* & *l. Codicillis §. instituto nu.* 4. *ff. de leg.* 2. & de qua Specul. 2. *p. tit. de primo decreto*, §. 3. *incip.* Restat. *n.* 8. *circa med. vers. Item in Vassallo, cum quibus transeunt cæteri communiter*, congesti per Rosenth. *de feud. cap.* 9. *concl.* 9. *n.* 1. & *concl.* 10. *n.* 5. Barb. *in l. usufr. nu.* 15. *ff. solut. matr.* Giurb. *ad consuet. Messan. c.* 1. *gl.* 1. *p.* 1. *n.* 110. Amichang. *q. feud.* 18. *n.* 10. & *seq.* & Rot. *in Rom. Salviani* 17. *Aprilis* 1643. & *latius* 9. *Decemb.* 1644. cor. Cerro, *quarum prima est dec.* 238. post Zacch. *de oblig. num.* 5. & *dec.* 57. post Merlin. *de pign.* & 167. *p.* 9. *rec. cum aliis in Rom. seu status Ecclesiastici infeudationum*, & *in Tiburt. Castrorum sub tit. de feud. disc.* 61. & 69. circumspecte procedendum esse, neque ita generaliter, & indefinite illam capi debere; Procedit enim donec ipsa bona possidentur per ipsum debitorem hypothecantem, seu ejus hæredem & successorem universalem, quem afficit etiam eadem actio, seu obligatio personalis, quæ afficiebat personam principalis debitoris, ab hærede in omnibus tamquam eamdem repræsentaram.

8 Secus autem ubi res transiit in tertium titulo singulari translativo dominii, quia tunc ista commoditas nullius remanet operationis, neque creditori datur actio contra tertium exercibilis, ut optime Specul. *d. tit. de primo decreto*, §. *tertio restat n.* 8. *circa med.* ibique Jo: Andr. *in add. lit. R. ad quem locum se remittit*, idem Jo: Andr. ad eumdem Spec. *p.* 4. *in rubr. de pign. n.* 30. *lit. G.* bene Afflict. *in Constit. Regni incipiente si quis post item n.* 18. Cons. *de Cens. q.* 19. *n.* 27. *in fin.* Salg. *in labyr. p.* 3. *c.* 15. *num.* 25. & declaravit Rota quamvis subobscure in Romana Census 8. Junii 1654. cor. Bichio, quidquid prius dixerit in d. Romana Salviani cor. Cerro, & Tusculana Salviani 22. Maji 1654. cor. Zarara, quia vere assumptum in dictis decisionibus contentum, non videtur tutum, ut latius habetur deductum in d. Tusculana *sub tit. de emphyt.*

9 Viva etenim ac nimis evidens hujus assumpti ratio ea videtur, quod commoditas in proposito, non consideratur tamquam jus afficiens ipsam rem ejusque substantiam, quia stante prohibitione, dicitur incapax hujus oneris, seu vinculi, a quo remanet omnino libera, sed consideratur tamquam nudum tactum mere personale, respiciens rei fructus, & emolumenta, tamquam bona libera, & indifferentia, ab ipsa re separata, ipsique personæ cedentis annexa, quia lex fingit, ut eo ipso, quod fructus percipiuntur, in ipso instanti perceptionis, tamquam ab ipsa re prohibita separati, efficiantur de bonis liberis & indifferentibus debitoris, seu cedentis, cujus vice & nomine, cessionarius, vel creditor hypothecarius, tamquam ejus procurator in rem propriam eos capit, seu ejus hypotheca illos afficit, ut constat apud Rosenth. & alios allegatos, & bene Aponte *cons.* 34. *n.* 8. *cum seqq. vol.* 1. & est ratio, ob quam salvantur quotidie practicatæ cessiones commoditatis pensionum Ecclesiasticarum mediante pecunia sine beneplacito Apostolico, absque labe simoniæ, ut in sua materia *sub tit. de pension.* præsertim in Albanen. pensionis.

10 Ut autem istos fructus, seu commoditatem, cessionarius, vel creditor capiat tamquam bona sui debitoris, vel cedentis, omnino necessarium est, ut nascantur & existant in dominio sui auctoris, nam alias est impossibile, cum hæc nativitas dari non possit absque dominio ipsius rei tamquam causæ fructuum productivæ; Atque de jure est impossibile, ut dominium rei sit unius, & fructus orti post dictam dominii translationem sint alterius, juxta text. claros *in. l.* 1. §. *cum prædium*, & *l. Paulus in princip. ff. de pign.* quæ jura docte in proposito allegantur per Jo: Andr. ad Spec. ubi supra *tit. de primo decreto*, quod etiam probatur *in l. potior § de futura ff. qui potior. in pign.* ubi glos. communiter approbata per Bart. Salic. & alios ibidem, ac cæteros, de quibus Merlin. *l.* 1. *contr.* 24. *n.* 5. & alter Merlin. *de pign. l.* 2. *q.* 51. *nu.* 48. & *seqq.* & *q.* 53. *n.* 27. & *habetur supra Rom. de Vulturinis ad materiam officiorum disc.* 11.

Atque

Atque antiquitus in utriusque Siciliæ Regnis, præsertim
11 in nostro citeriori, id erat receptissimum, & quotidianum, quia creditoribus sine assensu, nullum jus, nullamque actionem habentibus ad feudum, ex d. theorica Specul. *loc. citat.* dabatur facultas habendi istam commoditatem, quam ibi tenutam dicebant, de qua loquuntur Afflict. *loc. cit.* Aponi. *d. cons. 34. n. 8. cum seqq. vol. 1.* Amichang. *d. qu. feud. 18. n. 50. cum seqq.* ex traditione Bart. *in l. si finita §. si de vectigali ff. de damn. infect.* ubi Jas. *n. 16.* Castr. *n. 6.* & cæteri, quæ tamen hodie per prohibitionem Regiam recessit ab usu, sed solum talibus creditoribus consulitur de remedio implorandi officium Judicis, ut feudatarium, vel ejus hæredem cogat in actione personali ad vendendum feudum, ut de illius pretio tamquam allodiali, & effecto libero, istis creditoribus satisfiat, ut per Franch. *dec. 704. & alios.*

Absolutum autem dicebam, absque principio dubitandi, quod unum, vel alterum remedium sit solum exercibile ad rem possessam ab ipso debitore, vel ejus hærede universali, non autem a tertio possessore, quem non afficit actio personalis, sed solum actio realis ipsi rei infixa, unde ad istum effectum omnino necessarium est, ut hypotheca ipsam rei substantiam afficiat, quod stante prohibitione dari non potest, & hanc dicebam videri genuinam veritatem.

Ad distinctionem autem in proposito traditam in d. Rom.
12 Salviani cor. Cerro, & in d. Tusculana Salviani cor. Zarata inter concessionem hæreditariam, vel ex pacto, & providentia, satisfactum est in d. Tusculana *sub tit. de emphyt.* ubi ostenditur in hoc videri forte processi cum aliquo æquivoco: Sustulit autem hanc controversiam nova prætensio uxoris ejusdem Gasparis agentis ad hæc loca montium, in exclusionem utriusque partis pro ejus dote, pro qua in vim *auth. res quæ*, actionem habebat, non obstante fideicommisso, unde ita cessat totus dictus discursus.

ROMANA SALVIANI, PRO STEPHANO PALLAVICINO, CUM JULIANO ORICELLARIO.

Casus disputatus in Congregatione Montium, & resolutus pro Juliano.

De motu proprio Urb. VIII. super libero transitu locorum Montium in resignatarium, quando locum habeat, & quomodo sit intelligendus.

An super locis Montium competant Salvianum, vel alia interdicta possessoria, ut in aliis bonis. Et quid in eis operetur clausula constituti.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Super locis montium non exequuntur mandata aliorum Judicum, nisi cum licentia Thesaurarii.*
3 *De motu proprio Urbani VIII. super locis montium quid disponat.*
4 *An super locis montium competat Salvianum.*
5 *In bonis prohibitis adhuc cadit hypotheca super commoditate.*
6 *Libertas locorum montium resultat etiam de jure, & ex ipsorum natura, & de ratione.*
7 *An constitutum transferat possessionem locorum montium in constitutarium, suosque effectus operetur.*
8 *Loca montium dicuntur possideri ab eo, in cujus faciem cantant.*
9 *In feudis non datur simulatio.*

D I S C. XXXVIII.

1 INter bona spectantia ad fideicommissum ordinatum ab Horatio Oricellario seniore, ac possessum per Horatium juniorem, sive Aloysium ejus filium ex forsan collusiva caducitate adversus patrem, volentem intentata, adsunt quædam loca montium, quæ prædicti Horatius, & Aloysius resignarunt cum vinculo fideicommissi prædicti, ad favorem Philippi de Aste illorum creditoris scut. circiter 1500. non tamen in solutum, & jure dominii, sed in pignus, & loco cautionis; donec de eorumdem fructibus satisfieret, itaut eorum augmentum, vel decrementum, resignandium, non autem resignatarii commodo, vel respective damno cederet. Cumque Philippus in parte ex dictis fructibus satisfactus, in solo residuo scutor. circiter 750. creditor esset, Julianus, alter Horatii filius, hanc summam solvendo, ea sibi resignari obtinuit cum eadem lege: Quia vero Horatius obtinuerat Apostolicum indultum obligandi bona fideicommissi prædicti in summa scutor. 8. m. dictique Indulti vigore quamdam pecuniarum summam habuerat ad cambium a Stephano Palavicino, hic pro dicti crediti, in tempore etiam anterioris, assequutione, obtinuit ab Aud. C. in vim interdicti Salviani immitti ad loca montium prædicta, contra Philippum, & successive contra Julianum, in quem hac lite pendente, ut supra fuerant resignata. Verum quia super locis montium, 2
quorumcumque judicum sententiæ, & mandata exequi non possunt, nisi cum licentia Thesaurarii Generalis, qui in casibus dubiis, votum Congregationis montium semper exquirere solet: Idcirco remisso negotio ad Congregationem prædictam.

Assumpta desuper disputatione, rei conventi defensores unice insistebant super motu proprio Urb. VIII. edito de 3
anno 1639. impress. in Bull. Constit. 154. per quem explicite declaratur, omnes, & quascumque privatorum conventiones super locorum montium obligatione, hypotheca, vel quocumque alio vinculo, vel nexu, afficere quidem ipsos contrahentes quoad obligationem personalem, ac actionem ad interesse, nullatenus vero ipsa loca montium, neque super eis aliquod jus acquiri, nisi de licentia Pontificis, vel Officialium ad id deputatorum, ad quos pertinet conficere literas patentes, in quibus talia vincula, vel onera exprimi debeant, adinstar officiorum, in quibus in eodem motu proprio declaratur, nullum jus ex privatis conventionibus quæri, nisi decretum, seu Beneplacitum Apostolicum accedat.

Ex quo motu proprio, Curiæ opinio est, libertatem omnimodam hujusmodi locorum montium resultare, itaut 4
omnino libera transeat in resignatarios, præterquam a vinculis, in literis patentibus expressis, unde tam ad incompetentiam dicti remedii ob defectum hypothecæ, sine qua non datur Salvianum, quam ad possessoris omnimodam securitatem inferebant, non curatis firmatis per Rotam *dec. 29.* post Pacif. de Salv. & per Grat. *discept. 943. n. 22. & seqq.* Super competentia Salviani, etiam ad loca montium, quasi quod id procederet antequam dictus motus proprius emanaret, non autem postea.

Scribens in contrarium pro actore, dicebam punctum difficultatis consistere in secunda exceptione securitatis resignatarii, seu transitus liberi: Ista siquidem non subsistente, parvifacienda erat prima exceptio incompetentiæ Salviani, quoniam licet in hujusmodi bonis differentibus in commercio sine Principis, vel alterius licentia non existentibus, non detur hypotheca, neque ex facto privatorum jus reale quæratur, adhuc tamen exercibilis est hypotheca, & successive exerceri possunt remedia ejus vigore competentia, ad illorum commoditatem, quæ tamquam quid separatum ab ipsa re, & non tangens ejus substantiam, sed inhærens personæ debitoris, cadit sub commercio, & hypotheca. Unde propterea nil prohibet, Salvianum, vel aliud remedium exerceri posse, non ad ipsorum locorum proprietatem, seu substantiam, itaut jus in re acquiratur, 5
sed ad dictam commoditatem: Adinstar eorum, quæ in feudo, emphyteusi pactionata, & similibus habemus, ex deductis *dec. 167. p. 9. rec.* & sæpius *sub tit. de emphyteusi* præsertim in Tusculana Salviani, ac etiam *sub tit. de feud.* in Romana, seu Status Ecclesiastici infeudationum, in Tiburtina Castror. *disc. 61. & 62.* & in aliis. Ideoque stant bene simul, ad loca montium ex privata conventione jus reale non acquiri, & tamen interdictum prædictum, vel aliud remedium, cum d. temperamento exerceri posse super eorum commoditate.

Restringebatur igitur tota difficultas ad secundam exce-
ptionem liberi transitus in resignatarium, qui vere non re- 6
sultat directe ex d. motu proprio, id in verbis non disponente, sed potius consecutive, dum ipsa re non recipiente vinculum, resultat de consequenti libertas, quæ potius resultare dicitur ab ipsius rei, seu subjectæ materiæ natura, & ex juris communis, vel intentione, vel ratione, etiam sine d. motu proprio, dum ante ejus editionem id infirmavit etiam Rota *decis. 77. num. 19. & 20. part. 6. rec.* ac dixerunt Gratian. *discept. 730. num. 48.* & alii, de quibus in Romana locorum montium 29. Novembris 1660. cor. Bevilaqua, in qua causa, & in aliis sæpius dictum est hoc eod. tit. Et in terminis jurium Hispaniæ, quæ sunt idem, ac nostra loca montium, Larrea *allegat. 22.* Salgad. *in labyr. part. 1. cap. 35. & part. 2. cap. 27.*

Ex

Ex ea viva ratione, quod cum hæc sint jura regalia, quæ cum Principe habentur, ab isto super vectigalibus, aliisque regaliis imposita, nemo potest ea obtinere, nisi ille, cui ipse Princeps concedat, unde quando unus privatus illorum possessor alteri resignet, non est ille, qui transfert, neque resignatarius agnoscere dicitur in auctorem resignantem, sed hic refutando suum jus ipsi Principi, illud extinguit, atque idem Princeps per actum occultum extinctionis, novæque efformationis, tale jus, tamquam ex integro, & de novo confert resignatario, qui Principem in auctorem directum, & immediatum agnoscit, ut per Cohell. *ad Bull. boni Regim. 34. artic. 23. num. 1. & seqq.* & satis frequenter in aliis *hoc tit.* Resignantis vero est causa, seu instrumentum, ut id sequatur; Adinstar Beneficii Ecclesiastici per unum, ad alterius favorem resignati, quia resignatarius illud, non a resignante, sed a Papa dicitur obtinere, solumque resignans est causa, ut obtineat: Et hoc stante, dum prius jus extinguitur, ac novum efformatur, durare non possunt priora vincula, nisi ea in hac nova collatione repetantur.

Altera in idem concurrente ratione, quod qui hujusmodi loca montium, vel jura publica Principis, seu Reipublicæ emit, sequi non dicitur fidem privatam possessoris, sed publicam ipsius Principis, vel Reipublicæ; unde praxis docet, quod volentes emere hujusmodi loca, vel jura, non sunt soliciti de persona venditoris, & quisnam esset resignaturus, an pauper, vel dives, sed simpliciter fiunt ordines directi monti pietatis, vel alteri publico banco, ut solvatur tanta pecunia ei, qui libere loca montium resignasset, solvenda cum fide secretarii super libera resignatione, absque aliqua notitia personæ, quæ resignat; unde propterea dicta libertas est præcise necessaria, ne alias fide publica elusi remanerent illam sequentes.

Posita vero ista verissima theorica, dicebam scribendo tamquam actoris Advocatus, eam recipiendam esse in dicto suo casu, quando scilicet emptor, non alicujus privatam fidem, sed solum publicam Principis sequitur, atque ad praxim reducitur dicta prioris juris extinctio, cum nova efformatione, itaut resignatarius efficiatur dictorum jurium dominus, & titularis, quorum neutrum in præsenti concurrebat, ideoque cessabat dictæ theoricæ, seu motus proprii applicatio ad factum, dum Astius resignatarius, potius privatam fidem Horatii, & Aloysii sequutus erat, neque loca motium in resignatarium jure dominii translata erant, sed jure pignoris, & hypothecæ, remanente dominio penes debitores, quorum deberet esse augmentum, vel diminutio, ac etiam fructus, dum Astius volebat fructus cambii ad ejus favorem currere, unde casus erat omissus.

Verum reflectendo ad veritatem, dubitabam de motivo, quoniam licet creditor, cum privato potius contraxisset, neque cum eo dicta omnimoda nova efformatio sequeretur, attamen noluit privatam fidem sequi, nisi illa etiam Principis, vel officialis ab eo deputati accederet, admittendo resignationem cum solo vinculo fideicommissi, quo excepto, creditor ita credidit ejus pecuniam, alias eam non daturus, itaut iste actus esset species assensus, præstitus obligationi rei, alias non obligabilis, ex iis, quæ in proposito attergationis, quæ est quid minus, habetur *hoc eod. tit. disc. 26. 28. & disc. seqq.* & adinstar illius reservationis decreti, quæ super officiis etiam sine ipsorum officiorum translatione de uno in alium fieri solet, ut pariter *hoc tit.* sæpius, & ita judicatum fuit cum justitiæ fundamento.

7 In vim autem dicti motus proprii, dixi alias, & substinui coram A. C. in una Auximana bonorum pro Abbate Petro Stephano Gallo, quod licet clausula constituti esset apta ad translationem possessionis in constitutarium, cui proinde adversus constituentem, vel habentes causam ab eo, competit etiam manutentio, ut est hodie receptissima, & in foro quotidiana conclusio, nihilominus id recipiendum non veniat in locis montium, in quibus factum privatorum, nil facere potest, quod eorum substantiam percutiat, donec sequatur auctoritas Principis, ac illius Officialis, ad quem pertinet, ut in specie *decis. 197. num. 10. & 11.* apud Post. *de subhast. in add.* ex ea clara ratione, quod ille dicitur Montista, seu hujusmodi jurium possessor, quem ipse Princeps, vel officialis descriptum habet in ejus libris, & sub cujus nomine in libris, ac litteris patentibus cantant, ut *decis. 434. par. 9. & 244. par. 10. recent.* Quare scribens in hoc puncto, assimilabam hos terminos feudalibus, in quibus spectatur illa persona, in cujus faciem cantat Investitura, & quæ descripta est in quinternionibus, seu libris Principis, etiamsi facta esset acquisitio de aliena pecunia, & sub simulato nomine alterius, quia in his materiis non attenditur *tit. plus valere, quod agitur*, ut cæteris allegatis plene firmatur per Rot. *dec. 100. p. 9. rec. repet.* post Marin. *res. 38. lib. 2.* ubi idem Marin. Unde cum soror d. Galli nubendo Guarnerio secundo viro, dedisset in dotem quamplura bona, & præsertim loca montium, cum clausula constituti, atque brevi tempore sequuta dictæ mulieris morte, instituto hærede usufructuario viro, in vim d. constituti, mutata causa possidendi peteret manutentionem, dixi eam denegandam esse, ut sequutum fuit, quia manutentio in aliis concessa, & in istis denegata fuit.

ROMANA LOCORUM MONTIUM DE HERRERIS, PRO FABRITIO SBORDONIO, ET ALIIS, CUM HÆREDITATE JULIÆ.

Casus disputatus coram A. C.

An creditores, ad quorum favorem attergata sunt loca montium, sint in istis potiores: an vincant alios anteriores, hujusmodi attergationem non habentes, seu venientes cum sola hypotheca generali anteriori. Et an in locis montium hæreditariis ad favorem creditorum hæredis attergatis, jus habeant creditores defuncti ex beneficio separationis bonorum.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*

2 *An privilegium locorum montium competens ei cui resignata sunt, competat ei, ad cujus favorem sunt attergata.*

3 *In feudis, officiis, & juribus in commercio non existentibus, creditores posteriores cum assensu vincunt anteriores eo carentes.*

4 *De beneficio separationis bonorum, competenti creditoribus defuncti adversus creditores hæredis, an procedat in feudis, & locis montium.*

D I S C. XXXIX.

Nicolaus Herrera Romanæ Curiæ Prælatus, quem ado- 5
lescens, & scholaris, in Civitate Neapolis Nuntium Apostolicum cognovi, moriens, in ejus testamento sibi scripsit hæredes, Paulum, & Joannem Philippum ex defuncto fratre nepotes, quorum primo ab intestato defuncto, alter superstes nonnulla loca montium hæreditaria in sui faciem, juxta solitum, transferri curavit, litterasque patentes obtinere, quorum locorum patrem de licentia, & consensu Thesaurarii Generalis, tamquam Supremi Gubernatoris, & Officialis montium, specialiter obligavit ad favorem Sbordonii, aliorumque creditorum, cum consueta attergatione in dorso ipsarummet literarum patentium. Cum autem ad instantiam aliorum creditorum dicti Joannis Philippi fieret in ejus bonis concursus, inter cæteros se opposuerunt administratores hæreditatis Juliæ, ejusdem Joannis Philippi matris, quæ pro credito suarum dotium omnes vincebat tamquam creditrix d. Nicolai defuncti, a quo bona per debitorem possessa proveniebant, ex vera, & passim recepta propositione, quod creditores defuncti, quantumvis posteriores, vel in sola personali, in istius bonis ex beneficio separationis bonorum, vincunt creditores hæredis, quantumvis hypothecarios, anteriores, & privilegiatos, multo magis, dum ipsa, etiam in tempore erat omnibus anterior.

Inter plures autem disputationes, quæ in hujusmodi controversia habitæ fuerunt, illa erat præsertim super dictis locis montium, ut supra attergatis, an scilicet dicta creditrix anterior, & privilegiata excluderet eos, ad quorum favorem attergatio facta erat; Et claram dicebant affirmativam pro dicta hæreditate scribentes, licet enim agnoscerent peculiarem qualitatem locorum montium, tamen ex juris communis intentione, quam clarius ex motu proprio Urbani Octavi, ut ea nullam reciperent hypothecam, nullumque vinculum, nisi in ipsis litteris patentibus expressum, itaut omnino libera transeant in eum, cui de consensu superiorum, ad quos pertinet, translata sunt, quia resignatarius, potius Principem, quam resignantem in ejus auctorem, adinstar Beneficiorum Ecclesiasticorum, agnoscere dicitur, ex iis, quæ sæpius *hoc eod. tit.*

tit. deducta habentur; Nihilominus id procedere dicebant, quoties agitur de dotali translatione dominii in tertium, per viam formalis resignationis; secus autem ubi illis perseverantibus in dominio debitoris, agitur de eorum simplici obligatione, quia dum privilegium prædictum fundatum est in ratione libertatis commercii, procedere solum debet, quoties agitur de resignatione, cum alias loca montium cadant sub hypotheca possidentis, itaut ad ea competant Salvianum, aliaque remedia competentia creditoribus in bonis debitorum.

Quinimo etiamsi de mandato judicis, exequuta, & subha-
2 stata alienentur in tertium, non per hoc iste remanet tutus a molestiis, vel ejusdem met possessoris, adversus judicia factum nullum, vel injustum venientis, vel creditorum, seu aliorum jus habentium, ex deductis *dec.* 70. & 305. *p.* 7. *rec.* in Januen. pecuniaria, seu attentatorum 24. Jan. 1642. cor. Dunoz. inter suas *dec.* 642. & in aliis, quæ occasione aliarum controversiarum, pluries *hoc eodem tit.* ad istorum locorum montium materiam deducta sunt, præsertim in Rom. dotis pro Gadina, *disc.* 28. ubi egomet, cum hac distinctione procedebam.

Pro creditoribus autem scribens, admissa tamquam indubitata in aliis bonis indifferentibus a dicto Nicolao provenientibus, præfatæ Juliæ anterioritate, seu potioritate ex beneficio separationis bonorum; Quatenus ad hæc loca montium attergata pertinet, probabilius dicebam, pro attergatariis respondendum esse, quia dictæ propositiones per alteram partem deductæ, super hypothecas, aliisq; vinculis in locis montium perseverantibus, recte procedunt contra eos, in quos eadem loca montium distracta, vel affecta sunt ex privato facto ipsius possessoris, vel etiam judicis, in casu quo ejus factum, dicatur factum partis, & in his terminis recte prædicta omnia procedere videntur, secus autem ubi accedit auctoritas Principis, vel illius officialis, ad quem ex ejusdem Principis commissione id pertinet, tunc enim ille tertius, qui, vel per viam acquisitionis dominii, vel per viam hypothecæ, jus in ipsis locis montium de Principis assensu, & auctoritate acquirere curat, dicitur sequi non fidem privatam possessoris, sed publicam ipsius Principis, quæ proinde elusa remanere non debet, unde propterea eadem ratio, ob quam tutus est resignatarius, debet reddere tutum attergatarium, tamquam sequentem potius fidem publicam, quam privatam ut supra.

Ut in proposito habemus in officiis, cum locis montium symbolizantibus, cum omnia sint jura Regalia eisdem regulis metienda, quia donec sunt penes officialem, illorum pretium & emolumenta dicuntur omnibus creditoribus, vel jus habentibus affecta, adinstar quorumcumque bonorum allodialium; sed firmo remanente officio penes eumdem debitorem, fiat reservatio decreti ad favorem alicujus creditoris,
3 iste quantumvis posterior alios vincit. Adinstar creditoris habentis obligatum feudum cum assensu, vincentis omnes alios creditores anteriores sine assensu, quamcumvis omnibus creditoribus jus competeret cogendi debitorem ad vendendum feudum, in cujus pretio deinde ordo anterioritatis, vel potioritatis, adinstar aliorum bonorum allodialium, servandus esset, ut non semel hoc *eod. tit.* habetur in materia officiorum, ac etiam *sub tit. de feudis*, & sub altero *de emphyteusi*; Ex ea clara ratione, quod substantia feudorum, officiorum, ac hujusmodi jurium Regalium, quæ cum Principe habentur, non est in commercio sine Principis assensu, neque cadit sub hypotheca, cujus effectus, improprie, & remote super illis exercetur, vel cogendo ad venditionem, ut creditoribus satisfiat ex pretio tamquam in re allodiali, & indifferenti, vel super eorumdem fructibus, emolumentis, & commoditate tamquam pariter allodialibus, & ab ipsa rei substantia separatis, itaut in ordine ad ipsam, creditores ex solo facto privato possessoris venientes, non dicantur hypothecarii, sed in sola personali cadere proinde debentes locum habentibus hypothecam in ipsa substantia ex publica Principis auctoritate.

Quando autem ageretur de concursu plurium ejusdem hæ-
4 redis creditorum, eum sensu etiam veritatis, dicebam hæc solida videri; Difficultas tamen mea erat respectu creditorum defuncti, venientium ex beneficio separationis bonorum, quod importare non dicitur concursum in sola ratione hypothecæ, sed avocationem jure dominii, perinde ac si illud numquam fuisset in bonis hæredis. Super quo casu novo, & quantum mea notitia præbeat, formiter non disputato, nisi aliqualiter in d. Rom. dotis pro Gadina, *disc.* 28. cogitabam adhuc probabiliter pro dictis attergatariis responderi posse, ex iis quæ in terminis feudorum firmantur per Georgium, *alleg.* 18 & Theodorum *alleg.* 83. ut in feudis locum non habet *tit. de separat. bonorum*, ideoque cum creditores hæredis cum assensu vincant illos defuncti, assensum non habentes, juxta magis probabilem opinionem, quam Sac. Concilium Neapolitanum non semel canonizavit, rejecta contraria opinione, de qua Aona *alleg.* 30. Apont. *de potest. Prorex. titul. de refut. feudorum* §. 8. & alii per Capyc. Latr. *consult.* 99. qui scribens pro creditoribus defuncti in eod. casu, in quo scripsit Theodorus, succubuit; Verum hæc in unica disputatione desuper habita, quasi ex improviso motivata fuerunt, maturius examinanda, si occasio, in ista, vel alia controversia ulteriorem disputationem præbebit. Quod autem contra præmissa dubitandi occasionem præbebat, quodque inter resignatarium, & attergatarium notabilis esset differentia, in eo consistebat, quod resignatarii ignorant, atque curare non solent, qui sint resignantes, & a quibus emant, cum ut plurimum pretio solvantur, cum ordinibus directis publico banco, *à chi averà assignato, &c.* itaut emptor, solius Principis, vel Secretarii publicam fidem sequatur. Non sic est in altero casu, in quo attergatarius scit cum quo contrahit, & quam speciem locorum montium obligatum habet, unde videns illa esse hæreditaria, recte scire potuit, ac debuit oneribus hæreditariis subjacere, expenderatis in d. Rom. dotis pro Gadina *disc.* 28. ac etiam, quia sic infinitæ fraudes, & creditorum hæreditariorum supplantationes fieri possent.

MEDIOLANEN. SEU NEAPOLITANA, PRO CONGREGATIONE OLIVETANA, SEU MONASTERIO SANCTI VICTORIS MEDIOLANI, CUM CARDINALI HOMODEO.

Discursus pro veritate super casu concordato.

De juribus, quæ in Civitate, & Regno Neapolis habentur cum Principe, & Regis Curia, super illis vectigalibus, & arrendamentis, An libere transeant in Tertium, in cujus faciem intestantur, itaut iste sit tutus a creditoribus, vel aliis antea jus habentibus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Jura super vectigalibus, & arrendamentis Neapolis sunt idem, ac loca Montium Urbis, & cum eis fraternizant.*
3 *Transeunt perinde libera in resignatarium, & de ratione.*
4 *In feudis non attenditur simulatio, sed ille dicitur feudatarius, qui est descriptus in libris Principis.*
5 *Quando istorum jurium resignatarius, & possessor molestari possit exactionibus competentibus contra resignantem.*

D I S C. XL.

Habens Cardinalis Homodeo quamdam gravem litem 1 in Regia Camera Neapolis, super recuperatione plurium effectuum, præsertim quorumdam jurium super vectigalibus, & arrendamentis Regiis, fatigatus ex temporis longitudine, ac non parvis expensis, quas ibi litigantes pati oportet, determinaverat litem deserere, sed cum P. Abbas Homodeus Congregationis Olivetanæ in d. Civitate commorans, & qui prius dictæ litis aliquam curam habuerat, eum incitasset ad prosequendum cœptum opus bono fini proximum, Cardinalis, dato eidem P. Abbati amplissimo mandato, tam ad dictam litem prosequendam, quam ad transigendum, necnon ad alienandum, ac resignandum jura, quæ recuperari sperabatur, per binas epistolas eidem scripsit, quod libenter opus prosequeretur cum præmio scut. 4 m. ex recuperandis.

Sequuta exinde fuit alicujus partis recuperatio, atque ex effectibus recuperatis dictus Abbas vigore mandati, quod habebat, cessit, ac resignavit ad favorem sui Monasterii originarii Sancti Victoris Mediolani tot jura pro tatt ducat. 4. mill. quæ in faciem, seu nomen dicti Monasterii in illis libris intestata fuerunt, cumque paulo post sequuta esset mors dicti Abbatis, habita de his notitia per Cardinalem, hic prætendere cœpit restitutionem dictorum jurium, utpote ad se spectantium; Assumptoque benevolo tractatu cum ejusdem Congregationis superioribus, aliqui illius consultores, credebant, ipsam, seu dictum Monasterium esse tutum a molestiis Cardinalis ex privilegio, seu natura dictorum jurium, quæ postquam ab una persona

ad

ad aliam transferunt, atque in istius novæ personæ faciem, seu nomen intestata sunt, transeunt immunia, & libera a quibuscumque nexibus, & vinculis, quibus penes priorem possessorem subjacebant; Atque de hoc pro veritate consultus ab eisdem dictæ Congregationis superioribus.

Respondi quoad ea, quæ juris sunt, generaliter, & in
2 abstracto, veram esse dictam propositionem, quoniam hæc jura, quæ cum Principe, vel Respublica habentur, adinstar nostrorum locorum montium cum quibus in omnibus fraternizare videntur, ex eorum peculiari natura, ac ratione subjectæ materiæ, libera transeunt ad resigna-
3 tarium, quem Princeps, vel Respublica, seu ejus officiales in creditorem, seu dominum descripserunt, cum hæc jura dicantur de Regalibus, quæ directe, & immediate per resignatarium obtineri dicuntur a Principe, vel Republica per actum occultum extinctionis antiqui juris, competentis resignanti, seu cedenti, & creationis juris omnino novi in resignatario, itaut resignans sit solum Instrumentum, seu causa, ut hæc ita sequantur: Adinstar Beneficiorum Ecclesiasticorum, seu officiorum, ut de nostris locis montium, vel officiis satis frequenter habetur *hoc eod. tit.* & de consimilibus juribus Hispaniarum, Larrea *alleg.* 22. Salgad. *in labyr. par.* 2. *cap.* 27.

Atque illa regulanda videntur jure feudorum, in qui-
4 bus Princeps alium non agnoscit possessorem vel jus habentem, nisi eum, quem in suis libris, & quinternionibus descriptum habet non curato, an ille simulate ad alterius commodum, aliena pecunia quæsierit, ex deductis per Rot. *decis.* 100. *par.* 9. *rec. repetit.* post Marin. *resol.* 38 *lib.* 2. & per eumdem Marin *ibid.* ubi concordantes, & frequenter in sua materia *sub tit. de feud.* Unde quando dictus Abbas tanquam legitimus procurator Cardinalis dict. jura resignasset Monasterio ex causa onerosa, & correspectiva accepti pretii, dicebam Monasterium esse tutum, licet procurator accepti pretii nullam mandanti redderet rationem, sed constaret illud profusisse, quia de hoc nil ad tertium emptorem.

Mea tamen non levis difficultas contra Monasterium
5 erat, quod ipsum foveret causam lucrativam, dictaque jura obtineret ex industria, & liberalitate dicti Abbatis, qui ea credendo esse sua elargiri voluit, seu juxta juris dispositionem acquisita esse declaravit suo Monasterio, quod proinde suum auctorem repræsentabat, neque majus jus habere poterat, quam ille haberet, & propterea quando subsisteret prætensio Cardinalis, quod suæ pollicitationis, vel promissi præmii casus non evenisset, neque conditio purificata esset, itaut dictus Abbas actionem contra eum non haberet, tunc contra Monasterium dixi respondendum videri, non quidam, ut Cardinali, jus vel actio realis competeret ad ipsa jura tanquam sua, sed in pretio, actione de dolo, vel ex conditione sine causa, vel ex æquitate desumpta, ex *l. si me, & Titium, ff. si cert. petit.* cum alias Monasterium possideret hæc jura sine causa, & locupletaretur cum aliena jactura; quod si cuicumque privato est prohibitum, multo magis Ecclesiæ, quæ fortius justitiæ, & æquitatis est cultrix, & ne quod laicis Religiosi, & Ecclesiastici prohibent, pro seipsis practicent, Dictamque æquitatem intrare, in his terminis habetur *decis.* 77. *num.* 24. *& seq. par.* 6. *recent.*

Ideoque mea sententia fuit, quod videretur, an lis prosequuta fuisset cura, & sumptu dicti P. Abbatis, necnon inspicerentur effectus ex victoria judiciali, vel concordia recuperati, ad effectum inspiciendi, an factus esset locus promisso præmio in toto, vel saltem proportionabiliter, & pro rata, itaut Monasterium foveret causam onerosam, & correspectivam, in qua pro ipso Monasterio justitiam assistere dicebam, secus vero in ea rata, in qua foveret causam lucrativam, & indebitam, ideoque dicebam, quod ita benevole inspecta veritate controversia terminari poterat per concordiam, ut sequutum fuit.

ROMANA LOCORUM MONTIUM DE MONALDENSIBUS

PRO PANTASILEA MONALDENSI CUM ANTONO DE PHEDERICIS.

Casus decisus per Rotam pro Antonio.

Promissio de vendendo loca montium, an & quando sit perfecta, itaut jus, vel actionem tribuat emptori, Et quid si postea fuerint alteri resignata.

S U M M A R I U M.

2 *Facti series.*
1 *Promissio de vendendo, an importet venditionem.*
3 *Producit dicta promissio obligationem personalem ad observantiam, vel ad interesse.*
4 *Ubi potest præstari species, non admittitur præstatio interesse, quæ solum est subsidiaria.*
5 *Quid requiratur, ut loca montium dicantur perfecte vendita, & de uno in alium transferantur.*
6 *Privatæ conventiones partium sine consensu Officialis, nil operantur quoad loca montium.*
7 *Ex duobus, quibus permissum est vendi loca montium, potior est conditio primi.*

D I S C. XLI.

Possidens Antonius de Phedericis 46. loca Montium 1
vinculata, sibi vendita per Joannem Rainaldum Monaldensem, requisitus fuit per Pantasileam dicti venditoris germanam sororem, & hæredem ad ea sibi revendenda, & Antonius promisit id agere, dicendo pluries, etiam in fide Sacerdotis, velle sibi complacere, deinde vero requisitus per Mariannam alteram sororem, & cohæredem, ut reservando dictæ Pantasileæ ratam cadentem pro sua virili, ac alteram spectantem ad virilem alterius sororis, sibi venderet suam ratam importantem loca circiter 16. Antonius judicans petitionem esse justam, ei annuit, & per publicum instrumentum dictam ratam Mariannæ retrovendidit, quamvis ambo inhibiti essent ad instantiam dictæ Pantasileæ, quæ prætendens id agi non potuisse in præjudicium promissionis sibi factæ de integra omnium 46. locorum retrovenditione, judicium instituit contra prædictos, prius coram A. C. & deinde in Rota coram Cerro, coram quo dato dubio, an Antonius teneretur vendere loca Montium.

In congressu ex parte Pantasileæ, juxta stylum habito, pro examinandis meritis causæ, ejusque directione, ego, magnam habebam difficultatem, satisque contra votum aliquorum dubitabam de succumbentia, quidem eventus declaravi: nam proposita causa sub die 15. Januarii 1666. resolutum fuit non teneri, & resolutio mihi visa est probabilis, non quidem ex conclusionibus juris, sed ex facto: Dicebam etenim in dicto congressu, prout etiam in Rota scribendo tamquam Advocatus, quod posita in facto perfecta promissione vendendi, resultabat exinde clarum esse de jure, Antonium promittentem teneri, Atque Mariannæ posteriori emptrici nullum jus quæsitum esse.

Licet enim satis controversa sit quæstio inter Doctores, an promissio de vendendo importet, necne perfectam 2
venditionem, in qua pro utraque sententia plures colligunt, Tiraq. *de retr. ult. convent.* §. *fin. n.* 40. *& seqq.* Barz. *decis.* 111. *in prin.* Fachin. *lib.* 2. *controv. cap.* 7. Thesaur. *dec.* 233. Seraph. *dec.* 805. Attamen id percutit effectum translationis dominii, vel acquisitionis juris realis in præjudicium tertii, in quem deinde, ex perfecta venditione, vel alio titulo translativo dominii, res ad alium devenisset, atque ad istum, vel similes effectus dicta quæstio cadit.

Secus autem quoad obligationem saltem personalem ipsius promittentis, cum tunc data perfecta promissione, 3
intret talis obligatio ad observantiam, vel in specie, vel in æquipollenti, consistente in præstatione interesse, ad text. *in l. si sterilis,* §. *si tibi fundum, ff. de action. empti, & l. qui fundum, ff. de contrah. empt.* Surd. *consil.* 52. *num.* 21. Gratian. *discept.* 887. *num.* 32. Capyc. Latr. *consult.* 11. *num.* 11. Seraph. *decis.* 805. *num.* 1. *& per tot.* Et in terminis promissionis de donando, late *decis.* 58. *par.* 6. *recent.* quæ videtur in materia magistralis; Atque in ipsissimis terminis promissionis de vendendo loca montium, facto ab eadem Antonio, tanquam certum supponitur per Rotam in Romana laudi, seu locorum montium 19. Maji 1641. coram Verospio, cujus decisionis, pro eo solum informante editæ, fundamentum, fuit pariter illud facti, imperfectæ scilicet, seu non bene probatæ promissionis, qua posita, admittitur de plano juris conclusio.

Hinc resultare dicebam, nullum jus quæsitum esse Mariannæ secundæ emptrici, sed loca montium adhuc 4
esse in dominio, & possessione ipsius Antonii promittentis, cogendi proinde ad ipsam speciem præstandam, quæ dum præstari potest, non admittit interesse, Gregor. & Add. *decis.* 241. *& dec.* 284. *num.* 32. *cum seqq. part.* 9. *rec.* ubi concordantes; Siquidem loca montium non sunt in commercio, neque de uno in alterum transferri possunt,

nisi

nisi de beneplacito Papæ, cujus vices in hac parte gerere di-
5 cuntur Thesaurarius, qui possessori alienandi licentiam tri-
buit, & Secretarius, qui resignationem admittit, ut in d.
Romana laudi cor. Verospio, & sæpius in aliis hoc tit. itaut
partium conventiones nihil in hoc opereotur, neque sint
aptæ ad domioii translationem, seu aliud jus reale arquiren-
6 dum, ideoque sive conventio concipiatur per viam promis-
sionis de vendendo, sive per puram, & perfectam venditio-
nem, semper est promissio faciendi, ac præparatio futuri
actus, perfectionem ab admissione Secretarii recipiens, ideo-
que utraque concurrens dici æqualiter poterat promissaria,
ut de promissione nominandi ad officium non operativa, do-
nec sequatur assensus de Marin. *resol.* 148. *l.* 2. & Revert. *dec.*
214. *n.* 1. Et consequenter in earum concursu, stante mala
fide posterioris, melior erat conditio prioris, ut bene *decis.*
12. *n.* 2. & 3. post Merlin. *de pign.* Buratt. *dec.* 772. *n.* 7.
7 Sed scribentes in contrarium dicebant, & bene, omnia
hæc recte procedere in jure, præsupposito facto, cui jus est
adaptandum, quod scil. constaret de promissione facta per
viam determinatæ voluntatis, & animo se obligandi, non
autem ubi agitur de quadam insinuata velleitate, explicata
cum verbis urbanis hunc animum præseferentibus, unde re-
solutio prodiit juxta votum, & reflectendo ad veritatem
visa est probabilis.

Ea potissimum circumstantia notabili accedente, quod
Antonius, non ex motivo violandi fidem, vel secundo
emptori complacendi, id egerat, sed ex satis æquo, &
rationabili motivo restituendi dicta loca montium hære-
ditati venditoris, & sic ejus sororibus, & hæredibus, cui-
libet pro virili, putans quando promissionem fecit Pantasi-
leæ, vel illam esse unicam, vel commune negotium ge-
rere, ac nomine omnium id petere, unde propterea non
intrabant illi rigores, alias de jure cadentes contra pro-
missæ fidei violatorem sine causa.

BONONIEN. ASSIGNATORUM,
PRO MARCHIONE BARBATIA THESAURARIO APPALTUS VINI,
CUM MONTISTIS EJUSDEM APPALTUS.

Casus decisus per Cameram pro Montistis.

Cognitio causarum super Montibus Bononiæ, & Ferrariæ, An spectet ad Thesaurarium, & Congregationem Montium, vel potius ad Cameram.

In qua moneta, solutio fructuum locorum montium facienda sit: Et quid in hoc operetur observantia, & cujus beneficio cedat monetæ augmentum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Bononiæ varii scuti aurei.*
3 *Causæ Montium Bononiæ, & Ferrariæ, an spectent ad Congregationem Montium, vel ad Thesaurarium.*
4 *In quibus locis montium procedant Constitutiones Apostolicæ super facultatibus Congregationis Montium.*
5 *In judicio manutentionis non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis.*
6 *Debitor est manutenendus in quasi possessione solvendi ad minorem rationem.*
7 *De varietate scutorum auri Bononiæ, & an dici possint monetæ imaginaria.*
8 *Possessio prædecessoris ratione officii suffragatur successori.*
9 *An & quando per longævam solutionem in moneta minoris valoris, seu bonitatis, inducatur præscriptio solvendi in futurum.*
10 *Ubi contractus tractu temporis sit injustus, & notabiliter læsivus, reducendus est ad justitiam.*

D I S C. XLII.

1 SUb Paulo IV. duæ sequutæ fuerunt erectiones Montium
super Datio vini Bononiæ, una, quæ dicitur *montis ve-*
teris in ducatis, altera, quæ dicitur *montis novi* in scutis
auri nuncupati *d'Italia*, ad rationem octo pro centenario,
sed quia moneta ducati non currit, nec reperitur; illa vero
scutorum, vel etiam non reperitur, vel est rara, ac etiam
incerta, quia duæ scuti aurei species diversi valoris antiqui-
tus habebantur, ut deductum habetur per Rot. *dec.* 119. post
Merlin. *de pign.* & *dec.* 398. *nu.* 8. *p.* 9. *rec.* Idcirco consue-
tum semper fuit solvi per Thesaurarium d. Datii hujusmodi
Montium fructus ad rationem librarum quinque, & quo-
rumdam solidorum pro quolibet ducato, & librarum sex 2
pro quolibet scuto, & præcipue ab annis fere 30. citra, qui-
bus hujusmodi Thesauraria tenta fuit in Appaltu per Mar-
chiones Patrem, & filium de Tanariis, ita servatum fuit
absque controversia, usquequo eadem Thesauraria conces-
sa fuit Marchioni Bardariæ, a quo Montistæ, præteritæ ob-
servantiæ non acquiescentes, prætendere cœperunt solutio-
nem fructuum ad formam erectionis in ipsis scutis auri, vel
æquivalenti, juxta valorem nunc currentem, qui stante
auri excrescentia notabiliter crevit; Sed introducta causa co-
ram V. Legato, hic mandavit servari solitum, cui provi-
sioni Montistæ non acquiescentes, adierunt Thesaurarium
Generalem, qui mandatum decrevit contra dictum Thesau-
rarium juxta Montistarum prætensionem, atque ab hoc de-
creto interposita appellatione in Camera, orta est in primis
controversia jurisdictionis, seu competentiæ fori, prætèn-
dentibus Montistis, causam spectare, ac remittendam esse
ad Congregat. Montium, quam privative ad quoscumque
Judices, dicebatur per Summos Pontifices erectam esse ad
decidendas controversias super locis montium oriëntes.

Pro Barbaria scribens dicebam, causam spectare ad Ca-
meram, tum quia juxta judiciorum ordinem, ordinarius 3
Judex appellationis a sententiis, vel decretis Thesaurarii,
qui in causis Cameralibus est judex primæ instantiæ, alius
non est, nisi Tribunal Cameræ, Scaccia *de appell. q.* 8. *nu.*
151. & *seqq.* Ridolf. *in praxi p.* 1. *c.* 13. *num.* 225. & est ex-
presse determinatum per Constitutionem 100. Sixti V. super
Thesaurarii facultatibus. Tum etiam, quia cum hujusmo-
di causa non ageretur inter privatos hinc inde, sed pro Mon-
tistis contra Cameram, cujus principaliter interest, fru-
ctuum solutionem in una, vel altera monetæ specie fieri,
cum juxta novam prætensionem onus notabiliter cresceret:
Hinc sequi dicebam, quod causa esset Fiscalis, ideoque non
alibi tractanda, quam in hoc Tribunali, quod loco Procu-
ratoris Cæsaris, ubique subrogatum est ad hujusmodi cau-
sarum privatam cognitionem, ut expresse disponitur per
Constitutionem 9. Pauli III. & per reformationem Pii IV.
quæ in Bullario inter suas est Constit. 55. renovata per refor-
mationem Pauli V. in ejus Constit. 71. Et de consimili Tri-
bunali Cameræ in Regno Neapolitano, plene habetur per
Rovit. *super pragm. in rubr.* & *toto tit. de offic. Procurato-*
ris Cæsaris. ubi hujusmodi observantiam, a juris com-
munis dispositione derivantem, bene ostendit.

Nec obstare dicebam, Constitutiones Apostolicas, il-
lam præsertim Clementis VIII. editam 15. Maji 1600. a 4
qua cæteræ derivant, per quas in causis montium tribuitur
privative cognitio Thesaurario, & alteram Pauli Quinti
editam 13. Septembris 1608. super erectione Congregatio-
nis Montium, cum omnes dictæ, & aliæ subsequentes
Constitutiones, loquantur de locis Montium Urbis, ut-
pote erectis in Urbe, ubi etiam solvuntur fructus, unde
de ejus territorio existere, ejusque loco circumscribi dicun-
tur, quamvis bona pro ejus dote assignata per universum
Statum Ecclesiasticum sparsa essent, quia locus erectionis
attenditur, ut firmatur in Viterbien. de Glisiis apud Ro-
yas *decis.* 66. *num.* 10. & in aliis, quia est hodie receptum,
& in similibus terminis late Rovit. *super pragm.* 1. *de jur.*
& *exaction. fiscal.* ideo non comprehendunt loca Montium
Bononiæ, & Ferrariæ ibi erecta, & ubi etiam fructus sol-
vuntur, quia censentur de loco ipsarum Civitatum, non
autem Urbis, de qua dictæ Constitutiones, cæteræque pro-
visiones loquuntur.

Eo magis accedente magna rationis disparitate, quia in
causis Montium Curiæ Romanæ, Thesaurarius est judex
primæ instantiæ, ideo non mirum, si secunda instantia
tribuitur Congregationi montium, quia adhuc remanet ter-
tia, quæ in Camera cognosci potest; in illis autem Bono-
niæ, & Ferrariæ, prima instantia pertinet ad Legatum, in
secunda appellatur ad Thesaurarium, unde si tertia spectaret
ad Congregationem, sequeretur quod, vel Tribunal Ca-
meræ hujusmodi causarum cognitione omnino destitutum
remaneret, vel opus esset dare quartam instantiam in jure
prohibitam, *ut toto titul. Cod. ne liceat tertio provocare.*
Ideoque dicebam, in hujusmodi locis Montium, quæ non
Urbis, vel Curiæ Romanæ, sed Bononiæ, seu Ferrariæ di-
cuntur, Congregationem prædictam, ut nullam habere co-
gnitionem, vel illam esse solum in secunda instantia cum
Thesaurario, itaut in proposito Congregatio, & Thesaura-
rius unum, & idem Tribunal constituant.

Et

Et ita resolutum fuit, causam scilicet ad ipsam spectare, non autem ad Congregationem Montium, ideoque ad ulteriora in ea procedendum esse.

Firmato puncto jurisdictionis, atque assumpta disputatione super meritis; Ego pro Barbaria scribens, agnoscendo petitorii difficultatem, cum juris regulæ resisterent, insistebam in possessorio, super manutentione scil. in statu solvendi in d. monetæ specie, & quantitate, in qua constabat, per annos fere 30. solvi consuetum esse, & in hoc di-
5 cebam Appaltatorem a Thesaurario fuisse gravatum, quia in hoc judicio non quæritur de justitia, vel injustitia possessionis, sed spectatur nudum factum possessionis, Seraph. *dec.* 581. *n.* 5. *&* 1471. *nu.* 7. & in aliis per Postium *de manut.*
6 *observ.* 42. Et in specie, quod debitor sit manutenendus in quasi possessione solvendi ad minorem rationem, in qua repetitur *dec.* 354. *n.* 1. *p.* 1. *rec.* Post. *d. tract. observ.* 10. *nu.* 77.

Quam possessionem eo magis attendendam esse dicebam,
7 quia ducatus est moneta imaginaria, quæ Bononiæ non reperitur, scutus vero aureus Italiæ in d. Civitate de eo tempore erat varius, duplici scilicet specie, majoris, & minoris valoris, ut in specie habetur *in d. decis.* 119. post Merlin. *de pignor. alias* 398. *part.* 9. *rec. n.* 8. ideoque stante dubietate qualitatis monetæ, de qua erectione loquuntur, recte observantia tamquam interpretativa potius, quam præscriptiva spectanda erat, ad not. in his terminis per DD. *in c. cum olim de censibus, de quibus infra*, unde dici non poterat esse in casu possessionis, cui justitia petitorii resisteret, vel adeo non assisteret.

Et quamvis ex parte Montistarum opponeretur hujusmodi possessionem quæsitam per illos de Tanariis, non suffragari
8 Barbariæ tamquam diversæ personæ, facilis tamen erat solutio, possessionem scil. quæsitam, non ratione personæ, sed ratione officii, suffragari etiam successori, qui ex persona prædecessoris eam allegare potest, quia possessio quæsita dicitur ipsi officio, seu dignitati, ad communiter not. *in cap. Cum super, de causa possessionis, & proprietatis*, & est receptissima propositio, de qua copiose Postius *observat.* 55. *num.* 90.

Difficultas etiam in possessorio tam apud Thesaurarium, quam apud Cameram, quæ iis non obstantibus, Thesaurarii decretum approbavit, consistebat in novatione, contenta in obligatione facta per Barbariam, quando suscepit appaltum, de solvendo (sunt verba præcisa) *li assignamenti soliti pagarsi alli Montisti nella moneta, e nel modo, e forma, che si deve secondo l'erettione di detti Monti*; Quasi quod recte Superiores conscii de Montistarum conquæstionibus super præterito modo solvendi in specie monetæ diminutæ, & diversæ ab erectione, ita per novam conventionem, cujuscumque contrariæ observantiæ destructivam, novum Thesaurarium obligare voluerint; Et quamvis replicarem, per hujusmodi verba non cessare efficaciam observantiæ, attento quod erectio non est clara, sed dubia, dum continet monetam adhuc incertam, seu variam, ut supra, nihilominus apud Judices habita fuit pen clara, quia erectio non loquitur de scuto aureo Bononiæ, sed de scuto aureo Italiæ, quæ monetæ species est certa, unde ob hujusmodi innovativam conventionem, judicatum fuit cessasse quamcumque contrariam possessionem a prædecessoribus quæsitam.

De petitorio non fuit actum, nisi incidenter, stantibus
9 ejus non levibus difficultatibus, quia ob Montistarum contradictiones, aliasque facti circumstantias, justificari non poterat pacifica observantia tricennalis, qua concurrente inducitur præscriptio solvendi in moneta diversa, quamvis minoris valoris, juxta terminos text. *in c. Cum olim, de censibus*, ubi Gloss. Innoc. Abb. & cæteri, de quibus Surd. *consf.* 335. *n.* 27. *cum seqq. & n.* 56. & latius habetur in Melevitana *disc.* 126. & in aliis *hoc eod.* ad materiam monetarum, ac etiam *sub tit. de pensionibus*, quæ, præscriptione cessante, juris regula est, solutionem faciendam esse in moneta, quæ est in obligatione, sive ubi difficile debitori redditur in ipsa individuali moneta, utpote parum frequenti, eam facere in alia specie, quæ tamen æquivaleat, habita etiam ratione augmenti intrinseci, ad commodum creditoris cedere debentis, ex deductis locis proxime citatis.

Ponderabam tamen in proposito, spectandam esse magnam injustitiam, ex hujusmodi augmento, in Cameræ præjudicium resultantem, quia attento valore, pro quo hujusmodi loca Montium empta fuerunt, nunc fructarent fere 15. pro cent. unde licet regula sit, quod in contractibus spectanda est origo, seu tempus, in quo confecti sunt non curando, quid postea casus dederit, quia sicuti bonus eventus augmenti valoris auri dedit Montistis commodum,
ita malus eventus diminutionis dare poterat damnum, & 10
præjudicium, ad communiter not. *in l. fideicommisso, Cod. de transact.* & in his specialibus terminis augmenti monetæ in creatione census habetur in Lauden. *census sub tit. de censibus*, ubi hæc materia examinatur; Nihilominus ubi tractu temporis contractus reducitur ad magnam injustitiam, quæ iniquitatem sapiat, reducendus est ad justitiam, & æquitatem ad not. *in c. suggestum de deci n.* & in his terminis augmenti monetæ, Thesaur. *decis.* 226. *per tot.* ac generaliter habetur per Capyc. Latr. *decis.* 18. *& non semel sub tit. de empt. & vend. seu de contractibus*.

Ad quod in proposito hujusmodi jurium, quæ cum Principe, ejusque Camera habentur, ponderabam plene deducta per Capyc. Latr. *dec.* 198. super reductione, quando Camera remanet notabiliter damnificata.

Verum egomet, qui motivum excitabam, dubitabam de applicatione, quoniam ut hujusmodi conclusio intret, non sufficit quælibet læsio, quæ in præsenti, neque dimidium excedebat, sed esse debet in magno excessu, itaut redoleat speciem iniquitatis, ad quam tollendam intrat contraria æquitas; Et nihilominus dicebant Judices, in hujusmodi materiis Cameralibus, stante præsentia Principis his verisimiliter informati, vel de facili per Ministros Camerales informandi, ad judices non spectare de his inspicere, sed eumdem Principem adeundum esse, & ex cujus, non autem Judicum auctoritate, reductionem practicari quotidiana praxis docet.

ANNOT. AD DISC. XLII.

Contenta in hoc discursu circa competentiam fori, cadunt sub sua peculiari sede *sub tit. de jurisdict. & for. compet.* ac etiam *disc.* 3. *de judic.* In hac tamen speciali materia locorum Montium, quæ in jure non est cognita, & quæ localis dici potest in Curia, dum adest Congregatio particularis, de qua conjuncta cum altera Baronum fit sermo in relatione Curiæ, *disc.* 28. certa regula desuper statui non potest, cum totum pendeat a Constitutionibus, vel Chirographis Pontificiis particularibus, ac etiam ab observantia, tamquam optima interprete.

De materia vero alterationis monetæ, ultra insinuata infra *disc.* 42. agitur plenius, *disc.* 126. *& seq. tit. de cred. disc.* 140. *& tit. de pens. disc.* 34. *& seqq.*

FERRARIEN. GABELLÆ LOCORUM MONTIUM,

PRO FRANCISCO RIMBALDESIO APPALTATORE, CUM DIVERSIS.

Casus sopitus per Concordiam.

An loca Montium circumscribantur loco, & veniant sub nomine stabilium.

Et an pro alienationibus locorum Montium debeatur gabella contractuum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Loca Montium veniunt appellatione stabilium, & loco circumscribuntur, & de quo loco dicantur.*
3 *De pluribus effectibus resultantibus ex d. conclusione, ut loca Montium habeantur loco stabilium.*
4 *In qua specie locorum Montium d. conclusio procedat.*
5 *Hodierna vectigalia subrogata sunt loco antiqui tributi.*
6 *Vectigalia spectantia ad Principem, vel Rempublicam dicuntur de Regalibus, & sunt exempta a gabellis.*
7 *An & quando gabellæ, & vectigalia non sint de Regalibus.*
8 *Quare pro locis Montium erectis a Principe non debeatur gabella.*
9 *Dicta exemptio non procedit, quando venditio locorum fit inter privatos, & n. 12.*
10 *Regalia desinunt esse talia penes privatum.*
11 *De exemptione Laicorum ementium a Clericis.*
12 *Declaratur conclusio, de qua n. 9.*
13 *Quomodo dominium locorum Montium ab uno in alium transferri dicatur.*

D I S C. XLIII.

1 ERecto per Civitatem Ferrariæ, prævia Papæ licentia, super quodam ejus gabellarum augmento, aliisque redditibus, uno Monte locorum mille, ad effectum extinguendi æs alienum, de anno 1643. occasione belli contractum; Cum in ea Civitate, inter alias gabellas reperiatur illa contractuum, Franciscus Rimbaldensius Appaltator generalis, prætendere cepit de venditionibus dictorum locorum Montium factis, & faciendis, tam prima vice per Civitatem personis privatis, quam deinde de uno privato in alium, sibi ratione contractus deberi gabellam; Unde assumpta desuper disputatione in Camera.

Pro Rimbaldesio scribens, ad clariorem materiæ resolutionem, in tres inspectiones causam dividebam; Primo nempe; An statuta super gabella contractuum comprehendant venditiones, seu resignationes locorum Montium in genere, abstrahendo a peculiari qualitate Regalium, de quibus dicuntur loca Montium, quæ per Principem super Vectigalibus, & publicis redditibus eriguntur, cum habeamus etiam de Principis auctoritate multas Montium erectiones per Barones, vel etiam privatos super Castris, tenutis, & bonis allodialibus,

Secundo, an posita generali comprehensione, illa cessaret in casu speciali, de quo agabatur, propter prætensam qualitatem Regalium; Et tertio, an generalis exemptio a quibuscumque oneribus, favore Montistarum, contenta in Brevi Apostolico erectionis Urbani VIII. suffragaretur ad effectum, de quo erat quæstio.

Quoad primum, cum statuta disponant, gabellam solvi debere de quibuscumque contractibus tam stabilium, quam mobilium, ac jurium, & actionum, casus videbatur planus, quia de necessitate, hujusmodi loca Montium sub una ex his tribus speciebus veniant, retenta siquidem opinione ut veniant sub nomine jurium, & actionum, sive quod tertiam speciem constituant, ita comprehenderentur.

Probabilius tamen, ac receptum est reputari tanquam 2 stabilia, ita ut stabilium appellatione veniant, ac loco etiam circumscribantur, Civitatis scilicet Metropolis in qua fit erectio, ut in specie firmant Gabr. *conf.* 141. *num.* 23. *lib.* 2. Alex. *conf.* 179. *n.* 3. *lib.* 6. *& conf.* 15. *n.* 3. *lib.* 7. Thes. jun *lib.* 2. *qu. forens.* 5. *in fin.* Buratt. *dec.* 474. *n.* 1. *&* 913. *n.* 10. Rovit. *in pragm.* 7. *de juribus, & exactionibus Fiscalibus*, *n.* 66. *&* 80. ubi de Fiscalibus Neapolis, sive aliis juribus super Arrendamentis, quæ idem sunt, ac loca Montium Urbis, Barbos. *de Episcopo*, *alleg.* 95. *n.* 44. Rota in Veneta pretii, seu nullitatis contractus 13. Novembris 1602. coram Pamphilio, ubi de Montibus Venetiarum *dec.* 177. *n.* 38. *par.* 5. *rec.* alias apud Merlin. *decis.* 343. & plene in Viterbien. hæreditatis de Ghisiis coram Royas inter suas *dec.* 66. *n.* 10.

Hinc venire sub legato immobilium, habetur apud Ga- 3 brielem. Thes. & Buratt. ubi supra, *& d. dec.* 177. *&* 355. *n.* 28. *par.* 5. In eis locum habere statuta exclusiva a successione stabilium, nisi excipiantur *d. dec.* 177. *n.* 38. Adden. ad Buratt. *decis.* 535. Et competere interdicta possessoria; illud præsertim quorum bonorum, Burat. *dict. dec.* 474. & illud Salviani, Gratian. *discept.* 943. *n.* 22. *& seqq.* Rota *dec.* 29. post Pacif. de Salviano; In eis habere locum Statuta Urbis 113. & 151. tanquam super alienatione stabilium, nisi excipiantur, ut ratione commercii frequenter solet *dec.* 114. *num.* 11. post Merlin. *de pignor.* Et comprehendi sub *extravaganti ambit. de reb. Eccles. non alien.* nisi per Papam in erectione pro commercii libertate aliud disponatur, ut frequentissime solet Rota in dicta Veneta pretii, seu nullitatis 3. Novembris 1603. coram Pamphilio, *&* 184. *num.* 15. *&* 19. *par.* 9. *rec.* Atque super eis imponi posse census tanquam super stabilibus, Cenc. *de cens. part.* 1, *cap.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 12. *&* 13. *alias quæst.* 29. Buratt. *d. decis.* 913. *num.* 10. Rota *decis.* 133. *num.* 13. post Merlin. *de pignor.*

Et quamvis replicaretur id procedere in locis Montium 4 fundatis super bonis stabilibus, de quorum natura tanquam jura super illis competentia participare dicuntur, adinstar censuum, de quibus in proposito gabellarum agitur in Romana, seu Tudertina Collectæ *infra hoc tit. disc.* 92. Nihilominus dicebam Doctores indistincte prædicta firmare in locis Montium, quæ ut plurimum, & frequentius consistunt in vectigalibus, aliisque juribus Principis, ut in specie de Fiscalibus, Rovit. *loc. cit.* & de pecuniis super Montibus Venetiarum, Rota in dicta Veneta coram Pamphilio, quicquid dicat in contrarium Peregr. *conf.* 43. *lib.* 1.

Ut enim bene advertit Rovit. *loc. cit. num.* 68. *& seqq.* hodierna vectigalia, & collectæ Principis, & Reipublicæ 5 subrogata sunt loco antiqui tributi, seu indicti, quod erat onus reale, & tanquam solo inhærens propter bona, ex quibus solvebatur, sub stabilium specie veniebat, ideo ejusdem naturæ esse debent subrogata; ex vulgari axiomate, quod subrogatum, &c. Quamvis enim ex communi hominum opinione de facto reputentur stabilia aerea, inter mobilia magis computanda, propter satis periculosam eorum conditionem, ac brevem durationem, ut idem Rovit. *num.* 72. *& seqq.* Attamen quoad effectus, juris Doctores nimis concorditer illa situant inter stabilia, unde quoad hunc primum punctum, nisi duo sequentes, vel eorum alter obstarent, planum videbatur, Appaltatorem habere intentionem fundatam.

Quo vero ad secundum, super quo acrior fuit disputatio, an scilicet pro locis Montium tanquam de Regalibus 6 haberetur gabella, quæstio videbatur cessare ex facto, seu defectu applicationis, cum procedat in illis locis Montium, quæ per Principem, vel Rempublicam non recognoscentem Superiorem, super vectigalibus, aliisque publicis juribus exiguntur, in quibus terminis loquuntur Lassart. *de decim. cap.* 10. *num.* 43. Guttier. *de gabell. quæst.* 57. *num.* 17. Cabedo *decis.* 113. *num.* 7. *lib.* 2. Fragos. *de Republica*, *lib.* 3. *disp.* 8. *num.* 48. Larrea *alleg.* 23. *num.* 50. & alii loquentes in iis juribus Hispaniarum, quæ sunt Principis, & vocantur *los juros de Rey*; Secus autem in erectis super gabella imposita per Communitatem, quia tanquam imposita per Civitatem subditam, non dicitur de Regalibus.

Licet enim jus indicendi collectas, & gabellas, regulariter sit de Regalibus, non semper tamen, & perpetuo ga- 7 bellæ sunt tales; nam etiam Barones, vel Communitates subditæ, ex antiqua consuetudine, vel Principis privilegio generali, seu licentia particulari, toties, quoties concedenda, collectas, & gabella imponunt, ut per Franch. *decis.* 56. *num.* 11. *& seqq.* Capyc. *decis.* 148, cum aliis per Cohell. *ad Bullam boni regiminis*, *cap.* 47. *num.* 5. *&* 15. ac passim in dies videmus in Statuto Ecclesiastico, & frequentius in Regno Neapolitano, ubi omnes fere gabellæ imponuntur, non per Principem directe, sed cum ejus assensu, & licentia per Communitates, & Populos, ad effectum solvendi onera eidem Principi, & alia communitativa ex copiose deductis per Maroiam *in ejus tractatu de collecta, seu bona tenentia*,

Idcirco enim pro locis Montium, quæ Princeps super ejus publicis juribus erigit, ac aliis vendit, quæ per Hispa- 8 nos, ut super dicunt *Juros del Rey*, iidem dicunt tanquam de Regalibus non deberi gabellam, quia Princeps, seu Fiscus qui est gabellæ Dominus, eamque aliis exigendam in Appaltum concedit, est de jure ab illa exemptus juxta text. *in l. locatio alias licitatio* 9. §. *Fiscus*, *ff. de vectigal. cum concordan* Ideo extendendum non est ad Communitatem, quæ privatam personam potius repræsentare dicitur, & de facto in hac Civitate adsunt gabellæ Civitati contradistinctæ a Cameralibus.

Et nihilominus, ubi etiam ab ipso Principe super publicis Juribus Montes eriguntur, adhuc dicebam, emptionem 9 procedere circa primam venditionem ab ipso Principe privatis faciendam, secus autem quoad sequentes contractus, & resignationes inter ipsos privatos, ut distinguendo habetur apud Cyriac. *controvers.* 141. *num.* 62. Idque triplici clara ratione, prima nempe. quod jura Regalia dicantur talia, donec resident penes Principem, sive penes privatum, quatenus ad ipsius Principis jus, & interesse pertinet: secus autem quoad solum interesse privatum, quia desinunt esse realia, Isernia *in cap.* 1. *quæ sint Regalia*, *verb. Angaria ad fin.* *n.* 51. Afflict. *in Constit. quia frequenter*, *n.* 4. Peregr. *de jure Fisci*, *lib.* 6. *tit.* 5. *n.* 26. Lanar. *conf.* 34. *n.* 8. *& conf.* 39. *n.* 6. Maria *conf.* 145. *n.* 1. *& seqq.* Avendan. *de censib. cap.* 93. *n.* 6. Franch. *dec.* 56. *num.* 16. *& ceteri*, de quibus *hoc eod. tit.* sæpius, præsertim in Romana Appaltus lignorum ad materiam Vectigalium *disc.* 81 ac etiam sub altero de feudis præsertim in Pisauren. Molendinorum *disc.* 3.

Altera, quia gabella non solvitur ratione rei, sed ratione contractus, qui cum geratur inter privatos, nullatenus jus Principis lædi dicitur, Gab. *consil.* 156. *&* 161. *lib.* 2. Et tertia, quia ideo de jure exempti pro hujusmodi contractibus, reddunt etiam privatos emptores immunes, quia in effectu onus ementis redundaret in damnum vendentis, cum gabella dicatur pars pretii, quod majus esse solet, ubi non solvitur, quam ubi præstanda est.

Ex qua ratione inferunt Canonistæ, & Morales, laicos ementes a clericis, beneficio exemptionis, & immunitatis 10 gau-

gaudere, ex deductis per Sperell. *decis. 45. n. 7. & per tot. decis. 412. nu. 36. & seqq. part. 9. rec. & 139. in fin. p. 10.* & non semel hoc tit. ad materiam franchitiarum præsertim in Mantuana exemptionis *disc. 53.* quæ ratio cessat, ubi perfecta jam venditione per clericum, atque effectus boni de dominio laici, per istum alteri laico venduntur, quia tunc vendi dicuntur bona mere laicalia, & nihil interest clerici, an pretium propter onus gabellæ sit diminutum necne, quod recte convenire dicebam diserte in terminis nostris, ubi scilicet prima vice vendit Princeps, deinde vero vendunt privati.

11 His stantibus, etiam quoad hunc secundum punctum, fundata videbatur Appaltatoris intentio; Verum non levem difficultatem faciebat Breve Apostolicum amplissima verba, & clausulas exemptionis continens; præsertim ratione subjectæ materiæ, cum hujusmodi loca montium ob commercii opportunitatem, tamquam species bonorum differentium, soleant esse magis privilegiata, & exempta ab illis nexibus, & oneribus, quibus alia bona indifferentia subjacent.

12 Aliam etiam majorem difficultatem, per scribentes pro Civitate, & Montistis non deductam, ponderabam contra Appaltatorem urgere, quod scilicet in hujusmodi locorum Montium alienationibus, nullus inter privatos vere, & proprie interveniat contractus, sed simplex tractatus super consensu præstando, quia ut non semel habetur *ad istam materiam locorum Montium, hoc eod. tit.* dominium locorum Montium non transfertur de uno in alium per simplicem partium voluntatem cum subsequuta traditione, ut in
13 aliis bonis indifferentibus sequi dicitur, sed non nisi Principis, vel Officialis per eum ad id deputati auctoritas accedat, unde emptor acquirere magis dicitur ab ipso Principe, quem in ejus auctorem immediatum agnoscit, cum fingatur venditorem resignare hujusmodi jura in manibus Principis, vel etiam Civitatis concedentis, & ab ipso per actum occultum novæ creationis, seu efformationis de novo concedi resignatario; Unde propterea, inter ipsos privatos, nullus intervenire dicitur contractus dominii translativus, sed uterque actus est respective inter Principem, & privatum; Quare ob materiæ exemplaritatem, & contrariam communem observantiam, dictasque prævisas difficultates honesta concordia laudata fuit, & de facto sequuta, approbante Camera, quæ causa pluries proposita, remanebat satis perplexa in capienda resolutione.

SPOLETANA GABELLÆ, PRO THESAURARIO SPOLETI, CUM ANNONA URBIS.

Casus sopitus per Concordiam.

Annona Urbis an gaudeat privilegio fisci circa exemptionem a gabellis, & vectigalibus. Et an idem sit Camera, & Annona.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De Privilegio fisci super exemptione a gabellis.*
3 *Princeps dicitur maritus Reipublicæ.*
4 *Quid sit annona, & an sit de rebus ad fiscum pertinentibus.*
5 *De juribus loquentibus de re frumentaria quoad Principem, vel fiscum, in quibus casibus procedant.*
6 *De distinctione inter annonam œconomicam pro usu Civium, & annonam Principis pro subventione pauperum.*
7 *Quid sit fiscus, de ejus origine, denominatione, & n. 20.*
8 *De origine, & introductione annonæ.*
9 *Ad quem pertineat administratio annonæ.*
10 *Quid in Urbe, & de introductione præfecti annonæ.*
11 *De casibus in jure expressis super Immunitate a gabellis.*
12 *An, & quando competat exemptio pro frumento, & aliis victualibus necessariis pro exercitu, & militibus.*
13 *Fiscus non est exemptus pro mercatura, & industriis.*
14 *Explicatur text. in l. 1. C. de navicular. lib. 11. quando procedat circa exemptionem frumenti.*
15 *Cives cogi possunt ad emendum frumentum publicum, quod corrumpitur, vel superat.*
16 *Princeps, vel Superior cogere potest cives divites, ut emant frumentum distribuendum populo.*
17 *An, & quando magistratus, & officiales statuere possint, ut deferentes frumentum, & victualia sint exempti.*
18 *Declaratur quando pro frumento annonæ publicæ debeatur gabella, vel ne.*
19 *Quomodo annona debeat administrari, & de ratione, ob quam permittitur, ut vendat carius frumentum, quod vilius emit.*
20 *Sub nomine Jurium, & bonorum fisci, & Principis quid veniat.*
21 *De decisione Reverter. ut gabella non debeatur pro frumento publice introducto per Civitatem.*

DISC. XLIV.

OB penuriam, quam de anno 1448. Annona Urbis patiebatur, emerunt illius Officiales in Provincia Marchiæ Anconitanæ notabilem tritici quantitatem, dorso animalium evectam, mediante necessario transitu per Civitatem Spoleti, in cujus ingressu, pro quolibet animali onusto, solvenda est quædam gabella, quam Gabellariis petentibus, annonæ vero Officialibus recusantibus ex privilegio fisci juxta dispositionem text. *in l. licitatio alias locatio ff. de publicanis*, quasi quod fiscus, & annona essent idem; Hinc introducta fuit desuper disputatio in Congregatione computorum, in qua pro Thesaurariis, seu gabellariis scribens. 1

Dicebam, fisci privilegium procedere in iis, quæ spectant ad Cameram Principis, seu Reipublicæ, ad quam spectare dicuntur ea, quæ Populus, seu Respublica ei assignavit pro publicis Principatus oneribus substinendis, adinstar dotis, quam mulier pro matrimonii oneribus assignat 2
marito, cui Princeps respectu Reipublicæ comparatur Peregr. *de jure fisci lib. 1. tit. 1. in princip. num. 8. & seqq.* Mant. *de tacit. lib. 11. tit. 18. n. 2.* 3

Sub hujusmodi autem assignamentorum, seu bonorum specie non videtur venire annonam, cum hæc non contineat 4 aliquem redditum, seu emolumentum, sed sit quædam prudens œconomica administratio demandata Magistratibus pro conservanda in Civitate abundantia victualium, emendorum a Civibus volentibus, eosque liberandi ab inedia, sive a dardanica oppressione *tot. tit. ff. ad l. Juliam de Annona l. 1. §. Curia carnis ff. de officio Præfecti Urbis l. 2. ff. de administrat. rerum ad Civitatem pertinentium, cum concordantibus per Paulum de Castro, cons. 40. n. 3. l. 1.* sequuntur Ripa *de peste tit. de remediis ad conservandam ubertatem n. 1. & seqq.* Decian. *tract. criminal. part. 1. lib. 7. tit. 32. de fraudantibus Annonam*, Colerus *de alimentis l. 1. c. 17.* Borell. *de magistratuum edictis lib. 3. c. 14.* Apont. *de potest. proreg. tit. de abundantia Civitatis, §. 1. & seqq.* Rovit. *super rubr. & pragmat. 1. & 16 de Annona, & cons. 73. lib. 2.* Bobadil. *polit. tom. 2. c. 3. n. 3. & seq.*

In hoc enim nullum lucrum, vel damnum Camera Principis sentit, quia eadem pecunia, quæ in emptionem frumenti, & aliorum victualium erogatur, (& quæ pecunia frumentaria in jure appellari solet) eadem recuperatur a Populo illa emente, itaut sit solum quædam provida cura œconomica, ne Populi a dardanariis in victualium emptione suffocentur, originaliter derivata ab exemplo Joseph in Ægypto; Et quamvis aliquando Camera Principis aliquam pecuniarum quantitatem pro hujusmodi provisionibus faciendis accommodare soleat, est tamen purum mutuum de quo, ex eorumdem victualium venditione se reintegrat, ut probat text. *in l. 2. §. quid de frumentariis, & l. fin. §. item rescripserunt, ff. de administrat. rerum ad Civitatem pertinentium, & l. fin. §. qui annonam ff. de muneribus & honoribus*, Ripa ubi supra *n. 176.* Rovit. *d. pragm. 16. de Annona n. 3. & seqq. & d. cons. 75. l. 2.* Igitur dici non potest esse de bonis, & emolumentis fisci, quia hæc tamquam fructus dotis, in onera Principatus in dies erogantur, & consumuntur, absque spe recuperationis, eo modo quo vir consumit fructus dotis in oneribus matrimonii supportandis.

Officiales Annonæ, & Camerales eis adhærentes, se fundabant in dispositione text. *in l. 1. & tot. tit. C. de erogatione militaris Annonæ l. 12. in tit. de Annonis Civilibus l. 11. tit. de conditis in horreis publicis l. 10. tit. de frumento Urbis Constantinopolitanæ, l. 11. tit. de Canone frumentario Urbis Romanæ eod. lib. tit. de naviculariis lib. 10. & tit. ut nemini liceat ab emptione specierum, &c.* 5

Verum dicebam procedi in hoc cum æquivoco claro, quoniam in dictis legibus agitur, vel de illo frumento, quod ad Principis Cameram pertinet, ex ejus prædiis, vel tributis, & responsionibus collecto, vel de eo frumento, quod eadem Camera Principis emere, & providere solet pro militum, & Palatinorum substentatione, sive etiam tem-

pore penuriæ, pro alimonia pauperum, & pane ex Principis munificentia, & pietate eis elargiendo, ut in eisdem juribus explicant Bald. Joann. de Platea, Alciat. Rebuff. & bene Ripa *loc. cit. n.* 176.

6 Alia enim est Annona, quæ conservatur pro usu pauperum, alia vero pro majore commoditate civium, & ad provide consulendum inediæ; Prima enim species erogatur de pecunia Principis absque recuperatione, unde proprie conveniunt termini fructuum dotalium erogandorum in onera matrimonii, qualia hæc dicuntur in Principe circa sobstentationem sui ipsius, ejusque familiarium, & Palatinorum, ac militum, & pauperum; Secus autem in secunda specie, in qua simplex administratio œconomica, omnium civium nomine, per Magistratum fieri dicitur; In ista enim onus gabellæ pro hujusmodi frumento, vere solvi dicitur ab ipso Principe, ejusque Camera, sed a civibus & populo eo plus solvente eorumdem victualium pretium, cujus pars tam vecturarum, horreorum, & laborantium quam gabellarum, expensæ dicuntur; Alias enim sequeretur, quod totus populus esset exemptus, nullæque victualium gabellæ exigi possent, cum in qualibet fere Civitate, ex Principis provido præcepto, hujusmodi provisiones pro Annona fieri soleant.

Clare id comprobari dicebam ex utriusque stationis diversitate tam in origine, quam in administratione; Fiscus enim
7 sub Cameræ Principis, seu publici Ærarii, nomine antiquitus nuncupatus, originem habuit ab initio nascentis dominationis, seu Principatus, ut ex Peregr. *de jure fisci lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 2. *cum seqq.* itaut sine dubio adfuerit per multa sæcula in omnibus Monarchiis, & Principatibus, antequam per Josephum in Ægypto ex divina providentia hujusmodi Annonæ introductio haberetur; Atque in Romana Republica, a qua nostræ leges derivant, certum adfuisse fiscum, seu publicum Ærarium ab ipso ejus exordio.

Hujusmodi autem Annonæ introductio, & præfectura, vel juxta unam opinionem, quam tenet Livius Decade 1.
8 *lib.* 4. initium habuit in Lucio Minutio anno 315. ab Urbe condita, vel juxta aliam post electos ædiles, Curules, quorum officium cognitum solum fuit post Regum expulsionem, seu verius juxta historiam legalem (quam nos præ cæteris in foro attendere debemus) duos ediles, qui frumento præessent, *Cereales* a Cerere dictos, primus omnium instituit Cajus Julius Cæsar, *ut in l.* 2. §. *capta deinde Sardinia ff. de origine juris*, ut bene Bovadill. *de his agens d. cap.* 3. *polit. tom.* 2. *n.* 3. Ex quo textu *in* §. *Deinde cum Ærarium* constat, officium quæstorum circa fiscı, & Cameræ administrationem, longe ante creatum esse, unde liquet, attenta origine diversam esse unam rem ab altera.

Eadem diversitas insurgit ex administratione, quia fi-
9 sci administratio recte pertinet ad Principem, & ad Quæstores, aliosque Officiales ab ipso Principe deputatos, & in qua administratione, Populi, vel Civitates nullam habent participationem; Annonæ vero regimen, & administratio, tamquam concernens commodum, & utilitatem civium, de jure est de spectantibus ad Civitatem, ejusque Decuriones, *ut in l.* 2. *ff. de administr. rerum ad Civitatem pertinentium*, & *in l. Decuriones* 6. *eod. tit.* & *in aliis*; Quodque Civitatum cura esse soleat Annonæ providere, probant Bart. Lucas de Penna, & cæteri *in l. unica C. ut nemini liceat ab emptione se excusare lib.* 11. ubi exemplificando loquuntur de frumento Civitatis, *n.* 170. Bovadill. Rovit. & Gamverr. *loc. cit.* Capobl. *de Baronibus tom.* 2. *cap.* 9. *nu.* 2. & *seqq.* Ripa *ubi supra*, ubi quod de consuetudine potius quam de jure, & constat apud Rotam in Firmana pecuniaria 14. Junii 1547. & 3. Junii 1650. coram Bichio: *quarum secunda est dec.* 49. *part.* 11. *rec.* in quibus præcedentes decisiones referuntur, tractantes de Administratione Annonæ penes Civitatem, quod ubique, & præsertim in Italia docet communis observantia. Et habetur in Neapolitana *hoc tit. disc.* 123.

Et licet in Urbe a temporibus Gregorii XIII. circa hoc
10 munus demandari soleat Prælato per Papam deputato, Annonæ Præfecto nuncupato, qui esse solet unus ex Cameræ Apostolicæ Clericis. Non inde tamen sequitur mutare privilegia fisci, præsertim istud, quod in effectu, non fisci, sed Civium ementium victualia, utilitatem contineret; quia Princeps voluit demandare Prælato illam curam, quæ alias Decurionibus incumbebat, & sic immutare solum personam administratoris, non autem speciem administrationis.

11 Observandum etiam dicebam, in jure fuisse expressos eos casus, in quibus lex immunitatem a vectigalibus concedere voluit, quos congerit gloss. *in l. si publicanus* §. 1. *ff. de vectigalibus*, inter quos iste descriptus non reperitur, neque prætendi potest comprehensus sub nomine fisci. Tum quia præmissa repugnant, ut supra. Tum etiam, quia res pro exercitu paratas, seu ad præsidium, aliorumque publicorum Officialium usu necessarias, lex exprimit, tamquam contradistinctas a rebus fiscalibus, *ut in d. l. si publicanus* §. 1. & *l. licitatio alias locatio* §. *res exercitui ff. de publicanis*; Et tamen absque dubio, sub nomine fisci, magis hujusmodi res venire deberent, cum commodum, & damnum sint ipsius Principis, ejusque Cameræ.

Ponderando potissime, quod quamvis de jure verius sit, pro victualibus, & bonis necessariis pro exercitu, vel armamento Principis, vectigal exigi non posse, ut in specie deductum habetur apud Revertertium, & addentes *decis.* 548. & Bursatt. *consil.* 335. non est tamen sine controversia, ut constat apud allegatos; Atque cum hujusmodi quæstio habita esset in Congregatione computorum inter Cameram, & Appaltatorem generalem Ferrariæ, sub die 4. Augusti 1642. resolutum fuit pro frumento parato pro commeatu Exercitus,
sive pro Arcium munitionibus, nullam gabellam deberi; il- 12
lam tamen debitam esse pro eo frumento, quod explanatur pro pane militum tam præsidiariorum, quam de leva, dum extra Exercitium permanent in Civitatibus, & Oppidis, ex ea clara ratione, quod tunc ex pecuniario stipendio, quod per Principem præstatur, isti panem sibi emunt, unde ex gabellæ solutione, vel exemptione respective, nullum damnum, vel utilitatem fiscus reportat.

Et quod pro rebus paratis pro servitio Exercitus debeatur gabella, tenet Larrea *alleg.* 54. ubi sic dicit decisum, licet totum fundamentum sit in legibus particularibus Hispaniæ, supponendo contrarium de jure communi, ex Peregrin. *de Jure Fisci*, & *aliis*, quos allegat. Unde in hac auctoritate nullum fundamentum in proposito puncto constitui posse videtur.

Atque unum de duobus alias resultaret, vel scilicet quod
exemptio in effectu redundaret in commodum, & utilita- 13
tem subditorum, qui ad gabellarum solutionem tenentur, vel quod ita Princeps sibi ipsi hujusmodi utilitatem applicando, mercaretur, & lucrifaceret, quo casu suæ exemptionis privilegium non intrat, ad text. *in l. universi C. de vectigalibus*, ubi omnes, Natta *cons.* 139. *n.* 4. Roland. *consil.* 61. *nu.* 23. *lib.* 4. Adden. ad Revert. *d. dec.* 548. *nu.* 2. ubi reprobantur tenentes contrarium.

Nec obstare dicebam text. *in l.* 1. *C. de navicularis lib.* 11. 14
quia vel loquitur de immunitate personali concessa ipsis naviculariis in compensationem periculi, quod subeunt se exponendo navigationi pro bono publico, ut probat text. *in l. semper* §. *Negotiatores*, *ff. de Jure Immunitatis*, quod non est speciale in Annona, sed procedit in quacumque specie; Vel quatenus intelligatur de ipsis rebus, seu mercibus asportandis, intelligendus est de Annona, quæ transvehitur de horreis publicis, in quibus conservabatur frumentum pro Exercitu, vel pro Domo Principis, ut Bart. *ibidem n.* 4. 6. & 7. & *in l.* 1. *Cod. de conductis in horreis public.* & sic exemptio non oritur ratione Annonæ, sed quia tractatur de re Principis, & in his terminis loquitur Surd. *consil.* 239. atque in eisdem terminis intelligenda sunt deducta per Guttier. *de gabell. qu.* 33 ubi scilicet ipsa Civitas est domina gabellæ, quæ ex tetractu panis non exigatur, ut particulariter habetur infra in Ferrarien. gabellæ frumenti *disc. seqq.*

Observando etiam text. *in l.* 1. *toto tit. ut nemini liceat in*
emptione specierum l. 11. disponere, quod si frumentum a 15
fisco emptum corrumpitur, vel superat, cogi possunt cives ad illud emendum; Ergo intelligi non potest de frumento publico, quod emitur pro Annona Civitatis, & usu omnium civium, sed frumento privato per fiscum empto pro usibus sibi incumbentibus, ut supra, Et quandoque Princeps, vel
Magistratus tempore penuriæ, ut pauperibus, vel minuto 16
populo provideat, eumque a mercatorum, & ditiorum oppressionibus liberet, cogere solet cives idoneos pro numero, & quantitate bonorum ad emendum frumentum, ut pauperibus pro certo taxato pretio minutatim vendant, ut observant Joannes Rebuff. *in d. l.* 1. *ut nemini liceat ab emptione specierum n.* 2. & Bovadill. *d. tom.* 2. *polit. c.* 3.

Obstare tamen videbatur Theorica tradita per Bart. *in l.* 1. *ff. quod quisque jur. in pr. inc.* ibique Clarius Castrens. *num.* 8. & cæteri apud Paschal. *de patr. potest. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 71. & Capobl. *de Baron. dicto c.* 9. *tit. n.* 13. quod scilicet Magistratus Annonæ possint de tempore carestiæ statuere, ut deferentes victualia sint exempti ab omni onere gabellarum,

tum, & pedagiorum; Verum replicari posse dicebam, quod ubi hoc Statutum ab Annonæ Præfecto fieri potuisset, attamen factum non erat, ac ulterius, quod extra Urbem, pro qua præfectus est deputatus, ejus auctoritas absque Papæ participatione, & assensu extendi non videtur; Sive quod id intelligendum sit, quando penuria est talis, quod oporteat victualia vendere minus, quam valeant; itaut non intret reintegratio impensi, in qua est punctus.

17 Judices inclinabant pro Gabellariis, sed punctus tunc decisus non fuit, dato solum rescripto, *cum Thesaurario ad mentem*, quæ erat concordandi cum honesto medio temperamento, sed vel ex partium negligentia, vel ex immutato rerum statu, ad effectuationem deventum non fuit.

Post annos autem circiter 13. occasione solidationis computorum, quæ ita in suspenso remanserunt, excitata denuo fuit ista quæstio, atque omnibus fere officialibus immutatis, novi Camerales, visis informationibus tunc editis, præsertim mea, prædicta fundamenta continente, dicebant difficultatem consistere in diversis facti præsuppositis; ea quibus conclusionum applicatio negabatur; Illa siquidem procedunt
18 cum præsupposito, quod ageretur de sola œconomica administratione, erogandi pecuniam publicam, vel Fiscalem in emptione frumenti, rehabendam ex pane venali civibus, & incolis distribuendo, juxta deducta, præsertim per Rovit. *d. conf.* 73. *n.* 1. & 2. ubi quod Annona jacturam facere non debet. Sed hoc præsuppositum cessare dicebant, dum factis calculis pecuniæ cameralis pro emptione frumenti, Annonæ diversis temporibus accommodatæ, constabat Cameram Apostolicam remanere damnificatam in satis notabili summa, de qua numquam reintegrata fuit.

Verum isto etiam præsupposito admisso, adhuc cum sensu veritatis, dicebam parum probabilem videri eorumdem Cameralium oppositionem, cum dictæ pecuniæ non sequuta reintegratio, tribuenda esset malæ administrationi Officialium non bene suum officium exercentium, quia ut di-
19 ctum est, Annona ita debet administrari, quod non fiat quidem lucrum, & mercatura, non autem ut patiatur proprium damnum, cum ageretur de mere œconomica administratione; Atque idcirco toleratur alteratio pretii, quod scil. quando frumentum emitur pro scutis quinque distribuatur pistoribus pro scut. 10. ut istud lucrum compenset præteritum damnum passum in annis sterilibus, quando oportuit distribuere frumentum pro minori pretio, quam emptum esset, vel conservaretur pro eadem compensatione facienda futuri damni, ex eadem causa resultantis; Et sic semper firmum remanet, hanc esse puram administrationem, in qua solum dici potest, Cameram remanere pro tali administratione creditricem ejusdem Annonæ, a qua forte occasione continuantis ubertatis poterit se reintegrare. Non inde tamen inferri potest, quod idem sint Fiscus, & Annona, quia id solum verificabile est in eo frumento, quod Princeps suo ære emit, ut gratis, & eleemosynaliter, tamquam pater pauperum subditorum distribuat, ex ea obligatione, quæ sibi ratione Principatus incumbit, sustentandi de tempore penuriæ pauperes subditos, aliunde non habentes.

Atque ut hæc differentia inter Fiscum, seu Cameram A-
20 postolicam, & Annonam Urbis clare dignosceretur, cogebar, deveniendo ad terminorum explicationem, subjungere; quod sub Fisci, seu Cameræ nomine, veniunt illa bona, & jura, quæ competunt in universum Principi, seu ipsi Reipublicæ, ac Principatui constituto ex Civitatibus, Oppidis, & locis in eo existentibus, quæ tamquam membra insimul concurrunt ad efformandum istud corpus universale, seu politicum, cujus juxta unam opinionem, ipse Princeps est Caput, sive juxta alteram ejusdem integri corporis ex ipsis Civitatibus, & locis constituti, Civitate Metropolitica capitis figuram faciente, Princeps dicitur supremus Gubernator, vel administrator, seu Reipublicæ, quæ consideratur tamquam mulier uxorata Marito, cui eadem Respublica omnia ejus bona, & jura dederit in dotem pro supportandis publicis oneribus, ad instar onerum matrimonialium, & sic quoad concernentia ipsum corpus in universum.

Membra vero prædicta, quæ insimul, & unitum concurrentia, dictum corpus constituunt, singulariter, & distinctum considerata, constituunt tot universitates, seu corpora politica separata, constituta ex cujuslibet Civitatis, vel loci respective civibus, & incolis; Ideoque ea, quæ concernunt singularum Civitatum, eorumque civium, & incolarum particularem vivendi modum, non dicuntur spectare ad Fiscum, quamvis omnia sub Principis directione, ac auctoritate fiant, nam alias particulares Annonæ omnium Civitatum, Oppidorum, & locorum, dicerentur idem, ac Fiscus, atque istius privilegiis gaudere deberent, neque inter Urbem, & alias Civitates in proposito aliqua subesse videtur considerabilis ratio differentiæ.

Difficultatem aliquam inferre poterat *dec.* 277. Reverterit, hoc medio tempore impressa, per Camerales tamen non allegata, in qua punctualiter firmatur, gabellam solvendam pro transitu, vel introductione frumenti, non deberi pro eo quod Civitas pro Annonæ servitio introducit, & forte dicta decisio est in casu in quo scripsit, & succubuit, Rovit. *d. conf.* 73. *lib.* 2.

Verum de facili credebam, ad dictam decisionem ex defectu applicationis posse responderi, quoniam ea gabella 21
non debebatur pro quocumque frumento, sed pro eo solum, quod introducebatur mercimonii causa, itaut introductum pro usu proprio civium esset immune; Unde propterea bene dicitur illud frumentum per Civitatis, vel Annonæ Officiales tempore penuriæ introductum ad evitandam famem, ac mercatorum, & dardanariorum oppressionem, dicendum potius esse ad usum proprium civium, & incolarum, quorum nomine Civitas tamquam suorum civium œconomica administratrix potius, quam pro mercatura, & lucro id egisse dicitur, ut prætendebatur per Rovit. *dict. conf.* 73. cujus dicta, quamvis abstracta, ac in puncto juris essent vera, laborabant tamen in concreto de defectu applicationis; Et ista ratio bene deducta per Revert. potius congrua est, quam altera ponderata in additionibus, nam si esset mercatura, nil relevaret, eandem Civitatem esse gabellæ dominam; Et conferunt ad eandem materiam deducta in Ferrarien. *disc. seq.*

Verum adhuc urgebat difficultas, quæ etiam apud me non levis erat, quoniam in facto docebatur, de dicto anno 1648. ob magnam victualium penuriam, Papam ut Principem, suæ Metropolis subditis subvenire volentem, non quidem ex mutuo animo se reintegrandi, sed gratuito largitum esse magnam pecuniarum summam pro emendo hoc frumento, quod gratuitum ab Annona habitum; compensavit magnam jacturam, quam eadem faciebat in altero proprio, quod in pane explanabat; unde propterea si de hoc solvenda esset gabella, illa per Principem, ejusque Fiscum solvi deberet; Et quia plures aliæ partitæ in computorum solidatione erant in controversia, ideo super omnibus transactum fuit, satis tamen modica ratione habita de hac prætensione.

ANNOT. AD DISC. XLIV. & XLV. & CXXV.

De materia publicæ Annonæ, de quo agitur in his duobus discursibus, agitur quoque infra *disc.* 125. ubi de ejus regimine, ad quem de jure pertineat, & aliquid insinuatur in Relatione Curiæ *disc.* 40. ubi de Congregatione, seu de Præfecto Annonæ, de quo etiam Sanfelic. *dec.* 190.

Quo vero ad punctum, de quo principaliter in his discursibus disputatur, an scil. pro frumento, quod emitur vel explanatur per servitio Annonæ publicæ debeantur gabellæ, aliaque vectigalia, vera, nimiumque rationabilis videtur distinctio, de qua in his discursibus, inter illud scilicet frumentum, quod publici officiales emunt, ut revendant, vel explanent, in sola ratione œconomica, seu administratoria, & illud frumentum, quod ipse Princeps, vel Respublica, pro levamine populorum distribuat gratis omnino, vel diminuto pretio, ex rationibus ibi ponderatis.

Super privilegiis autem, & favoribus publicæ Annonæ antiquioribus relatis, plura colligunt Rovit. *conf.* 75. *lib.* 2. Sanfelic. *d. dec.* 190. & alii relati in his discursibus, ac etiam cum aliqua eruditione, Amayd. *in l. unic. C. ut nemini liceat, in empt. specier. lib.* 10. & aliqua advertit Massin. *de confiscat. qu.* 18. *n.* 1. *& seqq.*

Et in specie propositionis insinuatæ supra *hoc eod. tit. disc.* 123. *in fin. disc.* 159. *nu.* 14. quod scil. denegari, seu impediri possunt tractæ, quamvis essent concessæ Appaltatoribus, vel aliis, ex causa onerosa, & correspectiva in forma contractus, quando id præjudicare possit Annonæ, ac inducere valeat penuriam in Regione, cum semper hujusmodi concessiones sub se contineant hanc implicitam conditionem, quatenus scil. victualia exuberent usum proprium, Revert. ibique de Marin. in addit. *decis.* 425. & advertitur *infra disc.* 148. *n.* 30. Roceus *de officiis* §. 7. *de tractis n.* 20. addent. ad Rovit. *super pragm. in rubr. de extract.* Cobell. *ad Bull. Boni Regim. c.* 50. *n.* 29. *& seqq.*

Hinc sequitur, quod isto casu non potest Appaltator, vel alter contrahens prætendere rigorosam sectionem

interesse pretii quanti plurimi, etiam ratione lucri amissi, eo modo, quo prætendi potest, quando impedimentum proveniat a facto voluntario, & culposo locatoris, qui promissa non impleat; Minusque econverso dici posset casus omnino fortuitus, qui pro remissione pensionis regulandus veniat ad terminos text. *in cap. propter sterilitatem cum concordant.* sed erit justa causa, quæ excuset quidem locatorem ab interesse extrinseco, illum vero obligat ad refectionem interesse intrinseci, idest ad remissionem pensionis, pro ea rata, quæ verisimiliter in hujusmodi tracta, debita proportione conventa fuit, nisi conventio aliter suadeat, juxta distinctiones, de quibus pluries *hoc eod. tit.* & præsertim *dict. disc.* 159. ubi recensentur alii præcedentes.

Et in specie solutionis pretii frumenti habiti, ex necessitate annonæ ab Appaltatoribus fiscalibus, qui illud ad majus lucrum, ex jure tractatum alibi vendere destinaverant, cum hac distinctione agit Mastrill. *decis.* 257. ubi plura de hac materia.

Cadit item in hac materia annonæ quæstio, an Cives, vel Mercatores cogi valeant, etiam inviti, ad venditionem frumenti, aliorumque victualium, etiam pro minori pretio, quod Princeps, vel Magistratus taxent; Et quoad primum, punctum coactionis in genere, quoties justa causa publicæ annonæ ita suadeat, videntur magis communiter Doctores concordare, atque videtur ubique receptum, ut etiam advertitur in his discursibus, & alibi, & patet apud proxime allegatos.

Difficultas vero est in secunda parte diminutionis pretii, Quamvis etenim a pluribus id quoque firmetur, ex plene relatis per Giurb. *observ.* 1. Massin. *de confiscat. d. qu.* 18. *addition.* ad Franch. *decis.* 9. qui referunt Mexia *de taxa panis*, & *alios*, contrarium tamen ex professo substinet Amaya *in dict. l. unic. C ut nemini liceat emptione specierum lib.* 10.

In hoc autem erroneum videtur, ita generaliter, & in abstracto examinare quæstionem, sive unam, vel alteram opinionem sequi, cum solis generalitatibus, quæ per utriusque sequaces ponderari solent, cum verius videatur decisionem pendere a facti circumstantiis, ac debitis distinctionibus; Ubi etenim certi pretii taxa justum habeat motivum reprimendi dardanarias, vel Monopolia Mercatorum, seu virorum potentium, qui habentes frumentum, aliaque victualia, indebite attentis facti circumstantiis, populum suffocare satagunt, illumque compellere ad emendum victualia, pro injusto, nimiumque alterato pretio, & tunc recte procedat prima opinio. Ubi vero pretium carius, pro locorum, & temporum qualitate, aliisque circumstantiis sit justum, & currens, quia nempe tanti in eodem loco, aliisque convicinis frumentum, aliaque victualia communiter vendantur, unde propterea reductio, seu diminutio fiat ex solo motivo sublevandi populum e majori præssura, & tunc procedat secunda opinio; Ex ea nimium congrua ratione, quod istæ partes levandi populum in tempore penurioso pertinent ad Principem, vel ad Rempublicam, cum publicis redditibus, in quibus consistunt fructus dotis hujus politici matrimonii: In his discursibus advertitur, idque solum erga pauperes, non autem divites, vel bene provisos, Atque ubi publici redditus, utpote aliis indigentiis destinati, desuper erogari non possint, id faciendum est cum collectis, & contributionibus omnium pro rata virium, & juxta Regionum qualitates, & mores, non autem ita tollendum aliquibus id, quod suum est, juxta ponderationes, de quibus infra *hoc eodem tit. disc.* 148. occasione agendi de venditionibus, vel concessionibus Civitatum, & locorum, quæ ex causa onerosa provocarunt ad demanium; Ita etenim duo dignoscuntur inconvenientia. Primo, nempe quod divites, & idonei Cives, qui non indigent hoc beneficio, vel subsidio, locupletarentur de alieno, imo etiam exteri, & transeuntes, seu viatores. Et secundo, quod illud pauperum subsidium, seu levamen, quod erogandum est ex redditibus publicis, vel ex universalibus contributionibus, & collectis, ita præstarentur per aliquos particulares tantum, contra omnes Justitiæ, & æquitatis regulas, & rationes, ideoque cum hac distinctione ista quæstio terminanda videtur.

FERRARIEN. GABELLÆ FRUMENTI,
PRO FRANCISCO RIMBALDESIO APPALTATORE,
CUM CIVITATE FERRARIÆ.

Casus decisus per Cameram pro Appaltatore, postea concordatus,

An gabella frumenti, vel panis, debeatur pro eo frumento, quod ipsa Civitas de tempore penuriæ introducit pro beneficio Annonæ.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *De gabella non solvenda pro frumento introducto pro publica annona.*
3 *Provisio, quam facit Civitas frumenti pro publica annona non dicitur mercatura,*
4 *Text. in l. locatio, ff. de publican, inducens exemptionem Principis procedit etiam in Civitate Domina gabellæ.*
5 *Divites cogi possunt ad emendum frumentum publicum, quod timetur corrumpi.*
6 *Potest etiam diminuto pretio frumenti vendi panis pretio alterato si frumentum carius emptum est.*
7 *De casu in quo pro frumento, & aliis pro annona non debeatur gabella.*
8 *Princeps est maritus Reipublicæ, & tenetur providere subditos tempore famis, & pestis.*

D I S C. XLV.

ULtra gabellam contractuum in Civitate Ferrarien. exi- 1
stentem, de qua sumpta in Ferrarien. gabellæ locorum Montium *disc.* 43. alias ex antiquis Statutis exigebatur per Duces, & nunc per Cameram exigitur, pro omnibus frumenti speciebus, quæ ibi introducuntur, sive ad panem reducantur, sive alias contrahentur, quam antiquitus exigi solitam ad rationem decem pro centenario, Clemens VIII. in ejusdem Civitatis recuperatione, inter quamplura privilegia, reduxit ad quinque. Cum autem de ann. 1648. ob universalem penuriam, quam passa est Italia, Civitatis Administratores pro bono publico, & ad consulendum fami, seu annonæ, necessariam frumenti quantitatem cum publica pecunia emissent, illudque distribuissent pistoribus pro certo pretio adæquato omnibus expensis emptionis, vecturæ, custodiæ, ac etiam gabellæ, a cujus onere pistores, quibus distributio facta est, fuerunt expresse exempti; Appaltator vero generalis dictam gabellam peteret a Civitate, eam solvere recusante, Hinc introducta fuit lis in Camera, ubi assumpta disputatione, quamvis Appaltator prætenderet, duplicem gabellam sibi deberi, unam nempe specialem frumento, seu verius sub ejus nomine, pani impositam, & alteram generalem contractuum ex ejusdem frumenti venditione, quam Civitas fecit pistoribus; Ego tamen pro Appaltatore scribens, censui ab hac secunda petitione, tamquam indebita, omnino abstinendum fore, ne illius incongruitas, apud Judices stomachum faciendo, alteri justæ, & fundatæ petitioni præjudicaret.

Unde aliis pro eodem scribentibus in eamdem sententiam concurrentibus, assumpta solum fuit disputatio super dicta gabella particulari introductionis, seu explanationis fru-
menti, circa quam, cum Appaltator haberet clare intentio- 2
nem fundatam in antiquis Statutis, & in ipsomet privilegio reductivo, concesso per Clementem, atque in continuata observantia; Tota vis disputationis consistebat in exceptione Civitatis, non negantis regulariter gabellam deberi, prætendentis autem regulam limitari in hoc frumento, quod ratione penuriæ, ipsa Civitas pro bono publico, & ad consulendum annonæ emere, & distribui curavit, allegando ad id comprobandum firmata in his terminis per Guttier. *de gabellis q.* 33. *per tot.* & Bovadill. *in politic. tom* 2. *cap.* 3. *n.* 58. qui alios pariter Hispanos adducunt, Ultra quas auctoritates ex parte Civitatis deductas, observabam deduci posse *decis.* Revert. 277. quam tunc habebam manuscriptam, postmodum vero impressam, quæ idem satis punctualiter firmat cum Addit. Marin. & Rovit. *consil.* 73. *lib.* 2. ubi admittitur immunitas, quoties fiat ad consulendum publicæ necessitati absque mercatura.

Verum pro responsione dicebam, in auctoritate Guttier. & Bovadill. aliorumque Hispanorum, nullum constitui debere fundamentum, cum omnes loquantur in terminis cujusdam Regiæ pragmaticæ illius Regni, & sic jure

muni-

municipali, quod extra illam ditionem curandum non est. Ac ulterius loquuntur in terminis gabellæ generalis ratione contractuum, quæ etiam de frumento aliisque mercibus regulariter ibi debetur ratione contractus emptionis, & venditionis, qui adesse dicitur, dum mercatores, vel pistores, frumentum emunt, ut populo in ipsamet frumenti specie, minutatim, vel in pane vendant.

Respectu enim istius gabellæ admittebam, etiam ex re-
3 gulis juris communis, dictos Hispanos auctores bene loqui, cum vere istud non sit mercimonium, quia civitas non emit, ut venderet; unde propterea in hit terminis eam mercaturam non bene dicit Rovit. *d. consf.* 73. sed est œconomica provisio, quam singuli de populo pro cujuslibet necessario usu ita facere dicuntur per organum Decurionum, tanquam totius Populi administratorum, itaut, non venditio censenda sit ea, quæ per Civitatem fit pistoribus, sed solum distributio inter eos, quorum nomine frumentum in alienis provinciis emptum est, & in Civitatem introductum.

Et ex qua ratione, injustam dicebam alteram Appaltatoris prætensionem, a qua abstinendum consului, ut supra; Verum præfati Doctores non percutiunt terminos hujus gabellæ specialis, quæ etiam per singulos, pro quocumque frumento, sive extero, sive in regione recollecto, in Civitatem introducendo, & in ea explanando, debita est, & quam vere dicebam gabellam potius personalem, quam realem, impositam scilicet ipsis civibus, & incolis, ita eam solventibus occasione usus hujus necessarii victualis, eo modo quo de sale, & aliis habetur *hoc eodem tit.* frequenter, & in specie de gabella panis, seu macinæ, & de gabella vini in Nullius Baien. & in Perusina gabelle vini *hoc tit. disc.* 52. & 54.

Magis ad rem pro Civitate faciebat dicta decisio Reverterii, ubi individualiter agitur de gabella speciali imposita super frumento, quod in Civitatem introducitur; Verum adhuc facili negotio ejus applicationem tolli dicebam, quia in eo casu gabella erat ipsius Civitatis, a qua tanquam Domina, Appaltator conduxerat, unde intrabant termini text. *in l. locatio, §. Fiscus, ff. de publicanis*, quem non
4 solum in Principe, sed etiam in Civitate, & quocumque alio gabellæ Domino locum habere ex Boet. *decis.* 213. & aliis observat de Matinis in addit. *ad d. decis. Reverterii*, quod nil commune cum casu nostro, quia gabella non est ipsius Civitatis, sed Principis.

Item in eo casu, a gabella exempti erant cives, frumentum pro eorum usu introducentes, cum solum exigeretur pro eo frumento, quod cives, vel exteri, non ad privatum usum, sed mercimonii causa introducerent, ex qua ratione fundatissima est decisio, quia ut supra dictum est, Civitas non lucri, & mercimonii causa hujusmodi provisiones, & introductionea facere solet, sed solum, ut civium necessitati, seu œconomicæ provisioni tempore penurioso consuleret, præsertim ubi nullum lucrum exinde reportat, sed distribuit pro eodem pretio, quod emptionis, vecturæ, & custodiæ expensæ important, quia in effectu Civitas dicitur gerere partes institoris, seu administratoria singulorum de populo, pro quorum usu emptio, & introductio facta dicitur, ut plene explicat idem Revert.

5 Et ex qua ratione cum justitiæ fundamento prodit propositio, quod Cives idonei cogi possunt, quamvis inviti, ad recipiendam distributionem hujusmodi frumenti pro publica annona per Civitatem empti, quoties ejus corruptio timetur, Bovadill. *in polit. dict. tom.* 2. *cap.* 3. Paschal. *de patr. potest. par.* 2. *cap.* 3. *n.* 73. ubi *num. seqq.* desumendo ab eodem Bovadill. multa deducit ad annonæ materiam notabilia.

6 Sive etiam ubi ex superventa ubertate pretium esset diminutum, hoc secundo casu, etiam juxta antiquum alteratum pretium publicus panis venalis vendi possit, quia dum Civitas gessit partes administratoris, non debet esse in damno, sed ab ipsis civibus, quorum nomine negotium possit reintegrari; Sicuti enim ipsi de tempore penurioso, ex hujusmodi provida administratione notabile commodum reportant, ita & incommodum sentire debent, ex regula text. *in l. secundum naturam, de reg. jur.* dummodo tamen Civitas, vel alter Magistratus, id agat more simplicis, & fidelis administratoris, ex solo motivo charitatis, & publici boni, ut populo prosit, non autem ad industriam, gravando populum ad alteratum panis pretium, tam tempore penuriæ, quam ubertatis.

Omnemque difficultatem in proposito cessare dicebam, quia facto calculo juxta pretium, pro quo Civitas distributionem fecit pistoribus, inclusa etiam erat gabella, quam ita proinde, pistores, seu verius, cives a pistoribus panem ementes, solvebant; unde alias Civitas fuisset in lucro, sibi appropriando gabellam Principi debitam, quam de facto populus solverat; Et licet revera Civitas, habita ratione omnium frumentorum, quæ pro annonæ beneficio eo anno providerat, quamvis dict. gabellam sibi appropriaret, non remaneret in lucro, sed in damno notabili. Attamen id proveniebat ob jacturam, quam deinde passa est alicujus quantitatis frumenti ex vi maritimæ tempestatis, sed hoc infortunium tollere non debet jus legitimæ, jam quæsitum gabellario in ipso instanti introductionis; Ideoque merito ita judicatum fuit, quamvis deinde concordia litem diremerit.

Uno autem casu dicebam non deberi gabellam, quamvis
Principi debitam ex hujusmodi frumento, quod per Ci- 7
vitatem pro publica annona providetur, quando scil. penuria est talis, quod Civitas ad consulendum civium, & incolarum necessitati, & ne ob excessivum panis pretium, populus minutus cogatur fame perire, distribuit panem pro minori pretio, quam ipsa emat, vel impendat; itaut ejus publica bursa notabile patiatur detrimentum. Tunc enim recte dici potest gabellam non deberi, non quidem, ut aliqui credunt ex traditis per Bart. *in l.* 1. *ff. quod quisquis juris, in principio*, & clarius Castrens. *nu.* 8. cum aliis apud Boet. *dec.* 296. *n.* 7. & Pascal. *de patr. potest. part.* 2. *c.* 3. *n.* 71. quod scilicet officiales ad annonam deputati statuere possunt, ut deferentes vectigalia tuti sint ab omni onere gabellarum, & pedagiorum, quia id venit intelligendum, ubi Officialis deputatur ab eo, ad quem pertinet gabella, & sic in gabellis ipsius Civitatis; Sed quia cum hæc sit species eleemosynæ, quam Civitas, adimplendo eam obligationem, quæ ipsi Principi incumberet, facit ejus civibus, & populo, iniquum esset, quod Princeps obligatus ad hujusmodi subventionem subditis tempore penuriæ præstandam, gravare deberet ad gabellam Civitatem, quæ ipsius Principis obligationem implet.

Cum enim Princeps dicatur Reipublicæ maritus, habent 8
publicos redditus, collectas, & vectigalia a subditis, pro Reipublicæ oneribus; eo modo, quo, maritus ob onera matrimonii habet dotem ab Uxore, ut habetur supra in Spoletana gabellæ *disc. præc.* Inter alia Reipublicæ onera, videtur illud computandum, subveniendi populo subdito tempore penuriæ, eodem modo, quo, tempore pestis, vel belli, eorum indemnitati providere tenetur; Ac etiam quia Civitas, ita ejusdem Principis utile negotium facere dicitur, conservando subditos, alias fame perituros, a quibus collectarum, & onerum emolumenta percipit; Ac demum quia in casu hujusmodi necessitatis, cessare videtur Principis potestas, a subditis impotentibus gabellas exigendi. Atque isto casu, in quo vere agitur de publico frumento gratis civibus distribuendo, admittit idem Rovitus *consil.* 73. *l.* 2. quamvis ipse pro gabellariis scribat.

CIVITATIS CASTELLI PORTUS LITTERARUM,

PRO EPISCOPO,

CUM MAGISTRO POSTARUM.

Casus decisus per Cameram contra Episcopum.

Emolumenta, quæ pro litterarum portu solvuntur; An dicantur importare simplicem mercedem laboris & operæ, vel Vectigal, seu gabellam. Et an exemptio ex consuetudine per aliquos quæsita a dicta solutione, cadat sub Constitutionibus Apostolicis revocatoriis omnium exemptionum, & franchitiarum. Qua occasione agitur incidenter de appaltu nivis, an importet vectigal, vel emolumentum fiscale, idemque de appaltu impressionis librorum.

Et de officio Cursoris, seu Magistri Postarum, ejusque inventione, & utilitate. Et an sit de Regalibus.

S U M M A R I U M.

2 *Facti series.*
1 *Ex actibus facultativis favore piæ causæ inducitur obligatio in futurum.*
3 *Episcopo an congruat titulus eleemosynæ.*
4 *De Constitutionibus revocatoriis exemptionum, & an tollatur immemorabilis.*

5 *Quæ dicantur vectigalia, gabellæ, & publica onera in dictis Constitutionibus præservata.*
6 *Portus litterarum an sit vectigal seu gabella.*
7 *Officium Cursoris dicitur de Regalibus,*
8 *Ac potest dari in feudum.*
9 *De inventione, & ratione cursus publici.*
10 *De participatione Principis, utilitate Cursoris, & quid hoc importet.*
11 *De appaltu nivis, & jure privativo illam vendendi.*
12 *De jure privativo impressoris Cameralis an importet vectigal.*
13 *Deploratur abusus deferendi simpliciter dictis Doctorum.*
14 *Verbum,* vectigal, *quibus oneribus proprie conveniat.*
15 *Quomodo loquendum sit per juristas.*
16 *Conductores non possunt præjudicare Domino,*

D I S C. XLVI.

1 CONsuevit ab antiquo tempore cursor, seu magister postarum Civitatis Castelli, dare Episcopo litteras, quas ab Urbe, vel aliunde asportat, absque alicujus mercedis solutione; Recusata vero hujusmodi exemptionis observantia, Episcopus obtinuit a Thesaurario in ea manuteneri, sed per appellationem, introducta causa in Camera, assumptaque disputatione in pectorio, ex duobus fundamentis cursor prætendebat, ad id non teneri; Primo, quod hic fuisset actus prædecessorum mere facultativus, non aptus inducere præscriptionem, vel obligationem in futurum; Et secundo, quod obstarent Constitutiones Apostolicæ diversorum Summorum Pontificum, præsertim novissimæ Innocentii, & Alexandri, revocatoriæ quarumcumque exemptionum, & franchitiatum ex quocumque privilegio, vel consuetudine, quamvis antiquissima, & immemorabili; nisi in Camera justificetur, illam ex causa vere onerosa concessam esse.

2 Utrumque fundamentum, pro Episcopo scribens, dicebam non subsistere: quatenus enim pertinet ad primum, ultra multas limitationes, quas patitur regula de actibus facultativis, illa præsertim recepta est favore Ecclesiæ, & causæ piæ, ut longissimi temporis observantia præscriptionem obligatoriam inducat, ut auctoritate Bartol. Innocentii, Abbatis, & aliorum, probat in terminis eleemosynarum Aponte *conf.* 144. *n.* 9. *vol.* 2. & generaliter Rota apud Peniam *dec.* 1135. *n.* 2. *cum seqq.* ubi quod sufficit observantia decennalis *de* ... 750. *p.* 5. *rec.* reperita post Matin. *resol.* 78. *lib.* 1. *dec.* 1.4 *p.* 9. 186. *&* 380. *p.* 11. Tribui enim potest ista consuetudo titulo eleemosynæ, eodem modo, quo cum Patribus Capuccinis, aliisque Religiosis pecuniarum usus incapacibus exercetur.

Neque incongruum dicebam hunc eleemosynæ titulum
3 erga Episcopum, quamvis redditus habentem, quia dicitur, Pater pauperum, ac redditus, quos in ejus necessarios usus non impendit, erogare debet in pauperum alimoniam, itaut in effectu, quod Episcopo datur vel remittitur, pauperibus dari dicatur (quatenus tamen Episcopus suum munus, prout tenetur, impleat,) Et vere in hoc motivo Camera non figebat pedes, sed insistebat in secundo constitutionum revocatoriarum, ex quibus major pars fuit in voto contra Episcopum, contra quem pronunciatum fuit, denegata etiam remissoria ad probandam immemorabilem, stante quod huic etiam per ultimam Constitutionem derogatur, quod aliquam administrationem præbuit; Cum enim inter alios immemorabilis effectus, ille sit præcipuus ut ejus vigore allegari possit quicumque titulus de mundo melior, etiam ex contractu correspectivo, & causa vere onerosa,
4 itaut ex isto, non autem ex præscriptione, habens immemorabilem possidere dicatur: ideirco non videtur, quomodo stent simul, ut præserveiur conventio correspectiva, & quod tollatur hæc species præscriptionis, cujus vigore dicta conventio allegari possit.

Huic tamen fundamento meus intellectus, reflectendo etiam ad veritatem, non acquiescebat, quoniam constitutiones revocatoriæ loquuntur de exemptionibus a solutione vectigalium, dohanarum, collectarum, gabellarum,
5 & quorumlibet onerum cameralium, sub quorum nomine absque dubio non videtur, istam mercedem portus litterarum venire, quoniam vectigalia, & onera sunt illa, quæ per subditos proprio Principi, vel Civitati quamvis invitos solvuntur, ex deductis per Guttierez *de Gabellis quæst.* 1. *n.* 12. Ganaverr. *dec.* 16. *num.* 23. itaut etiam onera, quæ per exteros, & non subditos ob mercium introductionem, ratione dohanæ, seu portorii, solvi solent ab ipsis subditis, vere, & cum effectu solvi dicantur, ut habetur *hoc eod. tit.* in Rom. Gabel. ferri in Rom. dohanæ, *disc.* 63. 6
& 67. & in aliis, hoc autem dici non potest in hujusmodi solutione, tum quia per totum Orbem Christianum Catholicum, etiam ubi Ecclesiastica immunitas est in omnimoda, & rigorosa observantia, per cursores a Principibus laicis deputatos, exiguntur hujusmodi emolumenta, quod Ecclesiastici non supportarent, si esset vectigal vel collecta, seu aliud munus publicum. Tum etiam quia videmus in Urbe, cursores a diversis Principibus deputatos, exigere hujusmodi emolumenta pro litteris, & rebus a quolibet Principatu respective evectis: quod utique omnino incon- 7
gruum esset, si vectigalis speciem haberent, cum illud, utpote de Regalibus, non nisi a proprio Principe in ejus ditione indici, & exigi valeat.

Vere igitur dicebam, hanc esse mercedem laboris, seu vecturæ, ut observantia comprobat, quia ubi major est distan- 8
tia, majus est emolumentum proportionabiliter; Nil obstante, quod officium cursoris dicatur de Regalibus, juxta plurium sententiam, de qua Sanch. *conf. moral. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 38. *n.* 3. Larrea *alleg. fiscal.* 50. *n.* 14. Aponte *dec.* 28. *n.* 45. *&* 48. Rota *dec.* 338. *n.* 14. *par.* 11. *rec.* Atque hujusmodi officium dari in feudum habetur apud Bald. *in proœmio feudorum num.* 48. ubi excitat quæstionem, an concedi possit claudo; Siquidem Regalia consistunt in concessione ipsius officii, consistentis in jure privativo vehendi litteras, & res Principis, accessorie autem privatorum, sub ejusdem Principis publico nomine, & publica fide.

Et si jus Regale consistit in ipso cursu publico, qui in-
ventus fuit principaliter pro servitio Principis, & politico 9
Reipublicæ gubernio, ut quoties aliquod repentinum accideret, mutatione equorum citissime quo vellet, Princeps Nuntium mittere posset, vel ita citius de Mundi rebus certiorari, ut egregie Alciat. *super tribus libris Codic. tit. de cursu publico lib.* 12. *tom.* 2. *fol. mihi* 135. & cæteri apud Larream *alleg.* 50. *num.* 4. *cum seqq.* Transportatio autem litterarum, & rerum ad privatas personas spectantium, est quid accessorium per accidens, quia ille cursor, qui pro servitio Principis currit, portat etiam litteras privatorum, eorum gratiam potius, & commoditatem, quam in onus in gravamen, cum volens privatus mittere litteras de loco ad locum, utique longe majoribus expensis, & periculis subjaceret.

Et quamvis ex hujusmodi officio, seu jure privativo fa- 10
ciendi cursum, ob litterarum multiplicitatem, magna cursoris resultet utilitas; de qua Princeps participare dicitur, Vel concedendo officium pro certo pretio unica vice soluto, ut alicubi practicatur, Vel sub certa diuturna emolumentorum participatione, ut practicatur alibi; Non inde tamen resultat esse vectigal, sed potius speciem industriæ, ac utilitatem accidentaliter resultantem ab eo officio, quod principaliter pro publico bono deputatum fuit.

Ad quod comprobandum dabam exemplum de appaltu 11
nivis: Cum enim populorum commoditati, & saluti, experientia docuerit, nivis usum congruum, & proficuum esse, libertatem vero cujuslibet illam reponendi, & vendendi, eadem experientia probaverit incongruam, & publico bono præjudicialem, cum sæpe accideret, ita debitas provisiones, vel necessariam conservationem pro integro tempore non fieri, seu pretia notabiliter alterari, Ideirco rationabiliter usus introduxit jus privativum, quod scilicet alteri non liceret nivem colligere, & vendere, nisi ei, quem Princeps, vel Civitas deputaret, assumenti in se onus suo sumptu, & periculo pro integro tempore, sub certo uniformi, & inalterabili pretio populum providere ex deductis per Ganaver. *dec.* 16. quamvis alias cuilibet liberum esset illam colligere, ex deductis in hac materia nivis per Gizzar. & add. *dec.* 34. Fontan. *dec.* 520. Barbos. *de divis. fructuum cap.* 17. *n.* 124. Rota in Tolet. nivis cor. Cello *inter suas decis.* 114. *alias decis.* 116. *par.* 11. *recent.*

Pro hujusmodi onere, seu officio assumendo Princeps 12
vel Civitas, de suo antiquitus hujusmodi officiali, seu appaltatori hoc onus cum jure privativo assumenti, quamdam subventionem dare solebat, unde inter onera publica id computabatur; Hodie autem, cum luxu nimium excreto, ac etiam quia in aliquibus regionibus experientia probavit id nimium salubritati conferre, magnus ac popularis iste usus effectus esset, Hinc sequutum est, Principem, vel Civitatem notabile emolumentum ex isto appaltu reportare: non inde tamen inferri potest, ementes nivem a dicto appaltatore, aliquod vectigal subire, quia reveraid, quod solvitur, est pretium materiæ humano usui

præ-

præcise non necessariæ, ut sunt panis, vinum, caro, sal, & similia, quo casu monopolium seu jus privativum contineret vectigal consistens in eo majori pretio accidentali, quod ultra consuetum intrinsecum, & connaturale pretium ita augetur, ex deductis in Veliterna panis *hoc eodem titul. discurs.* 61.

13 Et quamvis apud Ganavett. *d. decis.* 16. dubitatum fuerit, an illud emolumentum, quod ex appaltu nivis percipitur, dicendum sit vectigal de Regalibus pertinentibus ad Principem; nihilominus fundamenta, quæ ibi ex parte fisci deducebantur, non videntur relevantia, ut etiam exitus in eo casu comprobavit.

14 Prout in eisdem terminis appaltus nivis, seu juris prohibendi, quod in eo concedit Princeps vel Respublica, Magretus *in observationib. ad pragmaticas Siciliæ* longe post hæc scripta editus *in prælud. q. 7. n.* 31. referendo decisionem sequutam contra Cardinalem de Torres, Archiepiscopum Montis Regalis, volentem introducere nivem in Civitatem Panormitanam, id adnotare videatur tanquam consequentiam propositionis, per eum firmatæ, ibidem *n.* 15. quod quando statutum est rationabile, & est generale, ac publicam respicit utilitatem, ligat etiam clericos saltem vi directiva, quod repetit *num.* 18. *& seqq.* Atque *ex num.* 23. *cum plurib. seqq.* infert etiam ad provisiones circa Annonam cum monopolio, seu jure privativo; Nihilominus, pace docti amici, tales propositiones videntur parum probabiles, solumque id, quod laudabiliter quidem, per Ecclesiasticos superiores toleratur circa hunc appaltum nivis cum jure privativo, non dependet ex dicta ratione, sed ex altera publici boni, ac naturalis dictaminis ita exigentium, cum aliis provideri non posset, cum publico præjudicio, etiam ecclesiasticorum, dummodo tamen sit pretium adæquatum materiæ, habita ratione nedum expensarum, & incommodi, sed etiam periculi, tam circa materiæ liquefactionem, quam pro illis annis, in quibus prope civitatem non ingeret; unde cum magno sumptu, & jactura oportet eam habere a longe, & vendere pro eodem uniformi pretio, itaut non intret illud extrinsecum, seu accidentale pretium alteratum, sub quo implicite vectigal inesse possit, ita per indirectum exigendum, ut agnoscit Magrett. *num.* 37. *&* 40. *cum seq.* tunc enim casus esset extra dubitationem, quod ecclesiastica immunitas violaretur.

Ita pariter observabam exemplificare posse in Impressore Camerali principaliter deputato ad imprimendum Constitutiones Apostolicas, edicta, bannimenta, & alia ad principatum spectantia, cui conceditur etiam jus privatum, tam circa præmissa, quam circa decisiones Rotæ, & alia forum concernentia in capitulis appaltus contenta; nam ob utilitatem impressori resultantem ex privato jure vendendi constitutiones, bannimenta, & alia hujusmodi, certam annuam pensionem pro hujusmodi officio obtinendo, adinstar aliorum appaltuum solvit; non inde tamen sequitur, ut id quod populus solvit pro hujusmodi scripturis impressis emendis, dicatur vectigal, vel species gabellæ, nisi quoties accederet notabilis alteratio, itaut caderet contradistinctio utriusque pretii naturalis, accidentalis; seu intrinseci, & extrinseci, aut cadit in sale, & similibus.

15 Credebant aliqui ex judicibus, istud dicendum esse vectigal, moti ex verbis moderni Germani, Faust. *in consilio pro Ærario class. 4. ordin.* 362. *& claus. 6. ord.* 555. ubi loquendo de hujusmodi cursitatorum usu dicit per verba præcisa, *quod non tantum summam utilitatem, præbent iter facientibus litterasque alicubi mittentibus, sed etiam non parvum vectigal fisco inferunt.* Verum hæc videbatur satis levis difficultas, ex eo quod hujusmodi Doctor, grammaticali potius, quam legali elocutioni inhærendo, accepit vectigal pro quacumque utilitate, seu quocumque emolumento, eo modo, quo Cicero dixit, quod *parsimonia magnum vectigal est.*

16 In terminis autem legalibus istud vocabulum, in stricta, & præcisa significatione, importat solum illam quotam, quæ Principi solvitur pro introductione mercium, juxta terminos text. *in l. 7. & tot. tit. Cod. de Vectigal.* large autem, & improprie usurpatur pro omnibus gabellis, & publicis oneribus, sed non inde sequitur, quod conveniat cuicumque Principis vel Reipublicæ emolumento; Unde propterea edocemur in hac legali facultate, præsertim in foro, adhibendam esse elocutionem nostrorum majorum, & Præceptorum, Accur. Bart. Bald. & similium, non autem inhærendum rigoribus grammaticalibus.

Aliqui magis solide duas excitabant difficultates, unam, quod cum hujus Civitatis Episcopatum possederint aliqui Prælati, qui fuerunt Camerales, portum litterarum ex privilegio gratuitum habentes, idcirco ex hujusmodi accidentali circumstantia potuerit induci hæc observantia; Et alteram, quod cum officium sit de Regalibus Principis, cujus interest esse magis, vel minus lucrosum, non potuerint ejusdem officii pro tempore possessores, vel appaltatores in præjudicium Principis ignari, & non consentientis, hujusmodi liberalitatem exercere, eodem modo, quo habemus de arrendatoribus, seu conductoribus decimarum, & similium præstationum, non præjudicantibus locatori, ex eo quod ab aliquibus decimas, vel jura exigere negligant, Rota *dec.* 22. *p.* 10. *rec. &* 242. *p.* 11. & sæpius.

Ista mihi videbantur motiva legalia, præsertim secundum, quod fatebar magni ponderis, sed dicebam, quod posito, ut casus non comprehenderetur sub constitutionibus revocatoriis tollentibus etiam immemorabilem, illoque remanente in terminis juris communis, ut unumque objectum sublatum remaneret ab immemorabili, cujus natura est non dari principium. Unde quoad primum motivum: Aut de hoc principio constabat, & improbabilis reddebatur immemorabilis, Aut non constabat, & motivum cessabat ex facto. Et quoad secundum: Aut Episcopus cum suis requisitis bene probaret immemorabilem, aut non: si non probaret, profitebar ex hoc motivo dare manus, & si non probabat, allegari poterat quicumque titulus melior de mundo, etiam contractus correspectivi cum ipso Principe, cum iste sit præcipuus ac peculiaris immemorabilis effectus; Ideoque reflectendo ad veritatem, solum gravamen consistere videbatur in denegatione facultatis probandi, quodque factis probationibus de his videndum esset.

ANNOT. AD DISC. XLIV.

Cum pluribus seqq.

S U M M A R I U M.

1 *De vectigalibus in genere, & quæ sub eorum nomine veniant.*
2 *De impositione vectigalium, & de regalibus.*
3 *De exemptionibus, & franchitiis.*
4 *De modo collectandi,*
5 *De defalchis.*

EX hoc discursu usque ad 104. inclusive, agitur de ma- 1
teria Vectigalium, sub quorum genere, juxta communem practicum usum loquendi, veniunt non solum ea, quæ proprie sunt vectigalia, sub nomine Dohanæ, vulgo explicari solita, sed etiam Gabellæ, Collectæ, Datia, contributiones, & similia onera publica, super quibus, pro
frequentiori praxi, tres controversiarum species cadere so- 2
lent. Primo nempe, super facultate indicendi hujusmodi onera, cum regulariter id sit de Regalibus, ut advertitur *titul. de feudis disc.* 63. *&* 64. & alibi; ideoque, neque per Communitates sine Principis licentia imponi possunt. Verum desuper certa regula generalis, ubique applicabilis, sta-
tui non potest, ob diversas Regionum, & Principatuum le- 3
ges, vel consuetudines. Secundo super exemptionibus, & franchitiis, præsertim Ecclesiasticorum, & aliorum, & de his, ultra deducta, in supra allegatis discursibus *hoc tit.* *agitur in Miscellan. Ecclesiast. lib. 14. disc. 2. cum pluribus seqq.* ubi reassumitur pene universa materia Immunitatis
realis, ideoque ibi videri potest, cum recenseantur etiam 4
deducta in hoc titulo. Et tertio super modo collectandi, vel exigendi hæc onera, atque pariter in hoc certa regula statui non potest, cum totum pendeat ex singulorum casuum particularibus circumstantiis.

Reliqua vero in his discursibus contenta super defalchis, 5
quæ per Appaltatores vectigalium, & gabellarum peti solent, de quo etiam agitur infra *disc.* 159. percutiunt potius materiam locationis, & conductionis, in cujus peculiari sede, seu titulo, de hoc quoque agitur.

Super iis autem, quæ habentur *in hoc disc. 46. n.* 2. super actibus facultativis favore piæ causæ, habetur infra *sub tit. de Decimis, Oblationibus, & Eleemosynis.*

SM

SABINEN. EXEMPTIONIS, PRO COMMUNITATE ARCIS, SEU ROCCHÆ ANTIQUÆ. CUM CAMERA.

Casus decisus per Cameram contra Communitatem.

De constitutionibus Apostolicis exemptionum, & franchitiarum revocatoriis. Quando obstent, necne.

An, & quando productio tituli exemptionis obstet præscriptioni immemorabili, illamque cessare faciat tamquam ex apparente initio.

Exemptionis privilegium ab oneribus, quando dicatur ex causa meritoria & onerosa; itaut non cadat sub generali revocatione. Et an exemptio suffragetur pro oneribus impositis ex magna necessitate.

Verbum fodrum quid significet.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *De virtute consuetudinis immemorabilis, ut allegari possit quicumque titulus de mundo melior.*

3 *Negativa solutionis gabellarum probatur ex inspectione librorum.*

4 *Requisitum immemorabilis est, ut non constet de initio.*

5 *Quando productio tituli operetur restrictionem, ac excludat contrariam immemorabilem.*

6 *De qua mala fide intelligat jus Canonicum impediens præscriptionem.*

7 *Quando privilegium, & immemorabilis sint compatibilia.*

8 *Consuetudo stare potest pro interpretatione privilegii, vel econtra.*

9 *Potest etiam consuetudo operari in eo, quod non continetur in privilegio.*

10 *An, & quando ad effectum præscribendi exemptionem a gabellis, requiratur scientia Principis.*

11 *Scientia officialium sufficit.*

12 *Quid significet fodrum, seu foderum.*

13 *Exemptio a gabellis non suffragatur pro illis, quæ imponuntur pro casibus extraordinariis pestis, vel belli.*

14 *Quod declaratur.*

15 *A constitutionibus revocatoriis exemptionum etiam de jure, intelligitur excepta exemptio ex causa onerosa.*

16 *Quando dicatur causa onerosa.*

DISC. XLVII.

1 CAstrum dirutum Arcis, seu Rocchæ antiquæ nuncupatum, Nicolaus II. quibusdam ad reædificandum concessit, cum solo onere ipsis, & successoribus injuncto, solvendi Romanis Pontificibus, juxta eorum possibilitatem, quoddam tributum, ac præstandi, seu faciendi fodrum, cum promissione in reliquis, liberationis & exemptionis a quacumque molestia, quod privilegium confirmatum fuit a duobus Alexandris III. & IV. Gregorio XI. Innocentio IV. Urbano VI. Bonifacio VIII. Pio V. Gregorio XIII. Atque observantia dedit, quod ab ipso initio reædificationis usque ad Pontificatum Innocentii X. istud Castrum reputatum semper fuit exemptum ab oneribus Cameralibus, aliisque gabellis, & impositionibus.

2 Cum autem circa finem Pontificatus Urbani Octavi ob belli necessitates, impositæ fuissent gabellæ, ita nuncupatæ, julii macinatus, & quatreni carnis; Innocentius vero successor, ampliorem Constitutionem edidisset revocatoriam quarumcumque franchitiarum, & exemptionum, illis exceptis, quas ex causa vere onerosa justificarentur in Camera concessas fuisse; Hinc proinde dictarum gabellarum Appaltator molestare cœpit istam Communitatem, cujus imprudens procurator, ad molestias evitandas, dictum originale privilegium cum prænarratis confirmationibus produxit; Unde assumpta disputatione in Camera: Ego & cæteri pro Communitate scribentes, agnoscentes privilegii fundamentum satis debile, vel ob superventas Constitutiones revocatorias, Pauli V. & Urbani VIII. & d. ampliorem Innocentii, vel quod privilegium non haberet verba tam ampla, quod aptum esset importare exemptionem a gabellis, quas ob insolitas, & urgentes Sedis Apostolicæ necessitates imponi contingeret, Opportunum credimus recurrere ad probationem immemorabilis, per d. Constitutiones præservatæ, & cujus principalis operatio est, tribuendi facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem, etiam contractus, & causæ onerosæ, & correspectivæ juxta gloss. *finalem in c. 1. in aliquibus, versic. quia Clerici de Decimis, & in c. super quibusdam §. præterea de verborum significatione*, ac firmant communiter scribentes, de quibus Roland. 3 *cons. 66. n. 4. lib. 2.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 132. n. 44.* Buratt. *dec. 673. in fin.* & cæteri late deducti *d. dec. 101. p. 20. rec.* Dictæque consuetudinis probatio, vel magnus fumus pro remissoria, etiam in exequutivis, concedenda, deducebatur ex inspectione librorum super exactionibus onerum, & gabellarum, ex quibus probari exemptionem, seu solutionis negativam, eo ipso quod in eis non repetitur scriptum, firmant Bart. *in l. 1. C. de exact. tribut. lib. 10.* & cæteri collecti per Fabium de Anna *cons. 59. n. 56.* Capyc. Latr. *cons. 68. n. 10.*

Verum se acriter opposuerunt Camerales concessioni dictæ remissoriæ, ratione irrelevantiæ, seu improbabilitatis, quasi quod per productionem privilegii, Communitas se restrinxerit ad illum titulum, ac docuerit de initio, ex quo cessat immemorabilis, cujus præcipuum requisitum est, initii negativa, sive incertitudo ex cumulatis per Adden. *ad dec. 14. p. 3. rec. num. 52. & seqq.* Benevent. jurisdictionis 13. Maji 1652. cor. Zatara sæpius confirmata, ubi late de ista conclusione regulariter vera, & recepta.

Assumpta proinde fuit disputatio super hoc puncto; An 4 scil. dictorum privilegiorum productio obstaret immemorabili, ejusque effectus, & operationes tolleret. In qua disputatione dicebam scribens pro Communitate conclusionem: ut tituli productio importare dicatur restrictionem ad illum utpote meliorem, ac inducere præsumptionem exclusivam alterius validioris, qui vigore immemorabilis allegari potest, non ita simpliciter, & absolute procedere, sed multa desiderari requisita ad effectum, ut illa procedat, inter quæ, 5 illud est præcipuum, quod productio facta sit ab ipsomet principali, sive a procuratore cum speciali mandato ad illam faciendam, ex ea potissima ratione, quod non potest plus operari tacitum, quam expressum; unde quemadmodum expressa voluntaria confessio procuratoris ad litem generaliter deputati, non præjudicat principali, ita minus tacita ex productione resultans, ut in specie advertit Rota apud Greg. *dec. 467. n. 11.* Buratt. *dec. 294. n. final. dec. 44. part. 10. rec. n. 9.* in quibus concordantes.

Adversus hoc motivum respondebant Camerales, satis constare de mandato speciali ad producendum ex qualitate scripturarum, quæ tamquam originales non potuerunt aliunde haberi per procuratorem, quam ab ipso principali, ut in specie ap. Greg. & Add. *decis. 331. n. 12.* Add. ad Buratt. *dec. 294.* Replicabam tamen non negari penes Communitatem adesse ista privilegia, data procuratori ad propriam instructionem, sive etiam ad effectum illa ostendendi Superioribus, ad probandam qualitatem hujus Castri, alias diruti, & per incolas reædificati, aliaque proficua, & opportuna in eis contenta deducendi, non autem ad illa producendum, tamquam titulum restrictum, & meliorem, alterius validioris exclusivum; cum jure probari non videatur, ut per traditionem scripturarum, & jurium per principalem factam ejus procuratori, vel sapienti, ut meliora eligat & consulat, resultare dicatur mandatum speciale ad faciendam illorum productionem, ex qua effectus adeo præjudicialis resultet, præsertim cum agatur de Communitate, cujus Administratores, qui hujusmodi scripturas procuratori dederunt, non possunt ita corpori administrato præjudicare, ac animum declarare, sicut quilibet privatus, qui sit in causa principalis, potest in ejus præjudicium facere. Unde propterea dicebam, auctoritates de privato, & principali collitigante in proposito loquentes, non de facili applicandas esse hujusmodi corporum politicorum Administratoribus, qui non principales, sed procuratores potius censendi sunt.

Præterea tunc tituli productio, quamvis ab ipso principali 6 facta, immemorabilem excludit, quando titulus est aperte vitiosus, peccans in forma, vel in potestate; quia nempe sit concessio spiritualium facta per laicum, cum similibus, juxta casum text. *in c. Dudum de Decimis*, a quo d. conclusio trahit originem, ut advertunt Bald. *de præscriptionibus 2. p. 3. partis principalis q. 6. num. 23.* bene Lanar. *cons. 94. n. 3.* Capoblanc. *de Baronibus, tom. 1. pragmat. 11. n. 148.* Atque de tituli infectione, seu vitio constare debet, per probationes veras & certas, non autem, dubias, vel præsumptas, ne detur præsumptio præsumptionis, ut advertit Capoblanc. *eod. tract. tom. 2. c. 7. n. 6.*

Ideo

Ideo enim titulus infectus, & vitiosus excludit præscri-
7 ptionem, quia ejus scientia, & retentio juxta *cons. 96.* Geminiani inducit malam fidem, qua concurrente, nunquam ex jurisdispositione canonici datur præscriptio, juxta notum text. *in cap. final. de præscript.* cujus tamen dispositio procedit in mala fide vera, & positiva, non autem in ficta, & præsumpta, in qua juris civilis dispositionem immutatam non esse, firmant alii allegati per Covar. *in cap. possessor. p. 2. §. 8. n. 3.* & cæteri per Rot. *decis. 270. n. 10. part. 6. rec.* ubi quod respectu malæ fidei præsumptæ nulla est differentia inter jus civile, & canonicum, quæ infectio in proposito prætendi non poterat, cum ageretur de privilegio concesso per legitimum Pontificem, de cujus potestate non est dubitandum: Accedentibus præsertim adeo justa causa, & tot successorum Pontificum spatio an. 500. & ultra, expressis, vel tacitis approbationibus, & cujus privilegii tenor observatæ exemptioni generali non adversatur, unde motivum infectionis, ex eodem titulo resultantis, omnino cessare videbatur.

Item dicebam, tunc d. conclusionem procedere in præju-
8 dicium consuetudinis, seu præscriptionis immemorabilis, quando privilegium, & præscriptio ad invicem non compatiuntur, sed pugnant, itaut, dato privilegio, seu alio titulo, impossibile sit dare præscriptionem; secus autem accedente utriusque tituli incompatibilitate, quia nempe præcedente immunitate ex immemorabili resultante, obtentum etiam postea fuerit privilegium, quod obtineri potuit ad majorem corroborationem, & firmitatem, non excluso priori jure per immemorabilem jam quæsito; Sive etiam quod post privilegium, alter titulus ex causa onerosa allegetur, post lapsum centenariæ, vel immemorabilis allegabilis, nisi constet in hoc centenarii, vel immemorabilis temporis intervallo, vigore primi tituli, seu privilegii, & non alias possessum fuisse, cum non sit prohibita titulorum multiplicatio, atque concursus privilegii & præscriptionis, quoties possunt stare simul, ut ex mente text. *in c. audītis de præscrip. & gloss. in c. nullus de regulis Juris in 6.* Abbas *in c. Abbate n. 12. de verborum significatione*, & cæteri, de quibus optime in materia, Lanat. *d. cons. 94. num. 1. & seqq.* Capyc. Latr. *consult. 2. n. 23.* & plene ac magistraliter, Rot. *dec. 218. n. 7. & seqq. p. 6. rec. decis. 29. p. 7. & d. dec. 101. p. 10. rec. & in aliis.*

Immemorabilis enim, etiamsi posterior sit privilegio (ut in præsenti erat, cum privilegium natum sit in ipso initio renascentis Oppidi, seu Castri) concurrere potest cum privilegio ad plures effectus, præcipue ad illius confirmationem, etiamsi illud infringi posset, remanet præscriptio, Ab-
9 bas *in d. c. Abbate num. 12.* Sive ad interpretationem, vel ampliationem, quod scil. si privilegium est dubium, illud interpretationem recipiat ab antiquissimi, & immemorabilis temporis consuetudine, & observantia, ut generaliter idem Abbas, ubi supra, Butr. *in cap. si diligenti in fin. de præscrip.* & cæteri communiter *in c. Cum dilectus de consuetudine*, & observat Rot. *d. dec. 218. num. 17. p. 6.* & in his terminis specialibus, Bart. *cons. 59. n. 6.* Franc. *decis. 56. n. 6. & 10.* Capyc. Latr. *consult. 2. 15. 16. consult. 48. num. 4.* Unde cum privilegium Nicolai, litteraliter, & explicite non contineat exemptionem a gabellis, & oneribus Cameralibus (tunc, ut probabilius est ignotis,) sed dicat, quod hujus Castri habitatores ab omni infestatione quieti, & ab omni molestatione securi erunt, de quibus verbis tamquam æquivocis, dubitari potest, an intelligatur de molestiis illicitis, & de facto, vel de illis licitis, quæ nomine Principis, in onerum, & gabellarum exactione tribuunt, idcirco recte intrare potest præscriptio concedens id, quod privilegium non tribuit, seu verius declarans, ac interpretans
10 privilegium dubium.

Aliud enim est agere de præscriptione ejus, quod in privilegio continetur, aliud vero de præscriptione illius pluris, quod in privilegio non continetur; in primo enim casu facilius intrat contraria conclusio, secus autem in secundo, quia cessante incompatibilitate, prohibitum non est, ut id, quod a privilegio non conceditur, per præscriptionem fuerit
11 acquisitum, ut bene, Lanat. *cons. 94. n. 5.*

Replicabant Camerales, hujusmodi præscriptionem Cameræ juribus præjudicialem, induci non potuisse, sine Papæ scientia, sine qua, ejus tacitus consensus, vel approbatio dari non potest; Sed facilis erat responsio, siquidem id recte procedit in ordinaria præscriptione 30. vel 40. annorum, secus autem in centenaria, vel immemorabili, quæ inter alios effectus, illum operatur, ut, vel Principis scientia non requiratur, vel eam præsumere faciat, Ifern. *in cap. 1. Præterea de prohibita feudi alien.* per Feder. Capoblanc. *d. pragmat. 1. de Baronibus, num. 220.* & in terminis præscribendi pedagia, Balb. *de præscriptionibus 2. part. 3. part. q. 6. n. 22.* quia dato hujusmodi temporis intervallo, inexcusabilis est saltem scientia officialium, ex qua illa ejusdem Principis resultat, ut in terminis, post Guttier. & alios, Francus *decis. 56. n. 10. in fin.*

Objiciebatur etiam ex parte Cameralium, de incompatibilitate inter privilegium, & præscriptionem, quasi quod
in eodem privilegio expresse demandaretur onerum solutio, 12
dum in eo dicebatur, quod futuri hujus Castri incolæ facere deberent fodrum, sub quo vocabulo quæcumque onera, & gabellas contineri dicebant; Sed pariter satis facilis erat responsio, hoc enim fodri, seu foderi vocabulum, in jure communi, atque apud antiquos linguæ latinæ professores ignotum, ex barbara Longobardorum loquutione originaliter 13
habetur *in cap. sententia versic.* nobis autem intrantibus Lambardinam, *de pace Constantiæ*, illudque juxta ejusdem textus intellectum passim usurpantur pro annona militari, seu pro ea frumenti, aliarumque frugum præstatione, quam populus Imperatori, seu Regi Italiam intranti solvere tenebatur, ut ex Sigonio, & aliis Calvin. *in lexicon verbo fodrum, & Laurentius in Amaltea Onomastica verbum foderum*, quod etiam ex nostris probare videtur Cravet. *cons. 294. in principio*, ubi agit de concordia inter duas Communitates super exemptione a collectis, & oneribus ordinariis, & extraordinariis per verba satis generalia importantia quarumcumque gabellarum, & onerum speciem, quibus deinde additur etiam conventio super exemptione a contribuendo *pro fodro* annuo, debito Domino loci, & sic istud vocabulum capitur pro certa annuali præstatione determinato tempore facienda, ut quid distinctum ab oneribus, collectis & gabellis; Et nihilominus dicebam sufficere, quod hujusmodi vocabulum pernecesse non importet alia onera, ut vel deferendum sit observantiæ tanquam interpreti, vel tollatur incompatibilitas, seu mala fides positiva resultans ex scientia, & retentione privilegii expresse continentis contrarium ejus, quod præscribi prætendebatur, juxt. *d. consil.* Gemin. 96. cum mala fides debeat esse vera, ut supra.

Demum objiciebatur, quod exemptionis privilegium ge- 14
neraliter concessum, intelligendum esset de gabellis, & muneribus ordinariis, non autem de extraordinariis, quæ præsertim ex causa belli, vel simili urgenti, & insolita imponuntur ad notata per DD. *in l. si ex toto, §. 1. ff. de legatis 1.* sed in hoc repetebatur principium circa immemorabilem: ista enim data, cum allegari possit quicumque titulus de mundo melior, & allegandi bene visus; idcirco recte poterat dici, quod sub conventione correspectiva etiam de hac onerum specie actum esset.

Accedente etiam observantia, dum ex chronicis doce- 15
mur, Sedem Apostolicam circa temporalia fuisse retroactis temporibus in longe majoribus angustiis, & nihilominus nunquam istam Communitatem gravatam fuisse ad solutionem onerum, ex bellorum, vel aliarum urgentium necessitatum causa impositorum; Considerando potissime calamitosa tempora Alexandri III. qui tamen si hujus Communitatis privilegia approbavit; Ac etiam quia conclusio de exemptione non suffragante in casu magnæ, & insolitæ necessitatis, procedit, ubi alias imminenti necessitate consuli non potest, ut aliis allegatis, Burat. *dec. 391. n. 9.*

Subjungebam etiam ex parte Communitatis, quod ubi
immemorabilis cessaret, atque cum solis privilegiis proce- 16
dendum esset, capiendo solum præscriptionem tanquam corumdem privilegiorum observantiam, & interpretationem, adhuc revocatoriæ constitutiones non obstabant, stante causa onerosa, quæ in eisdem constitutionibus litteraliter excipiunt, ac etiam de jure excepta intelligitur, Cyriac. *controv. 154. n. 17.* Rota *in d. dec. 101. part. 10. recent. n. 30.* & in terminis privilegii exemptionis gabellarum, Otthobon. *decis. 229. n. 19.*

Causa onerosa videbatur certa ob reædificationem Oppidi, seu Castri jam diruti per incolas sub hac lege, cum sumptu & incommodo, tanquam ex contractu reædificati, cum alias non reædificasset; Unde locus, quem tanquam dirutum, Sedes Apostolica amplius non habebat, ita ab istis acquisivit, ideoque dicitur causa mere onerosa, & correspectiva, ut in his terminis, Bart. *cons. 59.* Aretin. *cons. 125. n. 10. cum seqq.* Decian. *cons. 2. num. 8. lib. 1.* Quod in simili habemus de jure patronatus, quod ita ex causa onerosa acquiri dicitur per novam Ecclesiæ constructionem, ac per antiquæ penitus dirutæ reædificationem ad notat. *in cap. 3. de jurepatr. & in sua materia sub tit. de jurepatr.*

His

His non obstantibus denegata fuit remissoria, præsupponendo immemorabilem esse improbabilem, stante initio Privilegii producti, ad quod proinde, uti meliorem titulum producentem, se restrinxisse judicatum fuit, illudque cadere sub Constitutionib. revocatoriis; Qualia vero fuerint fundamenta, est incertum, cum Tribunal Cameræ non soleat de suis resolutionibus publicas rationes reddere, ut ex laudabili stylo facit Rota; Visa fuit tamen satis rigorosa resolutio, violando immunitatem, quæ potius nativa, quam dativa dici poterat, dum ab initio ipsius renascentis Oppidi orta fuit, ac spatio annor. 500. & ultra, cum approbatione tot Pontificum observata, præsertim cum contineret satis modicum Cameræ præjudicium, stante loci exiguitate, itaut onera per ipsam solvenda modicæ considerationis essent quoad Cameræ levamen, maxima vero viderentur quoad ipsos incolas ob loci paupertatem; Omnis autem ulterioris defensionis spes deinde cessavit ob superventam aliam constitutionem revocatoriam Alexandri, per quam etiam immemorabilis fuit sublata.

ANNOTAT. AD DISC. XLVIII.

DE operatione, & effectibus centenariæ possessionis, & an, & quando illi obstet initium vitiosum, quod resultet ex productione tituli, ad quem tamquam meliorem, possessor se restrinxisse censeatur, videnda sunt deducta, *sub tit. de Alien. & contract. prohib. disc.* 3.

Et circa consecutiones revocatorias franchitiarum, & exemptionum, illis exceptis, quæ concessæ fuerint ex causa onerosa, & contractu correspectivo, conferunt, quæ habentur, *sub tit. de feudis, disc.* 63. ubi de illis gabellis, vel oneribus, quæ sub illis Constitutionibus non cadunt.

SPOLETANA ONERUM, PRO HÆREDITATE JOANNIS DE CUPPIS, CUM COMMUNITATE MONTIS FALCHI.

Casus disputatus in Congregatione boni Regiminis, pendet in Rota.

An Ratiocinatores Cameræ gaudeant exemptionibus, Cameralium ab oneribus, & gabellis. Et de materia præscriptionis a gabellis, & oneribus decursis quomodo, & per quantum tempus inducatur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Ratiocinatores Cameræ, seu Computistæ sunt familiares Papæ, ac exempti ab oneribus, & gabellis.*
3 *Possessio exemptionis per 30. annos illam inducit in futurum.*
4 *An ista conclusio procedat in statu Ecclesiastico, & de ratione dubitandi.*
5 *De quinquennali præscriptione gabellarum, quando procedat.*
6 *Onera Cameralia dicuntur species decimæ solvendæ Principi ex fructibus bonorum.*
7 *Bona, vel non mala fides sicuti excusat a fructibus consumptis, ita a gabellis, & oneribus non solutis.*
8 *Idem in decimis spiritualibus.*
9 *De ratione ob quam bona fides excusat ab oneribus præteritis.*

D I S C. XLVIII.

1 OLim Pompilius de Cuppis, & successive Joannes ejus filius, per multos annos usque ad obitum, laudabiliter obtinuerunt officium Ratiocinatoris Cam. Apostolicæ vulgo *Computista* nuncupatum, cum brevibus Apostolicis eorum deputationis, per quæ conceduntur consueta privilegia, emolumenta, immunitates, & exemptiones. Unde cum ex Constitutionibus Apostolicis, Officiales Camerales exempti essent a quibuscumque vectigalibus, gabellis, & oneribus, etiam Cameralibus, idcirco præfati de Cuppis, utpote sub Cameralium genere venientes, d. franchitia potiti sunt in omnibus, etiam in Urbe, & in dohana, quæ omnium rigorosius exigitur, & præsertim a contributione onerum Cameralium, alias debitorum Communitati Montis Falchi, pro bonis stabilibus in eo territorio possessis.

Defuncto Joanne, filiis minoribus, & pupillis superstitibus, d. Communitas istos pulsavit in Congregatione boni regiminis ad solutionem onerum pro toto tempore decurso, etiam viventibus d. Pompilio, & Joanne, quos prætendebatur non esse exemptos, neque venire sub nomine, & genere Cameralium, stante Constit. 28. Urbani VIII. revocatoria omnium franchitiarum, & exemptionum, excepta illa Cameralium in Camera sedentium, sub quibus dicebatur, non venire Ratiocinatores d. qualitatem sedendi in Camera non habentes, & cum hoc fundamento, non attentis inferius deducendis, Congregatio processit ad condemnationem. Unde habitus fuit recursus ad Signaturam gratiæ, quæ gustato gravamine commisit causam in Rota, ubi pendet absque prosequutione, itaut silentium forte, reorum victoriæ æquipolleat.

Quatenus autem ex parte Communitatis actricis prosequatur judicium, cum sensu etiam veritatis, credebam omnino contrarium esse resolvendum, ex solo motivo facti, competentiæ, scil. franchitiarum Ratiocinatoribus, d. constitutione non obstante; Licet enim Ratiocinatores non sedeant in Camera, unde satis probabiliter dubitari posset, an venirent sub d. exceptuatione Cameralium; Attamen eadem constitutio excipit etiam Papæ familiares, & commensales, quales dicendi sunt Ratiocinatores, qui adinstar familiarium, & commensalium Palatii Apostolici in rotulo descripti sunt, habentes, non solum portiones panis, & vini, sed etiam pecuniam pro ferculis, aliisque ad mensam necessariis, unde non videtur dubitandum de vera familiaritate, concurrentibus omnibus ejus requisitis, de quibus non semel habetur sermo occasione reservationum, *sub tit. de Beneficiis.* 2

Cæterum, circumscripto etiam isto motivo, atque admisso quod de stricto jure Ratiocinatoribus utpote in Camera non sedentibus dictum franchitiæ privilegium non competeret, adhuc tamen pro Cuppis scribens dicebam, antiquam, & continuatam contrariam observantiam, etiam Urbis, absque dubio causasse in supradictis Pompilio, & Joanne instam credulitatem, quod tamquam Officiales Camerales essent exempti, unde propterea fuerint in bona fide, qua posita, & concurrente possessione annorum 30. & ultra, sequitur non posse amplius molestari, quia possessio exemptionis per spatium 30. annorum inducit illius præscriptionem, non solum de præterito, sed etiam de futuro, itaut bona, quæ per tantum tempus exempta fuerunt remaneant de jure perpetuo talia, ex deductis per Eugen. *cons.* 92. *n.* 25. *& seqq. vol.* 1. Surd. *cons.* 234. *n.* 10. Cappe. Latr. *consult.* 68. *n.* 4. *& seqq.* Farinac. q. 173. *n.* 101. 3

Et licet hæc juris propositio in Statu Ecclesiastico suas graves patiatur difficultates, eamque d. Congregatio non admittat, ob decretum irritans contentum in Constitutionibus Apostolicis exemptionum revocatoriis Pauli V. & successorum, per quod inficitur quæcumque contraria possessio: Nihilominus id recipiendum esse dicebam pro impedienda libertate bonorum in futurum, pro quo tempore Communitas pro oneribus Cameralibus habere dicitur jus reale successivum, secus autem ad inducendam liberationem personæ pro tempore decurso, ad quem effectum, etiam solum lapsum quinquennii sufficere, cessante dolo, firmant text. *in l.* 2. *C. de publicanis*, ubi DD. de quibus Gutier. *de gabellis*, q. 119. *n.* 4. Ferett. *eod. tr. n.* 353. Farinac. *d. q.* 173. *num.* 49. de qua tamen quinquennali præscriptione quomodo, & quando procedat particulariter habetur in Romana fraudatæ gabellæ, *hoc eod. tit. disc.* 69. 4 5

Verum neque videbatur opus esse immorari in lapsu temporis, & in beneficio formalis præscriptionis, cum hæc procedant, ubi agitur de præscriptione juris clari, & in casu, quo non dubitetur onera solvenda esse, secus autem ubi observantia deducitur tamquam interpretativa potius, quam præscriptiva, quia tunc sufficit, ita quandoque servatum esse, juxta distinctionem receptissimam, & in foro quotidianam.

Propterea cum ex præmissis negari non posset d. Pompilium, & Joannem fuisse in bona, vel saltem non in mala fide, id sufficere dicebam ad effectum; de quo agebatur, Hujusmodi enim onera Cameralia, utpote per æs, & libram ex bonorum fructibus supportanda, continent in effectu quamdam decimæ, seu tributi speciem, quæ Principi debetur ex bonorum fructibus, adinstar decimæ spiritualis, ad text. *in l. unica, C. de annonis*, Bart. *in l. interdum, §. quoties, ff. de publicanis*, & cæteri apud Surd. *cons.* 146. *n.* 6. Gutier. *de gabellis*, q. 1. & habetur in præcedentibus, & seqq. hoc tit. pluries deductum, itaut ex octo, vel decem unciis, seu portionibus fructuum, quos bona producunt, unam per æquipollens capere dicatur Princeps, reliquæ remaneant penes dominum, qui ubi scit ad hujusmodi onera teneri, in mala fide dicitur, integros fructus percipiendo, & consumendo, cum percipiat portionem, in effectu 6

non

non suam, ac propterea, consumptione non obstante, remanet debitor, per quinquennii lapsum, non excusabilis, cum d. conclusio de quinquennio procedat in diversa specie gabellarum, diversam habentium rationem, ut infra in d. Romana fraudatæ gabellæ, *disc.* 69.

7 *Secus* autem, ubi bona fide, vel cum non mala d. fructus consumpsit in currentes, & quotidianos usus, itaut ex eis non sit effectus locupletior, ut in præsenti, quia si non dominus percipiens fructus ex re aliena, quam bona fide, vel non mala, credidit suam, urgeri non potest ad restitutionem consumptorum ex deductis per Greg. & Adden. *decis.* 74. Buratt. & Adden. *dec.* 184. & alios passim, multo minus ille, qui vere est dominus, & consumpsit fructus rei suæ, non facta detractione quotæ destinatæ publicis oneribus, a quibus bona fide credebat se esse exemptum.

Quod in dies habemus in praxi in materia decimarum non 8 solutarum per Regulares, vel alios prætendentes vigore privilegiorum, seu præscriptionis se exemptos, quia licet ad instantiam Curati, vel Episcopi declaratum sit, privilegium, vel præscriptionem non suffragari, ut non semel habetur in sua materia *sub tit. de decimis*, numquam tamen auditum est, sequutam esse condemnationem, nisi a die motæ litis, seu alterius actus æquipollentis, ex quo mala fides inducta sit, ideoque non versabamur in terminis præscriptionis onerum, & gabellarum, quæ alias certitudinaliter deberentur.

Atque ultra Juris regulas, id ad sensum probari dicebam 9 humana ratione, quia habens mille in redditu, si scit, ex istis solvere debere 100. Principi pro publicis oneribus, ideoque sibi sola 900. expendibilia in suos usus remanere, curat se restringere, ac vivere eo modo, cum quo redditus sibi remanentes sufficiant; Econverso autem credens integra mille esse ad ejus liberam dispositionem, aliquantulum lautius vivit, ac aliquas facit expensas, alias non facturus. Unde iniquum esset, quod Communitate acquiescente, post longissimi temporis intervallum, cogi debeat, qui in bona fide versatus est, solvere una vice cum maximo incommodo ea onera, quæ alias singulis annis minutatim absque incommodo solvisset, quod utique omnino est irrationabile.

FERRARIEN. GABELLÆ CONTRACTUUM, PRO FRANCISCO RIBALDESIO APPALTATORE, CUM MARCHIONE MIROLO.

Casus decisus per Cameram pro Mirolo.

De Constitutione Urbani VIII. revocatoria exemptionum: An & quando comprehendat gabellarum moderationes jam concessas.

Et aliqua de non usu gratiæ, seu privilegii.

Et quando contractus dicatur venditionis, vel permutationis, ad effectum gabellæ.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Quando concessio in emphyteusim dicatur potius venditio.*
3 *Contractus regulatur a denominatione partium.*
4 *Potius attendi debet substantia voluntatis, quam verba.*
5 *Et ideo dicitur venditio, si talis est substantia, licet dicatur permutatio.*
6 *Quando dicatur potius permutatio, quam venditio.*
7 *De Constitutione Urbani VIII. revocatoria exemptionum, ejusque intellectu.*
8 *Gabella, quando dicatur extincta.*
9 *De regula revocatoria unionum.*
10 *Lex nova, & quando capiat præterita.*
11 *Voluntas Papæ desumitur ex usu, seu stylo datariæ.*
12 *Reformatio gabellæ, an importet novam impositionem.*
13 *Observantia in materia gabellarum est deferendum.*
14 *Quando decretum irritans impediat non usum.*
15 *Particulares non possunt præjudicare Communitati, & an exemptus solvendo gabellam sibi præjudicet.*
16 *Privilegia, quando amittantur per non usum.*

D I S C. XLIX.

1 CUm in Civitate Ferrariæ ex antiquis statutis, pro quibuscumque contractibus quædam gabella solvi debeat, ut occasione illius solvendæ ex venditione locorum Montium habetur supra in alia Ferrar. *hoc tit. disc.* 43. Greg. XV. de anno 1622. eadem Civitate supplicante, concessit indultum, ut pro contractibus permutationum, hujusmodi gabella solvi non deberet pro eo bonorum valore, quæ invicem permutantur, sed solum pro ea rata, quæ in pecunia, vel merce refunditur pro rerum permutatarum adæquatione, ita tamen, quod hujusmodi gratia practicari non deberet, neque effectum sortiri, durante appaltu tunc currente, duraturo usque ad ann. 1628. Cum autem de anno 1624. per Urban. VIII. edita fuerit Constitutio 28. revocatoria quorumcumque privilegiorum, & gratiarum Cameræ præjudicialium super exemptionibus ab oneribus, & gabellis, atque quadriennio post Appaltator tunc existens, exactionem juxta antiquum morem continuaverit, hinc etiam per successores appaltatores, absque eo quod pro parte Civitatis de d. Brevi Gregorii opponeretur, in eadem exactione continuatum fuit. Cumque Marchio Mirolus plures inierit permutationum contractus, quorum uno, obtento ab altero contrahente conspicuo palatio, dedit quædam bona longe minoris valoris, ad cujus adæquationem refusit pecunias, & merces, & in altero dedit quædam bona sub titulo emphyteusis, cum pacto francandi pro certo pretio ab initio constituto, ad rationem tot pro centenario, Appaltator autem eum cogeret ad integræ gabellæ solutionem, ipseque prætenderet ad eam non teneri nisi ad formam dicti privilegii Gregorii XV. pro solo pretio refuso in pecunia, seu mercibus.

Hinc introducta lite, prius coram Cameratio, deinde per appellatorem in Camera, in utroque Tribunali decisum fuit contra appaltatorem, non deberi scil. gabellam, nisi juxta modum in d. Gregoriano privilegio præscriptum; Et quia per Cameram edi non solent decisiones, in quibus resolutionis ratio reddatur, incertum est, quibus fundamentis innixa sit decisio, quæ tamen mihi pro Appaltatore scribenti, etiam ad veritatem, seclusa clientis affectione reflectenti, non omnino satisfecit.

Dicebam enim, quod admisso etiam ex abundanti d. privilegio Gregorii, adhuc tamen non eramus in casu permuta- 2
tionis, sed emptionis, & venditionis, sub d. permutationis, & emphyteusis nominibus ad fraudandam gabellam palliatæ. Quatenus enim pertinet ad bona, quæ partes dixerunt dare in excambium, sub tit. emphyteusis, videbatur istum contractum nullatenus adesse, nisi in solo nomine, in substantia vero esse emptionis & venditionis, stante pacto francandi pro certo pretio ab initio constituto, ut punctualiter firmant, Franch. *dec.* 392. *n.* 2. *& seqq.* & Merlin. *decis.* 210. *n.* 7. qui alios cumulant, atque huic motivo nulla dabatur relevans responsio, unde in hac parte imperscrutabile remanet fundamentum, cum quo processum fuerit.

Quo vero ad alium contractum assertæ permutationis rei satis pretiosæ, cum altera longe inferioris valoris, pro cujus 3
adæquatione, pecuniæ & merces refusæ sunt, dicebam, quod quamvis vera sit regula generalis, in qua præcipuum pro Mirolo constituebatur fundamentum, talem scil. censeri debere contractum, qualem partes denominarunt ex deductis *dec.* 14. *n.* 4. *&* 110. *n.* 7. *p.* 6. *rec. & in aliis frequenter sub tit. de emphyt.* occasione inspiciendi, an esset contractus emphyteuticus, vel censualis, aut perpetuæ locationis. Ea tamen de facili admittenda est inter ipsas partes contrahentes, non autem respectu tertii, cujus fraus, vel præjudicium admixtum esse potest. Tunc enim, non cortex & figu-
ra verborum, sed substantia veritatis attendenda est, ex pun- 4
ctuali theorica, Bald. *in leg.* 1. *n.* 5. *& seqq. C. de rerum permutatione*, ubi habetur, quod si in instrumento per Notarium scribatur permutatio, & in effectu sit venditio, dicitur contractus venditionis, non autem permutationis, quam theoricam in præcisis terminis gabellæ sequitur Paulus de
Castro *in lib.* 1. *n.* 10. *in fin. ff. de rerum permutatione*, cum 5
quo pertransit Guttier. *de gabellis* q. 25. *n.* 4. Et in proximis terminis laudemii solvendi pro venditione rei emphyteuticæ, sive ad effectum juris congrui cum similibus, cæterâ communiter, de quibus Decius *cons.* 159. *seu* 160. *n.* 2. bene Boer. *dec.* 144. Afflict. *de Jur. protomis.* §. 3. *notab.* 9. *num.* 15. Corbul. *de causis privationis ob alienationem limitat.* 12. *n.* 9. Fulgin. *emphyt. tit. de alien.* q. 1. *num.* 255. *& cæteri*, ac generaliter, Mantica *de tacit. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 13. quia in puncto juris propositio est verissima; esset enim alias in libera partium voluntate, sub sola verborum figura, tertio præjudicare, ac laudemii, vel gabellæ solutionem eludere, sive jus retractus tollere.

Ideoque sola difficultas consistere solet in facto, super 6
congrua scil. prædictæ theoricæ applicatione, circa quam

distin-

distinctio adhibetur, quod aut rẽs, quæ permutantur non dantur æstimatæ, neque illarum pretium taxatur, sed propter inæqualitatem per unam partium refunditur pecunia, vel alia merces, & tunc quidquid aliqui variaverint, verior ac magis recepta opinio videtur, attendi debere præponderantiam: si enim major est pecunia, quam species, tunc potius emptio, & venditio, quam permutatio judicanda est, juxta casum Decii, *d. conf.* 156. ut firmant Boer. *d. dec.* 144. Corbul. *loco cit. limitat.* 12. *num.* 6. *& ampliat.* 22. Fulgin. *d. tit. de alienat. q.* 1. *n.* 72. & 254. Mantic. *de tacit. lib.* 22. *tit.* 28. *n.* 76. *& lib.* 25. *titul.* 2. *num.* 4. Dec. *conf.* 57. *n.* 34. *vol.* 3. Cyriac. *controv.* 69. *num.* 12. & 16. & alii apud eosdem. Aut vero res, quæ permutari dicuntur, dantur hinc inde pro certo pretio æstimatæ, & tunc omnes concordare videntur, dici potius emptionem, & venditionem, quæ ab æstimatione constituitur, ut per Mantic. Corbul. Fulgin. & alios supra citatos.

7 In quorum utroque casu versabamur, quia rerum permutatarum pretium inter partes constitutum fuit, pecuniæ autem, gemmæ, & merces pro pretii adæquatione, ut vulgo dicitur *pro refuso* datæ, præponderabant valori speciei, quæ dicitur permutata, cum longe excederent illius medietatem; ex qua desumitur præponderantia, ex iis, quæ habentur in materia jurispatronatus ex privilegio ob dotis augmentum ad regulandum, an sit ex gratia, vel justitia in Lucana Prioratus, & in aliis, *sub tit. de jurepatr.* Et hoc secundum fundamentum solidum, & tutum credebam, quasi quod illa modici valoris species, pro pallio, & in fraudem gabellæ adjecta sit.

8 Accedente potissimum alia circumstantia æstimationis, quæ insimul unita magni facienda est, quamvis de ea sola & simpliciter sumpta satis probabiliter sit dubitandum, cum æstimatio fieri possit etiam improprie, ad sciendum nempe rei valorem, & ad effectum regulandi peræquationem, juxta terminos, quos habemus in materia dotis æstimatæ: nam alia est æstimatio vera, & propria, quæ importet venditionem, alia vero impropria, quæ fiat ad sciendum valorem pro regulanda congruitate, vel lucro, quæ non operatur hunc effectum; itaut etiam retentis terminis privilegii, videretur illud in proposito casu non suffragari.

9 Verum neque de d. privilegio videbatur habendam esse rationem, stante superventa, ante illius effectuationem, d. Constitutione revocatoria Urbani, circa quam, ex alia parte opponebatur, eam tollere privilegia super exemptionibus, & franchitiis a gabellis, & oneribus jam existentibus, non autem reintegrare gabellas in toto, vel in parte jam extinctas, in quibus terminis versari dicebatur, quia per dictum breve Gregorii, gabella contractus permutationis intra strictos ejus limites commutandi speciem, extincta, & abolita fuerat, & cum hoc fundamento, quantum desumi potuit, Judices processerunt.

Quod esse considerabile admittebam, quoties breve ante d. Constitutionem revocatoriam suum effectum sortitum esset, itaut, quando Constitutio supervenit, invenisset respectu hujus contractus gabellam jam extinctam, & amplius in rerum natura non existentem. Sed punctus difficultatis erat in defectu applicationis motivi ad factum, quia ex eodem indulto liquet, hujusmodi gabellam durare debere durante appaltu tunc currente, terminando de an. 1628. unde interim, ac de tempore, quo d. Constitutio supervenit, gratia erat ineffectuata, & gabella durabat, eratque in rerum natura, quod implicat cum extinctione, ideoque recte convenire observabam terminos regulæ revocatoriæ unionum effectum non sortitarum.

Ideo enim d. regula non capit uniones effectuatas, quia beneficium unitum, jam extinctum est, neque amplius in rerum natura existit, tamquam effectum prædium Ecclesiæ, cui facta est unio, unde propterea de privatione ad habitum non datur regressus; secus autem si unio effectum sortitura sit post certum tempus, sive post mortem beneficiati, quia interim beneficium dicitur existere, neque ab instanti unionis extinguitur, sed solum unio continet futuram extinctionem statuto tempore sequendam ex deductis per Caval. *decis.* 403. & est receptum apud beneficialistas, ut habetur in sua materia, *sub tit. de benef.* in Sorana Beneficiorum, & in aliis.

Ad hujusmodi objectum tollendum, deducebantur per alteram partem firmata apud Lotter. *de benef. lib.* 1. *quæst.* 29. *num.* 29. & 30. ubi ex Oldrad. *conf.* 223. *n.* 7. & 8. habetur posse stare simul, ut gratia dicatur statim effectuata, & tamen ejus effectus, seu utilitas in aliquod tempus differatur, itaut tempus non sit adjectum substantiæ, sed solum executioni actus jam principio perfecti, juxta ea, quæ habentur in materia donationis bonorum post mortem donatoris, ut spectetur, an mors adjecta sit substantiæ donationis, quo casu facit eam imperfectam, & causa mortis, vel adjecta sit executioni, quo casu dicitur inter vivos, & perfecta ab initio, dilato solum effectu, sive magis proxime, juxta ea, quæ habentur in Ravennat. pensionis, *sub tit. de pension.* de pensione reservata ad favorem illius post factum casum extinctionis alterius pensionis cum similibus.

Sed pariter replicabam de defectu applicationis, in qua judicando, & consulendo tota vis hodie consistit. Oldr. enim a quo Lotter. & cæteri derivant, loquitur de unione, quam ex tunc Papa voluit effectum sortiri, reservatis solum fructibus, & emolumentis ad commodum ejus, qui beneficii uniti possessor erat, quia tunc iste non dicitur amplius beneficiatus, sed solum consideratur, tamquam simplex usufructuarius illius rei, quæ effecta est prædium Ecclesiæ, cui facta est unio. Adinstar donationis reservato usufructu ad vitam donatoris, quia donatio, ex tunc absque aliqua dilatione dicitur executa, & effectum sortita, reique donatæ dominium translatum in donatarium, remanente ipsa re, penes donatorem tamquam usufructuarium.

Verum observabam non esse istos terminos nostros, quibus magis conveniunt, quæ habentur de unione effectum sortienda sequuta vacatione, quia si Appaltator continuare debebat in exactione hujusmodi gabellæ usque ad ann. 1628. de necessitate, pro isto tempore danda est ejus existentia, cum impossibile videatur esse, & non esse, atque gabellam jam extinctam existere, ejusque exactionem continuari. Neque compatibiles essent termini ususfructus, vel similes, cum quibus procedunt Oldrad. & cæteri, quia ususfructus penes unum existens, de necessitate supponit existentiam proprietatis penes alterum, neque ille dari potest de re, vel jure jam extincto, & in rerum natura amplius non existente.

Ideoque recte intrare dicebam d. terminos regulæ revocatoriæ unionum, adhuc effectum non sortitarum. Ac 10
etiam cadere vere juris conclusionem, quod quamvis novæ legis natura sit capere solum futura, attamen recte capiat etiam præterita expectantia perfectionem a futuro, Bart. *in l. omnes populi*, *n.* 44. *ff. de justitia*, *& jure*, *gloss.* & Abbas *in clementina* 2. *de ætate*, *& qualitate*, Mascard. *de statutis conclus.* 13. *num.* 51. ubi pluribus modis exemplificat, Farin. *in fragmentis verbo lex n.* 36. Rota *decis.* 35. *n.* 9. *post* Merlin. *de pignor.* & in aliis frequenter.

Præsertim quia d. Constitutio revocatoria, non solum revocat exemptiones & franchitias, sed omnia privilegia, omnesque gratias Cameræ præjudiciales. Unde, quando etiam d. indultum non contineret simplicem exemptionem, sed formalem extinctionem gabellæ in hac specie, adhuc cum Constitutio revocatoria inveniat gabellam existentem, & non extinctam, remanet operativa, tamquam auferens de medio illam gratiam, seu illud privilegium, cujus vigore futura extinctio sequi debuisset. Ponderando etiam; quod Gregorii intentio non fuit extinguendi, cum ex stylo Papæ, cum multis aliarum gabellarum extinctionibus comprobato liqueret, quod quando aliquam gabellam extin- 11
guere, vel supprimere voluit, expresse usus est istis terminis, seu vocabulis. Ex consuetudine autem Papæ in rescribendo, desumitur qualis fuerit ejus voluntas in concedendo, Pena *dec.* 1117. Burat. *dec.* 613. *n.* 4. Rota *decis.* 250. *n.* 9. *par.* 7. *rec. dec.* 25. *part.* 10. *rec. & in aliis.*

Nec dici poterat, ex hujusmodi reformatione, resultare 12
novi vectigalis speciem, priori extincta ex dispositione text. *in l. vectigalia ff. de publican. ubi gloss. verbo reformare*, Salicet. *in lib.* 2. *C. nova vectigal.* Eugen. *conf.* 72. *num.* 8. *& seqq. lib.* 2. quia id procedit, ubi antiquæ gabellæ forma totaliter alteratur, itaut agendo, vel minuendo, ad novam omnino, ac diversam formam redigatur; secus ubi firma remanente antiqua gabella, fit aliquod novum augmentum, ut practicavimus in Urbe, & Statu Ecclesiastico in gabellis salis, & carnis, quia dicitur novum augmentum, non autem omnimoda immutatio antiquæ.

Et e converso in casu diminutionis, remanere dicitur eadem gabella, sed diminuta. Si enim gabella macinatus solvi consueta ad rationem sex juliorum pro quolibet rubro, reduceretur ad julios quatuor, dici non potest istam esse novam gabellam, quia verius est esse eandem, reductam ad minorem summam. Eodem modo, quo in dies practicamus in censibus, qui constituti ad rationem sex, vel septem pro centenario, reducuntur ad quatuor, quia est idem census, diminuta solum oneris quantitate. Ita in

casu

casu nostro, remanet eadem gabella contractuum, exempta solum a toto illorum genere hac specie, ita ut sit potius exemptio certe speciei ab onere generis. Et quod gabella aucta non dicatur nova, Menoch. *conf.* 1105. Roc. *dec.* 118. *n.* 13. *part.* 11. ubi quod exemptus a gabella est etiam exemptus ab augmento, nisi dicatur.

13 Atque in omnem eventum, negari non poterat, ea his redditis dubium, an d. Constitutio revocatoria capiat, necne hujusmodi indultum, ut propterea deferri deberet observantiæ, tanquam interpretativæ, ad communiter notata *in l. si de interpret. ff. de legib.* præsertim quia, si in omni materia observantia attendenda est, atque in interpretando obtinet Principatum, multomagis in ista materia gabellarum, ex cujus peculiari natura totum consuetudini, & observantiæ est deferendum, ut pluries, *hoc eod. tit.* deductum habetur.

Pro isto gravi scopulo evitando, confugiebat reus conventus ad virtutem clausulæ, *sublata, & decreti irritantis*, ex quibus impeditur quicumque contrarius usus, qua sic infecta remanet quæcumque contraria possessio. Sed facilis erat responsio, id scil. recte procedere in Constitutionibus generalibus emanatis per viam legis, ut propterea ex non

14 usu, vel usu contrario earum efficacia non tollatur, nisi accedente Papæ præsumpta scientia, & tolerantia, non autem in privilegiis particularibus, quia potest illa persona, seu illud corpus, cui concessum est; nolle uti in præcisis terminis privilegii super materia gabellarum: habetur apud Otthob. *dec.* 229. *n.* 5. *&* 6. ubi allegantur, Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 67. *n.* 52. Grat. *discept.* 516. *n.* 8. & alii, generaliter istam conclusionem ita distinguentes.

Replicabatur item, aliquorum civium non usum, non

15 posse præjudicare Civitati, accedente etiam regula desumpta, ex text. *in l.* 2. *&* 3. *C. de his qui sponte l.* 10. de qua Capyc. Latr. *consult.* 68. *n.* 31. ut exempti solvendo aliquando gabellam, non per hoc sibi præjudicent in futurum. Sed triplici responsione tolli dicebam hoc fundamentum, primo nempe, ut procedat, ubi agitur de tollendo, seu præscribendo exemptionis privilegio claro & certo, itaut contrarius usus attendatur tamquam observantia præscriptiva, secus autem ubi agitur de casu dubio, in quo usus attendatur tamquam observantia interpretativa, & de his ultimis terminis agebatur, quia licet privilegium sit certum, est tamen incertum, & dubium, an veniat sub d. Constitutione revocatoria, de cujus, non autem privilegii interpretatione agitur.

Secundo, ut conclusio procedat, quando privilegium exemptionis est jam executioni cœptum demandari, itaut agatur de destructione status præcedentis exemptionis jam firmati, ut in his terminis per argumentum a contrario probari videtur ex deductis per Capyc. Latr. *d. consult.* 68. *n.* 29. *&* 30. Ac demum tertio, quia procedit conclusio in observantia modici temporis, non autem longissimi, annor. 30. publice & palam, itaut omnino concurrat verisimilis scientia totius Universitatis, seu corporis privilegiati, ut admittitur apud eumdem Capyc. Latr. per aliam partem adductum, *dict. consult.* 68. *n.* 31.

ANNOT. AD DISC. XLIX.

SUper puncto concernente naturam contractus, & quando censeri debeat emptionis, & venditionis, vel permutationis ad effectum retractus, de quo frequentius agi solet, conferunt, quæ habentur, *sub tit. de servitut.* ubi agitur de hac materia retractuum, *disc.* 73. *&* 76.

HYDRUNTINA EXEMPTIONIS, SEU ONERUM, PRO DUCE TERRÆ SANCTI DONATI, CUM CLERO EJUSDEM LOCI.

Casus decisus per Rotam pro Clero.

An, & ad quæ onera laicalia teneantur Clerici, & Ecclesiastici pro bonis emptis, vel alias acquisitis a laicis.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *An & quando Ecclesiastici pro bonis in eos obventis a laicis teneantur ad collectas.*
3 *De decima, quæ per Dominos temporales exigitur, ut non sit collecta, sed onus reale ratione dominii bonorum.*
4 *De consuetudine aliquarum regionum, ut Barones habeant dominium totius Territorii.*
5 *Barones in Regno an imponant collectas.*
6 *Nova onera quando dicantur in locum antiquorum subrogata.*
7 *Transactio non tribuit novum jus, vel titulum, sed confirmat antiquum.*

D I S C. IV.

BAro oppidi S. Donati, possidens illud feudum, Ducatus 1
dignitate decoratum, cujus Territorium, juxta communem illius Hydruntinæ Provinciæ usum, totum, vel pro majori parte, olivarum arboribus, silvarum ad instar, plenum est, ex antiquissima consuetudine decimam omnium olearum percipit, a qua tamen loci cives, vel incolæ prætendebant se ex privilegiis immunes. Unde lites, & controversiæ exortæ sunt, ad quas componendas emanavit concordia, per quam cives, & incolæ, dictæ exemptionis prætenso privilegio renunciantes, declararunt etiam eorum bona decimabilia, itaut huic servituti in perpetuum, tamquam oneri reali, & infixo, illa subjaceant, ac effecta transeant in eorum hæredes & successores. Econverso autem Baro plures gratias, Communitati & Populo fecit, & quædam onera, & jura sibi debita remisit. Cum autem tractu temporis, & post 40. annorum, & ultra observantiam, Ecclesiastici, in quos ex successionibus, vel emptionibus, aliisque acquisitionum titulis, multa bona obvenerunt, istam decimam solvere recusarent. Hinc orta desuper controversia in S. Congregatione immunitatis, ab ista fuit bis resolutum pro Ecclesiasticorum exemptione.

Recurrente autem denuo Barone, controversia remissa fuit consulenda Rotæ coram Celso, atque in dicto Tribunali formiter disputato articulo, idem quoque ad favorem Ecclesiasticorum pro immunitate resolutum fuit sub die 24. Maji 1658. ut patet ex *dec.* 259. inter illas Celsi, confirmata solis Ecclesiasticis informantibus sub die 5. Julii 1660. ut apud eumdem, *decis.* 332. sequendo distinctionem [illegible] in Romana Curia, & Congregatione immunitatis receptissimam, alias traditam per Rotam in Brundusina Gabellæ coram Penia, inter suas *dec.* 1079. *repetita decis.* 42. *p.* 4. *rec.* & in Alben. Gabellæ coram Merlino inter suas *decis.* 902. *repetita, dec.* 339. *p.* 6. *rec.* quæ in materia sunt Magistrales, quod scil. in Ecclesiasticos transeunt solum onera vere realia, perpetua, invariabilia, & fixa, quæ principaliter solvuntur propter ipsas res, non propter personas, secus autem mixta, imposita personis propter res, quod desumitur, ubi sunt temporalia, seu variabilia.

Dictam vero distinctionem applicando, credidit Rota, istam decimam esse juxta secundam speciem, utpote per 2
cives, & incolas impositam, loco aliorum onerum personalium, seu mixtorum, quæ per dictam concordiam remissa fuerunt, nullatenus curata d. conventione; cum hæc naturam onerum immutare non possit, neque attendenda veniat in præjudicium Ecclesiasticorum, ad quos directe oneribus subjacendis, quilibet Princeps, vel Dominus laicus, hujusmodi conventiones cum laicorum communitatibus facere posset. Unde esset facere per indirectum, quod directe fieri non potest.

Ad quod comprobandum, magnum fundamentum constitutum fuit in altera decisione edita in Albinganen. Avenæ 12. Februarii 1644. cor. Ghislerio, ubi cum loci Dominus exigeret a qualibet familia, seu foculari laicorum quandam spatulam porci, & quosdam panes ibi dictos annexarios, necnon prætenderet, subditorum successiones ab intestato, sibi debitas esse, conventum [illegible]rit, loco dictorum onerum quandam avenæ quantitatem pro quolibet pariter foculari, sive pro bonorum quantitate præstari debere, & deciditur, quod quamvis d. concordia expressam conventionem contineret, quod dictum avenæ onus esset perpetuum, invariabile, reale, & in bonis infixum, attamen cum vere esset subrogatum loco aliorum onerum, quæ non dubitatur esse personalia, vel mixta mere laicalia; idcirco verborum formulæ, & cautelæ, substantiam veritatis in fraudem, & præjudicium Ecclesiasticæ Immunitatis immutare non potuerunt: sic a pari, ut patet ex decisionibus desuper editis.

Mihi pro Barone in Rota solum scribenti, dicto facto retento, resolutio non omnino placuit, non quidem ex aliqua fallacia conclusionum juris, quoniam quicquid super hoc articulo de bonis laicorum ad Ecclesiasticos transeuntibus scribunt cæteri DD. hodie fatuitas esset, præsertim in Curia Romana impugnare supradictam distinctionem firmatam in allegatis Brundusiana & Albin. passim receptis,

& cum

& cum quibus procedit S. Congr. immunitatis. Verum dicebam fallaciam videri consistere in facto, & super incongrua d. distinctionis applicatione.

Hujusmodi enim decimam a Barone, universaliter de hujusmodi fructuum specie in ejus territorio nascente, dicebam exigi, non ratione gabellæ, seu alterius oneris jurisdictionalis a subditis, sed ratione dominii, quod in universo Territorio, ex illius præsertim Provinciæ consuetudine, 3 Barones habere dicuntur, quod scil. ipsi habent dominium directum, seu subalternum omnium bonorum in universum; privati autem illorum possessores, habent solum utile, solventes proinde Domino quandam præstationem in decima, vel alia quota, de qua consuetudine testatur Freccia 4 *de subfeud. p. 2. auctorit. 46. n. 11.* cum quo pertranseunt cæteri apud Capyc. Latr. *consil. 83. n. 14.* & de ista decima per Barones ratione dominii directi, vel subalterni in ea Provincia exigi consueta, habetur apud Annam *allegat. 94.* Franc. *decis. 103. in princip.* Capobl. *de baronibus tom. 2. c. 78.* Rovit. *dec. 97.* Et decima per Barones in aliis locis exigi solita a Vassallis propter Territorii culturam, & possessionem, Franch. *dec. 117. & 124. in princip.*

Quod in hac facti specie evidenter probari observabam, dum hujusmodi decima universaliter exigitur ab omnibus exteris & non subditis, cives autem & subditi exemptionem prætendebant, non de jure, sed ex gratiis, & privilegiis, quæ omnia repugnare videntur munerum & onerum jurisdictionalium qualitati, quia hæc exiguntur a subditis, non autem a forensibus, & non subditis, ut late *disc. 3.* post Cens. *de Cens. & frequenter in aliis hoc eod. tit.*

Eo magis quia, licet ex recepta Italiæ consuetudine, etiam forenses pro bonis, in territorio possessis collectari possint, *ut d. dec. 3. in Rom. seu Tudert. collectæ & in aliis hoc tit.* attamen hujusmodi collectæ imponuntur, vel per Principem, vel juxta Regni consuetudinem per ipsas Communitates cum Regis assensu, & licentia, ad effectum solvendi eidem tributa & onera. Nullum vero jus in hoc habent Barones, 5 quorum aliquos satis raros in toto Regno aliquas collectarum species ex privilegio, vel legitima præscriptione exigunt, constat apud Franch. *dec. 56.* Barbatum plene de materia discurrentem in ejus tract. *de divis. fructuum p. 1. c. 8.* Marot. *in tract. de collect. seu bonatenentia post eius resol.*

Hispositis dicebam, Baronem habere regulam, seu caussam universalem exigendi decimam ratione dominii ex omnibus bonis, in ejus Territorio existentibus. Exemptionem vero, quæ per cives & incolas ex privilegiis prætendebatur, continere limitationem dubiam, & litigiosam, quam sustulit concordia, quæ proinde aliquod novum onus non induxit, sed solum, remoto obstaculo privilegiorum per eorum renunciationem, bona, quæ tanquam ex limitatione prætendebantur exempta, ita reversa fuerunt ad eorum primævam, & antiquam naturam, & caussam universalem, itaut ex dicta emanatæ concordiæ, Baro ex civium & incolarum bonis decimam exigeret, non jure, vel titulo novo, sed jure primævo, alias a privilegiis impedito, & tanquam per remotionem obstaculi ad suam primævam operationem restituto juxta theor. Bald. *in l. cum accessissent de Constit. n. 17.* & tradita per Anchar. *consil. 131. in princip.* Ac pariter habemus apud beneficiales circa indulta, quæ juxta antiquam formulam concedebantur Episcopis de conferendo beneficia in omnibus mensibus, non obstantibus reservationibus resultantibus ex regulis cancellariæ, quia stante hujusmodi indulti concessione, Episcopus in mensibus alias reservatis, conferre non dicitur ratione privilegii, & jure delegato, sed jure suo ordinario, quod de jure communi competebat, tanquam per remotionem obstaculi, adinstar habentis membra valida ab aliquibus vinculis impedita, quia vinculis solutis, operatur jure suo primævo, & naturali; licet ob modernam indultorum formulam, d. propositio in materia beneficiali suas patiatur difficultates, ut in sua materia, *sub tit. de benefic.*

Nec tefert dicebam, quod istius conventionis intuitu, Baro Communitati, & subditis remiserit quædam onera personalia, vel mixta, quoniam, non inde inferri poterat, hujusmodi decimam dici novum onus de novo impositum, loco antiquorum subrogatum, tanquam per speciem 6 commutationis, ut proprie erat in casu dictæ decisionis Albiganen. Avenæ coram Ghislerio, quam in suo casu verissimam dicebam, incongruum vero esse ejus applicationem ad casum. Quia dictorum onerum remissio, fuit quidem causa, ob quam Communitas, & Populus se induxit, ac faciliorem reddidit ad renunciandum liti, dictisque prætensis privilegiis, & ut transactionis terminus cadere posset, quod scil. aliquid hinc inde detur, vel remittatur juxta transactionis naturam, sed non inde inferri potest ad novum onus, novo jure inductum, loco antiquorum per vim subrogationis, seu commutationis, ex jam d. ratione cessantis solum obstaculum.

Per transactionem enim, novus titulus novi Juris, seu dominii inductivus non inducitur, sed transigens, cui ex 7 collitigantis cessione, bona, vel jura remanserunt, illa obtinere dicitur jure suo antiquo, & primævo, sublato solum obstaculo, quod ex collitigantis molestiis & prætensionibus patiebatur ad text. *in l. si pro fundo C. de transactionibus*, ubi Bart. *n. 3.* Castrens. *n. 7.* & cæteri, Suarez *alleg. 19. n. 19.* Molin. *de primogeniis l. 4. c. 9. n. 22. in fin.* ibique Add. Rota *dec. 306. n. 6. p. 5. rec.* in Rom. Casalis 18. Junii 1660. cor. Cerro & in aliis.

Et nihilominus, etiamsi præmissis omnibus cessantibus, ageretur de jure novo ex dicta concordia resultante, adhuc tamen dicendum videbatur non adversari jam dictæ distinctioni, traditæ in allegatis Brundusina & Alben. cum bonorum possessores, & domini expresse professi fuerint imponere super eorum bonis hujusmodi decimam, tanquam servitutem, ac onus reale, & perpetuum, ipsis bonis infixum, & ad eorum hæredes transitorium. Cum etenim quilibet dicatur rei suæ moderator, & arbiter, ac possit, etiam ex actu voluntario, & gratuito, super ejus bonis servitutes, vel annuas præstationes reales ad alterius favorem imponere, obligando ejus hæredes, vel alios ab eo caussam habentes, nulla certe videbatur excogitabilis ratio, cur successores, ex eo quod sint Ecclesiastici, servare non debeant obligationem, & factum sui auctoris, qui poterat totam ipsam rem suo Baroni donare; Et quemadmodum si annuum censum, vel livellum constituisset, non possent successores evitare solutionem ex motivo immunitatis Ecclesiasticæ, nil commune cum privatis debitis habentis, sic a pari, cum nulla dignosci videatur differentiæ ratio, neque de jure prohibitivum sit bona propria in feudum, vel emphyteusim sub obligatione alicujus annuæ præstationis in quota, vel in quanta ab alio recognoscere, *ut habetur sub tit. de feudis in Mass.* Castr. *disc. 55. 56. & in aliis.* Unde reflectendo ad veritatem decisionis, retentum, facto ut supra præsupposito, non placebat, ob incongruam applicationem conclusionum, quæ alias in suo casu sunt veræ. Difficultatem tamen majorem apud me contra Baronem faciebat defectus justificationis facti, quod scil. non bene probaretur hoc dominium universale territorii, cujus ratione Baro ex omnibus bonis hanc decimam exigeret in recognitionem dominii, & tanquam speciem portionis dominicalis, & ob hanc forte difficultatem, causa ulteriorem prosequutionem non habuit, quamvis attestationes Doctorum, ut supra de consuetudine hujus provinciæ satis conferrent.

ANNOT. AD DISC. L. & seq.

Super materia immunitatis Ecclesiasticæ, sive exemptionis realis Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum, ut supra insinuatum est, agitur in Miscell. Eccles. *in l. 14. disc. 2. cum plur. seqq.* cum quibus præsentes discursus connectendi veniunt pro aliqua notitia materiæ.

Præsertim vero circa distinctionem, de qua hoc *disc. 50. & 51.* trium specierum onerum, personalium scilicet mixtorum, & realium, ut ad hanc ultimam speciem teneantur Ecclesiastici, aliique exempti, ad quos transierint bona possessa per non exemptos. In una Pennen. disputata coram A[illegible] an onus, quod in Regno Neapolitano nuncupatur bo[illegible]tenentia, super quo particularem edidit tractatum Ma[illegible] disceptationes dicendum esset tale, ut propter[illegible] Clerici superiores ex titulo universali, vel particu[illegible] ad id teneantur.

Pro affirmativa ponderabam ea, quæ in hoc proposito deducuntur per Marott. *d. tract. c. 5.* ac etiam tres species onerum, quæ supportantur in Regno, quod scilicet, alia sunt illa, quæ imponuntur pro oneribus communitativis ordinariis, puta pro Medicis, Chirurgis, Hospitalibus, Horologiis, & aliis hujusmodi. Alia quæ etiam pro oneribus communitativis, sed extraordinariis, puta pro transitu, vel Hospitatione militum, pro persecutione bannitorum, & malefactorum, ac etiam pro illis taxis, & contributionibus extraordinariis, quæ fiunt pro donativis, per Regnum fieri solitis Regi, & similibus; Et demum alia sunt onera fixa in summa uniformi, quæ ibi dicuntur fiscalia solvenda Regi, ad certam taxam tot carolenorum pro foculari, & sic quod ista species onerum dicenda esset realis, unde propterea bonatenentia solvitur per Neapolitanos,

& Barones, ut per Rovit. *pragm. 4. Imm. Neap. num. 2.* cum aliis per Marott. *d. tr. de Conat. c. 16. n. 1.*

In contrarium tamen ponderabam, quod id recte procederet, quando istud onus uniformiter solveretur, tamquam mere reale in summa inalterabili, puta ad rationem tot granorum, vel tot carolenorum, pro quolibet jugere, seu modio terræ, sive in aliqua quota fructuum fixa, & inalterabili, secus autem stante praxi Regni; quod tenentur quidem Communitates solvere Regi hæc fiscalia, ad rationem certam tot carolenorum, pro foculari, sed exactio a Civibus, & incolis fit difformiter, dum alicubi per Gabellas super victualibus, præsertim super farina, seu molitura tritici, aliisque frugibus, juxta qualitatem Regionum, & alicubi per collectas personales, seu per capitationem, & alibi per æs, & libram, & per consequens dici non potest onus mere reale, juxta d. tertiam speciem.

MEDIOLANEN. IMBOTTATUS, PRO PRINCIPE TRIVULTIO, CUM CLERO, ET ECCLESIASTICIS.

Causa pendet in Rota.

De eadem materia discursus præcedentis. An scilic. Ecclesiastici pro bonis a laicis in eos obventis, teneantur ad onera eisdem bonis incumbentia. Et ad quæ onera laicalia teneantur laici coloni Ecclesiasticorum.

SUMMARIUM.

1 *DE antiquo Vectigali Status Mediolani nuncupato* Imbottato, *an ad illud teneantur Ecclesiastici.*
2 *Rota Romana de stylo non exequitur sententias aliorum Tribunalium, nisi cognito de illarum justitia.*
3 *An dictum onus sit reale.*
4 *Collecta an debeatur de portione Coloni, spectante ad Colonos laicorum bonorum Ecclesiæ.*
5 *De Civitatis Mediolani depopulatione, & readificatione.*
6 *De origine Vectigalis, quod nuncupatur* Imbottatus.
7 *Historia, quam fidem faciant.*
8 *De Doctoribus dicentibus hoc esse onus reale.*
9 *Hoc Vocabulum* Imbottatus, *frequens in Lombardia, explicandi sub eo vectigalia, & onera.*

DISC. LI.

1 ANtiquissima est in Civitate, & aliqua parte Status Mediolani quædam publicæ præstationis species, quæ per Principem, vel ejus concessionarios exigitur, adinstar decimæ in certa fructuum quota, postquam collecti sunt, & in colonorum domibus repositi, vulgo noncupata *Imbottatus*, quam communiter chronistæ dicunt esse minus antiquissimam, longe ante Ducum Mediolanensium introductionem, initium babens, de tempore quo Civitas Mediolani cum adjacentibus confœderatis pro Republica se gerebat, ut præsertim constat ex Chronica Cavati *fol. 677. & 681.* quæ species præstationis, in quadam præsertim territorii parte, in qua eam ex Ducali concessione possidet Princeps Trivultius, exigi ab antiquo semper consuevit indistincte de omnibus bonis, sive per Ecclesiasticos, sive per laicos possiderentur. Cum autem dicto loco pleraque essent bona per ordinem Humiliatorum antiquitus possessa, per cujus suppressionem, ex concessione S. Pii V. sub præsulatu S. Caroli, obvenerunt in Capitulum Ecclesiæ Metropolit. ab isto per plures annos ejusdem præstationis solutio continuata fuit, eodem modo, quo Humiliati prædecessores facere consueverant, sed cum circa annum 1585. illam solvere recusaret, orta controversia cor. Ordinario, de anno 1586. emanavit sententia Trivultio favorabilis, quæ de anno 1605. prævia formali discussione in plena Curiæ Archiepiscopalis Congregatione, denuo approbata fuit, & in secunda Instantia de anno 1608. confirmata per Vicarium Generalem Papien. delegatum Apostolicum, qui tunc erat Marinus Antonius Maceraten. doctus Canonista, & Ecclesiasticæ immunitatis propugnator, ut ejus volumen variarum resolutionum ostendit, in tertia etiam instantia confirmata per Vicarium Generalem Lauden. pariter Apostolicum delegatum; A quibus sententiis, postquam in judicatum transierant, commissa in Rota causa restitutionis in integrum, eaque post longum temporis interstitium reassumpta coram Albergato, putabant Advocati,

& Consultores Principis in d. Mediolanen. Civitate existentes, pro victoria sufficere tres, imo quatuor supradictas sententias transactas in rem judicatam allegare, ac rei judicatæ executionem petere.

Sed ad ejusdem Principis defensionem assumptus, dicebam dictos consulentes, utpote de stylo non informatos, ideoque excusabiles, in hac parte æquivocare, quia Tribunal Rotæ, ex ejus inveterato stylo profitetur non exequi
sententias aliorum Judicum, & Tribunalium, nisi prius 2
de illarum justitia ex integro cognoscat, ut testantur Cæsar de Graff. *decis. 10. num. 12. & 13. de sententia & re judicata*, Mantic. *decis.* 136. Cavaler. *dec. 62. num. 1. & 270. in fin. decis. 132. num. 1. 2. part. 6. rec.* & in aliis frequenter: itaut neque sententiarum numerus, neque rei judicatæ qualitas quidquam prodesse soleat, quia sub specie restitutionis in integrum ex capite injustitiæ, passim adversus rem judicatam, vel res conformes, etiam Rotales discutiuntur merita causæ ex integro. Unde perpetuo remanet litigantibus timor, & ansa dubitandi.

Rescriptum proinde fuit eisdem Advocatis, & Consiliariis de partibus, ut tamquam de causæ meritis instructi, istos Curiæ non informatos, de illis certiores redderent. Unde per eos, docta, & erudita edita fuerunt responsa, in quibus deducendo, ex Chronistis Mediolanensibus, præsertim ex Cavatio loco citato, hujus præstationis antiquitatem, descendendo deinde ad punctum juris, cumulabant ea, quæ post antiquos Canonistas firmantur per Rotam in Brundusina gabellæ coram Penia, & in Alben. gabellæ cor. Merlino, circa obligationem Ecclesiasticorum solvendi pro bonis a laicis in eos obventis onera mere realia perpetua, & invariabilia, quas decisiones reassumit Pater Gattig. *de immunitate Ecclef. p. 1.* qui, sive scribens ap. eum, *num. 12. fol. 50.* in puncto firmat istum *imbottatum* esse onus reale, perpetuum, & invariabile, adinstar decimæ. Eodemque tempore deducebant ea, quæ juxta
unam opinionem per DD. firmantur circa obligationem 3
laicorum, qui sint Ecclesiasticorum coloni, super solutione vectigalium, aliorumque laicalium onerum pro fructibus sibi pro colonica parte spectantibus.

Visis hujusmodi responsis, habitoque desuper, juxta laudabilem curiæ stylum, plurium Advocatorum, & causæ Patroni congressu. Ego observabam, ista duo fundamenta esse invicem pugnantia, ideoque nullatenus insimul deducenda esse, cum uno ab altero debilitato, de facili utrumque corruere posset. Primo enim casu, oneris realis, ipsis bonis infixi, exactio fieri dicitur ex ratione ipsius rei, & in quota ejus fructuum, adinstar decimæ, sive a Domino, sive a colono, sive ab utroque percipiantur, cum nulla ratio habeatur de personis, sed solum de bonis. In secundo autem casu exactio munerum laicalium, quæ juxta unam opinionem fit a colonis clericorum, tamquam laicis ex fructibus ad eos pro parte colonica spectantibus, dicitur de oneribus personalibus, vel mixtis, quæ Princeps a suis subditis jurisdictionaliter exigit. Unde non videbatur quomodo hæc insimul stare possem, ideoque dicebam, determinandum esse, quale ex duobus fundamentis tamquam tutius, vel probabilius deducendum esset, proponendo mihi tutius videri assumere potius primum quam secundum, tum quia majorem haberet facti assistentiam, & probabilitatem, ut infra, tum etiam, quia in puncto juris, firmato facto, est certum & tutum ex deductis *in Hydruntina onerum, disc. praced. & aliis hoc tit.*

E converso autem alterum videbatur periculosum, in Curia, ubi (& rationabiliter) quo magis fieri potest substinetur opinio canonistarum, & moralium immunitati favorabilis, juxta quam, etiam portio colonica prætenditur exempta, quasi quod exemptionis, vel solutionis effectus redundet in utilitatem, vel respective damnum ipsius Ecclesiastici, qui est dominus ex plene deductis per Sperell. *decis. 41. cum seqq.* cum quo pertranseunt cæteri moderniores de materia tractantes, de quibus in Mantuana exemptionis, *hoc tit. disc. 53.*

Maxime quia hujusmodi exactio fieri consuevit, dum fructus adhuc inter dominum, & colonum non divisi, retinentur in domibus colonicis eorumdem prædiorum, quod impossibile videtur adaptari posse laicali colonorum oneri, tum quia fructus adhuc esse dicuntur in bonis, & solo clericorum, quorum sunt domus, quamvis coloni tamquam instrumenta fundi, & pro illius cultura in eis habitent, tum etiam quia, recipiendo de omnibus quotam, est etiam exigere de portione clerici; itaut non verificetur casus, in quo juxta opinionem Legistarum,

ac aliquorum etiam canonistarum, ex portione colonica exigi potest collecta, ubi scilicet dicta portio separata est a portione dominicali, & ad laici coloni dominium translata, ita quod, commista sit cum cæteris ejus bonis, ideoque consideranda tamquam ejus patrimonium, cum non implicet bona esse exempta, & tamen colonos, seu conductores subditos ex fructibus ab eis perceptis de per se consideratis, tanquam ex bonis propriis, ex eorum labore, & industria provenientibus, solvere onera, ut in proposito decimarum habetur *in sua materia, sub tit. de decimis, & in his terminis*, Carol. de Grass. *eff. cler. 3. num. 57.* Cohell. *ad Bull. Boni Regimin. cap. 50. num. 247. & seq. cum aliis in d. Mantuana exemptionis, disc. 53.*

Et in terminis feudalibus, quamvis fructus, dum sunt pendentes, vel a feudo non separati, ejus naturam habeant, multisque potiantur exemptionibus, quæ bonis allodialibus non competunt, a feudo tamen separati, dicuntur bona allodialia, aliorum bonorum indifferentium jure regulanda, Rosenth. *de feud. cap. 10. concl. 42. num. 33. & seqq.* & habetur ponderatum in Romana Creditorum Valusini, *hoc eod. tit. ad materiam officiorum, disc. 11.* Quæ omnia in congressu insinuabam per discursum, nihil tamen determinando super hoc articulo, cujus difficultates solum ita incidenter excitabam, ad ostendendum, motivum esse periculosum, atque subjectæ materiæ omnino incongruum.

Laudabam igitur primum fundamentum, assumendo, scil. illud esse onus antiquissimum, perpetuum, invariabile, ac mere reale, ipsis bonis infixum, utpote in certa, & uniformi fructuum quota consistens, adinstar decimæ, ideoque per Ecclesiasticos, in quos bona transierunt etiam præstandum juxta d. decisiones Brundusin. & Alben. passim receptas, & in d. Hydruntina onerum admissas per Rot. in decisionibus desuper editis.

Quare omnibus in eamdem sententiam concurrentibus, præsumpta cum hoc solo fundamento disputatione, proposita causa, capta non fuit resolutio ob varietatem, cum qua scribentes hinc inde processerant. Pro parte siquidem Capituli insistebatur solum in probando exemptionem colonorum, quasi quod ab istis, utpote laicis, & subditis, tanquam onus personale, vel mixtum, hujusmodi exactio prætenderetur. Unde opus non fuit scribentium fundamentis respondere ex defectu applicationis simpliciter negatæ, dicendo solum non esse illum casum controversiæ.

Ex parte igitur Trivultii in hac disputatione, ad proban-
5 dam oneris antiquitatem, & realitatem, adducebam Historicorum concordem traditionem, quod circa annum 1162. Civitas Mediolani, post passim diuturnam, & generosam obsidionem per Imperatorem Federicum (*Ænobarbum nuncupatum*) omnino depopulata, & solo æquata fuit, omnibus ejus civibus, & incolis, partim fugæ, & partim morti traditis, partim vero in captivitatem traductis, ut habetur præsertim in compendio Historico, Tarcagnotæ *lib. 13. pag. mihi 492.* De anno autem 1166. Federico in Germaniam reverso, & prope eadem tempora defuncto, per novum populum, ex adjacentibus Civitatibus conflatum, & in quibus forte plerique antiqui nobiles, & cives Mediolanenses se custodierant, & ex aliis civibus mortuo Federico a captivitate reversis, dicta Civitas ex integro reædificata fuit, atque ad formam Reipublicæ, ex ipsis, & aliis adjacentibus confœderatis Civitatibus constitutæ, se regere, ut ex eodem Tarcagnota *folio 496.* pro qua Republica conservanda, & in illis adeo bellicosis temporibus a novo excidio defendenda, utique necessarium erat aliquod vectigal habere; quod fama satis verisimilis est, inter cætera fuisse illud impositum bonis, tunc in ipsa reædificatione vacantibus, ac de nullius dominio existentibus, in ipsamet primæva distributione, seu assignatione, quæ novis civibus, & incolis, per quamdam legis agrariæ speciem facta fuit, itaut onus fuerit infixum ipsis bonis, dum erant de publico dominio, & antequam transirent in illud
6 privatorum, hac lege illud acquirentium; Quod recte probari dicebam *per Chronicam Cavatii, fol. 677. ibi: Raccontano l'historie, ed ordini antichi, che tal Datia era usitato avanti la Signoria de' Duchi, e che era carico imposto dal supremo Dominio per mantenimento, e conservazione del Stato, & fol. 681. ibi: A bello studio si tralascia il carico dell'imbottate, si per non far torto alla terra, &c. come per esser tenne, antico, e nato da vera, e legitima recognizione dovuta a natural Patrone.*

Historicis enim antiquis, & in regione receptis, fidem
7 adhibendam esse ad probationem in antiquis, concurrentibus præsertim adminiculis, firmatur per Gratian. *disceptat. 893. num. 6. cum seqq.* & Rot. *decis. 93. num. 14. & 15. & decis. 353. num. 25. part. 5. rec. decis. 106. part. 10. rec. num. 9.* & in aliis frequenter.

Adminicula vero plura, & quidem urgentia ponderabantur, hujusmodi veritatem comprobantia: primum nempe resultans ex antiqua, & generali observantia omnium aliorum Ecclesiasticorum, tam Sæcularium, quam Regularium, quantumvis privilegiatorum, etiam Religionis S. Joannis Hierosolymitani, a quibus generaliter & pacifice ista præstatio exacta fuit, quæ observantia deducebatur, non tanquam præscriptiva, & novi juris inductiva, sed tamquam adminiculativa, & comprobativa d. veritatis, cum nullatenus verisimile sit, tot Religiones, Ecclesiasticæ immunitatis eorumque privilegiorum conservationi adeo incumbere solitas, hujusmodi præjudicium pati voluisse, attenta fortius circumstantia, quam dicebam notabilissimam, istam scil. Ecclesiam per multos annos rectam fuisse per S. Carolum acerrimum, & zelantissimum Ecclesiasticæ immunitatis defensorem & restitutorem, qui multos abusus, in hac præsertim specie, cum gravissimis ejus incommodis, & ærumnis sustulit. Unde nullatenus est probabile, quod hujusmodi exactionem tolerasset a manu privata, quam longe facilius impedire poterat argumento ducto *ab auth. multo magis, Cod. de sacros. Eccles.* quæ consideratio viget quoque in Archiepiscopis successoribus, zelo, & pastorali vigilantia conspicuis.

Alterum resultare dicebam adminiculum, ex dictis quatuor sententiis emanatis in Tribunalibus Ecclesiasticis, duabus nempe de annis 1585. & 1605. ab ipso ordinario, causa cognita, & prævia formali discussione in plena Congregatione Curiæ Archiepiscopalis. Tertia de anno 1608. per Vicarium Papien. qui erat Marius Antonius Maceratensis practicus Curialis, & in iis materiis versatissimus, ut ejus opera docent, præsertim cum tunc per quatuor annos præcedentes jam edita esset dicta decisio Brundusina coram Penia, per quam hujusmodi articulus fuerat determinatus. Et quarta demum de anno 1614. per Vicarium Lauden. unde improbabile omnino videbatur, tot Judices Ecclesiasticos fuisse ita indoctos, vel perditos, nisi talis esset veritas.

Tertium deducebam ex observantia individua istorum bonorum per longissima tempora, illa siquidem non transierunt ad Capitulum, & Ecclesiasticos a manibus laicorum, itaut dici posset immutasse naturam, quoniam per plura sæcula possessa fuerunt per ordinem Humiliatorum pariter Ecclesiasticum, & exemptum, a quo transierunt in Capitulum, & tamen istud onus semper solutum fuit. Et quartum demum desumebam adminiculum ex auctoritate DD. regionis scribentium ap. Gattigum *de Immunitat.*
Eccles. sive in aurea Catena, part. 1. num. 12. fol. 50. fir- 8
mantium hoc esse onus reale, & fixum adinstar decimæ, quod semper, & uniforme temporibus pacis & belli exactum fuit, non obstantibus tot Principum, & dominorum vertentibus, quas illa Civitas passa est.

Adducebantur in contrarium literæ emanatæ per S. Congregationes Episcoporum & Concilii de annis 1617. & 1621. per quas Archiepiscopo stricte injungitur, ne permitteret Ecclesiasticos, eorumque colonos pati solutionem munerum laicalium in eis enumeratorum, inter quæ istud præsertim *imbottatus* enunciatur. Respondebam tamen, enunciativam prædictam non esse in specie de hoc onere, quod prævia particulari notitia, una, vel altera Congregatio prohibere voluerit, cum solum in dictis literis enuncientur generaliter, & in abstracto omnia illa gabellarum, vectigalium, & laicalium munerum nomina, cum quibus juxta regionum mores ea explicari solent, inter quæ est istud vocabulum *imbottatus* in Lombardia usitatum, & de quo mentionem habet Alex. *cons. 118. num. 1. in fin. vol. 7.* & sic literæ continebant prohibitiones genericas, & in abstracto, prout de jure. Quinimo subjungebam, ex illis non leve resultare adminiculum huic parti favorabile, quia cum hujusmodi literarum vigore, Archiepiscopi aliorum laicalium onerum exactiones rigorose prohibuissent, istius tamen continuationem tolerarunt contra omnem verisimilitudinem, cum alia onera exigerentur per Regios officiales, ista vero per manum privatam, quæ est longe facilioris coercitionis.

Dictæ autem literæ non levem dubitandi ansam Rotæ dederant, cum pro parte Capituli negaretur contraria generalis observantia post illarum editionem. Unde ad omnem difficultatem removendam, dum in dicta propositione capta non fuit resolutio, judicatum fuit opportunum

num petere remissoriam, ad effectum probandi dict. observantiam, ac etiam famam, & antiquam traditionem super d. oneris origine, & introductione. Neque ulterius mihi notum est causam a Trivultio prosequutam fuisse, forsan concordia ei finem dederit, vel defensores mutari fuerint, ut sæpe contingit, eveniente casu mutationis causæ patroni, a quo Advocatorum electio, ut plurimum pendet.

PERUSINA GABELLÆ VINI, PRO THESAURARIIS, CUM ECCLESIASTICIS PERUSII.

Casus decisus per Cameram pro Ecclesiasticis,

An, & quando, Clerici, & Ecclesiastici vendere possint vinum, aliosque fructus ex eorum bonis collectos ad minutum absque solutione gabellæ, vel potius ista debita sit, & quando.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Observantia est optima interpres.*
3 *Per observantiam 30. annorum acquiritur Immunitas a gabellis, & oneribus, & n. 5.*
4 *Negligentia affictuariorum non præjudicat locatori.*
5 *De conclusione, de qua n. 3. ut non procedat in statu Ecclesiastico ob Constitutiones revocatorias.*
6 *Clerici possunt vendere vinum, aliosque fructus etiam ad minutum, & non tenentur ad gabellas.*
7 *Impugnatur, seu declaratur hæc conclusio cum distinctione casuum.*
8 *Clericus, an dicatur tabernarius vendendo proprium vinum.*
9 *Clerici non subjacent juri privativo, seu prohibendi venditionem vini, & aliarum rerum ad minutum.*
10 *Sunt etiam exempti a gabella, quæ directe imponitur ipsis fructibus eorumque Dominis.*
11 *A qua gabella venditionis rerum ad minutum non sint exempti.*
12 *Gabella, quæ exigitur pro venditione victualium dicitur personalis, & exigitur potius ab emptoribus.*
13 *Declaratio Papalis super hoc.*
14 *In quo consistat Immunitas Ecclesiastica.*
15 *Dantur similia de pane, carne, & sale.*
16 *Ecclesiastici ementes victualia ad minutum solvunt illud minus, quod importat gabella.*

D I S C. LII.

1 INter cætera Vectigalia Cameralia Thesaurariæ Perusii annexa, illud adest nuncupatum *gabella quinti*, quod exigitur a vendentibus vinum ad minutum, sive in cauponis, & hospitiis, sive in privatis domibus in d. Civitate, & Territorio, quam gabellam solvendam quoque esse ab Ecclesiasticis, decrevit Sixtus IV. Sed cum tractu temporis id de facto non servaretur, Gregorius XIII. idem decretum renovavit, quod neque effectum sortitum est, quoniam Sixtus V. successor concessit Capitulo, & Clero Cathedralis indultum exemptionis pro vino collecto in propriis vineis, cujus indulti vigore omnes Ecclesiastici de facto eamdem exemptionem habuerunt. Cumque moderni Thesaurarii sub Alexandro VII. stante d. restrictiva indulti Sixtini ad Capitulum, & Clerum Cathedralis, ad praxim reducere vellent d. Decreta Apostolica Sixti IV. & Gregorii XIII. cum aliis Ecclesiasticis sæcularibus, & Regularibus; Hinc introducta causa coram Thesaurario Generali, prodiit sententia d. Ecclesiasticis favorabilis, quæ in gradu appellationis cum unica disputatione (in qua solum pro Thesaurariis scripsi) confirmata fuit per Cameram, neque quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit,

Incertum autem est, qualia fuerint Cameræ fundamenta, dum ab hoc Tribunali decisiones edi non solent, potissimum vero creditur fuisse illud tam diuturnæ observantiæ, ita interpretantis d. Indultum Sixtinum, quod scilicet, quamvis de Capitulo, & Clero Cathedralis loquatur, ita disponeret potius demonstrative, quam taxative, quasi quod sub nomine Cleri Cathedralis, universus Clerus Civitatis, &
2 districtus, ex intentione Papæ veniret stante d. observantia, quæ in omnibus reputari solet optima interpres, & interpretationum regina, etiamsi verba in sensu litterali aliter significarent, quamvis non accederet tempus considerabile, multo magis ubi est tam diuturna annor. 60. & ultra, proindeque apta etiam ad præscriptionem, juxta communem distinctionem, de qua Barbos. *in leg. post dotem nu. 47. & seq. ff. solut. matrim.* Rot. *decis.* 319. & 351. *part. 6. rec.* & sæpissime, cum sit quotidiana, & receptissima propositio, qua forte nil frequentius in Rota, & Curia.

Fortius vero in hac materia gabellarum, in qua, ex frequenter ad ejus materiam *hoc titul.* deductis, observantia totum facit, & quamdam majorem, ac peculiarem virtutem, ac operationem habet, præsertim ubi est longissima, & tricennaria major, cum per hujusmodi tempus 30. vel 3
40. annor. acquiratur exemptio, sed immunitas etiam in futurum, Bart. *consil. 59. & in l. licitatio, §. earum, ff. de publican.* sequuntur cæteri, de quibus plene, Eugen. *cons. 92. ex num. 25. cum plur. seq. lib. 1.* Cohell. *ad bull. cap. 50. n. 230. & seq.* & ex hoc fundamento, mihi quamvis pro gabellariis scribenti, resolutio visa est probabilis, nisi obstarent constitutiones revocatoriæ, de quibus infra, de quo tamen in hac disputatione actum non fuit.

Quamvis enim scribens tamquam Advocatus dicerem, negligentiam Appaltatorum, seu Thesaurariorum, non pos- 4
se nec debere *præjudicare* Cameræ, vel Civitati ad text. *in leg. locatio, §. earum, ff. de publican. cum concor.* per Capyc. Latr. *consult. 66. numer. 36. & consult. 68. numer. 29.* & alibi hoc titul. sæpius. Ac etiam dictam conclusionem de inducenda præscriptione Immunitatis per longissimum tem- 5
pus 30. annorum non esse de facili practicabilem in Statu Ecclesiastico, tam ob decretum irritans contineri solitum in Constitutionibus, vel Chirographis supra gabellarum impositione, vel renovatione, quam etiam ob Constitutiones Apostolicas a Paulo V. citra omnium exemptionum revocatorias, de quibus *in Sabinen. exemptionis disc. 47. in Civitatis Castelli partus litterarum disc. 46. & in aliis hoc eodem tit. frequenter.*

Nihilominus observabam, id recte procedere, quando immunitas deduceretur ex solo beneficio temporis, seu observantiæ, tamquam per speciem præscriptionis; secus autem accedente dicto legitimo titulo indulti Apostolici non revocati, atque ita solum interpretati, cum tunc cessent difficultates alias cadere solitæ, ut apud Eugen. ubi supra, & bene, Balb. *de præscript. 2. part. 5. part. principalis, q. 7.* Et quia improbabile est, tam diuturno tempore omnes Thesaurarios, seu Appaltatores, in quibus negligentia non de facili præsumenda est, eorum utilitatem neglexisse, nisi ab initio, ejusdem indulti usus docuisset, talem fuisse Pontificis concedentis intentionem.

His autem particularibus circumstantiis circumscriptis, Quatenus pertinet ad articulum in genere, an scilicet, clerici, & Ecclesiastici in eorum domibus, seu alias ven- 6
dere possint vinum ad minutum absque solutione gabellæ; scribentes pro eisdem dicebant, hodie hanc videri communem, & receptam propositionem, quam ex communi traditione, glos. Joannis Andreæ, Gemin. Franchi, & aliorum canonistarum, *in cap. unico de vita, & honestate clericorum in 6.* ac Lambertino *de jurepatronatus, lib. 2. part. 1. quæst. 9. art. 26. num. 4. & aliis*, veram ac receptam dicunt, plene alios colligentes, Marcabr. Abanguill. *cons. 18. ex numer. 286. cum seq.* Beller. *disquis. Clerical. tit. de exempt. clericorum a muneribus, §. 4. num. 2. & 5. & tit. de disciplina clericali, §. 21. num. 16.* Lezzana *in summa verbo gabella*, Sperell. *decis. 94. num. 10.* Cohell. *ad Bullam Boni Regim. cap. 47. num. 56. cum seqq.* & cæteri generaliter firmantes, clericos, & Ecclesiasticos pro introductione, vel venditione fructuum suorum bonorum, nedum Ecclesiasticorum, sed etiam patrimonialium, non teneri ad aliquam gabellam, seu aliud onus laicale, de quibus plene in Barchinonen. exemptionis *decis. 159. part. 7. & 412. part. 9. rec.* & in aliis editis in eadem causa, de qua habetur quoque actum *hoc eod. tit. disc. 58.*

Verum quatenus pertinet ad hunc punctum, tam ista, quam alia occasione, cum sensu etiam veritatis, obser- 7
vabam, istud videri æquivocum clarum, atque istius causæ disputatio, quæ mihi præbuit occasionem videndi dictas litteras Sixti IV. assignantes rationem, de qua infra, me satis confirmavit in hac opinione, quam alias habebam.

Pro hujus autem æquivoci solutione dicebam, dictos antiquos canonistas *in cap. unico de vita, & honestate clericorum*, a quibus moderni canonistæ, & morales, quasi unus alterum transcribendo, hujusmodi propositionem desumunt, non percutere casum quæstionis circa exem-

ptionem a gabellis, sed diversam. Cum enim per sacros
8 Canones prohibitum esset clericis tabernas tenere, vel eas frequentare, hinc proinde per d. canonistas excitata fuit quæstio, an d. prohibitioni contravenirent clerici in eorum domibus, vel alibi vendentes vinum, aliosque fructus in eorum bonis collectos ad minutum, itaut exinde tabernarii dicendi essent, & concludunt negative, dummodo non per seipsos, sed per alios id fiat, itaut non committatur sordidum, vel aliud clericali decori incongruum, quia non est mercatura, vel illicitum, vendere proprios fructus, etiam ad minutum, & hoc est, quod dicunt dicti canonistæ, ac etiam, Lambert. *loc. cit.* Redoan. *de Spoliis clericor. qu.* 2. *num.* 47. Barbos. *de Jur. Eccles. lib* 1. *cap.* 40. *num.* 126. & cæteri, sed istæ auctoritates nihil faciunt ad rem, cum percutiant solum exclusionem illiciti, & prohibiti usus tabernæ.

Quatenus igitur pertinet ad punctum onerum, vel prohibitionum laicalium super hujusmodi fructuum, & victualium venditionibus ad grossum, vel ad minutum respectu Ecclesiasticorum. Observabam plures casus distinguendos esse, quorum primus est, ubi agitur de jure privativo, seu jure prohibendi hujusmodi fructuum, & victualium ven-
9 ditionem ad minutum, quia nempe ex statuto, vel privilegio disponatur, neminem posse tenere tabernas, nisi eum, qui habuerit licentiam a magistratu, vel appaltatore, certa recognitione soluta, vel nonnisi in certis locis, & modis, & tunc recte canonistæ, & morales firmant, hujusmodi statuta, vel edicta laicalia non afficere, nedum ipsos Ecclesiasticos fructuum & victualium dominos, ad minutum vendere volentes, sed neque laicos eorum famulos, & operarios, per quorum organum hujusmodi venditiones fierent, nam alias esset lædere immunitatem Ecclesiasticam, atque per indirectum cogere Ecclesiasticos ad onera laicalia, seu ad patiendam subjectionem Edictorum, & Statutorum laicalium, atque istos terminos percutiunt plerique de materia agentes, de quibus Delbene *de immunit. tom.* 1. *cap.* 5. *dubit.* 7. *sect.* 16. *& sect.* 22. *cum aliis ibi proximis.*
10 Alter casus est, ubi agitur de gabella directe imposita ipsis fructibus, & victualibus, pura pro introductione, vel pro facultate vendendi, quia nempe disponatur, neminem introducere posse vinum in Civitatem, nisi soluta certa summa pro quolibet cado, vel alia mensura, sive neminem posse vendere, tam ad grossum, quam ad minutum, seu alias contractare, nisi cum eadem solutione, itaut, ut supra, gabella directe ipsis fructibus, & bonis imposita sit, & tunc patet admittendum, certam esse Ecclesiasticorum exemptionem, cum gabella directe imposita sit ipsis bonis, seu fructibus, & hic est casus, de quo agit Grat. *dec.* 110. ubi de gabella introductionis vini in Civitatem Salerni, a qua decisione moderniores pene totum desumunt. Solumque intrat quæstio, an Ecclesiastici hujusmodi exemptionem communicent emptoribus, sive colonis laicis, de quo habetur actum *in Maser. an. exempt. disc. seq.* Tunc enim recte intimatio assignari solita, quod gabella minuit eorum pretio, atque tollit accurum domino illud majus emolumentum, quod ex rebus suis perciperet, nisi tale onus adesset. Et in quibus terminis procedunt deducta per Menoch. *cons.* 136. & Gratian. *discept.* 390. *cum similibus.*
11 Tertius demum est casus illius gabellæ, quæ imponitur pro minuto, & quotidiano usu victualium, unius scilic. oboli, vel quadrantis pro qualibet amphora vini, seu olei, quæ vendatur ad minutum, vel pro qualibet libra carnis, quæ vendatur in macello, cum similibus; itaut si ipsa bona extrahantur, vel introducantur, seu alias retineantur, vel contractentur, ista gabella non debeatur; An scil. Ecclesiastici, vendentes eorum vinum, oleum, carnes, & similia, vendere possint ad minutum pro eo pretio, pro quo communiter in foro venduntur d. onere gabellæ incluso, absque ipsius solutione. Et tunc omnino probabilior mihi videbatur negativa contra Ecclesiasticos, quoniam vere, & in effectu ista gabella, seu aliud onus, solvi non dicitur per venditorem, itaut alias intrinsecum, & consuetum victualium, vel aliarum rerum pretium, ita in eo diminutionem recipiat, sed potius solvi dicitur per emptores in cophini, ita ex sola ratione gabellæ carius ementes, itaut in effectu dicatur species gabellæ personalis, quam Princeps a suis subditis, & laicis in sua ditione commorantibus magis commode ita insensibiliter exigit, occasione
12 hujus necessarii usus victualium, & mercium, ut satis frequenter habetur *in aliis hoc eod. tit.* & præsertim occasione dohanæ, seu gabellæ introductionis in Romana gabellæ ferri, & in Romana dohanæ, *disc.* 63. *&* 67.

Quam rationem optime assignat, & Canonizat Pontifex *Sixtus IV.* in dictis ejus literis per hæc verba præ-
cisa: *Et insuper, cum, veritate inspecta, hujusmodi ga-* 13
bella potius ab emptoribus vini, quam a venditoribus exsolvatur, nam vendentes scientes se ad gabellam teneri, student eorum vinum tanto carius vendere, quanta est quantitas gabella prædicta, ideirco eisdem motu proprio, & auctoritate decernimus, &c.

Immunitas enim Ecclesiastica consistit in eo, ne clerici
graventur oneribus laicalibus, atque ita directe, vel indi- 14
recte pati cogantur diminutionem illius suarum rerum pretii intrinseci, & consueti, quod alias absque tali onere quilibet eorum dominus perciperet, non autem locupletationem de alieno, seu jus exigendi ad propriam utilitatem a populo illud vectigal, quod est Principis, & de Regalibus, ut in Nullius, Baren. *disc.* 54. *& in aliis hoc eod. tit.* Ideoque punctus est in eo, an gabella sit causa diminutionis illius majoris pretii, & valoris communis per quemcumque dominum ex rerum venditione percipiendi, si gabella non adesset, & tunc pro Ecclesiasticis omnino respondendum est, sive ab ipsis, sive ab emptoribus, vel a colonis exigatur, dummodo iste effectus præjudicialis sequatur juxta deducta per Menoch. *dict. cons.* 136. Gratian. *dict. discept.* 390. *& alios.* Secus si pretium intrinsecum, commune, & connaturale non minuitur in domino victualium, sed solum augetur in subditis, volentibus eorum usum, cum aliud non sit immunitas Ecclesiastica, nisi conservatio nativæ libertatis ab accidentali servitute onerum, introducta per Principem laicum, & sic ut præservet a damno non ut præbeat lucrum de alieno.

Quod docet praxis quotidiana in illis præsertim regioni-
bus, in quibus habetur grave onus gabellæ farinæ, seu pa- 15
nis: frumentum enim juxta communem fori valorem vendi solet, e. g. ad rationem scutorum quinque pro quolibet rubro sive scuti unius pro quolibet tumulo, & hoc est pretium intrinsecum, & commune; redactum vero in pane importat, juxta ejusdem panis pretii taxam communem, scutum unum cum dimidio pro quolibet tumulo, quoniam gabella molituræ causat illud majus pretium.

Igitur Ecclesiastico sufficit obtinere integrum pretium intrinsecum, & currens frumenti, non autem illud plus, quod solvitur a populo emente panem ratione gabellæ; Idemque respective de animalibus, quæ venduntur in foro, & carnibus, quæ in frusta venduntur in macello, siquidem in regione una vacca communiter vendi solet decem scutis, & tanti est ejus pretium consuetum, & commune; ideoque si gabella est talis, quod eam solvendo minuantur ista decem scuta, recte Ecclesiasticus ab ea erit exemptus, & neque ipse, neque emptor ad eam tenebitur, sed si eam macellando extrahantur duodecim scuta, tunc quia gabella est causa dicti augmenti, illud cedere non debet ad commodum Ecclesiastici.

Et habemus etiam frequens in sale, cujus pretium intrinsecum, & naturale, prout colligitur in salinis tanquam illarum fructus, est quid modicum, vix excedens unum quadrantem pro libra, & tamen populus illum emit longe cariori pretio ratione vectigalis, seu Regaliæ Principis, ut frequenter hoc *tit. ad materiam salinarum.* Ideoque prorsus absonum esset, ut Ecclesiastici colligentes salem in eorum Salinis, pro tali majori pretio alterato ratione Regaliæ vendere vellent. Et hic est casus etiam in vino.

Illud etiam considerando, quod clerici emptores ex hujusmodi gabellis prætendunt exemptionem, & quidem rationabiliter, utpote de jure debitam, & de facto practicatam, quod scilicet de victualibus, quæ emunt, diminuitur illa rata, quam importat gabella, emendo pro eo minus, &
quantum importat pretium intrinsecum, seu naturale, præ- 16
terquam in magnis Civitatibus, in quibus ob impracticabilitatem, reficitur in fine anni Ecclesiasticis in pecunia id, quod gabellæ victualium importent, ut in Barchinon. exemptionis hoc tit. *disc.* 58. Igitur istud majus pretium non est ratione rei, sed ratione vectigalis, quod est Principis, & non debet in privatam utilitatem converti.

Ex ea vero ratione ego cum essem Superior Ecclesiasticus, sustinui in Ecclesiasticis vendentibus vinum ad minutum hanc exemptionem, quia iidem Ecclesiastici ementes vinum ingabellatum non gaudebant exemptione, atque ita intrabat compensatio, de qua in dicta nullius, Baren. *disc.* 54.

MAN-

MANTUANA EXEMPTIONIS PRO PAULO RIVA.

Responsum pro veritate extra Curiam.

De exemptione a gabellis, & oneribus laiaalibus competente colonis, conductoribus, & emptoribus bonorum Ecclesiasticorum eorumque fructuum, quomodo, & quando locum habeat. Et, an exemptio competens pro vino, competat pro aquavita.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Distinguuntur plures species laicorum conducentium, ementium, vel colentium bona Ecclesiasticorum.*
3 *De colonorum partiariorum exemptione, pluribusque quæstionibus remissive.*
4 *De emptoribus fructuum & bonorum Ecclesiæ.*
5 *De conductoribus bonorum Ecclesiæ, an sint immunes a gabellis, & oneribus laicalibus.*
6 *Adhibetur distinctio, quæ videtur pro veritate tenenda.*
7 *Gabella imposita vino, debetur etiam pro aquavita.*
8 *Aquavita dicitur species diversa a vino, & pro ea debetur gabella tamquam pro merce.*
9 *An pro merce, ad quam fructus bonorum Ecclesiæ redacti sunt cum industria, debeatur gabella.*
10 *Quæ dicatur mercatura clericis prohibita.*

D I S C. LIII.

1 Conduxit quidam laicus ad triennium sub annua pensione pecuniaria, fructibus proportionata, quædam bona Ecclesiastica coli solita per colonos partiarios, fructuum medietatem pro eorum labore & cultura retinentes, alteram medietatem domino præbentes pro parte dominicali, quæ in dictum locationis contractum deducta est, unde dubitari contigit, an dicta fructuum portio dominicalis gaudeat penes conductorem laicum eadem exemptione a collectis, gabellis, aliisque laicalibus oneribus, qua penes Ecclesiam locatricem gaudere deberet.

Item cum pars vini, quod ex dictis bonis percipitur, in stillatitium, seu aquamvitam converti soleret, posita immunitate pro vino, An eadem pro hac altera specie competeret; Super quibus pro veritate consultus respondi, ut sequitur.

Quoad primum, moderni canonistæ, ac morales ex una, & civilistæ ex altera, sive Ecclesiastici, & laici, quasi ad invicem certantes, propriamque causam singuli tuentes, ad æmulationem potius, quam ad veritatem scripsisse videntur, multa etiam exorbitantia firmantes, cum præjudicio potius, quam cum beneficio illius partis, quam tueri profitentur, unos terminos cum aliis quoque confundendo, unde non levem in his materiis confusionem induxisse videntur, præsertim juxta modernorum transcribentium contrupelam, auctoritates de uno casu loquentes, ad alium omnino diversum habentes.

Pro veritate igitur, quo magis fieri potest, sincere indaganda, æquivocisque tollendis, ad casuum, ac terminorum distinctionem reflectendum, omnino congruum, quinimo necessarium videtur.

Atque omissis terminis colonorum sub diurna, vel menstrua mercede bona Ecclesiastica colentium, ac aliorum, qui perpetuo illis ad omnimodam domini utilitatem adscripti sunt, vel qui sub titulo perpetuæ coloniæ, omnes fructus ad proprium commodum, sub recognitione pecuniaria perci-
2 piunt, utpote ad rem nostram non facientibus.

Tres in proposito distinguendæ sunt laicorum species; Alii enim sunt laici coloni, qui prædia Ecclesiastica colentes, partem fructuum pro portione colonica retinent, & partem domino pro portione dominicali præbent, *partiarii* nuncupati; Alii sunt laici emptores fructuum, qui ex bonis Ecclesiasticis jam percepti sunt per ipsos ecclesiasticos dominos; Et alii sunt laici, qui eadem sub bona certa pensione pe-
3 cuniaria, vel in frugibus conducunt, *affictuarii* nuncupati.

In prima specie colonorum partiariorum, plures cadunt quæstiones, una præsertim, an cum personis, animalibus, & plaustris, cogi valeant ad operandum in arcium fortificatione, aginum, pontium, murorum, & viarum refectione, & similibus, de qua ex professo plenissime agit, Sperell. *decis. 61. cum duobus seq.* ubi ad satietatem utriusque opinionis rationes, & auctoritates expendit.

Altera est, num cogi valeant ad collectas, vel taxas, quæ loco hospitationis militum subrogatæ sunt, & de qua plene, ac docte agit insignis J. C. & hujus curiæ sua tempestate primarius Advocatus Spada in tribus ejus responsis registratis *in 1. vol. ejus consilior. cons.* 131. ubi diligenter, ac singillatim omnes Doctores hincinde de ista materia tractantes examinat, & declarat, ut ibi videri potest.

Tertia est frequentior, an itidem coloni teneantur ad collectas, & onera laicalia pro fructibus ad eorum portionem colonicam spectantibus, qui est propriæ casus, *consil.* 111. Fedetic. de Sen. *num.* 10. & de qua agunt Thesaur. *& Add. decis.* 116. Sperell. *dec.* 44. ac etiam *decis.* 41. *& seq.* Cohell. *ad Bull. Bon. Regim. cap.* 50. *numer.* 247. *cum seq.* Marotta *in tractat. de Collectis, seu bonatenentia cap.* 14. *num.* 8. Ciarlin. *controv.* 22. qui late alios cumulant, & cæteri moderniores præsertim morales cuicumque mediocriter versato de facili cogniti.

Sed omnes prædictæ, ac similes quæstiones percotiunt portionem colonicam, ad ipsum laicum spectantem, non autem portionem dominicalem spectantem ad ipsam Ecclesiam, vel dominium Ecclesiasticum, cujus respectu nemo, etiam ex civilistis, vel laicis dubitat de exemptione, unde propterea, omnia, quæ in his terminis colonorum per DD. hincinde dicuntur, sunt extra casum nostræ quæstionis, neque in proposito habenda sunt in consideratione.

In secunda specie laicorum ementium fructus, ac redditus 4
bonorum Ecclesiasticorum, qui per ipsos Ecclesiasticos dominos jam percepti sunt. An scil. d. emptores gaudeant illis immunitatibus, quibus ipsi Ecclesiastici gauderent, contendunt scribentes. Negativam enim ex auctoritate, Specul. *lib. 4. tit. de Immunit. Eccles. in fin.* Archidiac. *in c. penult. de Cens.* Anchar. *in Clem.* 1. *num. 6. de decim.* & aliorum gravium Auctorum, & tenent & probant, Guttier. *de gabell. quæst. 44. num. 3. cum seqq.* Rovit. *decis. 71. de Marin. resol. quotid.* 169. *numer. 6. lib.* 1. & latius in addit. ad Reverter. *decis.* 192. *&* 373. *utrobique in fin.* Fontan. *dec.* 301. *cum plurib. seq.* Marott. *d. tractat. de collecta, seu bonatenentia cap. 14. num. 6. impress.* post ejus disceptationes, qui alios cumulant de facili videndos.

Affirmativam vero, ut eadem immunitas emptoribus competat, late tuentur & probant, Riminald. jun. *consil.* 724. *n.* 21. Grat. *discept.* 390. Menoch. *cons.* 136. Lotter. *de re benef. l. 2. qu. 31. ex num.* 57. & aliis relatis per Sperell. *dec. 41. n.* 7. & Ciarlin. *d. controv.* 22.

Alii vero inhærentes distinctioni, Bald. *cons. 31. vol.* 1. distinguunt, an agatur de onere intrinseco, seu correspectivo ad contractum emptionis cum Ecclesiastico initum, vel potius de onere separato ab ipso actu emptionis, ut constat apud Belett. *disquis. cler. tit. de exempt. cler. a muner.* §. 8. *n.* 4. Squillant. *de privil. Cler. cap. 8. n. 27. &* 58. Sperell. *d. dec. 41. n.* 8. Ciarl. *d. controv. 22. n.* 9.

Quamvis autem iste casus emptionis fructuum, & redditum, fraternizare videatur cum nostro, itant Feder. de Sen. *cons. 111. n.* 10. Archidiac. Ancharan. & exteri, istos casus de emptore, vel affictuario, patiformiter tamquam synonymos in proposito tractare videantur, ut constat ex eisdem registratis apud Rovit. *d. dec.* 71. Nihilominus, cum plures rationes, magis uni, quam alteri casui adaptabiles videantur, idcirco tamquam distincti videntur tractandi, ac propterea iste etiam casus emptoris, eodem modo, quo præcedens coloni, extraneus videtur a casu controversiæ.

Tertia, demum ad remett species laicorum conducen- 5
tium bona Ecclesiastica, qui tamen in duas alias species subdistinguendi videntur, una est conducentium sub annua pensione pecuniaria ipsa bona, proprio sumptu, & industria colenda, cum omnimoda omnium fructuum ad proprium commodum perceptione, ut frequentior, ac connaturalis est hujusmodi contractus locationis, & conductionis praxis; Altera est conducentium pariter sub annua pecuniaria pensione, solam portionem dominicalem locatori competentem, absque aliqua sumptuum, & industriæ erogatione in bonorum cultura, quæ tota incumbat colono partiario, portionem colonicam proinde obtinenti, qualis est præcise casus controversus, itant contractus locationis consistere dicantur in juribus portionis dominicalis.

Et licet in utraque specie, pro immunitatis competentia militare videatur eadem ratio utilitatis, ac respective præjudicii Ecclesiæ, quod scilicet ratione immunitatis bona locentur pro majori pensione, quæ alias pro-

pter onus gabellarum ex fructibus solvendarum esset longe minor, & quam in d. secunda specie ementis fructus bonorum Ecclesiasticorum ponderat, Bald. *d. cons.* 31. *vol.* 1. quem cæteri sequuntur superius allegati. Aliqua tamen differentia esse videtur inter unum casum, & alterum, quia in primo inesse videtur quædam magis explicita mercaturæ species, cum fructus exinde per conductorem percipiendus, non totus dici valeat fructus ipsius rei Ecclesiasticæ, dum saltem dimidia dicitur potius producta ab expensis, & industria ipsius conductoris in cultura, unde aliqua major dubitandi ratio contra conductorem cadere videtur.

Generaliter autem, d. species non distinguendo, ut laici conductores, seu affictuarii bonorum Ecclesiasticorum non gaudeant privilegiis Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis competentibus quoad immunitatem a datiis & gabellis pro fructibus quos percipiunt, auctoritate, Gloss. *in Clement. præsenti, verbo non negotiandi de Censibus*, firmant Archid. Anchar. Federic. de Sen. *& cæteri* superius in casu emptoris allegati, quos in præcisis terminis affictuarii referunt, ac ita firmant, Rovit. *decis.* 71. ubi quæstionem tractat occasione affictuariorum bonorum feudalium, Revert. *decis* 192. *in fin.* ubi Marin. in addit. qui hanc conclusionem undique receptissimam dicit, quod etiam repetit in addit. *ad decis.* 373. Gutier. *de gabell. d. quæst.* 44. *num.* 3. *cum seqq.* Marotta *d. tract. de collecta, seu bonatenentia, capit.* 14. *num.* 7. Fontanell. *decis.* 307. *ubi num.* 3. dicit, quod totus mundus est pro hac opinione, & quod vix est unus ex scribentibus, qui contrarium tentaverit, & ex modernis Ecclesiasticis, Bellett. *disquis. Cler. dict. tit. de exempt. cler. a muner.* §. 8. *num.* 1.

Eandem tamen conclusionem limitantes, quando gabella esset ita gravis, quod Ecclesiæ, vel Ecclesiastici, cum magna difficultate, ac detrimento conductores invenirent, atque pro minori pensione locare cogerentur, ut admittit idem Feder. de Sen. *dict. consil.* 111. & sequuntur cæteri collecti per Bellet. *dict. numer.* 1. *in fin.* Giurb. *resp.* 5. *numer.* 56. *cum seqq.* Marot. *dict. capit.* 14. *num.* 6. *in fin.* Carlin. *dict. controv.* 22. idem Fontan. *d. decis.* 307. *num.* 18. ubi tamen *num.* 19. satis hanc limitationem restringit, ubi scilic. gravamen est tale, quod plus exigatur a colonis Ecclesiasticorum, quam laicorum, quod nullum habere videtur fundamentum.

6 Mihi autem pro veritate, ita distinguendum videtur; Quod, aut agitur de illis gabellis, & oneribus improprie realibus, vel mixtis, quæ Princeps laicus in quantitate, vel in quota, directe & immediate exigit ex fructibus, qui ex bonis in ... territorio possessis percipiuntur, quia nempe, pro qualibet ... frumenti, ... colligitur, vel collectus ad certum locum ... solvantur tot solidi, vel certa ejusdem frumenti pars, itaut sit species decimæ temporalis, quam Princeps laicus exigit a suis subditis, vel ratione bonorum in sua ditione existentium, vel utraque ratione bonorum & personarum, adinstar decimæ formalis, quæ Deo solvitur.

Et tunc quicquid sit in prima specie conductoris pro parte colonica, quam ratione sumptuum, ac propriæ industriæ magis, etiam ratione ipsorum bonorum percipere dicitur, & in sua procedendum videtur cum cæteris terminis, cum quibus proceditur cum colonis partiariis in portione colonica.

In portione tamen dominicali, quæ proprie ipsius rei Ecclesiasticæ fructus dicitur, omnino, & absolute pro conductoris exemptione respondendum videtur, quoniam alias ita, vere & proprie per indirectum esset exigere onus laicale ex fructibus, & bonis Ecclesiasticis, quos Ecclesia, immutato solum percipiendi modo, percipit in pensione, quæ cum a fructuum quantitate regulatur, seu proportionem recipiat, absque dubio major erit, si fructus prout recipiuntur, integre ad percipientem absque aliqua detractione directa, vel indirecta pertineant; minor autem, si fructus diminutionem patiantur, itaut in effectu onus laicale, non per laicum conductorem, sed per Ecclesiam, vel Ecclesiasticum locatorem solvi diceretur, ut egregie Bald. *d. cons.* 31. & sequuntur cæteri plene deducti apud Sperell. *d. decis.* 41. & alios, ut supra. Atque isto casu censeo verum esse opinionem, de qua Grat. *d. discept.* 393. Spad. *d. cons.* 131. & Sperell. *loco cit.* ut privilegium sit potius reale, quam personale.

Neque huic considerationi obstat text. *in clem.* 1. *de decim.* in quo potissime se fundant contrariæ sententiæ auctores, præsertim Fontanell. *d. decis.* 307. *num.* 8. quia in casu decimarum non obstat omnimoda incompatibilitas, seu incapacitas exigentis, prout obstat in præsenti, itaut ibi dominus bonorum locando bona, videatur se privare illo privilegio, cui volens potest renunciare, cum alias de jure, Ecclesiastici etiam decimis spiritualibus subjaceant, quod in his terminis dici non potest, quia nec volentes Clerici, & Ecclesiastici possunt istis oneribus se submittere, ideoque termini non sunt æquales, a quibus argui valeat.

Aut agitur de illis gabellis & oneribus, vere personalibus, & quæ principaliter exiguntur propter personam, non autem propter rem, occasione solum usus rei, ut puta pro molitura frumenti ad victum solvenda est certa gabella, ut frequens est in Regno Neapolitano, ut in nullius, Baren. *hoc tit.* ac etiam habetur in Statu Ecclesiastico, & tunc indubitatum videtur, quod privilegium Ecclesiasticorum non transfundatur in conductores laicos, sed pro talium fructuum usu solvenda sit gabella, quamvis ex bonis Ecclesiasticis percepti sint, atque Ecclesiastici locatores eam non solvant, quia in effectu, non est onus reale, nec mixtum, quod solvatur ex fructibus propter res, sive ex eisdem propter personas, sed est onus mere personale, quod Princeps a suis subditis exigit occasionaliter, seu mediante tali usu, atque ita passim ubique servat praxis indubitata, quia si Ecclesiastici non solvunt gabellam, id non provenit ratione qualitatis, & exemptionis bonorum, sed ratione exemptionis personarum, itaut etiamsi frumentum a sæcularibus emptum, pro eorum usu molere vellent, neque ad tale onus Ecclesiastici tenerentur, ut de hujusmodi gabella pro molitura habetur in d. nullius Baren. *hoc eod. tit. disc.* 54.

Aut demum agitur de gabella, quæ imposita non est ipsis fructibus, neque pro eorum perceptione de necessitate solvenda est, itaut si conductor eos convertere velit in propriam, suæque familiæ alimoniam, vel alios usus, nullam gabellam solvere teneretur, sed solum illa præstanda sit pro eorumdem fructuum venditione in foro, sive pro extractione de loco ad locum, vel pro alia contrectatione, quæ mercimonii potius, ac industriæ speciem sapiat, & tunc concors videtur antiquorum, & modernorum opinio, conductorem non gaudere illa exemptione, qua gaudere locatos, si eosdem fructus vendere, seu contractare vellet, juxta traditionem Speculator. Archidiac. & aliorum, de quibus apud Rovit. *dicta decis.* 71. de Marin. apud Revert. *decis.* 292. & 373. *utrobique in fin.* & per alios superius allegatos; Et de Ecclesiasticis admittunt, Bellet. *d. tit. de exempt. cap.* 8. *num.* 4. Squillant. *de priv. Cleric. cap.* 8 *num.* 28. del Bene *in tract. de immun. tom.* 1. *cap.* 5. *dubit.* 7. *sect.* 18. *n.* 9. *fol.* 236.

Prout admittunt etiam omnes, cum eadem distinctione, in colono partiario, vendente portionem colonicam, quia in effectu laicus dicitur vendere bona propria, & effecta jam laicalia, atque in eum obventa ex quodam titulo industriæ, & mercaturæ, pro quo neque Ecclesiastici sunt immunes a gabellis.

Et quamvis dici posset, quod communicatio hujusmodi privilegii, quam Ecclesiastici facerent laicis, causaret Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis majorem utilitatem, quoniam ita ratione istius franchitiæ invenirent conductores majorem pensionem solventes, & econverso ex dict. communicationis defectu pensio esset minor; Nihilominus isto casu recte interne videtur consideratio, Bald. *cons.* 496. *lib.* 3. *num.* 3. & 4. ut attendendum non sit illud minus lucrum quod accessorie, & consequutive ita privilegiatis resultat, quia sufficit onus non esse directum ad ipsa bona, neque quod afficet laicum percipientem ex sola perceptione ad illud solvendum.

Quod tamen ex eadem ratione, in primo casu ex tribus proxime distinctis posito, declarandum, seu temperandum venit, nisi, vel ex qualitate fructuum vel ex more regionis, gabella solvenda pro eorumdem fructuum contrectatione, si non directe, saltem indirecte eos percuteret, itaut effectus esset idem, quia nempe non vendi possent immunes, nullius, vel minoris essent qualitatis, unde Ecclesia conductorem pro justa pensione non inveniret, proindeque gravata remaneret, atque ita in effectu onus gabellæ per ipsam locatricem potius, quam per laicum conductorem subiri videretur: tunc enim, ex eisdem rationibus, & auctoritatibus, de quibus in primo casu, idem omnino dicendum est.

Ideoque decisio quæstionis ... videtur esse facti, & applicationis, an scilicet Ecclesiastici agant de damno vitando, vel de lucro captando, convertendo gabellam ad proprium commodum juxta ea, quæ habentur in Perusina gabellæ vini *hoc eod. tit. disc. præcedenti*, super quo certum

cium judicium dare non potuit, cum facti circumstantiarum notitiam non haberet. Hanc autem theoricam juxta meum sensum pro veritate insinuabam, ut juxta facti circumstantias requirens applicaret, indeque dignosceret, an ejus prætensiones haberent necne subsistentiam.

Quo vero ad alium punctum stillatitii, seu aquævitæ, dicebam, quod aut agitur de gabella vini, num scilicet exigi etiam possit pro aquavita, & decisio pendet a jam
7 dicto primo puncto: si enim sumus in casu, quod juxta dictam distinctionem debeatur gabella pro vino, & non adsit alia gabella particularis pro hujusmodi merce, certum est eandem pro aquavita deberi, vel e contra; cum gabella debita pro simplici, debeatur etiam pro mixto, quando istius tota substantia, vel major pars a simplici provenit, ut in individuo gabellæ vini, ut comprehendat etiam aquamvitam firmavit Rota *decis.* 118. *par.* 11. *rec.* Et in similibus terminis gabellæ olei exigendæ pro farina, vel serici, exigenda pro contentis bene docet Mantuanus, Cyriac. *controv.* 468, *n.* 28. *cum seq.* & habetur larius deductum sub hac eadem materia in aliis, *hoc tit.* præsertim de aquavita in Romana, seu Veliterna, *disc.* 68. & de sapone in Camerinen. *disc.* 74.

Aut agitur de gabella particulari, quæ debeatur pro
8 aquavita, tamquam merces diversa a vino, ut practicatur in Urbe, ubi a moderno tempore de mandato Innocentii X. non exigitur gabella vini pro aquavita, prout antea exigebatur, sed exigitur dohana tamquam de merce, utpote in effectu consumente diversam speciem a vino juxta text. *clar. in l. si quis vinum* 9. *ff. de tritico, vino, & oleo legatis, ut in d. Romana, seu Veliterna, disc.* 68. & tunc decisio tota videtur esse facti, & applicationis, inspiciendo scil. an Ecclesiastici locatores, ac faciliorem vini venditionem, seu alias regionis consuetudine ita exigente, ea vino, quod a bonis locatis pro portione dominicali percipitur, dictum stillatitium facere consueverint, sive illud facere soleat colonus partiarius, qui deinde, colonica portione pro se retenta, dominicalem tribuat Ecclesiasticis locatoribus, & consequenter
9 huic laico conductori eosdem locatores repræsentanti; Vel potius iste laicus conductor, ex propria peculiari industria, ad majorem utilitatem a bonis conductis reportandam, ea vino stillatitium componat.

Primo enim casu, dicendum in omnibus venit de gabella hujus mercis idem, quod dictum est in antecedenti quæsito de gabella fructuum in genere, cum fructus dicantur in hanc speciem pro commodiori, & utiliori perceptione conversi. Neque respectu Ecclesiasticorum dici potest mercatura eis prohibita, uti potius dicatur ar-
10 tificium ad fructuum perceptionem ordinatum; Mercatura enim proprie dicitur, ubi eadem res venditur, ut non immutata forma revendatur, secus autem ubi artificium est admixtum, ut in puncto religiosorum ementium venam ferream insulæ Ilvæ, eamque ad ferrum elaboratum cum industria reducentium, Feder. de Sen. *cons.* 207. plene alios colligens, Surd. *decis.* 313. multo magis dum id geritur pro meliori perceptione fructuum proprii fundi; Ut de clericis sæcularibus, vel regularibus, licite ementibus animalia, ad effectum ea impinguendi cum glandibus, & pascuis prædiorum Ecclesiæ, vel patrimonialium, sive de nutrientibus bombices, cum foliis arborum in propriis prædiis existentium, ad effectum componendi, & vendendi sericum cum similibus, adsunt decreta generalia Sac. Congr. Concilii, de quibus Barb. *de univers. jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 40. *n.* 127. & cæteri moderni collectores hujusmodi passim.

Et sic punctus est, an iidem Religiosi locatores, eamdem conversionem vini in aquamvitam facerent necne; Si enim non facerent, itaut esset mera industria conductoris, absolutum crederem suffragari non posse exemptionem, quia duplex concurreret obstaculum, unum nempe jam dictum, quod fructus non sunt bona ecclesiastica, sed laicalia, de laici conductoris dominio existentia, alterum quod immutarunt speciem, & non dicuntur percipi eo modo, quo ecclesiastici locatores percipere solebant, & in ea specie, in qua dici posset impressum privilegium reale exemptionis, secus autem e converso, quia tunc, & ista species dicitur ipsorum bonorum Ecclesiasticorum fructus.

Et hanc dixi esse meam sententiam pro veritate, de qua tantum extra Curiam, mea est consuetudo de jure respondendi.

NULLIUS BAREN. GABELLÆ FARINÆ;

PRO GABELLOTIS OPPIDI TERLITTII, ET UNIVERSITATE ILLIUS ADHÆRENTE,

CUM ARCHIPRESBYTERO EJUSDEM LOCI.

Casus disputatus in S. Congregatione immunitatis, & resolutus ut infra.

De franchitia Ecclesiasticis competente, & gabella farinæ, seu macinatus, quomodo competat, & ad quam rationem, & an Ecclesiastici pagellas, seu bullettas franchitiæ concedere, seu vendere possint laicis, & gabellæ subjectis.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia, & quomodo practicetur franchitia gabella farina cum Ecclesiasticis.*
2 *Immunitas Ecclesiastica competit Ecclesiasticis a gabellis, & oneribus, ut preserventur a damno, non ut lucrentur.*
3 *Ecclesiastici an, & quando possint aliis non exemptis vendere, vel concedere eorum franchitiam.*
4 *Ubi taxa generalis franchitia non sufficit, an sit danda pro tota usu.*
5 *An Clerici absentes possint pretendere franchitiam gabella farina.*
6 *Gabella farina, seu macinatus dicitur personalis, quam Princeps occasione hujus usus exigit a subditis.*

D I S C. LIV.

Frequens est, ac satis gravis in Regni Neapolitani Civitatibus, Oppidis, & Castris, nullo forsan excepto, gabella farinæ, seu macinatus, ut scil. volentes moliri frumentum ad farinam pro usu panis, vel alterius comestibilis reducendam, solvere debeant quamdam pecuniarum summam, pro quolibet modio ibi *tumulo* nuncupato, præbente gabellario solventi in signum solutæ gabellæ quandam parvam gabellam, seu bullettam, sine qua, molientes, vel alias farinæ usum adhibentes, aut panem introducentes ab extra, gravibus pœnis mulctantur; Quia vero Ecclesiastici ab hujusmodi gabella exempti sunt, idcirco ut farinæ usum sine illius solutione habeant, evitentur tamen fraudes, totius Regni consuetudo introduxit, ex antiquis etiam (ut fertur) concordatis, concedendi singulis mensibus personis Ecclesiasticis gratis dict. bullettam, seu pagellam limitatam ad certam frumenti quantitatem, puta unius, vel duorum tumulorum, plus & minus, ut singulorum locorum consuetudo induxit, quæ in hoc loco, & fere generalis est, ut clericis in minoribus detur ad rationem unius tumuli, simplicibus sacerdotibus ad rationem duorum, personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, utpote majori famulatu verisimiliter indigentibus, ad rationem trium, Episcopis vero, vel Prælatis inferioribus Episcopalem jurisdictionem in loco habentibus, absque hac taxa uniformi in summa discreta & proportionata familiæ, quam retineant, ac eleemosynis, quas in pane pro sui muneris debito faciant pauperibus. 1

Cum autem hujus Oppidi Archipresbyter, saltem de facto, sit in possessione exercendi ordinariam & quasi Episcopalem jurisdictionem, tamquam in loco *Nullius* & territorii separati, cum usu Pontificalium, itaut Episcopi apud vulgus figuram faciat, casus quoque dedit, quod aliqui Archipresbyteri familiam numerosam adinstar divitum Episcoporum retinere studuerunt, ut præsertim fecerat Archipresbyteri moderni prædecessor mediatus, supremas etiam vices gerens Domini temporalis absentia, unde propterea franchitiam ad rationem 14. tumulorum pro quolibet mense obtinere consuevit, quia forte tanta quantitas pro familiæ usu, & eleemosynis tunc esset proportionata; Hodiernus autem quamvis modico famulatu sit contentus, ad eamdem tamen rationem consuetam cum prædecessore franchitiam prætendere cœpit, atque aliquo tempore de facto obtinuit, vendendo laicis easdem bullettas, seu pagellas, suum usum in tribus ex quatuor partibus & ultra superantes; Verum gabellariis, ipsaque Universitate ad talem exuberantem rationem continuare renuentibus, offerentibus tamen dare totam quantitatem suo usui congruam; Hinc propterea eosdem gabellarios excommunicavit, a quibus censuris interpositam appellationem ad A. C. atque eodem Archipresbytero curante causam reassumi per Sac. Congregationem immunitatis, assumpta coram ista disputatione.

Pro Universitate, & gabellariis scribens, injustas dice-
a bam censuras, illicitamque hujus Archipresbyteri prætensionem, quia exemptio, seu immunitas Ecclesiastica per sacros ordines præscribitur, ut clerici, & ecclesiastici tamquam exempti a jurisdictione indicentis gabellam, vel alia onera publica, non cogantur eam solvere, seu panem aliaque victualia ingabellata comedere, vel alias de proprio, directe, vel indirecte gravari, ac damnificari. Non autem, ut gabellas per laicos, & subditos proprio Principi, vel Civitati pro publicis oneribus solvendas, ipsi ad lucrum, & privatam utilitatem exigant, quoniam ita esset, non solum obtinere exemptionem passivam a sacris canonibus demandatam, sed etiam jura Regalia usurpare, ac exercere jus activum exigendi a laicis ea vectigalia, & onera publica, quæ Principi, vel Civitati pro publicis oneribus debentur, contra omnem juris dispositionem, ac rationem, ideoque sufficere debet, ut pro eorum usu exemptione potiantur, ut in Barchinonen. exemptionis, *disc.* 58. in Perusina gabellæ vini, *disc.* 52. & in aliis, *hoc tit.*

3 Et licet consuetudo præbeat Ecclesiasticis facultatem concedendi laicis, vel etiam pro tanto pretio, quantum gabella importat, vendendi hujusmodi franchitiæ bullettas, seu pagellas; Attamen id aliquod habere videtur rationis fomentum, quia cum plerique Ecclesiastici, commoditatem non habeant proprium frumentum macinandi, ac panem faciendi in propria domo, unde propterea coguntur pro eorum personæ, & familiæ usu emere panem venalem ingabellatum; Idcirco justum est, ut de gabella, quam ita solvunt, se reintegrent ex dictæ franchitiæ venditione, quæ nullum gabellarii præjudicium inferre dicitur, dum illa franchitia, quam ita obtinent laici & subditi dictas bullettas ementes, compensata remanet ab ea gabella, quam ipsi Ecclesiastici exempti solvunt, emendo panem venalem ingabellatum, & sic undique concurrit compensatio.

4 Est bene verum, quod hujusmodi compensatio dici non potest æqualis & omnimoda, quia sæpe sacerdotes, duos franchitiæ tumulos obtinentes, utpote nullum habentes famulatum, pro eorum personæ usu emunt panem, ad unum tumulum non ascendentem, quin imo in quibusdam regionibus, præsertim in Apulia, & aliquibus Lucaniæ partibus, ubi ob frumenti nimiam ariditatem, & pondus, major panis quantitas obtinetur, vix usus unius personæ medietatem tumuli excedit, unde totum plus cedit lucro Ecclesiastici vendentis franchitiam, ac respective damno gabellarii; Quod etiam contingit in iis, qui proprium frumentum macinantes, panem in propria domo fabricant, quia, vel panem francum eorum usu excedentem præbent conjunctis, ac aliis gabellam alias solvere debentibus; vel utendo bulletta pro sola quantitate usui necessaria, reliquam partem vendunt, idque passim a laicis toleratur; Sed hæc observantia pariter dictæ rationi mutuæ compensationis tribuenda videtur, quia e converso multi etiam adsunt Ecclesiastici onerati numerosa familia, ipsorum Ecclesiasticorum sumptibus sustentata, pro qua hæc taxa generalis, & uniformis non sufficit, unde coguntur panem ingabellatum emere, vel solvere gabellam pro molitura quantitatis exuberantis, quæ sibi necessaria est contra juris dispositionem, cum exemptio clericorum trahatur etiam ad eos, qui licet subditi, vivunt tamen sumptu Ecclesiasticorum, atque sunt de illius familia, non tamen ad industriam, & mercimonium tetenta, ut tamquam certum admittit etiam ipsamet Regia Camera in illis locis, in quibus, cessante ista taxa consuetudinaria, datur franchitia ad rationem tot unciarum panis pro qualibet persona, & die respectiva, juxta ejusdem Cameræ taxam (ea tamen moderatione per illam adjecta, ut famuli esse debeant exteri, ut ita cesset præjudicium Universitatis, & ne ejus cives & subditi vivant sine gabella,) sed ubi dicta consuetudo viget, tunc sicuti toleratur, ut ecclesiastici nullam habentes familiam, pro solo usu eorum personæ obtineat franchitiam longe excedentem, quam laici, & subditi cum gabellæ præjudicio manifesto vendunt, ita e converso, ecclesiastici majorem familiam tenentes, ac majori panis quantitate indigentes, ex dicta ratione commodi, & respective incommodi, pati debent gabellæ solutionem, nam alias gabellariis isto casu præstare debentibus totam franchitiam, quamvis consueta taxa majorem, concedenda esset facultas denegandi non indigentibus partem excedentem eorum usum, quod utique resultaret in majorem gabellæ utilitatem, & ecclesiasticorum in universum præjudicium. Et ita ego, cum essem Vicarius Capitularis, & successive Generalis in patria, respondebam illis Ecclesiasticis, qui ratione majoris familiæ, majorem franchitiam petebant.

Atque in proposito casus controversi, in quo agentes pro Archipresbytero magnam vim faciebant in consuetudine, seu præterita observantia; Dicebam, tunc illam judicari posse alicujus momenti, quando esset talis, quod obligaret omnes Archipresbyteros pro tempore ad se continendum intra hujus quantitatis limites, itaut majori, pro familiæ, ac eleemosynarum usu indigentes, cogerentur pro excessu solvere gabellam, unde dici posset species taxæ conventionalis & concordiæ, se habens ad lucrum, & damnum. Sed cum in facultate Prælati pro tempore repositum esset, majorem familiam retinere, atque eleemosynas distribuere, unde propterea majorem petere posset franchitiam, idcirco omnino injustum dicebam, ut ita Universitas esset semper in damno, & præjudicio, numquam in lucro contra regulam, text. *in c. secundum naturam*.

Hinc proinde credidi aliquas declarationes S. Congregationis Episcoporum, vel Immunitatis editas super ista 5
franchitia frumenti, competente Ecclesiasticis, quamvis a propria patria absentibus, prodiisse absque distincta notitia, & perceptione qualitatis hujus gabellæ, & franchitiæ respective; Cum enim hæc sit exemptio ab onere, non solvendo pro eo pane, quem ipsi Ecclesiastici comedunt, non videtur quomodo non comedentes debeant habere hanc franchitiam ad solum lucrum, ut sæcularibus vendant. Ideoque dicebam hanc franchitiam per absentes prætendi solum posse pro illis personis, quæ ab ipsis aluntur, atque eorum, quamvis absentium, sumptu vivunt, cum alias esset exigere gabellam ab Ecclesiasticis. Æquivocum autem super hujusmodi declarationibus in eo consistere judicabam, quod S. Congregatio crediderit, istam esse gabellam solvendam pro frumento, quod vendatur, seu alias contrahetur, nam ab ista clerici quamvis absentes, deberent pro eorum frumento ex propriis prædiis collecto, vel alias quam ex mercimonio obvento, esse exempti, quod liquet ex eisdem declarationibus, præsertim prima, quæ videtur originalis in una Vigilien. in qua dicitur *deberi Clericis absentibus franchitiam a gabella frumenti*; Sed non est iste casus, cum hæc gabella in effe- 6
ctu non solvatur pro frumento, sed pro usu panis, quem unusquisque comedit, itaut adinstar eorum, quæ sæpius habentur hoc tit. de pretio salis, ista dicatur gabella personalis, quam Princeps, vel Civitas exigit a personis subditis occasione hujus necessarii victualis, ideoque Ecclesiasticis sufficere debet habere hunc usum liberum, & comedere panem non ingabellatum; sed injustum est, ut lucrum faciant, atque active jus Regale, & publicum, ad privatam utilitatem convertant.

Sac. Congregatio de ann. 1664. censuit justam esse Universitatis, & gabellariorum petitionem, sed quia ex parte Archipresbyteri dicebatur hoc emolumentum ex dicta excedente franchitia resultans, dari in compensationem decimarum, quas non exigit, cum hic punctus non percuteret materiam immunitatis Ecclesiasticæ, & consequenter ad ipsam Congregationem non pertineret, idcirco rescripsit quod suspensis censuris, partes utantur eorum juribus coram Judicibus competentibus.

In hoc etiam proposito franchitiæ, quæ clericis præstatur in pagellis, ut supra pro exemptione a gabella farinæ, seu macinatus, pluries scio controversum fuisse. An clerici, vel presbyteri inservientes Episcopo, in cujus domo panem a gabella exemptum comedunt, habere debeant hanc franchitiam, ut aliis vendant; Et quamvis punctum ego adhuc formiter in judicio non disputaverim, de meo tamen judicio pluries oretenus requisitus, dicere consuevi, quod aut iste clericus habet matrem, seu alios conjunctos suo sumptu viventes, & pro ista rata intret idem, quod supra dictum est de clericis, etiam absentibus. Aut ista circumstantia cessat, & tunc de stricta juris censura verior sit negativa contra clericum, quia istud non est emolumentum affirmativum, sed exemptio negativa ab onere, ne scil. cogatur comedere panem ingabellatum, atque ita onera laicalia ferre, ideoque sufficit, quod iste finis impleatur, solumque ex ratione d. compensativæ consuetudinis, per quam clerico habenti minorem familiam datur excessiva franchitia in taxa uniformi, etiam pro habente majorem familiam, ut ei debeatur illa rata excedens usum proprium, quam alias venderet si in propria domo viveret, ne servitium Episcopi eum reddat deterioris conditionis, sed pro rata adæquata suo usui, dum in domo Episcopi come-

comedit panem franchum, non debet Civitatis duplici onere gravari, cum nulla penitus ratio suppetat.

Diu vero post hæc reperii casum in specie tractatum per Modernum Pignatellum *in quadam Miscellanea variarum Consultationum Canonicarum, t. 1. consult. 51.* ubi substinet affirmativam; sed ejus fundamenta non placent, quia ut victum est, istud vere non est emolomentum, seu jus activum; Datio autem pagellarum, est quidam actus positivus, in effectum continens actum negativum a solutione oneris, & ne clericus pro se, & familia comedat panem ingabellatum, unde propterea omnino extraneæ sunt a casu regulæ, & propositionis ibi deductæ.

FERRARIEN. EXEMPTIONIS,

PRO CARDINALI ROSSETTO,

CUM APPALTATORE GENERALI FERRARIÆ.

Casus disputatus in Congregatione Camerali & sopitus ut infra.

Gabellæ Statua Ecclesiastici, An & quando exigi possint a Clericis, & Ecclesiasticis; Et de ratione, ob quam in hoc Statu, etiam Ecclesiastici subjiciuntur publicis oneribus, ac immunitas Ecclesiastica non suffragatur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Cardinales an veniant sub dispositionibus generalibus remissive.*
3 *Clerici, & Ecclesiastici sunt exempti a gabellis, & oneribus laicalibus.*
4 *Papa duplicem gerit personam, Papæ, & Regis, seu domini temporalis.*
5 *Ea quæ disponit tamquam Dominus temporalis regulariter non ligant Ecclesiasticos ex defectu voluntatis.*
6 *Sub Constitutionibus revocatoriis privilegiorum super exemptionibus, non venit privilegium resultans a jure communi.*
7 *Verba suppositiva non inducunt dispositionem.*
8 *De ratione, ob quam Papa subjicit etiam Ecclesiasticos gabellis, & oneribus laicalibus, & quando id procedat.*

D I S C. LV.

QUando Civitas cum tota ditione Ferrariæ infeudata erat sub ejus Ducibus, per istos ab antiquo imposita fuit
1 quædam gabella, pro tritici, aliarumque frugum extractione, quæ aliquando de facto per gabellarios, & ministros, etiam a clericis & Ecclesiasticis exigi consuevit, itaut sub Nicolao V. Dux absolutionem a censuris propterea incursis obtinuerit, atque per particulare decretum hujusmodi exactionem ab Ecclesiasticis in futurum omnino interdixerit. Cum autem sub Clemente VIII. ob feudi devolutionem, Status prædictus ad Sedem Apostolicam rediisset, una cum omnibus annquis juribus datiis, & gabellis, in aliqua parte per eundem Clementem moderatis; Cameræ Apostolicæ appaltatores, vel ministri, sive ob antiquum abusum prædictum, qui apud vulgi opinionem invaluerat; ut ab ista gabella extractionis, neque Ecclesiastici essent exempti, sive qua in statu Ecclesiastico, quandoque cessat ecclesiasticorum exemptio a vectigalibus & gabellis, idcirco de facto eam indistincte exigere consueverant, præterquam a Cardinalibus extrahere volentibus fructus suorum beneficiorum & Abbatiarum, unde in appaltus capitulis illud præsertim quarto loco adjici consuevit, quod Cardinales, & alii exemptionis pro extractionibus eorum nomine faciendæ, de fructibus ad eorum dominicalem portionem tantum spectantibus, ne sub eorum nomine, coloni eorum portionem colonicam
2 extraherent; Sed deinde etiam Cardinalibus Appaltator generalis istam exemptionem denegare cœpit; præsertim Cardinali Rossetto extrahere volenti fructus sibi commendatæ Abbatiæ, in dicto Statu existentia.

Quare habito recursu ad Congregationem Cameralem pro removendis illis impedimentis, quæ per Appaltatorem de facto præstabantur. Pro Cardinali scribens, dicebam, opus non esse agere de qualitate Cardinalitia, ejusque peculiari privilegio, ut illa non veniat sub generalibus dispositionibus odiosis odio irrationabili, ut ita distinguendo habetur apud Otthob. *dec.* 357. ubi concordantes, cum sufficiat generale privilegium clausum in corpore juris communis civilis & canonici, proveniens etiam a jure divino, per quod omnes clerici & ecclesiastici sunt exempti a gabellis, & muneribus laicalibus, ex copiose congestis apud Merl. *dec.* 902. Rot. *dec.* 412. *p.* 6. *rec.* Hydruntina onerum 24 Maji 1658. Celso *inter suas dec.* 259. passim, mul- 3
to magis dum non agebatur de simplici clerico, contendente de exemptione bonorum patrimonialium, sed de illo, qui erat Episcopus, & Cardinalis, atque agebat de immunitate bonorum Ecclesiasticorum, unde in sensu etiam laicorum, ex illis qui magis Ecclesiasticæ immunitati sont infensi, casus remanebat indubitatus, ac ab omni limitatione immunis, dum agebatur de gabella originarie laicali imposita per Ducem Ferrariæ Principem absque dubio laicum.

Et licet ob devolutionem dicti Status ad Sedem Apostolicam, ista gabella effecta esset cameralis per Papam etiam approbata, dum Clemens XIII. cognito omnium vectigalium & onerum statu, aliqua suppressit, & alia moderatus fuit, reliqua voto continuari voluit. Nihilominus totum id gestum fuit a Papa tanquam Rege, seu Principe sæculari, ob reduplicationem personarum in eo concurrentem, de 4
qua *in c. cum inter de elect. in fin. & c. licet de foro compet.* Unde nisi appareat, actum Papali etiam, & Ecclesiastica auctoritate gerere voluisse, cum utriusque gladii mixtura, tunc gesta, tamquam a Domino temporali Status Ecclesiastici, non capiunt clericos, & Ecclesiasticos, non quidem ex defectu potestatis, sed voluntatis, ex iis, quæ habemus de confirmatione, vel extensione Ægidianæ, facta per Six- 5
tum IV. & Paulum III. de confirmatione statutorum Urbis, *ut dec.* 58. *p.* 6. *rec.* & in Romana pecuniaria de Sancta cruce 28. Junii 1655. & 22. Januarii 1657. cor. Cerro, *de qua sub tit. de dote.*

Prætendebant Camerales adesse Papæ voluntatem comprehendi sub ista gabella etiam Ecclesiasticos, stantibus capitulis appaltus a Pontificibus pro tempore in quocumque appaltu per Chirographum confirmari solitis, in quibus, præsertim in quarto dicitur, quod privilegium competens Cardinalibus super extinctione absque solutione gabellæ, suffragetur per sola eorum portione dominicali, unde propterea inferebant, exemptionem firmare regulam generalem in contrarium ad text. *in leg. nam quod liquide, ff. de pœna legata*; Sed satis debile videbatur fundamentum ex triplici responsione. Primo, quia capitulum prædictum non loquitur solum de Cardinalibus, sed omnibus aliis privilegiatis, quorum nomine, venire debebant, absque du- 6
bio omnes Ecclesiastici, privilegium habentes de jure communi, adest latum, & pingue, quod sub constitutionibus Apostolicis revocatoriis omnium, & quorumcumque privilegiorum super exemptionibus, & immunitatibus a vectigalibus & gabellis, exceptuatum est privilegium competens de jure communi, ut præsertim liquet ex ultima Constitutione revocatoria Alexandri Septimi regnantis, dum hæc disputabantur.

Secundo, quia dictum capitulum non loquitur dispositive, sed præsuppositive, quod non importat aliquam novam dispositionem, quia qui præsupponit non componit, ex deductis per Gregor. & Adden. *dec.* 208. *n.* 2. & 7. & in specie rescripti præsuppositivi Papæ, vel Sac. Congregationis in Romana hæreditatis 28. Aprilis 1659. coram Meltio, ubi concordantes, potissime quia vere dictum capitulum, ejus tenore inspecto, non prodit circa substantiam exemptionis, aliquid semper ista disponendo, sed solum circa modum, juxta quem, ad tollendas fraudes practicandum esset, quod a juris canonici dispositione, vel intentione non exorbitat, neque ecclesiasticæ immunitati præjudicat, ex iis, quæ habentur præsertim in Barchinonen. exemptionis *hoc eod. tit. disc.* 58.

Tertio, demum clarius, qui in hac materia spectanda non est tacita & implicita Papæ voluntas, neque illa deducenda est per argumenta & illationes, sed debet esse expressa & talis, quod denotet, ita, causa bene cognita & probata, Papam uti Papam, & Christi Vicarium statuisse.

Cum enim immunitas ecclesiastica, juxta magis communem, & saltem apud canonistas & morales receptam 7
opinionem, sit de jure divino, ex congestis apud Merlin. *d. dec.* 902. *dec.* 412. *p.* 9. *rec. ibique Adden.* Papa non potest ei directe derogare, dictamque immunitatem tollere, sed solum, idem jus interpretando, ei conceditur eam ex justa causa moderari, ac declarare attendendum non

esse

esse, in illis gabellis & oneribus, quæ ob urgentes Sedis Apostolicæ necessitates imponuntur, quasi quod subsidium ex hujusmodi gabellis resultans, redundet in beneficium Reipublicæ Catholicæ, ac servitium Ecclesiæ universalis, Atque hæc est unica ratio, ob quam plures gabellæ temporales Status Ecclesiastici, etiam a Clericis & Ecclesiasticis exiguntur, Igitur oportet, ut id serio, & causa cognita expresse fiat, non autem tacite, & super gabella, quæ originem non habet a dicta causa universali, dum provenit a Duce Ferrariæ; etiam ex his cum sensu etiam veritatis credebam, id providendum esse. Casus autem non fuit judicialiter decisus, forte, ne faceret exemplum, sed per speciale chirographum Pontificium Cardinalis concessum fuit, id quod petebat,

FERRARIEN. PRÆTENSÆ EXEMPTIONIS,

PRO CIVITATE FERRARIÆ,

CUM UNDECIM CONGREGATIONIBUS BENEDICTINIS.

Casus disputatus coram Camerario, & resolutus pro Civitate.

Gabella imposita cum Apostolica auctoritate, sub lege, ut etiam per Clericos, & Ecclesiasticos solvi debeat, sive sæculares sive Regulares, An comprehendat Congregationes Ordinis S. Benedicti amplissime exemptas, cum speciali privilegio, quod earum exemptioni, utpote ex causa onerosa concessæ, derogatum non censeatur, absque specifica mentione,

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Privilegia & exemptiones 11. Congregationum S. Benedicti sunt ex causa onerosa.*
3 *Substantia, seu verisimilitudine voluntatis accedente, sufficiunt verba generalia, etiam ubi requiritur mentio specialis.*
4 *Ad metiendum voluntatem, seu subreptionem attendatur stylus, seu modus loquendi.*
5 *Quando censeatur Papam, vel comprehendere etiam Congregationes speciali nota dignas sub oneribus.*
6 *De divisione ordinum, seu generum, ex quibus universa Hierarchia regularis constituitur.*
7 *Ad metiendam etiam dictam voluntatem attendi debet causa dispositionis*
8 *De aliis argumentis comprehensionis etiam privilegiatorum, præsertim quia inclusi sint qualiter, & magis privilegiati.*
9 *De comprehensione mendicantium sub oneribus.*
10 *De differentia inter privilegia specialia cum privatis, & dispositione per viam legis generalis.*

D I S C. LVI.

1 AD subveniendum pauperum necessitatibus, & pro substentatione Montis pietatis, pene inhabilis effecti, Civitas Ferrarien. cum Apostolica auctoritate, quamdam gabellam imposuit super vino aliisque rebus in ipsam introducendis, sub lege ut nullus, quamvis exemptus, & privilegiatus, ab illo excusari posset, quamvis ageretur de introductione facienda per Dominos ex propriis prædiis pro proprio usu introducentes, vel per Ecclesiasticos & clericos, tam sæculares, quam quorumvis Ordinum, Societatum, & Congregationum Regulares, etiam illos S. Joannis Hierosolymitani, unde propterea ab ipso die impositionis, per spatium annorum circiter 20. omnes Ecclesiastici, indistincte etiam Regulares, ex undecim, seu duodecim Congregationibus S. Benedicti solverunt dictam gabellam, cujus solutionem deinde recusantes, inhibitionem obtinuerunt a Cardinali Camerario pro eorum privilegiorum observantia, eo ficti fundamento, quod ipsorum exemptio non esset mere privilegiativa, & ex sola gratia Sedis Apostolicæ, sed esset onerosa, & ex causa correspectiva subventionis, quam
2 eidem Sedi ipsæ Congregationes præstiterunt, ac præstant, habentes proinde speciale indultum, ut eorum exemptio non veniat sub generali aliarum exemptionum revocatione, sed particulari ac specifica mentione indigeat, non curata contraria observantia; Tum quia aliquorum Abbatum, seu inferiorum administratorum negligentia ipsis Congregationibus præjudicare non potuit; Tum etiam quia, cum eorum privilegia essent, clara, non intrabat observantia interpretativa sed necessaria erat præscriptiva, qualis absque dubio ex dicto spatio temporis resultare non poterat, præsertim dum iste ordo, inter cætera privilegia, prætendit habere illud centenariæ, quod de jure competit Ecclesiæ Romanæ. Ac etiam ob decretum irritans, contentum in eorum Apostolicis privilegiis, quod inficiens quemcumque titulum, & possessionem, impedit contrariam præscriptionem, seu consuetudinem, ne oriatur, & super his omnibus propositionibus, generaliter & abstracte veris, scribens pro eisdem Congregationibus longissimas, juxta modernum abusum, allegationes retexebant.

Pro Civitate, ex improviso scribens in locum ordinarii, ejusdem Advocati, a Curia absentes & amici, cum sensu etiam veritatis, dicebam minus justam videri hujusmodi excitatam prætensionem, qualem quoque causæ eventus declaravit, quoniam hujusmodi quæstio non est potestatis in Papa, de qua nefas est dubitare, stante præsertim observantia, quæ habetur in plerisque aliis gabellis Apostolica auctoritate impositis, quas etiam istæ Congregationes absque dubio solvunt, Sed est voluntatis, ad quam inquirendam immorandum non est in formulis, & cortice verborum, sed 3 in ejus substantia, & quid verisimiliter Papa voluerit, qua verisimili voluntate concurrente, attenduntur, & sufficiunt verba generalia, etiam in iis casibus, in quibus alias necessaria essent specialia, Cravet. *cons*. 126. *num*. 4. & 5. Rot. *decis*. 452. *num*. 27. & 28. *part*. 5. *rec*. Et in puncto indulti Apostolici concessi Civitati Mediolani, exigendi etiam ab Ecclesiasticis quædam onera, seu subsidia pro illis publicis necessitatibus, super comprehensione etiam Cardinalium, qui alias speciali nota digni esse solent, bene apud Orthobon. *decis*. 257. *num. fin*.

Ad metiendam vero dictam voluntatem, principaliter 4 spectandum esse dicebam loquendi usum, seu stylum Papæ concedendi, vel denegandi, cum ex his desumi soleat voluntas inclusiva, vel exclusiva subreptionis, obreptionis, vel defectus intentionis, Mant. *decis*. 214. Greg. & Add. *decis*. 150. *decis*. 115. *num*. 6. *p*. 10. *recent*. & *frequenter*. 5 Quando igitur Papa vult omnes Ecclesiasticos Regulares, nullo excepto, sub hujusmodi oneribus comprehendere, talis est ejus consuetudo loquendi, qualem in hoc indulto adhibuit, ut scilicet teneantur *omnes etiam Ecclesiastici, tam Seculares, quam quorumvis ordinum etiam mendicantium, ac Congregationum & Societatum, necnon Hospitalium etiam S. Joannis Hierosolymitani*, ut ostendebam ex verbis d. Indulti Mediolani de quo apud Orthob. d. *decis*. 257. *num*. 2. & ex quia, pluribus chirographis super modernis impositionibus gabellarum in Urbe, & sic in verbis expressæ erant Congregationes.

Merito autem ita Papa loquitur, quoniam universa Hierarchia Regularis has quatuor nuncupationes habere 6 solet, utpote in istas quatuor species divisa, aliæ etiam dicuntur constituere ordines, ut sunt ex: gr. Prædicatores, Minores, Fratres S. Augustinis, & similes aliæ Congregationes, ut sunt illæ ita nuncupatæ, contradistinctæ, vel a reliquis Congregationibus ab eodem ordine S. Benedicti derivantibus ultramontes, vel ab ipsomet ordine omnium complexivo, seu conveniente Monachis nigris per universum Ordinem, juxta ea quæ habentur in Colon. *sub tit. de Jurisd. disc*. 28. Alii vero in Societate, ut est præsertim illa Jesuitarum. Et alii in Hospitalia, seu Militias, ut sunt, Hierosolymitani, Theutonici, Templarii & similes, unde propterea, tunc recte verificabile remanere videtur privilegium istarum Congregationum super mentione speciali, quo etiam potiuntur Religio Hierosolymitana, Societas Jesu, & pleræque aliæ, quando ageretur de dispositionibus generalibus, loquentibus de Regularibus indistincte. Et nihilominus etiam isto casu, si ex facti circumstantiis, vel ratione subjectæ materiæ liqueat verisimiliter Papam de istis quoque intelligere voluisse, adhuc dicta generalitas sufficit ut supra.

Ad eandem voluntatem desumendam, principaliter quoque spectandam esse dicebam causam concessionis, seu dis- 7 positionis, An scilicet illa esset universalis ac talis, quod congrue conveniat necne illis, qui se prætendunt a lege generali exemptos, ut bene cæteris allegatis apud Orthob. *d. decis*. 257. *num*. 1. & *seqq*. Quia causa in hac facti specie spectata, magis Ecclesiastici & Regulares, isti præsertim aliis Regularibus ditiores, quam laici, sub hujusmodi onere comprehensi esse debebant, cum non ageretur de

onere

onere laicali pro publicis laicalibus, seu commotativis necessitatibus imposito, sed pro substentatione ac supplemento Montis pietatis, ut subveniretur pauperibus, & egentibus, quæ pars magis congruit Ecclesiasticis & Regularibus, quorum bona dicuntur Christi, & pauperum; Unde propterea versabamur in terminis longe clarioribus, quam illis, de quibus apud Otthob. *d. dec.* 157.

Item quia, ut in eadem dec. Otthob. *n.* 8. ponderatur, onus impositum non ex personis, sed rebus introducendis, ideo ad ipsas res indistincte absque distinctione personarum Papa respexit. Ac etiam quia sub hujusmodi onere comprehendebantur Domini introducentes victualia recollecta in bonis propriis, & pro usu proprio, qui de jure regulariter est exemptus; Necnon comprehendere voluit Religionem S. Joannis Hierosolymitani, habentem privilegia ex causa magis onerosa, quæ præ cæteris omnibus magis privilegiata est, unde intrat argumentum text. *in auth. multo magis*, *&c.* ut in specie apud Otthob. *d. dec.* 257. *n.* 16.

Quodque causa impositionis, seu effectus per imponentem consideratus attendi debeat, ponderabam ea, quæ in
9 terminis specialibus onerum Papalium comprehendentium etiam Ecclesiasticos, tam Sæculares, quam Regulares habentur apud Anchar. *cons.* 109. cui se subscribit Burr. *cons.* 33. & de quibus occasione comprehensionis Mendicantium, sub gabellis habetur *disc. seq.* Cum enim Papa pro expensis recuperatæ, vel recuperandæ Civitatis Bononiæ, a manibus Tyrannorum, mandasset per omnes Ecclesiasticos, tam sæculares, quam Regulares, quoddam subsidium Legato Sedis Apostolicæ persolvi, atque exorta esset dubitatio, an sub hujusmodi generalitate comprehenderentur Mendicantes, regulariter sub hujusmodi contributionibus ob eorum paupertatem non venientes, Deciditur, & bene, venire illos, qui mendicantes nomine, attamen re tales non essent, utpote possidentes bona ac fructus & redditus ex eis percipientes, quoniam spectanda non est formalitas verborum, sed substantia voluntatis, desumenda ex causa impositionis, quæ fuit exigendi quandam decimæ speciem ex bonis Ecclesiasticis, ideo ipsa bona spectanda sunt, non curata qualitate, seu nuncupatione possidentium, & hic videbatur casus.

Accedente etiam observantia, quæ in quibuscumque
10 ambiguis est optima interpres, præsertim vero in hac materia onerum, & gabellarum totum facit, *ut hoc eod. tit.* ad istam materiam satis frequenter, cum ex præmissis negari non posset saltem casum reddi ambiguum, cui proinde conveniret magis terminis observantiæ interpretativæ, quam præscriptivæ, & hæc videbantur specialia, magis præcise casum controversiæ percutientia; ideoque præponenda conclusionibus generalibus, quæ in contrarium deducebantur, quia illa percutiebat terminos privilegiorum, quæ uni conceduntur in alterius læsionem & præjudicium, & sic ubi agitur de concursu particularium præjudiciorum, vel favorum respective, seu de concursu privilegiorum hinc inde; Secus autem ubi de dispositione concepta per viam legis generalis pro causa publica omnium complexiva, atque ut dictum est, Ecclesiasticis, & religiosis privilegiatis magis, quam non privilegiatis congrua, quoties tamen sola quæstio sit voluntatis, itaut non concurrat illa potestatis, prout est in oneribus laicalibus per Civitates, vel Principes sæculares impositis, in quibus publicitas, vel congruentia causæ non spectatur circa Ecclesiasticorum comprehensionem ex defectu jurisdictionis, seu potestatis ex deductis in Barchinonen. exemptionis *disc.* 58. & in aliis *hoc eod. tit.*

ROMANA EXEMPTIONIS MENDICANTIUM.

PRO GASELLARIIS, CUM MINORIBUS OBSERVANTIBUS.

Casus resoluti per Cameram, & respective Thesaurarium pro Observantibus.

Religiosi mendicantes per veritatem cum quæstuatione, An teneantur pro rebus alias gabellabilibus, quas ex eleemosynis acquirunt in ipsa specie, vel emone cum pecuniis eleemosynaliter obventis, solvere illas gabellas, quas Pontifex voluit solvi per omnes Ecclesiasticos, & Regulares, etiam mendicantes.

Et quatenus non teneantur, An saltem obligati sint distincte denunciare gabellario ipsas res, quas introducunt, itaut alias prætendi possit commissum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione inter mendicantes per veritatem, & per fictionem, seu privilegium.*
3 *Ubi gabellarius habet pro se regulam, onus est allegantis pro se limitationem, vel exemptionem eam probare.*
4 *In quibus casibus procedat exemptio Principis ejusque filii.*
5 *Expenditur auctoritas Ancharan. cons.* 109.
6 *An, & quando paupertas, seu impotentia excuset a solutione gabellæ pro iis rebus, quæ obtinentur ex eleemosyna.*
7 *Exempti tenentur denunciare gabellario res quas introducunt, & de ratione.*

D I S C. LVII.

IN plerisque Status Ecclesiastici gabellis, ex Pontificiis diplomatibus statutum est, eas indistincte solvi debere per omnes, etiam clericos sæculares, vel regulares, quorumvis ordinum, etiam mendicantium, quibuscumque privilegiis non obstantibus, præsertim vero in gabella carnis imposita per Urbanum VIII. de anno 1642. & in novo augmento gabellæ vini in Urbe imposito per Alexandrum VII. de ann. 1565. quarum secunda latiorem habet quarumcumque exemptionum derogationem etiam respectu cameralium, quinimo ipsiusmet Palatii Apostolici; Unde propterea occasione utriusque gabellæ contingit dubitari, an ad eam tenerentur Minores de observantia, rigorosum paupertatis votum stricte, juxta primævum institutum, profitentes, qui incapaces bonorum stabilium, redditiuum, præterquam pro infirmaria, fabrica, & Sacristia, ad limites *c. exiit de verb. signific. & clem. exivi eodem, ac Sac. Concil. Trident.* ex quotidiana ostiaria quæstuatione & eleemosynis vivunt, an scil. solvere deberent gabellam pro carnibus, vel respective vino eleemosynaliter eis datis, seu pro eisdem victualibus, per eosdem religiosos, eorumque syndicos, & procuratores sæculares emptis cum pecuniis, quæ vel in ratione simplicis eleemosynæ, vel pro celebratione missarum eis largiantur; Atque tam in prima disputatione habita in Camera occasione gabellæ carnis inter gabellarios Civitatis Reatinæ, dictosque religiosos in eadem Civitate commorantes, quam etiam in secunda disputatione habita cor. Thesaurario, occasione gabellæ vini inter gabellarios, & dictos religiosos præsertim Conventus Aracœli in Urbe, casus dedit, quod Ego ad scribendum requisitus fuerim ex parte gabellariorum, contra quos tamen in utroque casu pro religiosis judicatum fuit, cum obligatione ipsis, vel eorum ministris, per Cameram injuncta in d. Reatina, denunciandi gabellario distincte quantitatem carnis, quæ ab extra introduceretur. Cumque consimilis controversia habita esset in congregatione boni regiminis, inter gabellarios Civitatis Viterbii, & eosdem Minores, vel Capuccinos, super carnibus, quæ etiam ab extra introducerentur, atque isto casu scriberem pro religiosis, Congregatio diversum habuit sensum, decernendo gabellam non deberi pro illa carne, quæ in ipsa specie daretur, directe pro eleemosyna; secus autem pro ea, quæ emeretur in macello cum pecunia, ideoque videatur, quomodo judicium super veritate efformari valeat. 1

In hujusmodi autem disputationibus, reflectendo etiam ad veritatem, dicebam, quod cum in materia non caderent termini immunitatis ecclesiasticæ, ac religiosæ, seu clericalis qualitatis, ob expressum decretum Papæ, de cujus potestate non est dubitandum, dum immunitas ecclesiastica fundata non est in paupertate, vel divitiis, sed in qualitate Ecclesiastica, in genere tribuente exemptionem ab oneribus laicalibus, ideoque æque procedit in una ac altera religiosorum specie; Idcirco, solus dubitandi punctus consistebat in qualitate mendicantis, an scil. ista excusaret ab oneribus, alias etiam per ecclesiasticos & religiosos solvendis.

Et in hoc, ex parte religiosorum primo constituebatur 2
potissimum fundamentum in auctoritate Anchatani *cons.* 109. cui etiam se subscribit in eodem casu, Burr. *cons.* 33. ubi agendo in specie de quodam onere imposito per Papam etiam clericis & religiosis, dicitur illud supportandum esse ab illis religiosis, etiam mendicantibus, qui tales in solo nomine, etiam per privilegium existente, re tamen quoad statum mendicitatis non sunt tales, quia bona & redditus possident, admittendo econverso tamquam absolutam

exem-

exemptionem illorum mendicantium per veritatem, qui bona non possidentes, ex mendicitate & quæstuatione vivant, deducendo etiam auctoritatem, Bart. *in tract. Minoritarum*, de qua Bertachin. *de gabell. p. 7. n. 23.* in specie de collectis non solvendis per istos Minores, quamvis reliqui Ecclesiastici & Regulares illas solverent.

Secundo, dicebant scribentes pro Religiosis, quod cum ipsi hanc possideant, itaut totum, quod eis datur, dicatur esse in dominio Papæ & Ecclesiæ universalis, juxta disposita *in dicto cap. exiit, & clementina exivi*, exinde resultabat exemptio, qua potitur ipse Princeps ad not. text. *in leg. locatio alias licitatio, ff. de publ.* & sæpius in aliis ad hanc materiam hoc titul. Et tertio deducebatur regula impossibilium, quorum nulla est obligatio ex deduct. per Barbos. *axiom.* 118. *n.* 7. stante formali paupertate ac prohibito usu pecuniarum, sine quibus, gabellarum solutio est impossibilis.

His tamen non obstantibus, quidquid esset de quadam non scripta æquitate, ac naturalis discursus repugnantia, cogendi ad gabellam pauperes de iis, quæ eleemosynaliter obtinent, & ex quo motivo vere dictæ resolutiones prodierunt, non omnino improbandæ; In stricta
3 tamen juris censura dicebam, pro gabellariis responderi debere. Cum enim ipsorum intentio jam fundata esset in regula generali firmata per Pontificia diplomata, ut gabellæ solvi deberent per quorumcumque Ordinum Regulares, etiam Mendicantium, unde verba erant clara, in quibus non intrant præsumptiones & argumenta ad vulgarem regulam text. *in l. ille, aut ille, ff. de legat. 3. cum concord. dec. 44. n. 14. part. 11. rec.* Ideirco punctus erat in limitationibus, quibus sublatis, vel non probatis, fundata est intentio habentis pro se regulam, quam sufficit allegare, Mantic. *dec.* 251. *n.* 4. Et sic totus punctus erat in expendendis dictis limitationibus, quas singulas examinabo.

4 Quatenus pertinet ad primam, vere nullum fundamentum habebat, tum quia exemptio, quæ datur Principi, seu Fisco, procedit in iis, quæ sunt de publico patrimonio, ac Reipublicæ usui publicisque necessitatibus destinata, tamquam in dote, quæ Principi uti Reipublicæ marito datur, pro supportandis oneribus istius politici matrimonii, non autem in iis, quæ sunt solum sub Principis regimine & protectione, de facto autem cedunt ad commodum privatum ex deductis in Spoletana gabellæ, *disc. 44. & aliis hoc eodem tit.* Unde dum agebatur de quodam dominio intellectuali, cujus nullius effectus redundabat in Principis, ejusque Fisci utilitatem, sed tantum intellectualiter, ne alias ob incapacitatem possessorum dominium remaneret in aere, non videbatur intrare dicta ratio; Tum etiam quia, præsertim respectu secundæ gabellæ vini, ipsemet Papa pro ejus palatio Apostolico ejusque familiaribus & Cameralibus noluit esse exemptus, ideoque multo minus pro istis.

5 Quo vero ad secundam limitationem deductam a qualitate mendicantium, juxta dictas auctoritates Ancharani & Butrii, revera dictæ auctoritates non intrabant, quinimo potius videbantur bene retorqueri. Cum enim Papa pro expensis ab ejus Legato factis, vel faciendis pro liberanda Civitate Bononien. a manibus Tyrannorum, imposuisset quamdam gabellam per æs & libram, seu pro modo bonorum & facultatum per Ecclesiasticos etiam & regulares solvendam, Exciperet vero religiones mendicantes, de quibus nulla fiebat mentio ad eas non teneri, ex mendicitatis instituto. Respondent Ancharan. & Butr. & bene, exemptionem competere debere mendicantibus per veritatem, qui vere & de facto tales essent, non autem illis per privilegium, vel nuncupationem, qui tamen de facto non essent tales, utpote adinstar aliorum regularium capacium, ex indultis & habilitationibus Apostolicis, possidentes bona stabilia & redditus, ut sunt Prædicatores, Eremitani, Minores conventuales, & Carmelitæ, unde propterea spectandus est effectus, seu substantia veritatis, non autem verbalis nuncupatio, cum Papæ intentio fuerit recipiendi illam subventionem, magis ex ipsis bonis & redditibus Ecclesiasticis, quam ex personis illa possidentibus, *ut disc. præced.*

Quare applicando ad rem, catenus talis quæstio ibi intrabat, quatenus nulla facta mendicantium mentione dubitaretur, an Papæ voluntas ad eos traheretur, & sic erat quæstio voluntatis, quæ cessat, ubi illa clara est & expressa juxta dictam regulam text. *in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. Unde cum in his diplomatibus, seu chirographis, clara & expressa mentio haberetur etiam de mendicantibus cujuscumque qualitatis & conditionis, cessabat dicta ratio dubitandi, ob quam ibi ad interpretandam verisimilem Papæ voluntatem, in hoc ambiguam, & ignotam, (& in quo casu regula potius mendicantibus assistebat,) opus fuit recurrere ad dictam distinctionem.

Item quia, sicuti ibi dicitur, Papam demandasse subventionem ex ipsis bonis & redditibus, non curata nuncupatione, vel qualitate possessorum, Ita in præsenti recte dicendum videbatur, eumdem Papam pro urgentibus Sedis Apostolicæ necessitatibus, demandasse quamdam speciem decimæ (cui ex frequenter deductis super hac eadem materia, gabellæ & vectigalia assimilantur,) de vino, carnibus aliisque victualibus, non curatis personis, penes quas illa existant, vel eorum usum habere debeant; Potissime dum loquendo de mendicantibus, expresse dicitur *cujuscumque qualitatis & conditionis*, quæ verba ad oculum destruunt dictam distinctionem inter possidentes, & non possidentes, seu illos per veritatem, & alios per fictionem & nuncupationem, quia cum duplicis tantum generis, seu qualitatis essent, talis sermo non erat aliter, citra fatuitatem, verificabilis.

Quare tota difficultas residebat in tertia limitatione 6
seu motivo impotentiæ, resultantis a stricta paupertate. Verum neque de juris rigore istud fundamentum subsistentiam habere videbatur; Distinguendo etenim inter victualia prædicta, quæ in ipsa specie directe & immediate a piis benefactoribus dantur extra Urbem, seu respective Civitatem, in locis, in quibus non solvitur gabella, solvendam in ipsa introductione in Civitatem, & ab aliis victualibus, quæ adinstar omnium de Clero & populo per eosdem religiosos, seu eorum sindicos, & procuratores emuntur cum pecuniis, quæ ex eleemosynis, vel pro celebratione missarum, seu ex piis morientium dispositionibus, aut alias obveniant, & cum quibus æque bene emi possunt eadem victualia jam ingabellata in Civitate, itaut illorum emptio extra, & in locis, ubi non solvitur gabella, fit solum ad industriam & æconomiam pro evitando illius pretii augmento, quod gabella producit.

Primo casu, quamvis in introductione impossibilis esset solutio gabellæ in pecuniis, cujus usum hujusmodi religiosi non habent, nil tamen impedire dicebam, eamdem gabellam solvi in ipsorum victualium quota, seu quantitate proportionata; retinendo pro se id minus, adinstar decimæ spiritualis Parocho solvendæ, cui hæc materia assimilatur, ut supra. Verum agnoscebam esse nimium rigorem, qui ipsi naturali sensui & Christianæ pietati quodammodo repugnare videbatur, unde in hac parte, quamvis scriberem pro gabellariis, dabam quodammodo manus ad favorem religiosorum, & resolutiones placuerunt.

E converso autem, in altero casu emptionis mediante pecunia, reflectendo etiam ad veritatem, magis probabilis videbatur dicta resolutio Congregationis boni regiminis, quoniam cum cessaret ratio militans in præcedenti, quod scilicet cum in Civitate non possent ita prompte & facile a piis devotis, benefactoribus haberi hujusmodi victualium eleemosynæ, eo modo quo ab extra in villis, castris, & vineis habentur, impium, ac inhumanum esset eleemosynas impedire; In emptionibus etenim mediante pecunia, nulla dignoscitur differentia inter potentes & impotentes, atque religiosos capaces, vel incapaces, eademque victualia, æque & bene haberi possunt in Civitate ac extra, unde talis emptio fieri dicitur extra, ad industriam & fraudandam gabellam, quod contra expressam determinationem Papæ concedendum non est.

Et quamvis replicaretur, quod illa eleemosynalis pecunia, quæ extra Civitatem sufficit ad majorem victualium emptionem, sufficere non potest in emptione victualium in Civitate, ob pretii augmentum ex gabella resultans, unde esset indirecte tollere, vel diminuere eleemosynas, seu ipsorum religiosorum alimenta, & in quo argumento judices, sequendo quamdam naturalem æquitatem, ut supra se fundarunt; Nihilominus videbatur leve fundamentum, quoniam etiam in Regularibus capacibus & possidentibus bona, & redditus, eadem ratio urgeret, quia cum præfinitus esset religiosorum numerus juxta redditum quantitatem, & proportionem, exinde etiam sequitur, quod solvendo onera, istis religiosis minuuntur ea meliora alimenta, quæ resultarent ex majori victualium affluentia, seu minori eorumdem pretio, quatenus gabella non adesset; Sic a pari, cum eadem esset ratio, pecu-

pecunia enim æqualiter recipit functionem in genere, sive in religiosis capacibus proveniat a redditibus prædiorum per veritatem, sive incapacibus proveniat a devotorum pietate, in qua hujusmodi mendicantium prædia, & redditus consistere dicuntur.

Et quemadmodum in casu sterilitatis, & penuriæ vitio cœli & naturæ, seu ex alio accidenti, omnes pariformiter coguntur, cum eadem pecunia sentire notabilem diminutionem illorum victualium, quæ tempore ubertatis, seu alias non accidentali, in longe majori quantitate ob inferiorem valorem obtinerentur; Ita dicebam non subesse rationem, cur Princeps habens utramque potestatem, non posset ad consulendum Reipublicæ necessitatibus, & occurrendum, ne dicta accidentia circa ipsamet victualia occurrerent, facere id, quod facere solet natura, vel casus, pariformiter (data potestate) ab omnibus supportandum.

7 In casu vero licitæ introductionis ut supra, adhuc dicebam, & Camera decrevit, omnino de justitia injungendum esse onus ipsis religiosis introducentibus etiam sub pœna commissi, distincte denunciandi in quantitate & loco, victualia, quæ introducerent, cum ita expresse dispositum sit in jure per text. *in l. finali §. divus quoque pius, ff. de publican.* ubi Bart. & cæteri Bald. *cons. 79. n. 4. lib. 2.* Ferett. *de gabell. n. 172.* & adminitur per Rotam in Barchinonen. exemptionis cor. Corrado *dec. 412. n. 20. p. 9. rec.* ubi solum de hoc dubitatur, an id præcipi possit per Principem, vel Magistratum sæcularem, ratione omnimodi defectus jurisdictionis & potestatis in ecclesiasticos, quæ dubitatio in præsenti cessabat ob utriusque gladii concursum, ac etiam præsupponitur per Grat. *discept. 148.* & Amat. *dec. 35.* apud quos sola quæstio est circa commissum, an scil. exempti non denunciantes, in illud incidant necne, uno tenente affirmativam, altero negativam.

Non solum autem dictam denunciandi necessitatem, justam & probabilem dicebam, quia sic in jure dispositum sit ut supra, sed etiam ex clara & convincenti ratione evitandi fraudes, quæ alias nimis de facili fieri possent gabellis etiam per laicos, ita mediantibus hujusmodi religiosis introducere curantes ab extra victualia, absque solutione gabellæ, quoniam ubi gabellario cognitus est numerus religiosorum, tunc habita tali denuncia, recte devenire potest ad aliquam probabilem cognitionem, an fieret necne introductio excessiva in fraudem, quæ sub celamine pietatis, vel ecclesiasticæ immunitatis permittenda non est, cum Sacri Canones eam potius abhorreant, ex iis quæ in proposito macelli particularis destinandi pro ecclesiasticis cum præfinito arietum, seu aliorum animalium numero habentur in Barchinonen. exemptionis *hoc eod. tit. disc. seq.* ubi etiam de permittenda, in magnis præsertim Civitatibus, ad tollendas fraudes, quibus alias consuli non potest, indefinita exactione gabellarum ab omnibus etiam ecclesiasticis, & exemptis, reficiendo deinde in annos, vel menses in pecunia eisdem ecclesiastici id, quod dictum onus importaret, ut de facto in pluribus magnis Civitatibus aliisque locis, in quibus alias occurri non potest, practicari videmus.

De auctoritate autem Bart. *in tract. Minoritarum*, de qua supra, nulla veniebat habenda ratio, cum nullatenus percuteret casum, dum ipse loquitur de illis collectis, quæ solvendæ sunt ratione bonorum per æs & libram, & solvi non debeant pro domibus, quas isti minores absque fructuum perceptione inhabitant, vel illis hortis, quos ad propriam necessitatem & victum excolunt, unde nihil ad rem.

BARCHINONEN. EXEMPTIONIS, PRO CIVITATE, CUM ECCLESIASTICIS.

Casus decisus per Rotam, ut infra, & respective pendet,

In locis, in quibus exigitur gabella carnis: An ad fraudes evitandas, statui possint, vel debeant, unum vel plura macella particularia, cum præfinito numero animalium mactandorum absque solutione gabellæ pro usu Ecclesiasticorum.

An, & quando Ecclesiastici teneantur ad contributiones, vel taxas pro refectione murorum, pontium, viarum, aquæductuum & similium publicam utilitatem, ac usum concernentium; Et quæ requisita pro hujusmodi contributione concurrere debeant.

Et incidenter; An gabellæ inseparabiles ratione mercium, & victualium indefinite exigi possint etiam ab Ecclesiasticis, quibus in fine anni, vel alterius temporis gabellæ æquivalentia reficiatur in pecunia, cum aliis circa Ecclesiasticorum exemptionem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones super exemptionem Ecclesiasticorum pro victualibus, & mercibus introducendis, vel extrahendis, & super praxi reficiendi franchitiam in pecunia solutis gabellis indefinite.*
3 *Rota non sententiat, neque decernit nisi ad limites decisionum, alias nulliter agitur.*
4 *Immunitas ecclesiasticorum a gabellis laicalibus est hodie notoria, & non oportet allegare auctoritates.*
5 *Observantia in materia gabellarum est deferendum.*
6 *Conventionibus licitis, & approbatis in materia immunitatis per ecclesiasticos est deferendum.*
7 *Immunitas competit ecclesiasticis, ut præserventur a damno, non ut faciant lucrum, & committant fraudes.*
8 *Quæ concernunt publicum bonum impleri etiam debent per Ecclesiasticos ex vi directiva, non autem coactiva.*
9 *An deputatio certi loci sit præjudicialis ecclesiasticæ libertati.*
10 *Ecclesiastici inferiores debent se regulare, eo modo quo se regulant Episcopus, & Capitulum.*
11 *Quæ sint expensæ primario respicientes publicum bonum in universum.*
12 *De requisitis, quæ concurrere debent, ut ecclesiastici teneantur contribuere ad publicas expensas.*
13 *De ratione ob quam cessantibus dictis requisitis, Ecclesiastici non tenentur ad expensas etiam publicam utilitatem, vel necessitatem concernentes.*
14 *Quando d. requisita verificari dicantur, & præsertim illud consensus Episcopi, & Clerici, an possit suppleri per superiorem.*
15 *De ratione ob quam, verificato requisito subsidii, & impotentia secularium, Ecclesiastici debeant contribuere.*

DISC. LVIII.

Antiquissimæ fuerunt controversiæ inter Civitatem Barchinonen. & Ecclesiasticos, super istorum exemptione a gabellis, & publicis oneribus, præsertim occasione introductionis, vel extractionis mercium, & victualium, atque inito compromisso in Archiepiscopum Tarracon. & quemdam civem Barchinon. usque ab anno 1338. prodiit laudum, decernens pro bonis separabilibus, idest penes ecclesiasticos existentibus, absque mixtura cum bonis alienis, nullam gabellam exigendam esse; pro inseparabilibus autem, idest commixtis cum alienis bonis, & mercibus, indefinite gabellas solvi, ac respective exigi debere, restituendo eisdem Ecclesiasticis circa initium cujuslibet mensis, quidquid solvisse constaret ex eorumdem notulis juratis exhibendis, atque ita servatum fuit usque ad initium sæculi currentis, in quo, occasione forsan aliarum gabellarum, seu notabilis augmenti earum, quæ jam extabant (ut in hoc sæculo tota Europa experta est) dictæ controversiæ acriter excitatæ fuerunt, atque re delata ad Clementem VIII. hic de anno 1603. causam commisit in Rota cor. Coccino absque alia disputatione usque ad 20. Junii 1636. in quo, prævia nova delegatione eidem de anno præcedenti per Urbanum VIII. facta, assumpta disputatione super hoc puncto. 1

Prodiit resolutio, firmans indefinite Ecclesiasticorum exemptionem a quibuscumque gabellis, & publicis oneribus laicalibus pro quibuscumque bonis, sive ecclesiasticis, sive patrimonialibus, aut alias obventis, præterquam ex causa mercaturæ & negotiationis, ut patet ex decisione desuper edita impressa *dec. 159. p. 7. rec.* in qua tamen dictum fuit placere temperamentum, seu praxim relatam per Azor. *inst. moral. p. 2. lib. 9. c. 11. §. quintum privilegium*, ut scil. in magnis Civitatibus, seu alias ubi de facili fraudibus consuli non potest, liceat, gabellas, dobanas & alia onera, pro mercium, victualium, aliorumque bonorum hujusmodi introductione, vel extractione, ab omnibus etiam ecclesiasticis exigere, cum refectione in fine anni in pecunia ejus, quod hujusmodi gabellæ verisimiliter importarent, dummodo Sedis Apostolicæ approbatio accedat; Ac etiam quod juramentum per ecclesiasticos præstandum, tam super quanti- 2

tate

tate dictæ refectionis, quam super aliis controversiis, occasione dictæ introductionis, vel extractionis, non nisi coram judice ecclesiastico competenti præstetur, quam praxim servati videmus in pluribus Italiæ Civitatibus, præsertim Metropoliticis, seu magnis emporiis, ut de Civitate Neapolis, tamquam de re notoria, possum ego testari, ubi adest concordia per Sedem Apostolicam approbata super taxa ejus, quod singulis clericis, sive ecclesiasticis reficiendum est, quadam etiam summa conventa, quoad clericos exteros & vagos in dies accedentes & recedentes, seu alias incertos, quæ ratione incertitudinis pro Sedis Apostolicæ arbitrio piis usibus applicatur; Et de Civitate Januen. aliisque locis testantur Sperell. *dec.* 37. *n.* 84. *in fin.* Castill. *dec.* 105. *n.* 57. Diana *p.* 1. *de immunit. ref.* 44. *in fine*, *& cæteri*.

Siluit autem causa usque ad annum 1646. in quo instante Capitulo & Clero pro expeditione sententiæ cor. Corrado, in locum Coccini interim defuncti subrogato, instantibus vero defensoribus Civitatis iterum audiri, concessaque juxta laudabilem hujus tribunalis stylum nova audientia, & assumpta disputatione super dubio, an standum esset in decisis coram Coccino. Sub die 13. Junii 1646. prodiit resolutio affirmativa, ut patet ex decisione desuper edita impressa *dec.* 412. *part.* 9. *rec.* ubi nimium fuso calamo, juxta consuetum stylum illius doctissimi quidem, & magni viri, sed nimium accurati, & elaborati, firmatur immunitas ecclesiasticorum, respondendo omnibus objectis, ita ut hæc sola auctoritas loco omnium in materia sufficere videatur, quamvis etiam studiosus & elaboratissimus decisionum compilator, plenas quoque ibidem retexuerit additiones, in qua etiam decisione ex *n.* 60. ad finem, stylo magis asiatico laudatur idem temperamentum brevius explicatum in dicta præcedenti decisione Coccini, super indefinita exactione cum refectione ecclesiasticis ejus, quod interest in pecunia ut supra. Ad cujus decisionis normam expedita sententia, hæc in alia instantia confirmata fuit cor. Bichio, prævia decisione cor. eodem 20. Maii 1647. impressa *inter rec. part.* 10. *dec.* 56. in qua compendiose approbantur omnia fundamenta contenta in dictis præcedentibus decisionibus; Idemque sequutum fuit in altera decisione, quæ in tertia instantia coram Verospio prodiit sub die 16. Decembris ejusdem anni 1647. pariter impressa inter *rec. d. part.* 10. *dec.* 139.

Cum autem usque ab anno 1615. ad tollendas fraudes, quæ committebantur in gabella carnis, per transactionem conventum esset, ut pro usu Capituli, aliorumque de Clero, statueretur macellum particulare, in quo singulis diebus 15. arietes in frusta scindi, seu macellari deberent, cum facultate augendi, vel respective minuendi, prout eorumdem Ecclesiasticorum usus, numerus, & necessitas in tempora exigerent, cum subsequuta observantia, Prætendere cœperunt Beneficiati Ecclesiæ Sancti Severi, aliique Ecclesiastici libertatem habere emendi carnem in quibuscumque macellis sibi bene visis, absque necessitate adeundi dictum macellum particulare; Unde introducta desuper lite prius coram Ordinario & deinde per appellationem in Rota coram Taja, ex parte Civitatis per quamdam speciem reconventionis, excitata etiam fuit prætensio super Ecclesiasticorum contributione ad illas publicas expensas, quæ publicam omnium, tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium utilitatem & usum concernunt, ut sunt præsertim illæ, quæ fiunt pro refectione portus, murorum, & arcium Civitatis, viarum, pontium, aquæductuum, & fontium, cum similibus.

Et assumpta desuper disputatione sub die 4. Julii 1664. incertum est, ex qua ratione prodiit satis brevis decisio super generali Ecclesiasticorum exemptione a gabellis & oneribus laicalibus, præterquam ubi quæstio adesset, vel super qualitate clericatus, vel super mercatura & negotiatione, quo casu, vel ipsius ecclesiastici juramento, vel judicis ecclesiastici judicio referendum esset, Approbando idem temperamentum indefinitæ exactionis cum refectione in pecunia, juxta dictas præcedentes decisiones, nihil tamen determinando, tam super puncto macelli, quam super altero contributionis ad publicas expensas, ut supra. Cujus decisionis vigore, Agentes pro Ecclesiasticis, amplam curarunt obtinere sententiam determinantem fere omnia ab ipsis prætensa, & Civitati præjudicialia, quamvis in decisione non deducta, iisdemque prætendentibus dictam sententiam, ob appellationem in tempore non interpositam, fecisse transitum in judicatum; Hinc proinde ex parte Civitatis obtenta fuit commissio restitutionis in integrum coram Boutlemont, datoque consueto dubio ex eadem commissione resultante; An constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, sub die 29. Maii 1665. prodiit resolutio Civitati favorabilis, ex solo fundamento nullitatis resultantis a Constitutione 44. Pii IV. & Constitutione 71. Pauli V. editis super reformationibus Tribunalium, in quibus sub decreto irritanti disponitur, sententias vel decreta Rotalia transcendere non posse ea, quæ in decisionibus præcedenter editis continentur, & ad quarum limites sententiandum, vel decernendum est, nihil decernendo circa merita, unde propterea d. puncti adhuc remanent indecisi, neque, quod sciam, causa hucusque ulteriorem habuit disputationis progressum.

In dictis igitur disputationibus, tam coram Taja, quam coram Bourlemont, scribentes pro Ecclesiasticis, aliud non deducebant, nisi satis fuso calamo, & per quamdam speciem transcriptionis ea, quæ super ecclesiasticorum exemptione in genere habentur in allegatis decisionibus cor. Coccino, Corrado, Bichio, & Verospio, præsertim in secunda, quæ est omnium plenior, non descendendo ad punctos speciales, super quibus erat quæstio, unde propterea super eisdem, non omnino maturum, ac determinatum judicium super veritate efformari.

Scribens autem pro Civitate, ac distinguendo disputationem in duas inspectiones, unam super dicto macello par- 4 ticulari, ac prohibitione ecclesiasticorum, ne alibi carnem francam a gabella emant, alteram vero super d. contributione ad publicas expensas, non impugnatis, sed præsuppositis dictarum decisionum fundamentis super ecclesiasticorum exemptione in genere a gabellis laicalibus, laicali auctoritate impositis, de qua præsertim in Curia Romana, omnibusque ecclesiasticis tribunalibus, species fatuitatis esset hodie disputare; unde propterea illæ copiosæ allegationes, quæ desuper per modernos retexi solent, continere videntur illum superfluum improbum laborem, ignaro vulgo placentem, qui apud litteratos reddere solet legistarum opera insipida & nauseativa.

Quatenus igitur pertinet ad dictum primum punctum, seu inspectionem pro continuatione macelli juxta retroa- 5 ctam observantiam annorum 50. Dando manus variationi numeri in plus & minus, prout ecclesiasticorum numerus, ac temporum necessitas, seu opportunitas exigerent. Dicebam, etiam cum sensu veritatis, pro dicta continuatione omnino respondendum esse; Tum ex regula generali, de qua *hoc tit.* ad istam materiam frequenter, quod si in omni materia consuetudini, & observantiæ tamquam optimæ interpreti deferendum est, multo magis id sequi debet in materia gabellarum, & vectigalium, in quibus illa totum facit. Tum etiam quia id non proveniebat ex laicorum Magistratuum auctoritate, sed ex conventione & concordia habente, vel expressam Sedis Apostolicæ ap- 6 probationem, vel etiam præsumptam resultantem a lapsu temporis cum observantia. Ut in proposito contributionis solvendæ per contractum licitum, & approbatum advertitur in celebri Alben. gabellæ coram Merlino inter suas *dec.* 902. *n.* 61. reperita *dec.* 339. *p.* 6. *rec.* sæpius hoc eod. tit. enunciata, præsertim in Hydruntina onerum, in Mediolan. Imbottatus, & in aliis, & cum qua & altera Brundusina gabellæ cor. Peutia procedit S. Congregat. immunitatis, ex deductis in proxime insinuatis locis, & per Adden. *ad d. dec.* 412. *p.* 9. *rec.*

Ac etiam quia ubi res esset integra, & in fieri, adhuc idem, vel de justitia, vel de non deneganda æquitate, per 7 Ecclesiasticos superiores Civitatis concedendum esset, ad tollendas fraudes, quibus alias non de facili occurri potest. Sacri enim Canones, atque Conciliorum & Pontificum decreta, inhærendo, juxta unam opinionem, dispositioni, vel intentioni juris divini, concedunt ecclesiasticis exemptionem, ut ipsi præserventur a damno gabellarum, & onerum, & conserventur in primæva naturali libertate; Non autem, ut cum fraude per eosdem Canones omnino abhorrita ditentur, ac lucrum reportent de alieno cum duplici alterius præjudicio, potius publico, quam privato, uno scilicet Principis, exigendo active Regalia ad ipsum spectantia, & altero populi, quia ob hujusmodi vectigalium diminutionem, ex fraudibus resultantem, nova onera, & vectigalia imponere oportet, ut publicis necessitatibus provideatur; Atque Sacri Canones declararunt, Ecclesiasticam immunitatem non suffragari pro lucro, quod absque alterius injuria, vel præjudicio, ex propria industria mercando reportatur: multo magis non debet eadem immunitas suffragari fraudibus, pro quibus evitandis, ubi alias commode provideri non potest, omnino

no

no rationabilia ac justa videntur hujusmodi temperamenta, ea regula, seu axiomate, ut quod uni non nocet, & alteri prodest, denegari non debeat; dummodo tamen id fiat cum beneplacito, & consensu superiorum Ecclesiasticorum, a quibus ex vi directiva, potius quam coactiva id non est denegandum, cum sola difficultas, tam in
8 hac materia, quam in aliis concernentibus publicum bonum tempore belli divini, vel humani, sive in aliis publicis occurrentiis cadat, an ipsis magistratibus laicis id concedatur, itaut cadat vis coactiva cum non subditis, quod negandum est, juxta communem & receptam canonistarum, & moralium distinctionem, de qua plene apud *Sperell. dec. 12. & 13.*

Et licet in stricto rigore, cum hujusmodi restrictione videatur quodammodo impedita libertas Ecclesiasticorum, illisque saltem impositum quoddam onus personale circa
9 incommodum emendi illa victualia, quæ in loco magis adjacenti, & congruo habere possunt; itaut in hoc proposito videantur inferioris conditionis, quam sæculares; Nihilominus hic videtur nimius rigor, qui cedere debet epicheiæ, seu æquitati consulendi fraudibus, ac majori damno, ex regula, quod de duobus malis eligendum est minus, potissime quia, si ob Civitatis amplitudinem, seu alias ex facti circumstantiis incommodum esset magnum, consuli potest, deputando duo, vel tria loca, diviso eo animalium numero, qui totus destinatus erat pro uno, prudenti arbitrio eorumdem Superiorum Ecclesiasticorum, a quibus id decerni petatur, & in quo est punctus inevitabilis, cum ut dictum est, difficultas intret solum, ne a laicis id propria auctoritate decernatur.

Plura enim incommoda patiuntur exempti a gabella, & vectigalibus, quæ non patiuntur subditi, & non exempti ea solventes, quoniam, ex. gr. non exempti introducendo merces, & solvendo pedagium, seu vectigal in ingressu portæ, vel alio loco custodibus & ministris deputatis ad nudum factum exactionis, aliud non habent incommodum, exempti vero coguntur accedere ad domum gabellarii, seu alterios deputati circa ea, quæ consistunt magis in judicio intellectus, pro justificatione scil. quod victualia & alia bona, quæ introducuntur sunt propria cadentia sub exemptione, & non ad mercaturam, ac etiam pro justificatione illius qualitatis, ea quæ resultat exemptio, reportando bullettam, seu signum, cujus vigore inferiores ministri & executores tollunt impedimenta cum similibus, quia est satis modicum incommodum comparative ad illud, quod sentit laicus solvendo gabellam, & quia non potest alias materia practicari.

Eoque magis in hac facti specie dicebam pro hac parte omnino respondendum esse pro hujusmodi continuatione (prout, quantum desumi potuit, occasione dictæ ultimæ disputationis habitæ cor. Bourlemont, erat sensus Rotæ)
10 quia non agebatur de inducenda novitate, quo casu magis circumspecte procedendum esset, sed de continuanda observantia antiqua annor. 50. & quod magis, originem non habente ab aliquo facto laicorum, itaut esset principium infectum, sed ex conventione inita cum Capitulo per Superiores probata, & observata, ac etiam quia magnum mali animi inditium videbatur illud, quod hujusmodi beneficiati, aliique inferiores Ecclesiastici non acquiescerent ei temperamento, cui acquiescebant Episcopus & Capitulum, a quibus participaliter constitui dicitur corpus Ecclesiasticorum, sive caput, & membra majora, cum quorum regula vivere debent etiam alia membra inferiora. Id enim solet potius concernere favorem & privilegium Ecclesiasticorum, ut scil. eis liceat habere furnum, seu macellum particulare, & super hoc vidi pluries disputari in S. Congr. Immunitatis, & in Camera, ac etiam in Congregatione boni regiminis, sed non econtra, unde malum signum esse dicebam effugere id, quod reputatur favor & privilegium.

Quo vero ad aliud punctum contributionis Ecclesiasti-
11 corum pro expensis, publicam, & communem omnium utilitatem primario in universum respicientibus, secundario autem in particulari, & sic principaliter pro communi, non autem privato commodo, & utilitate singulorum, juxta distinctionem, de qua *in Ravennat. collectæ disc. seq.* prout sunt, ut supra refectio pontium, & viarum publicarum, aquæductuum, & fontium publicorum, murorum Civitatis, & arcium, cum similibus. Et tunc liter magna fit contentio inter canonistas, & morales ex una, & civilistas, seu sæculares ex altera, contendentes quasi per classes, & in quorum aliquibus forte adesse videtur aliquod vitium in utroque extremo, seu contraventio illi adeo morali & necessario præcepto, *ne quid nimis*, itaut magnam tractationem exigeret, utriusque opinionis examen expendendo, auctoritates, & rationes; Attamen cum ageretur de disputatione in Rota & Curia, ubi fabulosum esset in deferente jura Civitatis, vel Principis sæcularis, assumere aliquas propositiones, vere non commendandas, sed improbandas, aliquorum civilistarum, seu sæcularium; Ac etiam quia nimium commendandus Curiæ stylus prohibet hujusmodi superfluas, & evagatorias disputationes assumere, sed stricte & conclusive scribendo, agere ad punctum, multa etiam præsupponendo consistentia in receptis regulis, & propositionibus.

Ideirco isto stylo retento, admittebam, ac pro certo supponebam, ad hunc effectum necessarium esse concur- 12
sum copulativum sex requisitorum, quæ ex communi sensu canonistarum & moralium desumuntur *ex cons. 3. Abb. part. 1.* quod reputatur in materia magistrale. Primo nempe assensus Pontificius. Secundo consensus simultaneus Episcopi, & Clerici. Tertio, justa causa publicæ necessitatis, vel utilitatis. Quarto, quod illa promiscue respiciat tam laicos, quam Ecclesiasticos. Quinto, ut subsidii ratio ita exigat, quod nempe laicorum vires non suppetet. Et sexto, quod hujusmodi exactio fiat cum auctoritate judicis Ecclesiastici, & competentis, non autem magistratuum sæcularium, ut cæteris collectis bene habetur apud *Pagn. in cap. non minus, de Immun. Eccles. n. 23. cum seq.* Ex quibus requisitis cessantibus admittebam, veriorem, ac omnino recipiendam esse canonistarum & moralium opinionem pro Ecclesiasticorum exemptione, non obstantibus declarationibus civilistarum, & sæcularium, quod hujusmodi expensæ, utpote concernentes commune Reipublicæ bonum, & conservationem, in omnium gratiam, commodum, & utilitatem æqualiter cedentes, quoniam cum ad idem commune bonum, & Reipublicæ conservationem requiratur etiam Divina protectio, & custodia pro his obtinendis; Hinc proinde Ecclesiastici supportant vectigalia, 13
& onera spiritualia vigiliarum, orationum, jejuniorum, aliorumque spiritualium operum, & laborum, tam circa preces Deo fundendas, quam circa administrationem Sacramentorum, & curam animarum pro ipsius populi sæcularis salute, & sic divisa sunt onera communia Reipublicæ, nam ita laici ferunt laicalia, & clerici ferunt spiritualia cum mutua, & reciproca compensatione.

Unde propterea dicebam, istam hodie videri quæstionem potius facti, quam juris, non recipientem proinde certam ac generalem determinationem, sed in singulis casibus pro superiorum Ecclesiasticorum prudenti arbitrio decidendam, ex eorum particularibus, & individuis circumstantiis, super dictorum requisitorum concursu; Atque alia fabulæ species videtur id prætendere ex solo motivo publicæ necessitatis, vel utilitatis, quoniam sine hoc requisito Princeps, vel Civitas, neque ipsis sæcularibus, & subditis, gabellas, aliaque onera imponere potest, unde propterea si talis causa sufficeret etiam pro Ecclesiasticis nunquam istorum exemptio, seu immunitas effectum sortiri deberet; Cessanteque dictorum requisitorum concursu, sola quæstio, pariter facti, cadere videtur super qualitate necessitatis, vel utilitatis, an scil. esset illa, quæ principaliter percuteret publicum bonum in universum, accessorie vero, & consecutive privatorum, ut erat in casu præsentis controversiæ, & in quo dicta requisita desiderantur, vel potius principaliter percuteret utilitatem privatam singulorum, accessorie autem, & consecutive resultaret etiam Reipublicæ bonum in universum juxta casum, de quo in *Ravennat. disc. seq.*

Applicando igitur ad casum, non dubitabatur de verificatione tertii & quarti requisiti, quod scil. causa esset ju- 14
sta, & necessaria, omnium promiscuam utilitatem concernens; Ac pro certo supponebatur in facto alterum requisitum subsidii, dum ob notorias illius Civitatis calamitates, ille populus ad nimiam paupertatem & miseriam redactus supponebatur, neque controvertebatur observantia sequi super exactione facienda cum auctoritate Superioris Ecclesiastici, primum vero beneplaciti Apostolici pendebat a canonizatione per Rot. facienda aliorum requisitorum, quibus accedentibus, Sedes Apostolica satis benigne se habere solet, recipiendo in hoc hujus Tribunalis resolutiones, tamquam votum consultivum; Ideoque tota difficultas, unice restringebatur ad secundum requisitum consensus Episcopi & Cleri, qui denegabatur. Verum dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod ubi alia requisita ut

supra

supra concernunt, tunc talis denegatio dicitur injusta, & irrationabilis, ideoque intrat recursus ad superiorem per viam querelæ pro suppletione, ex juris propositione, qua forte nil in Curiæ praxi frequentius, quod judex supplet, atque pro præstito declarat illum consensum, Greg. *dec.* 117. *n.* 9. Mant. *dec.* 238. *n.* 9. *dec.* 360. *n.* 6. *p.* 9. *rec.* & *passim*.

Injustam vero, ac irrationabilem dicebam, stante dicto
15 depauperationis ac insufficientiæ populi sæcularis præsupposito, dict. denegationem, ex pluribus rationibus; Una deducta ex *l. fin. C. de revocan. don.* super donatarii obligatione alendi, seu alias in necessitatibus sublevandi donatorem, cum omnia bona, quæ possident Ecclesiasticæ, & Ecclesiastici, ex largitionibus ac piis dispositionibus sæcularium obvegiant; Altera in idem ex eadem subventione debita per Ecclesiam, seu beneficiarum Patrono, & fundatori; Et tertia ducto argumento a dispositione text. *in cap. suggestum de decim.* atque ab eo quod in hac materia frequenter firmatum habemus per Rotam, & DD. circa Regularium exemptionem a decimis, per Parochos, & Episcopos toleratam circa exinitia, in quibus religiosi erant pauci, ac pauca erant bona per eos possessa; Parochi vero aliique Clerici sæculares divites, & bene provisi, cujus contrarium hodie cernitur, ut in dicta sua materia *sub tit. de decim.* pluries actum habetur; Quod proprie ad rem facere videtur, quoniam antiquitus satis exiguus erat numerus Ecclesiasticorum, ac exigua bona per eos possessa, & econverso populus sæcularis erat longe major in numero, & opibus, atque satis minora erant vectigalium, gabellarum, & collectarum onera, quia ipsæ communitates erant divites, de communi bursa facientes has expensas, quas nunc per privatorum collectas facere oportet. Quæ omnia, ob bella aliasque calamitates, nimiumque excretum Ecclesiasticorum numerum, & peculium, sunt in oppositum; Quæ tamen omnia consideranda sunt, tamquam justum motivum superiorum Ecclesiasticorum, ut ex æquitate, ac pietate, id juxta diligentiam, decernant & concedant; Non autem ut sæculares ex his rationibus auctoritate sua id assumant; Ideoque ut dictum est in hac materia totum malum consistit in vitio utriusque extremi, atque super observantia dicti præcepti, *ne quid nimis* hinc inde.

RAVENNATEN. COLLECTÆ,
PRO DEPUTATIS REGIONIS, SEU CONTRADÆ NUNCUPATÆ ARCÆ BONONIÆ,
CUM ECCLESIASTICIS.

Casus decisus per Rotam, ut infra.

De contributione Ecclesiasticorum ad publicas expensas principaliter concernentes singulorum privatam utilitatem, secundario vero publicam; ut sunt, refectiones aggerum pro impediendis inundationibus, & similes. Quomodo talis contributio, seu repartitio facienda sit pro rata bonorum; Et aliqua de expensis concernentibus Annonam, vel aquas & fontes. An & quando etiam Ecclesiastici ad eas teneantur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De distinctione inter expensas publicas pro utilitate omnium in universum in particulari.*
4 *Ad primam speciem Ecclesiastici non tenentur, nisi concurrentibus requisitis.*
5 *Secus autem ad secundam, & de ratione.*
6 *Sed exactio facienda est auctoritate Judicis Ecclesiastici.*
7 *Non intrat in his materia immunitatis Ecclesiasticæ.*
8 *Decima debetur etiam de pascuis, atque bona solum pascuiva dicuntur fructifera & collectabilia.*
9 *Collectæ solvendæ sunt pro modo fructuum.*
10 *An & quando Ecclesiastici teneantur ad contributiones expensarum pro aqueductibus, & fontibus.*
11 *Quomodo istæ quæstiones, & a quibus decidendæ sint.*

D I S C. LIX.

1 OB inundationes, quibus frequenter subjacet territorium Ravennatense, necessitas exigit, cum summa diligentia & notabili sumptu, aggeres construere, vel constructos reficere, & manutenere, ut ita ea prædia, & bona præserventur ab inundationibus, quæ non solum perceptionem fructuum illius anni impediunt, sed etiam sterilitatem pro aliquo futuro tempore inducunt; Quia vero impossibile est, id singulariter, & distincte per prædiorum Dominos perfici, proindeque omnino necessaria est unita refectio facienda per peritos a publico deputatos, quia unius etiam modicæ partis neglecta, vel male facta refectio, inanem reddit omnium aliorum diligentiam, & sumptum. Hinc proinde consuetudo inductæ, pro hujusmodi impensis, ita per publicos ministros & peritos faciendis, indici collectas pro rata bonorum, ac juxta regionum, seu contractarum qualitatem, quia forte una majori sumptu quam altera indigeat. Cum autem contingere solent controversiæ cum Ecclesiasticis, præsertim Regularibus super hujusmodi contributione, seu collecta, idcirco de anno 1586. inita fuit inter Populum, & Clerum concordia super divisione territorii in regiones, & contratas, ac etiam super modo solvendi dictam collectam, ab eo tempore observata. Renuentibus vero moderno tempore aliquibus Ecclesiasticis, ac præsertim Patribus Cassinensibus Monasterii Classensis dictam concordiam observare, utpote Ecclesiasticæ immunitati contrariam, quodque ubi etiam ea servanda esset, teneretur solum contribuere pro prædiis & bonis cultis, non autem pro incultis, & ad culturam forte ob aquarum inundationem, cui consuli non possit, non aptis, sed solum pascuivis; Orta est controversia, & introducta causa in Rota cor. Priolo *sub die 2. Maii* 1664. *prodiit* resolutio pro dictæ concordiæ observantia, & Ecclesiasticorum contributione, cum moderatione tamen respectu incultorum, ut non pariformiter cum cultis, & magis fructiferis, ut de præterito servatum fuerat, contribuere deberent, sed propor- 2
tionabiliter pro rata fructuum. Quæ resolutio mihi pro deputatis, seu Universitate scribenti, visa est justa, & rationabilis, non tamen huic parti placuit, quasi quod iste inæqualis modus taxandi esset impracticabilis, pluraque produceret inconvenientia, unde propterea subsequutis disputationibus cor. Verospio, Carpinea, & aliis, plures desuper prodierunt resolutiones, quamvis Ego, vel quia dictum temperamentum laudaverim, vel ex aliis accidentibus, amplius in causa non scripserim.

Duo igitur erant puncti; Unus nempe super d. taxa, seu contributione in genere ad limites concordiæ, & an ista Ecclesiasticæ Immunitati adversetur; Alter vero super d. distinctione bonorum cultorum, & incultorum.

Quatenus igitur pertinet ad primum, procedebam cum 3
distinctione insinuata *in Barchinonen. disc. præced.* quod aliæ sunt publicæ impensæ concernentes primario utilitatem, & necessitatem publicam, secundario vero privatam; ut sunt illæ, quæ fiunt pro refectionibus pontium, & viarum publicarum, aquæductuum, & fontium, murorum Civitatis, & arcium, stipendiis militum præsidiariorum, seu militum persequentium bannitos, & grassatores, cum similibus concernentibus publicum regimen, & conservationem Reipublicæ, seu Principatus in universum, unde postea resultat etiam quies & utilitas privatorum, & de qua impensarum specie loquitur Abb. *cons.* 3. *lib.* 1. ubi de constructione, seu refectione murorum castri pro custodiendo ab incursibus bannitorum, vel militum; Aliæ vero sunt concernentes primario necessitatem, vel utilitatem privatam, quamvis exinde utilitas quoque publica resultet; Ut sunt in specie constructiones, vel refectiones aggerum pro impediendis inundationibus, sive refectiones viarum ante domos in Civitate, aut viarum vicinalium pro commoditate prædiorum, & transportatione fructuum, cum similibus.

Ubi agitur de prima specie, quicquid scribentes variaverint, omnino verius est, Ecclesiasticos regulariter ad eas 4
non teneri, nisi concurrentibus sex requisitis, de quibus in *d. Barchin. disc. præc.* ex ratione ibidem assignata, quod licet hujusmodi impensæ, sæcularium & Ecclesiasticorum necessitatem, vel utilitatem pariformiter percutiant, attamen in eamdem publicam necessitatem, vel utilitatem etiam laicorum, Ecclesiastici diversam supportant speciem onerum spiritualium, ut ibi.

In altera vero specie econverso, omnino verius est, Ecclesiasticos pariformiter cum sæcularibus ad eas teneri, quoniam nisi ista publica providentia accederet, singuli tenerentur de necessitate pro fructibus colligendis, eorumque prædiis & bonis præservandis, & conservandis, hujusmodi expensas facere, in majori tamen quantitate, & cum longe minori utilitate, ob evidens periculum, quod

sio

isto præsertim casu refectionis arginum, incurrerent, ut ob aliquorum particularium neglectam, vel male factam refectionem tota aliorum impensa inutilis remanet, ideoque hæc publica provisio, in ratione etiam œconomica, omnino necessaria est pro majori utilitate singulorum, & consequenter prætensa exemptio ab hujusmodi contributionibus, non importaret Ecclesiasticam immunitatem, quæ proprie est conservatio Ecclesiasticorum in primæva naturali libertate ab oneribus per Principem laicum indictis, sed esset velle locupletari de alieno, ita evitando illas expensas, quæ aliàs de necessitate prædiorum domini, sive Ecclesiastici, sive sæculares facturi essent, etiamsi sublatis omnibus oneribus, restitutio sequeretur primævæ naturali libertati, cum illud non sit onus proveniens à facto Principis, vel alterius Magistratus sæcularis, sed de necessitate naturæ, ipsisque bonis insitum.

Ut in specie aggerum, quæ fiunt prope mare, vel flumen ad evitandas inundationes, Anchar. *in d. c. non minus n. 8. de Imm. Eccl.* & sequitur Abb. *ibid. n. 18. versic. hinc dicis*, Et de refectione viæ ante propriam domum, seu expurgatione putei deservientis ad totius viciniæ usum, Fagnan. *in eod. c. non minus nu.* 12. *&* 13. & hanc distinctionem sequuntur etiam Morales & Canonistæ, ut constat, ex deduct. per Delbene *in tract. de immun. tom.* 1. *c.* 5. *dub.* 16. *&* 17.

Ad quod considerabam etiam conferre ea, quæ in jure habemus de melioramentis necessariis, vel utilibus, etiam quantumcumque malæ fidei possessori reficiendis, quoties non constat de voluntate, quod animo donandi facta essent, ex dicta ratione, quod nisi per dictum possessorem facta fuissent, fieri debuissent per ipsum dominum; respectu necessariorum, & respectu utilium, quia esset locupletari de alieno cum similibus.

5 Solumque isto casu Ecclesiasticæ libertatis præjudicium versari posset, quando Magistratus sæculares cum eorum propria, & laicali auctoritate hujusmodi collectarum exactiones facere vellent, cum ex deduct. *disc. prec.* faciendum sit authoritate judicis Ecclesiastici, id denegare non debemus, eodem modo, quo ex vi derivativa magis, quàm coactiva, idem sequi debet circa alia concernentia publi-
6 cam utilitatem in universum, quæ tamen omnium, sive Ecclesiasticorum, sive sæcularium uniformem observantiam exigunt; Ut sunt ea, quæ cernunt casus belli divini, vel humani, salubritatem aeris, & similia, ex collectis per Spetell. *decis.* 12. *&* 13. & frequenter habetur actum, præsertim per modernos morales.

Hinc proinde, inane videbatur opus scribentium pro
7 Ecclesiasticis, qui desumendo collectas per Rot. *decis.* 412. *par. 9. rec.* & Fagn. *in c. non minus de Imm. Eccl.* longas retexebant allegationes super Clericorum, & Ecclesiarum immunitate à collectis, & oneribus laicalibus, ex defectu applicationis, quia non eramus in casu, dum ista non sunt onera per Principem, vel Rempublicam in suam causam indicta, sed potius prudentes, œconomicæ provisiones pro majori ipsorum privatorum utilitate, quamvis exindè, accessoriè & consecutivè, publica quoque utilitas resultet.

Quo vero ad alium punctum super modo contributionis, ac distinctionis bonorum cultorum, & incultorum, non cadebat consideratio qualitatis, seu immunitatis Ecclesiasticæ, ut supra cessantis, cum id etiam laicos indifferenter percuteret; Videbatur autem, utrumque extremum esse vitiosum, illud scil. hujus partis super æquali concursu bonorum sterilium, & incultorum, cum cultis fertilibus, & illud alterius super omnimoda contributionis denegatione, ex eo, quod bona non essent culta, quoniam etiam inculta, & solum pascuiva dicuntur fructifera in fructu mere
8 naturali, unde habemus, quod etiam de pascuis debetur decima sicuti de aliis fructibus ad text. *in c. commissum de decim.* Rebuff. *de decim. q.* 8. *n.* 22. Barbos. *de Parocho c.* 28. *§.* 1. *n.* 14. & habetur pluries in sua materia *sub tit. de decim.* Licèt ista frequentius exigi soleat in ipsis fœtibus, & fructibus animalium depascentium, ut ibi Quinimo ista prædia solis pascuis destinata, in plerisque locis solent esse magis æstimabilia, & majoris fructus, vel quia plus fructent, vel ob securitatem à periculo sentiendi etiam damnum de proprio, cui dominus bonorum cultorum subjacet, ideoque mihi videbatur intrare terminos text. *in l.* 1. *& seqq. C. de annon. & tribut. lib.* 10. *l. fin. C. de immun. nemini conced.* Menoch. *cons.* 1144. *n.* 6. cum aliis, de quibus in Rom. collectæ hebræorum *hoc tit. disc.* 80. *&* 101. de solvendis collectis, & datiis pro modo fructuum, & tamquam per speciem decimæ spiritualis, cui isti termini assimilantur.

Sive quod intrarent alii termini expensarum, quæ fiunt gratia fructuum colligendorum, aut alii de in rem verso sive utili negotiorum gestorum; Quibus omnibus attentis, sicuti justum non est, ut qui aliquem fructum percipit, omnino sit immunis, ita neque justum est, ut qui modicum percipit, debeat fere idem, ac æquale onus cum iis, qui percipiunt multum; Et licet dicta antiqua concordia jamdiu observata, indifferenter hanc æqualitatem statuat, spectata solum quantitate, seu mensura bonorum in sorte; Considerabam tamen tunc temporis, fortis non adesse hanc inæqualitatem, postmodum accidentaliter sequutam, unde intrarent duæ propositiones; Una, quod actus initus censetur rebus in eo statu permanentibus; Et altera, quod ubi contractus tractu temporis reducitur ad injustitiam, vel iniquitatem, juste peti potest ejus reformatio, seu reductio ad æqualitatem, & justitiam, ad not. *in c. dudum de decim.* cum concord. per Thes. *decis.* 236. Capyc. Latr. *decis.* 18. & alios frequenter; Potissime vero favore Ecclesiæ, pro qua, obtinente omnia jura, & privilegia minorum, & pupillorum, facilius intrat allegatio læsionis.

In ordine autem ad primum punctum contributionis Ecclesiasticorum, affirmativæ, vel negativæ in publicis expensis, omnium communem, ac promiscuam utilitatem concernentibus; Retenta supradicta distinctione circa utilitatem principaliter communem in universum, & secundario privatam, vel e contra. Major difficultas cadere solet, non quidem theorice super dictæ distinctioni veritate, quia in effectu est vera, magisque communiter recepta, atque in juris principiis bene fundata, sed practice quoad ejus applicationem, quando scil. in uno, vel in altero casu esse dicamur, præsertim ubi agitur de iis expensis publicis, 10
quæ magis proxime respiciunt privatos, ut sunt, conductiones medicorum, refectiones aquæductuum pro fontibus, tam publicis, quam consequenter privatis, necnon provisiones circa annonam, in qua præsertim major est controversia, ut patet ex deductis per Fagnan. *in d. c. non minus de Immun. Eccl.* ubi fatetur magis communem esse pro contributione, quamvis ipse contrarium teneat.

Mihi autem, tam occasione istius controversiæ, ac alterius, de qua *disc. prec.* quam etiam aliarum contingentiarum, videbatur periculosum esse, generaliter & in abstracto hujusmodi punctum tractare, seu generalem, ac indefinitam decisionem super tradere, ut facere videntur Doctores hinc inde disputantes, collecti per Fagnan. *ubi sup.* sed procedendum esse retenta eadem distinctione generali; Si enim, e. gr. aquæductus principaliter constructi essent, vel ad publicum ornatum resultantem ex publicis, & amænis fontibus, vel ad quamdam majorem, & exuberantem incolarum commoditatem, itaut, etiam sine illis, necessarius, vel sufficiens usus hujus elementi cum non magno sumptu, vel incomodo haberetur, & tunc ista dicitur impensa, juxta primam partem, principaliter respiciens bonum publicum in universum, quamvis exinde, accessoriè & consecutive resultet utilitas; seu major commoditas privatorum, atque pro contributione respondendum; Si vero ob situs qualitatem, ubi non habeatur aqua per aquæductus a longe traducta, incolæ magnum sentiant incommodum, & impensam in singulari pro hujusmodi necessario elemento obtinendo, itaut constructio, vel refectio, principaliter concernat singulorum utilitatem pro evitando majori sumptu alias faciendo pro dicto usu aquæ obtinendo, & tunc dicimur esse in secunda parte distinctionis, atque intrant termini negotiorum gestorum, sive æquitative actionis de in rem verso, &c.

Prout si essemus etiam in præcedenti casu, in quo aquæ- 11
ductus principaliter constructi essent ad publicum ornatum, majoremque commoditatem, sed aliqui privati Ecclesiastici non contenti illa accessoria, & consecutiva commoditate, quam ita obtinent, hauriendo aquam ex publicis fontibus, obtinerent a Magistratu facultatem ducendi aquam a publicis aquæductibus, ac faciendi fontes particulares pro usu domus, vel pro irrigandis viridariis; Et tunc proportionabiliter, & pro rata, contributioni sine dubio locus est, tamquam in secunda parte distinctionis, ut ubique, præsertim vero in Urbe observantia docet.

Ita pariter circa annonam, si enim a publico consulitur, vel irruentiæ locustarum, vel agrorum inundationibus, aut latronum, seu militum incursionibus, unde propterea, ob non impeditam consuetam fructuum perceptionem, resultet ubertas, seu evitetur penuria, unde singuli accessorie utilitatem quoque reportent, eos emendo pro consueto, non autem cariori insolito pretio; Tunc quoad Ecclesiasticos in universum, dicimur esse in prima parte

distinctionis; Sed si Ecclesia, & Ecclesiastici possident Casalia, & prædia, unde propterea hujusmodi provisionibus reportant utilitatem in particulari, super majori collectione fructuum, quam alias non fecissent, sive super præservatione à majoribus impensis, quas alias ipsi particulares singulariter facere debuissent, & tunc dicimur esse in secunda parte, ut moderno tempore vidimus practicari in Urbe super contributionibus pro expurgatione locustarum, de quibus habetur plurica *sub tit. de servitutibus ad materiam damni infecti*. ac etiam *sub tit. de locat. & conduct.*

Et quoad provisiones tritici, aliarumque frugum pro publica annona, si sunt expensæ prudentialiter factæ pro evitanda fame, & omnimoda carentia, & sic principaliter pro bono Reipublicæ in universum, sive pro evitandis dardanariorum suffocationibus, & tunc videmur esse in prima parte distinctionis, ac sequenda opinio Fagn. *ubi sup.* & aliorum; Sed si existente communiter victualium pretio cariori, Civitas, vel alter Magistratus ad quem pertinet, commiserando populum impotentem ad emendum panem, seu alia victualia tam caro pretio, emat frumentum pro majori pretio, sine quo alias haberi non potest, revendat autem, seu explanet pro minori, juxta casum, de quo habetur actum *in Ferrar. hoc eod. tit. disc.* 45. & in aliis, & tunc videtur, quod simus in secunda parte privatæ actionis negotiorum gestorum, quoniam non esset præservari damno, resultante ab accidentali indictione collectarum, & onerum, quæ per Magistratus sæculares laicali auctoritate fiant cum conservatione in pristina naturali libertate, in quo propriè immunitas consistit, sed est velle facere lucrum de alieno, atque illum panem, quem alias emere oporteret pro decem, obtinere pro quinque, alieno sumptu; Et sic in summa, ista videtur quæstio potius facti, & applicationis, quàm juris, uniformem generalem determinationem non recipiens, sed prudenti judicis arbitrio, juxta singulorum casuum particulares circumstantias, ita tamen quod Ecclesiasticorum condemnatio & coërctio, dictæque quęstionis terminatio, fiat auctoritate judicis Ecclesiastici, & competens, non autem Magistratus sæcularis suam auctoritatem adhibeat, & sic in vi directiva, non autem coactiva, *ut disc. præc.*

HYDRUNTINA COLLECTARUM, PRO COMMUNITATE OPPIDI SEU LOCI ZULLINI, CUM DOROTHEO STIZIO.

Casus disputatus in S. Congregatione Immunitatis, & resolutus pro Communitate.

An Clerici Orientales, seu Græci conjugati in minoribus, solaque prima tonsura initiati, sint exempti a collectis, aliisque oneribus laicalibus, vel potius jure aliorum clericorum conjugatorum ritus latini in hoc proposito censendi sint.

Et de probatione clericatus, quando dicatur adesse sufficiens; Et de differentia inter probationem clericatus in genere, & probationem unius, vel alterius qualitatis ejusdem clericatus, posita ejus substantia, an scil. esset in uno, vel altero ritu.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio S. Congreg.*
3 *Littera Episcopi probant Clericatum.*
4 *Clericus conjugatus non est exemptus a collectis.*
5 *Quid in Clerico conjugato Græco, seu orientali.*
6 *De ratione, ob quam Clerici etiam in minoribus gaudent exemptione, & privilegiis, etiamsi non habeant requisita Conc. Trid.*
7 *Habens regulam habet intentionem fundatam, donec probetur limitatio, quam sufficit reddere dubiam.*
8 *Diversa est forma ordinum Ritus Græci, ac latini.*
9 *Episcopus latinus non confert ordines juxta ritum Græcũ.*
10 *Declaratur conclusio, quod Clericatus admittat imperfectas probationes, & quando debeant esse plena.*
11 *Clerici conjugati orientales in minoribus non gaudent Immunitate ab oneribus.*
12 *In Clericis conjugatis in minoribus nulla differentia est inter Græcos, & Latinos, & de differentia.*
13 *An Clerici in minoribus de jure sint exempti a collectis, & oneribus.*
14 *Declaratur conclusio, quod Clerici Græci non subjacent decretis, & Canonibus Apostolicis.*

D I S C. LX.

REnuente Dorotheo clerico conjugato, loci ferte di- 1
tiori cive, solvere collectas, aliaque publica & Communitativa onera, sub eo pretextu, quod esset clericus orientalis; seu ritu græco ordinatus, introducta inter ipsum & Communitatem loci Zullini causa coram Ordinario, prodiit sententia Communitati favorabilis, in gradu appellationis revocata per A. C. in contumaciam tamen, & per contradictas; Atque in hoc statu reassumpta causa per S. Congr. immunitatis, ac disputato dubio, an 2
locus esset prætensæ exemptioni, necne; sub die 12. Junii 1668. negativa prodiit resolutio communitati favorabilis; Ex eo principaliter fundamento, quod non constaret de qualitate clericatus juxta ritum græcum, unde propterea regulandus esset jure aliorum clericorum conjugatorum ritus latini, quos non dubitatur, collectis, & oneribus laicalibus subjacere. Sed quatenus etiam hujusmodi qualitas sufficienter justificata esset; adhuc sensus S. Congreg. fuit, eam in proposito non suffragari; Et si duæ fuerunt hujus disputationis partes, seu inspectiones, una scil. super probatione clericatus juxta dictam qualitatem, & altera, posito quod de illa constaret, an suffragaretur; Et in utraque mihi scribenti pro Communitate, reflectendo etiam ad veritatem, justa, & probabilis visa est resolutio.

Quatenus enim pertinet ad primam, quæstio erat magis facti quàm juris, an scilicet adesset sufficiens probatio clericatus, in quo scribentes pro Dorotheo dicebant, ejus in- 3
tentionem fundatam esse in litteris testimonialibus Episcopi *Alessanen.* viciniores, qui in vim dimissorialium proprii Ordinarii, eum prima tonsura initiaverat: Recepta enim propositio est, clericatum per hujusmodi litteras recte, ac sufficienter justificari, Caval. *dec.* 483. & 502. Gregor. *dec.* 78. Buratt. *dec.* 540. *dec.* 31. *n.* 2. *p.* 10. *rec.* & admittunt Merl. *lib.* 2. *contr.* 91. & Sanfel. *decis.* 7. & 143. ubi disputant, an probetur per testes, & adminicula; Multo magis, ac extra difficultatem, accedentibus pluribus adminiculis id reddentibus indubitatum, tum quia in pluribus visitationibus factis per Ordinarium, ipse tanquam clericus ad obedientiam evocatus fuerat, & in clericorum cathalogo descriptus: Tum clarius ob duplicem dispensationem Apostolicam, una scil. alterius revalidatoria super duplici bigamia, dum secundam uxorem viduam duxerat.

Econverso ex parte communitatis non negabatur veritas clericatus in genere, sed controversia erat super ejusdem clericatus qualitate, an scil. ille, latino, vel græco ritu susceptus esset, cum in hoc resideret substantia quæstionis, quoniam si esset ritu latino, nil referebat ad effectum con- 4
troversum, dum absolutum est, clericatum in statu conjugali non excusare a collectis, & oneribus realibus, vel mixtis, cum sola controversia sit circa exemptionem a mere personalibus, prout est capitatio, quæ vulgo *la testa* nuncupari solet, ac etiam sunt servitia personalia, ex deductis in materia hinc inde per Marin. *res.* 59. *l.* 1. Fagnan. *in cap. pervenit n.* 16. *de Imm. Eccl.* Cohell. *ad bull. boni Reg. c.* 50. *num.* 157. Delbene *de Immunit. c.* 1. *dubit.* 5. *sect.* 3. Unde Rota *in una Rom. amissionis ad cap. Odoardus* 5 *Martii* 1688. coram Otalora, & de qua habetur actum *sub tit. de cred.* dixit clericos conjugatos, excepto privilegio fori, in omnibus haberi tamquam laicos.

Hoc autem scribentes in contrarium non negabant, sed dicebant procedere in clericis conjugatis ritus latini, secus autem in Orientalibus, in quibus qualitas conjugalis, utpote licita, & recte compatibilis cum clericatu, illum non diversificat, neque ejus connaturalia privilegia tollit; Ut in specie exemptionis a collectis, & oneribus clericorum Orientalium conjugatorum Carol. de Graff. *de eff. clericat.* 3. *n.* 45. Delbene *de immunit. cap.* 1. *dubit.* 8. *n.* 2. ubi quod etiamsi in istis non concurrerent requisita Sacr. Concil. Trident. quæ in Clericis in minoribus ritus latini non beneficiatis necessaria sunt ad fori privilegium, adhuc tamen privilegiis clericalibus gaudere debeant, assignata ratione, quod post divisum sub Leone III. Im- 5
perium orientale ab occidentali, & sic separatam utramque Ecclesiam, quamvis etiam clerici, & subditi Ecclesiæ orientalis, adhuc subdantur Pontifici tamquam Episcopo Ecclesiæ universalis non tamen subjacent novis legibus Pontificiis, quæ etiam in Conciliis generalibus fierent super statu clericorum, & Ecclesiasticorum, & consequenter exempti sunt a Concilio Tridentino, inducente in clericis in minoribus requisita incessus in habitu,

& con-

& tonsura, & servitii alicujus Ecclesiæ, cui per Ordinarium adscripti essent.

Cum igitur punctus quæstionis non esset in substantia Clericatus in genere, sed esset in hujusmodi qualitate, quæ ex parte Clerici prætendentis exemptionem deducebatur, tamquam limitatio dictæ regulæ generalis assistentis Communitati, volenti exigere collectas adversus Clericos conjugatos; Hinc proinde ejusdem Communitatis intentio fundata remanebat in regula, quam sufficit allegare pro actione fundanda, donec probetur exceptio, quæ utpotè non præsumenda, bene, & concludenter per allegantem probanda est, itaut allegans exceptionem adversus actorem, qui bene suam actionem fundavit, gerere dicatur partes actoris, econverso alter partes rei, cui sufficit vincere per non jus, Mantic. *dec.* 251. *n.* 8. *&* 274. *n.* 4. Butatt. & Add. *dec.* 298. *n.* 2. *&* 3. Quinimo sufficit, quod dubia reddatur probatio ejus, qui vices actoris gerit, Surd. *cons.* 505. *n.* 6. Merlin. *dec.* 597. *n.* 34. *dec.* 158. *n.* 3. *&* 270. *n.* 1. *& seqq. p.* 10. *rec.*

Plures autem circumstantiæ, & præsumptiones concurrebant hujusmodi probationem excludentes, vel debilitantes, primo scil. quod illa verba, *juxta ritum græcum*, in litteris dicti Episcopi, adjecta essent per apostillam marginalem, de cujus falsitate suspicio erat; Secundo, quia in registro enunciabatur, istum unà cum aliis promotum esse ad Clericatum juxta ritum S. R. E. absque eo, quod fieret aliqua mentio ritus græci, ut probabatur enunciati in iis, qui juxta dictum ritum ordinati essent; Tertio, quia in visitationibus, enunciatus erat simplex Clericus unà cum aliis ritus latini, absque dicta qualitate, enunciata in aliis, qui reverà erant illius ritus Clerici, vel Presbyteri; Et quarto fortiter ob incongruentiam Episcopi ordinantis, qui erat latinus; Licèt enim orientales græco ritu viventes, qui domicilium habent in his partibus occidentalibus,
8 subjaceant locorum ordinariis, atque nonnisi de istorum licentia & auctoritate, ad ordines promoveri valeant, nihilominus; quia diversa est forma ordinandi in uno, ac altero ritu, ex deduct. per Fagan. *in c. cum venissent de Sac. unctione*, idcirco de Episcopi latini licentia, & cum ejus literis dimissorialibus, ordines conferuntur per Episcopum græcum, ad text. *in cap.* 9. *&* 11. *de temporib. ordinat.* ibid. Barb.
9 *in collect.* Azor. *Instit. mor. par.* 2. *lib.* 3. *c.* 48. *quæst.* 4. atque ita docet inconcussa praxis; Unde propterea, quidquid esset de hujusmodi adminiculis, an sufficerent, necne, ad convincendam dictarum litterarum falsitatem, seu alterationem, dicebam id sufficere ad reddendam dubiam probationem dictæ qualitatis, quæ erat fundamentum intentionis prætendentis exemptionem.

Et quamvis in materia probationis Clericatus, magis
10 communiter receptum sit, non adeo mordicus, & rigorose producendum esse, sed sufficere etiam probationes imperfectas, & adminiculativas, ex deduct. apud Greg. & Add. *decis.* 20. 35. *&* 78. *& per beneficialistas passim*, ac disputant Merl. & Sanfel. *ubi sup.* Nihilominus advertebam, etiam cum sensu veritatis, in hoc spectandum esse effectum, ad quem hujusmodi probatio facienda est, an scil. incidenter, ut quotidie contingit in justificationibus literarum Apostolicarum super collatione beneficii, ad effectum illas exequendi, vel etiam ubi de eodem Clericatu ageretur, ad effectum fori juridici laici, quo casu benigne proceditur, ac sufficit casum reddi probabiliter dubium, ut in dubio pro Clericatu respondendum sit, quia non incongruit judicem Ecclesiasticum cognoscere, & punire eum, qui possit esse non Clericus, sed laicus; sed è converso incongruit judicem laicum cognoscere, & punire eum, qui potest esse Clericus, idcirco ratione dicti convenientis, tutior via eligenda est; Quæ ratio non adaptatur, ubi agitur ad effectum præsentis controversiæ, cum nullum adsit inconveniens, ut Clericus conjugatus ferat onera laicalia, ideoque qualitas regulæ limitativa, plene probanda est, & sic magna est differentia inter unum effectum, & alterum.

Verum ubi etiam dicta probatio omnino perfecta admitteretur; Quatenus ad alteram inspectionem pertinet, adhuc, cum sensu etiam veritatis, dicebam veriorem videri
11 opinionem Baldi, & aliorum relatam per Jo: Ant. de Nigris *super cap. Regni* 98. *num.* 17. *&* 18. & Carol. de Graff. *d. eff.* 3. *n.* 45. neglecta ejus dubitatione, ex pluribus; Primo, quia in Ecclesia orientali, seu ritu græco, non videtur in usu iste Clericatus in minoribus cum sola tonsura, quæ reverà non est ordo, sed solum initium, seu introductio ad ordines, atque adscriptio militiæ cœlesti pro futuris ordinibus suscipiendis; Unde propterea quando illi orientales ex antiquo domicilio in his partibus occidentalibus, & intra viscera Ecclesiæ latinæ viventes, intendunt Clericalem statum suscipere, usus est, quod huic militiæ, more aliorum Clericorum ritus latini, adscribuntur per ipsorummet ordinarium loci, seu alterum Episcopum latinum; Quando vero intendunt ad alium ritum in majoribus ordinibus transitum facere, ita per quamdam mutationem status, dictos ordines sub diverso ritu ab Episcopo græco suscipiunt; Ideoque quoad Clericos in minoribus, præsertim primæ tonsuræ, nulla videtur inter unos, & alios Cle- 12
ricos subesse differentia, quæ solum cernitur in promotis ad ordines majores, in quibus hujusmodi orientalibus, quamvis intra viscera Ecclesiæ occidentalis viventibus, ex quadam permissione Sedis Apostolicæ, toleratur status conjugalis prohibitus Clericis ritus latini; Et sic ea, quæ dicuntur per Graff. & alios, ut Clerici orientales, quamvis uxorati, adhuc veri Clerici sint, atque jure nostrorum Clericorum cœlibum censendi, procedunt in illis, qui sunt in Ordinibus majoribus, & in omninò fixo, & irretractabili statu Clericatus, ad effectum ut prætendi non possit eos venire sub Canonibus, & decretis loquentibus de Clericis conjugatis.

Secundo, quia in jure expresse determinatum non est,
an Clerici in minoribus tantum constituti gaudeant illa im- 13
munitate à collectis, & gabellis, aliisque publicis oneribus, qua indubitanter gaudent existentes in sacris, seu majoribus, plerisque id negantibus in bonis privatis, seu patrimonialibus, ut de facto aliquarum provinciarum, seu locorum usus docet; Et quamvis magis communis, & recepta DD. opinio, à frequentiori etiam Catholici Orbis observantia comprobata, Clericis in minoribus quoque assistat, ex deductis per Fagn. *in d. cap. pervenit de Immunit. Eccl. num* 15. Delbene *de immun. cap.* 1. *dub.* 5. *sect.* 1. Attamen est exemptio qualificata, quatenus scilicet Clerici in minoribus sint cœlibes, & non conjugati, ex auctoritatibus supra initio allegatis, ideoque cuicumque Clerico in minoribus hujusmodi exemptionem prætendenti, rectè dici potest, nullum habes canonem, vel decretum Apostolicum, quod tibi pro immunitate assistat.

Atque scribendo in causa dicebam, insulsam mihi videri differentiæ rationem ab aliquibus assignari solitam, quod Clerici orientales, quamvis conjugati, sint veri Clerici, nam Clerici occidentales conjugati sunt etiam tales, destituti tamen ea qualitate, quæ causat aliqua majora privilegia.

Tertio, quia ratio assignata à Delbene, *ut sup.* quod scil. post divisionem Imperii, ac divisionem Ecclesiarum Græcæ, & Latinæ, Clerici orientales comprehensi esse non deberent sub decretis Apostolicis, quæ exinde fierent etiam in Conciliis Generalibus, congruè adaptabilis est illis, qui tam in origine, quam in domicilio, verè & de facto
vivunt in partibus orientalibus, ac intra illius Ecclesiæ 14
limites, cum eorum particularibus legibus, etiam Conciliaribus, ad tollendam confusionem, quæ ex legum diversitate oriri posset, & quia non debent duplici diversæ legi subjacere; Quæ ratio omnino incongrua est illis, qui licet ex antiqua origine sint orientales, de facto tamen vivunt in his partibus occidentalibus, & intra viscera Ecclesiæ latinæ, absque studio, & participatione illarum legum, & Conciliorum, atque sub omnimoda subjectione & correctione Episcoporum, seu Ordinariorum Ecclesiæ latinæ, itaut, excepta tolerantia circa ritum, in reliquis in nihilo differre videantur à reliquis Clericis; Et quidem prorsus absonum dicebam, ut inter eque existentes in eodem statu Clericatus in minoribus, magis privilegiati, ac melioris conditionis esse deberent illi, qui in his partibus viventes, à nostræ Ecclesiæ instituto magis deviant, atque græcorum schismati quodammodo magis approximant, quàm nostri, magis Ecclesiæ obedientes & subditi; unde propterea justa, beneque fundata visa est resolutio, communis quoque observantiæ fomentum habens.

VELITERNA PANIS

PRO COMMUNITATE CIVITATIS VELLETRI SEU APPALTATORE FURNORUM

CUM CIVIBUS, & ALIIS PARTICULARIBUS.

Casus decisus per Congregationem Boni Regiminis pro Appaltatore.

De jure privativo faciendi furnos, & vendendi panem: An jus vectigalis importare dicatur: Et an cives, etiam Ecclesiastici habentes facultatem faciendi panem in eorum domibus pro familiæ, & famulo

mulorum usu, possint in præjudicium furnorum publicorum, dare panem operariis diurnis.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Capitula appaltus servanda sunt pro lege.*
3 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
4 *Jus habendi furnos panis venalis privative ad omnes, an sit de regalibus, & habeatur per Civitates subditas.*
5 *Famulorum appellatione qui veniant, & an operarii diurni.*
6 *De exemptione, & privilegio famulorum, & servientium Episcoporum, & Regularium.*
7 *Spectata est consuetudo in materia operariorum, an eis dentur alimenta, vel pecunia.*
8 *Jus privativum vendendi victualia, an importet vectigal.*
9 *De ratione Ecclesiasticæ Immunitatis, ne Clerici cogantur emere panem publicum venalem.*

D I S C. LXI.

1 IN Civitate Veliterna duæ species furnorum habentur; Una est, in quibus coquitur panis civium habentium facultatem illum faciendi in propriis domibus pro usu ipsorum, eorumque familiæ, & famulorum, qui vulgo *Garzoni* nuncupantur; Altera publicorum, in quibus coquitur panis venalis, non ab alio faciendus, & vendendus, quam ab eorumdem furnorum appaltatore, qui pro hujusmodi jure privativo, solvit Communitati illorum dominæ singulo quoque anno notabilem summam scut. m. & ultrà.

Cum autem aliqui cives prætenderent panem in propriis domibus confectum, distribuere posse etiam diurnis operariis in eorum bonis laborantibus, quorum major pars est forensium, adhuc territorium colendum certis anni temporibus accedentium; Pro Appaltatore scribens dicebam, id eis esse illicitum, ac jure prohibendum ex capitulis ap-
2 paltus, quæ pro lege in hac materia habenda sunt, ut in specie capitulorum appaltus, Corn. *Conf.339. in princ. lib.1.* In illis enim expresse cavetur neminem, excepto appaltatore, vendere, vel distribuere posse panem pastoribus, operariis, & aliis in territorio laborantibus, unde quoties habemus verba clara, locus non est argumentis, & interpretationibus, ad text. *in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. cujus dispositionem procedere in omni materia, late firmatur *decis. 44. par. 12. recent. num. 14.*

Maximè, quia post hujusmodi dispositionem adjicitur exceptuatio illorum operariorum, qui essent cives, ac
etiam famulorum, qui vulgo *Garzoni* nuncupantur, quibus declaratur licitum esse comedere panem privatum, exceptio enim firmat regulam in contrarium, ad text. *in leg. nam quod liquide, ff. de pœna legata cum concord.* per Barb. *axiom. 85. num. 4. decis. 24. num. 1. & seqq. par. 6. rec.*

Neque super hujusmodi capitulorum observantia cade-
3 re poterat difficultas, num hujusmodi jus privativum, & prohibendi, utpotè concernens speciem vectigalis, dicendum esset de Regalibus, & competeret, necne Communi-
4 tati; ut occasione appaltus nivis, & juris privativi illam vendendi disputatur hinc inde apud Ganav. *decis.* 16. & Galeot. *respons. fiscal.* 10. Et de quo jure prohibendi accessum ad aliena molendina competenti Civitati habetur in Corneiana, & in Farsen. *sub tit. de serv. ad materiam juris prohib.* quia in casu, de quo agebatur, appaltus cum omnibus istis capitulis approbatus fuerat per Congregationem Boni Regiminis, cum Beneplacito etiam Papæ, cum quo Congregatio verbum fecerat, unde cessabat oppositio, quæ fieri posset ex parte Principis, cujus potius concurrebat approbatio.

Prætendebant per cives, & alios bona in Territorio possidentes, operarios venire sub nomine famulorum, ideoque suffragari dictam exceptionem, sed minus funda-
5 tam dicebam hujusmodi prætensionem, tum ex discretiva in eisdem capitulis contenta, qua excipiuntur operarii, cives, & famuli; ergo isti considerantur, ut quid distinctum ab illis: respectu enim famulorum exceptio est indefinita, sive sint cives, sive exteri, respectu verò operariorum, excipiuntur soli cives, quibus nihil refert, an panis detur per ipsos dominos, & conductores, cum tamquam cives generaliter sint exempti à necessitate emendi panem publicum, atque jus habeant faciendi panem privatum in propriis domibus, & hoc solum sufficere videbatur.

Sed ubi etiam hujusmodi discretiva non adesset, dicebam, sub famulorum nomine diurnos operarios non venire, famuli enim excipiuntur, quia sunt de domini familia, de qua non censetur, nisi qui pro annuo, vel menstruo stipendio semper, quibuscumque diebus, horis, & temporibus alieno servitio addicti sunt, non autem diurni operarii, vel alii in aliqua diei, vel temporis tamquam conductitii aliquod servitium præstantes, Menoch. *de arbitr. cas. 552. num.* 8. & 9. Grat. *discept. for. cap.* 340. *num.* 20. plene Ventur. *cons.* 22. *per tot.* ubi agitur de legatis, quæ per Cardinales, & alios fiunt, eorum famulis distribuenda; Ad quod conferunt, quæ in materia familiarium habentur *sub tit. de benef.* occasione reservationis resultantis ex familiaritate Cardinalium, vel Papæ.

Quod in dies praxis docet in materia immunitatis Ecclesiasticæ, quia famuli, & familiares Cardinalium, Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum, juxta opinionem, 6
quam ex sensu Canonistarum, & Moralium tenet Curia Romana, gaudent pluribus exemptionibus, immunitatibus, & privilegiis, quibus tamen non gaudent operarii sub diurna mercede conducti, quia vere non sunt tales, ut latius deductum habetur in una Lauretan. *sub tit. de jurisd. & for. compet. disc.* 33. occasione privilegiorum competentium familiaribus, & servientibus S. Domus Lauretanæ, & jurisdictionis Protectoris in eos.

Quod in subjecta materia clarius probari dicebam ex ratione, quæ juris dispositione non refragante, magis juxta meam sententiam spectanda venit; Consuetudo enim inveterata est in loco, præstandi hujusmodi operariis, non 7
alimenta, sicut præstantur famulis, sed mercedem diurnam in pecunia, quam regionis consuetudinem in hac operariorum materia spectandam esse, an scilicet eis præstanda sint alimenta, vel merces pecuniaria, notat in specie Rebuff. *in leg. faciendum 70. §. idem dicitur, ff. de verbor. signif. vers. operarius operatur.*

Jus autem privativum circa venditionem panis, vel aliarum rerum humano usui necessariarum, importare dicitur speciem vectigalis, ex latè deduct. per Galeot. *d. resp. fiscali* 20. *num.* 30. *cum seqq.* Ganav. *d. decis.* 16. *num* 39. *& seqq.* quidquid sit respectu eorum, quæ sunt ad luxum, ut distinguendo habetur *disc.* 46. Itaut panis, vel alia res, quæ ven- 8
ditur per habentes hujusmodi jus privativum, duplex pretium habere dicatur, unum nempe intrinsecum, & naturale, quanti vere importat naturalis valor frumenti, & operarum, pro illo ad formam panis reducendo, alterum vero extrinsecum, & accidentale, consistens, in eo, quod plus venditur, ut in hoc excessu proprie vectigal consistere dicitur, Boss. *de vectigal. num.* 4. Galeot. *dict. respons.* 10. *num.* 39. bene Soccin. *cons.* 156. *lib.* 2. ubi quod appaltus salis consistere dicitur, non in ipsa salis materia, sed illo privativo jure vendendi, quod sepius deductum habetur infrà *hoc eod. tit. ad materiam mineralium.*

Quibus sic stantibus, si conducentibus operas, immutata antiqua consuetudine, licitum esset dare panem eorum operariis, id in effectu aliud non contineret, nisi implicitam venditionem, quam de pane cives facerent eisdem operariis, illum dando pro currenti pretio, loco pecuniæ alias præstandæ, Unde resultaret inconveniens, quod privati cives exigerent, ab hujusmodi exteris operariis, cum illicita negotiatione, & lucro de alieno, illud vectigal, quod nonnisi per Communitatem ex Principis concessione exigi potest.

Ex qua ratione, idem dicendum videtur, absque aliquo Ecclesiasticæ Immunitatis præjudicio, etiam respectu Cleri- 9
corum, & Ecclesiasticorum hujusmodi operarios conducentium; ideo enim ipsi ab hujusmodi necessitate emendi publicum panem rationabiliter exempti sunt pro eorum famulis & familia, quia cum ab ipsa persona Ecclesiastica præstanda sint eis alimenta, ita per indirectum solverent gabellas, & onera laicalia, emendo victualia eo cariori pretio, quod jus privativum, seu gabella importat, ut occasione gabellæ macinæ, seu farinæ habetur in nullius Baren. *disc.* 54. & occasione gabellæ vini in Perus. *disc.* 52. & in aliis *hoc tit.* Quæ ratio non cadit in operariis diurnis, quibus ex more regionis certa merces in pecunia præstari solet, quia nihil interest conductoris, an ille operarius cum mercede, quam ab ipso obtinet, cariori, vel viliori pretio victualia emat, & an totam consumat, vel retineat mercedem, quam sibi fatetur solvisse; Atque alias, ut dictum est, esset exigere publicum vectigal in privatam utilitatem, quod importaret lucrum de alieno, ac negotiationem magis, quam immunitatem, quæ in Ecclesiasticis magis, quam in laicis est damnabilis; Et ita pro Communitate, seu ejus appaltatore, respondit Congregatio

boni regiminis. Pront etiam S. Congr. immunitatis ita distinguendo respondere solet, quod scil. immunitas Ecclesiasticorum suffragetur pro famulis, non autem pro hujusmodi operariis, & laboratoribus, ut scio presertim fuisse ita responsum in una Lucerina, & in aliis.

ANNOTAT. AD DISC. LXI.

DE jure privativo habendi furnos, habetur infra *disc.* 144. & 145. ubi de Molendinis, & similibus.

Et de propositionibus, de quibus etiam supra *disc.* 53. & 54. quod scil. exemptio, sive immunitas præservare debet a damno personas immunes, ut pro solutione gabellæ, vel alterius oneris, nullus patiatur detrimentum, neque diminutionem intrinseci, & naturalis pretii suorum bonorum, & victualium, perinde ac si quoad eos nullæ in rerum natura adessent gabellæ, sed viveretur, ut in primævis temporibus, ante illarum introductionem, & usum; non autem, ut personæ exemptæ exigere possint ad proprium lucrum illud extrinsecum augmentum pretii, quod subditi impositoribus gabellæ persolvunt proprio Principi, vel propriæ Civitati, pro publicis oneribus, quoniam ita, est manifesta contrectatio rei alienæ, invito domino, & locupletatio cum aliena jactura, ut plenius advertitur in Miscel. Ecclesiast. *disc.* 5. & 6.

FERRARIEN, GABELLÆ CARNIS, PRO APPALTATORIBUS GABELLÆ, CUM ALIQUIBUS MONASTERIIS, ALIISQUE ECCLESIASTICIS.

Casus disputatus cor. Camerario, & resolutus ut infra.

An gabella imposita carni venali in frusta ad certam rationem pro qualibet libra de pondere, debeatur pro illis animalibus, quæ viva introducuntur ad effectum mactandi in propria domo, & pro usu proprio. Et an gabellarius incurrat censuras inflictas contra exigentes gabellas ab Ecclesiasticis ob indebitam, vel excessivam ejus exactionem, si ipsi Ecclesiastici eidem gabellæ in genere subjecti sint, & sola quæstio sit super interpretatione, vel super comprehensione casus.

SUMMARIUM

1 *FActi series.*
2 *Resolutio casus.*
3 *An & quando incurrantur censuræ, & pœna Bullæ Cœnæ ob exactionem onerum ab Ecclesiasticis.*
4 *Gabellæ exigi possunt ab Ecclesiasticis ex auctoritate Papæ.*
5 *Quando exigens gabellam excessive, vel indebite ab Ecclesiasticis, excusetur a Censuris.*
6 *Gabella odiosa, & in dubio contra eam.*
7 *Gabella non debetur pro rebus ad usum proprium, & num. 12.*
8 *Declaratur quando id procedat quoad gabellam carnis.*
9 *Gabellæ impositæ victualibus sunt potius personales.*
10 *Attenditur effectus, seu usus, non autem sonus verborum, & multa similia dantur.*
11 *Gabella imposita carni venali quomodo intelligenda.*
12 *Declaratur conclusio, de qua num. 7.*

DISC. LXII.

1 IMposita cum Apostolica auctoritate in Civitate Ferrariæ pro subsidio Montis Pietatis gabella super carne venali, ad rationem duorum quadrantium pro libra, cum expresso decreto Pontificio, quod ad eam teneri deberent omnes Ecclesiastici, tam sæculares, quam quorumcumque Ordinum Regulares, ut habetur in alia Ferrarien. pro Civitate Ferrariæ cum undecim Congr. Benedictinis *hoc eod. tit. disc.* 56. Cum Patres S. Dominici, aliaque Monasteria, tam virorum, quam mulierum introducerent in Civitatem vitulos in proprio Monasterio mactandos pro usu ipsorum religiosorum, ac personarum inibi viventium, Gabellarii autem pro hujusmodi introductione exigere voluissent eam gabellam, quæ, ultra istam impositam carni venali per frusta, in ead. Civitate exigitur pro introductione animalium, & sub qua Ecclesiastici non sunt comprehensi; Hinc proinde Ordinarius, eosdem Gabellarios declaravit incursos in censuras Bullæ Cœnæ contra exigentes vectigalia, & onera laicalia ab Ecclesiasticis; Et introducta, nescio quomodo, causa per appellationem cor. Camerario, assumptaque desuper disputatione, duo fuerunt puncti. Unus super validitate, vel invaliditate censurarum; Alter vero super negotio principali, an scilicet hujusmodi gabella debite, vel indebite exacta esset, dum animalia introducta fuerant a propriis prædiis; Et pro utraque parte respective judicatum fuit, gabellariorum scil. favore, declarando censuras invalidas, ac indebite promulgatas; Et Ecclesiasticorum, declarando pro animalibus viventibus, quæ præsertim a propriis prædiis, & pro usu proprio introducuntur, gabellam non deberi. Atque mihi scribenti pro gabellariis, utraque determinatio visa est probabilis. Quatenus tamen secunda pars exemptionis a solutione gabellæ pro introductione animalium viventium, restricta esset ad ea, quæ nata essent in propriis prædiis, secus autem quoad ea, quæ empta essent extra Civitatem pro usu macellandi in propria domo, cum istorum respectu probabilius mihi videretur, debitam esse illam gabellam duorum quadrantium pro libra, cui ex chyrographis, seu indultis Pontificiis subjacent etiam Ecclesiastici, absque dubio exempti ab aliis duabus gabellis super carne in eadem Civitate existentibus, una scil. introductionis animalium, & altera augmenti duorum aliorum quadrantium pro qualibet libra carnis venalis in macello.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum censura- 2
rum, scribentes pro Ecclesiasticis, transcribendo copiose deducta per Rot. in Barchinon. exemptionis cor. Corrado *dec.* 412. *p.* 9. & Add. *ibid.* insistebant super immunitate eorumdem Ecclesiasticorum a gabellis, & oneribus laicalibus sub censuris per Bullam Cœnæ inflictis in contravenientes, & cum quo fundamento Ordinarius ad hujusmodi censurarum
declarationem processerat; Sed revera malè fundata fuit 3
dicta declaratio; tum quia ad effectum incursus in censuras Bullæ Cœnæ, non sufficit simplex exactio gabellarum, & onerum laicalium ab Ecclesiasticis, cum isto casu possint quidem exactores excommunicari de jure, tamquam violatores immunitatis, sed non intrat d. Bulla, exigens copulativè cum exactione, indictionem, quod scil. impositio nominatim Ecclesiasticis facta sit, Ricc. *in prax. ref.* 136. *l.* 4. Quarant. *in summ. Bullar. verb. vectigal. vers. ut autem* Duard. *ad Bullam Cœnæ lib.* 2. *can.* 18. *q.* 15. *nu.* 2. Vivald. *candelabr. aur. bull.* 4. *nu.* 5. *fol.* 357. Nicol. *resol. canon. lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 126. *tom.* 2. & cæteri communiter.

Et ulterius eadem Bulla ad literam, excipit gabellas, & 4
onera imposita cum auctoritate Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ, unde cum in casu nostro per Clementem VIII. ista gabella duorum quadrantium, utpotè ex causa pia, magis Ecclesiasticos, quam sæculares tangente, ipsis quoque expresse imposita esset, idemque confirmatum sit per Paulum Quintum, & Alexandrum VII. nulla adesse videbatur Ecclesiasticæ immunitatis violatio, cum de potestate Papæ dubitandum non esset, Juxta individualem determinationem ab hoc eodem Tribunali jam factam ad favorem Civitatis contra undecim Congregationes Benedictinas, ut in d. alia Ferrar. *disc.* 56.

Et quamvis iidem scribentes in contrarium super hoc puncto censurarum, & ad effectum illas sustinendi, deduce-
rent motiva respicientia merita negotii principalis; an scil. 5
ista gabella imposita pro carne, quæ venditur in frusta, deberetur necnè pro animalibus, quæ pro usu proprio introducuntur viva, & propriæ domi mactantur; Dicebam tamen id esse extra punctum quæstionis, quoniam ob dictum Apostolicum decretum, Ecclesiastici in proposito in omnibus exæquati fuerunt sæcularibus, nullaque differentia inter eos constituta est, unde exemptio animalium introducendorum pro usu proprio, quatenus subsisteret, non resultaret ex aliquo ecclesiasticorum privilegio, seu ratione ecclesiasticæ immunitatis, sed ex dispositione juris, pariformiter tangente Ecclesiasticos, ac Sæculares; Et nihilominus, cum non adesset temeritas, seu infectio exactionis in radice, seu substantia, sed solum in prætenso excessu, ac in ratione interpretationis, id sufficere dicebam pro excusatione a censuris, quæ delictum, & temeritatem exigunt, donec per Superiorem declaretur casum non esse comprehensum sub decreto afficiente etiam Ecclesiasticos.

Quo vero ad alterum punctum, concernens merita ne- 6
gotii principalis, scribentes in contrarium vim constituebant; Primo in eo, quod chyrographum Pontificium super hujusmodi gabellæ impositione, loqueretur de carne venali, & sic de illa, quæ emitur in macellis in frusta, ideoque complecti non deberet casum, de quo agebatur, cum gabella sit materia odiosa, non atten-

denda, nisi ad limites verborum, quæ sufficit esse dubia, ut in dubio pro ejus exclusione sit respondendum, ut ex Cyriac. *controv.* 470. *n.* 24. firmatur in Bonon. gabellæ cor. Alber-
7 gato *dec.* 118. *in fin. par.* 11. *rec.* Et secundo corrolariè, & in comprobationem in regula, quod gabella non debetur de iis, quæ pro usu proprio introducuntur, ad text. *in l. si publicanus* §. 1. *ff. de publicanis*, & *l. universi*, *C. vectigalia nova cum concord* per Surd. *cons.* 307. *nu.* 1. & *seqq.* & alios communiter; Potissime vero accedente observantia, nedum Ecclesiasticorum, sed etiam sæcularium habentium prædia, ubi retinentur, & educantur animalia, vulgo in regione nuncupata *Cascine*, quod pro vitulis, aliisque animalibus, quæ viventia introducuntur pro usu proprio, nulla gabella solvi consuevit, cum in hac materia præsertim gabellarum, observantia totum faciat, ex deductis in Romana Appaltus gabellæ carnis *disc.* 61. & in aliis ad hanc materiam frequenter.

Ex hoc ultimo præsertim motivo observantiæ credebam reflectendo ad veritatem, probabilem esse dictam prætensionem, omnibus aliis, etiam sæcularibus communem, quoties agitur de animalibus in propriis prædiis educatis pro usu propriæ domus juxta morem regionis; ad quem effectum
8 in chyrographo impositionis actum fuit de carne venali, ne alias prætenderetur inclusio etiam pullorum, aliorumque volatilium, quæ a propriis prædiis introducuntur, sive silvestrium, &c. Ac etiam, quia consuetum est ab hujusmodi carnibus excipere illa animalia, quæ propriæ domui ad usum mactantur, ex iis, quæ habentur in Terracinen. gabellæ carnis, *hoc eod. tit. disc.* 70. ubi de porcis in domibus mactari solitis pro usu carnis salitæ totius anni, atque in hoc sensu, seu ista circumstantia accedente, credebam veritatem magis alteri parti, quam gabellariis assistere; Secus autem quoad ea animalia, quæ pro usu quotidiano emeruntur extra Civitatem, ad effectum macellandi in propria domo, quoniam juxta ea, quæ latius habentur examinata in *d. disc.* 71. verius est, in hac materia immorandum non esse in cortice, & formalitate verborum, sed in rei substantia, ac effectu, verè, & propriè consistente in eo, quod populus
9 volens hujus necessarii victualis usum, illum non habeat quotidianum, frequentius haberi solitum a carne, quæ emitur in macello, nisi cum hoc onere, quod ita potius dicitur personale, & impositum personis occasione usus hujus victualis, quam ipsimet rei, ex auctoritatibus specialibus, ac rationibus ibidem deductis.

Quodque spectandus sit effectus, non autem immoran-
10 dum in cortice, seu figura verborum; Deducebam ea, quæ habemus de gabella imposita pro frumento molendo in molino, quod debeatur etiam pro farina, seu etiam pro pane, qui minutatim introducitur, *ut dec.* 45. *in fin.* & *per tot.* §. 9. *rec.* & de gabella imposita pro vino, ut debeatur etiam pro aquavita, quoties pro ista tamquam merce non solvatur alia gabella particularis: habetur *d. dec.* 118. *par.* 11. *rec.* & in Rom. seu Veliterana aquævitæ *hoc eod. tit. disc.* 68. Prout etiam de gabella imposita pro oleo, solvenda pro migma, seu sapone, & de gabella imposita pro sapone, debenda pro quadam aqua proportionabiliter spectato effectu, habetur in Cametin. gabellæ *hoc eod. tit. disc.* 74. cum similibus.

11 Ideoque dicebam illud verbum, *carnis quæ venditur*, moraliter, non autem physicè intelligendum esse, illud interpretando a communi consuetudine, idest pro illa carne, quæ ex quotidiano usu communiter in frusta, in macello quotidie emi solet, ad differentiam illius, quæ retinetur domi pro usu totius anni, ut supra; Sive quæ non solet emi ad usum quotidianum in macello, ut sunt pulli, caro porcina sale condita, & carnes sylvestres, &c. Nam alias diceretur lex imposita verbis potius, quam rebus, atque esset species gabellæ irridibilis, & nullius emolumenti, quoniam non solum Regulares utriusque sexus collegialiter viventes, numquam hujusmodi gabellam solverent, dum ob copiam insimul viventium, etiam ad usum quotidianum, congruum est mactare integrum animal propriæ domi, sed etiam personæ nobiles seu habentes numerosam familiam idem practicare possent, quinimo & artifices, ac populares inferioris ordinis, conjuncti vel vicini, unum animal inter se repartiendo, quo nil absurdius in hac subjecta materia.

12 Ad conclusionem vero de vectigalibus non solvendis de iis, quæ pro usu proprio introducuntur, dicebam eam in casu suo esse veram, sed procedi cum equivoco in applicatione; Jura enim superius allegata, & concordantia dicta disponunt de vectigalibus, quæ propriè consistunt in illa octava parte, vel alia quota, quæ Principi solvitur pro mercibus in portum, vel Civitatem gratia negotiationis introducendis, quod vectigal alias *portorium*, seu *telonia*, hodie vero communi vocabulo *dohana* nuncupatur, ex deductis in Romana desalchi pro Ravenna *disc.* 65. & in alia Rom. dohanæ pro Mercatoribus Ripalibus *disc.* 67. *ac in aliis hoc eod. tit. frequenter*, & quæ gabellæ species verificabatur in ea, quæ in hac Civitate solvitur pro introductione animalium viventium, ut supra, diversa ab ista solvenda minutatim, & proportionate ad pondus, quoniam hujusmodi gabellæ species, ut supra dictum est, censetur magis personalis, & respiciens usum proprium, utpote imposita populo, & personis, ita insensibiliter, & commodius exigenda occasione necessarii usus hujus victualis, eodem modo, quo frequenter in aliis habetur de vectigali consisten. in alterato, seu extrinseco pretio salia cum jure privativo, ac eòam in gabellis macinatus, seu panis, vini, olei, aliorumque victualium, & rerum humano usui deservientium; Et istam credebam, ratione subjectæ materiæ, & communis usus, esse genuinam veritatem, cum dicta scilicet distinctione animalium, quæ sincere, & citra fraudem quandoque in aliquibus anni temporibus, vel in extraordinariis occasionibus a propriis prædiis viva introducuntur pro usu propriæ domus, ab illis, quæ fraudulenter, & affectate emuntur pro usu quotidiano ad fraudandam gabellam, alias in macello solvendam.

ROMANA GABELLÆ FERRI,

PRO PRINCIPE LUDOVISIO CUM BETTIS.

Casus decisus per Cameram pro Principe.

An gabella imposita pro introductione mercium in Civitatem, vel Ditionem, solvenda sit per emptorem, vel per venditorem, & quis dicatur introductor, & quomodo introductio capienda sit.

Gabella pro introductione non debetur de mercibus, quæ introducuntur per transitum, & quando secus.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*

2 *In articulo ad quem pertineat solvere gabellam introductionis, an emptorem, vel venditorem, & quis dicatur introductor, distinguuntur plures casus.*

3 *Hæres tenetur solvere gabellam pro acquisitione rei legatæ præstandæ legatario.*

4 *De distinctione inter introductionem materialem, seu momentaneam, ac alteram formalem, seu permanentem.*

5 *Venditor, seu vector tenetur ad gabellas ratione passuum, seu ob scapham, vel pontem.*

6 *De vectigali, seu Dohana solvenda ob introductionem mercium.*

7 *Istud vectigal non debetur pro mercibus transeuntibus.*

8 *Quis dicatur introductor mercium ad effectum solvendi vectigal.*

9 *Quomodo, & a quibus vere dictum vectigal mercium solvi dicatur.*

10 *Rei dominus tenetur solvere gabellam introductionis, & quis in proposito dicatur Dominus.*

11 *Quando periculum rerum consistentium in pondere, numero, & mensura sit emptoris, vel venditoris.*

12 *Reservatio dominii mercium venditarum pendente solutione pretii, quid in proposita gabella operetur.*

13 *In materia gabellarum satis defertur consuetudini.*

14 *Pretii quantitas regulat conventionem, & quid in contractum deductum sit.*

D I S C. LXIII.

IMposita sub Urbano VIII. gabella pro qualibet ferri, vel ferraccis specie in Statum Ecclesiasticum introducenda, cum facultate gabellario illam ab emptore, aut venditore exigendi ad rationem unius quadrantis pro libra; Cum Plumbini Princeps Ludovisius vendidisset Bettis, Patrimonii & status Castri Thesaurariis, seu Appaltatoribus magnam ferracii quantitatem, singulis annis spatio novennii, ipsius venditoris cura, sumptu, & periculo ab Insula Ilvæ asportandam, & in littore maris certis præscriptis locis a navibus exoneratam tradendam; Observantia dedit, quod totius novennii spatio, gabella prædicta per venditorem numquam soluta fuit, sed pro eo tempore, quo per alium appaltata erat, emptores post longam dispendiosam litem inter ipsos, & appaltatorem, per 1

viam

viam concordiæ illam solverunt; Pro restanti vero tempore cessavit occasio solvendi, quia iidem Betti gabellam conduxerunt; Mortuis autem principalibus conductoribus, eorum hæredes, & Camerales eis adhærentes per interesse crediti ex causa dictorum appaltuum consequendi, ad effugiendam solutionem residualis notabilis summæ ex causa d. ferraccii debitæ, prætendere cœperunt, solutionem dictæ gabellæ pro toto tempore ad venditorem spectare, atque ita Thesaurarius Generalis primæ instantiæ judex sententiam protulit, a qua, introducta per appellationem causa in Camera, & assumpta desuper disputatione, cum plures auctoritates, de quibus infra hinc inde deducerentur super hoc articulo, an gabella introductionis, vel alia spectaret ad emptorem, vel ad venditorem, & quis in proposito esset introductor; Pro venditore scribens, ad articulum dilucidandum, tollendaque æquivoca dicebam, sequentes casus esse distinguendos.

Primus est de gabella, in Civitate, vel extra, solvenda 2 ad acquisitionem rei, quæ sine illius solutione obtineri non potest, ut exempli gratia, est in Urbe gabella equorum, quos nemo acquirere potest, nisi illa soluta, & de qua gabella habetur etiam particulariter actum *hoc tit.* in Rom. gabellæ plani, seu equorum *disc.* 72. & tunc solvenda est ab eo, qui rem acquirendam alteri tradere tenetur. Ideoque testatore gravante hæredem ad tradendum Titio equum in hæreditate non existentem, itaut illum acquirere oporteat, gabellæ solutio pertinet ad hæredem, qui traditionem facere tenetur, quoniam ipse illam acquirit, ut tra- 3 dat, unde quando sequitur actus traditionis legatario, res est jam acquisita, & gabella in actu acquisitionis est jam soluta, vel solvi debita, & hic est proprie casus, de quo loquitur Bart. *in l.* 1. *num.* 5. *ff. de aliment. & cibariis legatis*, ubi est theorica originalis materiæ, & his etiam terminis loquuntur Soccin. *cons.* 247. *num.* 2. *&* 3. *lib.* 2. Tusch. *litt. G. concl.* 6. *num.* 6. *&* 7. Sed istas auctoritates extra propositum deduci insinuabam in casu controverso, tamquam ab eo penitus extraneas.

Alter casus est, de gabella solvenda pro mercibus, quæ ab alienis regionibus, vel locis, in Civitatem, locum, vel 4 Provinciam introducuntur, & tunc subdistinguendum est, inter introductionem materialem, & momentaneam, ac alteram formalem, & permanentem. Prima species verificatur in ea gabella, quæ solvitur per transvehentem pro passu per certum pontem, scapham, seu locum, sive in ingressu alicujus portæ, &c. & quæ generaliter, & indefinitè solvitur, sive merces in eo loco permanere debeant, sive sint per transitum, prout est gabella, de qua habetur supra in Spoletan. *disc.* 44. & satis frequenter practicatur in Italia, & de qua agit Bart. *in q.* 4. *quæ incipit Publicanus*, solvenda Perusii per capita animalium, quæ veniunt ab Apulia, & transeunt per illum pontem; Et hæc solvenda est per introductorem, seu vectorem, neque de ea curare tenetur emptor, cui merces consignandæ sunt in Civitate, vel loco, quia quando sequitur actus consignationis, jam merces transiverunt per pontem, scapham, vel portam; & de hac gabella loquitur Bald. *in l. acceptam n.* 42. *C. de usur.* dum allegat tex. *in l. cum in plures* §. *vehiculum ff. locati*, qui loquitur de gabella ratione transitus de loco ad locum, ut explicat Salicet. *in ead. l. acceptam nu.* 11. & dicit etiam Soccin. *d. cons.* 247 *n.* 3. & de hac pariter gabella loquuntur incidenter Surd. *cons.* 307. & Cohell. *ad Bullam Boni Regim. c.* 47. *n.* 23. Sed pariter hujusmodi auctoritates extraneas observabam a casu controverso, atque ad eum male allegari.

Admittebam enim venditorem, qui suo sumpto promi- 5 serat tradere emptori venam, vel ferraccium a navibus exoneratam in littore maris, teneri ad omnes illas gabellas, & onera, quæ in itinere, & per transitum per loca solvenda essent, ut in terminis proximis, imo præcisis, Alexand. *cons.* 52. *lib.* 3. ubi de venditore ferei, qui promiserat illud conducere, ac tradere emptori in portu Pisano ad suum sumptum, & periculum, & supponit hujusmodi gabellæ solutionem spectare ad venditorem, quem tamen excusat a gabella debita ratione contractus, regulariter solvenda per emptorem, quia hoc onus est pars vecturæ, itaut observantia doceat, quod si mulionibus, & vecturalibus dantur merces, vel bona pro certa mercede asportanda de loco ad locum, ipsi solvunt pedagia, seu gabellas passuum per viam, sed hic non erat casus.

Altera est species gabellæ solvendæ pro introductione formali, & permanente, quæ propie est illa octava, vel decima, seu altera portio valoris mercium Principi solvenda, & quæ in jure *vectigal*, a vehendo, seu *portorium* di-

citur, quam vulgo *Dohanam* nuncupamus, de qua loquuntur text. *in lib. 6. 7. & 8. Cod. de vectigalibus*, Bertachin. 6 *de gabellis in præludiis num.* 2. Gutrier. *eodem tract. quæst.* 1. *num.* 8. *cum seqq.* Signoroll. de Omodeis *cons.* 185. *num.* 1. *&* 2. & omnium latius Balzaran. *de feud. cap.* 1. *quæ sint regalia num.* 2. *& seqq.* Rota *decis.* 412. *par.* 9. *recent.* & de hac agit late Ventur. *in cons.* 39. *per tot.* præsertim *num.* 44. *& seqq.* & hic est casus noster.

In hujus autem gabellæ solutione, non attenditur actus introductionis materialis, & momentaneæ, sed spectantur effectus, quod scilicet, illæ merces, in ea Civitate, vel loco permaneant, ibi vendendæ, itaut introductor in eo loco 7 mercimonium exerceat; Si enim introductio fiat per transitum, ut ad alium locum, vel provinciam asportentur, hujusmodi gabella solvenda non est, Alex. *cons.* 86. *n.* 3. *lib.* 4. Ruin. *cons.* 112. *n.* 4. *l.* 5. Bertach. *de gabellis par.* 8. *membr.* 1. *num.* 1. Venturin. *d. cons.* 39. *n.* 2. Balzaran. *ubi supr. n.* 6. ubi bene dicit, quod circa jus dohanæ, non inspicitur locus per quem res transit, sed ad quem vadit; Et hujusmodi qualitatis est præsens gabella, in cujus capitulis expresse cautum est, pro fereo introducendo per transitum, nullam gabellam deberi, itaut postquam est jam introductum in Statum, supersit introductoribus spatium quatuor dierum ad declarandum gabellariis, an illud transitare velint ad alium locum, vel retinere, & mercari in Statu.

Ideoque introductor in proposito, non dicitur ille, qui 8 nudum vectoris officium geritusque ad ora, seu littus, sed ille, in cujus gratiam fit introductio in locum, ut ibi mercetur, vel alias utatur, quales in proposito erant emptores; Idque ex manifesta ratione, quod in effectu hujusmodi gabella introductionis per Principem, non exigitur ab exteris non subditis, merces in suam ditionem introducentibus, sed verè solvitur a suo populo, ejusque subditis, easdem merces minutatim propter gabellæ onus cariori pretio ementibus, quia si introductor, vel mercator nullam solvisset gabellam, viliori pretio venderet, & sic attenditur effectus, non autem actus momentaneus introductionis materialis.

Hujusmodi enim vectigalia, vere imponi dicuntur, non ipsis rebus, sed personis pro rebus, seu pro eorum mercimo- 9 nio, & usu, juxta magistralem traditionem, Bart. *in leg.* 1. §. 1. *n.* 4. *in fine, ff. de publicanis*, Bertach. *eod. tract. in præludiis n.* 16. Cephal. *cons.* 553. *n.* 15. Venturin. *d. cons.* 39. *n.* 47. Atque docet quotidiana praxis, & observantia, quia introductores vini, aliarumque mercium, quoties illas vendunt in navibus antequam exonerentur, & in dohanam introducantur, viliori pretio vendunt, quia non solverunt dohanam, ab emptoribus solvendam.

Ac etiam pro mercibus, quæ in gratiam mercatorum, per venditores usque ad urbem asportantur, non ipsi venditores dohanam solvunt, sed illi, in quorum usum, & mercimonium in Civitate servire debent, adeout si emptor, in cujus gratiam per venditorem asportantur, sit Cameralis, vel alias a vectigalium, & gabellarum onere exemptus, expediuntur mandata franchitiæ; ergo hujusmodi gabellæ solutio tamquam solvenda pro introductione formali, & cum effectu futuri usus, seu mercimonii, solvi debet ab emptore, in cujus gratiam res asportatur, quia venditor in effectu dicitur solum introductor materialis, gerens partes simplicis vectoris, emptor autem est introductor formalis habens rerum usum, pro quo vere gabella solvitur.

Majorem difficultatem apud judicantes faciebat generalis 10 propositio deducta, ex theor. Bart. *in d. l.* 1. *ff. de alimentis, & ciboriis legatis in fine*, quam sequuntur cæteri deducti per Surd. *cons.* 239., *&* 307. & Ventur. *d. cons.* 39. *n.* 49. ut nempe, qui est rei dominus, gabellam introductionis solvere debeat, unde inferebatur, quod cum de tempore introductionis in statum, venditor adhuc retineret fereaccii dominium in emptores non transferendum, nisi sequuta consignatione, idcirco ad istam spectare deberet onus, quia in rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, dominium in emptorem non transfertur, sed penes venditorem remanet; donec ponderatio, vel numeratio sequatur, *l. quod sæpe*, §. 11 *in his, ff. de contrah. empt. l.* 2. *C. de pericul. & commod. rei vend. & in sua materia sub tit. de empt. ac vend.* ac etiam in Rom. Fereaccii *hoc eod. tit.* ad materiam Mineralium, *disc.* 118.

Sed facilis erat responsio, quod cum consignatio mediante ponderatione, facienda esset in littore maris in ipso actu exonerationis navium, quarum accessum ad oras maritimas conventas denunciare ex pacto sufficiebat, ut emptor per seipsum, vel ministros promptus esse deberet ad receptionem, itaut in eo denunciata die non comparente, posset venditor ferraccium in littore relinquere periculo

culo emptoris, in quem, non curantem ad formam conventionis statuto tempore recipere, juris ministerio translatum dicitur dominium etiam rerum consistentium in pondere, numero, & mensura, quoties per emptorem stat, quominus mensuratio, vel ponderatio sequatur, ad text. *in l. si per emptorem, & l. illud, ff. de peric. & commodo rei vendite d. l. 2. C. eod.* ubi Glos. & cæteri Gomez *var. resol. lib. 2. tit. de empt. & vend. num. 32.* Medices *de casibus fortuitis quæst. 10. par. 2. num. 106. & in d. disc. 118. hoc tit.*

Hinc proinde sequitur, quod in ipso instanti exonerationis, merces efficiuntur de dominio emptoris, qui illas in Urbem, vel Statum introducit mercandas cum populo, & subditis, a quibus verè, per mercaturis organum, Princeps gabellam exigere dicitur, cum propter eam subditi emant merces pretio cariori.

Clarius, quia non eo ipso, quod ferrum, vel ferracium à navibus exoneratum, materialiter, & de facto introducitur ad oras maritimas, statim acquiritur jus gabellario, quia liberum remanet ipsimet venditori, vel emptori illud transvehendi ad alienas provincias, ac declarandi introductionem esse per transitum, pro quo nulla gabella detur. Ut ultra juris dispositionem, ut supra, expresse disponunt ejusdem gabellæ capitula, tribuentia introductori terminum dierum quatuor post jam sequutam introductionem ad deliberandum, & gabellario denunciandum, an eam mercem transitare velit ad alienas provincias; vel mercari in statu, ideoque gabellarii actio non statim oritur, sed ex tempore declarationis expressæ, vel tacitæ, resultantis ex lapsu termini, & sic post jam emptori quæsitum dominium per quatuor dies præcedentes, unde attenta etiam dicta theorica Bart. ut gabella introductionis debeatur per rei dominum, adhuc absque dubio solutio pertinet ad emptorem, qui jam effectus est dominus de tempore, quo ex gabellabili introductione oritur obligatio illam solvendi.

Objiciebatur de pacto reservationis dominii adjecto ad favorem venditoris, donec sequeretur solutio, quæ post plures menses a die consignationis sequi debebat; Unde inferebatur, quod de tempore solutæ, vel solvendæ gabellæ, dominium adhuc resideret in venditore, sed leve videbatur objectum, quia hujusmodi reservatio fit in gratiam, & cautelam venditoris, ad solum effectum potiori-
12 tatis adversus omnes, quamvis privilegiatos creditores emptoris, stante habita fide de pretio; in reliquis autem quoad omnes effectus, illum præsertim periculi, & onerum, dominium transferri dicitur in emptorem, juxta veriorem, ac ubique receptam opinionem (quidquid aliqui sophistici dubitaverint) ex deductis per Franch. *decis. 506.* Rot. *dec. 135. num. 25. par. 6. rec.* Et in individuo ferraccii habetur apud Reverter. *dec. 189.* ubi quod spectatur persona emptoris, in cujus gratiam venditur quæ hanc mercem ad locum introducit: quæ doctrina tamquam individualis captivavit intellectum alicujus, ex hoc levi fundamento contrarium alias sentientis, deplorandus quidem est hic modernus abusus, quasi quod si Reverterius non scripsisset, vel ejus decisiones non essent impressæ, sive casus non dedisset inveniri istam doctrinam, deficeret in mundo lex, vel legis ratio, quinimo ea esse deberet in contrarium, itaut privatus doctor magis, quam Justinianus, legis condendæ facultatem sic habere dicatur.

Ex his autem in solo puncto juris, abstrahendo a quacumque alia facti circumstantia, dicebam sine dubio respondendum fore contra emptorem. Clarius vero attenta consuetudine generali per mercatorum, & negotiantium Urbis attestationem probata, quod hujusmodi gabella, numquam per venditores ferraccii, sed per emptores, in quorum gratiam ab illis ad solas oras maritimas introducitur, soluta esset, atque in materia gabellarum satis spe-
13 ctatur consuetudo, & observantia, ex deductis per Surd. *cons. 297. n. 8 & 470. n. 15.* Venturin. *d. cons. 39. num. 17. & 38.* Coccin. *decis. 354. num. 6. & alios*, cum ad litteram id probet text. *in l. si publicanus, §. fin. ff. de vectigalibus.*

Et ultra observantiam generalem, concurrebat particularis, ex eorumdem emptorum facto dupliciter resultans. Primò, quia cum post aliquos annos hujus introductionis emptores molestarentur per gabellarium, seu appaltatorem, orta inter eos controversia, exagitata fuit per plures menses acerrima, & dispendiosa lis, per concordiam sopita, mediante solutione notabilis summæ scut. 2400. absque eo, quod venditori aliquid denunciassent, vel conquesti essent, Et tamen facillime ab initio, tam lis, quam solutio evitari poterant cum sola denunciatione facienda Præfecto domus dicti venditoris; obtinendo mandatum franchitiæ, qua ex Indulto tamquam Nepos Innocentii X. tunc regnantis amplissime potiebatur.

Secundo, quia suscepto per eosdem emptores prædictæ gabellæ appaltu, per plures annos in hujusmodi introductione continuatum fuit, absque eo, quod gabellam a venditore peterent, vel eum debitorem in libris constituerent, sive compensationem opponerent, quando etiam judicialiter urgebantur cum non levi incommodo, & molestiis ad solutionem pretii ejusdem ferraccii; Unde clarum resultat argumentum, quod agnoverint eorum, & non venditoris onus esse.

At demum id clarissime comprobari dicebam ex pretii quantitate, ex qua contrahentium intentio colligitur, A- 14
lex. *cons. 26. lib. 4.* Gregor. *dec. 126. n. 9.* Buratt. *decis. 471. n. 4.* quia ferraccium venditum fuit pro eodem pretio, quo in ipsamet Insula Ilvæ vendi solet, cum modico pluris, quod vecturæ impensa importat, ideoque impossibile videbatur potuisse comprehendi onus gabellæ, quod notabilem pretii diminutionem importaret; Et ex his merito pro venditore per Cameram resolutum fuit, ac resolutio mihi, ad solam veritatem reflectenti, justa, beneque fundata visa est; Quia vero concessa fuit nova audientia de stylo non denegari solita, idcirco pendet revisio, in cujus casu credo, quod de justitia, pro dictæ resolutionis confirmatione responderi debeat.

ROMANA SOLIDATIONIS COMPUTORUM PRO ACHILLE TERTIO, CUM CAMERA.

Casus sopitus per Concordiam.

An Appaltatori vectigalium, seu aliorum jurium, & bonorum Regalium, seu Principis, debeatur defalcum, etiamsi non sit intolerabile, sed quale quale, &c. ob impedimentum belli habiti per eumdem Principem locatorem.

Immunitas competens fisco a vectigalibus, an competat pro mercibus, & bonis, non ab ipso fisco introductis, sed emptis a Mercatoribus aliisque privatis, qui jam gabellam solverant, seu ejus debitores effecti erant.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Ubi defalcum debetur ex pacto, non attenditur, an sit intolerabile, sed sufficit quale quale.*
3 *Ex pacto censetur appaltatorem noluisse conducere tempus accidentale.*
4 *Pactum non suffragatur, si non adimpletur interpellatio, vel alia qualitas illis adjecta.*
5 *Ubi agitur de notorio, non requiritur protestatio, vel interpellatio.*
6 *An appaltatori competat contra locatorem actio ad interesse, vel alia exceptio ob damna passa a bello agitato per ipsum locatorem.*
7 *Quando in materia defalchi defectus interpellationis alias requisitæ non attendatur.*
8 *Concurrente justitia evictionis, quam venditor impedire non potuisset, competit ejus actio etiam sine denunciatione.*
9 *Solus timor, vel rumor belli, vel pestis causare solet appaltatoribus damnum remissione dignum.*
10 *Gabella pro introductione mercium a quo sit solvenda.*
11 *Per quos vere gabella introductioni solvi dicatur.*
12 *Si gabella est jam soluta per introductorem mercium, adhuc ea est deducenda introductori pro rata deserviente pro fisco, vel exemptis.*

DISC. LXIV.

SUscepto per Achillem Tertium per plurea annos appaltu 1
gabellæ ferri universi Status Ecclesiastici a Camera Apostolica pro annua pensione scut. 7100. sub eo præsertim pacto, quod in casu pestis, vel belli, pro eo tempore quo tale infortunium durabit in iis locis, ubi irrepserit, facta interpellatione Commissario Cameræ, fieri debeat defalcum pensionis pro rata importante emolumenta in locis prædictis percipi consueta, neque aliud pro eis Camera prætendere posset, nisi id, quod detractis ministrorum, & aliis impensis percipietur.

Igitur

Igitur alia loca; seu membra, in quibus gabella notabiliter exigi solet, sunt Ferrariæ Ronciglioni Status Castri subappaltari solitæ pro annis scutis 1600. Cumque de anno 1654. per Sedem Apostolicam motum esset bellum adversus Ducem Parmæ dicti Status possessorem unde, sequuta est Civitatis Castri, seu ejus fortalitii demolitio, dictique Status incameratio, idcirco d. belli casus dedit Ferrerias prædictas omnino clausas, & otiosas pro eo integro anno remansisse.

Item cum Dux Bracchiani notabilem ferri, seu ferraccii quantitatem introduxisset, importantem gabellam in summa scut. 800. illamque vendidisset cuidam Joanni de Sanctis, qui in partem pretii, gabellæ onus in se assumpsit, & gabellarii debitorem se constituit: Idemque Joannes ferre æquivalentem ferri quantitatem vendidisset Cameræ sub pacto franchitiæ quam a gabellæ solutione fiscus obtinet, ex dispositione text. *in l. cotate alias locatio §. fiscus ff. de public.*

In solidatione computorum dicti appaltus, duæ inter ministros Camerales, & appaltatorem, ex præmissa facti serie, ortæ sunt controversiæ; una nempe super desalco prædictorum scut. 1600. ob impeditas Ferrerias Ronciglioni; Altera super bonificatione scut. 900. debitorum appaltatori per Joannem de Sanctis, cujus onus Camera in se susceperat, unde cum Camerales utramque partitam controverterent, assumpta desuper disputatione in Congregat. computorum.

Pro appaltatore scribens dicebam, quatenus ad primam Desalchi partitam pertinet, opus non esse aggredi materiam remissionis pensionis, resultantis ex dispositione text. *in l. licet, C. locati, & c. propter sterilitatem extra eod.* stante pacto claro, quo concurrente cessat requisitum intolerabilitatis, sed tale quale sit, reficiendum venit juxta *cons. Angel.* 312. admissum per Coccin. *decis.* 422. & alios
2 de materia tractantes, de quibus sæpius habetur *hoc tit.* & pluries in sua materia, præsertim in Romana Desalchi pro Ravenna, *hoc tit. disc. seq.* maxime, quia pactum est purum, & simplex nullam habens qualificationem a verbo *notabile*, seu alia circumstantia, prout erat *in d. disc. seqq.* neque ad aliud referri poterat, itaut esset in aliquo operativum, consequenter ne inane remaneret, de plano dicta operatio intrabat, ut apud Coccin. *d. decis.* 422. cum aliis in Rom. Desalchi pro Facinis *sub tit. de locat.* ubi latius de hac materia remissionis pensionis.

Et clarius, quia expresse conventum erat, non solum de desalco simpliciter, itaut intrare posset difficultas, an hoc verbum indeterminate prolatum a juris dispositione regulandum esset, sed expresse fuerat declaratum, Cameram pro locis infortunium patientibus, nihil ab appaltatore prætendere posse, nisi id, quod detractis expensis constaret fuisse perceptum, unde manifestum erat, Appaltatorem tali ca-
3 su noluisse conductoris partes gerere, sed potius per actum occultum resolutionis contractus, pro rata temporis, & locorum, gerere partes administratoris, juxta cons. Soccin. jun. 78. *nu.* 19. & 20. *lib.* 2. Canaver. *dec.* 21. *lib.* 2. ac non semel alibi *hoc eod. tit.* deductum fuit.

4 Non impugnabant Camerales dictarum conclusionum veritatem, negabant vero applicationem, ob non servatam pacti formam, qua cessante, dicebant paciscentem non posse uti pacto, nisi cum sua causa, & qualitate, dum prætermiserat interpellationem, sub cujus lege d. conventio inita fuit; Et quamvis adversus hoc objectum Appaltator exclamaret cum responsione facti, interpellationem scil. vere sequutam fuisse, & Cameræ ratiocinatori hoc medio tempore defuncto traditam, quia tamen non justificatur, idcirco opus fuit assumere juris inspectionem, an scilicet præsupposita dictæ interpellationis omissione, adhuc tamen pactum Appaltatori debeat suffragari.

Et in hoc affirmative respondendum dicebam, stante facti
5 notorietate, qua concurrente opus non erat interpellationem adhibere, quia notorium, nec probatione, nec protestatione indiget, ad tradita per Grat. *discept.* 354. *nu.* 27. Surd. *dec.* 326. *n.* 82. præsertim quia non tractatur de facto alieno, in quo respectu locationis solum notorietatis motivum allegari possit, sed de facto proprio, cujus quamvis non notorii scientia est indubitata, cum bellum quod fuit causa damni, ab ipsomet Principe locatore motum, & actum esset, adeout non desint DD. volentes ex hujusmodi facto, utpote ex parte locationis proveniente, conductori competere actionem ad interesse ob sibi non præstitam, vel impeditam patientiam, ut alii pro eodem Appaltatore scribentes mordicus insistebant, ex Bart. *in leg. cotem ferro, §. qui maximos n.* 7. *ff. de publican.* Boer. *dec.* 249. *num.* 6. *cum seqq.* Surd. *dec.* 326. *n.* 34. & 36.

Et quamvis ex deductis per Latream *alleg.* 17. *cum seqq.* *Et in dict. disc. seqq.* istud assumptum minus verum a me crederetur, quia in Principe præsertim Ecclesiastico, qualis est Papa, non de facili dandum est bellum injustum, & culposum, unde propterea hoc motivum in ista, & similibus causis ab aliis Advocatis excitatum, mihi numquam arrisit; Nihilominus illud in proposito dicebam, satis ponderandum esse, ad effectum interpellationis, cum prorsus vanum videatur, aliquem interpellandum, ac certiorandum fore de eo facto, quod ab ipso originaliter movetur, & successive geritur.

Præterea tunc interpellationis defectus videtur considerabilis, quando illa esse potuisset profutura; Secus ubi certum 7
est nullius fuisse operationis, quia adhibendæ sunt illæ diligentiæ, quæ adhibitæ non relevant, ut in proposito habemus de interpellatione facienda per emptorem venditori super intentata evictione, quia si de clara evictionis justitia constet itaut venditor interpellatur, illam impedire non 8
potuisset, adhuc emptori, quamvis non interpellanti, competit actio evictionis, Afflict. *decis.* 49. de Marin. *resol.* 108. *n.* 4. & 5. *lib.* 1. Rot. *decis.* 337. *in fin.* & 390. *nu.* 2. *p.* 5. *rec.* Mediolanen. Bonorum 7. Junii 1647. cor. Bichio, & in aliis frequenter, quia est conclusio recepta.

Finis enim interpellationis illi videtur, ut ita interpellatus de impedimento illi occurrere valeat, ideoque jus requisitum necessarium est in eo casu, in quo ex parte locatoris provideri potuisset, atque impedimentum removeri, quod in præsenti pro eo anno ex facti serie constabat esse omnino impossibile, dum ob amicorum, & inimicorum militum 9
incursus, certum est in dictis Ferreriis laborari non potuisse, cum nihilominus in proposito, etiam belli amor impedimentum irreparabile causare soleat, ex deductis per Surd. *d. dec.* 326. *n.* 18. Buratt. *dec.* 398. ubi de damno proveniente a timore pestis, de quo etiam Medices *cons.* 23. Thorus *in compendio dec. tom.* 1. *verbo remissio mercedis fol.* 462. & *to.* 2. *verbo Conductor alicujus Dohanæ fol.* 193.

Quo vero ad alium controversiæ punctum, super partita scil. scut. 900. debita pro introductione ferri, seu ferraccii facta per Ducem Bracchiani, dicebatur pro parte Appaltatoris, per dictum Ducem originaliter gabellam deberi tam- 10
quam introductorem, non momentanee, & materialiter, sed effective, & formaliter, quia ipse nullam habens fodinam, ab aliis emit, ut introduceret, & contractaret, prout deinde cum Joanne de Sanctis contractavit, unde propterea ab ipso gabella solvi debuit, juxta distinctionem plene super deductam in Romana gabellæ ferri *dist. praced.* itaut quando ejusdem mercis venditio post consummatam introductionem ab ipso Duce introductore facta est, jam factus esset casus solutionis gabellæ, & gabellario quæsitum jus exigendi gabellam ab ipso introductore, cujus vice, & nomine emptor vigore accollationis tamquam in partem pretii solvere debebat, & se debitorem constituit, unde fit, quod quando emptor ferrum vendidit Cameræ, jam erat gabellarum, & gabellario jus quæsitum, cum actus, ex quo gabellæ solutio resultat, gestus non esset a Fisco, vel Fisci ministris, sed a privato, pro mercimonio, & privata contractione, unde videbantur non intrare dispositionem text. *in l. licitatio alias locatio* 9. *§. fiscus ff. de publican.*

Verum in hoc non levem sentiebam difficultatem, ac meo 11
judicio probabilis videbatur Cameralium oppositio, quia ut sæpius iam in d. Romana gabellæ ferri, quam in aliis *hoc tit.* deductum habetur, hujusmodi vectigalia, seu gabellæ, non exiguntur ratione solius introductionis materialis, & de facto, sed ratione usus, & contractationis cum populo, & subditis, a quibus Princeps mediante hujusmodi mercium usu, gabellam exigere dicitur, itaut si de facto fiat introductio, sed deinde merces ad aliam Provinciam, seu Principatum asportentur, nulla gabella solvenda sit, quia spectatur effectus contrectationis in Civitate seu Provincia subdita, consequenter habetur magis ratio de emptore, quam 12
de venditore; Unde si emptor, cujus usui in effectu merces introducta deservit, sit immunis, non videtur locum esse gabellæ; nam alias esset per indirectum dare in fisco, sive in aliis exemptis solutionem illius gabellæ, quam solvere non debent, cum venditor ratione hujusmodi oneris vendat pro majori pretio, cujus pars esse dicitur, atque ita docet praxis, & observantia, quia introductis ad portum, seu Civitatem mercibus, exigitur indefinite ab introducentibus dohana, sed si post introductionem aliqua earumdem mercium pars servire debet pro Camera, vel Cameralibus aliisque exemptis, datur mandatum franchitiæ, cujus vigore dohanerius istam ratam defalcat, seu restituit, igitur

spe-

spectatur magis persona emptoris, quam introductoris ratione effectus consistentis in usu mercium, quæ introducuntur. Utraque tamen controversia cum honesta concordia finem habuit.

ANNOT. LXIV. & seqq.

IN materia defalchi competentis Appaltatori gabellarum, & vectigalium cum pluribus distinctionibus, videnda sunt deducta inferius *disc. 159. & tit. de Locat. disc. 1. & seqq.*

ROMANA DEFALCHI,

PRO FRANCISCO RAVENNA APPALTATORE DOHANARUM,

CUM CAMERA.

Casus sopitus per Concordiam.

De Dohanis, unde illarum nomen derivet, earumque natura, & qualitate, & in quo illarum, seu alterius Vectigalis substantia consistere dicatur.

An nova introductio artium in Civitate, unde deficiat concursus mercium exterarum, dicatur percutere substantiam dohanarum, seu vectigalium.

Et quando damnum dicatur esse in substantia, vel in fructibus.

De defalco, seu remissione pensionis competente Appaltatori Dohanarum, seu vectigalium ob impedimentum causatum a bello, & quale damnum ad istum effectum requiratur de jure, & quid in casu pacti; An illud attendatur habita ratione fructuum, vel solum pensionis.

Et de regulatione anni damnificati cum annis præcedentibus, vel subsequentibus fertilibus, & qui dicantur anni fertiles, vel steriles.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Dohanna nomen, seu vocabulum, quid significet, & unde derivet.*
3 *Unde dictum sit vectigal, & quid importet.*
4 *De vocabulis Armandia, & Telonia quid significent.*
5 *De Vectigali nuncupato* scaricatura.
6 *Substantia Dohana consistere dicitur in mercibus pro quarum introductione solvitur.*
7 *Quando dicatur cessare, seu deficere rei substantia.*
8 *Substantia vectigalium dicitur consistere in ipso jure exigendi.*
9 *Conductor vectigalium, aleam futura spei, vel eventus emisse, seu conduxisse dicitur.*
10 *Quod in nostro usu, & consueta utilitate amplius non est, dicitur esse in deperdito.*
11 *Casus belli, an aliquando importet lucrum, & utilitatem conductoribus vectigalium.*
12 *Animus contrahentium censetur esse rebus in eodem statu permanentibus.*
13 *Ad effectum restauri, seu remissionis pensionis non attenditur, an damnum sit intolerabile, quoties accedit pactum.*
14 *De predicti pacti operatione, & virtute.*
15 *Verbum* notabile, *quid importet.*
16 *Quale dicatur damnum intolerabile, ut intret remissio pensionis. Quod sit, ubi est ultra dimidiam.*
17 *In contractibus cum fisco sufficit ultra sextam.*
18 *An damnum regulandum sit habita ratione pensionis, vel potius habita ratione fructuum.*
19 *Ubi accedit pactum de attendendo damno in fructibus, arguitur voluntas conductoris non conducendi pro tempore accidentali, & damnoso.*
20 *An casus belli moti per Principem locatorem dicatur provenire ex ejus facto, itaut teneatur conductori ad damna, & interesse.*
21 *Et quid in banimentis, & prohibitionibus commercii ob suspicionem pestis, vel ex alia publica causa.*
22 *De compensatione anni fertilis cum sterili, quomodo procedat, & quomodo annorum peræquatio, seu lucri & damni calculus fieri debeat.*
23 *Quando dicatur annus sterilis, & quando damnosus tantum.*
24 *Quando id, quod superest dicatur modicum, vel notabile ad effectum dicendi annum uberem, vel lucrosum tantum.*
25 *Annus Sedis Papalis vacantis, qui magnam, & insolitam utilitatem Dohanerio causare solet, an veniat in calculo ad compensandum sterilitatem aliorum annorum.*

D I S C. LXV.

SUscepit Franciscus Ravenna ad annos 15. appaltum do-
hannarum Urbis pro annuo censu, seu pensione scut. 225. 1
m. sub diversis pactis, & capitulis, præsertim duobus, uno
nempe, quod ubi aliqualiter nova introductio artium lanæ,
& serici in Urbe, jam initium habens, notabilem progres-
sum haberet, unde propterea damnum dohannis resultaret,
fieri deberet Appaltatori proportionabiliter defalcum: Alte-
rum, quod in casu belli humani, vel divini, seu longævæ
absentiæ Papæ ab Urbe, unde dohanæ notabilem damnum
sentirent, fieri pariter deberet defalcum, regulandum, non
inspecto toto tempore appaltus, sed singulis trienniis, regu-
lando scil. annum damnificatum cum proxime præcedenti,
& altero proxime subsequenti.

Cum autem uterque casus contigisset, quia dictarum artium introductio, satis notabiliter excrevit, atque evenit etiam casus belli de anno 1642. inter Sedem Apostolicam, & aliquos Italiæ Principes; Hinc proinde terminato appaltu, in solidatione computorum super defalco ex d. utraque causa, orta est controversia in Congregat. Camerali, seu computorum super pluribus punctis; Primo nempe quoad artium propagationem, ob quam exterarum mercium introductio satis diminuta est, an exinde diceretur illatum damnum in fructibus, itaut illud ad effectum defalchi esse deberet intolerabile, vel potius esset in substantia, ita in parte perempta, itaut totum damnum, tale quale sit, refici deberet.

Secundo in ordine ad casum belli, quale dicatur damnum notabile ad effectum restauri, seu defalchi, & an illud regulandum esset habita ratione fructuum, vel solius pensionis, & quid in proposito operetur pactum.

Tertio demum circa compensationem, seu regulationem anni damnificati cum præcedenti, & subsequenti fertilibus, seu non damnificatis, quomodo ista conventa peræquatio intelligenda, seu practicanda sit.

Quoad primum, pro Appaltatore scribentes tamquam Ad-
vocatus ad probandum, quod ita rei substantia in parte defe- 2
cisset, capiendo rem ab alto, seu principiis dicebam, quod
dohana nomen, seu vocabulum, tam apud Juris consultos,
quam linguæ latinæ professores ignotum, sive dicamus derivatum a corrupto vocabulo legali, *ducenarii*, qualis dicebantur vectigalium exactores, *ut in l. 1. C. de exactorib. tributorum l. 10.* Alciat. *in l. eum qui 16.* & Rebuff. *in l. qui neque 48. ff. de verbor. signif.* quasi quod *ducenarii* contra pronunciatione *dehanerii* fuerint nuncupati; Sive verius illud dicamus vocabulum barbarum a Longobardis, vel Normandis introductum, & usitari cœptum in Constitutionibus utriusque Siciliæ, in quibus originaliter scriptum reperitur, *ut in Constit. 1. & 2. sub tit. de officio secreti, & in aliis*, utpote denotans cumulationem quamdam omnium jurium regalium, ut per Rovit. *ad pragm. in rubr. de officio bajuli n. 5.*

Hoc unum certum est, quod *dohana* vere, & proprie aliud
non importat, nisi illud antiquum vectigal, quod de jure
communi exigebatur in octava parte mercium, in portum, 3
vel Civitatem introducendarum, nuncupatum vectigal a
vehendo, ad text. *in l. 6. 7. & 8. C. de vectigalibus*, quod alio
Longobardorum vocabulo apud feudistas inter Regalia enu-
meratum, *armandia*, seu *telonia*, nuncupatur, ut constat
apud Bertachin. *de gabellis in preludiis n. 2.* Guttier. *eodem* 4
tract. q. 1. n. 8. & seqq. Signorol. de Homed. *conf. 285. n. 1.
& 2.* ac omnium latius, & melius Balzaran. *de feud. in
c. 1. quæ sint regalia verbo vectigalia n. 2. & seqq.*

Consistit igitur hoc vectigal in mercibus propter illarum
introductionem, seu ut vulgo dicitur, *scaricatura*, quo termi- 5
no utitur in specie, Bald. *conf. 472. n. 3. vol. 1. conf. 254. vol. 4.*
Balzaran. *ubi supra n. 4. & 6.* Camill. de Medic. *conf. 23. per tot.*
ubi quod dohana consistit in mercibus introducendis, quibus
cessantibus, certum est hoc vectigal esse prorsus inutile.

Quo posito inferebam, ejus substantiam, consistere in ipsis mercibus ab extra introducendis, & consequenter, sicuti omnium mercium introductione generaliter cessante, ipsius dohanæ substantia in totum sine dubio cessare diceretur, ita illis in parte deficientibus, deficere etiam dicitur pars substantiæ; Ad instar fundi, qui in toto, vel in parte, chasmate, vel alluvione pereat, sive infructuosus reddatur, vel in totum, vel etiam in aliqua specie fructuum,

ctuum. Utputa attento ejus antiquo statu producere solitus
7 erat duas, vel tres fructuum species; Deinde vero casus de-
dit, quod non immutata soli facie, neque illo reddito pror-
sus infructifero, unam speciem amplius non producat, tunc
enim dicitur in ea specie absque dubio perempta substantia,
dum cessat causa productiva, in qua consistere dicitur rei
substantia, quia eadem est ratio totius quoad totum, ac
partis quoad partem, atque istos dicebam esse nostros ter-
minos, dum ob novarum artium exercitium, & introdu-
ctionem in Urbe, cessabat circa illas merces in perpetuum
causa productiva vectigalis.

Adversus hujusmodi assumptum acriter insurgentes Ca-
8 merales dicebant, vectigalium, & pedagiorum substan-
tiam, vere consistere in ipsa Regalia, seu jure exigendi
mercium certam quotam, adinstar decimæ, majorem ve-
ro, vel minorem mercium quantitatem percutere fructus,
adinstar fundi, qui si uno anno ob accidentale impedimen-
tum efficitur sterilis, vel minus fructuosus, non per hoc
ejus substantia deficere dicitur, cum causa productiva ad-
huc perseveret, & existat in suo naturali statu; Ut in pro-
posito damni contingentis in vectigalibus, & gabellis ob
casum belli divini, vel humani, seu alterius impedimen-
ti, ita firmant Riminald. Jun. *cons.* 282. Galeot. *responso
Fiscali* 17. *&* 18. plene Lurea *alleg.* 17. *& pluribus seqq.*
qui hodie esse solet Fiscalium achilles, & magnum pro-
pugnaculum.

Replicabam tamen, prædictorum, & aliorum Docto-
rum assumptum, recte procedere in suo casu, de quo agunt,
ubi scilicet ageretur de impedimento accidentali consuetæ
perceptionis fructuum in uno, vel pluribus annis, firma re-
manente spe reversionis causæ productivæ ad suam con-
suetam naturam, seu statum; Secus autem ubi deficit spes,
quia accidens habeat causam successivam, & perpetuam,
& cum hac distructione videtur posse contrariantes auctori-
tates conciliari, sive ex defectu applicationis removeri;
Omnes etenim procedunt cum originali doctrina, Bartol.
in l. cotem, *§. qui maximos*, *num.* 4. *&* 7. *ff. de publicanis*,
ubi ponit exemplum de conducente pedagium per quinque,
vel decem annos, si contingat uno anno propter guerram
in Apulia non venire equos ad nundinas Perusii, & sic
loquitur de impedimento accidentali propter guerram, qua
cessante cessat; Et in eisdem terminis loquitur Bald. in
leg. licet, *C. locat. num.* 8. ponens exemplum de modico
9. transitu unius anni propter mortalitatem, assignando utra-
que rationem, quod conductor aleam futuræ spei, seu
eventus emisse dicitur, super quibus Bartol. & Baldi au-
ctoritatibus tota fiscalium machina in hac materia circum-
ferri solet. Sed non est iste casus noster, quia impedi-
mentum est perpetuum eradicans spem in futurum illius
majoris fructus, qui percipiebatur ab exteris mercibus,
quæ cessant ob dictam introductionem habentem causam
perpetuam, & successivam.

Sublata enim renascentia, seu spe celeris reversionis rei
ad suum primævum statum, dicitur deficere substantia,
quia quod in nostro usu, vel consueta utilitate non est, di-
citur esse in deperdito, ad text. *in l.* 16. *qui rem §. is*, *qui ff.*
10 *de furtis*, *& l. qui universas §. item ff. de acquirenda pos-
sessione cum concordantibus*, per Barbos. *de remissione mer-
cedis n.* 10. onde licet perseveret eadem causa percipiendi,
attamen illo effecta est perpetuo sterilior, ejusque potentia
productiva diminuta; Utputa fundus ob majorem affluen-
tiam aquarum illum irrigantium plures olerum, & fru-
ctuum species, ac in majori, vel meliori quantitate, seu
qualitate producere solebat, proindeque pro majori pen-
sione locabatur: si casu aliqui aquarum rivuli perpetuo
devientur, vel deficiant; itaut non possit producere eam
olerum quantitatem, vel qualitatem, quam prius ex ma-
jori aquarum affluentia producebat, utique, licet mate-
rialiter idem fundus remaneat, attamen dici potest defe-
cta in parte ejus substantia, seu causa productiva illius ma-
joris quantitatis, vel melioris qualitatis, quam amplius
producere non potest; Ita pariter in molendino ex majori
aquarum affluentia magis molente, quam aquis postea in
parte perpetuo deviatis, vel excicatis, cum similibus.

Clarius hæc procedere dicebam in præsenti ex deficienti
ratione considerata, per Bart. & Bald. *loc. cit.* quod sci-
licet publicanus aleam emisse dicatur, dupliciter enim istam
rationem a casu extraneam esse ponderabam; Primo, quia
emens aleam, seu fortunam, dicitur emere tam bonam,
quam malam, itaut futurus casus, ita producere possit ino-
pinatum damnum, ac inopinatum lucrum, quod verifica-
ri non est in præsenti, dum ex novarum artium intro-
ductione numquam resultare poterat casus lucri, quod
multoties resultare vidimus ex casu belli, vel sterilitatis, 11
regulariter damnosi, cum aliquando eventus dederit, ut
hic idem casus, publicanis seu appaltatoribus magnam u-
tilitatem causaverit.

Et secundo, quia appaltator in præsenti istam aleam
emere noluit, neque casus est inopinatus, dum illi jam 12
proviso sibi consulere voluit cum pacto expresso indicativo
voluntatis aliter non contrahendi, quam rebus tunc in eo
statu permanentibus, qui animus, etiam sine hujusmodi
expressione de jure præsumitur, ex copiose congestis per
Adden. *ad dec.* 523. *n.* 5. *p.* 4. *rec. tom.* 3.

Et in his terminis bene probatur per Ancharan. *in Consil.*
402. approbato per Craveit. *consil.* 95. & admisso ab eodem
Fiscali, Galeot. *d. responso* 18. *n.* 42. ubi agitur de Appalta-
tore Vectigalium Pistorii de tempore, quo in ea Civitate re-
sidebat Papa Alexander III. cum sua Curia, & firmatur,
quod propter discessum Papæ, & Curiæ absque spe rever-
sionis, deficere dicitur substantia appaltus, quia deficiebat
causa deductiva illius majoris fructus, seu emolumenti,
non temporaliter sed perpetuo, & sublata spe renascentiæ,
in qua proprie substantia consistit, & nihilominus ipsa ve-
ctigalia adhuc extabant, & in hoc sensus judicantium incli-
nabat, juxta præmissa pro hac parte, cui probabilitas, stan-
te quod casus erat prævisus, assistere videbatur.

Quo vero ad secundum punctum super qualitate damni
remissione digni, quando scilicet illud esset tale, dicebam 13
hujusmodi inspectionem in puncto juris non intrare stan-
te pacto, quod ne inane remaneat, temperare videtur ju-
ris rigore, ac operatur, ut damnum, quale quale sit,
quamvis non intolerabile, refici debeat, juxta traditio-
nem Angeli *cons.* 312. *nu.* 6. quem cæteri sequuntur latius
deducti in Romana Desalchi pro Pacinis *sub tit. de locat.*
& admittitur apud Cocc. *decis.* 422. *num.* 9. 11. *& per tot.*
quæ in hac materia desalchi circumfertur in Curia tam-
quam magistralis, & in specialibus terminis appaltatoris
dohanarum habetur, Camill. de Medices *cons.* 23. juxta
quod fuisse decisum, testatur Thor. *in compendio decis.
tom.* 1. *verbo remissio mercedis fol.* 462. *& tom.* 3. *verbo
conductor alicujus dohanæ*, *fol.* 193.

Excipiebant tamen Camerales; Primo, pactum non esse
in hac parte operativum, dum non faciebat operationem 14
circa per æquationem, seu compensationem annorum sin-
gulo quoque triennio, in qua parte alteratam dicebant ju-
ris dispositionem, juxta quam compensatio, seu peræqua-
tio fieri alias deberet attento toto tempore appaltus, juxta
praxim, quam tenaciter servant fiscales; Unde dum ita
pactum remanebat operativum, itaut dici non posset ina-
ne, extendendum non erat ad aliam operationem in du-
plicem juris correctionem non admittendam, ex copiose
deductis per Surd. *conf.* 34. & in his terminis apud Coccin.
d. decis. 422. *num.* 17. de qua in d. Romana Desalchi pro
Pacinis *sub tit. de locat.*

Eo magis, quia pactum non erat simpliciter conceptum 15
de quocumque damno, sed de *notabili*, ex quo verbo infe-
rebant Camerales ad contrahentium intentionem non alte-
randi in hac parte dispositionem juris; Hinc proinde per
scribentes hinc inde plures habitæ fuerunt disputationes
super intelligentia hujus verbi *notabile*; An scilicet intel-
ligendum esset de intolerabili, prout de jure ad effectum
remissionis requiritur, vel solum pro exclusione modici,
& non considerabilis damni, itaut in proposito negotian-
tium, seu vulgi opinio attendi debeat; Quia tamen judices
inclinabant disputari super qualitate damni intolerabilis,
quando scilicet illud in proposito diceretur tale, ad effe-
ctum forte gustandi de tota materia, & exinde regulan-
di concordiam, prout sequutum fuit.

Idcirco assumpta stricte disputatione super hoc puncto, 16
dicebant Camerales, in Curia Romana esse receptam di-
ctam *dec.* 422. Cocc. *ubi num.* 5. *&* 7. firmatur, damnum
tunc dici intolerabile, quando fructus, qui deductis expen-
sis eo anno percipitur, non ascendit ad medietatem pensio-
nis eodem anno solvendæ, quoniam ita conductor enor-
miter læsus remanere dicitur ultra dimidium, regulando
materiam cum terminis text *in l.* 2. *C. de rescindenda ven-
ditione*, ut esse videtur sensus, Bart. Baldi, & aliorum in
leg. licet, *C. locari*, & tenent Menoch. *de arbitr. casu* 76.
n. 5. Surd. *consil.* 34. *n.* 7. Capyc. Latr. *consult.* 40. *num.* 41.
Barbos. *in c. propter sterilitatem num.* 3. Grevei ad Gaill.
lib. 3. *conclus.* 23. *num.* 4. Matchin. *de bello divino p.* 9. *c.* 5.
n. 10. (Et vere in Curia cum hac opinione proceditur;)
Unde cum damnum non ascenderet de medietate pen-
sionis,

sionis, sed esset multo inferius, inferebant nullatenus perito desalco locum esse.

E converso pro parte Appaltatoris duas Ego, & cæteri pro eo scribentes assumpsimus propositiones; Unam circa damni quotam, ut scilicet admissa etiam inter privatos *decisione Coccini*, in appaltibus tamen fiscalibus sufficiat
17 damnum in sexta parte: Alteram vero, ut in præsenti casu, ex pactorum, & conventionum qualitate damnum regulari non debeat a pensione, sed a fructibus.

Quatenus igitur pertinet ad primam, quidquid sit inter privatos, attenta etiam ratione læsionis, ex qua damnum ultra dimidiam juxta supradictam opinionem requiritur, attamen in appaltibus fiscalibus sufficere dicebam damnum ultra sextam partem, quia tanta læsio dicitur enormis, ac sufficit ad contractus rescissionem, juxta receptam traditionem Bart. in *l. si quis societatem*, *§. arbitrorum*, *ff. pro socio*, sequuntur cæteri, de quibus Ursil. ad Afflict. *decis.* 340. *n.* 8. de Marin. *resol.* 147. *num.* 1. *lib.* 1. Amat *resol.* 38. *nu.* 21. bene Galeot. *respon. fiscali* 25. *num.* 47. *& seqq.* apud quos cæteri. Et huic opinioni ipsimet Camerales manus dederunt, itaut hujusmodi causæ occasione, id firmatum fuerit tamquam certa propositio, cum qua apud eosdem fiscales, & in Congregatione Camerali sæpius procedi practicavi; Præsertim quia nullus fere datur appaltus Cameralis; in quo non detur pactum huic consimile, quod juris rigorem in aliquo temperare debet circa intolerabilitatem generaliter inter privatos, & cessante pacto regulandam; Sed e converso non omne modicum damnum attendendum videtur, nisi notabile, seu considerabile dici possit, prudentis judicis arbitrio, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis regulando; spectatis scilicet, more regionis, qualitate, & materia appaltus, quantitate pensionis, retroacta observantia, cum similibus.

Acrior fuit disputatio circa alterum assumptum; An scilicet damni quantitas regulanda esset habita ratione pen-
18 sionis, vel potius fructuum; Quamvis enim cessante pacto ex sola dispositione juris, juxta terminos text. in *cap. propter sterilitatem*, *& cap. potuit extra locati*, quicquid Doctores variaverint, receptum videtur, ex deductis apud Coccin *dicta decis.* 422. & alios supra deductos, regulandum esset habita proportione ad pensionem, quia in ea consistit pretium contractus in quo adest læsio.

In præsenti tamen secus dicendum videbatur stante pacto particulari, in quo exprimitur, regulandum esse fructum anni damnificati, ex fructu annorum præcedenti, & subsequenti, ibi, *Con regolare il danaro di quell'anno con il frutto dell'anno antecedente, e susseguente, compararne il fertile con il sterile, &c.* Et hic videbatur per partes habitam fuisse rationem ad fructus, non autem ad pensionem, ut firmant Surd. *consil.* 382. *num.* 9. *& seqq.* Ludovis. *cons.* 15. *num.* 1. Peregr *consil.* 98. *lib.* 1. & cæteri, quos collegit Cyriac *controv.* 151.

19 Stante siquidem pacto ita concepto, intrare dicebam firmata per Soccin. jun. *cons.* 78. *num* 19. *&* 20. *lib.* 2. quod scilicet appaltatoris intentio fuerit sumendi appaltum pro solis annis pacificis, seu exemptis ab hujusmodi infortunijs, & accidentibus prævisis, pestis, belli, vel absentiæ Papæ ab Urbe, unde locator teneatur suo periculo reddere istum annum accidentalem, aliis duobus proximis non accidentalibus æqualem, quod utique importare dicitur calculationem in fructu, itaut tantus debeat esse fructus illius anni, quantum importat ille anterioris, & posterioris, facta peræquatione.

Sed quamvis attento sono verborum, non improbabile esset hoc Appaltatoris assumptum; nullatenus tamen judicare debentibus arridebat, & meo judicio reflectendo ad veritatem, non immerito; quoniam si ita esset, sequeretur quod ex accidenti casuali teneretur Camera reficere Appaltatori etiam damnum lucri amissi, quod in perceptione fructuum perceptorum ex duobus annis proximis fecisse ostenderet, quod juris dispositioni, ac verisimili intentioni omnino repugnare videtur, cum refectio damni consistentis etiam in amissione lucri solum detur, ubi illud provenit facto, & culpa locatoris, juxta receptam distinctionem Bart. de qua Soccin. *consil.* 156. *lib.* 2. & sæpius in aliis *hoc tit.* & in altero *de locat.*

Et licèt aliqui ex aliis scribentibus pro appaltatore re-
20 plicarent, nos esse in casu dictæ distinctionis, cum casus proveniret ex facto ejusdem Principis locatoris, qui bellum movere voluit, ideoque totum damnum, quale quale sit, reficiendum esset, & ultra Socc. *ubi sup.* firmant Eug. *consil.* 50. *n.* 58. *lib.* 1. Mastr. *dec.* 299. *n.* 123. *& seqq.* ubi de communi, & in judicando recepta, Amat. *res.* 18. *n.* 23. Hier. Phantasm. *quæst. jur. de locato conducto*, *q.* 14. *n.* 15. *& per tot.* ubi exacte confutat Surd. contrarium tenentem: refert, & sequitur Ventur. *cons.* 15. *num.* 9. *&* 10. Med. *d. cons.* 23. & Thor. *loc. sup. cit. in compend. dec.* 7. *tom.* 1. *verb. remiss. mercedis*, *& tom.* 2. *verbo conductor alicujus dohana.*

Rejectum tamen fuit hoc assumptum, quia theorica Bart. a qua dicta distinctio derivat, procedit in facto locatoris culposo, seu alias mere voluntario, ideoque vana assertio dicebatur, quod Papa, & Sedes Apostolica, culpose, & sine justa causa bellum adversus Principes Christianos movere voluerit, cum vere id gestum esset impellente necessitate originata a motivo justitiæ, ut unicuique daretur quod suum erat, atque potius dando manum armatam judici, seu executori, ad tollenda impedimenta, seu reprimendam resistentiam, quam indicendo bellum, potius ab aliis indi- 21
ctum, unde merito in hac parte apud Larr. *alleg.* 17. *& seqq.* reprehenduntur asserentes, quod bannimenta prohibentia commercium aliquarum nationum ob inimicitias, & bellum, sive ob suspicionem pestis, utpote provenientia ab eodem Principe locatore, vel ejus officialibus, contineant impedimentum a locatore præstitum ad effectum prædictæ distinctionis Bart. Atque in hac parte mihi vere numquam placuit opinio de Medic. *d. consil.* 23. ubi loquitur in specie prohibitionis nundinarum Salerni propter suspicionem pestis, licet ex aliis motivis in ea facti qualitate non improbabiliter pro dohanerio judicatum fuerit, cum gesta per Principem, in proposito dicantur necessaria, pro recta Reipublicæ administratione, & gubernio.

Demum quoad tertium, & ultimum punctum peræquationis duorum annorum præcedentis, & subsequentis non accidentalium cum anno damnificato ad formam pacti, dicebant Camerales istam peræquationem idem importare quam compensationem, juxta dispositionem juris volen- 22
tis, sterilitatem unius anni compensandam esse cum ubertate alterius, ut clare disponitur *in d. c. propter sterilitatem*, & ex hoc inferebant, omnes fructus in integro triennio perceptos, esse insimul cumulandos, ac facta omnium distributione æquali in singulos annos, videndum, an quilibet remaneret ita damnificatus, quod juxta unam opinionem ultra dimidiam, & juxta alteram ultra sextam, habita ratione pensionis, non autem fructuum, enormiter læsus remaneret, juxta modum calculandi derivatum a Gloss. *in l. si uno*, *ff. locati*, juxta quem calculum non remanebat damnum remissione dignum, attenta etiam opinione, quod sufficiat læsio ultra sextam.

Replicabam tamen pro conductore, etiam cum sensu veritatis, istam calculandi formam nullatenus admittendam esse, cum prædicta glossæ opinio communiter reprobata sit, ut bene constat ex Imola *in c. propter sterilitatem n.* 15. & Salyc. *in l. si uno num.* 2. *eod. & in l. licet num.* 6. *Cod. eod.* cum quibus omnibus melius materiam tractantibus pertransit, *Boss. de remiss. mercedis nu.* 26. Atque probari dicebam ad sensum ex irrefragabili, & viva ratione naturali, quia si ita esset, sequeretur, quod annus uber, seu lucrosus remaneret damnosus, atque naturæ, vel fortunæ beneficium redundaret in damnum, & maleficium, contra principium juris naturalis, & scripti.

Ad faciendam igitur hujusmodi compensationem, ac dignoscendum, quæ dicatur ubertas cum sterilitate compensanda, dicebam ex mente Imolæ, Salycet. & aliorum, qui in hoc proposito varias referunt opiniones, reassumptas per Bos. *ubi sup. n.* 27. Veram, rationabilem, ac magis receptam opinionem videri, ut de fructibus perceptis in eo anno, qui prætenditur fertilis, detrahatur ea rata, quæ juxta ordinarium, & naturalem cursum percipi solet, itaut tam expensis, quam remunerationi laboris, & industriæ conductori, ac pensioni respondeat; Dictaque detractione facta, inspiciendum est id, quod superest, an sit modicum seu notabile; Si enim est modicum, cedere debet ad commodum conductoris, neque de eo haberi debet ratio pro hujusmodi compensatione facienda, quia tunc vere non dicitur annus uber, sed solum lucrosum, eodem modo quo e converso, si damnum non est notabile, seu modicum, non dicitur annus sterilis, sed damnosus, ut ex Salyc. & Imola *ubi* 23
sup. qui satis bene loquuntur, Boss. *loco cit. nu.* 25. *&* 28. Si vero excrescens lucrum est notabile, tunc importare dicatur ubertatem cum sterilitate compensandam.

Quando autem id, quod superest, dicatur modicum, vel notabile, variæ sunt opiniones, Boss. enim *d. num.* 28. in ea residet, ut notabile dicatur, quando tertiam partem ultra solitum excedit, Salyc. autem tenet, repositum esse in judi-

Judicis arbitrio, attenta hominum opinione; Mihi tamen verius videri dicebam, quod idem operari debeat propositum in proposito, ac uppositum in opposito, ideoque eadem esse debeat mensura damni, ac lucri. Unde quemadmodum annus non dicitur sterilis, neque damnum dicatur notabile, nisi inter privatos excedat dimidium pensionis, vel cum fisco sextam, ita econverso, annus dici non debeat uber, nisi habita eadem proportione, lucrum tanti importet, factis tamen potius detractionibus expensarum, quarum appellatione non solum veniunt illæ, quæ pro cultura sunt necessariæ, sed etiam pro resarciendo laborem, & industriam conductoris, habita etiam convenienti ratione periculi, cui se subjecit sentiendi damnum de proprio, ubi illud limites intolerabilitatis non excederet, ut aliis allegatis observat in specie Barb. *in collect. ad d. cap. propter sterilitatem num. 19.* & hæc in effectu videbatur veritas.

25 Quia tamen casus dederat, post terminatum bellum, vacationem Sedis ob mortem Pontificis, itaut annus immediate sequens bellicoso, & accidentali, ratione Sedis vacantis fuisset uberrimus: Hinc proinde alia excitata fuit quæstio, an hujusmodi ubertate habenda esset ratio compensanda, seu peræquanda sterilitate præcedentis anni accidentalis, ut Camerales prætendebant: In quo puncto, etiam cum sensu veritatis, negative omnino respondendum dicebam, quia hujusmodi ubertas dici non potest insperatum, seu insolitum naturæ, vel fortunæ beneficium, sed est casus prævisus, cujus intuitu, & contemplatione appaltator tantam pensionem promisit; quia cum de tempore suscepti appaltus duraturi per annos 15. jam curret annus 16. Pontificatus Urbani, idcirco stante quadam traditione, quam tamen usque ad hæc tempora saltem de facto veram experti sumus, nullam Pontificem extessurum dies Petri, qui attento solum tempore, quo in Ecclesia Romana resedit, calculatur ad ann. 25. certam supponebat appaltator, saltem unam Sedis vacationem, ac probabiliter plures (stante quadam observantia sæculorum antecedentium) quod post longum Pontificatum plures brevi succederent; Et sic istum lucrum insolitum, quod dobanis ratione Sedis vacantis, & creationis novi Pontificis in eo anno contingere solet, dicendum est pars pretii, seu pensionis; Adinstar illius lucri, quod in una totius anni hebdomada, vel die ex domo, seu caupona percipi solet ratione nundinarum, seu alicujus festivitatis, vel spectaculi ob insolitum hominum concursum, quia dicitur lucrum prævisum, cujus ratione major pensio solvitur, unde propterea per Doctores ob istam circumstantiam solent hujusmodi domus, vel prędia urbana rusticis assimilari, juxta traditionem Bart. *in l. item quæritur §. qui impleto ff. locat.* & sequuntur cæteri, de quibus Menoch. *l. 2. præs. 85.* ac habetur actum in Rom. seu Viterbien. Appaltus pro Officio *hoc eod. tit. ad materiam fisci disc. 122.*

Nulla super omnibus præmissis prodiit resolutio, eorum tamen relevantia per Camerales ponderata, ita etiam Judicibus inclinantibus, oblata fuit satis honesta concordia per Appaltatorem a Me, & aliis Advocatis consulentibus acceptata, quæ controversiæ finem dedit.

ROMANA SEU ALBANEN. DEFALCHI,

PRO PHILIPPO DE ASTE APPALTATORE NEPTUNI,

CUM CAMERA.

Casus sopitus per Concordiam.

An locator, vel respective conductor, & appaltator vectigalium aliorumque jurium Principis, vel Reipublicæ, possit altera parte invita, ad certificandam quantitatem damni quod timetur, vel lucri quod speratur, petere a judice deputari contrascriptorem, qui fructus colligendos describat loco probationis; Et aliqua de materia judicii præventivi de futuro.

In restauro, seu remissione conductori facienda ratione damni intollerabilis, An reficiendum sit totum damnum usque ad supletionem integræ pensionis, vel id solum, quod deficit ad æquandam dimidiam, seu respective sextam, itaut cessante hujus ratæ excessu tolatur damni intollerabilitas.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*

2 *An judicium præventivum, seu de futuro sit de jure permissum, & quando.*

3 *An circa fructuum quantitatem stari debeat libro publicani.*

4 *Sæpe publicani non describunt omnes fructus, & emolumenta in eorum libris.*

5 *An locator deputare possit contrascriptorem pro adnotandis fructibus, qui ex appaltu percipiuntur, & econtra num deputatio fieri debeat ad instantiam Appaltatoris.*

6 *Ille, cui decima spiritualis, vel temporalis debetur, an ponere possit custodem, vel ministrum pro fructibus describendis.*

7 *Debitor, an idem prætendere possit super fructibus, qui percipiuntur per creditorem immissum in Salviano.*

8 *Fiscales ad evitandam deputationem contrascriptoris solent consentire, ut credatur libris publicani.*

9 *Remissio pensionis ratione damni, an facienda sit pro toto damno, vel potius in eo tantum, quod excedit dimidiam, vel sextam partem, cujus ratione resultat intolerabilitas.*

10 *Quando dicatur damnum intolerabile ad effectum remissionis, referuntur variæ opiniones.*

11 *Verius firmatur, quod posita intolerabilitate, remissio facienda est in toto, & ponitur modus calculandi.*

12 *Data læsione in emptione, venditione vel alio contractu suppletur totum, & non solum id, in quo læsio consistit.*

D I S C. LXVI.

COncesso appaltu vectigalium, aliorumque redditum Cameralium Oppidi Neptuni cum annexis Philippo de Aste, cum consuetis capitulis, & præsertim, quod in casu pestis, vel belli, ex quo damnum notabile resultaret, illud refici deberet, eventoque casu pestis, ex quo appaltator se notabiliter damnificaturum pro certo prævidebat, idcirco ad suæ indemnitati consulendum, tollendasque eas difficultates, quæ cum fiscalibus haberi solent in justificatione damni, præsertim cum ageretur de appaltu complexivo plurium jurium, & redditum etiam modicæ quantitatis, ita præveniendo, & ne de veritate faciendæ collectionis dubitari posset, institit apud Thesaurarium provideri cum uno de duobus modis, vel scil. injungi ministris Cameræ, ut deputarent contrascriptorem, vulgo, *rincontro*, nuncupari solitum, cum cujus interventu, & assistentia, fructus colligerentur, & collecti describerentur, vel eis id agere recusantibus, ex nunc decerneret stari debere libris, & notulis ejusdem appaltatoris, ejusque institutorum, & ministrorum, cum alius probandi modus, stante subjecta materia, esset adeo difficilis, quod impossibilis speciem haberet. 1

Dictæ autem petitioni se acriter opponentibus Cameralibus, dicentibus judicia de futuro esse regulariter de jure prohibita, neque hujusmodi praxim (cujus nulla habebatur memoria) contra fiscum de novo induci debere; Assumpta proinde desuper disputatione in Congregatione Camerali.

Pro appaltatore scribens indebitam dicebam oppositionem Cameralium, quibus optio dabatur, unum vel alterum modum eligendi; Quamvis enim regulariter judicium de futuro, seu præventivum in jure non sit permissum; attamen id procedere dicebam ad effectum judicandi, & judicatum exequendi, ubi præsertim nulla necessitas, vel justa causa intercedit, quæ hujusmodi præventionem congrue postulet, secus autem ad effectum parandi eas probationes, quæ lapsu temporis amitti, vel difficiliores reddi possunt, cum tunc a juris regulis licite recedatur, ad not. *in c. quoniam frequenter, ut lite non contestata*, & quotidie practicatur in receptione testium, de quorum absentia, morte vel alio impedimento dubitetur, Vestrius *in praxi l. 6. c. 2. n. 3. & seqq.* 2 3

Et generaliter in judicium prævenientium admittatur, ubi justa causa concurrit, & actio est certo extitura, quidquid dubitent Rom. *cons. 95. l. 2.* & cæteri apud eum, est verius, & Surd. *dec. 120 n. 11. & per tot.* ibique post Hodier. *in add. per alios cumul.* Rot. *dec. 40. n. 7.* Merl. *de pign.* in Camer. fideic. 21. Maji 1649. cor. Dun. *inter suas dec. 818.* Fab. de Anna *cons. 126. n. 1.* Amat. *res. 49. num. 26.* late, ac magistraliter Rot. in Rum. fideicom. 31. Januarii 1631. Motmanno, ubi satis bene expenduntur rationes, & respondetur objectis; Ubi enim de hujusmodi pręventivo judicio non causantur molestiæ ante tempus, neque agitur ad effectum condemnandi, & exequendi, sed tantum declarandi, sive ita providendi, ut adveniente casu, vel tempore, facilior sit actionis, vel exceptionis executio, nihil deperit alteri parti, proindeque intrat notum axioma, ut quod uni non nocet, & alteri prodest, denegari non debeat, ut in proposito considerant Surd. *d. dec. 120. n. 12. & de cæteris ubi sup.*

De justa vero, & congrua causa petendi hujusmodi provisionem dubitandum non esse dicebam, stante subjecta materia, cum concurreret primum requisitum actionis omnino extitutæ, quia stante noror ocasu pestis, super modum consuetum in d. loco crassantis, utique certum erat in fine anni actionem, vel exceptionem defalchi competere debere, atque concurreret etiam alterum difficilis, ac fere impossibilia probationis perceptionis fructuum, ex quorum quantitate damni qualitas resultat, alias quam per descriptionem in libris, cum fructus, & redditus appaltus consisterent in multis diminutis exactionibus, & responsionibus, quas impossibile erat per testes justificare.

3 Ponderando etiam, quod publicanus de Jure prætendere potest circa perceptorum quantitatem stari debere ejus libris, ut in specie Boss. *de remiss. mercedis publicanor. nu.* 45. Bursatt. *cons.* 409. *n.*4. Sed quia fiscales id controvertere solent, atque reputant fisco præjudiciale, quia sæpe publicani non 4 omnes fructus in eorum libris describunt, Boss. *ubi sup.* Capyc. Latr. *cons.* 40. *nu.* 49. idcirco prætendere solent, invito etiam Appaltatore, hujusmodi contrascriptorem juridice apponere posse, & prætensio videtur juridica, ut in specie habetur practicatum apud Bursatt. *cons.* 409. Ideoque cum 5 debitor, & creditor, seu locator, & conductor sint correlativi, ut apud Cyriac. *contr.* 151. *& omnes*, quod uni licet, debet etiam alteri licere.

6 Ad quod comprobandum, dabam exemplum decimarum spiritualium, quas exigunt Parochi, sive temporalium, quas exigunt Barones, quod ille cui decimæ debentur, volens, potest apponere custodem, seu ministrum pro fructibus describendis, ut de quantitate decimæ, sed alterius quotæ sibi debitæ certius reddatur, eo autem non curante, standum est notulis debitoris, per text. *in l. sita*, §. *Dominus ff. de usu & habit.* Anna *alleg.* 84. *nu.* 8. Franch. *decis.* 117. Thes. jun. *l.* 1. *qu. for.* 6. *per tot.* Ita pariter in creditore immisso in vim interdicti Salviani ad bona sibi hypothecata, ad 7 effectum sibi satisfaciendi ex fructibus, quia potest debitor, vel bonorum possessor, invito etiam creditore, apponere custodem, seu descriptorem fructuum, ut certus reddatur de illorum quantitate, atque ita occultationi occurratur; sed si debitor, vel possessor id agere non curat, standum est notulis Ipsius creditoris, *ut dec.* 151. *in fin. p.* 6. *rec.* Othobon. *dec.* 226. Sic a pari, ac propterea fisco sufficere debebat offerri partitum, ut unum de duobus eligeret.

8 Verum Camerales se convictos, credentes tamen hujusmodi praxim positivam posse futurum aliquod præjudicium Cameræ inferre, curarunt desuper nullam fieri judicialem provisionem, quæ futuris successivis temporibus allegari posset in exemplum, sed oretenus habita extrajudiciali informatione integritatis ministrorum, ac librorum fidelitate, & bene tentorum, assecurarunt Appaltatorem, quod ejus librorum fidem non essent impugnaturi, & promissa servarunt.

Detecto autem in fine anni damno satis intolerabili, longe ultra dimidiam pensionis excedente, itaut opus non fuerit assumere quæstiones an damnum esset in substantia, vel in fructibus, & an læsio debeat esse ultra dimidiam, vel sufficiat ultra sextam, & quidnam operaretur pactum, quia facti qualitas quacumque opinione retenta restaurum omnino postulabat.

9 Assumpta fuit ex parte Cameralium disputatio, An remissio facienda esset de toto damno, vel de eo tantum, quod excedit sextam quam in appaltibus fiscalibus, ex firmatis occasione disputationis habitæ cum Ravenna *disc. præced.* jam admittebant, itaut illud damnum, quod erat intra sextam, cedere deberet damno conductoris, & econverso damno locatoris illud solum, quod erat ultra, seu supra sextam. Ad quod probandum adducebant Menoch. *de arbitr. casu* 77. *nu.* 2. *vers. secunda opinio*, ubi nullo relato Doctore, qui hujusmodi opinionem teneat, asserit eam esse, ut remissio fiat solum in eo, quod deficit ad faciendum, ut læsio non excedat eam quotam, quæ damnum intolerabile causat, atque ad idem adducebantur etiam Barbos. in *collectan. ad cap. propter sterilitatem numer.* 16. Molin. *de contractib. disp.* 495. *nu.* 10. *versic. intelligerem*, & Vasq. *controv. par.* 2. *cap.* 54.

10 Contrarium tamen omnino verius (etiam cum sensu veritatis) constanter asserebam, cum tam inter Civilistas *in l. licet C. locati*, quam Canonistas *in d. cap. propter sterilitatem, & c. potuit*, versetur solum quæstio super quota constituente damnum intolerabile, & remissione dignum; nam alii volunt, ut esse debeant ultra dimidiam, alii ultra tertiam, alii ultra quartam, alii ultra sextam, alii juxta vulgi opinionem, & alii demum arbitrio judicis; sed firmata, juxta unam ex dictis opinionibus in rigore receptam, qualitate damni remissione digni, tunc omnes concordare videntur, ut remissio facienda sit in toto eo quod deficit, quoniam illa quota attenditur pro inducenda ea qualitate, quæ necessaria est ad consequendum totum hujusmodi effectum, ut egregie Imola, (qui meo judicio omnium melius de hac materia scripsit) *in d. c. propter sterilitatem n.* 16. & ex eo Boss. *de remissione mercedis nu.* 4. *&* 11. firmantes, 11
quod si damnum est in toto, fit remissio de tota pensione, si vero est in parte fit pro rata partis, Dantes exemplum, quod si consueverunt percipi 30. & percipiuntur 10. atque pensio consistat in tribus solidis, fit remissio pro duabus tertiis pensionis, & sic unus solidus solvitur, alii duo remittuntur quod etiam ibidem probant Jo: Andr. *n.* 2. Abbas *nu.* 13. *in fin.* Butrius remissive *n.* 22. Nevizan. *cons.* 90. *n.* 18. *& seqq.* Capra *in regulis litt. R. reg.* 9. Bursatt. *cons.* 409. *nu.* 3. Neque contrarium dicit Barbos. *loc. cit.* dum juxta terminos dicti text. generaliter dicit remissionem faciendam esse, præsertim quia iste potius magnus quidem collector, non de facili hæc ratiocinia assumebat, Molina vero *d. disp.* 495. clare decidere videtur casum ad favorem conductoris, dum dicit, quod computatis fructibus perceptis una cum expensis, etiam ipsimet conductori pro ejus labore, & industria solvendis, demendum est de pensione totum id, quod deest ad illam integram solvendam, & sic clarus est ejus sensus, ut fiat supplerin ejus quod deest, prout volunt Imola, & cæteri, ubi supra. De auctoritate autem Menoch. *dict. casu* 77. *n.* 2. *vers. secunda opinio*, nullam dicebam haberi debere rationem, quia ipse in hoc nihil firmat, neque suam interponit sententiam, sed solum refert hanc esse unam ex opinionibus, nullis tamen relatis auctoribus eam tenentibus, neque relatis fundamentis, quibus ipsa innixa esse possit; Et quamvis ipse teneat, & ante eum Barbatia *cons.* 21. *nu.* 18. *lib.* 2. *& seqq.* hujusmodi remissionem judicis arbitrio faciendam esse, nullatenus tamen huic sententiæ deferendum dicebam, cum in contrarium stet magis communis, & recepta, ut supra, clarum habens fundamentum *in l.* 2. *Cod. de rescindenda venditione*, cum cujus terminis ista materia 12
regulatur, quia si læsio non excedit dimidiam, tota cedit damno emptoris, seu venditoris respective; sed dato excessu, integrum justum pretium supplendum est, vel contractus rescindendus, & sic excessus in quota per legem præfinita, dicitur qualitas necessaria ad actionis, vel exceptionis competentiam, sed posita qualitate, integer effectus est attendendus.

Agnoscebant judices hanc veritatem, juxta quam certe pronunciatum esset, nisi juxta Cameralium stylum, ad evitandas judiciales determinationes, exemplum in futurum inducentes, obtulissent Appaltatori satis congruam, & honestam concordiam libenter acceptatam, quia non expedit cum fisco contendere, maxime mercatoribus, & iis, qui hujusmodi appaltibus incumbunt, quibus Cameralium benevolentia nimis opportuna est, imo necessaria.

ROMANA DOHANÆ, PRO MERCATORIBUS URBIS, CUM DOHANERIO.

Discursus pro veritate super casu sopito per Concordiam.

An Dohana solvenda ex mercibus, quæ (præsertim per flumen introducuntur) habita proportione illarum valoris ad rationem tot pro centenario, debeatur de integro valore, non detractis expensis vel potius istæ sunt prius detrahendæ.

Item eligente mercatore, ex facultate sibi tributa in Capitulis dohanæ illam solvere, non in pecunia, sed in ipsarum mercium rata; An de ista solvi etiam debeat dohana.

Et sive in pecunia, sive in specie solvenda ad tot pro centenario. An dohana detrahenda sit ex 100 scutis, itaut reliquum sit mercatoris, vel supra 100. quod scil. mercatori remaneant 100. gabellarius vero percipiat dohanam de eo pluri.

Gabella quæ exigitur pro quolibet dolio vini, ad Urbem per flumen introducendi, quomodo exigatur, quæ detractio facienda sit pro quolibet dolio ratione fecium, & diminutionis.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Gabella, seu Dohanna debita pro mercibus pro certa quota valoris, an debeatur attento integro valore, non detractis expensis; vel istæ sint detrahendæ,*
2 *Datur distinctio.*
3 *Quid sit Dohana, explicatur ejus vocabulum, & origo,*
4 *Non est onus quantitativum, sed quotitativum ipsarum mercium.*
5 *An intret parificatio gabellarum, & decimarum.*
6 *De differentia istius Vectigalis ab aliis gabellis, & qui vere dicatur solvere Dohanam,*
7 *Quæ expensæ deducendæ sunt a solutione Dohanæ.*
8 *De modo detrahendi quotam pro dohana, an sit facienda infra centum, vel supra.*
9 *Decima exigitur intra non ultra decem.*
10 *Quomodo exigenda sit gabella vini imposita ad rationem tot juliorum pro dolio,*

D I S C. LXVII.

1 ORtis pluribus controversiis inter Dohanerium, & mercatores, super modo solvendi Dohanam, atque per istos requisitus pro consilio in Congregatione cum aliis Advocatis, juxta laudabilem Curiæ stylum eis præstando, ad effectum benevolam concordiam cum d. Dohanerio tractandi, plures erant casus controversiæ, quorum primus erat; An dohana, seu aliud vectigal debeatur de toto mercium valore, vel potius de eo, quod superest detractis expensis in earum bæsitatione, & mercimonio necessariis, habitaque etiam ratione futuri periculi, quod pretium diminuit.

Super hoc autem quæsito dicebam, Doctores præsertim Hispanos in hoc variare, ut constat ex deductis per Garziam *de expensis c. 1. n. 20. & c. 11. nu. 60.* Guttier. *de gabellis quæst.* 52. apud quos cæteri habentur. Non tamen in eorum dictis juxta unam, vel alteram sententiam in proposito constitui posse solidum fundamentum, cum satis ibi quæstionis decisio pendeat, vel ex illarum gabellarum qualitate, vel ex particularium legum dispositione, seu intellectu, quamvis etiam rationes ex juris communis dispositione resultantes, bene deducant, & ponderent.

2 Quare in hujusmodi quæstionis decisione in abstracto, eram in sensu, quod sequenda esset magistralis distinctio, Bart. *in l. sed si hoc 61. §. 1. n. 1. ff. de condit. & demon.* quam esse communiter receptam, & Gomes *variar. resol.* dicunt Cyriac. *controv.* 265. *n.* 19. Lassart. *de decimis c.* 19. *n.* 2. *& seqq.* Guttier. *d. c.* 52. *nu.* 5. *in fin.* quod aut statutum mandat solvi gabellam a Domino rei venditæ pro pretio, quod vendendo percipit, & deducendæ sunt omnes expensæ, quia venditor vere percipere non dicitur nisi id, quod detractis impensis, & oneribus in ejus manibus, & ad propriam utilitatem remanet; Aut dicit solvi gabellam pro pretio, quo res venditur, & tunc nulla facta deductione attenditur totum illud pretium, quod venit in contractu; Aut verba sunt dubia, & prima pars benignior distinctionis attendenda est pro expensarum deductione.

Qua distinctione, seu theorica sic stante, quatenus pertinet ad applicationem; cum in proposito supponeretur non haberi statutum, vel aliam legem editam super solutione dohanæ, itaut desumi posset; an in primo, vel in secundo distinctionis casu versaremur, inferebam proinde rem esse dubiam, atque dici posse versari in tertio casu, qui idem est, ac primus pro expensarum, aliorumque onerum deductione.

Verum attenta subjecta materia, observabam hujusmodi distinctionem, alioquin veram, & in aliis gabellis, illa præsertim contractuum, attendendam, non applicari circa
3 exactionem dohanæ, cujus barbarum vocabulum a Longobardis, sive a Normandis, seu alias a linguæ latinæ corruptione derivatum, importat verum vectigal, quod licet in larga, & grammaticali significatione, quamcumque gabellam, sive publicum redditum, & emolumentum importet; In stricta tamen, & vera significatione legali, est idem, ac *portorium*, sive juxta corruptum feudorum loquendi usum a Longobardis etiam derivatum, *armandia*, dictum a vehendo, utpote importans octavam, seu nonam, vel aliam portionem, quam Princeps, vel Respublica tamquam decimæ speciem capit ex mercibus ad ejus portum evehendis causa contractandi, & mercandi in sua ditione, & cum ejus subditis, juxta textum *in l. 7. C. de vectigal. cum concord.* per Cyriac. *controv.* 26. *nu.* 8. *& 9.* late Balzaran. *de feud. in c. 1. quæ sint regalia n. 2. & seqq. & alios,* de quibus in Rom. gabellæ ferri, *& in aliis hoc eod. tit.*

Itaut non sit onus quantitativum præcise solvendum in pecunia, cujus quantitas pendeat a pretii valuatione, sed sit onus quotitativum consistens in septima, vel nona por- 4
tione, quam dohanerius percipit de illis mercibus, prout reperiuntur, dum in portum, seu Civitatem, vel Ditionem invehuntur, & sic attenditur illud tempus invectionis, atque merces considerantur, prout existentes in eo loco, non curatis expensis, vel oneribus itineris, ex quibus jam advectæ effectæ sunt pretiosiores.

Et licet ut plurimum istud onus, non in quota, sed in quanto exigi soleat, id sequitur in gratiam mercatorum pacti nolentium mercium scissuram, unde propterea ad majo- 5
rem commoditatem fit æstimatio mercium, prout valent considerata in eo statu, & loco, in quo jam reperiuntur, ad effectum, ut eam quotam, quam in specie dohanerius percipere deberet, per quemdam actum occultum emptionis, & venditionis inter ipsum, & mercatorem, recipiat pretium, ideoque quidquid sit in terminis aliarum gabellarum, de pacificatione cum decimis spiritualibus, quam acriter impugnat Garzia *ubi sup. de expensis c. 1. n. 20. & c. 11. num. 60.* illa bene intrare videtur in hac specie juxta opinionem Avendani, & aliorum, quam, rejecto nominatim Garzia, veriorem profitetur Gutier. *d. qu.* 52.

Idem clare suadet i dicebam ex peculiari ratione hujusmodi vectigalibus, quæ non convenit aliis gabellis, illi præsertim 6
contractuum, quæ per vendentem, vel acquirentem solvitur absque reintegratione. Ut enim dictum est in d. Rom. gabellæ ferri, istud vectigal vere non solvitur ab introductore, ratione materialis introductionis, seu mediante introductore, sed occasione usus mercium, & rerum, exigitur a populo, ejusdemque Principis subditis minutatim easdem merces pro eorum usu ementibus; quia solutio dohanæ, quam introductor facit, causat, ut cariori pretio subditi emant illas merces, quas absque hujusmodi onere vilius empturi essent, unde introductor ex pretii alteratione vere se reintegrat de vectigali soluto, atque in substantia obtinet totum illud pretium intrinsecum, quod ex integris mercibus fuisset alias percepturus, si dicto onere non existente vilius vendidisset, idcirco cessant omnes rationes per Garziam, & sequaces in suo casu ponderatæ.

Quia vero Dohanerius contra antiquam observantiam prætendebat, pro regulanda quantitate suæ quotæ æstimare merces in fundachis, vel magazenis, postquam introductæ sunt, ac mercimonio adaptatæ, & expositæ; Dicebam injustam esse hanc prætensionem, tum quia adversabatur præteritæ observantiæ, quæ in hac materia totum facit, ut sæpius in ista gabellarum materia hoc titulo habetur. Tum etiam, quia jus dohanæ consistit in perceptione quotæ in ipso 7
actu advectionis, seu introductionis, unde valuatio facienda est anteriori tempore, & statu; Vel si facienda est, dum merces sunt in fundachis, & magazenis accommodatæ, deducendæ sunt omnes expensæ, quæ ab ipso actu introducendi erogatæ sunt, habita etiam ratione laboris, & industriæ ipsius mercatoris, necnon periculi, cum interim mercator subjectus fuit circa mercium corruptionem, subtractionem, vel alium casum, illum præsertim sæpe contingibilem inopinatæ diminutionis valoris ob illarum affluentiam, hæc enim omnia extranea sunt ab ipsa introductione, tamquam ex post facto sequuta.

Et quemadmodum, si Dohanerius in ipso actu introducendi, suam quotam in specie percepisset, sibi fuisset necessarium proportionabiliter easdem expensas facere, eidemque periculo subjacere, ut eam reduceret ad statum illum majoris valoris, in quo merces constituuntur, postquam in fundachis venditioni, & mercimonio commodatæ sunt a mercatore. Ita nulla subest ratio, cur dictæ expensæ isto casu detrahi non debeant, cum sint expensæ necessariæ, quantumvis malæ fidei possessori etiam bonificandæ, ex ea viva ratione, quod si factæ non essent ab isto, debuissent fieri a domino, qui alias locupletaretur de alieno.

Secundus controversiæ casus erat, An scilicet illa septima, seu nona portio, importans respective 14. vel novem 8
pro centenario, 14. scilicet per flumen, & 9. per terram, detrahenda sit infra summam scutorum 100. ad quam fit quantitatis peræquatio, vel supra eam, idest, de alia mercibus exuberantibus; Dicebam, sine dubio respondendum esse contra mercatores, quod scilicet ex singulis 100. distributis in 7. vel 9. uncias, seu portiones, Dohanerius capiat unam, reliquæ autem sex, vel octo mercatori remaneant. Adinstar decimarum, cui hoc onus, utpote quotitativum recte per DD. supra allegatos, & alios assimilatur, quia decima non percipitur ultra, sed infra 10. Et sic non constituuntur 11. unciæ; seu portiones, ex quibus

bus Curatus unam percipiat, colono autem decem remaneant, sed
9 constituuntur 10. ex quibus Curatus percipit unam, reliquę novem remaner colono, alias enim, non septimam, vel nonam, sed octavam, seu decimam, ita præstaret, & in hoc sensu, quamvis aliqui primo aspectu id non de facili caperent, fuerunt cæteri.

Tertium erat controversiæ casus circa gabellam vini debitam ad rationem tot juliorum pro dolio constituto ex octo cadis, & solvenda proportionabiliter pro vino existente in parvo vase, quod medietatem, vel quartam partem dolii contineret. Cum antiqua observantia daret, ex quolibet dolio detrahendam esse quartam partem pro fæcibus, & floribus, ac diminutione ratione subollitionis, Dohanerii autem id controverterent. Dicebam cum modica, vel nulla difficultate respondendum esse contra Dohanerium, quia non agitur de ea gabella, quæ solvitur pro simplici transitu per pontem, scapham, vel locum, in qua sola materiali-
10 tas attendi solet, cum impossibile sit in ipso actu transeunte hujusmodi deductiones, & calculationes facere, sed agitur de eodem vectigali, seu dohana debita in quota, in qua tamen non exigitur, sed in quantitate ratione subjectæ materiæ, quia impracticabile quodammodo videtur percipere dohanam in ipsa specie de facili corruptibili, & quæ ob tot varias mixturas penes Dohanerium inutilis remaneret, ac evidens periculum corruptionis in restanti quantitate in doliis dimidiatis induceret; Unde faciendo intellectualiter id, quod vere, & materialiter fieri non potest dicebam, a Dohanerio aliud prætendi non posse, nisi quantum valeret septima ipsius speciei portio, quam perciperet, quæ septima portio esset solum illius vini, quod purum a dolio extrahitur, detractis fæcibus, & calo; Igitur nulla, nec legalis, nec humana ratio subesse poterat, quæ negaret hujusmodi detractionem, ob cujus veritatem, cum fæcium, & cali diminutiones esse soleant difformes, juxta vini diversas qualitates, ac tempora, unde fere impossibilis esset singularum specierum in singulis casibus diminutionis individuas facere; Idcirco dicebatur Dohanerium omnino stare debere illi uniformi diminutioni, quam usus, & antiqua consuetudo induxit, ut scil. ex quatuor singulorum doliorum partibus, tres censeantur continere vinum purum, & in commercium deducibile, reliqua vero quarta cedat pro fæcibus, & calo; Et hanc ego, & cæteri dixımur videri veritatem, cum semper in dubio, in materia gabellarum observantiæ sit deferendum; Sed quoddam concorde temperamentum istas quæstiones terminavit.

ROMANA, SEU VELITERNA AQUÆVITÆ, PRO GABELLARIO VINI, ET DOHANERIO, CUM MERCATORIBUS VELLITERNI, ET ALIIS.

Incertus est exitus, forsan per concordiam

Aquavita an dicatur merces, vel potius vinum, itaut pro ea solvi debeat dohana tamquam pro merce, vel gabella tamquam pro vino, vel potius utraque.

Et aliqua de repetitione gabellæ indebite solutæ.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De dohana, seu vectigali importante quotam mercium, seu earum valorem.*
3 *De differentia inter observantiam interpretativam, & præscriptivam.*
4 *An in materia vectigalium detur præscriptio ex facto appaltatorum.*
5 *Observantia æquivoca non est attendenda.*
6 *Quæ propriè dicantur merces.*
7 *Aquavita an sit vinum, & sub ejus nomine veniat, vel potius sit merces.*
8 *De repetitione gabellæ indebite exactæ.*
9 *Quomodo probandum sit indebitum pro illius repetitione.*
10 *Excessiva solutio gabellarum, & vectigalium non dicitur voluntaria, sed coacta.*
11 *An, & quando gabella imposita pro simplici debeatur pro mixto, puta pro aquavita gabella vini, pro sapone gabella olei, pro pane gabella farinæ, vel tritici cum similibus.*
12 *Pro eadem re non est solvenda duplex gabella.*
13 *In dubio contra gabellam.*

D I S C. LXVIII.

CUm pro mercibus, quæ in Urbem per terram introducuntur solvatur dohana ad rationem novem pro centenario, ac etiam adsit gabella super vino, quod in eandem Urbem introducitur ad rationem tot juliorum pro quolibet cado; Atque a moderno tempore satis inoleverit usus aquævitæ, quæ in magna quantitate conficitur in Civitate Veliterana, unde ad Urbem introducitur; Observantia induxit, quod pro ea duplex gabella exacta fuit, illa scilicet dohanæ, tamquam de merce ad solam rationem juliorum quatuor pro quolibet cado, & altera vini usque ad ann. 1651. in quo de mandato Innoc. X. particularis appaltus super ea erectus fuit pro exactione dohanæ, tamquam de merce, prohibita exactione alterius gabellæ tamquam de vino; Ex quo tempore dohanerius exigere cœpit dohanam ad dictam rationem novem pro centenario importan. julios octo circiter pro cado. Unde mercatores Veliterni prætendere cęperunt a Baldinotto, qui erat Dohanerius, & fuerat etiam Appaltator gabellæ vini, quod respectu dohanæ in futurum non deberent teneri, nisi ad consuetam solutionem julior. quatuor pro dohana, agendo etiam ad repetitionem gabellæ vini de præterito indebitè solutæ; Sed utramque prætensionem, pro Baldinotto scribens, dicebam injustam, & non bene fundatam. 1

Quatenus enim pertinet ad primam circa solutionem in futurum faciendam de dohana: Dicebam haberi legem 2 scriptam, ut illa esse debeat ad rationem novem pro centenario, quod idem est, ac illa octava, seu nona portio, quę de jure communi exigebatur pro vectigali, in quo propriè consistit dohana, ita corrupto vocabulo nuncupata, ex text. *in leg. allegatis 8. Cod. de vectig. cum concord.* per Balzar. *de feud. cap. 1. quæ sint regalia, verbo vectigalia n. 2. & seqq.* & alios allegatos in præcedentibus, in quibus hoc sæpius habetur, itaut sit quædam quota, quæ pro majori mercatorum commoditate exigitur in pecunia, cum ex ejusdem dohanæ capitulis, & decretis, in eorum arbitrio repositum sit, illam solvere in ipsarum mercium quota, quæ juxta currentem valorem idem importabat, ac julios octo.

Nec obstare videbatur, quod prædecessores appaltatores eam exegerint ad solam rationem juliorum quatuor, quia ubi dubium esset quantum solvi deberet, tunc observantia diceretur interpretativa, eique satis deferendum esset, cum in omni materia observantiæ interpretativæ deferri debeat, 3 multo magis in gabellis, in quibus illa totum facit, ut sæpius *hoc tit.* ista gabellarum materia habetur; sed cum taxa sit certa, in qua non cadit terminus interpretationis non congruus, nisi in rebus dubiis idcirco observantia potius dicenda est præscriptiva, juxta distinctionem, de qua bene Barbos. *in l. post dotem 41. ff. sol. matr. decis.* 319. & 351. *part. 6. recent. ubi cæteri*; Contra Principem vero præscriptio induci non potest absque ejus scientia, & patientia, in hac præsertim specie vectigalium, ex solo facto appaltatorum, juxta text. clarum *in l. locatio 9. §. earum ff. de publico*. Quod generaliter in quocumque conductore, ut non præjudicet locatori, vel successori in affictu circa modum exigendi, habetur frequenter a Rota firmatum in terminis consimilibus decimarum, præsertim *dec. 22. & 212. part. 10. & 242. part. 11. rec.*

Clarius, quia diminuta solutio de præterito practicata, 4 aliquam habere potuit rationem nunc cessantem, quod scilicet pro eadem merce solveretur etiam gabella vini, quodque adhuc declaratum non esset, an illa veniret, magis sub nomine mercium, quam vini, qua dubitatione nunc ex erectione appaltus particularis cessante, ac etiam cessante altera duplicati oneris alterius gabellæ vini; Hinc proinde dicebam, nullam subesse rationem, cur consueta doha- 5 næ quantitas, correspondens debitæ quotæ, exigi non deberet, & cujus oneris ratione declaratum est aliam gabellam non deberi, ob quam præterita observantia redditur æquivoca, non apta proinde ad firmandum statum, quia observantia æquivoca non attenditur, ac nihil operatur *dec. 294. n. 6. p. 2. div.* Buratt. *dec. 464. n. 6.*

Quodque aquavita dicatur merces, atque sub mercium nomine veniret, dicebam non esse amplius dubitandum, stante dicta expressa determinatione de mandato Papæ sequuta de anno 1651. Ac etiam in solo puncto juris, ex cujus dispositione merces dicitur quæcumque res mobilis mercimonio exposita, & venalis, ut per Reb. & Alciat. *in l. merci appellatio, ff. de verb. signif.* præsertim quia est

materia

materia mixta pendens ex artificio, ex quo res naturalis recipit alterationem, & non remanet in simplicibus terminis vini, quod a dohana est exemptum, cum vere non sit vinum, sed diversam speciem constituat ad text. *in leg. si quis*
7 *vinum 9. ff. de tritico, vino, & oleo legatis*: Atque respectu istius primi puncti, puto ita per Thesaurarium judicem primæ Instantiæ judicatum esse, cum ita de facto exigatur ad dict. rationem novem pro centenario, juxta quam de omnibus mercibus exigitur.

Quo vero ad alium punctum repetitionis gabellæ vini, quæ prætendebatur indebite exacta: Dicebam quod text. *in l. locatio 9. §. quod illicite, & l. si multis 6. ff. de public.* in
8 quibus de hujusmodi repetitione gabellæ indebite solutæ agitur, supponunt pro certo illicitum, ex quo sequuta sit exactio cum injuria, ut verba text. clare disponunt præsertim *in d. l. locatio §. fin.* ibi, *passus injuriam*. Unde sufficere videtur bona fides, & probabilis credulitas, seu dubietas, præsertim ubi agitur de re exacta non extante, sed consumpta, pro qua non doceatur de gabellarii clara locupletatione, cujus saltem per æquipollens res exacta extare dicatur, juxta terminos fructuum, quos non dominus re aliena, bona fide, seu non mala percepit, & consumpsit ex deductis in his terminis in Spolet. onerum *disc. 48. & in Rom. appalt. gabellæ carnis disc. 72. hoc tit.*

Deducebam etiam regulam generalem in jure traditam de repetitione indebite soluti, illud scil. non præsumi, sed ab allegante esse perfecte, & concludenter probandum, itaut
9 probationes dubiæ, & æquivocæ non sufficiant, ac sola possibilitas debita excludat indebitum, ad notata *in leg. cum de indebito ff. de prob. & c. fin. de solut.* Feder. de Sen. *cons. 54. n. 2.* Buratt. & Add. *dec. 592.* Rot. *dec. 38. & 130. p. 5. rec.* & sæpius *sub tit. de cred. & sub altero de usur.*

Verum agnoscebam id esse minus tutum, & non bene applicabile, cum d. conclusio procedat in spontanea, & voluntaria solutione, non autem in coacta, qualis semper censenda est illa, quæ fit de gabellis, quas in ingressu portæ vel alio loco destinato rigorose exigunt publicani auctoritative, & manu regia; Licet enim mercium introductores sponte,
10 & nulla prævia coactione solvere soleant, attamen id agunt; vel quia sciunt posse incontinenti cogi, ideoque ex causa necessaria facere dicitur, qui sciens imminere molestam coactionem, ista non expectata, faciat, Mantic. *dec. 31. n. 11.* Greg. *dec. 236. num. 3.* Vel (& verius) ad evitandas pœnas commissi, aliasque molestias, & damna, quæ sub prætextu fraudatæ gabellæ ab hujusmodi duris exactoribus diligenter inquiri, & affectari solent, unde terminus indebiti voluntarii ab hac materia omnino extraneus videtur.

De bona fide, & justa credulitate gabellarii vini exigendi istam gabellam, quinimo de juris fundamento, satis constare dicebam, nedum ex præterita observantia, non ab ipso gabellario introducta, sed a multis prædecessoribus appaltatoribus practicata, ex iis quæ in proposito habentur supra *in d. Rom. appaltus gabellæ carnis disc. 71.* Sed etiam quia licet aquavita proprie non sit vinum, sed diversam speciem constituat ad text. *in d. l. si quis vinum 9. ff. de tritico, vino, & oleo legatis*, attamen est liquor, qui provenit a vitibus, & a vino, ideoque intrat regula, quod gabella imposita sim-
11 plici, debetur etiam pro mixto, quando istius tota substantia, vel major pars a simplici provenit; ut in terminis individualibus gabellæ vini solvendæ de aquavita, firmatum fuit per Rot. in Bonon. gabellæ 6. Martii 1651. cor. Alberg. *dec. 118. p. 11. rec.* Et gabella olei, solvenda etiam pro migma, seu sapone Cyriac. *contr. 468. num. 28.* atque ita scio in facti contingentia decisum per Tribunal Cameræ; Et de gabella imposita super frumento solvenda etiam pro introductione farinæ, vel panis Medic. *cons. 97.* Hodiern. ad Surd. *decis. 139.* Cyriac. *contr. 468. n. 26. & seqq.* Rota *dec. 435. p. 9. rec. & in d. Bonon.* Et de gabella serici, debita etiam pro serico contexto Med. *d. cons. 97.* Cyriac. *ubi sup. n. 30.* cum similibus, cum sit propositio tam theorice, quam practice ubique recepta, quoties alia gabella particularis pro eo mixto non est solvenda, & de qua *in Camera gabellæ disc. 74.* & in aliis *hoc eod. tit.*

Unde major difficultas, quæ considerari poterat, consi-
12 stebat in duplicitate oneris, quod una, & eadem res de jure pati non debet; Ut in specie duplicatæ gabellæ non solvendæ pro eadem re, Soc. Jun. *cons. 1. num. 28. l. 1. & cons. 158. n. 49. l. 2.* & Menoc. *l. 4. præs. 181. n. 16. & 17.* Rot. *d. dec. 118. p. 11.* Et propterea, cum pro hujusmodi aquavita exigeretur dohana tamquam de merce, & quæ non exigitur pro vinu, injustum videbatur in odiosis eam venire sub nomine vini, & non in favorabilibus.

Duplici autem medio difficultatem prædictam tolli dicebam, primo nempe ex observantia, quæ in his materiis totum facere videtur, nam pro carne sale condita exigi solet dohana tamquam de merce, ac etiam gabella carnis, quia res de utraque specie participat, præsertim quia excessivum onus gabellæ vere redundare non dicitur in damnum introductorum, illam solventium, sed in damnum populi merces introductas ementis, a quo cum alteratione pretii ratione gabellæ resultantis, mercatores se reintegrant, *ut in Rom. gabella ferri disc. 63.* & in aliis habetur *hoc eod. tit.* sæpius.

Secundo clarius, quia in effectu hujusmodi mercatores duplex onus passim non ferant, dum intuitu forte istius oneris, aliud dohanæ non integrum, ut de jure tenebantur, sed fere dimidiatum solverunt; Unde dicebam, quod, aut mercatores attendere volunt observantiam, & illam dividere non possunt, sed eam attendere, ut jacet; Aut ei stare nolunt, & supplere debent id, quod minus solverant pro dohana, quod absorbet, & superat gabellam vini, unde Appalcator esset potius in lucro quam damno; Et ex hoc ultimo motivo, ad veritatem etiam reflectendo, credebam justitiam huic parti assistere; Quamvis eo cessante, ubi mercatores solvis- 13
sent integram dohanam, tunc indebita mihi videretur exactio gabellæ vini, quia cum istud ad effectum exactionis dohanæ non veniat sub nomine mercium, quod importat privilegium, dum longe majus est onus dohanæ, quam illud gabellæ, irrationabile omnino videbatur, ut aquavita venire debeat sub hac specie in odiosis, & non in favorabilibus, ac ita duplici onere gravari, præsertim quia gabella est materia odiosa, contra quam in dubio est judicandum, Cyriac. *contr. 297. n. penult. & fin.* Rot. *decis. 118. p. 11. rec. in fin. & hoc tit.* satis frequenter.

ANNOT. AD DISC. LXVIII.

DE hoc puncto, an aquavita dicatur merx, vel vinum, agitur etiam supra *disc. 53.* occasione agendi, an Clericis, & Religiosis licitum sit ex vino recollecto in eorum vineis, vel prædiis, conficere aquavitam ad effectum vendendi, adeout dici valeat mercatura prohibita, ad quod conferunt etiam deducta *sub tit. de Regular. disc. 60.*

ROMANA FRAUDATÆ GABELLÆ,
PRO FRANCISCO RAVENNA APPALTATORE DOHANARUM,
CUM ALIQUIBUS MERCATORIBUS.

Casus decisus per Cameram contra Appaltatorem.

D. fraudata gabella, seu dohana, quomodo probetur, tam ad effectum commissi, & pœnæ, quam ad effectum exactionis ipsius gabellæ, seu dohanæ; Et de præscriptione tam gabellæ, quam pœnæ.

S U M M A R I U M.

1 *CAsus controversiæ.*
2 *Graviter puniendi sunt mercatores ob minus fidelem denunciam mercium, super quibus gabellarius ejus fidem sequitur.*
3 *De Pœna commissi ob fraudatam gabellam.*
4 *Pœna fraudatæ gabellæ spectat ad appaltatorem.*
5 *De præscriptione quinquennali in materia gabellarum, & commissi.*
6 *Distinguuntur species gabellarum ad effectum desumendi dolum in illorum fraudatione.*
7 *De probationibus, quæ exiguntur fraudis gabellæ.*
8 *Libri Gabellarii probant negativam solutæ gabellæ.*
9 *Libri mercatorum probant contra eos.*
10 *Fraus exigit probationem concludentem, & quomodo.*
11 *Declaratur.*

D I S C. LXIX.

CUm vectigal, quod *portiorum*, sed *dohana* nuncupa- 1
tur, inhærendo antiquæ juris dispositioni, exigatur ad rationem quantitativam, seu etiam in quantitate, habita ratione valoris, ut fusius habetur *in Rom. pro mercatoribus Ripalibus disc. 69.* & in aliis *hoc tit.* ac propterea opus esset in omnium mercium introductione, ballas, seu sarcinas diligenter, & minutatim revolvere, ad effectum regulandi valorem, ex ipsarum mercium meliori, vel inferiori qualitate resultantem, dictaque perquisitio non leve introductorum incommodum, ipsarumque mercium præjudicium, & detrimentum induceret; Hinc proinde in eorumque mercatorum, & introductorum gratiam, per capitula

dohanæ dispositum est, dohanerium sequi debere ipsorum
fidem, stando eorum relationi circa mercium quantitatem,
& qualitatem, gravibus tamen pœnis, ut par est, eisdem
impositis in casu violatæ fidei, & minus veridicæ relatio-
2 nis, quod etiam de jure dispositum habetur *in l. interdum*,
§. *Divi il* 1. *ff. de public.* ubi DD. de quibus Mascard. *de
probat. concl.* 834. *n.* 2. Farin. *q.* 173. *n.* 17. *cum seqq.*

Prætendens autem Dohanerius, aliquos mercatores,
tam in quantitate, quam in qualitate mercium, dohanas
fraudasse, eos pulsavit, tam ad debitæ dohanæ supple-
mentum, quam etiam ad commissum & pœnam, quam
3 ad se spectare disponitur expresse in capitolis appaltus, at-
que non data contra conventione, est de jure disposi-
tum ad text. *in l. si quis sine*, *C. de vectigalibus*, ubi Bald.
Salicet. & cæteri, & quibus Surd. *cons.* 57. *nu.* 20. Capyc.
Latr, *consult.* 18. *n.* 1. *&* 2. Farinac. *d. q.* 173. *n.* 2. Et quod
pœnæ fraudatæ gabellæ spectent ad eum, cui ipsa gabella
in appaltum, vel alias concessa est, bene aliis allegatis
4 Revert. *& adden. dec.* 28.

Mercatores allegabant præscriptionem resultantem ex
5 lapsu quinquennii juxta text. *in l.* 2. *C. de vectigalibus com-
missis*, Bertachin. *de gabellis*, Peregr. & cæteri per Farinac.
d. q. 173. *n.* 49. Respondebam tamen ex parte Dohanerii,
aliud esse circa gabellam, seu dohanam, ratione mercium
occultarum solvendam, aliud circa commissum, seu pœ-
nam ratione occultationis, ut per Vermigliol. *cons.* 128.
n. 1. *&* 277. *n.* 2. Textus enim prædictus inducens quin-
quennalem præscriptionem, procedit in jure vendicandi
ipsa bona, quæ in commissum ceciderunt, in quibus etiam
terminis loquuntur Bertachin. Peregr. Farinac. & alii, non
autem de ipsa gabella, quia cum sit de jure debita, & super
ea non habeamus legem diversimode disponentem, idcirco
venire debet sub generali dispositione text. *in l. omnes*, *&
l. sicuti*, *C. de præscript.* 30. *vel.* 40. *annorum*.

Sed etiam quoad pœnam, seu jus vindicandi bona, quæ
in commissum ceciderunt, Dicebam dispositionem dicti
textus non suffragari, cum ad litteram ibidem excipiatur
casus doli, quod late probat Gutier. *de gabellis*, *q.* 123.
per tot. ubi firmat, legalem, vel statutariam præscriptio-
nem inductam contra gabellarium non petentem gabel-
lam, non currere, si dolo, vel culpa illam solvere debentis
impeditus esset, quod clare probari videtur ex text. *in l.
fin. C. de annali præscriptione*, ubi disponitur, quod non
valenti agere non currit præscriptio, cujus text. dispositio
bene convenire videtur istis terminis, quia nisi Dohane-
rius detegat relationem minus realem, nullam habet actio-
nem, quæ tunc nasci dicitur, quando infidelitas detegitur.

Ad probationem autem doli, ac etiam non prius com-
petentis actionis ponderabam, diversos esse terminos il-
lius gabellæ; quæ juxta gabellarum regularem naturam
solvendi est pro mercibus, quæ per certum locum tran-
seunt, sive introducuntur, juxta illam quantitatem, quam
gabellarii diligentia convenire detegit, itaut iste non te-
neatur sequi fidem introductoris, ejusque relationi stare,
sed possit, & soleat sarcinas diligenter revolvere, ac mer-
cium qualitatem, & quantitatem inquirere, ut in eadem
dohana practicatur respectu mercium, & bonorum, quæ
per privatos in modica quantitate introducuntur in capsu-
lis, seu sarcinulis. Isto enim casu, cum quilibet ex quodam
naturali instinctu, quo magis fieri potest hujusmodi onus
effugere, vel diminutum solvere studeat, neque ex parte
introductoris, vel transeuntis concurrat factum positivum
mendacii, & falsæ assertionis, sed solum factum negati-
vum, curando scilicet a gabellario merces non videri, &
tunc recte gabellario opponi posse videtur id, quod firmant
Cravett. *cons.* 969. *n.* 4. Vermigliol. *cons.* 278. *n.* 6 *& cæteri*,
ut sibi imputet, cur ballas, seu sarcinas non aperuerit, ea-
rumque quantitatem, & qualitatem non bene indagave-
rit, aliasque diligentias non adhibuerit, sive etiam credi-
derit introductori, cui ex lege, vel consuetudine credere
non solet, nec tenetur, juxta quotidianam praxim alio-
rum privatorum, qui non sint cogniti mercatores loci.

Secus autem respectu mercatorum, frequenter & in ma-
6 gna quantitate merces introducentium, in quorum gratiam
consuetudo introduxit non revolvendi, ballas, seu sarcinas,
ob præjudicium, quod ex hujusmodi revolutione mercibus
generatur, sequendo eorum fidem; Tunc enim mercatores
in expresso, & manifesto dolo esse dicuntur cum mendacio
positivo, fallendo eam fidem, quam in eorum gratiam, &
suimus detrimentum gabellarius sequitur, itaut non solum
concurrat vitium mendacii, & falsæ assertionis, sed etiam
illud ingratitudinis, & violatæ fidei, proindeque non in-
trat ratio superius considerata, ut gabellario imputandum
sit, cur suas diligentias non adhibuerit, neque sarcinas be-
ne perquisierit; Et consequenter nullo jure dicendum est,
quod præscriptio suffragari possit, stante dolo positivo, qui
expresse a dicto textu excipitur, ideoque saltem respectu
supplestionis gabellæ, seu dohanæ, in hoc motivo difficul-
tas per judices in puncto juris non constituebatur.

Tota igitur difficultas, cujus ratione Camera contra
Dohanerium judicavit mercatores, tam a gabella, quam
a pœna simpliciter absolvendo, fuit circa defectum proba-
tionum, quas credidit minus perfectas, & concludentes;
Quamvis enim ex parte Dohanerii diceretur, gabellæ frau-
dationem non requirere plenam, & exactam probationem,
sed conjecturalem, & præsumptivam sufficere, cum agatur
de actu, qui in occulto, & furtim committi solet, ut ultra
generalia quæ habentur in terminis simulationis, & simi-
lium, in specialibus terminis fraudatæ gabellæ firmant
Alex. *cons.* 188. *n.* 2. *lib.* 7. quod in hac materia tanquam ma- 7
gistrale circumfertur, Cravet. *cons.* 115. in principio, Mas-
card. *de probat. conclus.* 834. *nu.* 1. *&* 31. *cum seqq.* Farinac.
q. 173. *n.* 10. *& cæteri*; Quod etiam naturali ratione evi-
denter probari dicebam ex subjecta materia, dum Dohane-
rius sequi solet fidem ipsorum mercatorum, intra quorum
domesticos parietes ballæ, seu sarcinæ aperiuntur, ideoque
ipsi solum sciunt mercium in eis existentium distinctam
quantitatem, & qualitatem, quam per testes, aliasque perfe-
ctæ, & concludentis probationis species impossibile est justifi-
care, unde esset aperire latissimam ac satis facilem viam frau-
dibus, & deceptionibus, ob quas Dohanerius, cum magno
eorumdem mercatorum, & commercii præjudicio, cogendus
esset, sublata hujusmodi laudabili consuetudine, singulas
ballas, seu sarcinas revolvere, & minutatim perquirere.

Et nihilominus, in casu de quo agebatur, probatio vi-
debatur evidens ex combinatione librorum dohanæ, ac li-
brorum eorumdem mercatorum, ex quorum utraque spe-
cie perfecta probatio resultat; Ex libris enim dohanæ, seu 8
gabellæ, probari negativam, quod illa soluta non sit, fir-
mant Bart. *& cæteri in l. Titia Textores*, *ff. de legat.* 1. Mas-
chard. *d. conclus.* 834. *n. ult. & concl.* 976. *n.* 39. *&* o. Genua
de script. priv. lib. 4. *de libris gabellarii*, *nu.* 1. *cum seqq.*
Cyriac. *controv.* 512. *n.* 1. *&* 2.

Prout libros mercatorum probare contra ipsos scriben-
tes non dubitatur, ut in specie probandi transmissionem 9
mercium Rota Genuen. *dec.* 31. *n.* 7. & generaliter de li-
bro probante contra scribentem, Cavaler. *dec.* 626. Bu-
ratt. *& adden. dec.* 344. *dec.* 251. post Zachiam *de obliga-
tione Camerali*, *& passim alii*: Unde cum ex eorumdem
mercatorum libris constaret, ad eorum manus pervenisse,
ac in eorum fundachis contractas fuisse merces majoris 10
quantitatis, & qualitatis, quam in libris dohanæ, eorum-
que relationibus descriptæ sint; hinc satis clare probata
dicebatur fraudatio, ac minus fidelis relatio.

Judicatum tamen fuit contrarium, quod scilicet proba-
tio non esset perfecte concludens, ut adhuc effectum requi-
ri firmat in his terminis Cyriac. *d. controvers.* 512. stante
contraria possibilitate, quod scilicet illæ merces, quæ in
diversa quantitate, vel qualitate reperiuntur in libris mer-
catorum, & non sunt in libris dohanæ in eorumdem mer-
catorum relationibus & partitis, ad eos obvenire potue-
rint per manus aliorum mercatorum, vel correspondalium
in Urbe existentium, sub quorum nomine fuerint intro-
ductæ, ac per eos soluta dohana, cum sæpe soleant merca-
tores exteri habere in Urbe correspondalem, cui trasmit-
tunt merces in magna quantitate, per istum deinde pluri-
bus mercatoribus Urbis distribuendas, seu in propriis do-
mibus etiam privatim minutatim vendendas, Ac etiam
quia solent aliquando in ejusdem dohanæ repositorio, seu
magazeno vendi merces forensibus per transitum, pro
quibus nulla solvitur dohana, unde stant simul, quod
mercatores, qui merces modo supradicto vendunt, illas
in eorum libris adnotent, & tamen quod adnotatæ non
reperiantur in libris dohanæ.

Istud fundamentum dicebam considerabile ad effectum
commissi, seu pœnæ, ad quem effectum causa dicitur potius
criminalis quam civilis, unde rationabile videtur aliquam
magis concludentem probationem requiri, & quia procli-
viora sunt jura ad absolvendum a pœnis, & in his termi-
nis loquuntur, Cyriac. *d. controvers.* 512. & cæteri apud
eum; Sed ad effectum civilem solutionis gabellæ, seu do-
hanæ, quæ respicere videtur magis debitum in terminis
justitiæ commutativæ, quam pœnam, resolutio non pla-
cuit, stante dicta consuetudine sequendi eorumde mer-
cato-

catorum relationem, & fidem, absque eo, quod in singulis mercium petiis apponantur bulli doñanæ, quia sie nimis facilis, & lata induceretur via fraudibus, nullo modo convincibilibus, si sola allegatio dictæ possibilitaris absque alia probatione sufficeret; Ideoque dicebam saltem debere mercatores indicare, a quibus, seu per quorum manus dictas merces in Urbe jam introductas habuerint; Atque satis eorum fraus convincebatur, dum describendo in libris cum magna diligentia ipsarum mercium singulas quantitates, & qualitates, ac etiam minutias, non descripserunt modum, quo mediante ad eorum manus illa pervenerint.

Eo magis stante discretiva, in mercatorum libris contine-
10 ri solita, in mercibus per absentes transmissis, ab aliis, quæ præsentialiter in Urbe consignantur: In illis enim uti solent verbo, *mandatici*; in istis vero verbo *Consignatici*, quam consuetudinem isti mercatores ad reddendam impossibilem fraudis probationem omiserunt. Unde propterea fraudis præsumptio, & indicium resultat, omittendo facere id, quod cæteri mercatores communiter facere solent; Atque alias numquam verificabilis esset supradicta recepta conclusio, fraudatam scil. gabellam etiam præsumptionibus, indiciis, & conjecturis probari, cum impossibile sit a conjecturali, & præsumptiva probatione excludere contrariam possibilitatem, cujus sola allegatio, saltem absque aliquibus indiciis, vel vehementi fumo, nullo pacto admittenda videtur præcipue in judicio civili solutionis gabellæ: Ista enim in propositione retenta, esset impossibile servare dictam laudabilem consuetudinem, sed de necessitate oporteret, ea immutata, singulas bullas, seu sarcinas revolvere, quod eorumdem mercatorum, ac publici commercii notabile præjudicium contineret.

Igitur probationis perfectæ rigor est solum attendendus in judicio criminali, quando nempe agitur ad pœnam, & in
11 quibus terminis proprie loquuntur DD. non autem in judicio civili, quale esse illud, in quo agitur solum de solutione gabellæ, non autem de pœna, bene distinguendo habetur apud Capyc. Latr. *consult.* 18. *n.* 4. *&* 5. Unde saltem cogi debebant ad indicandas personas, a quibus merces in dohana sub eorum nomine non descriptas habuerint, ut ita Dohanerio consultum esse possit, perquirendo originarium illarum introductorem, & hæc quoad possibilem receptionem in Urbe, in qua totum erat fundamentum.

Alia vero excusatio possibilis venditionis a forensibus per transitum, nullius erat ponderis, quia in ejusdem dohanæ libris, ad formam capitulorum, hujusmodi merces, quæ extrahuntur per transitum, distincte adnotantur; Ideoque laudavi quidem resolutionem quoad absolutionem a pœna, & commisso; sed laudare non potui quoad absolutionem a debito gabellæ, absque aliquo saltem vehementi bonæ fidei fumo.

TERRACINEN. GABELLÆ CARNIS, PRO GABELLARIO, CUM PARTICULARIBUS.

Casus disputatus in Camera, incertus est exitus.

Disponente Statuto in Capitulo gabellæ carnis, illam solvendam non esse pro porcis, in propriis, & privatis domibus occidendis procorum usu; An exemptio suffragetur dominis porcorum, illos ex industria, & mercimonio vendentibus particularibus, qui in privatis domibus eos mactarent ad usum proprium.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *A gabella censentur excepta bona deservientia pro usu proprio.*
3 *Gabella carnis, vel aliorum victualium potius ab emptoribus ad minutum, quam a venditore solvi dicitur.*

D I S C. LXX.

1 Cum in statuto, seu capitulis gabellæ carnis loci Sezziæ, aliorumque locorum adjacentium disponatur carnes porcinas subjectas esse gabellæ, exceptis porcis non emptis in macello, qui per rusticos, vel alias personas in propriis domibus, & pro familiæ usu occiderentur, ad rationem unius porci pro qualibet familia; Hinc orta est controversia, an illud capitulum intelligeretur solum de illis porcis, quos rustici, vel alii in domibus, seu villis nutriunt. Vel etiam procedat in iis, qui per mercatores, vel alios ad industriam & mercimonium in notabili quantitate vendunt particularibus, qui in privatis domibus, & pro privato usu eos occidant, ac saliant.

Et pro gabellario scribens, dicebam intelligendum esse de 2
illis animalibus, quæ rustici, aliæque privatæ personæ, utpote parvorum locorum, in propriis domibus, seu villis nutriunt ad futurum totius anni usum; qui, cessante ita quacumque mercatura, regulariter ex juris dispositione exempti esse a gabellis ad text. *in l. universi C. de vectigalibus*, ubi Bald. Salicet. & cæteri Bertacch. *de gabellis secundo membro octave partis num.* 1. & habetur in his terminis gabellæ carnis actum in Ferrarien. *hoc eod. tit. disc.* 62. Data enim mercatura, quæ ex parte venditoris concurrit, semper cessat exemptio sive ex privilegio, sive ex juris dispositione competat. Ut de exemptione clericorum, qua nulla datur major, firmant DD. congesti per Carolum de Grassis *de effectib. clericatus effectu tertio n.* 176. Et de exemptione fisci habetur supra *in Spolet. gabella disc.* 44. Ponderando præsertim illa verba, *I porci non comprati al marcello*, quasi quod non de emptis, in quibus saltem ex parte venditoris adest industria, & mercatura, sed juxta morem educatis intellectum sit, stantibus etiam illis aliis verbis, *li contadini o altre persone*, principaliter enim habetur sermo de villicis, qui ut plurimum hujusmodi animalia ad proprium usum nutrire solent, & licet subjungantur verba generalia de aliis personis, intelligi videtur de similibus, cum regulariter verbum *alius* denotet similitudinem; Alias enim multæ fraudes committi possent, & quodammodo gabella eludi, nam ita per universum populum de uno in alium distribui posset caro porcina pro eo hyberno tempore, quo illius usus habetur, absque eo, quod macellum adeatur.

Ad veritatem tamen reflectendo, contrarium mihi proba- 3
bilius videbatur, prout juxta meam consuetudinem requirenti insinuabam, quia verus sensus capitulorum esse videtur, eximendi populum ab hujusmodi gabella, pro ea carne, quæ ad totius anni usum sale condi solet; illum solum gravando ad solvendum pro ea, quæ pro usu quotidiano emitur in frusta in macello, de qua discretive capitula loquuntur, cum assignatione unius porci pro qualibet familia; Ista etenim exemptio, habens aliquod fomentum rationis, ex qua etiam antiqui Pontifices in universum consimilem concesserunt exemptionem, licet postea revocatam per Constit. 14. Greg. XIII. ita remaneret inutilis, si per illos, qui hujusmodi porcos singulis familiis vendunt, gabella solvenda esset, cum deductis in præcedentibus, hujusmodi gabella, quamvis per gabellarium exigatur a venditore in ipso actu vendendi, in effectu tamen solvatur ab emptoribus, carnis usum habentibus, quam ita cariori pretio emunt, itaut venditor de soluta gabella se reintegret, nam alias absque illius onere tanto minus fuisset venditurus.

Considerando potissime, quod capitula unum solum casum excipiunt emptionis a macello ob multas fraudes, quæ sub hoc prætextu per macellarium committi possent, unde intrat vulgata propositio, quo unius casus exceptio firmat regulam generalem in contrarium in casibus non exceptuatis, ad text. *in l. nam quod aliquid de ff. de pœna legata cum concordantibus dec.* 24. *n.* 1. *& seq. p.* 6. *rec.* Barbos. *axiom.* 85. *n.* 4. ideoque dixi me habere aliquam difficultatem contra gabellarium, quem proinde amplius non vidi, vel quia acquieverit, vel quia se concordaverit, vel quod alium adierit ex genere professorum ob turpe lucrum auribus prurientium, atque ut vulgo dici solet non expellentium pipiones a columbaria; Unde propterea ignotus est eventus controversiæ pendentis in Camera in gradu appellationis a sententia, quæ in prima instantia coram Thesaurario ad gabellarii favorem emanaverat.

ROMANA APPALTUS GABELLÆ CARNIS, PRO FRANCISCO RAVENNA, CUM CAMERA CAPITOLII, SEU POPULI ROMANI.

Casus disputatus in Congregatione particulari, & resolutus pro Camera.

An appaltator gabellæ exigens in excessu, non ex nova introductione, sed ex præterita observantia, teneatur ad restitutionem indebite, & excessive exacti, necne; Et quatenus teneatur, cui d. restitutio facienda sit.

Et an, & quale defalcum competat Appaltatori gabellæ pro immutatione consueti status.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De quæstionibus disputatis.*
4 *Gabellarius exigens gabellam in excessu, tenetur ad restitutionem, & potest puniri.*
5 *Neque consuetudo excusat.*
6 *Conventio derogat contrariæ consuetudini.*
7 *Quod in materia gabellarum deferendum sit consuetudini.*
8 *Appaltus censetur factus juxta solitum.*
9 *Declaratur conclusio, de qua n. 5.*
10 *De ratione, ob quam in Appaltibus attendendum est solitum, ac satis defertur consuetudini.*
11 *Excusatur excessus, & quod potius exactio sit diminuta ejus, quod rigorose exigi potuit.*
12 *De origine hujus gabellæ, & quomodo imposita sit.*
13 *Gabella imposita pro quolibet animali, vel bestia quomodo intelligenda sit.*
14 *Quomodo debeatur decima imposita super certo numero animalium, si ille numerus sit minor.*
15 *De absurdo resultante, si gabella exigeretur solum habita ratione duarum specierum.*
16 *Quibus competat actio repetendi a gabellario gabellam excessive exactam.*
17 *Qualis actio competat Domino gabellæ contra Appaltatorem in excessu eam exigentem.*
18 *Publicani an sint administratores fisci, vel potius usufructuarii, & cessionarii.*
19 *Si Princeps exigit indebitum incertum ratione personarum, quibus facienda est restitutio.*
20 *An, & quando ex innovatione, seu alteratione status rerum competat Appaltatori defalcum, vel alia actio.*

D I S C. LXXI.

1 Imposita retroacto sæculo, in Urbe gabella carnis ad rationem ponderis, tot scilicet quadrantium pro qualibet libra cum pene impossibile esset singula animalia ponderare, hinc proinde ad dictæ gabellæ exactionem regulandam, facta verisimili valutatione ponderis, ac peræquatione majorum, vel minorum animalium ejusdem generis, ab initio statuta fuit quædam tariffa præscribens certam taxam pro quolibet genere, seu specie animalium, præsertim vero in genere porcorum statutæ fuerunt duæ species, una quæ dicitur *porci*, idest animalis grossi in julius 17. & altera *porcastri*, in medietate. Quia vero explicatum non fuit, qualis dicendus esset porcus, & qualis porcaster, unde continuæ controversiæ, & dissensiones inter gabellarium, & venditores animalium antiquitus oriebantur super iis animalibus, quæ medium quid inter unam, & alteram speciem constituebant, dum gabellarius prætendebat venire debere sub nomine porci, venditores autem sub nomine porcastri; Ac etiam super illis parvis, quibus habita ratione ponderis, neque congrua erat summa taxata pro porcastro; Idcirco pariter ab antiquo, & prope ipsam impositionem, ad hujusmodi controversias dirimendas, observantia introduxit divisionem quatuor specierum, nempe *porci*, *porcastri*, *& trium quartorum*, circa ea, quæ incertum erat, an de majoris, vel minoris specie participarent, constituendo quid medium, seu tertiam speciem, ac etiam *medii porcastri* circa animalia parva, cum declaratione facienda per peritum ab eodem populo deputatum, sub qua ex dictis speciebus animalia, quæ venduntur, respective veniant.

Rebus in hoc statu existentibus, Franciscus Ravenna in Urbe negotiator, hujus gabellæ appaltum suscepit, cum hac distinctione illam exigendo ad plures annos, usque ad 1645. in quo, macellatiis, & Norcinis conquerentibus de hujusmodi exactione contra formam tariffæ, duas tantum species præscribentis, prodiit ex determinatione cujusdam Congregationis edictum Præsidis grasciæ, quod nonnisi in dictis duabus speciebus exactio fieret, declarando, porcastrum esse illum, qui excederet libras 100. porcum vero, qui excederet 200.

Terminato appaltu, cum Ravenna exhibuisset ejus computa ad effectum, illa cum Cameræ Capitolii, seu Populi Romani locatrice, juxta solitum solidandi, plures in eis deduxit partitas defalcandas, sive bonificandas, inter quas fuit una refectionis damnorum, quæ facta peræquatione cum annis præcedentibus, compertum fuerat, causata esse per dictam innovationem a quatuor ad duas species porcorum, ut supra; E converso autem procurator ejusdem Cameræ, nedum prætendebat ex hujusmodi causa nullum defalcum deberi, sed potius eumdem condemnandum esse ad restituendum id, quod sub nomine dictarum aliarum specierum, extra tariffam, in annis præcedentibus exegerat.

Et deputata desuper particulari Congregatione aliquorum Prælatorum, sub die 23. Octobris 1659. prodiit resolutio in omnibus, Cameræ favorabilis, non solum rejiciendo dictam Appaltatoris prætensionem circa defalcum, sed eum condemnando ad restitutionem dicti excessus valutati in scut. circiter 20. mill. ex quibus, detractis aliquibus partitis, in quibus idem Appaltator ex aliis causis erat Cameræ creditor, executive, & manu regia, denegata appellatione, etiam ad devolutivum, coactus fuit solvere summam scut. 17. circiter erogatam, ut dicebatur, in quosdam usus publici ornatus. 2

In pluribus igitur disputationibus habitis in d. Congregatione, a qua ad instar Rotæ decisio, seu votum, docte quidem, & elaborate editum fuit, ultra concernentia plures alias partitas, nullam, vel modicam juris inspectionem habentes, sed totam facti; Quoad ea, quæ juris sunt, de quibus disputatum fuit. Primo, an Appaltator posito etiam excessu in exactione gabellæ ob duas alias species in tariffa non contentas ut supra, teneri deberet ad restitutionem exacti, vel potius esset excusandus. Secundo, posito quod locus esset restitutioni, cuinam illa facienda esset; seu cui competeret actio repetendi hujusmodi indebitum. Et tertio, posito e converso, quod Appaltator licite d. exactionem facere potuerit; An ob immutationem soliti status, sibi competeret defalcum, vel alia actio, & quæ. 3

Quoad primum, super qua major, ac pene tota fuit disputatio, scribentes pro Camera dicebant, prout in dicto voto deducitur, casum esse expresse determinatum per text. *in l. locatio alias licitatio 9. §. quod illicite ff. de publicanis, & l. 3. Cod. vectigalia nova &c.* per quæ jura deciditur, publicanum exigentem gabellam in excessu, & ultra modum, teneri ad restitutionem; Quinimo, & puniri posse disponit text. *in l. 4. Cod. eod. tit. Vectigalia nova &c.* Bajard. ad Clar. §. *furtum n. 9.* Galeot. *respons. fiscal.* 10. *n.* 17. *cum seq.* 4

Nil obstante consuetudine, seu justa credulitate, quoniam ista tamquam contra legem, censenda est potius corruptela, frequenter, & de facili per hujusmodi publicanos, & appaltatores induci solita, ideoque ubi etiam, non per ipsosmet, sed per prædecessores introducta esset, id operari posset excusationem a delicto, & pœna, non autem a restitutione exacti, Franch. Marc. *dec.* 421. Facchin. *cons.* 61. *lib.* 2. Guttier. *de gabell. q.* 3. *n.* 14. apud quos cæteri. Ponderando etiam deducta per Larream *alleg.* 10. *n.* 21. *in fine*, ubi quod observantia nihil prodest, si ex veritate nulli appareat aliquid in gabella non fuisse concessum, Corneus *cons.* 181. *lib.* 3. ubi etiam si dicatur *a patti vecchi, e modi usitati*, quia intelligitur de licitis, non de illicitis. 5

Quæ fortius procedere dicebatur, stante quod in ipso instrumento appaltus inserta fuerat tariffa, juxta quam dictum fuit gabellam esse exigendam, ita enim ex pacto, & conventione, sublata quacumque retroacta observantia, præscripta fuit lex dictæ consuetudinis abrogativa. Atque istud motivum forte fuit causa potissima resolutionis, ita respondendo iis, quæ ex parte Appaltatoris deducebantur circa observantiam, ut infra. 6

His tamen non obstantibus, reflectendo etiam ad veritatem, contrarium mihi probabilius videbatur, unde propterea resolutioni intellectus non acquievit; Eoque magis in hoc sensu me confirmavi, postquam ad breve tempus, etiam sub eodem Pontificatu agnita fuit illa veritas, quam idem Appaltator, dum hæc disputabantur, exaggerabat, erroneam scil. irrationabilem fuisse dictam innovativam determinationem factam de anno 1645. quodque oportebat regredi ad priorem observantiam quatuor specierum, prout sequutum fuit, & de facto servatur.

Pro excusando siquidem gabellario, Ego, & cæteri pro eo scribentes dicebamus, omnino sufficere debere dictam retroactam observantiam, dum illa non erat per ipsum inducta, sed talis fuerat apud plures prædecessores appaltatores; quinimo & apud ipsosmet Populi, & Cameræ ministros, quando gabella fuit in administratione, idque ab antiquo, & continuato tempore, saltem certitudinaliter,

totius

totius sæculi currentis; Et quod magis est, publice & palam, nedum approbante ejusdem populi ministro, qui tanquam peritus deputari consuevit pro dijudicandis dictis quatuor respective speciebus, sed etiam præsentibus Præside, aliisque grasciæ officialibus, qui in quolibet mercato intervenire solent.

7 Ideoque deferendum est consuetudini, quæ in ista præsertim gabellarum & vectigalium materia est magis peculiaris, eique potissimum deferendum est ad text. *in l. finali dict. tit. C. vectigalia nova*, ibi, *& probatum fuerit ultra antiquam consuetudinem, &c.* & text. *in l. si publicanus, §. finali. ff. de publican.* ibi. *In omnibus vectigalibus fere consuetudo spectari solet*, in terminis solutionis gabellæ, Jas. *cons.* 20. *n.* 14. *lib.* 1. Menoch. *cons.* 189. *n.* 20. Marcabrun. *cons.* 9. *n.* 18. Bertazzoll. *cons. crim.* 479. *n.* 12. Surd. *cons.* 470. *n.* 15. Et quod appaltus censeatur factus juxta solitum, Ruin. *cons.* 74. *num.* 1. *lib.* 1. Silvan. *cons.* 35. *n.* 2. Bursatt. 8 *cons.* 190. *n.* 26. *&* 37. Cavaler. *dec.* 60. *n.* 4. & cæteri communiter; Quibus non adversantur Franch. March. Gutie- 9 res, & cæteri ut supra in contrarium deducti, utpote loquentes de consuetudine illicita, moderno tempore per ipsum gabellarium, vel aliquem prædecessorem clandestine, & præter voluntatem Domini gabellæ introductam, cui proinde nomen abusus, & corruptelæ congruat. Secus autem ubi agitur de consuetudine antiqua, ab ipso initio imposita gabellæ per tot prædecessores, publice, & palam observata, scientibus, & videntibus officialibus; & quod magis, observata ab eadem Camera locatrice, ejusque Officialibus, & ministris in illis intermediis spatiis, in quibus quandoque inter unum appaltum, & alterum, gabella stetit in administratione.

Tunc enim, non solum urget ratio justæ credulitatis, ac bonæ fidei, regulariter excusantis a restitutione ejus, quod etiam de bonis non suis perceptum, & consumptum est ex collectis *decis.* 3. *par.* 7. *rec.* & passim. Sed etiam urget alia major ratio deficientis voluntatis Appaltatoris, alias non suscepturi appaltum pro tanta pensione. Quando enim 10 conductores, seu appaltatores hujusmodi appaltus suscipiunt, respiciunt ad illum statum, in quo tunc res existunt, atque correspective ad ea emolumenta, quæ tunc exigi solent, & quantum tempore proxime præcedenti fructuare consuevit, regulant oblationes, quas cum eadem regula acceptat locator, non habendo oculos tam retro, indagando scilicet originem gabellæ, seu juris apices, ut communis observantia docet, & advertunt Silvan. Surd. Ruin. & cæteri ubi supra; Ad quod conferunt ea, quæ habentur *hoc eod. tit.* in Romana appaltus lignorum, *disc.* 81. ac etiam in altero de locato, in Romana officii Notarii Reipæ super diminutione emolumentorum officii de mandato Superiorum, ex eo quod ex mala introductione ita exigerentur *ad consil.* Craveti. 95. *cum similib.* & conferunt deducta per Anchar. *consil.* 402. de Appaltatore vectigalium Pistorii, de tempore, quo Papa, ejusque Curia ibi residebat, quod scilicet attendatur ille status, & quanti tunc res in appaltum suscepta fructuare soleat.

11 Præterea pro meo judicio omnis difficultas cessare videbatur, quoniam neque versabamur in casu excessus, seu indebiti, ex sola consuetudine, & observantia excusandi, in quibus terminis præmissa locum sibi vendicant; Sed potius dici posse observabam versari in casu, quo gabellarius ita aliquam benevolentiam, & majorem æquitatem, per quamdam transactionis speciem, cum populo exercuerit, exigendo minus eo, quod rigorose, & ad formam tariffæ exigere potuisset; Cum enim per eamdem tariffam determinatum non esset, qualis esset porcus, & qualis porcaster, Hinc propterea, quoties agebatur de illo medio statu inter unam speciem, & alteram, itaut incertum esset, de qua potius participaret, prætendere potuisset integram gabellam tanquam pro porco, ita venditores, & populum magis gravando; Prout quando agebatur de parvis, juste pro illis ad literalem sensum tariffæ, integram porcastri gabellam exigere potuisset, unde propterea exigendo primo casu tres quartos, dicebam non videri cur judicandum esset, quod gabellarius exegisset in excessu unum quartum, & non potius, quod ita remisisset de integro, quod rigorose exigere poterat; Idemque respective quoad remissionem medietatis gabellæ, quam etiam pro parvis animalibus, tamquam pro porcastris exigere potuisset, ita dimidiatam exigendo.

Verius siquidem videbatur, hanc fuisse speciem transactionis, ita dirimentis dictam incertitudinem, & continuas controversias inter gabellarium, & populum; ideoque non fuit contravenire tariffæ, sed eam melius interpretari, sed cum hoc temperamento componere casus ab ea omissos, & in controversia cadentes. Atque ita satis de facili cessabat dictum motivum, quod forte fuit potissima causa resolutionis, quod scilicet per insertionem dictæ tariffæ in instrumento cum conventione super illius observantia, recessum esset a præterita consuetudine, dum hæc ita non remanet contraria, sed potius compatibilis cum eadem tariffa, potissime quia etiam in præcedentibus appaltibus, idem servatum fuit circa dictam insertionem tariffæ, & tamen hoc non obstante, continuatum est cum d. consuetudine.

Clarius vero, ac extra difficultatem, dum ita exigebat 12 subjecta materia, unde propterea, rationabiliter, & pernecesse, moderando dictam innovationem, utpote irrationabilem, tunc dicebatur, ita etiam in futurum continuari debere, prout eventus ad breve tempus docuit, ut supra; Siquidem hujusmodi gabella in sui origine ex Constitutionibus 31. & 34. Julii III. & ex Constitutione 14. Gregorii XIII. ac etiam ex novis augmentis impositis sub Urb. VIII. imposita non est animalibus viventibus, & per eorum capita, juxta casum, quem Bart. & cæteri nostri majores exemplificare solent in animalibus venientibus ab Apulia, & transeuntibus per pontem Perusii, cum similibus; Sed imposita est in ratione ponderis, & pro qualibet libra carnis distributive, & sic est potius gabella personalis imposita populo, a quo ita magis insensibiliter, & promptius exigitur occasione usus hujus necessarii victualis, ut in proposito salis, & gabellæ macinatus, vel vini, ac etiam carnis habetur in aliis *hoc eodem tit.* frequenter; Ideoque exactio facienda est distributive ad ratam ponderis: atque tariffa, quamvis de integro animali loquatur, intelligenda est, non physice, & ad litteram, sed moraliter juxta debitam proportionem, attendendo magis rei substantiam, seu effectum, quam formulam, seu figuram verborum ex deductis per Ferrettum *de gabellis n.* 414. & alios apud Surd. *cons.* 297. *n.* 9. *cum seq.* ubi habetur, quod dictante statuto, ut pro qualibet bestia, quæ venditur, solvi debeant decem pro gabella, in sensu litterali verborum non deberet solvi, nisi pro animali vivente, & non mansuem, cui hoc nomen *bestia* convenit, & tamen si per macellarium, vel alium, etiam animal mansuetum 13 venderetur in partes, & per frusta, eadem gabella debetur pro rata ponderis, & ad proportionem. Quod etiam in simili probari dicebamus, Ego, & cæteri scribentes per gloss. *in c.* 1. *de decimis cum concord.* per Roman. *cons.* 434. *n.* 2. 3. Franch. *dec.* a 28. *n.* 3. quod si pro singulis centum ovibus certa quota, vel quantitas solvenda est, ille qui non habet centum oves, sed viginti, vel triginta, adhuc solvere debeat pro- 14 portionabiliter, & pro rata, cum similibus; Quod docet etiam observantia ejusdem gabellæ, quando ab extra introducitur in Urbem caro porcina in frusta, etiam in modica quantitate, quoniam exigitur gabella ad rationem unius quadrantium pro libra, non distinguendo an esset porcus, vel porcaster, ergo attendenda non est littera tariffæ in solis speciebus, de quibus loquitur, sed proportio ponderis.

Alio etiam claro inconvenienti resultante a d. litterali in- 15 telligentia tariffæ, & a moderna innovatione, ut supra facta de anno 1645. cum declaratione, quod porcaster dici non posset, nisi qui excederet libras 100. & porcus nisi excedens 200. quibus ponderibus respective respondet integra, vel media gabella; Quoniam ita, quando porcus est parvus librarum 80. vel 90. nulla exigeretur gabella, & quando est status medii, ita ut excedat 100. sed non ascendat ad 200. sed sit 180. vel 190. &c. totum id quod excedit 100. remaneret sine gabella, contra omnem rationem, ac etiam contra voluntatem Summorum Pontificum impositorum, quoniam cum antiquitus concessa esset immunitas pro 50. libris hujus carnis porcinæ pro qualibet familia in toto anno, adhuc ista franchitia sub Gregorio XIII. revocata fuit, ideoque ita in dies major pars carnis venderetur sine gabella, pro illa rata excedente, ut clare ad sensum.

Et quod magis, id non redundat in Beneficium, & levamen populi, sed macellariorum, quoniam populus, pariformiter & indefinite solvit carnem consueto pretio per gabellam alterato; Ideoque ex dictis fundamentis, quibus votum editum non videtur satisfacere, etiam post sopitam causam, & refrigeratum defensionis calorem, seu cessatam ejusdem causæ affectionem, intellectus dictæ determinationi acquiescere non potuit, potissime dum, ut dictum est, ad breve tempus habitus fuit regressus ad antiquum statum, juxta præfatam observantiam, utpote rationabilem, quinimo necessariam.

Hinc proinde opus non videbatur assumere dictam se-
16 cundam inspectionem, cui scilicet competeret actio repetendi hoc indebitum, dum illud non aderat; Sed quatenus ex præsupposito, de hoc agendum esset, dicebam illam non competere ipsi Cameræ locatrici, in hoc nullatenus damnificatæ, sed, vel macellariis, & Norcinis, vel populo, a quo indebita, vel excessiva gabella exacta fuit per text. *in l. locatio, §. quod illicite, ff. de public. & in l. unica, C. de super exaction. l.* 10. ubi quod hæc actio competit damnificatis, non autem ei qui nullum damnum sensit; Tunc enim domino, seu locatori gabellarum ob indebitam, & excessivam
17 illarum exactionem actio competit, quando ipse ita remaneret damnificatus in futurum, quia nempe ob extorsiones gabellarii, mercatores, & negotiantes deviati fuerint, Bertachin. *par. 4. q.* 18. *n.*15. Franc. March. *d. dec.* 421. *in fin.* & tunc non actione repetitionis indebiti, sed potius refectio-
18 nis damnorum, & interesse; Cum de reliquo, publicani, & appaltatores gabellarum considerantur tanquam usufructuarii illius temporis, quo appaltus durat, seu tanquam cessionarii commoditatis, & administratores, vel procuratores in rem propriam, ut bene Dec. *cons.* 4. *n.* 2. quem cæteri sequuntur; Unde propterea non dato damno, vel supplantatione in futurum, nulla ipsi locatori, seu domino actio competere videtur, sed solum damnificatis, a quibus excessiva, seu alias indebita exactio facta est.

Verum quia incerti omnino sunt illi, a quibus hæc exactio facta est, atque pene impossibilis est praxis reficiendi
19 singulos damnificatos; Idcirco posito excessu, bene potuit Princeps ratione hujusmodi incertitudinis, & tanquam res, quæ dici potest nullius, vel sibi, suoque fisco applicare, vel aliis publicis usibus, ut habetur in Barchinon. *hoc eod. tit. disc.* 58. de illa franchitia, quæ in magnis Civitatibus reficitur pro Ecclesiasticis vagis, & incertis, unde in hoc, parum, vel nihil ego immorabar, quamvis meus Collega nimium desuper laborasset, quoniam nil intererat Appaltatoris hujusmodi indebitam restituere debentis, an uni, vel alteri pecuniam per ipsum solvenda applicanda esset, sed punctus erat in deficiente indebito, ejusque actione, cuicumque illa competeret.

Demum quoad tertiam inspectionem, petitæ scilicet bonificationis damnorum a dicta innovatione resultantium, & quæ petitio fuit causa hujus damni, dicebam initio, & in prima disputatione super hujusmodi computorum solidatione habita, casum esse planum pro Appaltatore, quoniam ex supra deductis, appaltus censetur susceptus juxta solitum, & in eo statu, in quo tunc res existunt. Unde propterea quælibet innovatio voluntaria proveniens ex facto ipsius locatoris, vel ejus officialium, & ministrorum, seu
20 eorum quos prohibere potest, producit in Appaltatore actionem refectionis damni exinde resultantis, quale quale sit, quinimo etiam lucri amissi, juxta magistralem distinctionem Bart. *in quæst. 4. incipien. publicanus, vers. solutio, n.* 3. *& in l. si uno, §. cum quidam. n. 2. ff. locati*, bene Socc. in terminis appaltus salium cum Camera, *cons.* 156. *n.* 4. *l.* 2. Marcian. *cons. 7. n. 3. & seqq. lib.* 2. in puncto appaltatoris gabellæ carnis, Eugen. *cons.* 50. *lib.* 1. Ann. *alleg.* 21. & habetur in Fulginat. Salis, *disc.* 107. & in aliis *hoc tit.* frequenter, quoniam nedum innovatio, sed etiam rumor in his materiis attenditur, ut apud Ann. & Eugen. *ubi sup.* Et in specie alterius appaltus Cameræ, seu Populi Romani habetur in Romana appaltus coram Justo, *decis.* 285. apud Pacif. de Salviano.

Et quamvis per scribentes pro Camera, satis insisteretur in eo, quod præmissa procederent, ubi innovatio provenit ex facto omnino voluntario locatoris, non autem ubi ex justa causa, & ad corrigendos abusus, se ob alia accidentia superventa, & fortius ubi, non ab ipso locatore directe, & immediate, sed ab aliis Superioribus, quos prohibere non potest, ut in præsenti contingebat; Attamen responsio mihi placebat in ordine ad evitandam refectionem damni, consistentis etiam in amissione lucri, juxta dictam decisionem 285. post Pacif. secus autem in ordine ad remissionem pensionis, nam aliud est una actio tanquam ad damna, & interesse, aliud est altera amissionis pensionis, tanquam exceptio ob patientiam non præstitam, sive ob deficientem rem conductam, ac cessantem voluntatem conducendi pro tanta pensione conventa, rebus in eo statu permanentibus, juxta dictum casum positum per Anchar. conductoris gabellarum Pistorii, quando Curia ibi residebat, sed super hoc puncto disputatio ulteriorem progressum non habuit, dum tota fuit super dicto judicio reconventionis pro restitutione excessive exacti, ut supra.

ANNOT. AD DISC. LXXI.

SUper casu contento in isto discursu, (& quæ ulteriorem prosequutionem non habuit) habetur votum impressum inter decisiones Rotæ, *par.* 12. *recent. decis.* 414. Ideoque combinando rationes hinc inde deductas, judicium efformari poterit, cuinam justitia assistat.

ROMANA GABELLÆ EQUORUM, SEU PLANI, PRO DISTRICTUALIBUS URBIS, CUM GABELLARIIS.

Casus decisus per Cameram pro Districtualibus.

De gabella equorum alias plani: An possit exigi in toto districtu Urbis. Et de dicto districtu antiquo, & moderno; quantum se extendat respective; Et de plano Urbis quid significet.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversia.*
2 *Districtus antiquus Urbis quantum se extenderet, & n.* 8.
3 *In dubio contra gabellam.*
4 *Observantiæ deferendum est in materia gabellarum, & de differentia inter observantiam pro gabella, vel pro libertate.*
5 *De differentia inter observantiam præscriptivam, & interpretativam.*
6 *Observantia proxima est attendenda, non remota.*
7 *Planum Urbis quid significet.*
8 *De eadem materia districtus, de qua n.* 2.
9 *De differentia salis, & focatici.*
10 *Quod districtus sit quid minus, quam ager Romanus, seu planum.*

DISC. LXVII.

AB antiquo exigi consuevit in Urbe pro contrectatio- 1
nibus equorum quædam gabella, de cujus originaria impositione non constat, sed prima ejus notitia habetur ex quadam Constitutione Innoc. VIII. impress. in Bullario antiquo Sixti V. *constit.* 9. ubi quando fit taxa contributionis præstandæ scriptoribus archivii, taxatur *gabellarius plani, seu equorum*. Deinde vero Julius II. de anno 1507. istam gabellam concessit Collegio scriptorum prædictorum, eamque nuncupavit *gabellam plani Urbis*, eodemque vocabulo usus est Leo X. qui anno 1538. eamdem concessionem confirmavit; Mox Pius V. hujusmodi concessiones revocando, dictam, & alias gabellas, vel jura Cameralia, Cameræ restituit; Sed deinde de anno 1570. recepta a dicto Collegio quadam pecuniarum summa, ad illud omnia reintegravit, mandando insuper gabellam prædictam, per omnes quantumvis exemptos debere solvi, atque in constitutione, seu motu proprio desuper edito, illam enunciavit *gabellam urbis, ejusque districtus, & plani*; Cumque in postmodum sequuta nova Statutorum reformatione sub Gregor. XIII. sublatis antiquis differentiis, & dubietatibus, ac distinctione salis, & focatici, firmatum esset Urbis districtum protrahi ad 40. milliaria circumcirca; Hinc ab aliquo moderno tempore, anno scilicet 1631. circiter, gabellarii ex illo verbo *districtu* in dicto Pii V. motu proprio contento, cœperunt ab aliquibus districtualibus gabellam hujusmodi exigere, sed pro majori parte locorum in districtu existentium exacta non fuit; Verum ab anno 1655. d. gabellarii magis eorum fimbrias dilatare cœperunt, unde propterea introducta ad instantiam districtualium causa coram Camerario, ab isto sententia eis favorabilis pro libertate prodiit; Introductaque per appellationem causa in Camera, habitoque juxta laudabilem Curiæ morem, Advocatorum, & Patronorum congressu pro causæ directione, ejus meritis examinandis.

Plerique satis de hujus partis justitia dubitabant, stante
quod constitutio, seu motus proprius Pii V. explicite agit 2
de districtu, qui se extendit ad 40. milliaria, non solum ex novis reformationibus editis sub Gregor. XIII. & sic post Pium, sed etiam antea, cum idem firmatum fuerit antiquiori tempore per Rotam coram Puteo *inter suas dec.* 24. *lib.* 3.

Diversa erat mea sententia, ut scilicet, exceptis locis in
quibus ab antiquo talis gabella exigi consuevit, non posset 3
in alia prætendi; Odibiles enim in jure sunt gabellæ, tanquam servitutes, & onera, non extendendæ de casu ad casum, vel de loco ad locum, sed potius restringendæ, ita-

ut

ut sufficiat rem non esse omnino claram, ut in dubio contra eas veniat respondendum, Batt. *in l. si pupillus, ff. ad l. falcid.* Beccius *cons. 96. n. 5. & fin.* Surd. *cons. 307. num. fin.* Cyriac. *controv. 297. n. penult. & fin.* Rota *decis. 118. p. 11. recent. in fin.* Clarius vero ubi casus est dubius in verbis gabellam inducentibus, vel probantibus, atque intellectui, qui pro libertate facit, assistit observantia, quæ si in omni materia est optima interpres, ac interpretationum Regina, magis in ista materia gabellarum, & vectigalium, in qua majorem, ac peculiarem habet operationem, & totum facit, ut satis frequenter *hoc eod. tit.* potissime ubi observantia est pro libertate.

Magna enim differentia est inter unam, & alteram observantiam, quia cum publicani, qui in Evangelio inter peccatores, & malos homines reputantur, soleant esse proclives ad extorsiones, atque ad ampliandas exactiones eis faciles, utpote manum Regiam, & jurisdictionem habentes, idcirco non de facili solent negligere id, quod eis jure competit; E converso autem populus, præsertim minutus, & rusticus, cum quo frequentius hujusmodi exactiones contingunt, perhorrescens, non solum pœnam commissi, sed istorum gabellariorum nimias asperitates, non de facili sibi usurpat possessionem libertatis, quæ diu continuare posset, quia cum hujusmodi gabellæ soleant singulis annis, vel aliis statutis temporibus concedi in appaltum, si unus appaltator negligit, non negligit alter, & sic magna differentia est inter unam, & alteram observantiæ speciem.

Adeoque in hac materia defertur observantiæ, quod etiam ubi gabella clare deberetur, adhuc tamen per tricenna-
5 lem observantiam inducitur præscriptio exemptionis, & libertatis, Eugen. *cons. lib. 1.* & cæteri communiter, ut sæpius in aliis *hoc eod. tit.* Multo igitur magis ei deferendum est pro interpretatione casus dubii, ad quem effectum, certum ac determinatum temporis spatium, aliaque præscriptionis requisita non desiderantur, sed sufficit ita aliquando servatum fuisse, cum ista sit nimium vulgata, & recepta distinctio inter observantiam interpretativam, & præscriptivam, Barbos. *in l. post dotem, n. 47. & seqq. ff. solut. matr. decis. 319. & 351. part. 6. recent. & passim.*

Et licet per dubitantes responderetur hoc observantiæ argumentum posse retorqueri, cum a moderno tempore in aliquibus locis districtus illa regnare videatur, unde inferebatur ad universum, ex regula causæ universalis, in qua ex possessione respectu aliquorum actuum, locorum, vel personarum, infertur ad omnes, ex deductis in Toler. jurisd. *sub tit. de jurisd. disc. 1.* Replicabam tamen, quod ubi observantia dici non potest præscriptiva, & novi juris inductiva, sed attendenda est tanquam interpretativa, tunc non attenditur moderna, sed remota spectari debet, utpo-
6 te proxima dictæ constitutioni Pii V. ex qua ob mentionem districtus prætenditur quædam ampliatio ad illum, ut de attendenda observantia tunc proxima, non autem moderna, utpote remota, Otthob. *decis. 26. n. 14. & 15.*

Quod autem ex prænarratis Constitutionibus etiam ultima Pii V. vel nulla per districtuales gabella deberetur, vel saltem esset satis dubium; Pro clariori veritatis notitia, duas constituebam inspectiones, unam spectato antiquo Statuto ante dictam Pii Constitutionem, vel motum proprium, alteram isto attento; Quatenus ad primam spectat, Constitutiones Innoc. VIII. Julii II. & Leonis X. ex quibus præsuppositive deducitur istius gabellæ antiquus usus, loquuntur solum *de plano Urbis*, sub quo vocabulo dicebam absque dubio, *districtum* non contineri, quoniam, *planum* aliud non significat, nisi planitiem, ubi non sint montes, ac loca elevata, ut per Calepin. *verbo planum, & verb. planities*; ideoque convenire non potest universo districtui, in cujus plerisque partibus, etiam asperi montes de apennini partibus reperiuntur.

Quodque planum sit quid diversum a districtu, atque non capiat nisi agrum Romanum, ex oculari inspectione in planitie existentem a montium, seu collium radicibus usque ad mare, justificari observabam, non solum ex assertionibus multorum, peritiam in arte agraria habentium, dicentium sub nomine plani, semper de hac parte, ex majorum traditionibus, fuisse intellectum, sed etiam ex ipsamet Constitutione Pii, in qua planum, & districtus ponuntur tanquam diversa, ut infra in alia inspectione; atque cum plures adhibuissem diligentias cum pluribus viris eruditis grammaticæ, seu eruditionis professoribus, omniumque verborum, & vocabulorum diligentissimis indagatoribus, adhuc invenire non licuit, unde hoc vocabulum pla-

ni originem traxerit, & quid præcise significet, cum in jure illud ignotum videatur.

Quo vero ad aliam inspectionem derivantem ex dicta
ultima Constitutione Pii V. in quo totum erat gabellarii, 7
seu Collegii sibi adhærentis fundamentum, difficultas erat in illo verbo *districtus*, quo eadem Constitutio utitur, dum ex allegata *decis. 24.* Putei *lib. 3.* liquet etiam ante novas reformationes statutorum, illud protrahi ad 40. milliaria, unde inferebatur, in hoc per dictas novas reformationes nil de novo inductum esse.

Pro congrua igitur hujus termini, seu vocabuli intelli-
gentia, dicebam advertendum esse, illud non esse vocabu- 8
lum univocum, sed æquivocum, quod etiam agro Romano, quantum se protendit ejus ambitus decem milliarium circumcirca, convenire potest, dum eodem termino utuntur Constitutiones Apostolicæ istum solum recinctum explicantes, ut præsertim liquet ex constitutione 18. Pauli V. §. 2. 3. 4. & 5. ubi eximendo a spoliis morientes in Urbe, ejusque recinctu per decem milliaria, sæpius utitur hoc termino *districtus*, tanquam dicti agri, seu recincti significativo; Igitur non est verbum univocum concludens pernecesse districtum comitativum, seu jurisdictionalem.

Præterea districtus jurisdictionalis Urbis de jure est 100. milliarium, Bald. *in l. 1.* per illum text. *ff. de officio Præfecti Urbis*, Fenz. *ad Stat. 197. n. 95.* & habetur latius deductum in Urbinaten. Juris Metropolitici *sub tit. de præem. disc. 1.* ubi quod hæc est Provincia Papæ, non tanquam Papæ, & Episcopi Ecclesiæ universalis, sed tanquam Episcopi Urbis (quidquid aonimi geographi somniaverint circa hæc loca suburbicaria, quibus Alexander, & cæteri bene responderunt,) ac etiam habetur in Romana Canonicatus pro Cardinali Ursino *sub tit. de beneficiis.*

Quia vero ob incursiones barbarorum, omnium rerum ordo præsertim in Italia perversus est, atque dominia juxta contingentes usurpationes distinguebantur, ut etiam infra mediocritatem versatis in historiis est valde notum; Idcirco istius districtus quasi memoria perierat, solumque Populus Romanus, qui ob Papæ absentiam ab Urbe, & Italia, quando sedes in Civitate Avenionensi fuit, quandam rudem, ac paucam imaginem antiqui dominii, & jurisdictionis de facto sibi assumpserat, exercebat ejus potestatem in quibusdam locis suburbicariis, cum distributione salis, & exactione cujusdam vectigalis, quod nuncupabatur *focaticum*. Undepropterea dicti loci dicebantur de ipsius populi
ac Urbis comitatu, & districtu, ut liquet ex Statutis anti- 9
quis *lib. 3. cap. 257.* ubi explicite declaratur, qui sit districtus Urbis, idest illæ Terræ, quæ solvunt Cameræ populi *sal, & focaticum, sive impositam salis, & focatici*; Atque istius Statuti themate retcoto dictum fuit coram Puteo *d. decis. 24. lib. 3.* districtum ad effectum comprehensionis sub statuto protendi ad 40. milliaria, ac etiam ultra, dummodo probetur, quod locus, de quo disputari contingat super Statutorum subjectione, caperet sal, & solveret focaticam Cameræ Urbis, ex eadem decisione.

Et sic eo tempore attento, priusquam ederentur novæ reformationes, iste terminus *districtus*, non capiebat universum ambitum 40. milliarium circumcirca, sed solum illa loca, quæ ob dictam subjectionem dicebantur de districtu, ita sumpto tanquam designativo comitatus, ac locorum sub jurisdictione, & superioritate populi viventium, & consequenter quando Pius V. de districtu loquutus est, intelligere non potuit de illo, qualem hodie habemus, ita constitutum ex novis reformationibus, ex quibus sublata differentia salis, & focatici, universus ambitus indistincte dicitur de districtu, ut in Veliterna fideicommissi 29. Junii 1632. Verospio Rubeo *tom. 2. singularium in observ. ad Stat. Urb. 178. seu 180. de duabus num. 24. & seqq. & in rubr. Statutorum eodem 2. tom. n. 10.*

Quinimo observabam, ex eadem constitutione Pii, li- 10
quido patere, districtum sumptum esse pro recinctu vinearum, & prædiorum recinctorum Urbis, tanquam quid minus, quam planum, nullatenus vero eumdem terminum sumptum fuisse pro districtu jurisdictionali, idque tripliciter; Primo, quia in ea parte, in qua mandatur istam gabellam solvi per omnes, etiam exemptos, *planum* ponitur ampliative, & ut quid latius, quam districtus, ibi, *Præterea supradictum vectigal nullis prorsus exceptis, eam in Urbe, & districtu, quam etiam in reliquo ejus plano, &c.* Ergo planum latius patet; Secundo, quia mandatur, etiam ampliative ad districtum, solvi in Civitatibus, & locis circumcirca Urbem, in quibus solvi consuevit, & tamen intra districtum jurisdictionalem, non solum continentur dictæ

Civitates, & loca in circuitu, sed etiam quamplura alia loca ultra circuitum, & quæ ab Urbe non cernuntur, prout cernuntur existentia circum circa; Et tertio, quia ampliative, seu extensive, ultra districtum, loquitur etiam de casalibus, tamen indubitatum est, casalia non esse ultra, sed longe infra districtum jurisdictionalem, & pro majori parte in ipso agro Romano, unde clarum resultat, hoc vocabulum *districtus* hic sumptum esse, non late pro jurisdictionali, sed stricte pro recinctu vinearum, & prædiorum exclusive ad casalia, reliquumque planum, ac loca, in Urbis circuitu existentia; Ideoque jungendo cum his observantiam, de qua supra, pro meo judicio, cum sensu etiam veritatis, clarum videbatur malum jus gabellariorum, & consequenter bonorum districtualium, addito etiam forti argumento ducto a quantitate fructus, qui ex hoc Vectigali ante hujusmodi modernas usurpationes percipi solebat, quia respondet huic recinctui, non autem universo districtui, ex quo satis longe majus emolumentum perciperetur; Et juxta præmissa resolutum fuit, atque concessa nova audientia perstitum in decisis.

ANNOTAT. AD DISC. LXVII. & XCIV.

DE hac materia districtus Urbis agitur quoque *sub tit. de præeminent. disc. 1. in Miscell. Eccles. disc. 1. in relat. Curiæ disc. 2. & alibi pluries*; & conferunt, quæ habentur infra *in annot. ad disc. 144. & 145.* circa differentiam territorii, & agri, vel districtus.

PERUSINA SEU ASSISIEN.

PRO PERUSINIS POSSIDENTIBUS BONA IN TERRITORIO ASSISIEN.

CUM COMMUNITATE DICTÆ CIVITATIS.

Casus resolutus per Congregationem boni Regiminis pro Communitate.

An concordia inita super modo solvendi onera pro bonis, quæ forenses possident in territorio alicujus Civitatis servanda sit, si tractu temporis onera notabiliter augeantur, itaut, quod solvi consuevit, reddatur oneribus incongruum.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Laudum acceptatum habet vim transactionis, & est observandum ac exequendum.*
3 *Observantia tricennalis inducit justificationem etiam sine actis.*
4 *Ad metiendam læsionem, vel justitiam, seu injustitiam, attenditur tempus actus gesti, non quod postea contigerit.*
5 *Limitatur.*
6 *Declaratur limitatio.*
7 *Forenses de jure sunt exempti ab oneribus, quibus subjacent ex consuetudine, & quando hæc cesset.*
8 *Datur distinctio, quando læsio postea contingens attendi debeat.*
9 *Ad quæ onera forenses teneri non debeant.*

D I S C. LXXIII.

1 ADsedandas controversias inter Communitatem Assisii, & Perusinos in eo Territorio bona possidentes, super oneribus ratione dictorum bonorum solvendis, prodiit de anno 1544. laudum a partibus acceptatum, & usque ad hæc tempora servatum Cardinalium Riminensis, & Sfortiæ, per quod certus solvendi modus præscribitur cum declaratione, ut dicto modo adimpleto, a quibuscumque aliis datiis, vectigalibus, gabellis, gravaminibus, & oneribus ex quacumque causa, tam per Principem, quam per ipsam Civitatem impositis, & imponendis, Perusini exempti esse deberent. Cum autem dicta Civitas prætenderet, ob onerum, & gravaminum nimiam excrescentiam, solutionem per dictum laudum demandatam nimis exiguam, & incongruam esse, itaut laudum ad manifestam injustitiam, & iniquitatem tractu temporis redactum esset; Hinc introducta desuper causa in Congreg. Boni Regiminis.

2 Pro Perusinis scribens, dicebam, istorum intentionem fundatam esse in laudo, quod tamquam a Partibus emologatum vim habet transactionis, pro qua stat præsumptio, ideoque sicuti adversus transactionem veniri non potest, itaneque adversus laudum, ut in specie laudi acceptati Buratt. & Adden. *dec. 657.* Rota *dec. 65. n. 3. part. 7. rec. dec. 72. part. 11. rec. num. 8. & 9.* Et de consimili transactione Tobias Nonius *cons. 45.* quod in quibusdam assumptis refellit Cobell. *ad Bullam Boni Regim. cap. 35. num. 34.* Accedente præsertim observantia longissimi temporis annor. 100. & ultra, ex qua justificationis præsumptio resultat, cum ad hunc effectum solus lapsus 30. annorum sufficiat etiam sine actis, Puteus 3 *dec. 328. lib. 2.* Mantic. *dec. 296. n. 6. & 7.* Cavaler. *dec. 22. n. 5.* Burat. & Addit. *dec. 376.* concurrente etiam eximia arbitrorum qualitate, unde dubitandum non veniebat, laudum justum, & rationabile reputandum esse.

Non negabantur hæc ex parte Civitatis attento tempore, quo laudum emanavit, sed dicebatur, tractu temporis ob aliorum onerum insperatam, & forsan tunc nullatenus cogitatam adeo magnam excrescentiam, dictum laudum, consideratum etiam tanquam conventionem, seu 4 concordiam, redactum esse ad iniquitatem, & injustitiam, unde quamvis regula sit, ut ad effectum læsionis attendendum sit tempus initi contractus, & non quod deinde casualiter contingit, quia sicut casus dedit damnum, ita poterat etiam dare commodum ad text. *in l. de fideicommisso, Cod. de transact.* Mantic. *de tacit. lib. 4. tit. 7. n. 30.* Afflict. *decis. 17.* Surd. *de aliment. tit. 9. q. 41. n. 21. & 22.* Rota in Papien. manutentionis 13. Martii 1654. Peuting. Calagurritana decimarum Sancti Ascentii, & Davabillo 26. Junii 1658. cor. Cerro, *§. fin. & in aliis.*

Attamen id procedere dicebatur in iis conventionibus, quæ unica vice, seu actu terminantur, secus autem in habentibus tractum successivum, & perpetuum, quia si tra- 5 ctu temporis rerum status ita immutatur, quod antiqua conventio, attento tempore præsenti, satis injusta & iniqua efficiatur, intrat judicis officium, pro illa ad justitiam, & æquitatem reducenda, ut bene Natta *cons. 548. num. 36.* Thesaur. *dec. 226.* Capyc. Latr. *dec. 18.* Theodor. *alleg. 23.* Marum. Andr. *decis. 48. num. 14.* Et magis proxime in terminis decimarum in dicta Calagurritana decimarum Sancti Ascentii, & Davabillo 7. Februarii 1659. *§. Tum quia demum*, coram Cerro.

Adversus hoc motivum replicabam, conclusionem prædictam procedere posse in actibus successivis obligatoriis, in quibus, singulis annis, ille qui ad aliquid solvendum 6 obligatus est, ob oneris insperatam excrescentiam, ita gravamen sentit, ac iniquitatem patitur; Secus autem in actibus continentibus liberationem, & exemptionem, quia in istis dicitur unica vice perfectus, & consummatus actus, absque alio tractu successivo, cum ita bonis impressa fuerit qualitas exemptionis, quæ sive ex conventione, sive etiam ex longissimi temporis præscriptione, semel inducta perpetuo durat, ideoque diversa est ratio actus obligatorii continentis successivum onus, & gravamen singulorum annorum, ac actus continentis libertatem, quæ semel quæsita, semper perseverat, ac etiam quia favorabiliora sunt jura pro libertate, quam pro servitute, ut fusius de ista conclusione actum habetur in dicta Calagurritana Decimarum *sub tit. de Decimis.*

Ponderabam etiam, attenta juris communis dispositione, Perusinos, tanquam forenses ab hujusmodi oneribus exemptos esse, catenus vero eis esse subjectos, quatenus 7 ex generali consuetudine contrarium servetur, ex deductis *decis. 3.* per Cencium *de censibus*, ubi allegantur Bart. & cæteri testantes hanc esse generalem consuetudinem Italiæ, Sperell. *decis. 35. n. 17.* Cobell. *ad Bull. Boni Regiminis, cap. 35. n. 30. cum seqq.* & habetur hoc titulo sæpius deductum, præsertim *disc. 92.* Unde cum consuetudo specialis, sive conventio prævaleat consuetudini generali, maxime ubi ista juris dispositioni adversatur, cum tunc illa favorabilior reputetur, utpote reducens rem ad terminos juris communis. Idcirco dicebam, dicti laudi, seu conventionis actum fuisse illico perfectum, & consummatum, tollendo, seu moderando dictam contrariam consuetudinem, ac reducendo rem ad terminos juris, quibus attentis, bona forensium sunt exempta, præterquam ab oneribus mere realibus non excretis.

Verum hæc, & si primo aspectu aliquam probabilitatem haberent, minus tamen solida mihi videri, juxta consuetum stylum, sincere partibus insinuabam; Tum quia recte dici poterat, dicti laudi, seu concordiæ observantiam continere gravamen successivum singulorum annorum respectu civium, & aliorum bona in Territorio possidentium, qui ob Perusinorum exemptionem, qui satis modica contributione plus gravabantur, quam æqualis contributio importaret, & sic adest gravamen successivum; Tum

etiam

etiam quia, tam in ipsis arbitris laudantibus, quam in partibus laudum emolongantibus, manifestus adesse videtur defectus voluntatis, quod scil. in casu adeo magnæ excrescentiæ, numquam speratæ, vel cogitatæ, tam modica contributione contenti esse voluerint, itaut recte intrare videatur d. conclusio, de reducendo ad justitiam & æquitatem illum contractum, qui tractu temporis ad injustitiam, & iniquitatem reducatur, maxime quia non sumus in casu, in quo intret ratio, text. *in l. de fideicom. C. de transact.* quod scil. actus tractu temporis ita potest esse utilis, ac damnosus, unde si casus importat damnum, illud spectandum non est, quia poterat utilitatem importare.

Ista enim quæ est unica, & vera ratio, in qua conclusio fundatur, non intrabat, quoniam Civitas utilitatem sperare numquam poterat, dum probabiliter, juxta præteritam, & futuram observantiam, magna, & notabilis onerum diminutio speranda non erat.

Unde propterea, ad veritatem magis reflectendo dicebam,
8 pro hujusmodi controversiæ justa determinatione, atque ad inspiciendum, an conventio injustitiam, & iniquitatem contineret, necne, firmandum esse statum antiquum onerum, atque sumpta proportione, tunc per arbitros, attento eo statu, habitam, inspiciendam esse novorum excrescentium onerum quantitatem, atque ita cum debita arimetica proportione videndum, an adesset talis læsio, quæ iniquitatem, & magnam injustitiam redoleret, ut necessarium est ad effectum, ut supradicta conclusio intret.

Observabam quoque in novis excretis oneribus metiendis,
9 habendam esse solum rationem de realibus, vel mixtis, quæ per æs, & libram, ac ratione bonorum solvenda sunt, & ad quæ juxta d. generalem Italiæ consuetudinem, forenses cogi possunt, non autem de mere personalibus impositis super comestibilibus, prout in specie sunt gabellæ salis, carnis, & macinatus, quæ licet per Communitates, vel ad majorem civium, & incolarum commoditatem, vel ex aliis respectibus cum alia collectarum specie solvantur, vere tamen indebitæ videntur per forenses, dum in locis ubi vivunt, & victualia sumunt eadem onera ferunt, ne ita eadem duplicata onera solvant; Verum Congregatio boni regiminis, cui peculiaris cura est Communitates sublevare, censuit laudum non suffragari.

ANNOTAT. AD DISC. LXXIV.

CAusa contenta in hoc discursu, plures passa est variationes tam in Camera, quam in Signatura Gratiæ; Revera tamen tantam disputationis dotem non merebatur, cum penderet a puncto nudi facti potius, quam juris, circa quantitatem scilic. materiæ gabellabilis, quæ adhibetur in hujus aquarelli compositione, ut fieret proportio ad materiam saponis, ejusque gabellam, unde propterea variationes resolutionum provenerunt potius a vario judicio peritorum, ac etiam a variationibus testium super his circumstantiis factis.

CAMERINEN. GABELLÆ, PRO UNIVERSITATIBUS ARTIS LANÆ FABRIANI, CUM GABELLARIO.

Casus varie decisus per Cameram.

Gabella imposita pro una specie, an debeatur pro altera, in qua admixta sit aliqua pars illius materiæ, qua d. species gabellata constat, itaut in toto, vel in parte faciat eamdem operationem. Et in specie, an gabella saponis debeatur pro aqua composita ex aliqua parte olei, aliarumque rerum, ex quibus sapo conficitur.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Gabella olei debetur pro sapone.*
3 *Gabella vini debetur pro aquavita, & frumenti pro pane cum similibus.*
4 *Gabella salis non debetur pro aqua salita, seu salamara.*
5 *Gabella carnis salita an debeatur pro adipe admixto in alia majori materia.*
6 *In gabellis non insistitur in verbis, sed attenditur effectus seu operatio.*
7 *Quando clausula sublata, & decretum irritans non obstent.*
8 *De aqua, & alia materia non gabellata, solvenda non est gabella.*
9 *Quid in gabellis spectetur effectus, seu operatio.*

D I S C. LXXIV.

IMposita gabella saponis, ad rationem unius solidi vulgo 1
bajoco, pro qualibet libra saponis solidi, & unius quadrantis pro qualibet libra fluidi vulgo nuncupato *de spurgo*. Cum in oppido Fabriani exercentes artem lanæ, vel pro expurgandi pannis, & caligis, seu pro melius præparanda & facilitanda expurgatione, adhiberent quandam aquam, admixtam habentem aliquam quantitatem olei, & cineris aliarumque rerum hujusmodi, vulgo *acquarello* nuncupatam; Prætendere cœpit gabellarius, sibi deberi de hujusmodi *acquarello* gabellam, ad rationem unius quadrantis pro libra, tamquam pro sapone fluido, & introducta per appellationem a quodam decreto Thesaurarii causa in Camera cor. Pallavicino, datoque dubio, *an d. gabella debeatur*, resolutum fuit, eam deberi pro rata illius operationis, quam facit d. aqua respective ad saponem, idest, quod si decem libræ hujusmodi aquæ faciant tantam operationem, quantam una libra saponis, debeatur gabella, tamquam pro una libra, & sic ad proportionem, & pro rata; Verum gabellario non acquiescente, obtentaque nova audientia, cum aliquas dedissem justificationes, quod ibi non reperitur illa species fluidi saponis, quæ dicitur *de spurgo*, non verificabilis, nisi in hujusmodi specie per artifices, *aquarello* nuncupata; Hinc recedendo a decisis, dictum fuit, deberi integram gabellam, ad rationem unius quadrantis pro libra; Et replicantibus Artificibus, id nullatenus subsistere posse ob magnam quantitatem aquæ, & modicam operationem, unde propterea oportet etiam ad perfectam expurgationem adhibere alteram speciem saponis solidi; Quamvis id per Cameram agnosceretur; Nihilominus credebant Domini, in eis concurrere defectum potestatis, alterandi taxam gabellæ, factam per chirographum Pontificium, unde propterea opus fuit adire Signaturam gratiæ pro removenda hujusmodi difficultate.

Quæ tamen mihi pro Artificibus scribenti, ad solam etiam veritatem reflectenti, non videbatur subsistens, quodque justitia suaderet, omnino servandum esse modum præscriptum in prima resolutione, solvendi scil. gabellam proportionabiliter, & pro rata; Quamvis enim scribens tamquam Advocatus, ad clientis opportunitatem sustinerem, nullam gabellam deberi, tamquam de specie omissa, & sub ejusdem gabellæ impositione non comprehensa, nihilominus credebam eam deberi, sed ad solam ratam operationis, spectato effectu.

Dicebam siquidem, quod aut stare volumus in verbis, prout in materia gabellarum, tamquam exorbitanti, & odiosa, standum esse videtur, ad instar eorum quæ habemus in materia statutorum exorbitantium; Et tunc de stricta juris censura, ista materia venire non deberet, cum gabella imposita
sit pro sapone, qui constituitur pro majoris parte ex oleo, 2
quamvis adsit mixtura cineris, aliarumque rerum unde gabella imposita super oleo, debetur etiam pro sapone. Medices *cons. 97. n. 9. in fin.* Hodiern. ad Sur. *dec.* 339. *num.* 5. Ciriac. *contr.* 468. *nu.* 28. Giurb. *observ.* 50. *nu* 1. ex eo, quia actio
sit a prædominante, sub quo mixtum venire dicitur; Unde 3
propterea habetur in Rom. seu Veliterna *hoc eod. tit. disc.* 68. gabellam vini deberi etiam pro aquavita, utpote ex solo vino compositam, ac pariter gabellam frumenti deberi pro pane, illam serici pro drappis cum similibus deductis apud Medices, Hodiern. & Cyriac. *ubi supra*, & per Rot. in Bonon. gabellæ, *dec.* 118. *p.* 11. *rec.*

Secus autem, ubi controversa species ex alia materia non 4
gabellabili pro majori parte constituta est, admixtam solum habens aliquam modicam partem materiæ gabellabilis, ut in specie gabellæ salis non debitæ pro aqua salita, naturali, vel etiam artificiali, *muria*, vulgo *salamora* nuncupata, Strac. *de mercatura p.* 4. *nu.* 32. Rovit. *super pragm. in rub. de*
sale num. 2. Et de gabella imposita super carne salita, ut non 5
debeatur pro illo modico adipe, quamvis sale condito, qui adhibetur, pro componendis artocreis, vulgo *pastacci*, Giurb. *d. observ.* 50. *nu.* 5. *cum seqq. & nu.* 14. quoniam ut dictum est, actio sit a prædominante, a qua species vocabulum assumit, & juxta cujus naturam regulanda est.

Et quamvis inspecta veritate, crederem, prædicta non 6
obstantibus, hujusmodi gabellam, etiam de ista materia deberi ad proportionem operationis, ex rationibus, & auctoritatibus, de quibus in Rom. appaltus, seu gabellæ carnis *hoc tit. disc.* 71. ubi quod in hac materia immorandum non

est

est in cortice, & figura verborum, sed spectandus est effectus, juxta exempla ibi deducta: Nihilominus dicebam, id non provenire ex vi verborum, sed ex justa interpretatione, seu mente, & ratione legis pro judicis prudentis arbitrio, & consequenter parum fundatam dicebam d. difficultatem super defectu potestatis, quoniam juxta ea, quæ frequenter recepta habemus in materia clausulæ *sublata*, & de-
7 creti irritantis, quamvis ex illis claudatur os judici, & parti, neque in contrarium judicari possit, ac de directo veniri in casu claro, nihilominus prohibitum non est interpretari, seu judicare super non comprehensione casus, ex deductis per Butatt. & Adden. *decis.* 658. *&* 720 & in terminis gabellæ, Orthob. *decis.* 158. & in eadem Bonon. gabellæ 26. Junii 1648. Bich. & alias passim.

Attenta vero ratione, illa non intrat, nisi ad limites operationis, & pro ea rata, in qua præjudicatur materiæ ingabellatæ, & consequenter nonnisi pro d. rata solvenda est gabella, non autem pro aqua, de qua utpote vilissima, & communi materia, nulla debetur gabella, ut per Gutier. *de gabellis q.* 35. *n.* 33. & bene habetur apud Medices *d. conf.* 97.
8 *n.* 9. quæ videtur in hoc puncto doctrina magistralis, a qua mutuant Cyriac. & cæteri ubi supra, quod scil. pro sapone debeatur gabella ad ratam olei, non autem cineris, vel aquæ, seu alterius rei non gabellatæ, & habemus in praxi in gabella vini, quia si fiat aquatum, seu rasparum, cum aliqua parte vini, pro majori vero aquæ, gabella solum exigitur pro rata vini, & ad proportionem.

Quod in individuo bene comprobari observabam ex eadem impositione hujus gabellæ, dum pro sapone solido, utpote majoris operationis solvitur unus solidus, & pro fluido unus quadrans, & tamen utraque species idem habet vocabulum, ergo spectatur effectus, seu attenditur operatio, potissime, quia docebatur in facto, alibi componi diversam
9 speciem hujus acquarelli, cum longe majori quantitate olei, & respective minori quantitate aquæ, & sic majoris operationis. Ideoque omnino solus effectus, seu rata operationis in proposito attendenda videbatur; Ad quod conferre dicebam deducta in Fulginaten. salis *hoc eod. tit. disc.* 107. de attendenda majori, vel minori mixtura terræ insulsæ cum sale, cum similibus; Et hanc dicebam veritatem, qualem cum summo judicio agnovit Sanctiss. Clem. IX. occasione recursus ad signaturam gratiæ 4. Decembr. 1668. pro interpretatione chyrographi super d. gabellæ impositione, dum ita declaravit, unde credo quod lis finita sit.

ROMANA GA[illegible]ELLÆ FOENI,

PRO PRINCIPE BURGHESIO,

CUM JUSTO QUARANTA.

Discursus pro veritate.

Solutio novæ gabellæ impositæ super fœno, vel aliis victualibus; An solvi debeat per eum, qui fœnum, vel alia victualia menstruatim sub certo pretio subministrare tenetur, vel per eum, qui eadem victualia recipit.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Gabella pertinet ad emptorem.*
3 *Onus collectarum pertinet ad dominum, & locatorem, non autem ad conductorem.*
4 *Ob augmentum gabellæ licitum est recedere a contractu.*
5 *Gabella introductionis solvenda est per dominum, qui merces introducit tamquam suas.*
6 *Declaratur d. conclusio.*
7 *Qui tenetur præstare rem, solvere debet gabellam, sine qua illa res haberi non potest.*
8 *Qui suscipit onus præstandi alimenta, non petit expensas causatas a gabellis impositis super victualibus.*
9 *Gabella est causa, ut alterentur pretia, & de effectibus exinde resultantibus.*
10 *Ubi contractus efficitur læsivus, & satis injustus, reducitur ad justitiam.*
11 *In tacita reconductione, seu renovatione contractus, an habenda sit ratio novi oneris, de quo durante primo contractu, protestatum fuit.*

D I S C. LXXV.

Ab annis quindecim circiter Justus Quaranta conducere consueverat de triennio in triennium quandam tenutam principis Burghesii pro annua pensione scut. 1850. cum obligatione subministrandi fœnum, & paleas pro necessaria substentatione equorum, & animalium in prædicti Principis stabulo existentium, ad rationem scut. quinque pro binis equis, singulis quibusque mensibus, in d. pensionem computandis sub pacto, ut fœnum esse deberet illud, quod colligebatur in ejusdem tenutæ pratis. Cum autem de Mense Martii 1664. d. conventione durante, supervenisset nova impositio gabellæ solvendæ pro fœni introductione in Urbem, quæ causa fuit, ut ejusdem fœni pretium aliquam alterationem reciperet; Hinc proinde dubitari contigit, ad quem d. superventæ gabellæ onus spectaret.

Ex parte Justi dicebatur, quod non facta in contractu mentione gabellæ, ista de jure pertinet ad emptorem, qualis erat 2
Burghesius, non autem ad ipsum venditorem, ad text. *in l. debet ff. de edilit. edict.* atque plurium antiquorum auctoritate, rejectis contrarium tenentibus, pro eo scribentes dicebant firmari per Girard. *de gabell. p.* 4. §. 1. *nu.* 1. Grat. *discep.* 549. *n.* 32. *cum seqq.* Ludov. *dec. Perusin.* 113. *num.* 2. Larrea *alleg.* 57. *n.* 12. & tamquam doctrina satis proxima, & specialis adducebatur, Alex. *conf.* 51. *lib.* 3. ubi habetur, quod venditor ferri, qui omni suo sumptu, & periculo promiserat illud in portu Pisano tradere, non teneatur ad gabellam contractus, qualis in hac specie ista præsupponebatur.

Et his addebatur conclusio firmata per Alex. *conf.* 4. *lib.* 5. 3
Roland. *conf.* 79. *l.* 4. Osasch. *decis.* 83. *nu.* 6. *cum seqq.* apud quos concordantes, quod onus collectarum debitum ratione bonorum pertineat ad dominum, & locatorem prædiorum, non autem ad conductorem; Subjungendo etiam, quod ob d. gabellæ supervenientiam fuisset, ac esset licitum recedere a d. contractu, allegando Capyc. Latr. *dec.* 194. *n.* 1.
& 4. *cum seqq. & per tot.* Larrea *alleg. fisc.* 30. *nu.* 5. *& seqq.* 4
& nu. 17. *&* 26. *& alleg.* 33. *nu.* 8. firmantes quod in effectu hujusmodi gabellæ imponi potius dicuntur emptoribus, quam venditoribus & introductoribus, a quibus gravam facilioris exactionis gabellarii exigunt, dum ejus ratione alteratur pretium, cujus ratione potius emptor, quam venditor illam solvere dicatur, ut advertit. Fontanell. *dec.* 266. *n.* 199. addendo etiam justificationes facti, quod scil. menstrua præstatio equorum post gabellam, proportionabiliter aucta esset, atque ista erant conductoris fundamenta.

His vero non obstantibus, ex parte d. Principis pro veritate consultus, communicato consilio cum altero ejusdem docto Advocato: Contrarium verius de jure censui, quoniam gabella imposita est pro introductione fœni in Urbem,
quæ introductio facta est per Justum, non tanquam simpli- 5
cem Vectorem, & introductorem materialem rei alienæ, sed tanquam dominum, & introductorem formalem rei propriæ, ideo ad ipsum spectat solvere gabellam introductionis, quæ solvenda est a Domino, juxta theor. Bart. *in l.* 1. *ff. de alimen. & cibar. legat.* ut per Surd. *conf.* 239. *&* 307. & late per Ventur. *conf.* 39. *n.* 49. *& per tot.* apud quos concordantes, de quibus habetur particulariter in Romana gabellæ ferri *hoc eod. tit. disc.* 63.

Clarius quia non agitur de illa introductione, quæ facta 6
per venditorem, & dominum, consumetur in ipso actu traditionis, itaut introductæ mercis usus, & contrectatio ad emptorem potius pertineant, ut est illa introductio, quam faciunt venditores vini, vel mercium usque ad portum Ripæ, vel alium locum, ut tradderent mercatoribus, suo lucro, & damno, merces in Urbe contrectantibus, quo casu probabilius dicendum veniret, gabellam introductionis, spectato effectu, ad emptorem potius, quam ad venditorem, & introductorem de facto spectare, cum in effectu hujusmodi gabellæ, per principem impositæ dicantur personis subditorum, a quibus occasione usus talis necessarii victualis exiguntur, ut habemus de gabellis salis, tritici, carnis, vini, & similium ex iis, quæ sæpius ad istam gabellarum materiam habentur *hoc tit.* præsertim in d. Rom. gabellæ ferri *disc.* 63.

Sed agitur de illo, qui materialiter, & formaliter est mercis introductor, & contrectator, itaut illa, etiam post introductionem, in ejus dominio, & periculo perseveret, dum
Burghesius dici non potest emptor fœni, cum dominium 7
numquam in eum transiisse dicitur, ideoque de plano ostare videtur d. traditio, Bart. *in l.* 1. *n.* 5. *ff. de alim. & cibar. legat.* quæ est originalis theorica materiæ, quod scil. ubi agitur de præstanda certa re, vel certo actu perficiendo, tunc per eum, qui præstare, vel perficere tenetur, solvenda est ea gabella, absque cujus solutione res præstari, vel actus perfici non potest, & de qua theorica, Socc. *conf.* 247. *num.* 3. *lib.* 2. & Surd. *locis citatis*; Unde testatore gravante hæredem ad tradendum Titio equum in hæreditate non existentem,

tem, hæredis onus erit, non solum emendi equum, sed etiam solveodi gabellam pro equi emptione solvendam, quoniam quando sequitur actus traditionis, & implementi, tuoc rea est jam ingabellata, & gabella soluta tamquam per antecedeos necessarium.

Et hic est casus, in quo vere intrare non videntur termini emptionis, & venditionia, sed potius alii susceptionis o-
8 neria alimentandi suo sumptu in palea, & fœno equos pro certa summa; Adinstar illius oneris, quod aliqua Collegia, & Seminaria, vel Dozinæ suscipiunt de alendis pueris, eisque subministrando omnia ad victum necessaria pro menstrua conventa præstatione, quoniam si super pane, vono cane, & aliis victualibus aliquæ gabellæ de novo imponantur, vel augeantur veteres, non per hoc dicendum est, hujusmodi gabellarum onus ad pueros alimentandos, vel eorum parentes spectare, dum hic dicendus est casus fortuitus, cedens damno ejus, qui victualium dominus est, vel ea præstare tenetur, Et quemadmodum, qui hujusmodi oneris speciem suscipit ob victualium penuriam, ex qua nimia eorum pretii alteratio resultet, istius casus damnum sentire debet, ita & istum, qui utpote a facto Principis proveniens, casus fortuitus in jure censetur.

9 Et quamvis bene diceretur per scribentes pro Justo, quod gabellæ sunt causa alterationis pretii, itaut spectato effectu, potius ab iis, qui rei iogabellatæ usum habent, quam ab iotroductoribus, & venditoribus, solvi dicatur, ut de facto in hac specie probavit observantia, quæ dedit alterationem menstruæ præstationis solvi consuetæ pro quibusque binis equis, de fœno, & palea substentandis; Attamen id recte procedit, ubi res est in fieri, & in ordine ad regulandum pretium novæ conventionis, in qua juste, & rationabiliter consueti pretii alteratio peti posset.

Secus autem durante tempore prioris conventionis obligatoriæ, & irretractabilis, quoniam tunc, licet notabiliter immutato rerum statu, per quem contractus alias justus ad injustitiam, & ioiquitatem reducatur, succurrendum sit illi contrahenti, qui ex hujusmodi status immutatione læsus remanet ad regulam, text. *in l. cum quodam ff. de usur. & juxta qu. 48. Pilei*, de pistore promittente coquere panem
10 pro tota familia, ut per Thesaurar. *decis. 226. numer. 2. & alios*, Attamen id intelligitur, ubi rerum immutatio causat alterationem satis notabilem, itaut contractus reducatur ad magnam iojustitiam, quæ iniquitatem sapiat, quod absque dubio in præsenti dici oon poterat, cum gabella solvenda pro fœna necessario ad substentationem unius equi sit quid satis modicum comparative ad id, quod ex d. causa per equi dominium solvitur.

Hinc propterea dicebam non obstare superius deducta, præsertim contrariam observantiam in facto justificatam, & quæ tamquam ootoria, justificatione noo egebat, super alteratione consuetæ menstruæ mercedis, quoniam id recte procedit in ordine ad regulandam novam conventionem pro tempore futuro, in quo utrique partium liberum est continuare, vel recedere, nam etiam ex accidentalibus casibus sterilitatis, & pœnuriæ fœni, seu magni numeri exterorum, ut est præsertim de tempore sedis vacantis, vel in anno jubilæi, dicta alteratio sequi solet, sed hoc non influit ad contractum necessarium, & obligatorium pro tempore illius durationis.

Prout omnino extraneæ videbantur d. conclusiones, & auctoritates ex parte Justi allegatæ, quoniam earum lectura ad oculum ostendit, eas percutere casus, & terminos penitus diversos, itaut ioanis labor videretur immorari super eis refellendis, cum sola lectura tolleret difficultatem.

Requisitiones autem factæ apud ministros, nullius pariter momenti videbantur, durante eo triennio, quo pendente, prædicta novæ gabellæ impositio supervenit, quoniam non potest plus operari protestatio, vel requisitio benevola extrajudicialia facta ministris, quam operaretur formalis interpellatio judicialis facta ipsi principali; Uode cum ista nihil afficeret, multominus operativa, & afficiens esse poterat altera; Proindeque dixi Justo aliud remedium non superesse, nisi illud recurrendi ad Burghesii benignitatem, illumque supplicando pro alicujus æquitativæ condonationis concessione.

Quatenus autem elapso eo triennio, in quo ista rerum im-
11 mutatio supervenit, casus dedisset, quod post dictas extrajudiciales requisitiones, Justus confisus de justitia, & rectitudine d. Principis Burghesii, ejusque ministrorum, jure tacitæ recondirionis continuasset in contractu per aliud triennium, tunc ob ejus declaratam voluntatem, etiam de rigore justitiæ pro hoc novo tempore dixi, quod meruisset exauditi, & forte probabilius pro eo respondendum videretur, sed opus non fuit assumere hujusmodi inspectionem, facti assistentiam non habentem, dum triennium, quod de tempore impositæ gabellæ currebat, adhuc durabat.

ROMANA GABELLÆ VINI, PRO UNIVERSITATE HOSPITUM, SEU CAUPONARUM, CUM APPALTATORE NOVÆ GABELLÆ VINI.

Casus discursus Coram Conservatoribus, & resolutus pro gabellario.

Pro gabella solvenda in ingressu portæ pro iotroductione vini. An cogi possint iotroductores accedere ad illam solvendam in domo gabellarii, ac relinquere pignus portæ custodi, vel potius teneatur gabellarius oblatam gabellam in ipsa porta recipere.

S U M M A R I U M.

1 *CAsus controversia.*
2 *Provisiones, & Caiptula super gabellis habent suum finem, ut evitentur fraudes, & gabella solutio sequatur.*
3 *Non sunt curanda media, ubi habetur finis.*
4 *Relatio Capitulorum unius gabellæ ad capitula alterius gabellæ quomodo intelligenda sit.*
5 *Quando gabellarius juste pretendat, introductores teneri accedere ad solvendam gabellam in certo loco, & non solvere in ingressu portæ.*
6 *De differentia gabellæ, quæ solvitur uniformis, vel illa, quæ solvitur in quota, seu juxta mercium valorem.*

D I S C. LXXVI.

CUm populus Romanus, ultra antiquas gabellas impositas super vino extero in Urbem introducendo, & 1
duhanæ Ripæ oon subjecto, aliam oovam imposuerit bajocorum quinque pro quolibet cado, solvendam a quibuscumque, nemine excepto, cum derogatione) prævio Papæ Chirographo) cujuscumque franchitiæ etiam Cameralium; Atque in capitulis appaltus hujus oovi augmenti conventum esset cum appaltatoribus, eis competere debere eadem privilegia, quibus frui consueverunt cæteri appaltatorea aliarum gabellarum vini, eodemque modo istud augmentum exigi posse; Prætendere cœperunt appaltatores, quod vecturales, aliique iotroductores vini, eo modo, quo super aotiquis gabellis practicari consuevit, ac etiam practicatur in mercibus dohanæ subjectis, teneretur relinquere portarum custodibus aliquod pignus majoris valoris, cum obligatione accedendi ad domum gabellarii, ibique solvendi gabellam: E converso autem prætendente Universitate Cauponarum, super hoc puncto principaliter interessata, sufficere oblationem gabellæ in ipso portus ingressu, absque oecessitate ulterioris incommodi, introducta causa in prima instantia cor. ejusdem populi Conservatoribus.

Appaltatores fundatam dicebant eorum intentionem in capitulis appaltus, quæ pro lege servaoda esse firmatur apud Corneum *cons. 339. lib. 1. in princ.* & sæpius deductum habetur *hoc tit.* Cum enim in dictis capitulis conventum esset, servari debere idem, quod per præcedentes aliarum gabellarum appaltatorea servatum fuit, atque per istos gabella exacta esset in propria domo, seu loco destioato, cum d. praxi relinquendi pigous portarum custodibus; Idcirco versari dicebant in casu claro non admittente glossas, & interpretationes per text. *in l. ille, aut ille ff. de legat.* 3. cujus regula otimur in omni materia, *ut dec. 44. n. 14. p. 55. rec.*

Pro dicta vero oniversitate scribens, etiam cum aliquo 2
sensu veritatis, injustam dicebam gabellariorum prætensionem, cum omnia capitula gabellariis favorabilia, & introductorum obligatoria, illum solum percuterent finem, ac effectum consulendi, ne fraudes committantur, atque gabella integre solvatur, præsertim dum fraudandi occasio de facili subesse poterat, stante exemptione vini Romaoensis, sub cujus pallio, seu nomine, vina extera, & gabellæ subjecta introducei possent; Unde propterea quando vini iotroductorea integram gabellam offerunt, ac solvere parati sunt, cessat quæcumque suspicio, vel occasio fraudis, cum ad sum-

mum

enum gabellarius aliud prætendere non possit, nisi solutionem ejus quod offertur, ideoque obtento fine seu effectu, ob quem aliqua forma, seu modus præscribitur, tunc ista media non curantur ad not. *in l. jubemus, Cod. de testamentis, plene cæteris alleg.* Mantic. *de tacit. lib. 7. tit. 15. num. 42.* Rot. *decis. 149. num. 5. part. 6. rec.* late Adden. *ad decis. 542. nu. 84. cum seqq. part. 4. rec. tom. 3.* Præsertim cum agatur de materia odiosa, & gravatoria, benignius quam fieri potest pro populo intelligenda, & strictius contra gabellarium, quia ita obtinens integram gabellam, atque a fraudibus exemptus, non debet populum duplici onere, seu incommodo gravare.

4 Neque obstare dicebam observantiam tentam per gabellarios antiquarum gabellarum, ad quam observantiam in capitulis hujus appaltus relatio habita est, quoniam ista intelligi debet proportionate, & in eis in quibus eadem ratio exigit ita observandi ad consulendum fraudibus, non autem super hoc puncto, stante manifesta rationis diversitate, quoniam ejusdem vini gabellæ veteres non sunt in summa uniformi, sed variabiles, magis & minus, prout melior,
5 vel inferior vini conditio, seu valor exigeret, unde cum quantitas esset incerta, & determinanda esset a qualitate, seu valore vini, quod consistit in judicio intellectus, idcirco rationabiliter per gabellarium prætendi potest, id a seipso faciendum esse, non autem a portarum custodibus, qui tamquam inferiores ministri deputantur ad ea, quæ sunt nudi facti, & in quodam sensu corporis potius, quam in judicio intellectus consistentia. Quæ ratio cessat in ista gabella, in summa uniformi, & invariabili solvenda, itaut nulla discussio, nullumque judicium desuper cadat, nisi in casu, quo introductores, recusando gabellæ solutionem, prætenderent vinum esse Romanense exemptum, cum tunc non a custode portæ, sed ab ipso gabellario interessato inspiciendum sit.

6 Ideoque observandum esse dicebam (ad mentem Doctorum de gabellarum materia tractantium,) magnam esse differentiam inter illam gabellam, quæ tamquam species vectigalis solvitur pro introductione mercium in eamumdem quota, seu juxta ipsarum valorem, ut est proprie dohana ex deductis in Rom. pro Mercatoribus Ripæ *disc. 67. & in aliis hoc eod. tit.* & illam gabellam, quæ in summa certa, & invariabili solvitur in ingressu portæ, sive in transitu per pontem, per scapham, vel alium locum; In hac enim secunda specie, solutio est uniformis, atque attenditur nuda materialitas, quia nempe solvi debeant tot denarii pro qualibet balla, vel farcina mercium, non distinguendo, an sint magis, vel minus pretiosæ, seu pro quolibet cado vini, non distinguendo, an sit græcum, latinum, vel phalernum, sive pro quolibet equo, non distinguendo, an sit generosus, & magni valoris, vel imbecillis, & ad bastum, cum similibus, & hæc est proprie gabella, de qua loquitur Bart. *in qu. 4. incipien. Publicanus*, ac alibi de animalibus transeuntibus per pontem Perusii, *ut sæpius hoc tit.* ideoque nil remanet disputandum, unde gabellarius de judicio simplicis custodis portæ confidere non debeat.

Non sic est in prima specie, in qua proprie consistit antiquum vectigal importans quotam admillar decimæ, & quæ in pecunia, quotæ proportionata, solvi solet pro majori commoditate introducentium merces ex magis distincte habitis in d. Romana, *disc. 67. & alibi hoc eod. tit.* Quia tunc oportet inspicere diligenter mercium qualitatem, eisque cum peritorum judicio æstimare, quod explicari non potest cum portarum, vel pontium custodibus in ipso momentaneo ingressu, vel transitu, ideo longa rationis diversitas militat inter unum casum, & alterum: neque ab observantia unius inferre licet ad alterum, diversam rationem habentem, nec de facili multiplicanda sunt populorum onera, & gravamina: dum etenim gravantur ad novam gabellam, eos gravandos non esse dicebam ad hoc grave incommodum absque aliqua necessitate, vel ratione. Et hanc dicebam mihi videri veritatem, cum tamen sufficeret rem esse dubiam, ut ex sæpius insinuatis contra gabellam esset respondendum. Conservatores tamen, coram quibus hæc disputata fuerunt, attendentes solum corticem, ac litteralem sensum capitulorum, ut servari deberet idem quod in veteribus gabellis servatur, ita decreverunt, quod mihi, reflectendo ad veritatem, parum probabile videbatur.

URBINATEN. COLLECTÆ, PRO LIVIO BONAVENTURA, CUM COMMUNITATE MONTIS AVII.

Casus disputatus in Congregatione boni regiminis, & decisus pro Livio.

De consuetudine collectandi forenses duplo pluris quam fiat cum civibus, an valeat.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Forenses de jure collectari non possunt.*
3 *Fallit de consuetudine, quæ declaratur.*
4 *Communitates subditæ non possunt statuere contra jus.*
5 *Qui non potest statuere, non potest inducere consuetudinem.*
6 *Declaratur quando substineantur statuta plus gravantia forenses, quam Cives.*

D I S C. LXXVII.

PRætendente Communitate Montis avii, alias Mondavii, in eo loco vigere consuetudinem exigendi a forensibus in illo territorio bona possidentibus collectam duplicatam, seu in medietate pluris, quam a civibus exigeretur; 1
Introducta causa in partibus, sententia Communitati favorabilis prodiit contra d. Livium Urbinatensem, qui bona in eo territorio possidebat, sed habito per Livium recursu ad Congreg. Boni Regiminis, de mense Martii 1663. pro recurrente resolutum fuit. Pro isto tunc scribente in partibus docto & laborato *Consilio*, ut liquet ex ejus informatione impressa inter *suas allegat. civil.* 28. ubi constituit fundamentum, tam in defectu legitimæ probationis dictæ consuetudinis, quam in ejus irrationabilitate, ac infectione, & demum in clericatu Livii, ut apud eum est latius videre. Obtento vero per Communitatem adversus d. resolutionem iterum audiri, & assumpta nova disputatione de mense Sept. 1665. ex parte ejusdem Livii ad scribendum requisitus, cum genio, ac stylo perpetuo repugnaverit aliena d. transcribere, 2
idcirco dum d. Auctoris allegationes nuper essent impressæ, illius citatione contentus, ejusque bene comprobata fundamenta laudando, solum compendiose insinuabam, quod in puncto juris forenses in nihilo possent collectari, tamquam non subditi collectantibus ex copiose congestis *decis.* 3. post Cenc. de Cens. Rota in Ariminen. gabellæ 25. Junii 1657. Bevilaqua, & habetur sæpius deductum *hoc eod. tit.* præsertim in Rom. seu Tuscettina collectæ *disc.* 92.

Et licet de communi consuetudine Italiæ attestata etiam 3
per Bart. hæc juris dispositio non servetur, sed forenses etiam in territorio bona possidentes collectentur, ut proxime allegatis *decisionib. ac in d. disc. 92. & in aliis habetur.* Attamen hæc est consuetudo exorbitans a juris dispositione, stricte intelligenda & practicanda in collectis impositis, vel imponendis pro illis oneribus, quæ Principi, vel alias, solvuntur loco antiqui tributi, seu pro publicis necessitatibus pro facultatum modo, & habita bonorum ratione ferendis, juxta naturam antiquiorum onerum. Non autem pro oneribus privatis habitatorum loci, & quæ ad differentiam Cameralium, seu publicorum, Communitativa dici solent, qualia sunt, substentatio Medici, Chirurgi, Magistri scholæ, horologii, & similia, incolarum loci utilitatem, vel commoditatem concernentia, & quæ quoad illos singulos dicuntur publica, sed in universum sunt potius privata, quam publica, Thes. *dec.* 149. Cohell. *ad Bullam Boni Regim. cap.* 28. *n.* 125. Unde propterea, ista etiam consuetudine attenta, semper majus est onus collectæ respectu civium & incolarum, quam respectu forensium; Quo sic stante inferebam ad prædictæ assertæ consuetudinis (quamvis probata admitteretur) omnimodam exorbitantiam, & irrationabilitatem, cum ita plus gravarentur, qui minus gravari debent.

Unde quemadmodum d. Communitas, ejusque popu- 4
lus id statuere non posset, quia Communitatibus Superiorem recognoscentibus, tam de jure communi, quam fortius in statu Ecclesiastico ob Ægidianam non conceditur statuere contra jus, Burat. *dec. 6. & passim*, & quatenus id
concedatur, intelligendum veniret cum subditis, cum qui- 5
bus habent jurisdictionem; Idcirco neque consuetudo desuper induci potuit, quia quod fieri non potest expresse, minus tacite fieri potest, glos. *in l. 1. ff. de jurisd. omn. judic.* quam sequuntur cæteri congesti *per Add. ad decis.* 20. *n.* 28.

n. 28. *& seqq. p.* 2. *rec.* nisi ageretur de immemorabili, quo casu neque operativa esset, tamquam lex ab eo tacite ordinata, sed potius tamquam privilegium Supremi Principis ad id potestatem habentis, vel virtute immemorabilis, ut ejus vigore quicumque titulus melior de mundo allegari valeat. Qua immemorabili bene probata cessante, (quod satis rarum, ac difficile est ad praxim reducere,) abusui potius, & injustæ forensium concessioni est tribuendum.

6 Ad fundamentum vero Communitatis, constitutum in auctoritate Curt. Jun. *cons.* 129. Dec. *cons.* 44. *nu.* 102. *l.* 4. & aliorum de quibus apud Consiliol. *l. c.* ultra responsionem ab eo datam, cum contrariis auctoritatibus Thomati, Boccacii, & aliorum, de quibus apud eum, Dicebam Curtium, & Decian agere de quæstione super validitate Statutorum, plus forenses, quam cives gravantium in terminis diversis, in quibus nempe statutis aliqua justa, vel honesta ratio assistat, ut est, ex. gr. statutum inhabilitans forenses ad acquisitionem bonorum in loco, sive concedens civibus & incolis prælationem cum similibus, quale est illud de quo in Sen. gabellæ *hoc eod. tit. disc.* 83. gravans ad certam gabellam forenses, qui in loco bona acquirere volunt, tanquam in pretium, seu compensationem habilitationis; Ista etenim Statuta principaliter emanasse videtur potius in gratiam & privilegium civium, atque in compensationem onerum, quibus cives & incolæ subjacent, non autem forenses; Et quia ipsamet ratio naturalis docet, ut fructus, quos in eo loco natura producit, potius ejusdem incolas nutriat & foveat, quam exinde ad extraneos alendos extrahantur, ut alias in materia hujusmodi statutorum prohibentium acquisitionem forensibus habetur *sub tit. de successoribus*, secus autem ubi hæc ratio cessaret.

Ponderabam tamen pro ratione dubitandi, hoc onus duplicatæ collectæ d. rationi quoque tribui posse, quasi quod esset pretium habilitationis forensium ad possidendum bona in territorio, & compensativum incommodi civibus & incolis resultantis ex eo, quod utilitas bonorum in eorum territorio existentium sit extraneorum, qui licet solvendo collectam æqualiter cum civibus, æqualem onerum supportationem pati dicatur, adhuc tamen non sentiunt onera & incommoda personalia, quibus soli cives & incolæ subjacent; Prout sunt, custodia territorii ab hostibus, vel latronibus, excubiæ, hospitationes militum, & similia. Verum in responsione ponderabam; hanc rationem non esse talem, quod duplicatæ collectæ exactionem licitam reddat, sed bene d. ratio esse videtur operativa ad substinendam d. consuetudinem generalem, ut forenses contra juris communis regulas & dispositionem collectentur, itaut ratio prædicta in hoc recte suam faciat congruam operationem; ideoque nisi constet de bene probata immemorabili, cujus vigore, Principis privilegium allegari valeat, contra hujusmodi consuetudinem, quamvis cessaret altera particularis circumstantia clericatus, probabilius respondendum mihi videbatur: Sed proposita causa varia fuerunt vota. Et quia plures dubitabant de cessante probatione d. consuetudinis, unde difficultas cessabat ex facto, ideo dilata fuit resolutio & dictum quod coadjuventur probationes ex parte Communitatis, neque scio causam alium progressum habuisse.

ANNOTAT. AD DISC. LXXVII.

Super hoc puncto, an scilic. forenses possint collectari ad majorem rationem, quam collectentur cives, scripsi in Congreg. Boni Regiminis pro forensibus possidentibus bona in Territorio Thiferni, quod vulgo dicitur Civitas Castelli: de tempore tamen, quo causa erat adeo vulnerata cum duabus, vel tribus resolutionibus favore Communitatis contra forenses, quod dici posset mortua; ideoque obtineri non potuit recessus a jam resolutis; Talisque frequentior est conditio Advocatorum in Curia, quod ut plurimum non vocantur, nisi ad causam mortuam, vel graviter vulneratam, seu alias in malo statu constitutam, unde propterea nimium difficile est, eam reponere in bono statu.

Ultra igitur fundamenta in hoc discursu contenta, & alia plene deducta per elaboratum amicum meum, Conciol *alleg.* 28. Dicebam, quod forenses collectari non possunt pro oneribus communitativis, dum illa supportant in propria patria, ideoque justum non est, ut duplex onus pro eodem patrimonio ferre debeant; Potissime intra eundem Principatum, quidquid sit respectu bonorum existentium in diversis Principatibus independentibus, cum tunc quemadmodum quot sunt Principatus, tot censentur esse imperia, vel mundi, ita censentur tot patrimonia omnino diversa, in quorum singulis, possessor consideratur tamquam diversus homo, ut nimium frequenter insinuatur, præsertim infra in Rom. confiscationis *disc.* 361. *& tit. de jurisd. disc.* 90. *& titul. de Hered. disc.* 3. *& alibi*, unde propterea forensium collecta intrat solum pro oneribus Cameralibus.

Ista vero onera sunt in hoc Principatu potius realia, quam personalia, vel mixta, unde propterea in eis non datur exemptio, quamvis clausa sit in corpore juris communis, nimiumque favorabilis esset, ut est illa patris duodecim filiorum, vel illa Clericorum, & Ecclesiarum; (nisi observantia eis suffragetur;) Minusque illa, quam ex statuto Urbis obtinens Cives Romani intra districtum, ut advertitur, *disc.* 35. *de serv.* Idque comprobatur ex eo, quod quando Paulus III. vel respective Paulus IV. istud onus imposuit, mandavit mensurari totum territorium status Ecclesiastici, adeout Communitates in hac onerum specie, gerant potius personam administratoris, nomine Cameræ, etsi Communitas sit dives, non per hoc cives, & incolæ, vel exteri possidentes bona in territorio, ab hac solutione excusantur; Ideoque nulla dignosci videtur differentia inter cives, & exteros, sive inter privilegiatos, & non privilegiatos, cum non spectetur qualitas possessoris, sed qualitas ipsorum bonorum, exindeque resultat, quod d. resolutiones probabiliter videantur carere fundamento; Atque eatenus essent substentabiles, quatenus, juxta distinctionem, de qua *in annot. ad disc.* 1. *de serv.* istud statutum esset valde antiquum, & conditum de tempore, quo juxta antiquos mores, pleræque Civitates, in his præsertim Regionibus, libertatem sibi usurpaverant, atque pro Republica se gerebant, unde propterea condebant leges, etiam juri communi contrarias, atque ita inhabilitare poterant forenses ad obtinendum, & possidendum bona in territorio, quodque ista esset conditio adjecta dispensationi, sive habilitationi forensium: Id autem per scribentes pro forensibus in facto negabatur, præsupponendo, quod esset statutum modernum, & de casu, ut forenses possint, ac debeant plus gravari, quam subditi, habetur infra *disc.* 203.

PERUSINA APPALTUS, PRO HORATIO SALVATORIO, CUM APPALTATORE CORAMINUM PERUSII.

Casus disputatus in Congregatione Boni Regiminis, & credo concordatus.

An, & quando novus appaltator gabellæ prætendere possit gabellam de mercibus habentibus bullum appaltatoris prædecessoris; Et quando dicatur quod prædecessor supplantet successorem in appaltu.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Conductor in fine conductionis non potest facere ea, quæ præjudicent novo conductori.*
3 *Datur distinctio, quomodo hæc materia sit intelligenda.*

D I S C. LXXVIII.

Inter alia capitula appaltus gabellæ coraminum, seu pellium Civitatis Perusii, illud præsertim legitur, quod terminato uno appaltu, omnes pelles, quæ de eo tempore per appaltatorem bullatæ, seu gabellatæ reperirentur, per novum Appaltatorem contrasignari solum debeant ad evitandas fraudes, absque eo, quod novus Appaltator aliam gabellam consistentem in uno obolo pro qualibet pelle prætendere possit. Cum autem de an. 1661. Horatius Salvatorius suscepisset hujusmodi appaltum ad triennium terminandum in fine anni 1664. atque initio mensis Sept. hujus ult. anni quidam Dominicus Belluccius emisset a diversis mercatoribus Perusianis multas ballas corammum pro pretio scut. 16. mill. ex quibus jam ingabellatis, & bullatis hoc appaltu durante, aliqua pars esitata fuerat; Atque Carolus Vermigliolus novus Appaltator pretenderet hujusmodi emptionem in tam magna quantitate sub simulato nomine d. Belluccii factam fuisse per ipsum Salvatorium Appaltatorem circa finem sui appaltus ad supplantandum successorem, ideoque prætenderet de residualibus ballis, quæ invenditæ remanserant, quamvis bullatis, novam gabellam deberi, atque desuper a judice de partibus sententiam obtinuisset: Introducta per appellationem, seu recursum causa in Congreg. Boni Regiminis, assumptaque desuper disputatione, ultra ea quæ per causæ Patronum deducebantur, circa d. sententiæ nullitatem, 1

tem, ob ordinem judiciarium male servatum, de quibus ex frequentiori stylo, ad Advocatos agere non pertinet.

Quatenus agebatur de concernentibus ejusdem sententiæ justitiam, vel injustitiam, scribentes pro obtinente, ad justitiam demonstrandam, quodque non potuerit prædecessor Appaltator circa finem sui appaltus tam notabilem hujusmodi mercium quantitatem bullare in fraudem, & supplantationem Appaltatoris successoris, adducebant text.
2 *in l. & hac distinctio*, §. *fundum*, *ff. locati*, ubi Bart. & cæteri de quibus plene, Ludov. *dec. Perus.* 62. Surd. *dec.* 231. Et in terminis specialibus, Franch. *dec.* 96. Adden. ad Surd. *d. dec.* 131. Cohell. *ad Bullam Boni Regimin. cap.* 46. *n.* 42. quod etiam deductum habetur in Romana bulli alearum, *disc. seqq. & in aliis hoc tit.* Eoque magis hæc procedere dicebant, quia ex multis præsumptionibus, & adminiculis, ac etiam testibus, licet non omnino integris, justificabant d. Bellucci filii familias, & pauperis juvenis nomen simulate in d. emptione appositum fuisse; revera tamen dictam incettationem factam esse ab eodem Salvatorio pro supplantatione Appaltatoris successoris.

Pro Salvatorio scribens, quamvis Advocati more ut consuetudo est, multa deducerem, quia sæpius apud aliquos judices solida & bona motiva non callentes, minus solidam impressionem facere solent; Nihilominus ad veritatem reflectendo, (& quam ipsis partibus juxta stylum libere insinuabam) pro meo judicio credebam decisionem pendere a puncto, an emptio prædicta vere, ac sincere facta esset per d. Belluccium, vel alios mercatores sub ejus nomine, absque d. Appaltatoris præordinatione, vel e converso subsisteret alterius partis præsuppositum; Primo enim casu dicebam in tuto esse jura d. Salvatorii, ac etiam mercatorum, qui pelles emerant, atque soluta gabella appaltatoris, bullum obtinuerant.

Quatenus enim pertinet ad ipsos tertios mercium introductores, eis assistebat clara lex capitulorum appaltus, quæ pro lege servanda sunt, ut præsertim admonet Corn. *consult.* 339. *in princ. vol.* 1. ac etiam assistebat legis communis ratio, vel dispositio. Cum una & eadem res duplici onere gravari non debeat, proindeque gabella semel soluta, non sit denuo solvenda, ut tamquam absolutum supponitur apud Franch. *d. dec.* 96. ubi quod gabellarius antiquus prohiberi potest, ne in fine affictus ex ratione d. text. *in l. hac distinct.* §. *cum fundum*, remissa, seu diminuta gabella, merces insolitas ingabellare valeat; Secus autem respectu tertii, qui non prohibitus (cessante collusione, & fraude positiva) cum legitimo gabellæ possessore, seu administratore contraxit, illamque solvit, cum ad tertios non pertineat indagare an ille, qui gabellæ exactioni præpositus est, esset affictuarius, vel administrator nomine Civitatis, seu, an esset in principio, vel fine sui appaltus, quamvis aliquam remissionem pro ejus industria, & diligentia obtinuisset.

Neque tali casu aliqua actio competeret contra ipsum Appaltatorem prædecessorem, dum ita ingabellando usus est jure suo, & ad propriam utilitatem, quæ principaliter spectanda est, licet in consequentiam id redundaret in alterius damnum, seu præjudicium, quoniam istud tamquam accessorium, & consequutivum non attenditur, ut ultra regulam generalem deductam, ex text. *in l. altius*, *C. de serv. & aqua cum ibi notatis*, in his specialibus terminis appaltuum, bene Rota. *cons.* 74. *lib.* 1. cujus dicta recte procedunt, ubi cessante fraude deducta ex notabili gabellæ diminutione, gabellarius utitur jure suo, quoniam ut distinguendo habetur *in d. Rom. bulli alearum*, *disc. seq.* Eatenus contrarium procedit juxta *d. dec.* 96. Franchi, quatenus concurrat ratio abusus, remittendo in toto, vel in parte gabellam, juxta dispositionem textus prædicti cum ibi notatis per DD. de quibus Ludov. & Surd. ubi supra, exemplificantes in conductore vineæ, qui in ultimo anno plura capita dimitteret, sive in conductore prædii, qui præter consuetudinem non fineret terram quiescere, sed sereret, ut pro sequenti anno extructuaret, quoniam ita esset percipere fructum temporis non sui, atque abutere conducti præter consuetudinem patrisfamilias, cum Appaltator dicatur procurator locatoris in rem suam, sed dominus illius juris pro eo tempore, juxta tamen modum, quo ipse locator uti solitus est. Secus autem cessante abusu & fraude, ex altera consuetudine a jure præsumpta, quia si fortuna præbet, per aliquos mercatores circa finem unius appaltus, magnam mercium quantitatem introduci; non videtur prohibendus ejus beneficio uti, etiamsi fortuna prædicta coadjuvata esset ab aliqua ipsius Appaltatoris industria, & diligentia, Quoties enim cessat ratio abusus ut supra, & successive fraudis ex illo resultantis, tunc hoc fortunæ beneficium sibi non est tollendum, ideoque curandum non est de accessorio, seu consequutivo præjudicio successori Appaltatori resultante, & hanc dicebam veram, ac genuinam distinctionem, quoties actus esset sincerus, a casu, & fortunæ beneficio proveniens, & non alias, ut infra.

Difficultatem tamen levem habebam in eo, quod ex plurium testium, quamvis non integra fide dignorum, depositione, a pluribus tamen conjecturis, & præsumptionibus adminiculata, satis constare videbatur, dict. incettationem factam fuisse ab ipsomet appaltatore, qui nullam gabellam ex hujusmodi introductione mercium earumque bullo solvenda, ita videbatur id egisse in evidentem fraudem appaltus, cum tanta mercium quantitas verisimiliter esitabilis non esset in suo tempore, unde esset conferre suum jus in tempus inhabile, ac percipere fructum anni futuri, unde casus esset fortior quam ille de quo apud Franch. *d. dec.* 96. *& in Cervien. salium*, *disc.* 112.

Unam tantum responsionem (quatenus præsuppositum facti assisteret) pro hujusmodi objecto evitando subsistere credebam, quod scil. quamvis dicta incettatio fuisset nota- 3
bilis quantitatis, attamen illa sequuta non erat in ipso limine expirantis appaltus, sed per quatuor menses antea, in quorum interstitio, si non in totum, saltem in magna parte merces prædictæ consumi, vel esitari verisimiliter potuissent, ut eventus comprobaverat; unde si aliqua minor pars invendita remanserat, præjudicium remanebat modicum, juxta subjectam materiam non considerabile, cum consueta hujusmodi appaltuum natura sit, ut prima tempora, ob Appaltatoris prædecessoris diligentias, sterilia minusque fructifera sint, compensanda cum ubertate, ac majori utilitate ultimorum annorum, seu mensium, ut habetur in Fulginat. Salium *hoc eodem tit. disc.* 107. *& in aliis*. Atque tunc Appaltatoris successoris præjudicium in proposito consideratur, quando illud est magnum, satisque notabile, ut liquet ex Cohell. *ad Bullam d. cap.* 46. *n.* 42. Alias enim cessante magno damno, ex quo etiam resultat præsumptio fraudis, & supplantationis, esset involvere mundum litibus, ac pervertere communem usum hujusmodi appaltuum, qui sic alias essent impracticabiles, unde totum discrete, atque cum debita moderatione intelligendum est, sumpto semper principio a ratione abusus, ut supra.

Quodque in præsenti damnum non esset magnum, ideoque fraudis, & supplantationis præsumptio non urgeret, justificari videbatur, ex eo, quod idem Salvatorius, nedum se offerebat onus appaltus in se suscipere, ac successorem indemnem conservare, sed etiam lucrum scut. centum in singulis annis ei præstare, quæ oblatio, proposita causa, magnam fecit impressionem, unde rescriptum fuit pro concordia.

In consimili autem controversia cor. me tamquam judice S. Sixti oretenus disputata absque formali discussione inter novum Appaltatorem bulli alearum, & eatumdem alearum revenditores, quibus ille prætendebat impedire venditionem alearum bullatarum per Appaltatorem prædecessorem, ob ingentem numerum, ex quo resultabat sui moderni appaltus supplantatio. Motivando dicebam, quod contra revenditores, ac similes, nullum jus competeret, neque impedimentum præstari posset, nisi probaretur collusio, seu fraudis participatio, bene tamen, posita veritate asserti excessus, actio competeret contra Appaltatores prædecessores, ita præmaturum fructum colligentes pro tempore, quod non erat suum, juxta ea quæ habentur in Romana bulli alearum, *& in d. Cervien. hoc eod. tit. disc. seq. &* 112. quia emptoribus, vel chartariis sufficit solvisse gabellam bulli legitimis appaltatoribus; Ideoque mandavi; quod viderentur tam libri prædecessorum Appaltatorum, quam etiam libercul ipsorum revenditorum, ad duplicem effectum. Primo nempe, inspiciendi quantitatem alearum quæ vendi, ac respective revendi solitæ sunt singulis mensibus, & secundo in quo tempore venditiones factæ sunt, ut ita ad fraudis, & supplantationis notitiam deveniretur. Potissime quia in hac materia non cadit illa consideratio, quæ in appaltibus doharerum, vel aliorum vectigalium cadere solet, ut scil. casus præbeat appaltatori, etiam circa finem sui appaltus, traductionem magnæ quantitatis mercium, quia nempe tunc advenerint flotta ab Indiis, vel ab aliis regionibus appulerint naves mercibus onustæ, ex quarum introductione magnum Dohanerio, seu Appaltatori lucrum resultet; Quia hic dici potest effectus alex, ac beneficium fortunæ, quo Appaltator non est prohibendus quamvis esset circa finem sui appaltus; Et in hac distinctione bonæ

vel

vel malæ fidei, ac sinceritate actus, vel fraudis, consistere videtur hujus materiæ veritas; Non tamen audivi amplius de controversia actum, quia forsan hæc theorica ita generice motivata, dedit causam concordandi, vel acquiescendi, ob congruam d. theoricæ applicationem ad factum.

ANNOT. AD DISC. LXXVIII. LXXIX. ET CXII.

COntenta in his discursibus super facultatibus appaltatorum, circa finem appaltus remittendo gabellam in totum, vel in parte, sive alias faciendi ea, quæ præjudicare possent appaltatori successori, revera continent quæstionem potius facti, quam juris, ex singulorum casuum circumstantiis decidendam; ideoque non de facili admittunt regulam certam, & generalem, atque error est procedere cum solis generalitatibus, cum totum pendeat a bona, vel mala fide; Istaque potissimum regulanda venit a stylo, seu consuetudine appaltus, quoniam si appaltator in fine sui appaltus id agat, quia idem passus sit a prædecessore, adeout pro naturali consuetudine appaltuum, pluries enunciata, præsertim infra *disc.* 107. habendi scil. primos annos ex ista causa potius steriles, & damnosos, compensandos cum ultimis annis ex eadem causa lucrosis, & uberius, ita proprium damnum compensare voluerit; tunc justum non esset, ut illi denegaretur hujusmodi compensatio; secus autem cessante hac ratione, quæ propterea materiam, seu quæstionem regulare debet.

ROMANA BULLI ALEARUM, PRO HOSPITALE SANCTI SIXTI, CUM JOANNE AZEVEDO APPALTATORE.

Casus non decisus ob concordiam.

Conductores, seu Appaltatores gabellarum, seu vectigalium An possint in fine appaltus gabellam, seu vectigal diminuere, ut ita frequentior sit rerum gabellabilium usus, ex quo locatoris, vel appaltatoris successoris præjudicium, & suplantatio resultet.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Conductor durante conductione nihil facere potest, quod præjudicet locatori, vel successori in conductione.*
3 *De ratione, ob quam Appaltatores gabellarum, & vectigalium non possunt diminuere gabellas, & onera.*
4 *Augmentum oneris, seu gabellæ continens conductoris præjudicium, itaut pensionis remissionem prætendere valeat.*
5 *Utilitas appaltuum consistit in jure vendendi, ac majori, vel minori venditione.*
6 *Vectigal quod solvitur pro bullo alearum lusoriarum est potius pœna, quam gabella.*
7 *Appaltator salis an possit in fine appaltus illum vendere pro minori pretio.*
8 *Auctoritas consulentium suspecta, & modicæ fidei.*
9 *De differentia venditionis mineralium, & mercium subjectarum appaltui, quæ fit forensibus non subditis, & quæ fit subditis.*
10 *Conductor potest uti re conducta, sed non abuti, quoties abusus alteri præjudicet.*
11 *Pretia taxata per Principem, vel magistratum non possunt per venditores, quamvis volentes, minui.*
12 *Quomodo practicanda sit hæc prohibitio.*

D I S C. LXXIX.

1 EREcto per Sixtum V. Hospitale ad eximium charitatis opus substentandi pauperes, qui ob decrepitam ætatem, vel infirmam valetudinem victum proprio labore sibi parare non possunt, inter alios redditus d. Hospitali ultra aliud vectigal lignorum, de quo in Romana appaltus lignorum, *hoc eod. tit. disc.* 81. assignavit etiam, ac elargitus fuit quoddam vectigal, consistens in bullo alearum lusoriarum, unius nempe julii pro quolibet bullo, seu sigillo, sine quo, sub gravibus pœnis, in Urbe & Statu Ecclesiastico, prohibitum est ludi posse. Cum autem de anno 1647. Gubernatores Hospitalis concessissent Joanni Azevedo ad novennium in appaltum bullum prædictum, seu jus bullandi sub annua pensione scut. circiter 5. mill. sub eo pacto inter cætera, quod in ultimo quatrimestre, dictum jus bullandi exercere nullatenus posset, consuetum vero alearum pretium, præsertim in Urbe, esset juliorum duorum pro quolibet fascirulo, vulgo *mazzo* nuncupato, ex quibus unus julius constituitur ex pretio intrinseco ipsius materiæ & opificii, alter vero ex pretio extrinseco ratione d. vectigalis, seu bulli, sine quo nec vendi possunt, neque cum eis ludi; Circa ultimum annum appaltus, conductor curando fabricari extra Urbem in aliquibus locis Status, & præsertim in Oppido Roncioglioni, quasdam aleas inferioris conditionis, quarum intrinsecum pretium erat dimidio inferius illis, quæ in Urbe fabricantur, atque ingenti hujusmodi generis quantitate introducta, & bullata, illas vendere cœpit ad rationem unius tantum julii pro quolibet fasciculo, de qua innovatione conquerentibus Gubernatoribus Hospitalis, ac etiam alearum artificibus Urbis, utpote utriusque partis supplantationem contiarnte, Judex d. Hospitalis, qui tunc erat insignis J.C. & hujus Curiæ Advocatus Concistorialis *Vermigliolus*, auctor consiliorum Appaltatori prædicto inhibuit, ne consuetum pretium in aleis vendendis diminuere posset, eoque petente moderationem dictæ inhibitionis, utpote restrictivæ illius facultatis, quæ durante appaltu libere ab eodem Hospitali sibi concessa fuerat, hinc proinde introducta desuper disputatione.

Pro Hospitali scribens, etiam cum sensu veritatis, Justam 2
dicebam inhibitionem, ea vero juria assumpto, ut conductor non possit durante conductione aliquid facere, quod ea finita, præjudicare possit locatori, vel successori in conductione, quia esset conferre suam facultatem in tempus inhabile, ac percipere ex re conducta fructus ultra tempus suæ conductionis, ad text. *in leg. & hac distinctio §. cum fundum ff. locati*, ubi Bart. Castrens. Salicet. & alii, idem Castrens. *cons.* 310. *lib.* 2. Ludovic. *decis. Perusina* 62. Marta *voto* 149. *n.* 4. Surd. *decis.* 131. *num.* 6. Franch. *decis.* 96. ubi in specie appaltatoris gabellæ farinæ, seu macinatus, ut non possit remittere partem gabellæ, si ex hujusmodi remissione præjudicium appaltui pro tempore futuro resultet, cujus auctoritate ita generaliter firmat, Cohell. *ad Bullam Boni Regiminis c.* 46. *num.* 42.

Præjudicia vero multa deducebam, primum nempe ex consuetudine, quæ inducebatur emendi aleas longe minori pretio, cum quo populi asueti, difficilius deinde induce- 3
rentur finito appaltu ad illas emendas pro cariori pretio antiquo, cujus alteratio videretur species novæ gabellæ, seu augmenti, quod nedum populos a frequentiori usu retrahere, sed etiam commotionem parere solet: Unde propterea omnium Europæ Principatuum observantia docet, Publicanis, seu vectigalium appaltatoribus prohibitum esse facere diminutiones generales, utpote Principis præjudicium continentes, ex jam d. ratione, quod populi diminuto oneri asueti, non de facili inducuntur ad statum antiquum, ut præsertim de hujusmodi prohibitionibus habetur in legibus Hispaniarum, de quibus Gutier. *de Gabellis, quæst.* 136. *num.* 27. *& per totum*.

Hinc habemus, quod si durante appaltu vectigalis, seu alterius oneris, Princeps illud augeat, quinimo augumenti rumor exotiatur, id reputatur Appaltatori præjudiciale, ex jam d. ratione, quod populi ob majus gravamen abstinent ab earum rerum frequentiori usu, ea quo vectigal exigitur ex deductis per Annam *alleg.* 21. Engen. *cons.* 50. *l.* 5. Marcian. *cons.* 7. *to.* 2. & alios: Igitur certum erat præjudicium Hospitalis pro tempore futuro circa venditionem alearum consueto pretio, ubi populi cum longe viliori asueti sunt.

Alterum locatoris in appaltu præjudicium dicebam illud, confidet atum apud Franch. *dict. decis.* 96. quod lusores, &
alii hoc infimo pretio allecti, ad superabundantiam de hu- 4
jusmodi aleis, se providerent ita, & taliter, quod pro primis annis novi appaltus, nulla, vel satis modica futura esset alearum de novo bullatarum venditio, unde appaltus remaneret inutilis, cum ejus utilitas tota consistat in jure vendendi, ac majori, vel minori smaltimento, juxta *cons.* 156. Soccin. *lib.* 2. ut in præcedentibus discursibus, *hoc eodem tit.* occasione appaltus Salium, vel aliorum mineralium frequenter deductum habetur; Quod evidenter convinci dicebam ex pacto expresse adjecto, ut non possit Appaltator in ultimo quatrimestre jus bullandi exercere, cum hoc ad aliud referri non possit nisi ad occurrendum d. præjudicio, quod est indubitatum.

Tertium præjudicium resultabat ex opificii destructione, 5
quia cum impossibile esset artificibus, & alearum compositoribus

toribus illas conficere, & vendere pro illo solo julio, quem pro bullo, seu gabella solvere debebant, neque pro majori pretio invenirentur emptores, dum isti eamdem mercem pro d. viliori ab eodem appaltatore habere poterant, de necessitate artifices cogebantur opus dimittere, aliamque artem assumere; unde finito illo appaltu, jus bullandi ex defectu materiæ remaneret, saltem per aliquod tempus, inutile.

6 Quam, etiam ponderabam Sixtum V. hujusmodi onus, non imposuisse per viam vectigalis, seu gabellæ, sed per viam pœnæ, ut scil. populi ab alearum usu abstinerent, vel facilius retraherentur, *ut disc. seqq.* proinde ludentes hujusmodi pœnam sentirent piis usibus applicatam, ex eadem forte ratione; Ideoque cum id respiciat bonum publicum, nec Appaltator, neque ipsimet Gubernatores Hospitalis, inconsulto Principe hujusmodi pœnam remittere poterant.

Hinc nullatenus obstare dicebam auctoritatem Ruini *conf. 74. vol. 1.* quæ in contrarium pro unico fundamento adducebatur, ubi in specie agitur de Appaltatore salis, non prohibendo per locatorem in ultimo semestri vendere salem in ea majori quantitate, qua potest, assignata ratione, quod
7 actum licitum faciat rem suam vendendo; Omisso enim, nihil, vel modicum in judicando deferendum esse auctoritati hujusmodi consulentium, non ad veritatem, sed pecuniæ & clienti servientium, multaque non vera pro ingenii ostentatione assumentium, ut quotidie experimur; Unde propterea consulentium auctoritatem suspectam merito dicunt nostri, ut apud Casanat. *conf. 35. n. 26. lib. 1.* Franch. *dec. 441. n. 4.* Caball. *resol. crim. 287. n. 85. dec. 438. p. 9. rec. n. 12.* atque apud me semper nulla visa est, parum laudando judices cum consulentibus eorum vota efformantes; cum distinctione tamen inter consilia ad veritatem, & alia ad clientis, seu causæ servitium.

Dicebam, Ruinum loqui in casu diverso, de venditione
8 scil. salis forensibus non subditis, quorum respectu nulla militabat ratio vectigalis, seu juris publici, cum illi non subjaceant necessitati emendi privative a manibus Appaltatoris salem pro pretio alterato, in quo vectigal consistit, ut sæpe ad materiam salinarum hoc tit. Sed emunt hujusmodi materiam tamquam simplicem mercem, quam suo libito alibi emere possunt, itaut major, vel minor venditio resultet a diligentia, & industria Appaltatoris. Quo impedito, non per hoc exteri impediuntur aliunde eamdem mercem habere, nec propterea coguntur illam a successore in appaltu suscipere, ut est in populis subditis, ideoque casus est omnino diversus, longe diversam habens rationem. Licet enim etiam forenses superabunde provisi de hac merce in appaltu præcedenti, abstineant ab illa emptione, quam in tempore subsequenti forte alias facturi essent. Nihilominus hoc est quoddam præjudicium remotum, ac omnino incertum & eventuale, quia possunt etiam non emere abeo, sed in aliis locis, & provinciis, & sic non est dare casum, quod conductor supplantet locatorem, seu successorem in conductione cum præmatura collectione illorum fructuum consistentium in Regalia magis, quam in ipsa materia, quos in tempore sequenti esset successor omnino percepturus. Et ex qua ratione, in appaltibus præsertim salis, observantia docet, quod Appaltatoribus, imminente fine appaltus, permittuntur pro quocumque pretio venditiones salis invenditi extra provinciam, seu Principatum; nullatenus vero intra provinciam, & cum subditis, & hæc videtur verissima distinctio.

Replicabat Appaltator se non diminuere bullum, seu ve-
9 ctigal, quod integrum exigebat, sed condonare materiam, quam, utpote suam, etiam in mare projicere poterat, ex vulgato axiomate, quod quilibet est rei suæ moderator, & arbiter. Sed satis frivola videbatur replicatio, quia hoc non esset
10 uti, sed abuti, quod conductor facere non potest, ut admittit idem Ruin. *d. conf. 74.* quoties abusus potest alteri præjudicium inferre. Quilibet enim potest projicere suum in ejus solum præjudicium, non autem alterius. Unde quando actus facienti non prodest, & alteri nocet, continere dicitur fraudem, & æmulationem ad communiter notata *in l. altius C. de servitutib. & aqua.* Accedente præsertim omnimoda improbabilitate, quod vir sagax, & industrius ita suum projicere velit, atque donare incognitis nullas gratias referentibus, ideoque lex imposita diceretur verbis, & non rebus. Siquidem appaltatores salis, & aliarum hujusmodi rerum, diminuendo pretium consuetum, dicere possent, ita exigere integrum vectigal Principis, sed condonare ipsam materiam, ejusque pretium intrinsecum, quod est suum, sed quia hoc Principi præjudicat, permittendum non est.

Ad quod, cum fortioribus terminis probandum, deduce-
11 bam id, quod in praxi receptum habemus in victualibus, aliisque rebus humani usus, nam taxato per Principem, vel Magistratum certo rerum pretio, non licet pro minori vendere, non obstante ratione prædicta, quod quisque potest suum profundere, ex alia validiori ratione boni, seu favoris publici, quia manutenendi & invitandi sunt mercatores, ut Civitas omni tempore abundet, alias enim rustici, vel transeuntes, certo tempore venderent viliori pretio; hujusmodi vero affluentia deficiente, Civitas patitur, ex deductis per Bovadil. *lib. 3. politicor. c. 4. n. 65. cum seqq.* & vidimus practicatum in Urbe, quod cum aliqui pistores vendere vellent panem pro viliori pretio, dando duodecim, vel quindecim panes pro quolibet julio, cujus pretium pro decem tantum panibus certi & determinati ponderis taxatum est, fuit eis prohibitum.

Subjungebam tamen, eodem sensu veritatis retento, prohibendam non esse Appaltatori industriam, & diligentiam habendi & vendendi aleas exteras pro minori pretio, quam
vendant chartarii Urbis. Aut enim dictæ aleæ exteræ sunt 12
æqualis bonitatis, & laudanda est industria, & diligentia Appaltatoris in reprimendo artificum monopolium, & injustitiam. Aut sunt inferioris conditionis, & non præjudicat fabricantibus chartas bonas, quod inferiores minori pretio vendantur, ut de mercibus, & victualibus passim habemus, habentibus varia pretia, juxta eorum majorem, vel minorem bonitatem; Neque ex hujusmodi pretii diminutione lusores ab onere, seu pœna relevantur, quia hujusmodi aleæ inferioris qualitatis facilius consumuntur, atque minori tempore durant, unde id, quod non solvunt intensive, solvunt extensive. Ideoque dicebam, pro meo judicio capiendam esse diligentem informationem de vero valore dictarum alearum exterarum, quanti scil. Appaltator in earum constructione, seu emptione, & vectura impendat, eique inhibendum, ne minori pretio vendat, quam importent pretium extrinsecum ratione bulli, & dictum pretium intrinsecum ratione materiæ; Et in hoc persistebat etiam doctus Judex. Sed quæstio finem habuit, quia idem Appaltator ad aliud novennium renovavit appaltum.

ROMANA BULLI ALEARUM,

PRO HOSPITALI SANCTI SIXTI, ET SOCIETATE CONFALONIS,

CUM CAMERA, SEU OPPOSITORIBUS.

Discursus loco supplicis libelli ad Sanctissimum.

An ille, cui aliquod vectigal, seu aliud jus concessum est pro universo Statu Ecclesiastico, valeat idem vectigal, seu jus exigere in ea parte, seu ditione, quæ de tempore concessionis, tamquam infeudata non reputabatur de statu, deinde vero per devolutionem, vel ex alio titulo, cum illo incorporata est, seu alias eodem modo regitur.

S U M M A R I U M.

1 *Falli series.*
2 *An Civitas, seu provincia addita Regno, cadat sub legibus Regni.*
3 *Quando est per viam devolutionis, seu reversionis ad primævum statum non dicitur additio.*
4 *Bullus alearum non est vectigal, sed pœna.*
5 *De ratione, ob quam in ditione Bononien. Ferrarien. & Urbinaten. non exigitur hic bullus alearum, & alia onera.*

D I S C. LXXX.

JUxta seriem de qua *disc. preced.* Sixtus V. ad reprimendum ludum alearum, atque ita aliqualiter puniendum illos lusores, cum quibus ex defectu probationum, seu alias practicari non possint aliæ pœnæ in bannimentis contentæ, imposuit pro Urbe, & universo Statu Ecclesiastico quoddam vectigal, seu onus unius julii pro quolibet fasciculo, vulgo *Mazzo* nuncupato, sub gravibus pœnis adjectis ludentibus cum aleis, non habentibus Appaltatoris bullum, quod designat dicti julii solutionem; emolumenta vero exinde percipi consueta, numquam Cameræ incorporavit, sed tamquam speciem mulctæ applicavit per aliquos annos

annos diversis locis, vel operibus piis, deinde vero perpetuo istud jus concessit Hospitali pauperum mendicantium S. Sixti, & Societatis Confalonis pro quibusdam respective ratis inter se. Cum autem de eo tempore Status Castri usque a temporibus Pauli III, infeudatus Duci Parmæ, ab isto regeretur omnino independenter ab Officialibus, & Ministris Papæ, itaut, tam quoad justitiæ administrationem, quam quoad vectigalia, aliaque onera, sive de jure, sive de facto (quod mihi ignotum est,) reputaretur pars distincta a Statu Ecclesiastico, & sub eo non comprehensa, eodem modo, quo reputatur Ducatus Parmæ, & Placentiæ, idcirco in Statu prædicto, usus alearum habitus semper fuit a d. bullo immunis. Præbente autem casu in chronicle notorio, quod idem Status committeretur gubernio, & administrationi Gubernatoris Viterbii sub directione Sac. Consultæ, ita & taliter, quod reputaretur tamquam pars reliqui Status Ecclesiastici immediati, proindeque appaltatores d. bulli istum exigerent, & practicarent, eo modo, quo in reliquo Statu. Hinc post aliquos annos prætendere cœperunt, vel ejusdem Status populi, vel Camerales, ibi continuari debere usum alearum absque d. bullo, sicuti retroactis temporibus practicatum fuerat, sub eo prætextu, quod sub d. impositione, vel respective concessione, facta per Sixtum V. ista pars comprehensa non esset, utpote de eo tempore a Statu dismembrata,

Unde occasione recurrendi ad Papam, in supplici libello legali porrecto eidem, qui justam reputando Hospitalis, &
2 Societatis petitionem, oretenus Thesaurario mandavit, ut continuarent in exactione d. bulli, eo modo, quo per plures annos post dict. unionem, seu incorporationem practicatum fuerat. Cum sensu etiam veritatis, scribens pro d. locis piis, dicebam, ex duplici fundamento improbabilem esse d. oppositionem. Primo, quia non agebatur de novi dominii acquisitione per viam unionis, seu formalis additionis, itaut intraret quæstio, de qua in Urbinat. prædii *sub tit. de feud.* ad materiam bullæ Baronum *disc.* 83. & in decisionibus desuper editis post Paitell *disc.* 50. 51. An scil. provinciæ, vel Civitates de novo additæ Regno, vel Principatui, cadant sub legibus, privilegiis, vel respective oneribus antiqui Regni, vel Principatus ante additionem. Sed agebatur de reversione ad priorem causam, seu statum, tamquam per remotionem obstaculi resultantis ab infeudatione, causante quandam accidentalem separationem, itaut facto ca-
3 su devolutionis, seu incamerationis, revera dici non posset additio novæ provinciæ, vel ditionis, juxta ea, quæ habentur in eadem Urbinat. ac etiam Romana, seu Status Ecclesiastici infeudationum, *eod. tit. de feud. disc.* 61.

Et sic dum concessio est pro universo Statu Ecclesiastico, ista pars venire dicitur tamquam membrum sub corpore, quamvis de tempore concessionis, tunc sub eo non comprehenderetur, quoniam attenditur causa universalis, non autem accidentalis alteratio, quæ sicuti potest se habere ad augmentum, ita etiam ad decrementum. Unde quemadmodum sit per Papam successorem aliqua Civitas, vel provincia, in qua hujusmodi vectigal exigi consueverat, infeudata esset per viam feudi dignitatis, ita & taliter quod, excepto alto dominio, in reliquis quoad onera, & alia, importaret separationem a reliquo Statu, non posset concessionarius conqueri de diminutione, ita sibi denegandum non est augmentum, ad regulam, text. *in leg. secundum naturam, &c.* seu justa receptam propositionem, quam habemus *ex l. Præses, C. de fideic. cum concord.* ut læsio, vel præjudicium allegari non possit ex actu, vel alteratione, quæ æque poterat se habere ad commodum, vel incommodum, seu damnum, vel utilitatem.

Secundo magis ad rem, quod non ageretur de simplici vectigali, seu gabella imposita in loco, itaut intraret quæstio: An extenderetur ad loca addita, & per impositorem non contemplata, sed potius de quadam pœna, seu mulcta, quam cumulative ad alias pœnas, contentas in bannimentis,
4 Papa lusoribus, ad eos reprimendos, infligere voluit, ut in puncto advertitur per Rot. in Romana appaltus 22. Junii 1657. cor. Dunozett. impress. apud Censal. *in repet. l. univ. Cod. si quis Imperatori maledix. fol. 98. & inter suas decis.* 1003. ubi ex d. ratione deciditur, hujus bulli Appaltatori non competere prætensum defalcum ob bannimenta prohibentia ludum alearum in anno Jubilæi.

Si ergo est species pœnæ adjectæ pro bono regimine subditorum, ut ita coerceantur ab eo actu, qui per Papam reputatur illicitus, & criminosus, non dicitur onus locale, vel reale, sub potius personale, impositum omnibus subditis sub ejusdem Principis regimine viventibus, cum quibus pariformiter justitia ministranda est, & consequenter ista ratio, seu causa universalis debet solum spectari. Absurdum enim, ac alias omnino incongruum esset, quod inter pariformiter Papæ subditos, quinimo sub eodem gubernio viventes, aliquibus ludus esset prohibitus, & non exercibilis, nisi saltem cum hujus oneris solutione, aliis vero licitus, ex recepto juris axiomate, quod dispositio æque respiciens plura determinabilia, debet ea pariformiter determinare.

Neque alicujus momenti videbatur, quod hujusmodi locorum incolis dictus alearum usus absque hujusmodi oneris supportatione alias esset permissus, quodque ob jus redimendi dari posset casus reversionis hujus Status ad priorem naturam; & sub regimine feudatarii. Quoniam ubi Papa committit feudatario majori regimen aliquorum populorum, sollicitus non est, quomodo vivant, sed confidit de Domino mediato, ut practicatur in Regno Neapolitano, in Ducatu Parmæ, & Placentiæ, ac practicabatur in Ducatibus Ferrariæ, & Urbini; Sed quando ipse per seipsum, ejusque Præsides, & Officiales, tale regimen habet, tunc istud est uniforme quoad omnes sub eisdem legibus, & prohibitionibus vivere debentes, donec ista causa, seu ratio universalis durat.

Major difficultas resultabat ex contraria observantia Ducatuum Ferrariæ, & Urbini, quorum devolutio post d. oneris indictionem sequuta est, itaut jure reversionis ad priorem causam effecti sint de Statu Ecclesiastico ex deductis in Urbinaten. *sub tit. de feud. disc.* 83. & tunc non veniunt sub hoc onera; tollebatur vero difficultas ex particularibus facti circumstantiis, ex quibus etiam Civitas Bononiæ cum ejus comitatu, seu legatione non venit, tam sub isto, quam sub reliquis oneribus, & collectis Status Ecclesiastici. Quod scilicet Pontifices dict. Civitatem, alias pro Republica se 5
gerentem, seu sub propriis Tyrannis rectam, & ad Sedis Apostolicæ obedientiam reversam, relinquere voluerunt in suo consueto statu, etiam cum monetis diversis, & sub diverso modo supportationis publicorum onerum, Cardinali Legato faciente quandam figuram Principis particularis illius ditionis, Idemque, & forte cum amplioribus privilegiis concedere voluit Clemens VIII. Ferrariensibus, ut continuarent in eorum primævo statu, quodammodo separato a reliquo, per ipsum Papam directe, & immediate gubernato. Atque adinstar, idem concessit etiam Urbanus VIII. pro Statu Urbini, in quibus Cardinalis legatus facit eam figuram, quam respective Dux ante devolutionem faciebat, ex iis, quæ habentur in Ferrarien. *sub tit. de Jurisdict. & foro competent.* itaut licet revera sint de Statu Ecclesiastico, qui est unus & idem, cum non possit Papa esse Dominus, & Feudatarius, attamen ex quadam fictione censentur durare in antiqua separatione, quod in præsenti dici non potest de hac parte, dum regitur sub S. Consulta, tamquam reliquus Status immediatus.

ANNOTAT. AD DISC. LXXX. & LXXXVII.

AD materiam hujus discursus, ut in eodem quoque advertitur, conferunt ea, quæ habemus *lib.* 1. *de Feud. disc.* 83. in proposito legum, & edictorum Regni, vel Principatus, an comprehendant Civitates, vel Provincias de novo addi as; Ac etiam circa modum additamenti, conferunt distinctiones deductæ *disc.* 29. *de Præem.* an scil. sit per viam reversionis, vel omnimodæ incorporationis, tamquam per speciem alluvionis, ut omnes partes constituant unum, & idem corpus, vel potius per alteram speciem unionis, per quam quilibet Provincia, vel pars constituit suum corpus distinctum, ex ibi ponderatis.

ROMANA APPALTUS LIGNORUM

INTER HOSPITALE S. SIXTI ET VENANTIUN MAJOREM OBLATOREM,

CUM ANTONIO SCARIONO, ET SOCIIS.

Motiva, & votum.

De solemnitatibus necessariis in locatione vectigalium, quando non a fisco, sed a privato possidentur.

Et quid si ab Hospitali, vel pio loco. Et de locatione bonorum, & jurium Ecclesiæ.

Quando Regalia possessa per privatum desinant esse Regalia, eorumque nomen, & prærogativam amittant.

Et aliqua de materia novæ additionis post factum appaltum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*

2 *Appaltus debetur illi, qui majorem validam oblationem fecit.*

3 *Quando scriptura conventa non est ad substantiam, sed ad probationem contractus, ejus omissio non tollit perfectionem actus.*

4 *Inhibitio* prout de Jure, *non afficit, nisi quatenus de jure afficere debet.*

5 *De solemnitatibus necessariis in locatione vectigalium, & n. 14.*

6 *Quid ubi vectigalia non sunt penes fiscum, sed penes privatum.*

7 *De solemnitatibus requisitis in locatione bonorum Ecclesiæ, vel Hospitalis, & n. 9. 13. & 16.*

8 *Hospitalia, & pia loca videntur regulanda jure Universitatum.*

9 *An solemnitates requisitæ in alienatione bonorum Ecclesiæ sint in usu, & n. 13.*

10 *Negativa solemnitatum adhibitarum, quando probetur.*

11 *De differentia inter observantiam interpretativam, & præscriptivam, & n. 18.*

12 *De privilegio addictionis in diem, competente fisco, vel minori, an competat Hospitali, & Ecclesiæ, & quando d. addictioni sit locus, & n. 24.*

13 *De solemnitatibus requisitis in locatione, vel alienatione bonorum Ecclesiæ, & n. 16.*

14 *Declaratur, quando in locatione vectigalium, vel rerum fiscalium non requirantur solemnitates, & num. 19.*

15 *Regalia an amittant suam naturam, & privilegia, quando possidentur per privatum, & n. 20.*

16 *De conclusione, de qua n. 9. & 13.*

17 *An solemnitates de jure requisitæ in alienationibus bonorum minorum hodie sint in usu.*

18 *De differentia inter observantiam præscriptivam, & interpretativam, & n. 11.*

19 *De conclusione, de qua n. 7. & 14.*

20 *De conclusione, de qua n. 15. & 22.*

21 *Vectigalia licet sint de Regalibus, possunt esse privatorum, & Communitatum.*

22 *De eadem conclusione, de qua n. 15. & 20.*

23 *De ratione d. conclusionis, quare scil. penes Principem dicantur Regalia, & penes alios non.*

24 *De addictione, de qua n. 12.*

25 *Actus minus solemnis de equitate substinetur, quando constat eum bona fide gestum esse.*

26 *An, & quando in judicando sequenda sit equitas non scripta omisso rigore juris scripti.*

DISC. LXXXI. MOTIVA.

FExit Sixtus V. de ann. 1587. Hospitale pauperum mendicantium S. Sixti, cui pro dictorum pauperum substen-
1 tatione, inter cætera assignavit duas gabellas, unam scil. lignorum combustibilium, & non combustibilium, quæ ad Urbem per flumen, vel per terram introducuntur, & alteram bulli alearum lusoriarum, quæ per ejusdem Hospitalis Gubernatores concedi solent in appaltum, ad septem, ac plus vel minus annos. Et quando ad hujusmodi appaltus faciendos procedendum est, servatum aliquando constat, præcessisse edicta impressa per aliquod tempus publice affixa.

Ut super appaltibus lignorum de annis 1602. 1610. 1621. 1638. & 1656. habentur edicta impressa, quæ pariter habentur impressa super appaltibus bulli alearum de annis 1636, 1645. & 1656. & in quo appaltu constat etiam de consuetudine faciendi edicta, *ex dec. 376. p. 4. rec.* ubi in specie de uno ex his appaltibus: neque constat, quod in aliis id servatum non fuerit, itaut probetur hujusmodi solemnitatis negativa, ut infra.

Terminato autem de anno 1657. ultimo appaltu lignorum, ac non repetito forsan novo oblatore pro convenienti pensione, gabella prædicta tenta fuit per Hospitale in administratione usque ad hunc annum 1665. in quo de mense Maii Gubernatores, judicantes magis expedire illam concedere in appaltum, ad praxim id reduxerunt, concedendo gabellæ prædictæ appaltum Scariono & sociis ad septennium, pro annua pensione scut. 5850. dictusque contractus conclusus, ac perfectus fuit sub die Mercurii 27. mensis prædicti in Congregatione habita in privata domo unius Gubernatoris, omittendo instrumenti stipulationem in gratiam ipsorum Gubernatorum pro aliquorum capitulorum reformatione, expresse tamen conveniendo, ut hoc non obstante, ex nunc contractus censeretur perfectus, & utriusque partis obligatorius.

Die 30. ejusdem mensis Consarinus obtulit in actis Notarii Hospitalis super d. appaltu pensionum scutor. 5900. & sic augmentum scut. 50. atque d. Scariono, & Gubernatoribus oblationem intimando, protestatus fuit non procedi ad confectionem instrumenti, & a me judice hospitalis obtinuit decretum, dictam intimationem afficere prout de jure, qua inhibitione non obstante, sub die 2. Junii processum fuit ad d. instrumenti celebrationem, unde Consarinus prætendens hoc fuisse attentatum, litem instituit coram d. judice, eaque pendente, Venantius sub die 7. Julii sequentis aliam fecit in dictis actis oblationem scut. 5950. petendo dictam ejus oblationem tamquam majorem recipi, ac appaltum sibi adjudicari; Unde ego tamquam d. Hospitalis judex, auditis pluries partibus hincinde, habitoque colloquio in Congregatione cum Gubernatoribus, sub die 7. Septembris per modum provisionis, ac sine præjudicio jurium partium, decrevi affigi edicta pro nova accensione candelæ certis die, hora, loco facienda, & recipi oblationes, ad effectum, ut de eis haberetur ea ratio, quæ de jure habenda erit. In cujus decreti executionem, affixis edictis, atque statuta die & hora, facta accensione candelæ, idem Venantius ibidem præsens, approbando dict. oblationem alias factam, alio non comparente remansit major oblator.

His stantibus, introducta causa coram me ad veritatem eruendam edidi motiva, ut sequitur.

Decisio hujus controversiæ pendere videtur a puncto vali- 2
ditatis, vel invaliditatis d. primi appaltus. Si enim esset invalidus, de plano resultaret, nullum jus conductori quæsitum esse, ideoque instrumentum initum cum Gubernatoribus non suffragari, sed appaltum debuisse illi, qui valide, & cum debitis solemnitatibus est major oblator. Ut in individuo consimilis appaltus dictæ alterius gabellæ bulli alearum facti per Gubernatores istius Hospitalis habetur *dict. dec. 136. p. 4. rec.* & pro absoluto supponitur apud Marin. aliosque scribentes apud eum, *ref. 46. & 147. lib. 1.* & Cohell. *ad Bullam Boni Regimin. c. 49. n. 8.* ubi agitur de materia addictionis in diem admittenda, vel neganda, quoniam semper præsupponitur, actum valide, & cum debitis solemnitatibus initum esse, in quo tantum casu intrat quæstio addictionis, nullatenus cadens in casu nullitatis.

Pro invaliditate duo fundamenta ponderari possunt, unum, quod re integra, & antequam ad instrumenti confectionem processum esset, oblata fuerit major oblatio, præsertim dum adesset inhibitio per judicem admissa, prout de jure; Alterum vero, quod servatæ non essent debitæ solemnitates, illa præsertim affixionis edictorum, quibus mediantibus ad omnium notitiam futurus appaltus devenire potuerit.

Primum fundamentum, etsi primo aspectu magis speciosum, non tamen videtur considerabile, quia cum contractus esset jam perfectus usque a die 27. mensis Maii, non poterant Gubernatores ab eo recedere, datamque fidem violare, atque tollere jus Appaltatori jam quæsitum, nam quo magis agitur de Ecclesia, vel loco pio, eo magis data fides est servanda, ut punctualiter *dicta dec. 376. n. 7. p. 4. rec.* Nil obstante quod adhuc processum non fuisset ad confectionem instrumenti, quoniam illud non est de substantia contractus locationis, & conductionis, qui sine scriptura confici potest, eaque ad solam meliorem probationem efficacioremque obligationem, ac magis promptam executionem, fieri solet.

Et quando constat futuræ scripturæ conventionem ini- 3
tam esse, non ad substantiam, sed ad probationem contractus, tunc illius omissio, vel dilatio non præjudicat perfectioni actus ad text. cum ibi not. *in leg. contractus, Cod. de fid. instrum.* & post antiquiores late Gizzarell. *dec. 75.* Thesaur. *dec. 197.* Rovit. *dec. 88.* Capyc. Latr. *consult. 11.* Buratt. & *Add. dec. 640. dec.* an. post Mangil. *de subhastat.* Romana pecuniaria 26. Junii 1654. Bichio, & passim.

Et ideo cum ipsimet Gubernatores testentur de omnimoda perfectione contractus sub die 27. suspensa scriptura, gratia accommodationis aliquorum capitulorum, illisque

nullum

nullum proprium interesse habentibus ob eximiam eorum nobilitatem, integritatem, & optimam conscientiam, omnino deferendum videatur, potissime quia de eodem facto alii quoque ejusdem Hospitalis ministri testantur; Sequitur proinde dictam oblationem cum inhibitione, omnibusque subsequutis, tamquam in tempore inhabili, nullius esse ponderis, solumque cadere posse quæstionem ad-
4 dictionis in diem, de qua infra, cum decretum judicis esset, quod inhibitio afficeret, prout de jure, quo casu eatenus afficit, quatenus de jure offerentis pretio admittenda esset, ex deductis in terminis clausulæ *prout de jure*, per Barbos. *clauf.* 115. *n.* 12. Rota *dec.* 94. *part.* 11. *rec. in fin.* ubi de obligatione: *prout de jure*, & in proximis terminis appellationis admissæ cum clausula, *si & quantum, add. ad* Vestr. *lib.* 7. *cap. ult. n.* 22. adden. ad Buratt. *dec.* 171. *n.* 9. ubi concordantes.

Difficultas autem esse videtur in altero fundamento omissarum solemnitatum, illius præsertim edictorum, cum subsequuta subhastatione, seu alio actu de consuetudine æquipollenti, qui loco subhastationis, ratione consuetudinis, reputari solet sufficiens, ea deductis per Cohell. ad Bullam *d. cap* 46. *n.* 5. *& seq. & n.* 10.

Dictam vero solemnitatem esse necessariam, plura suadent. Primo, quia tractatur de locatione gabellarum, in qua subhastationis solemnitatem esse necessariam statuitur
5 *in l. licitatio, ff. de publican. & vectigal. l. penult. C. de vectigal. & Commiss.* & firmant DD. de quibus Mauson. *de cauf. execut. lib.* 1. *ampliat.* 30. *n.* 11. & Posth. *de subhast. inspect.* 3. *n.* 54. Unde cum in præsenti agatur de appaltu gabellæ, videmur esse in casu.

Nil obstante, quod dictæ auctoritates, & aliæ, supponant gabellam esse penes fiscum, vel Rempublicam, seu Communitatem, ut est earum natura, & consuetudo; quoniam esse penes privatum ex Supremi Principis concessio-
6 ne, tollere non videtur naturam Regaliæ, siquidem jus exigendi gabellam, utpote de Regalibus, adhuc residet penes ipsum Principem, a quo jus abdicatum non dicitur, sed in Hospitale, vel alium privatum, videtur solum translatum ipsius Regaliæ commodum, firmo remanente ipso jure penes Principem, quem ita censetur exigere a populo gabellam, dando brevi manu & per actum occultum ejus emolumentum pro eleemosyna huic Hospitali, eodem modo, quo dicendum esset, si super alicujus gabellæ, vel vectigalis emolumentis Papa erigeret Montem, assignando Montistis ipsum vectigal, ut per seipsos administrarent, ac emolumenta perciperent, quia non per hoc vectigal desineret esse fiscale, & de Regalibus, ac pertinentiis Principis; Quod etiam comprobat observantia, quia ista vectigalia exiguntur manu regia, & cum bannimentis Camerariis eodem modo, quo reliqua vectigalia cameralia.

Potissime quia Papa Sixtus, potius actum justitiæ, quam puræ gratiæ, & liberalitatis, ita exercuisse videtur, quia cum Princeps dicatur Reipublicæ maritus, & populorum pater, sibi incumbit onus providendi populum omni alio auxilio destitutum, ac alere eos, qui cum proprio labore victum sibi comparare non possunt, ut sunt isti mendicantes ob decrepitam ætatem, vel infirmam valetudinem ad hunc statum redacti, qui permittendi non sunt, ut ex ostiaria mendicitate vivant, neque per eos practicabili, ideoque est de rebus ad Principem spectantibus. Et nihilominus, loquendo etiam pragmatice, juxta nostri seculi abusum, sufficit dicere, conclusionem generaliter agere de gabellarum locatione, ideoque onus esse allegantis hanc limitationem, etiam cum specialibus auctoritatibus probare, Mantic. *dec.* 251. *n.* 4.

Secundo quia de jure statumm etiam est, eamdem solemnitatem requiri in alienatione, vel locatione bonorum
7 Ecclesiarum & Hospitalium, ut ex Munoz. & aliis plene congestis, Posth. *eodem tract. de subhast. inspect.* 2. *n.* 3. ubi licet declarare videatur, ut non procedat in locatione ad modicum tempus, attamen quicquid esset antiquitus in terminis, *cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien. & concesd.* hodie dici non potest locatio ad medicum tempus, nisi ea, quæ fit infra triennium; ubi vero illud excedit, venit sub nomine prohibitæ alienationis, neque jure locationis ad longum tempus reputatur per satis notam extravag. Ambitiosæ *de reb. Eccles. non alien.* ubi omnes, de quibus Merlin. *dec.* 826. *dec.* 219. *part.* 11. *rec.* Bojanen. *officiis* 5. *Junii* 1662. Albergato, & passim.

Tertio quia iste pius locus continere videtur quamdam Universitatem, seu Communitatem per regales admini-
8 stratores rectam, ideoque dicta solemnitas requiritur,

ex deductis per Posth. *d. inspect.* 3. *n.* 40. *cum seq.* Cohell. ad Bull. *d. cap.* 46. *n.* 3. *cum seq.*

Neque præmissis obstare videtur, quod, vel de jure canonico, vel de consuetudine, solemnitates alias de jure civili desideratæ, non requirantur in alienatione, vel lo- 9
catione bonorum Ecclesiæ ex deductis per Posth. *d. inspect.* 2. *n.* 13. *&* 18. quoniam hæc responsio percutere potest secundum fundamentum, non autem primum, & tertium, quorum unum subsistere sufficit; præsertim quia in Statu Ecclesiastico, in quo jus canonicum, etiam in temporalibus potius attendendum est, in proposito non servatur, sed potius usu recepta est dispositio juris civilis in bonis Universitatum, ut per Cohell. *d. cap.* 46.

Ac ulterius, motivum contrariæ consuetudinis generalis tollitur ex contraria observantia, seu consuetudine particulari hujus loci, de qua in prænarrata facti serie. Nil obstante replicatione, quod dicta observantia non probetur uniformis, & continuata in omnibus appaltibus, ut de jure requiritur ad consuetudinem inducendam, quinimo potius docetur de contrario, quod plerique adsint appaltus absque istis solemnitatibus initi.

Tum quia hoc ultimum assumptum nullatenus in facto justificatur, non per hoc enim, quod in aliquibus instrumentis dicitur præcessisse edicta, in aliis autem id non dicitur, 10
ergo sequitur probari negativam; quoniam nulla necessitas cogebat id in instrumento asserere, atque possunt inimmo stare edicta præcessisse, & de illis in instrumentis non fieri mentionem, ideoque dici non potest probata negativa, quæ tunc demum ex instrumentis, vel scripturis probata dicitur, quando agitur de actu de necessitate justificando ex ipsa scriptura, ex qua, & non alias de affirmativa constare deberet, Surd. *dec.* 300. *n.* 11. Buratt. *dec.* 10. *n.* 5. *& seq. dec.* 20. *n.* 7. *& dec.* 120. & est axioma quotidianum.

Tum clarius, quia non agitur de probanda, vel inducenda observantia præscriptiva, vel consuetudine contra jus, ac novi juris inductiva, in quibus terminis hæc rigo- 11
rosa probatio necessaria est, sed potius de observantia juris interpretativa, vel corroborativa, seu impeditiva contrariæ consuetudinis, unde dum constat ita servatum esse usque ab anno 1610. ut supra, si qui diversi moderni actus contrarii darentur, esset potius allegare inconveniens, atque dici posse videtur fuisse in eis erratum, sicut in isto actu controverso erratum prætenditur.

Cæterum ubi etiam ob d. solemnitatis omissionem actus non omnino nullus censendus esset, adhuc tamen dicen- 12
dum videtur esse locum addictioni in diem, cum agatur de gabella, quæ dicitur de rebus fiscalibus, ac Regalibus, supremo Principi competentibus, in quibus videtur locum esse addictioni in diem, proindeque recipiendas esse novas majores oblationes ad text. *in l. si tempora*, ubi glos. Bart. *& cæteri C. de fid. instrum. & jure hast. fiscal. lib.* 10. *l. Lucius*, §. *fin. ff. ad municip.* Alfar. *de offic. fiscal. gloss.* 34. 9. *special. de Marian. resol.* 46. *q.* 1. *lib.* 1. *& scribentes ibid. n.* 13. Non obstante, quod non agatur de fisco, sed de Hospitali, quia videtur adaptabilis eadem responsio, de qua supra, versic. *Nil obstante*, &c.

Item Ecclesiæ, Hospitalia, & pia loca absque dubio gaudent omnibus privilegiis minorum DD. communiter *in l. minorum, Cod. in quib. cauf. in integr. restit. non est necess.* Tiraquell. *privil. pia causa* 142. ubi Ricc. in addit. Rovit. *dec.* 90. *n.* 7. unde cum hoc privilegium concedatur minori per text. *in l. & si sine dolo*, §. *quæsitum, ff. de minor. de Marin. d. resol.* 46. *n.* 7. *&* 147. *n.* 13. & de consequenti competit huic pio loco.

Et licet utroque casu, tam respectu minoris, quam fisci, de hoc assumpto dubitetur, ubi præsertim res non est adhuc integra, quia deventum esset ad executionem contractus, nihilominus difficultas admittitur, cum triplici temperamento. Primo nempe, ubi augmentum non est notabile. Secundo, ubi res non est integra. Et tertio potissime, ubi locatio facta est legitimis subhastationibus præcedentibus, atque congruo loco & tempore, ut per Marin. *d. ref.* 46. *n.* 8. *& ref.* 147. *n.* 23. *& in fin. ac per tot.*

Et ideo quicquid sit de primo extremo augmenti notabilis, quod in præsenti videtur dici non posse, cum neque sit centesima portio, & sic quid modicum in jure non considerabile, cessant alia duo, quia de tempore facti additamentis res erat integra, cum appaltus initiari deberet die prima Junii, atque dupliciter deficit alterum extremum necessarium, quod scil. solemnitates, vel legales, vel consuetæ non præcesserunt, quodque appaltus factus non est in loco congruo, quia cum omnes congrega-

tiones fieri soleant certis statutis, loco, die, & hora, in quadam scil. mansione ipsius Hospitalis, & in die lunæ de mane, incongrue in omnibus ita gestum videtur, faciendo dictum appaltum extra locum & diem consuetum, dum id actum fuit in domo privata unius Gubernatoris die Mercurii, & forsan non in hora consueta.

Hæc sunt, quæ in sola ratione motivandi ad veritatem eruendam in præsenti controversia videntur hinc inde facere difficultates, pro quibus respective tollendis esse debebit munus utriusque partis defensorum, ut eis visis possit judex adhuc indeterminatus a doctis scribentibus magis illuminatus veritatem dignoscere, atque unicuique quod suum est, præbere. Desiderantur tamen responsiones cathegoricæ, ac strictæ percutientes difficultates, cum auctoritatibus specialibus, quia regulæ generales possunt præsupponi. His autem motivis communicatis, ac ponderatis responsionibus datis per scribentes, hinc inde edidi votum, ut sequitur.

VOTUM.

Editis motivis hujus controversiæ præcipuam difficultatem restringentibus ad punctum nullitatis primi appaltus, ob non servatas solemnitates in locationibus bonorum Ecclesiæ & Hospitalium, sive in appaltibus vectigalium requisitas, scribentes pro Scarione & sociis, primis Appaltatoribus, quos motiva feriebant, plures dederunt responsiones, atque distinguendo primam speciem solemnitatum requisitarum in locationibus bonorum Ecclesiæ, vel Hospitalis, ab altera illarum, quæ in vectigalium appaltibus requiruntur.

13 Quatenus pertinet ad primam, dixerunt solemnitates
de jure civili in alienatione bonorum Ecclesiæ requisitas, super quibus ample auctoritates colligit Posth. *de subhast. inspect.* 2. *n.* 1. hodie non requiri, vel de consuetudine, vel quia jus canonicum eas non curat, Redoan. *de rebus Eccles. non alien.* q. 24. *n.* 39. Grat. *discept.* 479. *n.* 16. Mangil. *de subhast.* q. 29. *n.* 3. Posth. *d. inspect.* 2. *n.* 13. quibus addi potest Ridolphin. *in praxi p.* 1. *c.* 25. *n.* 60. quodque in omnem eventum id non procederet in locatione ad modicum tempus ex eodem Posth. *n.* 4. *&* 5.

Quo vero ad alteram, dupliciter responderunt, primo
14 scil. id procedere in appaltibus, vel alienationibus, quæ fierent per procuratorem fisci, cujus facultas ita restricta est, non autem ubi fiunt per alium ad id deputatum a Principe, ex Aponte *cons.* 53. *&* 54. *&* *de potest. Proreg. tit.* 4. *de regal. impos.* §. 5. *n.* 30. *cum seq.*

Et secundo, ut id procedat, quando vectigal possidetur,
15 & in appaltum conceditur per ipsum fiscum, secus autem si per privatum, cui Princeps concesserit, quia Regalia possessa per privatum amittunt Regalium naturam & privilegia, & regulantur jure privatorum bonorum, allegando Ilern. *tit. quæ sint regalia n.* 52. *in fin.* Lanar. *cons.* 34. *n.* 8. *& cons.* 30. *n.* 6 Rovit. *dec.* 72. *n.* 33. Franch. *dec.* 56. *n.* 16. Cutel. *dec.* 29. *n.* 3. Hodiern. *controv.* 45. *n.* 26. *&* 28. Montan. *de regal. in prælud. n.* 35. *&* 39. Lanar. jun. in addit. ad Lanar. Sen. *in cap.* 1. *de success. feud. n.* 57. *in fin.* Quibus addi possunt Mastrill. *de magistrat. l.* 3. *c.* 10. *n.* 335. *& l.* 1. *cap.* 11. *n.* 13. Bilott. *conclus. feudal.* 58. *n.* 10. Amichang. *in rub. quæ sint regalia cap.* 2. *n.* 16. *&* 17. *& cap.* 5. *n.* 59. Et magis ad rem Cunan. *cons.* 162. Roland. *cons.* 42. *n.* 33. *& seq. lib.* 2. Venturin. *cons.* 21. *n.* 47. ubi quod hæc Regalia penes privatos venduntur & locantur jure aliorum privatorum bonorum.

Ad aliam vero difficultatem super addictione, cui re integra locum esse probatur in motivis adinstar minoris. Responderunt cessante læsione, id non esse admittendum post locationis contractum jam perfectum, ex collectis per Amat. *var. c.* 38. *n.* 19. & de Marin. in locis allegatis in eisdem motivis.

Responsiones autem prædictæ, quamvis & doctæ & elaboratæ, nullatenus tamen satisfacere videntur, neque motivorum vim enervare; singulas etenim juxta præmissum ordinem examinando.

Prima responsio percutit solemnitatem provenientem ex
16 *auth. hoc jus porrectum Cod. de Sacros. Eccl.* & in corpore unde sumitur, & in hoc credo quod bene scribentes dicant, potissime quia hodie post extravag. Ambitiosæ, omnes aliæ solemnitates etiam præscriptæ a jure canonico *in cap. nulli rebus Eccles. non alien. & concordan.* dici possunt antiquatæ, cum sufficiat servari formam dictæ extravag. consistentis potissime in beneplacito Apostolico, quod, justa causa concurrente, omnes alias solemnitates supplet, Franch. *dec.* 163. *n.* 13. Duran. *dec.* 397. *n.* 8. *&* 459. *n.* 4. *dec.* 260. *n.* 6. *p.* 4. *rec. tom.* 2. 222. *p.* 7. & passim. Et ex hoc etiam pendet distinctio inter locationem ad longum, vel breve tempus, ad effectum scilicet inspiciendi, quando cadat necne sub vocabulo alienationis, de qua loquitur, text. *in d. auth. hoc jus porrectum.*

Verum non est iste casus, quoniam necessitas subhastationum, seu edictorum, aliorumque actuum publicationis, ac diligentiarum, non provenit ex dispositione dicti textus, sed ex ea necessitate, quæ tutoribus aliisque legalibus administratoribus incumbit, publice, & palam, ac prævias debitis, & consuetis diligentiis vendendi, seu locandi bona pupillorum, aliorumque sub legali administratione viventium, ut ita omnis deceptionis, & fraudis suspicio absit, & ne in administratorem arbitrio repositum sit hujusmodi actus clandestinos facere, ut bene Plotus *in tract. de in litem jurando* §. 5. *n.* 3. *&* 5. a quo desumit, Munoz. *de ratiocin. c.* 16. *n.* 3. qui punctualiter agunt de Hospitalibus, eorumque administratoribus.

Et licet etiam in minoribus ista subhastationis solemnitas videatur antiquata, ex deductis per Ciarlin. *controv.*
217. *n.* 48. *&* 49. Ridolphin. *d. part.* 1. *cap.* 15. *n.* 61. *& seq.* 17
Baron. *de effect. minor. ætat. effect.* 3. *n.* 171. *& seq.* apud quos cæteri. Nihilominus recte utraque opinio conciliari posse videtur, ut qualibet substineatur juxta usum. Si enim consuetum est dictas diligentias adhiberi, non possunt illæ per administratorem sperni, si vero non sit consuetum, ad eas non tenetur. Unde cum in hac facti specie prædecessores Gubernatores, ita facere consueverint, non
videtur quod ab isto laudabili usu deviari potuerit. Non 18
capiendo mordicus consuetudinem, tamquam hujus solemnitatis inductivam, itaut eam justificare oporteat cum suis rigorosis requisitis, sed tamquam interpretativam, seu corroborativam ejus, quod de jure dispositum est. Sive ad impediendum illum contrarium usum, per quem juris dispositio cesset, ad quem effectum sufficit, ita aliquando fuisse servatum, Cavaler. *dec.* 80. Cæsaraugustana portionum 16. Junii 1659. Albergato, & quondie, cum sit propositio qua nulla frequentior.

Fortius vero urgere videtur aliud motivum omissæ solemnitatis requisitæ in locatione Vectigalium, quam ad solum triennium faciendam esse cum solemnitate subhastationis, vel alia æquipollenti, ad litteram probant text. *in l. penes* 4. *C. de vectigal. & l. locatio alias licitatio ff. eodem* & firmant DD. allegati in motivis, ac alii, de quibus infra.

Istud autem enervari non videtur ex prima responsione deducta ex Apont. *cons.* 53. *&* 54. *& de potestate Proreg. ubi supra*, quoniam, ut clare patet ex eodem Apont. præsertim
hoc secundo loco, ipse loquitur de illa venditione, vel 19
concessione, quæ fieret per procuratorem specialem ad id deputatum per ipsum Principem, quia sicuti iste non est ligatus solemnitatibus, ita videtur noluisse ligare ejus procuratorem, cujus fidem ad illum actum probavit, & secutus est: Ac etiam quia Princeps, ita dicitur contrahere jure privati, atque procurator gerit actum jure mandati dati ab homine, quod differt a mandato dato a lege, Sed hoc nil commune habet cum casu nostro, in quo agitur de Oeconomis hospitalis, quos non dubitatur esse administratores legales, *l. Horphanotrophos C. de Episcopis, & clericis cum concord.* Igitur hæc responsio corruit ex totali defectu applicationis ad casum; Tunc enim dicta conclusio procedere videtur, quando ipse Princeps, volens aliquam particularem concessionem, seu venditionem facere, ad illum actum præcisum deputat procuratorem, ut frequenter practicatur in Urbe in appaltibus dohanarum, seu thesaurariarum, quia ubi Papa solemnitates subhastationum non adhiberi mandat, facit Chirographum particulare Thesaurario, concedendo ei mandatum, seu facultatem ad agendi; Sed hic non est casus, cum agatur de administratione generali, & legali.

Minus relevare videtur altera responsio, deducta ex con-
clusione, quod Regalia, ubi non sunt amplius penes Prin- 20
cipem, sed penes privatum amittunt Regalium qualitatem, quoniam tunc ista responsio esset considerabilis, quando necessitas solemnitatum proveniret ratione Regaliæ, vel ex privilegio fisci, itaut lex disponeret in Regalibus, vel bonis fiscalibus talem solemnitatem servari, sed non sumus in his terminis, quoniam text. *in leg. locatio alias licitatio* 9. *ff. de vectigal. & in d. l. penes* 4. *Cod. eod.* ita simpliciter, & indefinite disponunt in locatione vectigalium, non distinguendo, an illa sint de Regalibus, & possideantur a Rege, vel possideantur a Civitate, vel privato,

vato, dum dictæ leges hoc non disponunt, neque DD. ibidem descendunt ad hanc distinctionem, ideoque d. conclusio extranea videtur a casu quæstionis, cujus vis non est in Regalia, sed in eo, quod agerrtur de vectigali, cujus peculiaris qualitas de jure ita exigit.

Quamvis enim vectigalia sint regulariter de Regalibus Principis, hoc tamen non impedit, quin ex ejusdem Prin- 21 cipis concessione, vel alio jure sint in dominio Civitatis, vel alterius, quæ propterea non amittunt vectigalium nomen, & naturam, ut ad litteram probant, text. *in l. vectigal.* 10. *& l. exceptis final. C. de vectigal.* ubi habentur vectigalia pertinentia ad Civitates, vel ordines, contra distincta ab iis, quæ spectant ad patrimonium Principis, & tamen indefinite disponitur vectigalia ita locari.

Et in individuo solemnitatum, de quibus *in d. l.* 4. *C. de Vectigal. & l. licitatio, ff. eod.* ut requirantur etiam in locatione gabellarum, & vectigalium, quæ sunt Communitatum, Bertacchin. *de gabell. p.* 2. *n.* 17. ibi, *& debet fieri ealis subhastatio præsentibus officialibus Communis*. Et sic supponit vectigal esse communitatis, ibidemque contradistinguit alia bona fisci, vel Communitatis.

Idem clare Mauson. *de tauf. execut. lib.* 1. *ampliat.* 30. *n.* 11. *vers. in prædicta Civitate, & num.* 12. & clarius Vivius *dec.* 359. *n.* 1. ubi de gabella Communitatis; in cujus locatione hanc solemnitatem supponit, & tamen indubitatum est penes Communitatem, vel Baronem, gabellas non esse de Regalibus, quæ solum dicuntur, ubi sunt penes ipsum Regem, juxta dictum Cons. Cuman. 162. ubi in specie agitur de salinis, & vectigalib. Frecc. *de subfeud. lib.* 2. *auctor.* 13. *n.* 8. *post med. fol.* 210. in meis Franch. *d. dec.* 56. *n.* 16. Neque super hoc aliqua datur auctoritas, quæ dicat, ut text. *in d. l.* 4. *C. de vectigal. cum concord.* procedat solum, quando locatur vectigal possessum a Principe, non autem, quando illud possidetur a Communitate, vel pio loco, sed potius habemus auctoritates in contrarium, dum vis non est in Regalia, sed in qualitate vectigalis. Accedente potissimum observantia, capienda tanquam interpretativa, seu corroborativa dispositionis legalis, ut supra.

Clarius, quia tunc dicta conclusio de cessante qualitate Regaliæ procedit, quando a Principe jus Regale omnino 22 abdicatur, & in privatum transfertur perpetuo, & irrevocabiliter; secus autem ubi est quædam species precariæ concessionis ad Principis libitum revocabilis, quia tunc non desinit esse de Regalibus, ut per Rovit. *d. dec.* 92. *n.* 33. Et hic est casus, quia cum agatur de mere gratiosa concessione pro sola provisione loci pii, hæc est revocabilis quandocumque, ut de facto comprobavit observantia in revocatione alterius vectigalis eidem loco concessi, vulgo nuncupati *del riv*.

Quinimo neque dici posse videtur hoc vectigal exiisse a manu Principis, & transiisse in manum privatam, quoniam non sumus in aliqua privata persona, hoc vectigal possidente, minusque in aliqua Universitate, vel corpore habente privatum dominium contradistinctum ab illo Principis, sed agitur de pauperibus, quos in eo loco collectos, Princeps ex debito sui officii substentat cum emolumentis suorum vectigalium, & publicorum reddit,uum, ut in mnuivis insinuatum est.

Ideo enim Regalia dicuntur penes Principem, & quando transeunt ad privatum desinunt esse talia, quia quando 23 sunt penes Principem, deservire dicuntur publicæ utilitati, publicisque necessitatibus. Quando vero ad alium transferuntur, deficit dicta ratio, quia deserviunt ad privatam utilitatem concessionarii, ut per Archangel. *d. c.* 5. *n.* 59. Unde cum in præsenti usus hujus vectigalis deserviat ad publicam utilitatem, & pro eo sumptu, qui incumbit Principi tamquam Principi, ratione Principatus, ideo dici non potest cessare Regaliam.

Si enim Papa aliquod vectigal, vel publicum redditum assignaret Eleemosinario pro eleemosinis distribuendis, vel pro pauperibus alendis, non dubitaretur jura assignata retinere qualitatem Regaliæ, quamvis essent sub administratione procuratoris fisci. Sic a pari, cum nulla videatur subesse differentiæ ratio. Ideoque hujus hospitalis Gubernatores, ita esse videntur eleemosinarii, seu administratores deputati per Papam ad distributionem hujus eleemosinæ, quæ fit per ipsum jure Principatus, & consequenter istud hospitale regulandum non videtur eo jure, quo generaliter alia regulantur ex piis privatorum viventium, vel morientium dispositionibus. Ideoque ex jure, & ex facto cessare videtur applicatio d. conclusionis, in qua totum est dictorum scribentium fundamentum.

Subsistere etiam videtur motivum addictionis ob communicationem privilegii minoris, quod non dubitatur competere Hospitali, ut per Pint. *d. tract. de in litem jurando §.* 5. *n.* 5. *per text. in d. l. Orphanotrophos, Cod. de Episc. & Cler.* & Clem. *quia contingit de religios. dom. utrobique DD.* 24
Nil relevante responsione ex deductis per Amat. *resol.* 39. *n.* 59. Cohell. ad Bullam *cap.* 46. *n.* 8. Guttier. *lib.* 1. *pract. q. civil.* 38. *n.* 2. & alios allegatos, quoniam, ut patet ex lectura, loquuntur, quando, servatis servandis, ac præviis subhastationibus, aliisque solemnitatibus, locationis contractus est jam perfectus, & validus, atque addictio non fit re integra. Quæ omnia in præsenti cessant, nam locatio erat solum conclusa oretenus, itaut forsan non improbabiliter, dici posset etiam imperfecta ob reservationem accommodationis capitulorum, ex firmatis, *dec.* 20. apud Mangil. *de subhast.*

Et licet stante attestatione Gubernatorum, quibus omnino deferendum est, ego haberem actum pro perfecto, ut in motivis, attamen videtur circumstantia satis considerabilis ad hunc effectum, ut res adhuc quodammodo integra dici posset, potissime quia non solum ad possessionis traditionem deventum non erat, sed quod magis est, neque cesserat dies, quo appaltus iniriari debebat. Et sic magna differentia est inter actus perfectionem ad unum effectum pœnitentiæ, ac liberi recessus, & ad istud admittendi addictionem.

Et in una Veliterna appaltus furnorum Civitatis Veliternæ disputata hoc anno in Sac. Congregatione boni regiminis; præcipua disputatio, me scribente, pro appaltatoribus in rejectionem novæ oblationis, fuit super solemnitatibus bene servatis, quibus cessantibus pro absoluto habebatur addictioni locum esse debere, firmatoque puncto validitatis actus, evitata fuit addictio prædicta, non solum quia facta 20. diebus post jam initiatum appaltum, & adeptam illius possessionem, sed potissime, ac principaliter ob provisiones frumenti, quas cum notabili sumptu, incommodo, & periculo fecerant appaltatores, qui sic notabiliter damnificati remanerent, ex punctuali auctoritate, Guttier. *d. lib.* 1. *pract. quæst. civil.* 38. *n.* 2. *in fin. cum deduct. in dicta Veliterna sub tit. de locato*. Quæ omnia cessant in præsenti, quia nullæ servatæ sunt solemnitates: res erat omnino integra, dum neque ad instrumenti confectionem processum erat, non erat tradita possessio, quinimo neque cesserat dies, quo appaltus initiari deberet, atque conductores in nullo erant damno. Igitur non videtur subesse ratio, ob quam nova oblatio, cum loci pii præjudicio respui debuerit.

Quod autem solum in præsenti causa mihi inferebat difficultatem adversus hanc novam majorem oblationem, satisque me tenuit ancipitem, in eo consistebat, quod vere 25
hic actus prudenter, sincere, & cum bono fine per Gubernatores gestus esset, itaut cesset illa mala suspicio, cujus ratione, leges, & DD. hujusmodi solemnitates desiderant, & qua bona fide posita, substineri de æquitate actuum etiam sine solemnitatibus, habetur in terminis minoris, apud Seraphin. *dec.* 358. *n.* 5. Rot. *dec.* 446. *nu.* 2. *part.* 1. *rec.* ad. den. ad Greg. *dec.* 485. *n.* 13.

Cum enim consuetum non esset fieri subhastationes cum publicis licitationibus ad extinctum candelæ, sed præviis edictis, oblationes fierent per schedulas sigillatas, in actis Notarii Hospitalis exhibitas, ut liquet *ex dec.* 376. *par.* 4. *rec.* individualiter firmante hujus Hospitalis obligationem deliberandi appaltum ei, quem competierit fecisse majorem oblationem in d. forma schedularum.

Suspicari poterat de collusione inter negotiantes huic appaltui vacare volentes, quod scil. plures facerent schedulas inferiores, quarum comparatione una earum esset major, sed Hospitalis læsiva, ut quandoque in aliis appaltibus, vel rebus licitandis experientia docuit. Cui periculo ita prudenter Gubernatores occurrere voluerunt, ponendo in tuto illam pensionem, quam ex præcedentium annorum experimento, justam, & congruam crediderunt. Eo etiam addito, quod non erat a suspicione alienum, has novas majores oblationes factas fuisse ex motivo æmulationis per aliquos, dictis appaltatoribus infensos.

Istud solum motivum videtur pro primis appaltatoribus considerabile, atque attentis præsertim Gubernatorum qualitate, si in judicando daretur arbitrium, seu licentia egrediendi stricti juris cancellos, ex eo, pro primi appaltus validitate libenter judicassem; Sed non potui ad id captivare intellectum, cum hoc motivum videatur æquitati non scriptæ, seu legi convenientiæ potius, quam

juris dispositioni innixum, ideoque prævalere non debet d. juris propositionibus, quoniam ubi habemus legem scriptam, quamvis rigorosam, locus non est æquitati non scriptæ, ut apud Merlin. *dec. 386. n. 2. alias 243. par. 5. rec. & dec. 567. n. 59. & seqq. alias 172. par. 6. rec. cum concord. per adden. ad dec. 29. n. 41. par. 3. rec.*

Ac etiam quia, numquam locus est æquitati cum præjudicio tertii, cujus jus exinde deterius fiat, ut est vulgaris propositio in materia purgationis moræ cum similibus. Ideoque dum lex ita disponit, attendenda non est dicta non scripta ratio cum notabili præjudicio Hospitalis, non solum in scut. 700. quantum importat hæc nova major oblatio, quæ est summa notabilis, sed etiam quia hæc major pensio constituit appaltum in statu meliori pro tempore futuro, quod est satis considerabile, itaut Hospitale contendat de damno; Appaltatores autem de lucro, igitur sibi imputent, cur servatis servandis non contraxerint, quoniam in omnibus alienationibus bonorum Ecclesiæ, quæ fiunt per Episcopos, aliosque Prælatos qualificatos, seu sacerdotes sæculares, vel regulares præsupponenda est in eis integritas, & optima fides. Sed ea etiam posita, non sufficit, nam si alienationes fiant sine debitis solemnitatibus, eas lex infringit.

Eo magis quia d. ratio æquitatis, seu legis convenientiæ, suffocata remanere videtur ab altera potentiori ratione æquitatis & convenientiæ, non aperiendi hanc novam portam, ut contra antiquam laudabilem observantiam, in arbitrio administratorum esse debeat hos appaltus clandestine concedere pro pretio sibi bene viso. Licet enim actus de quo agitur, fuerit sincerissimus, neque de integritate, ac zelo Gubernatorum imaginabilis quidem dubitandi umbra cadere videatur, attamen videtur res mali exempli, ex quo notabilia præjudicia resultare possent hospitali in futurum, quando incertum est, qualis esset morum, & temporum conditio, ideoque, ut ita utrique rationi congrue consultum esset, satis desiderassem, quod primi Appaltatores aliquam majorem, vel æqualem oblationem in accensione candelæ fecissent, prælationem absque dubio obtenturi, vel saltem tunc proxime, & ante causam discussam, & instructam, eamdem prælationem petiissent. Intrare siquidem videtur dilemma. Aut sequi volumus strictum juris rigorem, & hic urget pro invaliditate actus; Aut sequi volumus æquitatem, & hæc magis assistit Hospitali contendenti de damno, ac etiam ob malum exemplum, malamque, ac præjudicialem introductionem.

Hactenus motiva, & votum, edita per me tamquam judicem d. Hospitalis, atque ita sententiam protuli, cui non acquieverunt priores appaltatores, unde causa per Cardinalem Protectorem commissa fuit in gradu Appellationis Auditori Rotæ, sed ulteriorem progressum non habuit, quia partes se concordarunt cum præjudicio Hospitalis, ita amittentis hoc augmentum. Verum adhuc exinde notabile beneficium Hospitali resultasse videtur, dum in futurum dicta forma in appaltibus utriusque vectigalis bulli alearum, & lignorum servanda erit.

ANNOTAT. AD DISC. LXXXI.

DE addictione in diem, de qua agitur in præsenti discursu, videnda sunt ea, quæ habentur *sub tit. de Locat. & Conduct. disc. 46.*

Et de altero assumpto, quod Vectigalia, aliaque jure Regalia assignata huic Hospitali non amittant naturam, seu qualitatem Regalium, eamque teneant perinde, ac si essent penes ipsam Cameram, habetur infra in Rom. Gabellæ lignorum pro eod. Hospitali *disc.* 174. ubi declaratur conclusio, quod jura Regalia penes privatos desinant esse Regalia, atque efficiantur bona privata, & indifferentia.

FERRARIEN. DATII, PRO THESAURARIIS ROMANDIOLÆ, CUM IMPRESSARIIS SALIUM MEDIOLANI.

Casus varie decisus per Camerarium, & Cameram.

De gabella exigi solita pro transitu salis, ad quam mensuram, seu rationem exigenda sit.

Et aliqua de materia ponderum, & mensurarum.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia, & de gabella pro transitu salis.*

2 *De mensuris, & ponderibus in contractum deductis, de quibus intelligatur.*

3 *Mensurarum, vel ponderum probatio in antiquis quomodo facienda sit.*

4 *Libris gabellarum est deferendum.*

5 *Casus alterius controversia super eadem gabella.*

D I S C. LXXXII.

PEr antiquos Duces Ferrariæ exigi consuevit quædam
gabella pro sale, per Padi flumen transitari solito, a Sta- 1
tu Veneto ad Statum Mediolanensem, de qua gabella loquuntur in specie Florian. de S. Petro *conf.* 10. Natt. *conf.* 661. & 662. Et generaliter, an Appaltatores, pro transitu salis teneantur solvere gabellam, Bertacchin. *de gabellis, part. 7. quæst. 13. n. 32. & seqq.* Eaque post devolutionem hujus Status ad Sedem Apostolicam redacta ad novem julios pro quolibet modio, exigi solita est, non per Appaltatorem generalem Ferrariæ, ut cætera omnia vectigalia, & gabellæ, aliaque ad Cameram in eo Statu pertinentia exiguntur, sed per Thesaurarium Romandiolæ, cui annexus est Appaltus Salinarum Cerviæ. Unde inter istum orta est quæstio, & impressarios salis dicti Status Mediolanen. super modii qualitate, ex qua major, vel minor gabellæ quantitas resultat, de quo scilicet modio chirographum Clementis, & capitula appaltus loquerentur; An scilic. de illo importante pondera 120. ut impressarii prætendebant, vel altero importante pondera 55. ut erat Thesaurarii prætensio, cum juxta hoc secundum, inferius pondus importaret modius Ferrariæ.

Pro Thesaurario scribens dicebam, quod ubi etiam legem scriptam particularem non haberemus, adhuc de jure attendi
deberet modius Ferrariæ, quia ubi de ponderibus, vel men- 2
suris fit sermo, intelligitur de illis loci contractus, seu in quo actus explicandus est, ex Theor. Bart. *in l. semper in stipulationibus de reg. jur.* Roland. *conf.* 100. *n.* 6. *& seqq. lib.* 3. Afflict. *dec.* 363. *n.* 5. Cenf. de cens. *quæst.* 85. *n.* 40 Duard. *eodem tract.* §. 3. *q.* 6. *n.* 30. Cyriac. *controv.* 131. ubi erudite de hac materia mensurarum, Mantic. qui plures in hac materia refert varias opiniones, *de tacit. & ambiguis. lib.* 3. *tit.* 13. *a n.* 19. *ad* 30. Cum enim in Civitate, seu Territorio Ferrarien. explicetur actus exactionis dictæ gabellæ, de qua mentionem, ut supra, faciunt Florian. de S. Petro *d. conf.* 10. Natta *d. conf.* 661. *& seq & alii*, idcirco istius loci modius attendendus videbatur.

Clarius autem attenta lege chirographi, & capitulorum appaltus, in quibus expresse disponitur, exactionem faciendam esse juxta illum modium, quo utebatur Dux Ferrariæ. Unde cum ex Textibus examinatis, & aliquibus
ejusdem Cameræ Ducalis Officialium enunciativis, aliisque 3
probationibus constaret, modium Civitatis Ferrariæ, quo Duces utebantur, esse ponderum 55. istis probationibus deferendum esse dicebam, quamvis illæ non omnino perfectæ, & concludentes prætendi possent, quia in hac materia, quoties agitur de facto antiquo, testes de publica voce, & fama, ac leviores probationes etiam per indicia, & conjecturas sufficiunt, ut ultra generalia, in terminis individualibus ponderum, & mensurarum, sunt decisiones Seraphini 1641. & 1499. in quibus etiam firmatur, quod ubi de una specie mensuræ constat, & de alia non apparet, ad istam de qua constat referenda sunt verba Statuti, contractus, vel alterius dispositionis de mensura loquentis.

Contrarium fuit judicatum per Camerarium, non quia de dictis conclusionibus dubitaretur, sed quia ab ipso initio reductionis hujusmodi gabellæ factæ per Clem. VIII. repertus fuit liber, tunc confectus per quemdam administratorem, seu Appaltatorem, in quo enunciatur ex concordia inita cum impressariis, statutum fuisse modium esse debere ponderum 120. juxta mensuram onerationis salium Venetiis: Et posita d. libri veritate, itaut esset fide dignus, resolutio habuisset probabile fundamentum, dum agebatur de enunciativa contenta in libris ejusdem gabellæ, modum
solvendi, quinimo, & exemptionem probantibus, Cohell. 4
ad Bull. Bon. Regim. *cap.* 47. *n.* 101. Et quod magis est, percutiebant proximum tempus, sive initium, quo modus hujusmodi exactionis post devolutionem Status innovatus fuit, cum subsequuta longæva observantia, quæ in hujusmodi gabellarum, & vectigalium materiis totum facit, ac perpetuo attendenda est, ut sæpius habetur in præcedentibus ad hanc materiam gabellarum.

Et quamvis pro Thesaurario Ego & cæteri scribentes replicaremus, dictam observantiam, quinimo, & ipsum principium

cipium

cipiom deductum ex præfato libro non esse ipsius Cameræ eorumque Officialium, sed Appaltatorum, quorum factum, vel negligentia juribus Cameræ præjudicare non potest ad text. *in l. locatio §. earum ff. de publicani, ubi omnes*. Replicabatur tamen, & bene, id procedere ubi ageretur de re clara, itaut observantia contraria, esset potius præscriptiva, destructiva jurium Cameræ competentium, quo etiam casu, stante lapsu longissimi temporis annor. 30. & ultra, & quod de aliquo initio, seu statu contrario non constabat, adhuc posset satis dubitari. Secus autem in casu dubio, & æquivoco, in quo observantia pro interpretatione magis attendenda est, ut pariter de hac observantiæ vera, & receptissima distinctione habetur sæpe hoc tit. Sed punctus gravaminis consistebat in minus probanti forma libri prædicti, qui supponebatur confectus a quodam Zottino, asserto Ministro Camerali, quem non justificabatur esse talem. Et quod magis est, neque constabat ejus manu illum tunc temporis confectum
5 esse, itaut neque haberetur certitudo temporis, quodque confingi potuerit post motam controversiam. Unde propterea delata per appellationem causa ad Cameram coram Caetano, ex hoc fundamento prodiit resolutio pro dictæ sententiæ infirmatione, & pendet revisio.

Super hac eadem gabella transitus salis, aliam practicavi controversiam inter dictos impressarios Mediolani, & Appaltatorem generalem Ferrariæ; Cum enim de anno 1643. auctoritate Urbani VIII. ad sublevandam d. Civitatem ab ære alieno scut. 100. mil. contracto occasione belli, in illis partibus per Sedem Apostolicam habiti, impositum esset quoddam augmentum super omnibus, & quibuscumque gabellis, quæ per Cameram in d. Civitate, & Statu exiguntur, Prætendebat Appaltator generalis, ad quem dicti augmenti exactio etiam spectabat, illud quoque percutere dict. gabellam transitus salis, tamquam spectantem ad Cameram, & sic speciem cadentem sub universo genere, de quo impositio loquebatur ex regula juris, ut qui omne dicit nihil excludat. Contrarium tamen fuit judicatum, & resolutio mihi quamvia pro Appaltatore scribenti visa fuit justa, quia licet hujusmodi gabella exigatur pro transitu per Padum in ditione Ferrariensi, atque per antiquos Ferrariæ Duces exigi solita esset. Nihilominus post devolutionem, assignata fuit Thesaurario Romandiolæ, & sic constituta sub diversa statione, & provincia. Unde ea verisimili Papæ intentione sub d. impositione non veniebat, cum verba chirographi percutere viderentur illas gabellas, quæ exiguntur in ipso Statu Ferrariæ, ac veniunt sub ejus appaltu generali.

SENEN. GABELLÆ,
PRO SINDONIA DE CIOLIS,
CUM GABELLARIO CHANCIANI.

Responsum extra Curiam.

An gabella solvenda per forenses pro legatis, & relictis, debeatur pro successione ab intestato vel etiam testata, universali jure hæreditario directo.

Et, an d. gabella debeatur per conjunctos, quibus ex ratione, seu ordine naturæ, vel sanguinis, successio, vel dispositio morientis conveniat.

Qui dicantur in proposito forenses, & an mulier originaria, quæ occasione matrimonii degit in domicilio viri, amittat civilitatem naturalem, itaut dicenda sit civis, vel forensis.

De validitate hujusmodi Statutorum excludentium forenses a successione, vel eos ratione successionis, & acquisitionis bonorum gravantium ad certum onus. An fieri possint per Civitates recognoscentes Superiorem. Et an illa sint favorabilia, vel odiosa.

S U M M A R I U M.

1 *CAsus controversiæ.*
2 *Gabella imposita pro successionibus, vel legatis, an debeatur per sanguine conjunctos.*
3 *Statutum Civitatis dominantis quomodo, & quando attendendum sit in loco habente Statutum particulare.*
4 *Statuto particulari mandante in casu omisso recurrè ad Jus commune, an intelligitur de Jure Romanorum, vel jure Civitatis dominantis.*
5 *Statuta prohibentia forensibus acquisitiones in loco, an sint favorabilia, vel odiosa.*

6 *Quid de statutis non excludentibus; sed gravantibus ad gabellam.*
7 *De stricta hujusmodi Statutorum intelligentia. Et quod loquentia de legatis non procedant in hereditatibus.*
8 *In dubio contra gabellam.*
9 *Civitates recognoscentes Superiorem, an possint facere Statuta excludentia forenses a successionibus, vel pro eis gravantia ad onus.*
10 *Declaratur, quando forenses possint collectari.*
11 *An, quis possit esse Civis plurium locorum.*
12 *Mulier sequens virum alibi habitantem, non amittit civilitatem patriæ.*

D I S C. LXXXIII.

DIsponente statutum Oppidi Chanciani Senen. Diœcesis,
forenses aliquod in eo territorio acquirentes, vigore 1
(sunt verba statuti) *di legato, lasciato o Codicillo*, pro hujusmodi acquisitione teneri ad solutionem certæ gabellæ. Cum per obitum fratris ab intestato d. Oppidi civis, & incolæ, delata esset ejus successio Sidoniæ Sorori, bona in d. loco cum fratre pro communi possidenti, quæ tamen longo tempore domicilium habebat in patria viri; Prætendere cœpit Communitas, seu ejus gabellarius, pro hujusmodi successione deberi gabellam a Sidonia tamquam forense, atque ex d. Sidoniæ parte requisitus.

Dicebam injustam esse prætensionem, quamvis admitteretur eam esse forensem, quia hujusmodi statuta quamvis ge- 2
neraliter & ample de quacumque successione, vel acquisitione loquentia, non comprehendunt personas adeo conjunctas, ut in terminis filiæ succedentis patri, plene Surdus *cons.* 461. cujus opinio, licet generaliter & abstracte sumpta, tuta non sit, cum acriter impugnetur per Altograd. *cons.* 97. *vol.* 1. ad quos relatio sufficiat pro veritatis examine, dum temporis penuria non concedebat formiter examinare. In casu tamen, de quo agitur, eam recipiendam dicebam, stante statuto Senensium, per quod declaratur, a consimili onere exemptos censeri, patres, matres, filios, fratres, sorores, &c. Licet enim recepta conclusio sit, statutum particulare loci subordinati prævalere debere statuto generali Civitatis dominantis, ac illud, & non istud attendendum esse, nihilominus in casu omisso, istud subintrat, & attendendum venit, Barz. *dec.* 117. *n.* 23. Burat. *dec.* 332. *n.* 1. *& plene dec.*
201. *p.* 10. *rec.* ubi concordantes. Nil refragante, quod per 3
aliud hujus loci statutum disponatur, ut in ejus defectum recurrendum sit ad jus commune, cujus appellatione, quamvis aliquorum opinio esset, venire statutarium Civitatis
dominantis: Verior tamen, ac recepta opinio est, veni- 4
re jus commune Romanorum, quod juxta compilationem Justiniani habemus, ut aliis allegat. Buratt. *d. dec.* 332. *n.* 11. 12. *&* 13. *dec.* 198. *n.* 5. *&* 6. post Merlin. *de legit. Add. ad dec.* 378. *p.* 4. *rec. tom.* 2.

Quoniam id admittendum est, quoties jus commune Romanorum desuper statuisset, sed si est casus ab eo etiam omissus, tunc subintrat statutum loci dominantis, ut ex Decio *cons.* 686. *n.* 7. & in aliis adductis, probant *Adden. ad dec.* 378. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *n.* 17. *& seq.* Eo magis quia cum etiam attento statuto particulari dubium sit, stante discrepantia Doctorum: An personæ adeo conjunctæ sub eo comprehensæ intelligantur necne, attendendum omnino videtur tale statutum Civitatis dominantis, si non in ratione dispositiva, & auctoritativa, in ratione tamen interpretativa, seu declarativa, cum etiam Civitatum & locorum adjacentium, seu vicinorum statuta & consuetudines attendi valeant pro interpretandis propriis statutis & consuetudinibus dubiis, quinimo etiam pro decidendo aliquo juris articulo dubio, ex collectis apud Pratum *responso crim.* 46. *n.* 51. *& seqq.* ac habetur deductum *in Rom. legitimæ de vetalè sub tit. de legitima & detractionibus*, & alibi.

Ex alio etiam capite dicebam, hujusmodi statutum non obstare, quamvis ejus validitas, atque forensitatis qualitas admitterentur, quia utpote loquens de legatis, relictis, seu lascitis, & codicillis, non capiat casum successio-
nis universalis, tam ex testamento, quam ab intestato. 5
Quidquid enim sit de illa quæstione, an statuta excludentia forenses a successione, vel acquisitione bonorum in loco, favorabilia, vel odiosa censenda sint, in qua forte verior, & magis recepta opinio videtur censeri favorabilis, & benigne interpretanda, tamquam emanata in publicum bonum civium & incolarum, atque ut Civitates, & loca habitatoribus impleantur, nec bona ab eis exeant, ex plene deductis per Surd. *cons.* 2. *n.* 33. Barbatia *cons.* 43.

n. 11. & seqq. vol. 1. Rot. *dec.* 251. *num.* 5. *&* 6. *par.* 8. *rec.* Ubi tamen agitur de statuto, quod non inhabilitat, nec excludit forenses, sed solum eos gravat ad aliquod onus, vel gabel-
5 lam, tunc sine dubio dicendum videtur odiosum, quia cessat illa ratio publici boni, & repletionis Civitatum, vel locorum, de qua supra, & quæ unice juxta dictam opinionem facit ea censeri favorabilia, solumque habet onus gabellæ, quod in jure reputatur odiosum. Ut ultra generalia, in individuo hujusmodi statutorum gravantium forenses ad gabellas pro hæreditatibus & acquisitionibus, Rom. *cons.* 464. *in princip.* Tuscus lit. S. *concl.* 562. *n.* 77.

Ideoque posita odibilitate, ob quam stricta, quo magis fieri potest, interpretatio facienda est, sequitur, quod loquens de legatis, relictis, & codicillis, intelligendum sit de successionibus jure particulari, & obliquo, ex solo hominis judicio obventis, non autem de successionibus universalibus jure directo, quamvis ex hominis judicio, &
7 multo minus de successionibus ab intestato ex judicio legis, ut punctualiter firmant Fulgos. *cons.* 213. *num.* 1. *& seq.* Ruin. *cons.* 139. *num.* 17. 18. *&* 19. *vol.* 5. ubi quod hoc est fundamentum verissimum & firmissimum, Rimінald. jun. *cons.* 15. *num.* 59. *&* 63. *cum seqq.* Et de simili stricta intelligentia hujusmodi statutorum, etiam simpliciter excludentium, ut loquentia de bonis stabilibus non capiant mobilia, vel jura, tertiam speciem constituentia, Cyriac. *controv.* 14. *n.* 30. *& seq.* Rota in Ferrarien. de Pendasiis coram Royas, inter ejus impressas *dec.* 332. *n.* 4. *& dec.* 355. *n.* 9.

Et nihilominus sufficit hæc esse dubia, ut in ambiguo
8 contra gabellam, & pro ejus exclusione respondendum sit, Dec. *cons.* 456. *n.* 8. *& seqq.* Surd. *cons.* 307. *n.* 21. Cyriac. *controv.* 870. *n.* 24. Rota *dec.* 118. *p.* 11. *rec. in fine.*

Præterea, retento etiam præsupposito forensitatis, ac omissa inspectione, an per Civitates, vel loca recognoscentia Superiorem, fieri possint hujusmodi statuta inha-
9 bilitantia forenses ad successiones, vel acquisitiones bonorum in loco, in quo negativam in specie firmant, Grat. *discept.* 245. *n.* 37. *&* 44. & cæteri apud eum, ac particulariter habetur actum *sub tit. de successionibus.* Quatenus tamen pertinet ad statuta non prohibentia forensibus acquisitionem sed eos gravantia ad onera & gabellas, defectum potestatis dicebant videri certum, quia cum forenses non sint statuentis subditi, de jure collectari non possunt, neque oneribus subjici, cum jus collectandi dicatur munus jurisdictionale, præsertim ubi principaliter directum est in personam, & non in bona, ut in præsenti juxta traditionem, Bartol. *in l. libertus, §. solarium. n.* 1. *ff. ad municipalem*, quem cæteri communiter sequuntur apud Gabr. *tit. de immunit. concl.* 2. *per tot.* Sperell. *dec.* 35. *n.* 17. Rota *dec.* 3. *num.* 1. *& seqq.* post Cenc. de Censibus in Arimin. gabellæ 25. Junii 1657. coram Bevilaqua.

Et quamvis de communi Italiæ consuetudine relata per Bart. collectentur etiam bona forensium, ex cujus consuetudinis potestate admittuntur statuta quamvis Civitatum, & locorum inferiorum Superiorem recognoscentium, ut aliis allegatis admittitur *dicta dec.* 3. post Cencium, *& in dicta Ariminen. coram Bevilaqua*, ac est deductum pluries hoc *eod. tit.* ad istam materiam gabellarum. Nihilominus
10 hujusmodi consuetudo intelligenda videtur de collectis & oneribus realibus, vel etiam mixtis, quæ tamen principaliter imponantur pro rebus, sive eorum fructibus, generaliter & indefinite respectu omnium, tam civium, quam forensium bona possidentium, quia rationabile est, ut Commune ex fructibus ab ejus territorio productis, aliquam habeat subventionem pro publicis oneribus supportandis, quorum pleraque eorumdem bonorum, & fructuum custodiam, & securitatem concernere solent, & in his procedit dicta generalis consuetudo. Secus autem in hujusmodi gabellis, quæ præter communem Italiæ morem imponuntur personis forensium, quia nullo pacto dictæ generalis consuetudinis assistentiam, vel fomentum habent.

Cæterum omnem difficultatem in casu cessare dicebam ob cessantem qualitatem forensitatis, dum Sidonia ab annis 18. citra, cum fratre defuncto bona stabilia, de quibus agitur, in hoc loco pro communi possedit, & successive domum apertam cum fratre habuisse dicitur, atque publica onera more aliorum Civium, vel incolarum suppor-
11 tavit. Unde propterea civilitatis, vel incolatus requisita concurrere videbantur. Nil obstante, quod in eodem loco continuam habitationem non habuerit, quia non implicat, quem esse civem, vel incolam duorum locorum, ac pro civilitate, seu incolatu retinendo, sufficit in loco possidere bona cum domo aperta, in qua ejus conjuncti, familiares, vel ministri morentur, ut bene Hieronymus Laurentius, *dec.* 240. *n.* 4. *&* 5. Et in specialibus terminis hujusmodi statutorum prohibentium forensibus acquisitiones, Surd. *cons.* 461. *n.* 20. Cyriac. *controv.* 292. *n.* 39. ac data allibratione bonorum, & supportatione onerum, in eisdem terminis statuti inhabilitativi forensium, pro absoluto admittitur in allegatis Ferrarien. de Pendasiis coram Royas, inter ejus impressas, *dec.* 322. *n.* 7. *cum seqq. & dec.* 355. *n.* 5. *& seqq.* ubi firmatur ad hunc effectum necessariam non esse veram, & præcisam civilitatem, sed etiam fictam, & impropriam sufficere, nisi alias expresse disponatur, ut faciunt Constitutiones Apostolicæ, de quibus habetur *sub tit. de præeminentiis* ad materiam civilitatis in Britinorien. pro Marchione Capponio, & in aliis.

Multo magis cum ista mulier nupta sit viro in alio loco 12
incolatum habenti, quem propterea ex obligatione matrimonii coacta est sequi, ideoque ejus absentia tamquam necessaria, seu causativa, non facit amittere civilitatem, vel incolatum alterius loci juxta receptam theoricam, Bart. *in l. fin. §. item rescripserunt, ff. ad municipalem, sub n.* 5. & in terminis hujusmodi statutorum, bene Cyriac. *d. controv.* 293. *n.* 33. *& seqq.* ubi alios cumulat Altograd. *dicto cons.* 97. *n.* 16. *& seqq. vol.* 1. Rot. *dec.* 66. *n.* 23. *& seqq. p.* 9. *rec.* & est propositio passim in praxi admissa.

Iniquum enim videretur, mulierem quæ ut legi obediat, virum sequitur, ex hujusmodi actu laudabili, & necessario, amittere debere ea, quæ sibi natura, vel sua providentia comparavit. Et quemadmodum per occasionalem absentiam ratione officii, beneficii, vel militiæ, civilitas non amittitur, ita fortius ex ista causa, quæ magis necessaria est, quam voluntaria.

FOROLIVIEN. GABELLÆ, PRO EQUITE PAULO SALECCHIO, CUM GABELLARIIS CIVITATIS FOROLIVIEN.

Responsum pro veritate extra Curiam.

De statuto Civitatis disponente de bonis extradotalibus constante matrimonio, delatis mulieri nuptæ viro forensi, certam gabellam a viro solvendam esse. An tale Statutum valeat, & liget, & quatenus valeat, quando ista gabella solvi debeat.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Bona extradotalia tam in proprietate, quam in fructu pertinent ad Uxorem.*
3 *Communitates inferiores recognoscentes Superiorem, facere non possunt Statuta juri contraria.*
4 *Ex statuto Ariminen. maritus est usufructuarius etiam bonorum extradotalium.*
5 *Tale Statutum potius favorabiliter, & benigne intelligendum est.*
6 *Idem disponitur per statutum Forolivien.*
7 *De jure forenses collectari non possunt pro bonis in Territorio possessis.*
8 *Fallit de communi consuetudine.*
9 *Statutum gravans maritum forensem ad gabellam pro bonis extradotalibus in uxorem obvenientis intelligitur, quatenus maritus ex bonis prædictis percipiat fructus, quorum ratione, & non alias solutio onerum sustineri potest.*
10 *Equites S. Stephani, an sint exempti a Statutis, & oneribus laicalibus.*

D I S C. LXXXIV.

Disponente Statuto, seu verius nova reformatione per Consilium Civitatis Foroliviensis ordinante de anno 1
1604. quod muliere nupta viro forensi acquirente alia bona præter dotem quovismodo, certa gabella ad rationem tot quadrantium pro libra per virum solvi debeat. Cum ob mortem Philippi Merlini, ejus hæreditas delata esset in Margheritam, Theresiam, & Mariam ejus germanas sorores, quarum ultima nupta reperiebatur Equiti Paulo Salecchio Faventino, prætendentibus gabellariis supradictam gabellam exigere, Salecchius me pro veritate consuluit. Et primo aspectu omnino iniquum, ac exorbitans dicebam hujusmodi Statutum, utpote directum ad solum virum, cum quo nulla hujusmodi exactionis ratio concurrebat. Non pote-

eat

rat enim exigi tamquam onus personale, cum ad id absque principio difficultatis non possit Civitas urgere forensem in propria patria habitantem, eique nullatenus subditum. Neque exigi tamquam onus reale, vel mixtum, ratione Bonorum in Territorio existentium, cum absolutum sit, dominium bonorum extradotalium spectare ad mulierem, cujus etiam sunt fructus, & administratio, quatenus nolit istam esse penes virum, qui aliud de jure in hujusmodi bonis prætendere non potest, nisi excusationem a restituendis fructi-
2 bus, ex expresso, vel conjecturali mulieris consensu in communes usus consumptis, itaut nec in specie, nec in æquipollenti extare dicantur, *ad communiter notat. in l. fin. Cod. de pact. convent.* ubi DD. *& in l. maritus, C. de procur.* de quibus Fontan. *de pact. clausul. 6. gl. 2. p. 7.* Arias de Mesa *l. 2. var. c. 30.* Rota *dec. 63.* post Merlin. *de pign.* in Arimin. fructuum 26. Jan. 1654. cor. Verospio, & ead. 7. Junii 1655. cor. Bichio, & habetur latius deductum supra hoc titulo in materia locorum montium in Rom. fructuum *disc. 35.* & in
3 sua materia *sub tit. de dote*. Nec de jure dubitandum dicebam, Civitates inferiores Superiorem recognoscentes, prohibitas esse absque speciali confirmatione Apostolica, facere hujusmodi ordinationes exorbitantes, & juri contrarias, ex deductis per Buratt. & Add. *dec. 6.* & alios passim.

Pro notitia vero, quam occasione dictarum decisionum in d. Ariminen. fructuum cor. Verospio, & Bichio habebam
4 de Statuto Ariminensi, disponente ad virum spectare debere fructus, seu usumfructum omnium bonorum mulieris, etiam extradotalium, & constante matrimonio obventorum. Quod Statutum benigne Rota in dictis decisionibus inter-
5 pretata est, ut scil. locum habeat etiam in fructibus extantibus, ac, dissentiente muliere, perceptis, respondendo ad contrarias auctoritates firmantes consimilium Statutorum diversam intelligentiam. Idcirco stante istarum Civi-
6 tatum adjacentia, seu situatione in eadem Provincia, inspicere volui ejusdem Civitatis Foroliviensis Statuta, num idem disponerent, & inveni, *quod lib. 5. rub. 43.* idem statuitur, sed cum magis enixis & generalibus verbis.

Quo stante, satis dubitabam contra dictum virum requirentem, cum Statutum super solutione gabellæ fundatum sit in ea utilitate, quam vir forensis ex bonis in ejus Territorio existentibus percipit, ratione dicti usufructus, unde cessat illa irrationabilitas, & exorbitantia, quam attentis terminis juris communis, rationabiliter, ut supra conceperam.

Licet enim in puncto juris, verissima sit conclusio, utramque subjectionem, personarum scil. & bonorum requiri, ut
7 Civitas hujusmodi onera, non mere realia, sed mixta exigere valeat, unde propterea collectare non potest forenses, quamvis in Territorio bona possidentes, ut per Bart. *in l. libertas §. sola ratio n. 1. ff. ad municip.* Alex. *cons. 52. num. 5. lib. 5.* & alios plene deductos per Rot. *decis. 3.* post Cenc. de cens. *n. 1. cum seqq.* & in Ariminen. gabellæ 25. Junii 1657.
8 cor. Bevilaqua; Nihilominus de consuetudine fere per totam Italiam, ac etiam per alias Provincias contrarium receptum est, ut testantur Bart. Bald. & cæteri collecti *d. dec. 3.* post Cenc. & in eadem Ariminen. & est sæpius in præcedentibus deductum. Unde propterea satis dubitabam.

Quia tamen dictus Testator, cujus judicio hæc bona in dict. mulierem obvenerunt, usufructuariam reliquerat Luciam Socrum, una cum filia & uxore; per quarum deficientiam, d. legataria prætendebat ex jure accrescendi, vel non decrescendi, integrum usumfructum ad ipsam spectare, super quo lis pendebat in Rota, ut habetur in Forolivien. sub titul. de Servitutibus ad materiam Ususfructus. Idcirco ex
9 hoc cum sensu veritatis, scripsi, intempestivam esse gabellariorum prætensionem, non exercibilem; nisi d. lite finita, quia cum ejus eventus dare possit integram fructuum pertinentiam ad legatariam, cujus vita durante posset matrimonium dissolvi, proindeque effici, quod vir ex hujusmodi bonis nullum fructum, nullamque utilitatem perciperet, cessabat ratio, cum qua unice hujusmodi Statutum ab exorbitantia, & irrationabilitate salvari posset, cum collecta dicatur species decimæ, Principi, vel Civitati pro bonis in Territorio existentibus solvenda, ex fructibus, seu eorum, vel utilitatis ratione, ad text. *in leg. 1. & 2. C. de Annonis*. & sæpius habetur hoc tit. Unde cessante utilitate, cum cujus præsupposito, stante d. alio Statuto, censendum est hujusmodi novam ordinationem emanasse, nulla suberat ratio, ob quam vir forensis ad hujusmodi gabellam urgeri deberet.

Ponderabam etiam, num dictus vir ab hujusmodi onere esset exemptus, attento, quod erat miles Sancti Stephani,
10 ideoque, vel Religiosus, vel saltem Ecclesiasticus a laicorum Statutis, jurisdictione & oneribus exemptus, ex iis, quæ in specie istorum militum S. Stephani firmant Navarr. *cons. 10. de reg. l. 3.* juxta parvam impressionem Venetam anni 1600. *alias cons. 23.* Caball. *tract. crim. cas. 225. n. 15. & seqq.* Barb. *de Episc. alleg. 12. n. 45.* Novar. *de elect. fori qu. 69. p. 2. n. 31.* Et generaliter de professoribus hujusmodi Religionum militarium, Carleval. *de Judic. tom. 1. disp. 2.* Sperell. *dec. 2.* & cæteri deducti in Lucana sub tit. de jurisd. & foro competenti. Hoc tamen deduxi solum motivando, & subjungendo pro veritate, deferendum esse observantiæ, utpote interpretativæ, ex iis, quæ cum sensu etiam veritatis latius deduxi in d. Lucana.

ANNOT. AD DISC. LXXXIV.

De materia bonorum extradotalium, eorumque fructuum, ultra deducta supra *disc. 35.* particulariter, magisque ex professo agitur *sub tit. de dote disc. 168.*

ROMANA GABELLÆ STATERÆ,

PRO JOANNE FRANCISCO ZANOLO,

CUM APPALTATORE GABELLÆ STATERÆ.

Casus decisus in prima instantia per gabellario, & pendet in Camera.

An gabella duorum pro centenario ratione ponderis cum statera grossa Populi Romani, debeatur pro ponderatione ferri, vel alterius materiæ mineralis & satis ponderosæ.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Negligentia appaltatorum in non exigendo gabellam, an prajudicet & inducat præscriptionem.*
3 *Vectigalia sunt de regalibus, ideo nonnisi per Principem imponi possunt.*
4 *In hac materia spectanda est consuetudo.*
5 *In causa universali per aliquos actus acquiritur, & conservatur possessio in totum, & declaratur conclusio.*
6 *De non usu impeditivo oneris, vel præscriptivo, seu sublativo.*
7 *Quæ veniant sub nomine metallorum.*

D I S C. LXXXV.

Cum in Urbe adesset statera populi Romani per ejus ponderatorem privative ad quoscumque alios in ea 1
forma practicabilis, per quam emptoribus mercium utilitas resultat in quatuor pro quolibet centenario, pluris quam ponderatio cum aliis usualibus stateris, vel ponderum speciebus importet, itaut centum libræ, juxta pondus dictæ stateræ, importent in aliis ponderum speciebus libras 104. Hinc per Sixtum Quintum super hoc augmento imposita fuit quædam gabella nuncupata duorum pro centenario, quod scilicet; ex illis quatuor libris, quas emptor in ponderatione cum dicta statera lucratur, duas pro se retineat, & duas alias solvat dictæ gabellæ, seu participationis Appaltatori, imposita necessitate ponderandi in Urbe cum hac statera omnes merces excedentes libras 50. quod in mercibus indistincte practicatum fuit, præterquam in ferro, ære aliisque similibus satis ponderosis materiis, quo quibus retroactis temporibus, nihil per dictum Appaltatorem exigi consuevit, quamvis frequentius ex partium conventione cum eadem statera populi ponderationes hujusmodi metallorum fierent. Verum, a moderno tempore excitata per Appaltatorem hujusmodi prætensione contra Zanolum ferri mercatorem, & introducta causa coram Dohanarum Præside.

Pro appaltatore hic judicavit, innixus generalitati impositionis gabellæ, seu participationis prædictæ omnium mercium ponderandarum, quia ferrum, vel alia similis materia dicitur venire sub nomine universali mercium, tamquam res in mercimonio per viam ponderationis consistens. Ac etiam quia in quibusdam bannimentis editis de annis 1639. & 1644. expressa mentio habetur de ferro, ære, auricalco, & metallis.

Pro Zanolo autem in gabellæ exclusionem scribens, dicebam hujusmodi motiva esse nimis generalia, illudque præ-

præsertim bannimentorum, tunc esse considerabile, quando in ipsa gabellæ impositione facta sub Sixto V. expressa fieret mentio ferri & metallorum, sive quod observantia impositioni proxima, hujusmodi comprehensionem declarasset, itaut mercatores ex successiva contraria observantia prætenderent exemptionis præscriptionem, pro qua impedienda, sive interrumpenda, bene suffragari possent hujusmodi bannimenta, patientiam Domini gabellæ excludentia, malamque fidem in mercatoribus inducentia. Recte siquidem tali casu per gabellæ Dominum, vel successorem Appalatorem
2 allegari posset conclusio in aliis hoc eod. titulo sæpius deducta ex text. *in l. locatio 9. §. fin. ff. de publicanis*, ut prædecessorum appaltatorum negligentia præjudicare non debeat Domino, neque apta sit ad exemptionem inducendam.

Sed quia satis probabiliter dubitari potest, an sub genere mercium venalium cum hac statera de necessitate ponderandarum, veniant ferrum, aliaque metalla, & mineralia nimis ponderosa, ut infra, atque ab ipso initio nascentis gabellæ observantia longissimi temporis annorum 50. & ultra, calculando usque ad dictum ann. 1639. docuit hanc speciem sub dicto genere non venire, unde resultavit, nedum interpretatio, sed etiam perfecta præscriptio, quæ ex solo lapsu 30. annorum, non dato initio contrariæ observantiæ, absque dubio sufficit juxta distinctionem pluries in aliis super
3 hac eadem materia traditam. Idcirco, non potuerunt dicta bannimenta per Appaltatores, seu Magistratus Populi edita dictam observantiam, sive interpretativam, sive præscriptivam jam perfectam tollere, quia esset species impositionis novæ gabellæ, quod utpote de Regalibus, non nisi per Principem fieri potest, *l. 3. & tot. tit. Cod. vectigal. nov. impon. non poss. cum concord.* per Farin. q. 173. *n.* 102. Revert. *dec.* 338. *n.* 2. Bellon. Jun. *cons.* 1. *& seqq.*

Eo magis quia secundum bannimentum de anno 1644.
4 factum a Magistratibus Populi in corpore, ejusque dispositiva expresse loquitur de rebus & mercibus solitis, se conformando cum dispositione juris, ut in hac materia solitum seu consuetudo spectanda sit, ac totum faciat ad text. *in leg. si publ. § fin. ff. de vectigal.* & satis frequenter in aliis hoc eod. tit. ad illam materiam, unde clara resultat bannientis voluntas non indicandi novam gabellam, vel includendi sub ea novas, & insolitas species, quamvis faciendi potestas adesset, multo magis ista cessante, ex qua voluntas regulari debet. Et quod magis est, ita declaravit successiva eorumdem bannimentorum observantia, quia etiam post illorum editionem in eod. statu continuatum fuit, præsertim cum mercatoribus notabilem & magnam ferri, aliorumque metallorum quantitatem contrectantibus, cum solum ex parte Appaltatoris ... eorumdem bannimentorum observantia adducerentur quædam ... & modicæ exactiones ab exteris, vel non informatis, sequutæ potius per viam illius concussionis, quæ gabellariis solet esse connaturalis.

Et quamvis pro Appaltatore scribentes, insisterent in re-
5 gulis generalibus, quas absque congruo ratiocinio, judices quandoque sequi solent, quod scil. in hujusmodi causis universalibus, per aliquos actus quamvis modicos inducitur, & conservatur possessio in totum, ac impeditur non usus ex plene deductis per Posth. *de manut. observ.* 18. *per tot. & observ.* 73. *n.* 73. *& seqq.* Replicabam tamen, conclusionem generaliter & abstracte esse verissimam, fallaciam vero consistere in applicatione. Tunc enim id procederet, quando posita Bannientibus potestate imponendi gabellam, seu tollendi legitimam præscriptionem exemptionis respectu istarum mercium, prætenderetur eorumdem bannimentorum vim, & efficaciam tolli cum solo motivo non usus, vel usus contrarii, & in his terminis recte d. conclusio procederet. Secus autem ubi bannimenta de per se nullam habent operationem, catenus resultantem, quatenus successiva obser-
6 vantia illis robur tribuisset. Et sic non usus adducebatur, non tamquam destructivus actus validi & perfecti, sed tamquam impeditivus, ne actus imperfectus, ex usu, perfectionem reciperet; atque in hoc dicebam stare æquivocum, ut bene in specie hujusmodi bannimentorum super gabellis, ut satis eorum non usus veniat attendendus, quoties non appareat fuisse aliquando usu recepta, Cyriac. *contr.* 512. *n.* 42 *& seqq.*

Quod autem, ultra motivum observantiæ ab ipso initio impositionis usque ad præsens, vel saltem usque ad annum 1639. quo emanavit primum bannimentum, attendendum tamquam exclusio successivæ patientiæ ut supra, etiam de jure, attento tenore ipsius impositionis probabiliter dubitari posset, an sub genere mercium venalium veniant ferrum & alia metalla, satis probari dicebam, Primo ex observantia adhuc inconcussa, auri, argenti, aurichalchi, & similium. Et nihilominus hæc sunt metalla eod. modo, quo est ferrum quod sub metallorum appellatione pariformiter venit, Lucas 1
de Penna *in rub. C. de metallariis l.* 11. Rebuff. *in leg. inter publica* 27. *ff. de verb. signif.* verbo metallorum.

Secundo ab observantia Dohanarum, quæ utpote importantes antiquum portorium, seu vectigal, exiguntur de omnibus mercibus venalibus, quæ in Civitatem introducuntur, & tamen pro introductione ferri rudis non elaborati, vel aliorum metallorum illa non solvitur, sed a moderno tempore particularis gabella super hujusmodi specie imposita est, *ut in Rom. gabellæ ferri*, *hoc eod. tit. disc.* 63. Igitur clare docemus, sub mercium genere hujusmodi speciem non venire, nisi quoties agitur de ferro, vel metallis elaboratis ad mercium speciem redactis.

Tertio, ex ipsa naturali ratione, reducta ex qualitate materiæ nimis ponderosæ, quæ proinde subjecta non est necessitati faciendi ponderationem cum d. statera populi privative ad quamcumque aliam ponderis speciem, cui necessitati subjacent aliæ merces. Ut passim videmus in ponderationibus calcis, farinæ, lapidum, & similium, ideoque onus istius gabellæ dicebam esse consequutivum dictæ necessitatis, cui merces subjacent faciendi ponderationem cum ista statera privative ad quascumque alias ponderum species, quia necessitate cessante, quamvis partes quamcumque aliam stateram adhibere valentes istam ex voluntaria conventione adhibeant tamquam bene regulatam, id tamen provenit ex voluntaria partium conventione, eo modo, quo exteri etiam dictæ necessitati non subjecti, & extra Urbis districtum faciunt, ut habetur in Rom. seu Civitatis Vetulæ stateræ pariter *hoc tit. disc.* 130. Et tamen isto casu d. gabella non solvitur. Expectatur igitur judicium Cameræ, quod probabiliter juxta præmissa, & contra judicatum in prima instantia credebam posse sperari.

ROMANA REDDITIONIS RATIONUM, PRO ANTONIO FRANCISCO FARSETTO, CUM CAMERA APOSTOLICA.

Casus decisus pro Farsetto per Congregationem Computorum.

De Appaltatore gabellæ, quæ appaltu durante per Principem supprimatur, seu tollatur, quam actionem habeat adversus Cameram locantem, & e converso ad quid ipse erga Cameram teneatur. Et quatenus de Appaltatore declaretur Administrator obligatus ad redditionem rationum, an ad eas teneatur pro subappaltatoribus, & inferioribus ministris.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Conductor impeditus re conducta ex facto locatoris, non solum liberatur a solutione pensionis, sed habet actionem ad interesse etiam ratione lucri amissi.*
3 *Fallit ubi Princeps id faciat ex causa publica, vel alias justa.*
4 *Appaltator alicujus vectigalis, vel gabellæ, quæ durante appaltu extinguatur, remanet administrator obligatus reddere rationes.*
5 *Appaltator an teneatur de facto subappaltatorum.*
6 *Publicanus an teneatur de facto & culpa famulorum, & ministrorum. Et quomodo intelligatur Juris dispositio, ut eos exhibere teneatur.*
7 *Præponens, & quando teneatur de culpa & facto præpositi.*
8 *Duæ sunt species publicanorum, una administrantium nomine fisci, altera conducentium & administrantium ad propriam utilitatem.*
9 *Ministri inferiores deputati per Tutores, an conveniri possint directe per pupillos, & an tutor ex istorum facto teneatur.*

D I S C. LXXXVI.

IMposita sub Urbano VIII. de anno 1543. quadam gabel- 1
la super ferro per universum Statum Ecclesiasticum, eaque concessa in appaltum Farsetto, ob plures difficultates in ejus exactione exortas, & ex aliis rationibus ob temporum qualitatem tunc ita exigentibus, idem Urbanus de mense

Julii

Julii 1644. ejus obitu jam imminente, illam extimxit, atque Appaltatorem a quacumque obligatione liberavit, mandando ipsum, ejusque subappaltatores teneri solum, adinstar administratorum, reddere rationem Cameræ de exactis, & ad eorum manus obventis.

1 Reddidit Farsettus rationes de exactis per ipsum, ejusque famulos, vel ministros, negligentibus autem cameralibus plurium annorum intervallo easdem rationes exigere a quibusdam subappaltatoribus interim minus idoneis effectis, Prætendere cœperunt iidem Camerales, pro istis quoque Farsetum teneri debere; Unde assumpta desuper disputatione in Congregatione computorum; Minus probabilem hujusmodi prætensionem dicebam, cum ita esset inferre damnum Innocenti ad beneficium culposi, & constituere reum & debitorem eum, qui de justitia esse deberet actor & creditor.

2 Ubi enim conductori promissa patientia non præstatur, itaut ex culpa, vel alio pacto voluntario locatoris ipse se conducta frui non valeat, tunc non solum efficitur liber a quacumque pensionis obligatione, sed actionem habet ad damna & interesse, etiam ratione lucri amissi, juxta receptam distinctionem Bart. *in qu. 4.* quæ incipit, *Publican. & in l. si uno §. item cum quidam ff. locat.* de qua in specie appaltuum cameralium, Soccin. *cons. 156. num. 4. & per tot. vol. 2.* bene Rota *dec. 285.* post Pacif. de Salviann. Ideoque cum contractus fuerit resolutus ex facto voluntario ipsius Principis locatoris, tantum abesse dicebam debere appaltatorem in aliquo remanere damnificatum de suo, prout sequeretur si pro sub appaltatoribus defectis teneri deberet, quod potius, sibi de justitia competeret actio, tam ad damnum, quam ad lucrum amissum reficiendum.

3 Est bene verum, quod in sensu veritatis, de applicatione dictæ distinctionis satis dubitabam, quia ubi Princeps, publici boni ac status, justis & politicis rationibus exigentibus, ad hujusmodi gabellarum suppressiones descendit, non voluntarie, sed coacte facere dicitur, unde potius casui fortuito quam culpæ, vel facto mere voluntario tribuendum est, ac propterea Appaltator resoluto appaltu, ne quod ad ejus manus pervenit sine causa remaneat, mutata persona, remanet purus administrator, obligatus restituere id, in quo alias remaneret de alieno locupletatus juxta terminos, 4 seu rationem text. *in l. si me, & Titiam ff. si certum petatur*, ex cujus textus dispositione, ita in specie practicatum habetur apud Ganaver. *decis. 21.* ubi de Appaltatore, qui ex lege conventionis in certis casibus efficiebatur administrator; Et magis proxime, in punctualibus terminis gabellæ extinctæ habetur apud Thorum *in compendio decis. tom. 2. verb. gabella locata;* Sed cum Appaltator, totum id, quod ad ejus manus pervenit, jam restituisset, atque de eis rationem reddidisset, jam satisfecerat dispositioni, seu rationi text. prædicti, consequenter ad aliud urgeri non debebat, cum etiam ex tenore chirographi, talem fuisse Pontificis intentionem liquido constaret.

Prætendebant Camerales, Appaltatorem teneri de facto subappaltatorum, eodem modo quo deputatus ad officium 5 tenetur de ejus famulis, vel ministris ab ipso deputatis juxta deducta per Covit. *dec. 79.* & in specie publicanorum disponitur per text. *in l. 1. §. pen. & fin. de publican.* ubi quod 6 eos saltem exhibere tenetur. Respondebam tamen, textum prædictum loqui de servis propriis, vel alienis, qui privata auctoritate, tamquam in potestate constituti, carcerari, & exhiberi possunt, itaut hujusmodi exhibitionis implementum esset in facultate Publicani, vel Officialis illud facere debentis, ideoque termini dicti textus verificabiles non sunt in iis subappaltatoribus, vel ministris, qui sunt liberi homines, privata auctoritate non exhibibiles, dictamque exhibitionem sufficienter fieri dicebam per æquipollens mediante indicatione nominis, & cognominis, ac editionis instrumentorum, aliorumque documentorum, quorum vigore Camera habens eam coercendi facultatem, quam non habet Appaltator, eos cogere poterat.

Verum quia ob debitorum inopiam hujusmodi coercendi 7 facultas inanis remanebat, idcirco prætensio Cameralium in eos versabatur, Appaltatorem utpote proponentem personas minus idoneas, dici in culpa, proindeque de propositis teneri juxta terminos text. *in leg. si servum §. fornacarios ff. ad leg. Aquiliam cum concord.* per Rovit. *d. decis. 79.* Farinac. *qu. 110. n. 11.* Sed replicabam tunc hujusmodi difficultatem intrare, ubi Farsettus ab initio fuisset per Cameram deputatus, tamquam ejus administrator, & officialis major.

Duplicis enim qualitatis publicanos in jure habemus; 8 Alii enim sunt, qui nomine fisci, tamquam simplices administratores vectigalia exigunt & gubernant ad omnimodam ejusdem fisci utilitatem; Alii vero frequentius sunt, qui tamquam conductores, certa pensione fisco soluta, illa exigunt & gubernant ad propriam utilitatem, itaut bonum, vel malum gubernium fisci locatoris, seu ipsius Publicani ductoris commodum, vel respective incommodum concernat, ut bene probat text. *in l. 1. §. 1. ff. de public.* In prima specie, quamvis publicanus deputans ministros inferiores, quoties non ex voluntate, seu ex officii necessitate, & ratione eos deputat, ad aliud non teneatur nisi ad eorum exhibitionem, per quam liberatur, attamen cum ab initio sciat se esse administratorem, ac teneri de omnibus per eos gestis reddere rationes, ideo invigilare tenetur, ac diligenter inquirere quos ministros & inferiores officiales eligat, seu deputet. Ideoque teneri debet de culpa in male eligendo, ut probare videtur text. *in l. 3. ff. eod. tit. de public.*

Secus autem in secunda specie, quia cum tota negotii utilitas, vel jactura sit ipsius Publicani, hinc proinde ipse certo sciens ad aliquam rationum redditionem non teneri, sed solum ad conventæ pensionis solutionem, qua sequuta remanet omnino liber, non tenetur hanc diligentiam respectu fisci adhibere, quia sibi subappaltatores essent idonei, sive minus, suum erat periculum, quod frequenter negotiatores suscipiunt sub spe majoris lucri, quia nempe hujusmodi personæ minus idoneæ pro majori pensione subappaltus facere solent; Ideoque de nulla culpa redargui debebat ob non adhibitam eam diligentiam, ad quam se non teneri sciebat.

Hanc veritatem clare agnitam esse dicebam ab eodem Pontifice, dum in chirographo suppressionis gabellæ præce- 9
pit Cameralibus, ut rationes exigerent, tam ab Appaltatore, quam a subappaltatoribus, quos alias Camera ad id urgere non potuisset, quia ministri & substituti tutorum, vel curatorum non pulsantur directe a pupillo, qui eorum bona hypothecata non habet, sed solum tutor tenetur reddere rationes de universa administratione, ipse vero exigit rationes a suis factoribus & ministris subordinatis, ut per Munoz. *de ratiocin. cap. 4. & 39. utrobique num. 16.* Merlin. *dec. 473. num. 9. & 10.* ubi bene firmatur, quod si principalis, cujus bona administrata sunt, pulsat ministros inferiores, & subordinatos ad rationum redditionem, illos ita agnoscit in principales administratores, qui termini non videntur nostris satis applicabiles; Et juxta præmissa rationabiliter & juste fuit resolutum.

ROMANA PRÆTENSÆ FRAUDIS,
PRO PACE DE SORANO HEBRÆO,
CUM GABELLARIO TABACCI.

Casus sopitus per Concordiam.

An & quando locus additus Provinciæ, vel Gubernio subjaceat gabellis, quibus reliqua Provinciæ, seu Gubernii loca subjacebant; Et aliqua de sententiis nulla, sed justa, an debeat infirmari, vel confirmari.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Sententia nulla, sed justa an sit infirmanda, vel confirmanda.*
3 *Bannimenta super gabellis non extenduntur ad loca non expressa.*
4 *Civitas, vel provincia dismembrata a Regno, vel ditione, an reversa in dominium prioris domini, vel concedentis, dicatur reversa ad priorem naturam, vel potius reguletur tamquam pars dismembrata.*
5 *Quando feudum, vel emphyteusis esse possit penes Dominum directum, retenta ejus qualitate.*
6 *Appaltus tabacci, quæ loca comprehendat, & cujus vectigalis loco istud subrogatum sit.*
7 *Qualibet causa probabiliter opinata excusat a pœna; præsertim fraudata gabella.*

D I S C. LXXXVII.

CUm ad supplendam diminutionem vectigalis, seu aug- 1
menti salis pro Urbe, & locis ejus salariæ annexis, imposita esset gabella tabacci, quam cum jure privativo in appaltum acceperunt Merlii ejusdem Salariæ Appaltatores, atque Pacis de Sorano Hebræus quandam tabacci quantitatem introduxisset in Oppidum Montis Alti, ibique aliquam

partem

partem vendidisset, Appaltator autem, cujus appaltus substantia, adinstar mineralium, esse dicitur in jure privativo introducendi & vendendi pro aliquo alterato pretio, in quo Principis vectigal consistit, prætenderet commissam esse fraudem, proindeque factum locum commisso, aliisque pœnis in bannimentis comminatis; Hinc a judice sibi ad hoc specialiter deputato, sententiam ejus prætensionibus conformem reportavit, a qua introducta causa per viam appellationis cor. Thesaurario, hic dict. sententiam infirmavit, Hebræum absolvendo, introductaque causa appellationis in Camera, ista infirmavit sententiam Thesaurarii ex solo capite nullitatum, reservando deinde videre de justitia.

Quamvis enim, pro Hebræo scribens, dicerem, quod
2 de stylo magnorum præsertim Tribunalium Curiæ, ubi sententia est nulla, sed justa, solitum esset eam infirmare stantibus nullitatibus, eodem tamen tempore tamquam justam confirmare, seu verius ex integro tamquam in prima ita sententiare, Puteus *decis.* 72. *lib.* 3. Seraph. *decis.* 857. *num. fin.* & 878. *per tot.* Rovit. *pragm.* 5. *de officio S. R. Consil.* n. 30. & *alii*, de quibus infra. Replicabatur tamen, & bene, id verum esse, parte ab initio formiter non opponente de nullitatibus, secus autem data hujusmodi oppositione cum protestatione, ut in primis & ante omnia procedendum sit ad infirmationem, eaque sequuta, ex integro agi debeat de meritis; Tunc etenim ubi nullitas est clara, dictus stylus non intrat, sed pronunciandum prius est super infirmationem, dummodo tamen hujusmodi oppositio fiat in principio causæ, antequam illa sit instructa, secus autem postquam merita sunt discussa, & causa instructa, & fortius post servatos terminos substantiales juxta decis. Coccin. 206. Gregor. *decis.* 181. & ita distinguendo inter nullitatem claram, & oppositam a principio, vel dubiam, seu non oppositam, sæpe Rota declaravit, ut præsertim habetur, *decis.* 340. & 380. *part.* 9. *rec.* in Baren. Salviani 10. Junii 1652. & 24. Martii 1653. coram Bichio, Placentina nullitatis professionis 31. Martii 1656. Albergato & in aliis. Unde dicta infirmatione sequuta, Appaltator sentiens difficultates in meritis negotii principalis, occasione hujusmodi disputationis excitatas, se facilem reddidit honestæ concordiæ, cui altera pars pro evitandis litium dispendiis, eorumque perpetuo & connaturali periculo incerti eventus, me etiam consulente acquievit.

Quatenus vero ad justitiam & merita causæ pertinet, di-
3 cebam, bannimenta prohibentia introductionem, & contractationem tabacci, loqui solum de locis subjectis salariæ Urbis, qualis dici non poterat Oppidum Montis Alti, quod tamquam de pertinentiis Status Castri per Paulum Tertium a Provincia Patrimonii dismembrati, dictæ salariæ non subjacebat: unde propterea non eramus in casu bannimentorum, quæ ex consueta odibili natura pœnalium & exorbitantium, non extenduntur ultra expressa, Faun. *in fragmen. verbo bannimenta n.* 4.

Et quamvis ex altera parte diceretur, quod in vim contractus initi inter Cameram & Ducem Parmæ d. Status feudatarium, ille ad eamdem Cameram pro extinctione locorum Montium sub pacto redimendi infra certum terminum reversus fuerit; Unde appaltator dicebat, dict. partem alias dismembratam a Provincia, reversam esse per remotionem obstaculi ad suam primævam naturam, ex iis quæ habentur *in Urbinaten. sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc.* 38. & magis ad rem *in Romana bulli. alterum hoc eod. tit. disc.* 80. ubi de hoc Statu.

Nihilominus (quidquid esset de hujusmodi reversione seu incorporatione post expiratum terminum concessum ad redimendum, & subsequutam formalem incamerationem, de quo cum tunc casus non evenisset, incongruum erat agere, integrumque locum veritati desuper relinquendo.) Eo tamen tempore attento, quo pactum de retrovendendo adhuc durabat, dicebam hujusmodi incorporationem, seu reversionem ad primævam naturam tunc demum procedere, quando sequitur formalis devolutio cum omnimoda cessa-
4 tione investituræ ex capite lineæ finitæ, vel alia causa, quæ ex feudorum natura eumdem effectum operetur, itaut qualitas feudalis extingui ac mori dicatur, ac reduci de esse ad non esse, quod in præsenti dici non poterat, dum investitura adhuc durante, Dominus directus, non ex capite formalis devolutionis, sed ex contractu venditionis, seu dationis insolutum, cum jure redimendi, ad formam Bullæ Baronum, acquisierat.

5 Tunc etenim durare dicitur jus feudalitatis, atque Dominus possidere non ex ejus primævo jure & per viam consolidationis dominii utilis cum directo, sed potius tamquam cessionarius feudatarii, ut firmant Frecc. *de subfeudis lib.* 2. *auth.* 29. *n.* 9. Boer. *decis.* 181. *n.* 7. & cæteri quos cumulant Surd. *decis.* 108. *sub n.* 14. *versic. inferunt autem*, Hodiern. *in addit. ad eamdem decis.* 160. *n.* 3.

Multo magis stante dicto jure redimendi, quo durante, indubitatum dicebam, feudum retinere suam naturam, & continuare in antiqua qualitate, suspensis solum in feudatario, possessione & utilitate; Si enim extinctio feudi cum vera consolidatione sequuta esset, non potuisset amplius jus redimendi exerceri, per quod, subsequuto exercitio, fingitur rem numquam de prioris venditoris dominio exiisse, unde propterea resolvuntur & evanescunt omnes hypothecæ, servitutes, & onera, quæ per emptorem, vel cessionarium intermedio tempore, contracta, vel imposita essent, Surd *dec.* 286. *n.* 12. Rota *dec.* 86. *n.* 5. *p.* 5. *rec.* & sæpius ex recepta regula text. *in l. lex vectigal. ff. de pign.*

Præterea quidquid esset de præmissis quoad alios effectus, 6
ad illum tamen, de quo agebatur, casum dicebam indubitatum circa hujus loci non comprehensionem sub appaltu, tam a priori, quam a posteriori. A priori etenim, quia hujusmodi vectigal restrictum est ad loca subjecta salariæ, non ex sola vi verborum, sed ex ratione subrogationis, cum illud impositum esset loco diminutæ gabellæ salis, & pro hujusmodi diminutione supplenda, unde cum dictus locus esset a præfata salaria exemptus, ac propterea non sentiret commodum diminuti oneris salis, subjectum esse non debebat gravamini novi oneris, in compensationem dictæ immunitatis impositi, tum ex regula, ut subrogatus regulari debeat jure illius rei, in cujus locum facta est subrogatio, tum ex altera, ut eum sequi debeant incommoda, quem sequuntur commoda, & econverso.

A posteriori etiam, quia post dicti Status acquisitionem seu reversionem ad Cameram, ista eumdem Statum locavit cum eadem prærogativa exemptionis a salaria, & cum facultate providendi de sale aliunde, unde duo resultabant; Unum nempe cessantis rationis, seu causæ hujusmodi novi vectigalis; Alterum, quod eadem Camera ita declaravit dict. Statum retinere suam primævam naturam, & constituere corpus diversum a reliqua Provincia.

Et nihilominus sufficiebat id esse probabiliter dubium, sive 7
aptum ad inducendam in hominibus justam & probabilem causam ita credendi & opinandi, ad effectum evitandi pœnam, a qua quælibet causa quamvis injusta, juste tamen & probabiliter opinata excusat Cavaler. *dec.* 81. *num.* 3. Rot. *decis.* 293. *n.* 5. *p.* 6. *recent.* Et in terminis evitandi pœnam fraudatæ gabellæ Cyriac. *controv.* 512. & ab eadem Camera judicatum fuit in alia Rom. fraudatæ gabellæ pro Ravenna *hoc tit. disc.* 69. Et ita pro certo credebam judicandum esse, nisi concordia controversiæ finem dedisset.

SPOLETANA COMMISSI, PRO THESAURARIIS UMBRIÆ, CUM QUODAM VECTURALI.

Exitus est incertus, forsan causa sopita per concordiam.

An excusetur transiens per locum gabellæ, illa non soluta, neque debita solita bulletta, allegando, quod faciendi solutionem, vel capiendi bullettam, curam dedisset famulo, vel alteri qui neglexit.

ARGUMENTUM EST LOCO SUMMARII.

DISC. LXXXVIII.

PRætendentibus Thesaurariis Umbriæ ad formam capitulorum eorum appaltus, & gabellæ in Civitate Spoletana solvendæ, cecidisse in commissum aliquas merces per vecturalem introductas, vel transvectas, non facta indebito loco denunciatione gabellario, neque soluta gabella. 1
Introductaque proinde causa cor. Thesaurario generali, prætendebat Vecturalis ab hujusmodi pœna excusari, ex eo, quod ejus famulo, qui vulgo in regione nuncupatur *ragazius*, commissionem dedisset faciendi consuetam bullettam ac d. famuli negligentia omissam, quam causam dicebat sufficientem ad ipsum excusandum a dolo necessario ad pœnam incurrendam, a qua, juxta generales regulas, quælibet causa & probabilis opinatio excusat.

Pro Thesaurariis autem scribens, dicebam hujusmodi punctum esse exemplarem, ideoque satis caute per judicem in eo procedendum esse, non solum ratione indiva-

dua

doalis controversiæ, in qua Egomet, ex aliquibus facti circumstantiis, credebam illum vecturalem aliqua commiseratione dignum, & ad satis suavem concordiam admittendum esse (ut credo juxta consilium sequorum,) sed ratione mali exempli, quia si aperiretur hæc porta, ut sola assertio, vel probatio commissionis datæ ejus famulo sufficeret, actum prorsus esset de hujusmodi vectigalibus & gabellis. Quilibet enim tute posset illas fraudare absque aliquo periculo, quia si transeundo per locum destinatum a gabellario non detegatur, erit immunis a gabella, & si detegatur, erit immunis a pena cum d. excusatione, unde inanis remaneret necessitas denunciandi.

Fundatam igitur dicebam intentionem Gabellarii, quod merces ob introductionem, vel transitum, non soluto debito vectigali, ceciderint in commissum, tum ex bannimentis particularibus ejusdem gabellæ, tum etiam ex dispositione juris communis *in l. 1. & 2. C. de vectigal. & commissis l. commissa, ff. de publicanis*, Bertacchin. *de gabellis p. 9. n. 7.* Fario. *qu.* 173. *n.* 2. ubi cæteri.

Nec relevare dicebam quod ad hujusmodi penæ incursum requiratur dolus, quoniam iste per gabellarium probatus dicitur eo ipso, quod vecturalis transivit ultra locum destinatum, non soluta gabella, vel non facta debita denunciatione, qui dolus præsumptus sufficit, donec a transeunte probetur justa & legitima excusationis causa, Bertacch. *dicta part. 9. n.* 3. & alii communiter apud Farinac. *dicta quest.* 173. *n.* 17.

Inter causas autem excusationis congestas a Farinaccio *d. q.* 173. *n.* 45. non reperitur ista credulitatis, quod famulus, seu ragacius gabellam solverit, cum DD. exemplificare soleant probabilem errorem, ubi transiens esset forensis in regione non versatus, & verisimiliter gabellæ ignarus, vel quia juste credere potuit personæ probatæ, & fidei dignæ, asserenti gabellam non solvi, sive quia gabellarius non esset in loco destinato, sive quia bulletta facta esset ab eo, qui juste credebatur gabellarius, vel gabellarii officialis, habens sufficientem facultatem. Et nihilominus etiam in istis, vel similibus casibus, fere numquam, vel satis raro hujusmodi excusationes prosunt in praxi ad totalem pœnam evitandam, sed bene ad temperandum illius rigorem, ac honestam concordiam facilitandam, ut pluries vidi practicari.

Sed prorsus vanum dicebam, solam commissionem datam famulo, etiamsi illa probaretur ad id sufficere, cum de facili collusio ita inter eos ad fraudandam gabellam fieri posset, ut ita transiens extra periculum esset, dictaque mala præsumptio de facili intrat in hujusmodi personis ex deductis per Alciat. *de præsumpt. reg.* 3. *præsumpt.* 40. Magon. *decis. Florentinis* 111. *post n.* 56.

Sed quando etiam vere dominus hujusmodi commissionem dedisset famulo, ex cujus culpa bulletta capta non esset, adhuc tamen non excusaretur ex juris regula, quod dominus, seu præponens tenetur de facto famuli, seu præpositi, si iste erravit, vel deliquit circa opus cui præpositus fuit, maxime ubi scit qualitatem personæ *ad l. videamus, ff. locati* cum concordantibus plene deductis per Farinac. *qu.* 110. *n.* 120. *cum seqq.* & ad aliud propositum fusius deductum habetur *sub titul. de locato* in Romana Incendii pro Confraternitate Spiritus Sancti; potissime ubi culpa consistit in omittendo, quo casu etiam negligentia famuli vel procuratoris, aut similis ministri præjudicat, justa receptam distinctionem, quam habemus in quæstione, an & quando procuratoris factum causet præjudicium, & incursum pœnæ in principali.

PERUSINA PLUMBI, SEU COMMISSI,

PRO APPALTATORIBUS PLUMBI,

CUM QUIBUSDAM SUBAPPALTATORIBUS.

Casus decisus per Cameram pro subappaltatoribus.

An, & quando dicatur factum esse locum commisso, & pœnæ ob contrectationem materiæ, in qua Appaltatori tantum competat jus contrectandi privative ad omnes.

Et an ad incursum pœnæ, & commissi requiratur dolus verus, vel sufficiat præsumptus.

Et aliqua de bannimentis Thesaurarii Generalis, vel alterius officialis quantum durent.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *An bannimenta Thesaurarii, vel alterius officialis cessent per cessationem officii.*
3 *Capitula appaltus habenda sunt pro lege.*
4 *Statuta obligant non subditos ratione conventionis, ob quam illi se subjecerunt.*
5 *In quo consistere dicatur appaltus rerum cum jure privativo vendendarum.*
6 *An in introductione, vel contrectatione mercium prohibitarum requiratur dolus pro pœna.*
7 *Pœna fraudata gabella consistit in commisso.*
8 *Ad pœnam conventionalem non requiritur dolus.*

D I S C. LXXXIX.

APpaltatores generales plumbi in toto districtu Perusino, aliisque forsan locis adjacentibus, concesserunt aliquibus personis subappaltum pro loco nuncupato *Diruta* in districtu Perusino existente sub variis legibus, illis præsertim, quod certam plumbi quantitatem ab ipsis Appaltatoribus singulis annis recipere deberent, solvendam ad rationem scut. 45. pro singulis mille libris, & si majori quantitate ultra prædictam indigerent, solvere deberent ad rationem scutor. 40. quodque introducere non possit, vel contrectare plumbum caterum, seu elaboratum, sed solum illud, quod ab ipsis Appaltatoribus habebunt, sub pœnis contentis in bannimentis. 1

Post aliquod tempus, eisdem subappaltatoribus concessus fuit ab Appaltatoribus totus appaltus generalis, seu ejus administratio ad biennium tantum, quo expleto, dicto que appaltu generali per ipsos Appaltatores reassumpto; Cum ad istorum notitiam devenisset, in dicto loco *Diruta*, ac in subappaltatorum magazenis, notabilem reperiri plumbi quantitatem, ac etiam plumbum elaboratum ab eis contrectatum esse, prætendentes ita contraventum esse capitulis subappaltus, ideoque commissam esse fraudem, atque factum locum pœnis contentis in bannimentis amissionis, scil. ipsius plumbi & solutionis unius scuti pro qualibet libra; Idcirco de facto cum ea manu Regia, quæ per Camera ipsis concessa fuit, totum dictum plumbum in dicto loco repertum, tanquam commissum acceperunt, subappaltatores etiam ad penæ solutionem urgendo; Unde introducta causa cor. Thesaurario, ab isto subappaltatores fuerunt absoluti, demandando plumbi restitutionem, idemque in gradu appellationis approbatum fuit a Camera.

In hujus igitur causæ disputatione, scribentes pro subappaltatoribus, satis insistebant in duobus fundamentis pro pœna & commisso evitandis, uno nempe quod hujusmodi pœna imposita esset in bannimentis emanatis per Cardinalem Franzonum tunc Thesaurarium, cujus officium per promotionem ad Cardinalatum expiraverat, proindeque ejus edicta & bannimenta cessaverant, Afflict. *decis.* 290. & ubi Ursil. Farinac. *in fragment. verbo bannimenta num.* 5. Rota *decis.* 194. *n. fin. p.* 4. *rec. tom.* 2. Altero, quod ad penæ, & commissi incursum requiratur dolus verus, vel saltem præsumptus ex parte agentis probandus. 2

Utrumque tamen facili negotio cessare pro Appaltatoribus scribens dicebam; Quatenus enim pertinet ad primum exspirationis bannimentorum ob cessatum officium Bannientis, quidquid sit de conclusione in abstracto, in qua etiam dici potest, quod non procedat, ubi officialis edit bannimenta de mandato Principis, vel alterius superioris, cujus potestas durat, ut per Farinac. ubi supra *n.* 7. Supervacaneum observabam hujusmodi disputationem in puncto juris assumere, stantibus facti circumstantiis omnem quæstionem dirimentibus, quia in capitulis appaltus, per viam pacti & conventionis cum Camera initis, atque cum Papæ chirographo approbatis, expresse conventum erat, contra introducentes, vendentes, vel alias contrectantes plumbum intra limites appaltus, posse Appaltatores ad hujusmodi penæ exactionem procedere; Unde facultas exigendi penam non resultabat ex solis bannimentis Thesaurarii, sed ex capitulis, quæ pro lege habenda esse firmat in terminis capitulorum consimilis appaltus cameralis, Corn. *cons.* 399. *in princ. vol.* 1. cumque durat et appaltus, ejus etiam capitula & conventiones tanquam pars contractus durare necesse erat, maxime quia munita erant ejusdem Papæ auctoritate. 3

Sed quando etiam hujusmodi bannimenta, ob cessatum officium Bannientis expirassent, id suffragari posse dicebam

bam aliis, aliam prohibitionem non habentibus, nisi illam ex eis resultantem, non autem istis subappaltatoribus ad id obligatis ex lege contractus, quia in capitulis subappaltus expresse conventum est, ipsos non posse introducere, vendere, vel alias contractare aliud plumbum, quam illud, quod haberetur ab Appaltatoribus, ac alias censeantur esse in fraude, & incursi in pœnas contentas in bannimentis, & sic quatenus bannimenta tamquam talia post expiratum officium eos non afficerent, affecti tamen remanebant eisdem,
4 ex lege conventionis & pacti; Ut in proposito habemus de non subditis alicui statuto, vel consuetudini, ad illius formam paciscentibus, eique se subjicientibus, quia licet illud statutum, vel consuetudo eos non obliget ratione potestativa & jurisdictionali tamquam lex, obligat tamen tamquam conventio, Abbat *conf.* 33. *sub numer.* 2. *& seqq. vol.* 2. Surd. *decis.* 13. *n.* 4. Galeot. *lib.* 2. *controv.* 30. *n.* 59. *& seq.* Et quoties non concurrat præjudicium Ecclesiasticæ Immunitatis, vel simile, super quo nec volentes partes pacisci possunt, admittitur per Rot. in Baren. seu nullius pecuniaria cor. Cerro post Zacchiam *de obligat. Camerali dec.* 180. *n.* 16. *cum seq.* repetita *dec.* 348. *p.* 9. *rec.*

5 Eo magis attenta ejusdem conventionis evidenti rationabilitate propter subjectam materiam de negotii natura id postulantem. Appaltus enim plumbi, seu aliorum hujusmodi mineralium, qui per Principem, vel ejus Cameram conceditur, & cujus ratione notabilis pensio solvi solet, in alio non consistit nisi in jure privativo vendendi in ea Civitate, vel Provincia eam speciem, quam proinde, ultra ejus intrinsecum valorem, cariori pretio Appaltator vendit; & in quo jure vendendi ejusque extrinseco augmento appaltus consistit, ut bene in puncto appaltus salium Marchiæ, Soccin. *cons.* 156. *vol.* 1. Galeot. *respons. fiscal.* 10. *num.* 39. & habetur non semel in aliis *hoc tit.* deductum ad materiam salinarum, & mineralium; Atque de facto in præsenti constabat, quia intrinsecus valor plumbi, comprehensis etiam omnibus expensis, non excedebat scutos 34. & tamen conventum est solvi debere scut. 45. & 40. respective; Igitur de necessitate supponenda est prohibitio pœnalis introducendi, vel contractandi aliud plumbum, quoniam alias jus privativum inutile remaneret, atque inanis esset conventio, dum habentes aliunde eamdem mercem viliori pretio, absque dubio illam Appaltatoris pro longe cariori non emerent.

Quoad vero ad aliud fundamentum doli veri, vel præsum-
6 pti, dicebam illius quæstionem hodie in hujusmodi mineralium, vel aliarum rerum speciebus, quæ in appaltum cum jure privativo per solum Principem concedi solent, prorsus cessare, quoniam apud populos ex longæva observantia, nimis notoria est prohibitio, hujusmodi merces, & bona introducendi & contractandi, alias quam per manus appaltatorum, vel officialium ad id a publico destinatorum; Unde data diversa introductione, dicitur eo ipso probatus dolus sufficiens ad contraventionem, cum absque dubio non sit amplius allegabilis justa ignorantia, & bona fides, atque ita ubique in Orbe Christiano docet praxis, nam aliter actum esset de hujusmodi appaltibus & juribus privativis, si in quolibet contraventionis casu, ad doli probationem appaltator cogendus esset.

7 Et nihilominus adhuc in præsenti hæc difficultas cessabat ex facto, stante d. expressa conventione non introducendi, vel contractandi aliud plumbum quam habendum ab appaltatoribus, sub pœna fraudis, quæ etiam ex sola juris dispositione importat commissum rei, super qua fraus commissa est ad text. *in l.* 1. *& 2. Cod. de vectigal. & commissis l. commissa ff. ad publican.* Bertacchin. *de gabellis p.* 9. *n.* 7. Farinac. *qu.* 173. *n.* 2. & cæteri, & sic adest pœna conventiona-
8 lis, pro qua opus non est ex parte agentis probari dolum verum, vel præsumptum, sed sufficit probari contraventionem, ut plene firmatur apud Cartarium *dec. crimin.* 18. *n.* 35. *& seqq.* & fusius habetur in Ferrarien. decupli *hoc eodem tit. disc.* 119. ubi ista conclusio doli veri, vel præsumpti circa pœnas conventionales examinatur.

Solidum igitur fundamentum, cujus ratione ab initio de juribus Appaltatorum dubitavi (unde resolutio a justitia visa non est aliena) consistebat in eo, quod iidem subappaltatores per biennium antecedens universum appaltum habuerunt, sive administrarunt, unde ista occasione utentes, sibi, quamvis in aliquo excessu, pro eorum subappaltu providerant, ideoque cessabat contraventio, dum ad formam capitulorum in locum subappaltus aliud plumbum non introduxerunt, nisi illud, quod a seipsis tamquam appaltatoribus habuerunt.

Et quamvis scribendo tamquam Advocatus replicarem, eos tamquam diversam personam appaltatorum repræsentantes, non potuisse sibi ipsis tamquam subappaltatoribus tradere insolitam, & excessivam plumbi quantitatem ultra necessitatem illius biennii, cum ita supplantatus remaneret appaltator successor pro annis sequentibus, in quibus novi plumbi emendi necessitas ita cessabat ex deductis per Franch. *decis.* 96. in Romana bulli alearum, & in Rom. locationis venæ ferri *hoc eod. tit. disc.* 117. dictumque assumptum, verum, ac solidum crederem; Nihilominus, ut Egomet in congressu cum aliis Advocatis dicebam, id suffragari poterat ad effectum prohibendi dictæ excessivæ quantitatis contractationem, ac jus cogendi subappaltatores ad restituendum eisdem appaltatoribus quantitatem excessivam, eodem modo, quo in sale, & aliis hujusmodi materiis practicatur, ut locis citatis; Non autem ad effectum inferendi ad contraventionem, & pœnam, quia dum merx habita est modo legitimo, & a manibus eorum, qui tunc erant appaltatores, dici non potest contraventum nec bannimentis, nec legibus conventionis, cum jus appaltatorum respiciat magis prohibitionem retentionis, quam infectionem acquisitionis & inductionis. Ideoque hanc solam actionem intentare sanius consilium judicassem, sed ad causam evocatus fui post hæc jam sequuta. Voluerunt autem Appaltatores mutatis defensoribus prosequi causam in camera, sed adhuc succubuerunt.

VITERBIEN. GABELLÆ, PRO GABELLARIIS VITERBII, CUM CIOFIS.

Casus resolutus per Thesaurarium contra gabellarios.

De exemptione a solutione gabellæ ex privilegio, alicui concesso in præmium inventionis, vel introductionis alicujus novæ artis, vel mercaturæ. An suffragetur ejus sociis, vel alias in negotio participantibus, etiam dissoluta societate per mortem unius, dum cum hæredibus non continuatur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Gabellarius habet intentionem fundatam in causa generali exigendi gabellas a quibuscumque.*
3 *Limitatio est probanda ab allegante.*
4 *Decima & gabella fraternizant.*
5 *Societas per mortem dissolvitur.*
6 *Si continuetur cum hæredibus, dicitur nova.*
7 *An ex pacto præsertim jurato fieri possit, ut societas continuare debeat etiam post mortem.*
8 *Privilegium reale transit in quemcumque rei possessorem.*
9 *Et quando dicatur reale, vel personale.*
10 *Socii quando, & qua ratione gaudeant privilegio uni ex sociis concesso. Et an eo gaudere possint finita societate.*
11 *Concesso privilegio, vel alio jure pro persona nominanda, facta nominatione, nominatus dicitur illud divelle, & immediate habere a primo concedente.*
12 *Aliud est societas appaltus, aliud vero participatio utilium.*
13 *Illud privilegium, quod est transmissibile ad hæredes, an sit cessibile.*

D I S C. XC.

Cum Vincentius Galera modum dealbandi ceram crocceam didicisset, istudque negotium in Civitate Viterbien. introducere vellet, eadem Civitas in præmium hujusmodi inventionis, vel introductionis, prudenter ei concessit pro se ipso, ejusque hæredibus, & successoribus, ac etiam sociis in negotio assumendis, exemptionem per annos 20. a solutione gabellæ introductionis ceræ, quæ in dicta Civitate exigi solet, quod privilegium auctoritate etiam Apostolica confirmatum fuit, necnon eidem concessit appaltum pro vilissimo pretio gabellæ bombicis. Post cujus concessionem, apertum fuit dictum negotium dealbationis ceræ in quodam horto mensæ Episcopalis una cum illis de Ciofis, tamquam dominis instrumentorum, quæ ad hujusmodi opus necessaria sunt. Inita inter eos sub quibusdam capitulis societate ad novennium, intra quod defuncto Galera, Ciofi nullam cum morientis hæredibus societatem continuantes, vel renovantes, ad solum proprium nomen, & commodum dictum negotium continuarunt, etiam post dictum novennium,

nium. Unde petentibus gabellariis Civitatis solutionem consuetæ gabellæ pro introductione ceræ & bombicis, eis autem excipientibus de præfato privilegio exemptionis, & appaltu, utpote ad viginti annos concessis, orta fuit controversia, num privilegium & appaltus, Galeræ ejusque hæredibus & sociis concessa, suffragari possint Ciofis a die mortis dictæ Galeræ citra. Introductaque proinde causa coram Thesaurario.

2 Pro Gabellariis scribens; dicebam fundatam esse illorum intentionem in jure, seu causa universali exigendi gabellam a quibuscumque, donec probetur exemptio, quæ tanquam species limitationis ab allegante concludenter probanda est,
3 Mantic. *decis.* 251. *num.* 4. Quod habemus quotidianum in materia decimarum, quarum termini cum istis gabellarum fraternizant, cum gabellæ, & onera publica dicantur species decimæ, quam populus solvit Principi pro protectione,
4 & gubernio temporali, eodem modo, quo solvit decimam Curato pro gubernio spirituali, ut pluries hoc eodem titulo, quia Parochus habet intentionem fundatam in causa universali contra omnes ad decimas, donec doceatur de exemptione, ut *in sua materia sub tit. de decimis*.

Privilegium autem exemptionis dicto Galeræ concessum, suffragari non posse dicebam Ciofis, quia illud concessum legitur pro hæredibus, vel sociis, quorum neutram personam ipsi a tempore dictæ mortis citra gerebant. Non erant enim ejus hæredes, minusque dici poterant socii post sequu-
5 tam consocii mortem, per quam certum est societatem dissolvi, *§. solvitur instit. de Societ. l. actione, §. morte, ff. pro socio Doctores communiter*, de quibus Michal. *de fratribus, p. 2. cap. 40. num. 1. cum seqq.* Capyc. Latr. *decis.* 26. *num.* 20. *cum seqq. & decis.* 189. *n.* 17. *cum seqq.* ubi verius probat,
6 quod etiamsi cum hæredibus societas continuetur, non erit eadem, sed nova societas in Bononien. pilarum coram Celso, *inter suas decis.* 345. *& in aliis coram Taja*, in qui-
7 bus adeo tenaciter id firmatur, ut accedente etiam juramento non possit ex pacto fieri, ut Societas morte non dissolvatur, & in hæredes transeat (quod tamen non leves habet difficultates per generalem dispositionem textus *in cap. cum contingat, de jurejurando*, super observantia juramenti, quoties absque interitu æternæ salutis servari potest, nec favor publicus principaliter, non autem secundario consideratus, obstat.) Quorum neutrum tamen hic examinare opus erat, quia nec pactum aliquod de continuando post mortem aderat, & deficiebat continuatio de facto cum hæredibus, quibus omnino neglectis, ipsi soli ter conventi negotium continuarunt.

Prætendebatur a reis, exemptionis privilegium concessum fuisse ipsi negotio, & cum eo incorporatum, itaut tamquam
8 privilegium reale transiret in quemcumque ipsius rei possessorem ex plene deductis per Menoch. *lib. 3. præsumpt.* 103. quem solum in hac materia privilegii, an sit reale, personale, vel mixtum allegare sufficit, & per Rot. *decis.* 400. *part. 9. rec.* & in eadem Cesenaten. seu Sarsinaten. Laude-
9 miorum 19. Junii 1656. coram Albergato *dec.* 35. post colluctationes Bondeni, in quibus de hac materia privilegii realis, vel personalis. Sed absque fundamento facti, vel juris adducebatur hæc prætensio, cum ex tenore privilegii constaret, illud principaliter concessum esse personæ ipsius Vincentii in præmium inventionis, seu introductionis hujus novi artificii in Civitatem, communicatum ejus sociis in ejusdem inventoris gratiam, & commoditatem, quia cum pro hujusmodi negotio explicando multa instrumenta, & utensilia necessaria essent, ac notabile peculium super eo implicatum habere oporteret, quibus omnibus ipse destitutus erat, inanis fuisset inventio, & successive inane privilegium, nisi adhibere potuisset socios, quorum opera, & auxilio explicaretur negotium sibi alias impossibile, ideoque socii tanquam ab ipso dependentes, & accessorii, per quam-
10 dam speciem communicationis dicto privilegio potiebantur ex causa onerosa, & correspectiva, cum in societate ipsi ponerent pecunias, & instrumenta, alter vero solam operam; atque hoc privilegium ex istius parte, peculii, seu capitalis species dici poterat, ideoque injustum, ac juris principiis omnino contrarium dicebam, ut socii accessorie ad istud privilegium admissi, post dissolutam societatem illo gaudere deberent, absque causa, nullaque data participatione lucrorum hæredibus illius, cui principaliter, & in præmium suæ virtutis concessum fuit.

Hæc omnia bene procedebant, & secundum ea debuisset de justitia judicari, nisi ex parte reorum exhibita fuisset declaratio per eumdem Galeram viventem facta, quod privilegium prædictum, ac appaltus, eorumque totum commodum, ad ipsos eorumque negotium omnino spectari deberet, contentus ea lucrorum participatione, quæ sibi dicto statuto tempore promissa erat. Licet enim privilegium exemptionis, ac etiam appaltus pro introductione bombicis pro levissimo pretio ab eadem Civitate, tanquam privilegii species, concessa non essent pro persona nominanda, quo casu nominans facta nominatione tollitur omnino de medio, & actus dicitur substantiatus cum persona nominata, perinde ac si ab initio cum ista initus fuisset per instrumen- 11
tum, seu organum nominantis ex deductis per Surd. *decis.* 182. *n.* 16. *& seqq.* Gregor. & Add. *decis.* 157. *n.* 7. *&* 24. *&* 227. *nu.* 3. *cum seqq.* sed erat per admissionem ad societatem, seu participationem, & non tollit existentiam appaltus, seu privilegii in prima persona, solumque operatur in 12
aliis participationem utilium, & effectuum exinde resultantium, ut bene in his terminis appaltus ita distinguendo habetur per Rotam *decis.* 208. *part. 4. recent.* & apud Othobon. *dec.* 40. *n.* 36. itaut vere actus ab initio in ipsius Galeræ persona substantiatus esset; Nihilominus cum concessio esset pro ejus hæredibus, & successoribus quibuscumque, id quod erat ad hæredes trasmissibile, potuit esse cessibile in 13
successorem particularem; Et ex hoc motivo mihi quamvis pro altera parte scribenti visum fuit, juste reis conventis concessam fuisse absolutoriam, præsertim quia constabat de continuatam animo Civitatis, dum in novo appaltu idem privilegium eis confirmavit.

ROMANA APPALTUS FOENI, PRO JO: BAPTISTA BULLA, ET JO: BARTHOLOMÆO, CUM ANTONIO SCARIONO.

Casus decisus per Cameram ut infra.

De societate vectigalium an sit quandocumque dissolubilis, & quid agendum super vectigalium exactione, sociis inter se discordantibus.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversia.*
2 *Societas appaltus dissolvi non potest durante tempore, pro quo susceptus est, limitatur, n. 6.*
3 *Hec societas dicitur collegiativa, ab aliis diversa.*
4 *Non dissolvitur per mortem unius, sed transit ad heredes.*
5 *An unus ex sociis admitti debeat ad ponendum ministrum loco sui.*
6 *Limitatur conclusio, de qua n. 2.*
7 *Qua sit justa causa, remittitur Judicis arbitrio.*
8 *Quando concurreret justa causa dissolvendi societatem, quomodo facienda sit divisio.*
9 *Appaltus dicitur individuus.*
10 *In individuis divisio facienda est per partitum, seu licitationem.*
11 *Fisci, vel reipublice domina vectigalis interest appaltatores esse in lucro, & de ratione.*
12 *Et de ratione, ob quam debent tenere libros fideles, & bene tentos.*
13 *Explicatur cons.* 220. *Baldi, lib.* 2.
14 *Habens participationem in fructibus ratione decima, vel alterius portionis, potest apponere custodem, vel ministrum.*
15 *Aliud est societas appaltus, aliud participatio utilium.*

DISC. XCI.

Susceperunt, Bulla, Bartholomæus, & Scarionus, ad annos 14. a Camera Apostolica appaltum gabellarum 1
noviter impositarum super palea, fœno, & vino, sed ortis inter eos, ipso administrationis initio, discordiis, ad terminos inimicitiæ deventis, itaut impracticabilis absque scandalorum & inconvenientium timore judicaretur hujusmodi societatis continuatio; Idcirco pro ejus dissolutione, Bulla, & Bartholomæus instituerunt, offerentes licitationem, seu partitum, quod scilicet, vel ipsi dimitterent appaltum, contenti idonea cautione, per Scarionum præstanda, pro eorum relevatione a molestiis per Cameram inferendis, vel e contra ipsi ad eorum onus appaltum susciperent, præstita pro relevatione Scarioni dimittentis eadem idonea cautione. E converso autem Scarionus respuendo partitum, petebat continuationem commode practicandam per ministrum ab eo deputandum, qui

cum

cum consociis appaltum administrare deberet ubique necessitate insimul conveniendi.

Et introducta causa in Camera, pro Scariono scribentes allegabant regulam eis assistentem, ut scilicet societas ad certum tempus inita, non possit per unum, vel plures socios, aliis invitis, statuto tempore durante dissolvi, juxta text. *in l. si convenerit, & l. actione, §. diximus, ff. pro Soc.* 2 idque maxime in societate vectigalium, in qua illius dissolutio, non solum percutit interesse ipsorum sociorum inter se, sed etiam illud fisci, vel Reipublicæ locantis, unde propterea dicitur societas collegiativa ut observat Salicet. 3 *in l. tandiu in fin. ff. pro Soc. & in rubr. ibidem.* Ista enim vectigalium societas aliquid peculiare habere videtur, itaut a reliquis societatibus differat. Aliæ siquidem, per mor- 4 tem unius ex sociis dissolvuntur etiam quoad superstites, istæ vero secus, nam durant, & in hæredes transeunt ad text. *in l. adeo, ff. pro socio, l. verum, §. in hæredem, ff. eodem* *Petr. de Ubald. de duob. fratr. part. 11. in princip.* Felin. de Societ. *cap. 32. n. 19.* Mantic. *de tacit. lib. 6. tit. 24. num. 22.* Michalor. *de fratr. part. 2. cap. 40. n. 26. cum seqq.* ubi plura congerit requisita pro dicta conclusione, ac per totum illud capitulum late agit de materia societatis per mortem dissolvendæ.

Et in specie plurium sociorum vectigalis, vel pedacii quod unus eorum admitti debeat ad ponendum loco sui 5 unum ministrum, allegabatur tanquam punctuale *consil.* Baldi 230. *lib. 2.* atque inculcabatur ipsius Cameræ præjudicium, & ex quo forsan motivo rejecta petitione dissolutionis societatis cum dicto temperamento locationis, seu partiti, resolutum fuit pro continuatione, sub ea lege quod Scarionus non deberet per se ipsum administrare, sed deputare alium, qui ejus vices gereret, ac partes suppleret.

Mihi pro Bulla, & Bartholomæo scribenti, reflectendo ad veritatem, etiam ante causæ propositionem in congressu pro illius directione habito insinuatam, videbatur super hoc, certum determinatumque judicium dari non posse, itaut resolutio, sive uno, sive altero modo de positiva injustitia redargui non posset.

Licet enim regula prædicta de non dissolvenda societate ad certum tempus inita, certam limitationem patiatur 6 ex justa causa de novo superventa, qualis in jure reputatur illa, quod unus socius esset rixosus ad text. *in d. l. si convenerit in fine*, ubi Bart. *& in l. cum fatis, sub n. 6. C. de agricol. & Censit. lib. 10.* Simoncell. *de decreto, lib. 2. tit. 4. n. 6.* Felic. de Societ. *d. c. 39. n. 63. cum seq.* Duard. *de Societ. lib. 2. cap. 4. q. 2. n. 7.* Michalor. *de fratr. p. 2. cap. 36. n. 23.* Nihilominus quando dicatur adeo rixosus, quod ad id sufficiat, seu alia causa reputetur ad hoc idonea, non habe- 7 tur in jure scriptum, sed totum remissum est prudentis judicis arbitrio, ex facti circumstantiis regulando, Menoc. *de arbitr. casu 183. n. 8. & casu 171. n. 36.* Simoncell. *d. tit. 4. n. 7.* Felic. *d. c. 36. n. 64.* in arbitrariis autem non de facili convinci potest judex de injustitia.

Insinuabam vero, pro dicto arbitrio regulando, quod licet textus prædictus utatur termino *socii rixosi*, non tamen præcise desiderantur rixæ formales, quales reputari solent illæ, quæ sunt formalium inimicitiarum productivæ, sed intelligitur sano & discreto modo, ita & taliter quod consociis reddatur molestus, quodque in societate continuari non possit cum ea concordi voluntate, quæ communionis potissimum est fundamentum, unde Bald. *in eadem l. si convenerit, n. 1.* utitur verbo, seu termino socii molesti, ibi, *si & in quantum socius non sit molestus*, quod etiam repetit, *n. 2. & in utraque additione.*

8 Ubi autem causa videretur ex facti circumstantiis justa pro interpositione arbitrii ad hujusmodi societatem dissolvendam. Quatenus pertinet ad modum, non placebat ille propositus per scribentes in oppositum, dividendi scilicet officia, ut unus faceret causam, alter teneret scripturam, alter alia expleret; quoniam hoc non esset dissolvere societatem adhuc ita durantem, sed solum dividere exercitium, unde esset petere principium, non admittendi dissolutionem, in cujus casu punctus erat de modo, quia alter magis congruus dari non poterat, nisi ille licitationis, seu partiti.

Quamvis enim super modo faciendi divisionem bonorum, vel jurium, quæ pro communi possidentur, nimis apud scribentes varietur, itaut tresdecim diversas opiniones diligenter colligat Capyc. Latr. *decis. 28.* Attamen id procedit in rebus individuis, in quibus recte aliquis ex dictis dividendi modis est practicabilis, secus autem in individuis, quæ possideri quidem possunt a pluribus pro communi, sed nonnisi insolidum, itaut quilibet totum possidere dicatur, sed practicabilis non est possessio, vel 9 dominium per partes, nisi quoad solum exercitium, vel fructum, quoniam appaltus est unicum jus individuum, adinstar juspatronatus & similium; Unde propterea societas appaltus dicitur collegiativa, quia totum penes singulos, tanquam unum corpus constituentes, esse dicitur, ut per Salicet. *loco supr. cit.*

Posita vero individuitate, alius non adest dividendi 10 modus, nisi ille per licitationem, seu partitum ad text. *in l. 1. & l. ad officium, C. commun. divid. l. arbor. §. Judex, ff. eodem*, ibique DD. de quibus Capyc. Latr. *dec. 28. n. 9.* late Buratt. *dec. 350.* Neque exinde Cameræ locatrici præjudicium aliquod inferebatur, cum ejus respectu duraret sociorum obligatio, proinde ac si societas continuaret, cadente obligatione in eo, cui appaltus remanet, per idoneam cautionem socios exeuntes relevandi indemnes; Neque in hoc considerabile videbatur objectum, quod fragili cautioni fidendum non esset, quoniam hoc recte procedere dicebam, quando actores peterent appaltum, ac prætenderent ab eo reum excludere cum sola cautionis oblatione, cum enim offerretur optio, ideirco deductum præjudicium potius remanebat in actoribus, cum ita reus eligere potuisset appaltus retentionem, atque dictum præjudicium retorquere.

Quinimo observabam, Cameræ potius expedire, ut ad 11 divisionem deveniretur, quam quod administratio fieret per ministros, & deputatos; interest enim fisco, vel Reipublicæ, vectigalium appaltus diligenter ac fideliter administrari, atque appaltatores esse in lucro potius, quam in jactura, pro novis appaltibus in futurum cum pensionis augmento potius quam diminutione faciendis; Et ex qua 12 potissimum ratione appaltatores, quamvis proprium negotium, durante appaltu, gerant, eorumque sit lucrum, & damnum; nihilominus libros fideliter facere, & conservare tenentur, ut eis liquere possit, quid perceptum sit pro futuro appaltu regulando; Ideoque interest appaltum administrari per ipsos principales interessatos, non autem per famulos & ministros salariatos non adeo diligentes, etiamsi fideles præsupponendi sint, quia de dominorum jactura eis caput dolere non solet, Multo magis concurrente suspicione fraudis & ocultationis, quam frequenter experimur.

Ad consilium autem 230. Baldi *lib. 2.* facilis erat responsio, declarando æquivocum cum quo dicebam, scribentes in contrarium procedere super dictæ auctoritatis allegatione. Siquidem Bal. seu verius Christoph. de Castilion. cui Bald. *subscribit*, agit de habente quandam participationem temporaneam in commoditate, seu emolumentis pedagii, & dicunt juste posse petere non procedi ad concessionem appaltus absque ejus participatione, seu posse deputare suum ministrum & factorem, ut videat quantum percipiatur ad consulendum fraudibus, quæ alias sibi fieri pos- 14 sent ex auctoritate Specul. *tit. de decim. §. fin. n. 14.* ubi de Parocho, ut possit deputare assistentem perceptioni fructuum pro jure suæ decimæ. Quod in Baronibus, vel aliis, quibus aliqua competit participatio fructuum ea prædia colligendorum, ex eadem Speculatoris auctoritate firmant 15 Franch. *dec. 117.* ubi add. Ann. sen. *alleg. 94. n. 8.* ibique adden. Capobl. *de Baron. tom. 2. c. 78.* ubi cæteri; Sed hoc nihil commune cum terminis præsentis controversiæ, quoniam habens participationem non dicitur appaltator, vel socius appaltus, atque magna differentia est inter societatem, & participationem utilium, ut *dec. 208. part. 4. rec.* Ottobon. *dec. 40. num. 28.* ubi concordantes.

ROMANA SEU TUDERTINA COLLECTÆ,

PRO ANGELO ANDOSILLA,

CUM COMMUNITATE TUDERTI.

Casus disputatus in Congregatione Boni Regiminis, & in Signatura Gratiæ, pendet in Rota indecisus.

An & quando forenses collectari possint per Communitates pro bonis ibi possessis. Et quid pro censibus cum eadem Communitate, impositis super bonis particularium. Et aliqua de exemptione civium Romanorum.

At

Ad collectas debitas ratione fundi censiti, an creditor censuarius cum debitore fundi domino contribuere teneatur,

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Forenses de jure non possunt collectari.*
3 *Secus de consuetudine.*
4 *Ab oneribus Cameralibus Clerici non sunt exempti, cum declaratione.*
5 *De exemptione Civium Romanorum.*
6 *Onera Cameralia, quare debeantur, & à quibus.*
7 *Census ad alios effectus reputantur stabilia, & circumscribuntur loco bonorum censitorum.*
8 *Secus ad effectum collectarum, quia sequuntur personam creditoris.*
9 *Collecta an debeantur pro nominibus debitorum juribus, actionibus.*
10 *An creditor censuarius teneatur contribuere in collecta reali ratione participationis fructuum rei.*
11 *An census sit onus reale, vel personale ad dictum effectum.*

D I S C. XCII.

SUper aliquibus bonis stabilibus particularium Civitatis
1 Tudertinæ, & de illorum consensu, illa Communitas,
ad formam Bullæ Pii V. aliisque servatis servandis, imposuit censum ad favorem Angeli Andosillæ senioris, inito
contractu in Urbe, ubi etiam destinata fuit solutio fructuum, qui plurium annorum spatio integre, & absque deductione, vel protestatione soluti fuerunt eidem Angelo,
cui etiam restituta sors principalis. Eoque defuncto, scripto
hærede Angelo juniore, filio Raphaelis, ex fratre nepotis
prædefuncti, contra istum pupillum Communitas prædicta
prætensionem excitavit pro collectis totius temporis, quo
dictus Angelus senior censum possedit, & Congregatio Boni
Regiminis, non obstantibus infrascriptis, ex parte dicti rei
conventi deductis, ex prudentialibus magis, quam legalibus motivis, ut istam satis oppressam Communitatem in
aliquo relevaret, pro dictæ collectæ solutione respondit.
Quare habito recursu ad Signaturam gratiæ, per istam causa appellationis commissa fuit in Rota, ubi pendet, ut
opinor, absque ulteriori prosecutione, itaut silentium stet
loco victoriæ dicti rei conventi.

In his igitur disputationibus habitis, tamen in dicta Congregatione, quam in Signatura, scribens pro Angelo,
duas constituebam inspectiones, Unam quod onera Communitativa, seu collecta eis proportionatas, Alteram pro
collecta debita pro oneribus Cameralibus.

Quatenus pertinet ad primam, inanis remanebat disputatio quæstionis, excitatæ per scribentes pro Communitate
super facultate collectandi forenses pro bonis in territorio
possessis, quoniam admissa etiam affirmativa, cessabat difficultas ob exemptionem resultantem a Clericatu, idem præfatus Angelus erat Prælatus, & Vaticanæ Basilicæ Canonicus, unde propterea quando etiam fuisset civis, neque ad
2 eas urgeri potuisset; Cessante autem hujusmodi circumstantia, admittebam probabiliorem esse affirmativam; Licet
enim in puncto juris verior sit negativa, quia collecta dicitur onus, quod imponitur personis propter bona, ideoque
requiritur subjecto personalis erga Communitatem collectantem. Nihilominus ex consuetudine, quam Bart. receptam dicit per totam Italiam, practicatur affirmativa, ut,
3 cæteris collectis, plane firmatur *decis.* 3. post Cenc. de
Censibus, per Marott. ad satietatem colligentem *in tract. de collecta, seu bonatenentia cap.* 9. *n.* 1. Cohell. *ad Bullam boni regiminis cap.* 35. *n.* 31. & admittitur in Ariminen. gabellæ 25. Junii 1657. coram Bevilaqua, ubi firmatur dicta
regula negativa in puncto juris vera.

Quare tota disputatio fuit super secunda specie onerum
4 Cameralium, quorum respectu, exemptio ratione Clericatus non suffragatur, ita expresse disponente Constitutione 39. Pauli III. seu ejus declaratione §. 1. quæ in praxi
recepta est juxta singularum Communitatum usum, si
enim de præterito Clerici numquam collectari consueverunt, adhuc dictam exemptionem obtinent, secus autem
e contra; in hac autem communitate observantia supponebatur Clericorum inclusiva.

Motivabatur per alios pro hac eadem parte scribentes de
exemptione civium Romanorum, Verum istud motivum
nullum habebat fundamentum. Tum quia talis exemptio
non provenit ab aliquo privilegio Apostolico generali, sed 5
solum a statuto Urbis, quod vires non porrigit extra suum
territorium, seu districtum. Tum etiam, quia tam Congregatio boni regiminis, quam etiam Camera pluries censuit, atque hoc jure vivitur, hujusmodi exemptionem, etiam intra districtum, suffragari quoad onera Communitativa tantum, non autem quoad Cameralia, quæ dicuntur
realia ipsis bonis imposita per æs, & libram, non autem
Communitatibus, a quibus jure cujusdam administrationis, & gratia majoris commoditatis, ministri Camerales 6
illa exigunt, adeout si communitas satis dives, & idonea
sit, illaque de suo de facto solvat, adhuc repetitionem habeat
a possessoribus bonorum, ut in tribus instantiis acriter discussum fuit in Nepesina collectæ, de qua *sub tit. de servit.*
ad materiam pascuorum.

Verum, quia rei conventi auctor in eo territorio nulla 7
possederat bona stabilia per veritatem, ideirco dicebam ita
omnem difficultatem cessare. Licet enim magis communis, & recepta opinio sit, non tamen multis contradictoribus destituta, census consignativos ad formam Bullæ Pii V.
super bonis stabilibus fructiferis impositos, quamvis vere
tertiam speciem constituentes, reputari tamquam stabilia,
& circumscribi loco illorum bonorum, super quibus illi
impositi sunt, ex plenissime collectis per Marott. *d. tract. de collecta, seu bonatenentia cap.* 6. *num.* 7. *cum seqq.* Rot.
dec. 144. *&* 290. *par.* 8. *rec.* in dicta Ariminen. gabellæ
25. Junii 1657. Bevilaqua, & sæpius, quia est propositio
recepta. Nihilominus ea procedit ad effectum comprehensionis sub statutis, aliosque similes effectus, in quibus attenditur loci circumscriptio; secus autem ad effectum collectarum, quoties creditor est forensis, & contractus alibi 8
initus est, prout & alibi destinata est solutio, in ejusdem
scilicet creditoris domicilio, ut in præsenti contingebat,
quia contractus celebratus erat in Urbe, ibique solutio destinata. Ad istud enim effectum, verius est constituere
tertiam speciem, atque sequi personam creditoris, ubi præsertim in ejus domicilio solutio destinata est, cum tunc
cessare videatur omnis quæstio, ex firmatis *dicta decis.* 3.
post Cenc. & apud Gratian. *discept.* 26. *n.* 3. cum quibus
proceditur, ut in dicta Ariminen. coram Bevilaqua, ac videtur recepta opinio in Curiæ Tribunalibus, licet Congregatio boni regiminis quandoque vacaverit, & in contraria
sententia residere soleat. Et quæ opinio etiam recepta est in
Regno Neapolitano, ubi non sub nomine collectivæ civium, sed bonætenentiæ, qui terminus convenit solum
forensibus, pro censibus solvitur collecta, ut apud Marott.
dict. c. 6. *& seqq.*

Non negabantur hæc per scribentes pro Communitate,
sed dicebatur collectam deberi, non ratione bonorum stabilium, sed ratione hujus juris, seu actionis in loco possessis,
& hoc fuit fundamentum resolutionis, quoniam collecta
debetur etiam de nominibus debitorum, ac jurium, & 9
actionum. Ut in specie censuum, vel aliorum redditu um
in proposito habetur apud Leotard. *de usur. quæst.* 57.
num. 13. Sed hoc videbatur æquivocum, quoniam id procedit in collectis personalibus, quæ propriis civibus, & subditis imponuntur per æs, & libram, habita ratione bonorum, quæ possident, quoniam habetur etiam ratio de nominibus debitorum, juribus, & actionibus, mercibus, &
pecuniis, juxta ea, quæ habentur in Romana Datiorum
pro Universitate Hebræorum *hoc tit. disc.* 102. *&* 103. Secus autem respectu forensium, & non subditorum, a
quibus prætendi solum potest collecta mere realis, & ratione bonorum stabilium.

Alterum erat fundamentum, quod creditor censuarius, 10
utpote participans de fructibus ipsorum bonorum, quorum ratione collecta solvitur, ad illam contribuere debet,
ad text. *in l. hactenus, C. de usufructu, l. fructus, C. de action. empti, l.* 1. *&* 2. *Cod. de annonis, & tributibus lib.* 10.
cum concordan. plene collectis per Marott. *dicto tractat. de collecta, seu bonatenentia dicto cap.* 6. *n.* 1. *cum seqq. usque ad* 7. *ubi num.* 8. *cum seqq.* in specie hoc plene
substinet, atque *in cap. seqq.* credit, in æstimo possessori
bonorum deducenda esse hujusmodi onera, utpote in
eodem æstimo ponenda in faciem censuarii participantis de
fructibus, *& cap.* 10. descendit in individuo ad collectas
debitas per bonis possessis per eandem Communitatem
impositricem census, & respective pro censu possesso cum
eadem Communitate, quamvis adesset pactum franchitiæ, quasi quod ita perciperetur majus emolumentum ex
censu contra dispositionem Bullæ Nicolai, vel Pii V.

Unde infert alias esse usurarium, implendo super singulis propositionibus integras columnas allegationum.

Verum & hoc motivum nullam habet subsistentiam ex solo facto, quoniam census impositus non erat super bonis collectalibus ipsiusmet Communitatis, unde intraret duplex gravamen ponderatum per dictum auctorem *d. n.* 10. sed impositus erat super bonis aliquorum privatorum, qui integrum illorum fructum perceperant ad proprium commodum, & ex quibus ista communitas integram exegerat collectam. Et consequenter nulla ex dictis quæstionibus cadebat, quoniam Communitas non poterat ex eisdem bonis duplicatam collectam prætendere, ideoque dum ex eis integram exegerat, alia non remanebat actio. Possessoribus vero bonorum, neque competere poterat jus, vel actio ad contributum contra creditorem censuatium, utpote fructuum participem, dum ipsi nullum onus ratione census senserant, atque integros fructus perceperant. Unde propterea in hujusmodi disputationibus verificabatur ille satis frequens pragmaticus abusus, ignaro vulgo adeo gratus, replendi chartas cum inanibus quæstionibus, & copiosissimis allegationibus super singulis extra tamen casus opportunitatem, ac cessante applicatione ad factum.

Sed ubi de hujusmodi quæstione inter debitorem, & creditorem censuarium agendum esset; sive quod re integra ipsa Communitas vellet utrumque proportionabiliter collectare, adhuc favore creditoris probabilius mihi respondendum videbatur, quodque hujusmodi oneris solutio spectare debeat integre ad dominum, & possessorem, justa opinionem, quam veriorem dicunt Leo *in thesaur. for. Eccl. par.* 2. *quæst.* 30. *n.* 49. qui sic in Urbe, & ubique servari testatur, Surd. *cons.* 162. *n.* 25. *& seqq.* Leotard. *de usuris q.* 57. *nu.* 8. ex ea ratione, quod census non importat onus mere reale,
11 seu participationem dominii, aut fructuum rei censitæ, ut aliqui non bene opinantur, sed onus personale, deserviens fundo censito pro subjecto census, ad effectum, ut creditor subjaceat periculo illius peremptionis, ex deductis per Cenc. *q.* 1. *n.* 23. *& q.* 23. *num.* 3. *&* 4. *& dec.* 211 *n.* 5. *par.* 5. *rec.* Leotard. *d. q.* 57. *n.* 10. & habetur particulariter actum in Romana pro Maximis *sub tit. de feud. ad materia Bullæ Baronum disc.* 92. ubi de quæstione, an re censita legata, vel donata, onus census pertineat ad legatarium, vel donatarium.

Præmissa vero de participatione fructuum, congrua censui reservativo, qui importat onus mere reale percipiendum a censuario ex jure sui primævi dominii, quæ tamen ita obiter insinuabantur, absque eo, quod desuper judicium pro veritate efformaretur, cum causæ necessitas id non exigeret ex facti qualitate, ut supra; Unde propterea, reflectendo etiam ad veritatem, parum probabilis videbatur dicta resolutio, quodque in casu prosecutionis contrarium per Rotam probabilius respondendum esset, ex eo potissimum, & irrefragabiliter, quia non agitur de inducenda exemptione ab hujusmodi onere in futurum, minusque de illo deducendo a fructibus, qui remanerent exigendi, sed de repetendo id, quod est jam solutum, ac bona fide consumptum, cum negari non possit, dictam juris dubietatem, una cum silentio Communitatis, & integra solutione sortis, & fructuum, causasse in creditore bonam fidem, quæ imo non mala sufficit etiam non domino ad faciendos suos fructus, ex re aliena perceptos, & consumptos, ut in proposito collectarum habetur in Spoletana onerum pro Cuppis *hoc eod. tit. disc.* 48.

CARPEN. TRANSACTIONIS
PRO COMMUNITATE TERRÆ SANCTÆ CECILIÆ
CUM CAMERALIBUS STATUS VENAYSINI.

Responsum pro veritate.

De constitutionibus, seu Decretis revocatoriis exemptionum, & franchitiarum, An complectantur transactiones initas super litibus, & controversiis, quæ vertebantur super onerum, & gabellarum solutione, vel franchitia respective.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Sub generali revocatione gratiarum, & privilegiorum non veniunt contractus ex causa correspectiva.*
3 *Princeps obligatur pactis, & contractibus, & quando revocare possit.*
4 *Constitutiones revocatoriæ exemptionum non tollunt concessiones ex causa correspectiva.*
5 *Concordiæ non veniunt sub generali dispositione.*
6 *Sub generali revocatione concordiarum non veniunt illæ, quæ sunt specifice confirmata a Sede Apostolica.*
7 *Confirmatio quando dicatur in forma specifica.*
8 *Concordia quando afficiat successores jure proprio venientes.*
9 *Transigens id, quod obtinet, dicitur obtinere jure proprio antiquo, non autem novo.*
10 *De potestate Principis revocandi concessiones remissive.*
11 *Ubi adest transactio oportet prius ea tollere de medio.*

D I S C. CXIII.

Pluribus diu vertentibus controversiis inter Cameram Apostolicam Comitatus Venaysini, & Communita- 1
tem, & particulares, Terræ S. Cæciliæ, super oneribus & contributionibus, & servitiis. De anno 1625. cum interventu, & auctoritate V. Legati Avenionen. omniumque illorum officialium, ac ministrorum Cameralium, cum quorum interventu, vel respective consensu ea negotia Cameralia explicari solent, deventum est ad quamdam concordiam ab Urbano VIII. tunc regnante, approbatam vivæ vocis oraculo, de quo Cardinalis Legatus, vel Prolegatus Avenionensis, per litteras, Vicelegatum certioravit, dictaque concordia effectum sortita est, cum pacifica observantia annorum 42.

Cum autem de anno 1667. ob motus populares sequutos in Civitate Avenionensi, aliaque inconvenientia in eo Statu exorta, particularis Congregatio erecta esset super dicti Status negotiis, & hæc per decretum revocasset omnes franchitias, exemptiones, gratias, & reductiones onerum per V. Legatos pro tempore in Cameræ præjudicium concessas, quod in substantia fuit, vel imitari, vel exequi Constitutiones Apostolicas exemptionum, & franchitiarum revocatorias; Hinc proinde Judex Cameræ dicti Comitatus, concordiam quoque prædictam sub dicta revocatione comprehensam esse declaravit, unde desuper ex parte Communitatis pro veritate consultus.

Respondi pro non comprehensione, & successive pro 2
dictæ sententiæ infirmatione probabilius judicandum esse, ex regula, quod sub revocatoriis exemptionum, gratiarum, & privilegiorum non veniunt concordiæ, aliique contractus initi ex causa onerosa, & correspectiva, utpote sapientes magis de justitia commutativa, in qua Princeps jure privati contrahentis censendus est, quam de gratia, seu justitia distributiva, in qua Princeps jure publico, & tamquam gratiarum, & privilegiorum auctor consideratur; Ideoque ad instar cujuslibet privati, & fortius, hujusmodi conventionibus stare debet, quoniam si pacta ex jure naturæ, vel gentium, in ratione justitiæ obligant quoscumque, multo magis obligare debent ipsum Principem, qui est fons justitiæ, aliisque exemplar esse tenetur ad justitiam servandam, seu exercendam, ne ab eo, a quo justitia scaturire debet, injuria, & justitia emanent, ad text. *in l. Cæsar, ff. de publican. l. donationes, Cod. de donat. inter* 3
vir. & uxor. l. digna vox, Cod. de legib. cap. 1. *de prob.* utrobique scribens, de quibus Rom. *consil.* 252. *num.* 3. *&* 352. *num.* 23. & cæteri collecti per Capyc. Latr. *dec.* 588. *num.* 4. *cum seqq.* & admittunt rigorosissimi fiscales, ac Principum potestatem nimium dilatantes, Larrea *alleg.* 3. & Galeot. *resp. fiscali* 23. apud quos, & Capyc. Latr. *d. decis.* 188. agitur de dicta potestate revocandi gratias, & privilegia, seu reformandi contractus, illosque reducendi ad justitiam, & æqualitatem, sive ubi causa publica ita exigeret.

Et comprobant ipsæmet Constitutiones, exemptionum revocatoriæ, Pauli V. Urbani VIII. Innoc. X. & Alexandri 4
VII. dum per eas expresse præservantur contractus, & concessiones ex causa onerosa, & correspectiva, multo magis ubi agitur de transactione, cujus inter cæteras specialis præ- 5
rogativa est, ut non veniat sub generalibus dispositionibus absque speciali mentione, ad text. *in l. causas, Cod. de transact.* ubi communiter scribentes, Buratt. *dec.* 405. *nu.* 7.

Quinimo ubi etiam per novas, aliasque provisiones ex- 6
presse derogatur concordiis, adhuc tamen intelligitur de concordiis non habentibus confirmationem Sedis Apostolicæ, seu illam habentibus in forma communi, ex qua ad Papæ scientiam inferri non possit, secus autem, ubi habent confirmationem Apostolicam in forma specifica, ut ita distinguendo in terminis Sac. Conc. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 20. *& sess.* 25. *de reform. cap.* 6. Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.*

*gloss.*25.*n.*14. Lotter. *de benef. lib.* 1. *q.* 25. *nu.*86. *& seqq.* Barbos. *in collect. ad dictum cap.*6. *sess.* 25. *n.* 57. *& dicto cap.* 20. *sess.*24.*n.*82. *dec.*99.*n.*7. *&* 8. *par.*11. *rec.* *& sæpius*.

Unde cum ista concordia haberet confirmationem Apostolicam in forma specifica ex eo, quod totum sequutum esset per organum Legati prævia relatione V. Legati, mature ponderando negotium, dicebam esse in casu dictæ conclusionis; Ut de confirmatione explicata per organum Cardinalis Pœnitentiaris, seu Legati, aut prævio exami-
7 ne, & cognitione unius, seu plurium Cardinalium, Quod dicatur de forma specifica habetur *dec.* 193. *nu.* 3. *&* 210. *per tot. p.* 1. *rec. dec.* 399. *num.*1. *par.* 2. *dec.* 44. *n.* 5. *par.*10. cum ad hunc effectum sufficiat, ut quomodocumque, etiam per testes, vel adminicula constet, Papam habuisse certam, & specificam scientiam eorum, quæ ab ipso confirmata, seu approbata sunt.

Ponderando etiam in proposito ea, quæ frequenter habemus *sub tit. de fideicomm. & sub altero de emphyt. & alibi*, de transactione inita per feudatarium, fideicommissarium,
8 emphyteutam, & similes, afficientem etiam successores independenter, ac jure proprio venientes, quoties non collusive inita est, sed bona fide cum interventu, & approbatione alicujus magistratus, vel alterius superioris, ex deductis in Romana successionis de Comitibus coram Ghislerio *dec.* 44. *&* 48. post Censal. ad Perez. cum aliis in Camerinen. Castrorum *sub tit. de feud. disc.* 49. & satis frequenter; Stante præsertim longæva observantia annorum 40. & ultra, satis quoque attendenda, cum transactio effectuata, re diu observantis majoris ponderis, & efficaciæ reputetur, ut in proxime allegatis decisionibus, & in aliis.

Clarius, quia attentis dictis motibus popularibus, aliisque circumstantiis, ob quas ad hujusmodi Congregationis erectionem deventum erat, ipsiusque decreti tenore attento, ad evidentiam constare videbatur, dictam provisionem emanasse, ad tollendas illas gratias, & reductiones, quas V. Legati forsan inviti facere coacti sunt, non autem quod comprehendere debeat concordiam de tempore omnino pacifico, & non suspecto initam, prævia informatione data per V. Legatum, aliosque officiales de mandato Cardinalis Legati, & communicato, ut dictum est, negotio cum
9 ipsomet Pontifice approbante; Unde propterea penitus cessabant omnes illæ rationes, & motiva, ex quibus ad hujusmodi provisionem deventum est; Atque de jure dici non poterat hanc esse gratiam, vel reductionem, unde propterea, nec verba, nec ratio dicti decreti conveniebant; quoniam transactio dicitur species rei judicatæ, per quam, tamquam per concordem determinationem ita deciditur litis eventus, & consequenter id, quod partes insimul colligantes ejus vigore respective obtinent, non dicitur obtinere ab altero contrahente, & ex jure novo, sed a seipso ex jure proprio, & antiquo, ita ab incerta litis alea per quamdam speciem remotionis obstaculi assecurato, ad text. *in l. si pro fundo, C. de transact.* ubi Bart. *nu.* 3. Castren. *nu.*7. & cæteri de quibus Menoch. *consil.* 381. *n.* 2. Molin. *de primog. l.* 4. *c.* 9. *n.* 22. *in fin.* ibique Add. Noguerol. *alleg.* 37. *n.*4. Rot. *dec.*306. *n.*6. *p.* 5. *rec.* Romana Casalis 18. Junii 1660. Cerro. Nemo enim revelavit, in futuris litis eventus potius damnosus Cameræ esse deberet, eique etiam tolleret ea, quæ per hujusmodi concordiam obtinuerat, & possidebat; Unde propterea, nisi aliæ ignotæ facti circumstantiæ adessent, in solo sensu veritatis, omnino injustam credebam hujusmodi Cameralium prætensionem.

Neque necessarium censui aggredi materiam potestatis, an scilicet, & quando Principis tollere possit jus tertii, ac
10 revocare ea, quæ per viam contractus correspectivi, & ex causa onerosa privato dedit, de qua materia plene apud Larream *dict. alleg.* 3. Galeot. *resol. fiscal.* 23. & Capyc. Latr. *dec.* 188. & habetur formiter actum in Rom. reintegrationis *sub tit. de jurisd. disc.* 95. cum hujusmodi inspectio intret, quando voluntas est clara, itaut non dubitetur de comprehensione casus, solumque intret quæstio potestatis; Secus autem, ubi agitur de revocationibus, seu derogatoriis generalibus, regulariter complectentibus concessiones gratiosas, non autem onerosas, & ex justitia, ut præsertim frequens habemus in Constitutionibus revocatoriis Innoc. VIII. & Adriani VI. ac etiam in revocatoria Conc. Trid. patronatuum, cum similibus.

Super eodem decreto revocatorio, in eadem Congregatione Avenionensi, idem ex eisdem fundamentis dicebam scribens pro Collegio Avenionensi cum Camera; Cum enim illud possideret quædam bona in statu Venaisino, quæ ab eo prætendebatur libera, per Cameram autem dicti Status Venaysini prætenderentur subjecta quibusdam oneribus, quibus supponitur generaliter ea bona subjecta esse ratione universalis dominii directi; Huic de anno 1657. deventum est ad concordiam, quam pariter de facto illi officiales Camerales, utpote sub dicto decreto comprehensam pro cassa, & infecta habuerunt, Sed habito recursu ad dictam Congregationem, dicebam injuste id prædicari de pacto, quoniam cum non ageretur de gratiosa, & privilegiativa concessione, sed de contractu correspectivo, jure privato inito, oportebat prius illum tollere de medio servatis servandis, parte audita, causaque congrua effective, si adesset necne læsio. Interim vero, ubi adest transactio, exerceri non possunt primæva jura, prioresque actio- 11
nes, nisi prius transactione per rem judicatam de medio sublata, Cavaler. *d.* 550. *n.* 4. *dec.* 86. *nu.* 9. *p.* 6. *rec.* Mier. *Majorat. p.* 3. *cap.* 15. *nu.* 105. Valeron. *de transact. tit.* 6. *part.* 3. *nu.* 36. Rota in Faventina primogenituræ 21. Januarii 1666. Bevilaqua, & sæpius.

ROMANA FIDÆ
PRO CIVIBUS ROMANIS,
CUM DOHANERIO PATRIMONII.

Casus resolutus per Præsidem Dohanæ pro Civibus.

Fidæ onus quid sit, quomodo introductum, quando & pro quibus animalibus debeatur.

De districtu Urbis, & an Cives Romani dicantur Cives in toto districtu quoad omnia jura civica, necne.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *Quid sit fida, quam exigit dohana patrimonii.*
3 *Districtus Urbis quantum se extendat.*
4 *Districtus & territorium an differant.*
5 *Cives habent jus pascendi jure civico in proprio territorio.*
6 *Declaratur de quibus pascuis id intelligatur.*
7 *An Cives Romani dicantur tales in toto districtu etiam quoad jus pascendi.*
8 *Quid de ipsis districtualibus.*
9 *De differentia inter cives, & districtuales.*
10 *In materia pascuorum deferendum est consuetudini.*
11 *Jus pascendi competens in aliena territorio intelligitur ultra usum domini, seu civium.*

D I S C. XCIV.

Disponente constitutione Gregor. XIII. in antiquo Bul- 1
lario Sixti V. la43. quod habentes animalia, quæ loco ad locum ob temporum necessitatem pro pascuis sumendis transvehuntur, dum intra limites dohanæ Patrimonii veniunt, vel de stanga ad stangam transeunt, fidam dohanerio solvere debeant; Cum cives, & incolæ Urbis animalia in agro Romano habentes, illa æstivo tempore transmitterent ad montes intra districtum existentes, Prætendere cœpit Dohanerius de illis, vel in accessu, vel in recessu, utpote de ingredientibus limites dohanæ, seu transeuntibus de stanga ad stangam, solvendam esse fidam, cujus contrarium pro animalium dominis scribens, verius esse dicebam, & ita puncto pluries discusso, per dohanarum Præsidem judicatum fuit.

2 Fida enim vectigal est, apud antiquos Romanos etiam cognitum, fisco solvendum ob pastum, qui in publicis pascuis, ovibus, aliisque animalibus de alienis regionibus illud confluentibus, hyberno tempore ob caliditatem, vel æstivo ob frigiditatem, a Principe conceditur, ut satis bene, Frecc. *de subfeud. lib.* 2. *auctorit.* 46. *n.* 12. *& seqq.* & Jacob. Rebuff. *in l.* 1. *nu.* 1. *C. de pascuis publicis lib.* 11. *n.* 1. ubi adamussim casum figurant, & fidæ originem tradunt, præsertim vero Freccia erudite probat, usum dohanæ Apuliæ originem trahere ab antiqua Romanorum Republica, quod etiam bene comprobatur ab iis, quæ ex Horatio, Plinio, & Martiali tradit Chassaneus *in Catalogo gloriæ mundi p.* 12. *consid.* 96. *fol.* 324. *a ter. in ultim. col.* de excellentia lanæ Apuliæ, ubi proinde supponitur ovium concursus; Ideoque dictum vectigal potius est pretium pascuorum, quæ exterorum animalia sumunt in alieno territorio, in quo alias jus pascendi non haberent, quam verum vectigal, vel gabella.

Quod civibus, vel incolis Urbis applicari non posse dicebam, quoties transitus eorum animalium, æstivo tempore ad montes, non egreditur limites districtus Urbis,

qui hodie juxta moderna statuta est infra ambitum 40. milliarium circumcirca, ut *per statut.* 195. ubi Fenzon. Antiquitus
3 vero ob majorem populum erat 100. milliarium, Bald. *in leg. 1. in princip. ff. de officio Præfecti urbis*, Fenzon. *ubi sup.* & habetur latius actum in Romana gabellæ equorum *hoc eod. tit. disc.* 72. & in Urbinaten. juris metropolici *sub tit. de præeminent. disc.* 1. Unde cum districtus, & territorium sint synonyma, & soncent in idem, ut cla-
4 re probat text. *in cap. ubi periculum, §. porro de electione in 6. & Clementina ne Romani, §. sane eod. tit. de electione, gloss. in cap. licet causam de probationibus*, Felin. *in cap. Rodulphus sub num. 18. de rescript.* bene Napodan. *ad consuetudines Neapolis in proœmio num.* 334. & in specie Fenzon. *loc. cit.* Lotther. *de benef. lib. 2. quæst. 35. num. 19, & seqq.* Sequitur, quod cives Romani transportando eorum animalia de loco ad locum intra eorum territorii limites, non dicantur exire a territorio proprio, & ingredi in alienum, sed tamquam in propria patria sumere pascua
5 tamquam cives, quibus id de jure conceditur, ad text. *in l. in tantum, §. Universitatis, ff. de rerum divisione, & §. Universitatis instit. eodem cum concordant.* per Covar. *pract. quæst. 37. num. 1.* Otter. *de pascuis cap. 3. n. 5. & per tot. & cap. 4.* & frequenter *sub tit. de servit. ad materiam pascuorum*, ubi de hac facultate pascendi jure civico.

Adversus hæc, pro parte Dohanerii dicebatur, districtum Urbis se protendentem ad 40. milliaria circumcirca, intelligendum solum esse pro territorio tamquam jure terrendi, & sic ad solum effectum jurisdictionis, quam in eo Urbis Senator, ac Vicarius, cæterique Magistratus exercent; Sive ad effectum extensionis statutorum, non autem ad istum, de quo agitur, sumendi ubique pascua jure civico; nam ita civibus, & incolis licitum esset cum eorum animalibus pascua sumere in territorio Portuensi, & aliorum locorum absque aliqua solutione, cujus contrarium docet observantia, cum ea, more aliorum forensium, absque aliqua differentia ab agrorum dominis emantur.

6 Verum in hoc dicebam, satis æquivocari, cum distinguenda sint pascua campestria, & comunalia, quæ civico jure absque aliqua solutione sumi possunt, a pascuis privatis, in quibus procedat regula juris, ut herba, quæ in solo meo nascitur, mea sit, de qua distinctione habetur *d. tit. de servitut. ad materiam juris pascendi*, sæpius, præsertim vero in Nepesina collectæ, & in Tuscul. ac etiam in Cusentina *sub tit. de jurisd. disc.* 48. & in aliis. In secunda enim specie procedit praxis in contrarium allegata, quia etiam in ipsomet agro Romano, si cives, vel incolæ Urbis volunt semper pascua pro eorum animalibus in casalibus, & prædiis privatorum, illa emunt eodem modo, quo forenses, neque civica qualitas quidquam in hoc operatur, & tamen forenses ad agrum Romanum venientes, tamquam transeuntes de regione ad regionem, sive de stanga ad stangam, solum fidam, seu dohanam, quam non solvunt cives, quoniam aliud est pretium herbæ, quod solvitur privato domino, aliud vero id, quod Principi solvitur pro facultate introducendi animalia in regionem, ibique pascendi.

In prima vero specie, verius videtur, cives, & incolas
7 Urbis per totum districtum civico jure uti posse, quamvis intra eumdem districtum multæ adsint Civitates, Oppida, & loca, quorum singula distincta habent territoria, itaut incolæ unius loci, nec civilitatem habeant, nec pascua sumere possint in territorio alterius. Quia stant bene simul, comitatenses, seu districtuales habere per quamdam divisionis speciem limites, ac terminos inter se distinctos, & tamen hujusmodi distinctionem non intrare respectu Civitatis dominantis, cujus respectu totus districtus dicitur unum territorium. Eo modo, quo vidimus in materia statutorum, quia si unus locus condit statutum particulare, illud non egreditur suos limites, neque in alio loco districtus est servandum, & tamen illud Urbis robur habet indistincte in toto districtu. Ita pariter in jurisdictione, quoniam Gubernator Tusculi nullam habet jurisdictionem in Oppido Marini, vel in Civitatibus Veliterana, & Albanensi, & e converso, sed quilibet habet suos limites & tamen Senator, seu Vicarius Urbis indistincte habent jurisdictionem in omnibus locis intra districtum, cum similibus.

8 Dubium enim est in jure, an comitatenses, seu districtuales possint jure civico sumere pascua, aliasque civilitatis prærogativas habere, tam in Civitate, quam in toto territorio, ex deductis per Otter. *de pascuis d. c.* 3. Franch. *dec.* 129. ubi Add. Rovit. *in pragm. 1. de immun. Neapol.* & in quo deferendum est observantiæ. Sed e converso, de civibus, vel incolis Civitatis dominantis, ut sint cives, ac civicas prærogativas habeant in universo territorio, dicebam, saltem ex adverso non allegari dubitantem, cum non sit æqualis ratio.

Habitatores enim alicujus castri, oppidi, vel pagi in di- 9
strictu existentis, tamquam ut plurimum non in magno numero, neque in conspicua qualitate, contenti esse possunt propriis terminis, in quibus, quamvis angustis, utpote parvo, & ignobili populo, terra suppeditare potest necessaria. Quæ ratio adaptari non potest magnæ Civitati, præsertim Urbi, in qua necessaria cum lautiori usu suppeditanda sunt, non solum populo civico, & naturali, qui est magnus, & nobilis, sed etiam Curiæ Papæ, ac tot Magnatibus, & Nobilibus, occasione Curiæ in ea viventibus. Unde omnino incongruum, ac fere impossibile esset ejus terminos ita angustos esse, quales designat Romanus ager, ita dictus ad distinctionem reliqui territorii, in quo districtuales contradistincte, & respective habent jus civium, quod in dicto agro eis denegatur, sed non e contra. Ut etiam in inferioribus Civitatibus Bononiæ, Ferrariæ, Perusiæ, & aliis videmus, quod sub eis, ac earum territorio, seu districtu plura adsint castra, & villæ, seu pagi, quorum quodlibet habet suos terminos distinctos inter se respectu ipsorum comitatensium, sed respectu Civitatis unum est territorium.

Et comprobari etiam dicebam ex statuto Urbis *lib. 3. c. 15.* ubi disponitur, neminem civem Romanum intra districtum ad aliquod onus gravari posse, neque pro bonis, quæ possidet in locis in eo existentibus posse collectari, præterquam respectu onerum Cameralium peculiarem qualitatem habentium, ut in Romana, seu Tudert. collectæ *hoc tit. disc.* 92. & Nepesina collectæ *d. tit. de servit. ad materiam pascuorum*. Unde liquido constat, cives, vel incolas Civitatis dominantis, intra totum districtum dici non posse forenses, sed reputari cives.

Quodque ad mensuram, & proportionem populi reguletur districtus tamquam Civitatis territorium ad ejus incolarum usum necessarium, liquet ex eo, quod antiqua Roma, quæ majorem populum nutriebat, ad centum milliaria ejus territorium extendebat, moderna vero illum habens longe minorem, solo 40. milliarium ambitu contentatur.

Quæ omnia clare comprobari dicebam ex observantia, quæ in omnibus est optima interpres, dum a die emanatæ dictæ bullæ, cives, vel incolæ pro transmissione eorum animalium de loco ad locum intra districtum, nunquam hujusmodi fidam solvere consueverunt, quia stant bene simul, eos non habere liberum, & gratuitum pascuorum usum, quia de jure, vel consuetudine illa sunt privati, itaut civica qualitas a solutione pretii non excuset, & tamen non esse forenses, neque dici, quod egrediantur de proprio territorio, etiamsi ex consuetudine in aliquibus districtualibus locis non habeant illud liberum, & gratuitum jus pascendi, quod in aliquorum castrorum communalibus, & campestribus de facto habeant illius loci habitatores, quia
cum in hac materia pascuorum spectanda sit consuetudo, 10
ut observat Otter. *c. 3. n. 2. & alibi*, potuit hæc inducere per quamdam (ut supra dictum est) divisionem, ut quisque proprios, ac distinctos habeat pascuorum terminos, eodem modo, quo etiam in individuali, eodem loco, & territorio, consuetudo, vel statutum inducere solet, ut cives unius partis depascantur in una contrata, & illi alterius in altera, sive quod in una parte territorii, quamvis alias campestris, & communalis, etiam ipsi cives depasci non possint certis anni temporibus, seu nisi certa quantitate, ex deductis per Abbatem *cons. 6. part. 1.* Mastrill. *decis.* 49. Franch. *decis.* 197. & plures in dicta sua materia pascuorum *sub tit. de servitut.*

Et hoc potissime, ubi campestria, & communalia pascua alicujus loci districtualis sunt adeo exigua, quod ipsorum loci incolarum usum non excedunt, quia tunc consuetudo non admittendi ad liberum, & gratuitum pascuum habitatores Urbis, quamvis jus civilitatis habentes, videtur habere juris fomentum, ut prius sumere debeant necessaria qui vivunt in loco, & sine quibus vivere non possent, quam qui in eodem loco non vivunt, sed civicam prærogativam habent, ut in terminis habentium jus pascendi, lignandi, vel aquandi in aliquo territorio, quod intelli-
gatur in eo, quod superest ultra usum civium, seu habitato- 11
rum illius loci, & non alias, Rovit. *super pragm. in rubrica de pascuis n.* 17. & habetur in dicta sua materia juris pascendi *sub tit. de servitutib.* Hoc enim non tollit jus civilitatis, sed solum concernit quamdam distinctionem circa modum

uten-

utendi territorio, & exercendi discrete civicum, ut confusiones tollantur, ideoque ad forensem qualitatem inferri non potest. Unde præsidia determinatio ratinnabilis, ac bene fundata visa est. De hac autem distinctione districtus, & agri, seu plani Urbis habetur in d. Romana gabellæ equorum *hoc eod. tit. disc.* 72.

ANNOT. AD DISC. XCIV. & XCV.

AD contenta in his discursibus conferunt ea, quæ ad materiam pascuorum, & juris pascendi habentur pluries *sub tit. de servitut. & præsertim disc.* 35. *cum seqq.*

SUTRINA FIDÆ,

PRO UNIVERSITATE, ET HOMINIBUS STATUS BRACCHIANI, CUM DOHANERIIS PATRIMONII.

Causa pendet in Camera.

Quando incolæ unius loci, depasci dicantur cum animalibus in pascuis alienis, itaut intret, necne Constitutio Gregorii XIII. super solutione fidæ.

Et an plura loca ad unum Statum, sed dominium spectantia, constituere dicantur unum Territorium.

Et de societate Territoriorum, ac promiscui usus pascendi inter plures Civitates, Oppida, vel loca.

SUMMARIUM.

1 *CAsus controversia.*
2 *De fida, per quos solvi debeat, ac de intelligentia Constitutionum Apostolicarum de ipsa agentium.*
3 *De origine, antiquitate, & causa fidæ.*
4 *Plura loca separata, num ad unum statum redacta, ex destinatione dici possint constituere unum, & idem corpus, & territorium, & n.* 7
5 *Civibus, & Incolis in suo Territorio licitum est depasci jure civico.*
6 *De communione plurium Civitatum, vel locorum in promiscuo usu territoriorum, & pascuorum.*
7 *De eadem conclusione, de qua n.* 4.
8 *An hujusmodi communiones, vel destinationes fieri possint in præjudicium alterius.*
9 *Observantia tanquam interpretativa in proposito attendenda.*

DISC. XCV.

1 CUm attentis antiquis Constitutinnibus Pii II. Alexandri VI. & alinrum Pontificum, plures essent exortæ difficultates circa solutionem fidæ, quæ debetur dohanæ patrimonii pro pascuis animalium, Gregorius XIII. in ejus Constitut. 46. in Bullario veteri Sixti V. ad omnes controversias dirimendas, expresse declaravit (sunt verba præcisa) *quod non solum forenses, & qui extra provincias Dohanæ subjectas degunt, fidam prædictam solvere teneantur, sed etiam omnes, & singuli provinciales in prædictis provinciis, tam quomodolibet subjectis, tam intra stangam, quam extra, & bullettam sibi dari fecerint, quam non, pro quibusvis eorum animalibus in pascuis alienis pascentibus, &c.*

Prætendentibus autem Dohaneriis exigere fidam ab incolis plurium Oppidorum, & locorum, Bracchiani Statum constituentium, ex eo, quod ab unius loci territorio ad illud alterius ejusdem Status ad pascendum cum animalibus accederent, prodiit de anno 1633. sententia Præsidis Dohanarum, condemnans dictos incolas ad solutionem fidę eo ipso, quod pascua sumant in alieno territorin extra illud propriæ Terræ, seu loci, quamvis accedant ad Terras, vel loca ejusdem Status Bracchiani, quæ tamen sententia ob interpositam appellationem ad Cameram amplius non prosequutam, nullum habuit effectum, neque executioni demandata fuit, vel aliud motivatum, usque ad annum 1664. quando moderni Dohanerii prætendentes appellationem, desertam dictæ rei judicatę executionem petierunt. Unde datum fuit per Cameram solitum, an constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum. Et pro negativa resolutione primæ partis dubii, & successive pro affirmativa secundæ, plures adducebantur nullitates, super quibus, utpote consistentibus in facto, atque concernentibus non bene servatum ordinem judiciarium, non multum Advocatis incumbebat immorari, cum juxta Curiæ stylum ad causæ patronum potius id pertinere soleat.

Quatenus vero, cessantibus nullitatibus, recurrendum esset ad injustitiam, cujus ratione receptum est rem judica- 2 tam impediri, quia sententia injusta numquam transit in judicatum, vel saltem fit locus restitutioni in integrum. Licet alii hujus Universitatis, & hominum defensores in eo insisterent, hanc fidam, vel per exteros, vel subditos esse solum solvendam pro illis animalibus, quæ a locis extra dohanam ad illam introducuntur, sive pro animalibus eorum, qui plerisque fidæ, ac dohanæ privilegiis, & franchitiis uti volentes affidantur, secus autem ubi una, vel altera ratio cessat, quia cessante ratione, cessare quoque debet onus solutionis, adducendo in bis terminis auctoritatem Otterii de pascuis, *c.* 34. *n.* 11. *cum seqq.*

Et his ego pro eandem Universitate contra Dohanerius 3 scribens, pro hujusmodi intellectus comprobatinne, ac Apostolicarum constitutionum congrua interpretatione, addere m peculiarem, ac originatiam fidæ naturam, ut nempe sit vectigal apud antiquos etiam Romanos cognitum, fisco solvendum ob pastum, qui in publicis, vel alias a Principe destinatis locis conceditur ovibus, aliisque animalibus ab una regione ad alteram pro aeris caliditate, vel respective frigiditate confluentibus, ut ex Rebuff. *in l.* 1 *num.* 1. *C. de pascuis publicis lib.* 11. & Frecc. *de subfeud. lib.* 2. *auctor.* 46. *n.* 11. *&* 12. ac alias deducebam in consimili controversia inter hos Dohanerios, & Cives Romanos, depascentes intra districtum, ut in Rom. fidę, *disc. seqq.* itaut proprie requiratur transmigratio de regione ad regionem, quodque peculiaris qualitas loci, in quo sunt pascua sibi per Principem reservata, vel alias destinata, sit causa solutionis hujusmodi oneris.

Nihilominus prædictæ Gregorianæ Constitutionis verba superius registrata magnam difficultatem mihi inferebant, cum generaliter, & indefinite statuatur, omnes in pascuis alienis depascentes ad hujusmodi solutionem teneri, sive sint exteri, sive comprovinciales, ac sive sumant bullettam, sive non (quod est uti, vel non uti privilegiis fidæ,) unde propterea concurrentibus verbis claris, locum non esse dicebam glossis, argumentis, & illationibus ad regulam, text. *in l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de l.* 3. quam, receptum habemus, in omni materia procedere, ut *dec.* 44. *n.* 14. *p.* 11. *rec.*

Proindeque causæ punctus in eo consistere videbatur. An scil. hujusmodi homines exeuntes a propriæ patriæ finibus, & depascentes intra fines alterius loci ad eumdem statum spectantis, dicantur depasci in suo, vel in alieno, cum hoc solum requisitum pro fidæ solutione a d. Gregoriana Constitutione desideratum, videatur respectu animalium intra dohanæ terminos existentium, ut scil. exeundo a proprio sumant pascua in alieno territorin.

Ex duplici autem fundamento dicebam, non esse in casu dictæ Constitutionis, proindeque non verificari dictum re- 4 quisitum depascendi in alieno. Vel quia scil. ex antiquorum Ducum Bracchiani destinatione, incolarum etiam consensu munita, totus hic Status, quamvis complexivus plurium Oppidorum, & Castrorum, quorum singula erant antiquitus separata proprium territorium habentia, effecta essent unum corpus, itaut essent unum, & idem territorium, in quo omnes dicantur cives depascentes in suo territorin jure 5 civico, ad text. *in l. in tantum §. Universitatis ff. de rerum divis. §. Universitatis Institut. eod. l. omnes C. de oper. publ. l. dum virum Cod. de Decurion. lib.* 10. *cum concordant.* per Covar. *practicarum qu.* 37. *nu.* 1. Bertran. *consil.* 37. *vol.* 1. Otter. *de pascuis c.* 3. *&* 4. & habetur in d. Romana fidę *disc. prac.* & in Spoletana, ac in Tusculana, & aliis *sub tit. de servitutibus ad materiam pascuorum.*

Vel quod posito etiam, ut ista essent loca omnino distincta, quarum singula proprium, ac separatum haberent territorium, adhuc tamen inter eadem induci potuerit in jure non prohibita societas, seu communio territoriorum, & pascuorum, de qua communione, Thesaur. *dec.* 71. *&* 72. Rovit. *super pragm. in rubr. de pascuis num.* 13. *&* 17. *cum seqq. & in pragm.* 1. *de salario eorum n.* 30. *&* 31. ubi Laganarius in additionibus. Qua communiter posita, pariter resultat cessare dict. extremum depascendi in alieno, quia socii dicuntur domini insolidum pro communi illius rei, quę in communione possidetur.

Quod autem ea loca, quæ prius erant separata, proprium territorium constituentia, vel ad alienum territorium pertinentia, efficiantur de altero territorio, ac naturam immutent ex destinatione patrisfamilias, ultra generalem dispositionem text. *in leg. si cui ædes de leg.* 3. *& leg. ex facto ff. de hæ. instit. cum concord.* per Fab. de Anna *consil.* 101. Rovit. *consil.* 101. *lib.* 2. & Rota in Melevitana fideicommissi

13. Maji 1652. Bichio, & Bonon. liquidationis 4. Julii 1664. Emerix, de qua causa habetur actum *sub tit. de legatis*, ubi an prædium materialiter separatum dicatur cum altero ex destinatione idem, vel connexum. Adducebam in terminis magis approximantibus, plene deducta per Menoch. *conf.* 147. Decian. *conf.* 40. *lib.* 4. & Cephal. *conf.* 458. *& seqq.* in quibus firmatur; Castra, Vallis, & Monthionis, quæ prius erant de finibus, & territorio Messanæ Civitatis, effecta esse de Statu & Territorio Plumbini, dum ab illius Domino acquisita erant, & huic Statui incorporata, & de quo in Massanen. *sub tit. de feud. disc.* 54. *& seqq.*

8 Quando autem unus, vel alter actus, incorporationis scil. vel communionis, haberet recens initium post dictam Gregorianam Constitutionem, jam in proposito servari cœptam, quia nempe ista territoria, ad effectum de quo agitur, eo tempore jam habita fuissent pro separatis. Et tunc, ad veritatem reflectendo, tam de unius, quam de alterius motivi viribus satis dubitarem, cum hæc a subditis in præjudicium superioris, atque ad ejus legem fraudandam fieri non posse probabilius videatur. Verum quia tractabatur de facto antiquo, & longe prius, quam dicta Constitutio emanaret, cum sensu etiam veritatis, hæc motiva, vel eorum alterum, præsertim secundum communionis, magis jure probatum, atque in Orbe, præsertim vero in Italia frequens, subsistentiam habere credebam, accedente etiam observantia, non tamquam præscriptiva; sed tamquam interpretativa, quo casu non obstat decretum irritans, in Constitutione contentum.

SABINEN. FOCATICI
AD PETITIONEM PRINCIPIS BURGHESII.

Responsum pro veritate.

An & quando filius dicatur vivere seorsum a patre, ac diversum focular constituat, ac pater familias censeatur ad effectum onerum, collectatum, & contributionum.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *An de jure cognitum sit onus collectæ, quod solvitur per focularia.*
3 *Pater & filii insimul viventes unam domum, seu unum focular constituunt.*
4 *Distinguuntur plures casus ad effectum videndi, quando filius vivens seorsum a patre dicatur paterfamilias, necne.*
5 *De distinctione ad hunc particularem effectum onerum, & contributionum.*
6 *Unio, vel separatio vitæ attenditur magis formaliter, quam materialiter.*
7 *Filiifamilias possunt esse Decuriones, ac habere alia officia publica civitatis.*

DISC. XCVI.

1 Cum in aliquibus castris de temporali dominio Principis Burghesii, ex antiquissima consuetudine, vassalli cives, & incolæ solverent quoddam onus, seu recognitionem per focularia, vulgo *focaticum* nuncupatum, ad rationem unius scuti pro foculari, seu plus, vel minus, ut singulorum consuetudo exigit. Exorta est dubitatio inter ejusdem Principis Affictuarium, & aliquos vassallos, qui habentes patrem adhuc viventem, & solventem dictum onus, vivebant cum propria uxore, & filiis, in domo separata, cum proprio labore, & industria, An scil. ab istis etiam deberetur focaticum, quod ab eorum patre respective solvebatur, præsertim in castro nuncupato de *Porcilis*. Unde propterea ex parte d. Principis, integerrime nolentis, vassallos præter jus, & justitiam gravari, pro veritate consultus. Ad ejusdem, ejusque Affictuarii favorem, stantibus facti circumstantiis, respondendum esse credidi.

2 Ad quod probandum censui præmittendum, hanc oneris speciem per focularia, seu domus fumantes Domino, vel communitati solvendam, esse antiquam cum de ea mentionem habeant, Bald. *in leg.* 1. §. *quod si nemo ff. quod cujusque univers. nom. n.* 5. & Boer. *dec.* 212. *n.* 4. Et ex modernis Apont. *de potest. Prorег. tit. de regal. impos.* §. 8. *num.* 22. *&* 35. Rovit. *pragm.* 1. *de jur. & exact. fiscal. num.* 1. Capoblanc. *de Baron. pragm.* 10. *num.* 35. *& per tot.* Marott. *de collect. seu bonatenentia c.* 3. *nu.* 6. 7. *&* 11. apud quos, & alios per eos allegatos habetur, hanc speciem usitatam esse etiam antiquis temporibus Romanorum, & comprobatur etiam ex eo onere salis, & focatici, quod Camera Populi exigere solebat in aliquibus locis adjacentibus Urbi, juxta deducta in Romana gabellæ plani, seu equorum *hoc eodem tit. disc.* 72. ideoque ista consuetudo alias antiquissima, & immemorabilis, dici non poterat exorbitans; posissime quia super illa nulla aderat suspicio concussionis, non de facili admittenda in Statu Ecclesiastico, & fortius intra districtum Urbis, ob vicinitatem Papæ ejusque officialium majorum, ut sunt Gubernator Urbis Aud. C. Vicarius, & Senator, prætendentes habere cumulativam, ac de facili recipientes vassallorum querelas, & recursus, ad quos hujusmodi castrorum habitatores sunt satis prompti, & faciles, ut pluries in sua materia *sub tit. de jurisdictione, & foro competenti*, & advertitur in Sabinen. Status montis libretti *sub tit. de feud. disc.* 65.

3 Hoc igitur præmisso, quatenus pertinet ad punctum controversiæ, admittebam regulam ex parte vassallorum deductam, quod idem est focular ac familia, quæ unica dicitur patris, & filiorum insimul viventium, quamvis filii quoque uxores haberent, ac filios procreassent, quia id operabitur ejusdem familiæ numerositatem, non autem multiplicitatem, ideoque adhuc etiam ad hunc effectum unica dicitur, ut nonnisi uno foculari onus solvi debeat, ut ex Bald. *in dict. l.* 1. *quod cujusque univers. nom.* Capoblanc. *dict. pragm.* 10. & aliis allegatis, Marotta *d. cap.* 3, *n.* 8. Dicebam vero punctum esse in applicatione, quando scilicet pater, & filii dicantur ita insimul vivere, quod unam familiam, vel unum foculare constituant, vel potius duo, vel plura separata.

4 Quia vero agentes pro vassallis deducebant ea, quæ apud Doctores habentur super quæstione præsumptæ emancipationis, seu super actibus constituentibus aliquem patrem familias, ad effectum validitatis contractuum, aliosque effectus exinde resultantes. Ideirco ad æquivoca tollenda advertebam, distinguendos esse casus, seu quæstiones. Aliud enim est agere de quæstione, quæ inter ipsos patrem, & filium principaliter agatur super statu patriæ potestatis, vel respective emancipationis, quam unus eorum, altero invito, ex habitatione seorsum, aliisque actibus deducere prætendebat. Et in his terminis, cessante emancipatione expressa, non sufficit sola habitatio seorsum, nisi concurrant alia indicia, quod patre sciente, & patiente, filius se gesserit pro patrefamilias, cum lapsu temporis notabilis, super quo discrepant DD. an requiratur tempus viginti, vel sufficiat decem annorum, ut liquet ex deductis per Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 131. Mascard. *de probat. concl.* 599. Franch. & Adden. *dec.* 10. de Marin. ad Rovert. *dec.* 354. Polidor. Rip. *singular. observ.* 102. ubi bene.

Aut agitur incidenter ad alios effectus, puta validitatis contractus, seu obligationis cum tertio, cum similibus; Et tunc sufficit quasi possessio status patris familias cum bona fide contrahentis, Franch. *dict. decis.* 10. *numer.* 4. Orthob. *disc.* 16. ubi de distinctione inter bona, vel mala fide contrahentes, Rot. *decis.* 184. post Zacch. *de obligat.* & in sua materia *sub tit. de credit.* ac sub altero *de contractibus, &c.*

5 Ad istum vero præcisum effectum onerum solvendorum per focularia, seu per domos fumantes, apud Boer. *dicta decis.* 121. *num.* 4. Capoblac. *dicta pragm.* 10. *numer.* 37. Marott. *dicto cap.* 3. *num.* 8. *cum sequentibus*, & alios apud eosdem, proceditur cum distinctione, quam credebam juridicam, & veram. Quod, aut pater & filii, & nepotes vivunt sub unico tecto, & ad unicam mensam sub illa vitæ societate, cum qua pater, filii, & descendentes insimul vivere solent, & omnes habendi sint pro unico foculari, quia in effectu est unica familia, quamvis haberent proprium peculium castrense, vel quasi, seu adventitium, cum id non repugnet qualitati filiifamilias: Aut vivunt sub proprio tecto, & propria mensa, seu vita separata a patre, ita ut non vivant omnes sub dicta societate vitæ, atque, ut nostri dicunt, ad unum panem, & unum vinum; Et tunc licet quoad alios effectus non sit solutum vinculum patriæ potestatis, reputantur tamen diversa focularia, quia in effectu sunt diversa familiæ, quarum pater, & filius respective sunt caput, dictaque onera proprie solvuntur per capita domorum.

Dictam vero vitæ societatem, vel separationem, intelligenda esse dicebam potius formaliter, ac spectata ratione oneris, quam materialiter. Si enim ob angustiam domus

mus

mus paternæ, contingat unum, vel plures filios, qui uxo-
6 rem duxerunt, ad filios procreandos familiam augent, co-
gi aliam contiguam domum habitare, non dissoluta tamen in effectu dicta vitæ communione, tunc ista separatio domorum materialium non videtur considerabilis. Econverso autem si omnes vivant in eadem domo materiali, sed quilibet distincte, cognoscat suum, ac se, suamque familiam regat, habendi sunt pro pluribus, ut per Rovit. *pragm.* 1. *ad Sen. Consul. Maced.* Surd. *cons.* 499. *nu.* 22. Rot. *dec.* 527. *p.* 1. *rec. n.* 6. *& per tot.* Add. ad Greg. *dec.* 182. *num.* 9. Et sic punctus est in modo vivendi, & an vere una, vel duæ familiæ dicantur, habentes unum, vel respective duo capita.

7 Motivabatur ex parte Affictuarii, quod isti partem habentes gererent munia publica Communitatis, unde inferebant, quod ita se gererent pro patribus familias. Sed non videtur hoc motivum considerabile, quando in effectu sub patre, ut supra vixissent, quoniam id non adversatur patriæ potestati, ad text. *in leg. filio in potestate, Cod. de decur. lib.* 10. Bertachin. *in repertor. verb. Syndicus*, Rovit. *pragm.* 5. *de admin. univ. n.* 27.

Hinc proinde, attenta præsertim qualitate personarum 2
& locorum, & observantia locorum adjacentium, concludendo respondi, dictos filios uxoratos, & vitam formaliter separatam ducentes, constituere diversa focularia, & teneri ad focaticum, ultra illud, quod solvit pater: eumdemque sensum habuit alter Advocatus pariter pro veritate requisitus, unde ita exequutum fuit.

ANNOTAT. AD DISC. XCVI.

De ista materia filiifamilias, quando habendus veniat pro patre familias agitur *sub titul. de alien. & contract. prohib. disc.* 37.

PRÆNESTINA PLAZZATICI AD PETITIONEM PRINCIPIS BURGHESII.

Responsum pro veritate.

De onere, seu vectigali nuncupato plazzaticum, seu plattaticum quid significet, & impositum pro animalibus, aliisque bonis, quæ venduntur, an debeatur pro animalibus, vel aliis rebus venditis extra locum, seu territorium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Licet allegare Calepinum, ad quem etiam in causarum decisione recurrendum est.*
3 *Plateaticum quid significet.*
4 *Quid significet onus nuncupatum* la piazza.
5 *De verbo* vectigal *quid significet, & quod in his materiis non stetur in stricta significatione verborum.*
6 *Bona, quæ colliguntur in propriis prædiis, non veniunt sub nomine mercium, & sub bannis.*
7 *De loco in quo solvenda sit gabella de bonis, quæ contractantur remissive.*
8 *Gabellæ assimilantur decimis, & ab eis licet arguere.*
9 *Decimæ animalium, quæ in diversis locis pascua sumunt, cui debeantur.*
10 *Pro eadem re, duplicata gabella solvenda non est.*
11 *Absentia causativa, seu occasionalis non causat absentiam, neque tollit domicilium.*
12 *In materia gabellarum, & vectigalium satis deferendum est observantiæ.*
13 *Etiam observantiæ locorum vicinorum.*
14 *De considerationibus, ex quibus onus dicatur personale, ac attendatur sola subjectio personarum.*

D I S C. XCVII.

IN Oppido, seu Castro Olevani, per loci Dominum exi-
1 gi solet quoddam onus, vulgo nuncupatum *Plazzatico*
pro frumento, vino, aliisque frugibus, quæ extrahuntur, ac etiam pro animalibus, lana, & aliis, quæ venduntur ad formam antiqui Statuti, cujus præcisus tenor talis est. *Item quod quicumque extraxerit de d. Castro granum, vinum, hordeum, & generaliter quodcumque blandum, teneatur pro qualibet salma Curiæ denarios quatuor pro plazzatico. Pro animalibus vero, lana, panno, & generaliter*

pro omni mercantia teneatur pro plazzatico denarios decem pro libra pretii, quo venduntur, salvis rebus Nobilium, & Ecclesiarum, de quibus non teneantur solvere plazzaticum, ut consuetum est.

Cum autem juxta fere omnium locorum necessariam consuetudinem, oves in quadam anni parte a territorio extrahi, & ad alia loca traduci soleant pro sumendis pascuis, quę tunc in proprio loco congrua non habentur, juxta ea, quæ annotantur *in Rom. si de hoc eod. tit. disc.* 94. atque casus frequenter præbeat hujusmodi animalia, in toto, vel in parte vendi, dum in diverso loco, ut supra morantur. Hinc orta est dubitatio, an de hoc pretio Plazzaticum deberetur. Et pro veritate desuper consultus per Principem Burghesium dicti loci Dominum, in eo modico spatio, quod juxta Curiæ stylum Advocatis, in quolibet respective negotio conceditur, memoria, vel diligentia non tribuit tractantem casum in specie, seu in individuo.

Quare discurrendo punctum per generalia, vel similia, ut juxta nostrorum majorum exemplum, quando specialia desunt, in judicando, vel consulendo facere oportet, erravi indagare hoc vocabulum, ejusque usum, vel significationem, ut exinde ad decisionem inferri posset. Verum id parum profuit, quoniam tam attenta significatione, quam usu congruere non videbatur ad rem.

In jure siquidem apud Alberic. *in dictionarium Calvinum*
in lexicon, ac Alciat. & Rebuff. *sub tit. de verb. signif.* illud 2
non reperitur, minusque apud Calepinum, ad quem etiam per juristas & pro causis decidendis recurrendum esse, ac licite posse allegari, admonet Franch. *dec.* 663. *n.* 17. solumque *in Amaltea Onomastica*, ita tamen quod si non de facili desumatur locus unde traxerit, dicitur plateaticum esse tributum, viarum publicarum nomine impositum, qua si-
gnificatione attenta, ad rem non faciebat, dum intra distri- 3
ctum illarum viarum, quę vere publicę sunt, alias consulares, seu Prætorię, cum non est Baronum, seu Domicellorum, minusque in reliquo Statu, sed Ædilium & Pręsidis viarum, juxta ea quę habentur in Reatina viarum, ac in aliis hoc eodem tit. *ad materiam viarum disc.* 131. ideoque non congruit, quod Baro exigeret onus, vel tributum pro ea re, quę sibi non incumbit, & in cujus causam nihil erogat, nisi in ratione taxæ, vel contributionis more aliorum possidentium.

Usitatum est istud vocabulum in investitura feudali Regnorum utriusque Sicilię, ut patet apud Capyc. *in sua investitura*, verbo *plateis*, & *juribus platearum fol.* 115. *columna* 1. & relative apud Borell. *de præstantia Regis Catholici c.* 23. *n.* 23. ac etiam eundem terminum enunciat Capobl. *de Baron. tom.* 2. *c.* 9. *n.* 12. nemo autem de ejus vocabuli significatione descendit, atque Capyc. se refert ad dicta, vel dicenda sub verbo *Vectigalibus*, ac sub verbo *Dohannis, vel gabellis*, unde liquet ipsum hęc omnia habere pro synonymis, De hoc autem *plateatici* vocabulo habetur per Rotam in Romana plateatici 25. Junii 1650. 22. Maji 1651. & 12. Junii 1656. Meltio, sed ad alium effectum.

Desumendo autem hanc significationem a praxi, vel usu,
neque ad rem facere videbatur, in Regno enim Sicilię citra, 4
seu Neapolis, istud onus, seu vectigal, vulgo nuncupatum *la Piazza* est frequens, alicubi possessum per Barones, ut frequentius, alicubi vero ex Regia etiam concessione per Episcopos, vel Ecclesias, ut præsertim in Civitate Bovini ex deductis *in Bovinen. sub tit. de jurisdictione*, ubi de puncto, an pro hujusmodi oneris exactione Episcopus adhibere possit censuras & arma spiritualia: de altero puncto, an Baro, vel Comunitas in prejudicium Episcopi concedere possit forensibus ibi mercantibus civitatem inducentem exemptionem ab hoc onere, quod juxta communem usum solvitur per solos forenses pro industriis, & mercantilibus contractationibus, non autem per Cives, unde propterea desumendo significationem ab hoc usu, neque congruebat, dum attenta loci qualitate, ac etiam observantia, civium potius onus est, quam exterorum, quorum nulli, vel rari in loco mercandi causa esse solent.

Quare dicebam in his materiis vim constituendam non
esse in verbis, seu vocabulis, eorumque stricta, & propria
significatione, sed potius in usu, seu observantia, a qui- 5
bus pendent, pro qua specie oneris usurpentur, quoniam in jure, vectigalia, collectæ, tributa, superindicta, gabellæ, & similia, suas habent proprias, ac peculiares significationes inter se distinctas, & tamen ex communi usu, unum vocabulum pro altero usurpatur, ac habentur pro synonimis, ut in specie vectigalis, *habentur in Romana Dohana, & in aliis hoc tit.* quod proprie importat illam

septimam, seu octavam partem, quæ principi, vel Reipublicæ solvitur pro mercibus, quæ ad portum, Civitatem, vel emptorum, vehuntur, & introducuntur, proinde dictum a vehendo, & quod alias *telonia*, seu *armandia*, & frequentibus *Dohana* dicitur, & tamen passim usurpatur pro quacumque publici oneris specie, ut per Capyc. *in d. investit. feudali, verbo vectigalibus*, plene Balzaran. *de feud. in c. unico, quæ sint regalia, verbo vectigalia num. 1. & seqq.* Borell. *de præstant. Regis Catholici cap. 11. & communiter*, ideoque jus non est in verbis, sed in re.

6 Quatenus igitur ad rem pertinet, observabam istud dici non posse onus civibus, & incolis, impositum ratione, industriæ, seu mercaturæ, dum illud debetur etiam de frumento, aliisque frugibus, quæ in prædiis, & fundis colliguntur, quod non importat mercaturam, neque regulariter venit sub bannis prohibentibus extractionem, ut bene cæteris allegatis, Ann. *singul. 49. & 50.*

Minusque dici posse videbatur esse gabellam contractus cum restricta non esset ad solam venditionem, sed percuteret etiam extractionem, ut supra. Ideoque mihi probabilius videbatur istud esse onus mere personale, impositum ipsis civibus, & incolis, ita commodius, & magis insensibiliter exigendum ex bonis, & frugibus, quę extrahuntur, seu venduntur. Quo posito non spectatur locus, ubi actus ven-
7 ditionis sequatur, sed spectatur persona, quam bona sequuntur, & sic non intrant quæstiones, de quibus Guttier. *de gabellis q. 104. & seq. in specie q. 107.* de animalibus, quæ ducuntur de loco ad locum, cum revera intrare non videatur localitas, præsertim vero si in loco, in quo fiat venditio, nulla gabella, vel aliud onus, ipsius venditionis ratione solvatur.

Probari hæc mihi videbantur cum terminis decimarum
8 congrue ad rem facientibus, quoniam *ut hoc eod. tit. ad hanc vectigalium materiam frequenter habetur*, juxta magis communem, & receptam opinionem, gabellæ & vectigalia dicuntur quædam species decimæ temporalis, quæ Principi solvitur ad instar decimæ spiritualis, quæ præstatur Deo, ejusque loco Parochis, & aliis divina ministrantibus.

9 In terminis etiam decimarum solvendarum ex ovibus, aliisque animalibus, quæ non per integram anni partem pascua sumunt in patria, seu in domicilio domini, seu in aliis regionibus, disputant DD. cui Parocho illæ debeantur, & dato concursu alterius decimatoris, necnon præsupposito, quod hæc esset decima potius realis, seu prædialis, quam personalis, magis communiter concludi videtur eas spectare ad utrumque decimatorem pro rata, secus autem ubi cessaret dictus duplicis decimatoris concursus, tunc enim reputantur potius decimæ personales solvendæ per Dominum ratione industriæ, ideoque ejus persona, seu subjectio attendenda est, non curato, an in uno, vel altero loco animalia morentur, & pascua sumant, ut patet ex collectis per Barbos. *de Parocho c. 28. §. 2. n. 37. cum seqq.*

Ideoque cum supponeretur in loco venditionis aliam solutam non esse gabellam, videbatur cum his terminis proce-
10 dendum esse, spectata persona Domini, & possessoris, secus autem, ubi alteram gabellam ibi solvere oportuisset, cum tunc obstare videretur conclusio, quod pro eadem re, seu eodem actu duplicata gabella præstanda non est, Cyriac. *controv. 646. n. 7.* ubi allegantur Alex. *cons. 143. n. 6. lib. 6.* Corneus *cons. 106. num. 6. vol. 4.* Licet super hoc nihil determinare affirmaverim; utpote extra quæsiti opportunitatem, dum ex facto cessabat difficultas.

Clarius vero hæc sibi locum vendicare dicebam, quia hu-
11 jusmodi animalium absentia a loco erat occasionalis, pro necessitate scil. sumendi pascua, quæ in propria patria certa anni parte haberi non possunt, animo redeundi. Hæc autem absentia non tollit domicilium, ac permanentiam in loco, utpote causativa, seu occasionalis, juxta communem, & receptam conclusionem, de qua Felin. *in cap. Rodulphus num. 13. & 14. de rescriptis*, ubi loquitur de seipso, Cyriac. *controv. 292. n. 31.* apud quem cæteri, & habetur pluries, ad materiam civilitatis *sub tit. de præeminentiis*.

Et si quæ superesset difficultas, illam omnino cessare di-
12 cebam ex observantia, quæ in omni materia est optima interpres, magis vero in hac materia vectigalium, & gabellarum in qua habet aliquid peculiare, ac totum facit, ad text. *in l. fin. C. Vectigalia nova l. si publicanus §. finali ff. de publicanis*, DD. communiter, de quibus Bertazol. *consil. crim. 256. n. 12.* Surd. *cons. 470. n. 15.* Cyriac. *contr. 222. nu. 18. & frequenter in aliis hoc eod. tit. ad hanc materiam*. Potissime, quia ista observantia, seu consuetudo particularis conformari videtur cum observantia, seu consuetudine generali Provinciarum, præsertim adjacentium in utroque Aprutio ultra, & citra, ubi major assis illorum incolarum consistit in gregibus ovium, quæ pro notabiliori parte anni morantur vel in Apulia, vel in maritimis Status Ecclesiastici, & tamen in supportatione onerum de eis habetur ratio, ac si in loco, inspecta persona Domini, & possessoris. Ideoque
tamquam in casu expresse in jure non deciso, recte confu- 13
giendum est ad observantiam, seu consuetudinem adjacentium regionum, ex collectis per scribentes apud Prat. *responso crim. 46. n. 56. cum seq.* & de consuetudine vicinarum Civitatum seu regionum, aut Ecclesiarum habetur in Forosempronien. seu Eugubina Emphyteusis cor. Cocc. *decis. 257. n. 9. & seq. p. 11. rec.* & est conclusio tam hoc tit. quam in aliis frequenter deducta, utpote frequens, & recepta.

Satisque ad ita sentiendum me impulit consideratio, quod statutum demandat hujusmodi oneris solutionem, etiam pro extractione frumenti, vini, aliarumque frugum, quæ colliguntur in propriis prædiis, & in quibus non intrant termini industrię, seu mercaturę, ut apud Ann. *d. singul. 49. & 50. cum ibi allegatis*, si enim pro istis hoc onus solvitur, multo magis pro industriis, & negotiationibus.

Ac etiam spectata qualitate loci, cum non sit Emporium, vel locus mercantilis, ad quem concurrunt negotiantes, ita ut ibidem probabiliter omnium bonorum, & mercium, vel saltem majoris partis contractatio sequatur, sed quasi penecesse oporteat, tam fruges & bona, quam animalia, lanas, pannos, & alia hujusmodi extrahere, ac alio traducere, ut vendantur; unde propterea istud onus alias fere in nihilo remaneret verificabile, atque facillime, occasione hujusmodi extractionis exclusive fraudis, ita eluderet solutionem ejusdem oneris, absque eo, quod dici possit, id factum esse in fraudem, stante d. justo motivo, seu causa extrahendi, ut in proposito extractionis animalium, vel bonorum de loco ad locum ponderatur, apud Guttier. *loco sup. citato*, unde remaneret lex omnino elusoria imposita potius verbis, quam rebus. Ideoque ex pluribus ita concludendum censui, attenta potissime qualitate loci, in quo nonnisi pro modo facultatum, & ita occasione incolæ videntur collectabiles, seu habiles ad supportationem hujusmodi oneris Domino præstandi. Ac etiam stante exceptuatione Ecclesiarum, & Nobilium, quod proprie comprobare videtur istud esse onus mere personale ipsorum subditorum, & incolarum, ita cum his occasionibus commodius ferendum, ideoque ad solas personas respectus habendus est.

Post hæc scripta reperi gravem Doctorem Sebastianum de Neap. *ad cap. Regni 193. incipit in singul.* juxta compilationem Jo: Anton. de Nigr. *n. 8.* ubi procedit cum eisdem distinctionibus, & an occasione nundinarum, seu alia occasione alibi animalia vendantur, & an in loco in quo venduntur, aliud supportetur onus, necne, unde lætatus sum, quod etiam sine speciali auctoritate dixi idem, quod nostri majores dixerunt, & cum hoc Doctore, solum eum laudando, pertransiit de Marin. *resol. 35. n. fin. lib. 2.*

ROMANA TAXÆ NURSINORUM

PRO UNIVERSITATE NURSINORUM, ET CASSIANORUM VENDENTIUM AVES, ET CARNES SILVESTRES, NUNCUPATORUM CAMPIFLORÆ,

CUM NURSINIS, ET CASSIANIS PISCIUM VENDITORIBUS NUNCUPATIS PISCARIÆ.

Casus decisus per Cameram pro Universitate Campiflora.

De contributione debita Universitati alicujus artis, vel exercitii per homines illam artem exercentes. An debeatur licet artem non exerceant, vel alteri universitati sint adscripti. Et an conventiones habitæ per prædecessores obligent successores idem habentes exercitium.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Obligatio illorum de Universitate propria etiam nomine se obligantium, an substineatur, si obligatio unius Universitatis non subsistat.*
3 *De pluribus exemplis, ut una obligatio respectu unius sit valida, & respectu alterius invalida.*
4 *Obligatio quando dicatur causativa, seu occasionalis, itaut cessante causa cesset.*
5 *Artifex, vel alter se adscribens alicui universitati,* *vel*

vel Collegio; an perpetuo sit addictus illis oneribus.

6 *Notarius si efficiatur Doctor, an remaneat Doctor.*
7 *Universitas semper est eadem, licet persona immutetur.*
8 *Quando dicantur una, vel plures universitates, & an una formalis divisa esse possit in plures materiales.*
9 *Unus & idem, an possit esse civis plurium Civitatum, seu descriptus pluribus artibus, vel universitatibus.*

D I S C. XCVIII.

1 NUrsini, & Cassiani ab antiquissimo tempore artem venditorum avium, & carnium sylvestrium in Urbe exercentes, suamque Universitatem, more aliarum artium, vel ministeriorum constituentes, cum tempore quadragesimali, ne otiosi manerent, exercitium vendendi pisces per Civitatem assumere cœpissent, se illis opposuit Universitas fori piscarii complexiva omnium pisces vendentium, vel alias contractantium, prætendendo ex privilegiis, vel antiqua consuetudine, hujusmodi exercitium absque ipsius Universitatis, ejusque Consulum licentia explicari non posse. Unde litem habuit cum d. Universitate Nursinorum, & Cassianorum, cum qua de anno 1583. deventum est ad concordiam; per quam conventum fuit, ut soluta singulis annis per dict. Universitatem Nursinorum, & Cassianorum dictæ Universitatis fori piscarii quadam præstatione, liberum eis esset absque alia Consulum licentia pisces vendere.

Tractu temporis, plerique ex dictis Nursinis, & Cassianis, huic novo exercitio magis, quam antiquo se tradentes, constituere cœperunt quamdam speciem Universitatis, distinctæ ab illa venditorum avium, & carnium sylvestrium, ita ut vulgo dicerentur Nursini Campifloræ, & Nursini piscarii; ac propterea illi denegare cœperunt antiquæ Universitati, omnium hujusmodi nationalium dictas artes exercentium complexivæ, taxas, & collectas pro ejus onerum supportatione, per singulos singulis annis solvi consuetas. Sed de anno 1627. deventum est ad concordiam, per quam illi in foro piscario existentes, promiserunt solvere Universitati, nuncupatæ Campifloræ singulis annis scut. 15. pro reficienda jactura mensæ Conservatorum, & quasdam alias summas pro aliis oneribus, & de anno 1637. ortis denuo dissidiis, plerique ex dictis nationibus piscium venditores, denuo promiserunt dictam concordiam observare, obligando se ipsos, eorumque hæredes, & bona etiam propriis privatis nominibus, prout de facto per plures annos continuarunt.

Defunctis autem pro majori parte dictis obligatis, atque per alios superstites mutato exercitio, vendendo scilicet pisces, non per Urbem ut prius, sed in petris, & apothecis; unde prætendere cœperunt fecisse transitum in Universitatem generalem omnium piscariorum. Novis autem nationalibus tamquam non obligatis prætendentibus, se non teneri ad dictam collectam de facto denegatam; Hinc propterea ortæ fuerunt novæ controversiæ, super quibus introducta lite in Camera, emanarunt duæ sententiæ contra Universitatem Campifloræ, declarando nullam ei ad dictam taxam, seu collectam, competere actionem contra dictos Nursinos, & Cassianos venditores.

In hoc autem statu in tertia instantia ad causæ defensionem per dictam Universitatem Campifloræ evocatus, visis præcedentium instantiarum scripturis hinc inde datis, credidi dictas sententias, utpote injustas non posse sustineri, dictamque Universitatem Campifloræ, non bene defensam, justam fovere causam. Pro faciliori tamen resolutione, distinguendas censui inspectiones inter personas propriis nominibus obligatas adhuc viventes, & alias non obligatas, solo jure universali adstringendas.

2 Primo casu clarum videri dicebam illos teneri, quamvis etiam admitterentur respectu successorum; Et corporis universalis obligationem non sustineri. Stant enim bene simul obligationem Civitatis esse invalidam, & tamen validam esse illam civium particularium, juxta text. *in leg. Civitas ff. si cert. petat.* & tamquam absolutum de jure communi admittitur per DD. Regnicolas, de quibus Marin. *lib. 1. variar. cap. 77. & lib. 2. cap. 59.* dum in vim *pragmat. 11. de administratione Universitatum*, agunt de invalida civium obligatione in causam Universitatis ob expressam pragmaticæ dispositionem, qua non obstante de jure ita sæpe dixit Rota, præsertim in Brundusina census 28. Junii 1660. Priolo, & Tarentina census 15. Junii, & 5. Decembris 1663. Taja.

3 Stant enim bene simul, unum eumdemque contractum, in quo plures personæ interveniant, respectu unius esse invalidum, respectu vero alterius validum, & obligatorium Cancer. *part. 3. var. cap. 2. n. 227.* Rota in Bonon. Nullitatis Concordiæ. 1. Julii 1647. coram Bichio. Unde videmus obligationem contractam per pupillum, & tutorem, etiam nomine proprio, non sustineri respectu pupilli, sed bene respectu tutoris, ex plene deductis *decis. 510. part. 5. rec.* ibique Add. *dec. 42.* post Merlin. *de pign. & in aliis.* Ita pariter de obligatione duorum correorum, quorum unus sit filius familias, vel aliàs ad contrahendum inhabilitatus, alter vero non impeditus, quia si obligatio respectu primi est nulla, est tamen valida, & obligatoria respectu secundi, quamvis in effectu negotium spectaret ad primum, ita ut iste secundus gereret partes fidejussoris, quoties non tamquam fidejussor, & accessoriè, sed tamquam principalis correus principaliter, & insolidum se obligavit, quia distinctio, an negotium spectet ad unum, vel alterum, & quis dicatur principalis, vel fidejussor, recte procedit inter seipsos, non autem quoad creditorem, cujus respectu tali casu omnes dicuntur principales correi debendi, Gregor. *decis. 321. 560. & 564. d. decis. 510. part. 5. rec. d. decis. 42.* post Merlin. *de pign. decis. 216. & 2. 2.* post Zacc. *de oblig.* in quibus concordantes. Et in concordia, vel contractu absque solemnitatibus inito per Prælatum, vel alios Ecclesiæ administratores, quia non obligat Ecclesiam, & successores, sed bene obligat personas ipsorum contrahentium, si proprio, & privato nomine se obligaverint; quatenus tamen concernat ipsorum præjudicium non Ecclesiæ, constat ex deductis per Gregor. & Add. *dec. 152.* Burat & Add. *dec. pariter 152. ubi cæteri.*

Opponebant obligati, eorum obligationem fuisse causativam, sive occasionalem, ob exercitium scilicet vendendi aves, & carnes sylvestres, ac pisces per Civitatem, unde cum primam artem vendendi aves amplius non exercentes, sed se restringentes ad illam venditionis piscium, transierint in alteram Universitatem generalem piscariorum, cessare debebat eorum obligatio, ex regula text. *in c. cum cessante*, de qua plenè Amat. *resol. 21. dec. 428. p. 1. rec. & sæpe hoc. tit. ad materiam officiorum.* Alia etiam regula accedente, quod pro uno, eodemque exercitio non debet quis duplici onere gravari, ac per duas Universitates collectari. 4

Sed facilis visa est responsio, quia cum in vim dictæ concordiæ ab hac Universitate d. obligati ita utriusque artis exercitium acquisierint, si nolebant unam exercere, sibi imputent, nec propterea cessata dicitur eorum obligatio, cum supradicta regula cessantis obligationis causativæ, de qua præsertim in Romana extinctionis locorum montium *hoc tit. ad materiam officior. disc. 8.* procedat, ubi causa cessat ex casu, vel facto tertii, seu natura rei; secus autem, si ex voluntate, & mero arbitrio obligati, ex deductis per eumdem Amat. *d. resol. 21. n. 2. 3. & 5.* Dando exemplum de se adscribente in matricula Notariorum sub obligatione solvendi aliquam præstationem, quia si non vult exercere Notariatum, retinet potentiam. Sic pariter desumente licentiam portandi ensem, vel alia arma cum similibus. Sicut enim, si ipsi vellent exercere dictam duplicem artem, non posset Universitas eos impedire, ita durare debet obligatio ratione istius habitus, & facultatis ex regula correlativorum.

Et nihilominus cum hæc Universitas sit complexiva istorum nationalium utramque artem exercentium, si aliqui unam non exercent, sufficit quod alteram retineant, præsertim quia de tempore obligationis, apud eosdem obligatos in confesso erat, nonnisi unam artem venditoris piscium tunc exerceri, ideoque istius tantum intuitu principaliter inita fuit obligatio, cujus causa non cessabat, dum in eodem exercitio continuabatur.

Nec referre dicebam, quod ipsi transierint in alteram Universitatem generalem piscariorum, cui taxam solvebant, 5 quia cum id proveniret ex eorum voluntate, & mero arbitratu, id suffragari non debet, ut supra; non quod hujusmodi obligationes factæ intuitu alicujus officii, vel exercitii debeant aliquem invitum afficere usque ad mortem, cum id jure non subsistere crederem; sed quod durent durante illa causa, quamvis ex eadem alteri universitati, vel Collegio obligari se etiam addicant. Utputà Canonicus alicujus Cathedralis, vel Collegiatæ, ratione illius Canonicatus se obligat etiam proprio nomine ad aliquam annuam præstationem à Capitulo, & Canonicis illius Ecclesiæ, & ratione Canonicatus solvendam, si eodem Canonicatu retento, alium alterius Ecclesiæ suscipiat, vel alicui Congregationi omnium Canonicorum complexivæ se adscribere velit, & istius onera solvere, non inde sequitur cessare primam ejus

obliga-

obligationem; dum adhuc durat qualitas Canonicalis, quæ est illius causa; sed si Canonicatum dimittat, itaut exeat de illo genere, atque Canonicalem qualitatem nullatenus retineat, tunc non videtur obligationem durare, quamvis Canonicatus dimissio fuisset voluntaria, cum similibus.

Sic à pari, si artifex unius artis Universitati, seu matriculæ se adscribat, & pro adscriptione aliquid una vice in ingressu solvat, pro facultate illam artem exercendi toto ejus vitæ tempore, si deinde mutata voluntate illam amplius exercere nolit, non per hoc repetit solutum; Adinstar susceptionis Doctoratum in jure civili, vel Canonico, quia si unum, & non alterum, vel neutrum exercere velit, non per hoc repetit solutum, quod dicitur pretium susceptæ facultatis, sive habitus ad exercendum; Sed si se obliget ad solvendas annuas taxas, & collectas per artifices solvi consuetas, nisi expresse dicat ad id se obligare pro tempore ejus vitæ, non videtur sibi præclusa facultas relinquendi dictam artem, & transeundi ad sphæram omnino diversam, se privando non solum exercitio, sed etiam habitu, & facultate, ne aliàs dici contingat susceptionem alicujus artis, vel exercitii esse speciem solemnis professionis emissæ in Religione, sive quod se faciat servum adscriptitium.

Tunc enim procedunt ea, quæ dicunt DD. de Notario
6 effecto Doctore, quod non desinit esse Notarius, quamvis Notariatum amplius non exerceat, ex deductis per Rovit. *super pragm. de Notar.* quando vult retinere potentiam, & facultatem exercendi etiam Notariatum, quia sola potentia, seu facultas est causa obligationis, neque implicat, ut unius artis, vel exercitii professor, illa saltem habitu, retenta, alteram etiam suscipiat; Ut de una, & eadem persona addicta duabus artibus, ac utriusque legibus, oneribus subjecta, bene Roman. *cons.* 422. Secus si etiam dicto habitu, & facultate se privet, quia tunc exire omnino dicitur ex illo genere, seu sphæra, in qua proindè habetur pro mortuo, seu non extante; Secus autem dicta potentia retenta, quæ sola spectatur, quamvis voluntariè ad actum seu exercitium non deducatur.

Et ex præmissis in particulari disputatione, habita super solo puncto obligationis singulorum ad favorem Universitatis, recedendo ab aliàs resolutis, contra obligatos judicatum fuit, ac punctus habitus pro claro.

Assumpta deinde in separata disputatione alia inspectione super obligatione corporis universalis, & consequenter successorum, quamvis propriis nominibus obligati non essent; Dicebam adhuc idem esse respondendum, quia posita obligatione Universitatis, nihil refert immutatas esse per-
7 sonas, quæ se obligarunt, cum Universitas dicatur semper unum, & idem corpus, quod ex personarum mutatione non immutatur, Calderin. *cons.* 21. *de præbend.* Merlin. *dec.* 663. *num.* 64. *&* 65. *alias dec.* 3. *par.* 7. *recent.* ubi concordantes, unde successores in Universitate remanent sine dubio obligati ad corporis universalis onera, quoties istius valida obligatio datur.

Pro valida autem obligatione totius corporis, dicebam, istam esse unicam Universitatem utriusque artis, vel exercitii complexivam, quamvis ratione diversitatis exercitiorum, ac etiam locorum, seu quarteriorum, ubi vivunt, & exercent, illa materialiter divisa appareat, quia formaliter est una; Neque de jure implicat, unam eamdemque Universitatem formaliter constitui ex pluribus corporibus
8 materialiter divisis, ex theor. *in leg. omnes populi num.* 7. *ff. de justit. & jur.* ubi cæteri, de quibus Losæus *de jure Universitatis p.* 3. *cap.* 15. *n.* 4. Anna *singul.* 83. Rota in Comen. Collegii 14. Februarii 1653. coram Zarata. Quod etiam habemus in Ecclesiis, ut dari possit una Cathedralis formalis constituta ex pluribus Ecclesiis materialibus inter se distinctis, & in diversis locis constitutis, ex deductis apud Peniam *dec.* 699. Othob. *dec.* 4. Cæsaraugustana Cathedralis 21. Junii 1655. & 6. Martii 1656. cor. Bichio, ut latius habeatur in eadem Cæsaraugustana, & in Sypontina sub *tit. de præeminentiis*.

Objiciebatur in contrarium, solam naturalitatem hujusmodi obligationem non inducere, neque ex eo, quod quis sit Cassianus, vel Nursinus, resultare, quod debeat invitus esse de hac Universitate; Replicabam tamen id esse verissimum respectu illorum Nursinorum, & Cassianorum, qui hoc exercitium vendendi pisces non habent, sed aliis artibus, & exercitiis se addicunt, secus autem respectu illorum, qui hujusmodi artem exercere volunt; nam eo ipso, quod illam faciunt, efficiuntur ipsius artis Universitatis subditi; Ideoque taxa non prætendebatur ab omnibus hujusmodi nationalibus in Urbe commorantibus ex sola ratione patriæ; seu nationis, sed ab illis exercere volentibus hanc artem, dictæ Universitati respectu istorum nationalium subjectam; Et ad ea, quæ dicebantur de transitu ad aliam Universitatem generalem piscatiorum, respondebam cum eisdem superius dictis, respectu eorum, qui se particulariter obligaverant; Quæ omnia visa sunt relevantia, ideoque revocatis contrariis sententiis præcedentibus, pro Universitate concordibus votis judicatum fuit.

Difficultas, & quidem relevans, solum fuit in eo, quod prætendebatur huic Universitati, in vim concordiæ initæ cum dicta Universitate generali piscatiorum, non competere nisi facultatem vendendi pisces per Urbem, non autem in petris, & apothecis, sive emendi more mercatorum, ut vulgò dicitur, *al cottio*; Unde propterea illi Nursini, & Cassiani, qui juxta hunc modum artem exercere volebant, dicebant se ab hac Universitate exemptos, sed difficultas sublata fuit ex facto, in quo cum observantia ab ipsius concordiæ tempore probatum fuit, hujus Universitatis nationales liberum habere exercitium, tam uno, quàm 9
altero modo; Quodque adscriptio Universitati magnæ, seu generali omnium piscatiorum erat voluntaria, & gratia obtinendi artis Consulatus, & officia, aliasque honorificentias, quia non implicat unam, eamdemque personam duabus artibus addictam esse, juxta *d. cons.* 422. Romani, Franch. & Add. *decis.* 175. Cabedo *decis.* 158. *par.* 1. Rovit. *super pragm. in rubr. de Magistris artium*.

Ac magis proximè, non implicat unum esse civem duarum Civitatum, in quarum una retineat civilitatem naturalem, in altera eam acquirat per allectionem, itaut utriusque prærogativis gaudeat, & oneribus subjaceat, ut *sub d. tit. de præeminentiis, ubi de materia civilitatis*, ita in præsenti possunt isti esse de Universitate minori complexiva dictorum nationalium tantum dictas duas artes, vel earum alteram exercentium, & tamen esse etiam de Universitate generali, & majori. Solum difficultas caderet, quando id, quod ob adscriptionem Universitati majori facere possunt, esset eis interdictum, si huic tantum Universitati adscripti essent.

ROMANA CONTRIBUTIONIS
PRO UNIVERSITATIBUS REGATTERIORUM, ET ALIORUM ARTIFICUM
CUM ACADEMIA PICTORUM

Casus resolutus, ut infra.

An contributio debita per revenditores picturarum, vel aliarum rerum fieret, ubi pictura, vel res venditur, accessorie ad illud opus.

S U M M A R I U M

1 *Casus controversiæ.*
2 *Mandatum de faciendo non exequutum, non importat factum.*
3 *Imposita gabella exercentibus aliquam artem, de quibus intelligatur.*
4 *In odiosis mixtum non venit sub simplici.*
5 *De distinctione artium, & artificum.*
6 *In dubio contra gabellam.*
7 *Qui dicantur mercatores, & qui artifices.*

D I S C. XCIX.

CUm Academia pictorum, ac sculptorum, de anno 1
1633. decrevisset, quod omnes hujusmodi professiones exercentes, seu alii artifices circa idem opus cooperantes dictæ Academiæ aggregati, tenerentur quamdam menstruam collectam, seu contributionem dictæ Universitati pro ejus indigentiis solvere, atque in eumdem effectum de facili assequendum, judicem particularem cum opportunis facultatibus à Sanctissimo deputatum obtinendi, porrectisque desuper precibus Urbano VIII. Hic per litteras in forma brevis Cardinali Barberino ejusdem Academiæ Protectori facultatem dedit, dictum decretum approbandi, & confirmandi, omnesque ejus defectus supplendi, necnon judicem particularem deputandi, ac etiam ordinandi, præcipiendi, & mandandi, quod singuli lapicidæ, calceolarii, barbitonsores, propali, vulgo *regatterii*, & alii tabulas pictas revendentes, seu eas confici facientes, ut venderent, scuta decem singulis annis eidem Academiæ solvere tenerentur: Cardinalis autem in vim dictæ facultatis

ratis decretum prædictum approbavit, ac judicem deputavit, sed in ultima parte cogendi alios, ut supra, ad annuam contributionem scut. decem mil. decrevit, atque spatio annorum[30. & ultra, nil de hac ultima contributione exactum fuit usque ad annum 1664. in quo Academia prædicta eam exigere velle tentavit a propalis, seu regatteriis generalibus omnium suppellectilium, & nobilium diversi generis, tabulas pictas una cum dictis aliis bonis vendentibus; & ab illis artificibus, qui frequentius in via coronariorum existentes, cornices, seu alia ornamenta, æris, auricalchi, vel argenti, ad formam parvarum iconarum, cum tabulis pictis admixtis conficiunt, & vendunt.

Unde pro utraque Universitate, licet separatim scribens, injustam dicebam Academiæ actricis prætensionem, ex eo præcipue fundamento utrique Universitati, ac omnibus aliis revenditoribus communi, quod deficeret legitima facultas exigendi ab invitis, & non existentibus de corpore Academiæ dictam collectam, quam utpote de Re-
3 galibus, nemini quam Principi, vel cui Princeps concesserit, indicere ac exigere licet; Et quamvis in præsenti hæc facultas per Papam concessa esset, quia tamen non erat pura, & dispositiva, sed in forma commissaria, itaut potius mandatum de indicendo, quam indictionem contineret, idcirco non sequuta ejusdem facultatis executione, perinde habendum erat, ac si concessa non esset, quia mandatum de providendo, seu faciendo, non sequuto facto, seu provisione, nullum jus format, seu tribuit, ad notat. per Card. & Vital. *in Clem. unic. de excess. Prael. in regul. de mand. annal. q. 55. n. 3.* Rebuff. *in prax. benef. tit. de rescr. in forma dignum n. 2. & 3.* Lotther. *de benef. lib. 3. q. 8. num. 138. & seqq.* Rota in Tridentina Parochiali 5. Decembris 1646. coram Cerro, & in aliis, cum sit propositio in materia beneficiali quotidiana, quoties ad executionem deventum non est, licet ea exequuta, seu exequutione de jure non deneganda, etiam gratia in forma dignum, seu mandatum de providendo dicatur jus tribuere, ut non semel habetur in sua materia *sub tit. de benef.*

Plura enim motiva concurrere potuerunt in Cardinali Protectore ad denegandam executionem hujus ultimæ gratiæ, dictaque facultate non utendum, atque dum ex pluribus in eadem commissione contentis, aliaque approbavit, signum est, quod in omissis noluit, accedente præsertim tricennali observantia hujusmodi voluntatem corroborante; Si enim longæva observantia annorum 30. est apta ad inducendam exemptionem a collectis, & contributionibus, quamvis alias legitime indictis, & de jure exigibilibus, ut non semel deductum habetur *hoc tit.* multo magis attendenda est ad inducendam gratiæ ineffectuationem.

Cæterum, ubi etiam talis contributio dispositive per Papam demandata esset, sive per Cardinalem Protectorem indicta, adhuc tamen respectu Universitatis regatteriorum, dicebam id intelligendum esse de illis, qui principaliter, seu simpliciter artem emendi, & revendendi tabulas pictas exercent, ut plerique in Urbe adsunt, non autem de illis regatteriis generalibus, quorum institutum est emendi omnia mobilia, seu suppellectilia, ornamenta, & massaritias domorum, sub quibus emuntur, & revenduntur etiam tabulæ pictæ, vel statuæ, tamquam venientes sub universitate suppellectilium, & ornamentorum, quia in odiosis, & præjudicialibus, ut absque dubio sub hujusmodi contributiones, & onera, sub simplici non venit
4 mixtum, ex plene deductis per Barbos. *axiom. 152. n. 11.* & Surd. *decis. 174. n. 14. & seqq.*

Magna enim differentia est inter artes, quæ considerantur, & exercentur tamquam distinctæ, distincta Collegia, seu Universitates habentes, & illas artes, quæ consistunt circa res mixtas, plurium artium complexivas. Primo
5 enim casu exercens plures artes, omnium statutis, & oneribus subjacet, ac privilegiis, & favoribus respective, seu distributive potitur, *juxta conf. Roman. 422.* cum aliis in Romana taxæ pro Universitate Nursinorum Campistori *hoc tit. disc. 98.* In secundo autem casu, qualis est ille hujusmodi regatteriorum ementium, & revendentium bona diversarum specierum, spectantium ad plures artes separatas, dicitur quædam ars mixta, continens tertiam speciem, & de nulla dictarum inter se distinctarum artium sapiens, nam alias duo sequerentur absurda; Unum quod isti regatterii, nullam constituere possent universitatem repræsentantem propriam artem; Alterum, quod cogerentur subjecti esse omnibus Universitatibus, seu Collegiis singularum artium, ad quos pertinent respective singulæ species suppellectilium, & ornamentorum domorum, quæ per istos ita in confuso contractantur.

Atque saltem ex hoc negari non posse dicebam, casum 6
reddi dubium, ut pro eis conventis esset respondendum; Tum ex observantia, quæ in omni materia interpretationis primatum obtinet, præcipue vero in illa gabellarum, & onerum totum facit, ut sæpius *hoc tit.* Tum quia in dubio contra gabellas, & onera respondendum est, Cyriac. *controv. 354. n. 24.* & Rota *dec. 118. par. 11. rec. in fine.*

Respectu vero alterius Universitatis illorum, qui fabricabant cornices, seu ornamenta, ut supra, adhuc dicebam eos sub tali dispositione non comprehendi, ex eadem superius dicta regula, ut sub simplici non veniat mixtum, ac etiam, quia per istos, tabulæ pictæ non revenduntur pro mercatura, itaut in hujusmodi revenditione eorum institutum consistat, sed cum ipsorum ars principaliter versetur circa prædictorum ornamentorum constructionem, adjiciuntur deinde tabulæ pictæ, accessorie, & consequutivè ad operis perfectionem, ideoque illarum mercatores, seu revenditores dici non possunt.

Mercatores enim, seu revenditores, propriè dicuntur illi, qui bona, seu merces emunt, ut eadem, non immutata specie revendant, secus autem, ubi cum eorum opificio in diversas species reducunt, & vendunt, præsertim ubi opificium est principale, res autem empta est accessoria, itaut regulando actum à præponderanti, institutum in opifi- 7
cio magis consistere dicitur, ad text. *in cap. ejiciens 88. dist.* Feder. de Sen. *conf. 207.* & cæteri apud Surd. *decis. 313. n. 1.* concurrente etiam diuturna observantia optima interprete. Audio quod de facto tunc pro unica vice ex quibusdam respectibus demandata fuit quædam solutio.

ROMANA COLLECTÆ HEBRÆORUM PRO UNIVERSITATE HEBRÆORUM CUM HEBRÆIS PARTICULARIBUS,

Habendbus bona juramento subjecta.

Responsum pro veritate.

Facto juramento, seu æstimo bonorum Hebræorum pro datiis solvendis per quinquennium, si isto durante, bona possessa per unum ex causa Dotis, vel alias, transeant in alium. An & quomodo datium augeri, ac respective minui, seu alias variari debeat.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series, & quomodo fiat juramentum, seu æstimum Hebræorum.*
2 *Casus controversia circa dicti juramenti intelligentiam.*
3 *Juramentum, seu æstimum importat quemdam contractum inter Universitatem collectantem, & eum, cujus bona æstimantur.*
4 *Durante quinquennio illius æstimi collecta sunt invariabiles, nec alterari possunt ex facto privatorum in præjudicium Universitatis.*
5 *Alienatis bonis positis in æstimo de uno in alterum, est in electione Universitatis, exigere collectas ab uno, vel altero possessore.*
6 *De augmento, vel diminutione bonorum allibratorum, an durante quinquennio, vel alio tempore habenda sit ratio.*
7 *Æstimum faciendum est quolibet quinquennio, & ita servat Universitas Hebræorum.*
8 *Faciendum est defalcum bonorum, quæ pereant, vel diminuantur ex incendio, furto, vel infortunio.*

D I S C. C.

IN capitulis conditis per Universitatem Hebræorum super juramento universali per singulos quolibet quinquennio 1
præstando pro solutione collectarum, præsertim in cap. 26. dispositum fuit, ut jurantes infrà summam sc. 300. solverent bajoc. 12. cum dimidio pro quolibet centenario, eandemque ratam solvere deberent exercentes banchum, quamvis nihil haberent juramento subjectum, illi vero, qui jurarent possidere bona supra dictam summam sc. 300. sed infra mille, solvere deberent ad rationem bajocor. 15. ad quam etiam rationem tenerentur exercentes banchum, quamvis nihil haberent juramento subjectum, quoties habeant in bancho pignora excedentia summam scut. mille; jurantes vero ultra summam scutorum mille, tenerentur solvere juxta bonorum quantitatem absque alio augmento.

Item

Item in capitulo 19. dispositum fuit, eos qui pecunias receperunt ex causa dotis ante dictorum capitulorum confectionem, teneri de illis præstare juramentum, tanquam de bonis propriis, de dotibus autem solutis post capitulationem dandam esse notulam Universitatis factoribus, qui summam solutam defalcare deberent solventi, & adscribere viro, qui recepit, excepto casu, quo integra dos de tempore nuptiarum solveretur, quo casu tota defalcanda esset solventi, viro autem recipienti solum imputanda pro duabus tertiis, detracta restanti tertia parte, habito respectu ad expensas nuptiales, & ratam, quæ recipi solet in pannis, & jocalibus.

His ita stantibus, cum contingeret, quod hebræus, qui
2 juravit infra summam scutorum mille, post juramentum præstitum uxorem duceret, doteinque reciperet in summa, quæ unita etiam cum bonis propriis jam juratis non excedat mille, ut puta jurat quis possidere scuta 600. & sic ultra 500. sed infra milk, onde tenetur solvere ad rationem bajoccorum 25. perinde ac si mille possideret, deinde recipit pro dote scut. 350. seu etiam 400. itaut dos recepta, unita cum bonis antea possessis, & juratis, non excedat scuta mille; Hinc proinde dubitatum fuit, an teneatur solvere solum bajoccos 25. prout solvebat antea, vel potius, ultra summam de bonis propriis debitam, teneatur etiam solvere aliud datium pro dicta dote sibi obventa; Atque cum desuper pro veritate interrogatus essem ex parte Universitatis.

Mihi videbatur pro ipsa Universitate respondendum esse, quod scilicet utrumque ipsa exigere posset; Atque ad id sentiendum movebar, quia de tempore quo præstatur juramentum (quod idem importat, ac æstimum, seu allibratio inter Christianos,) acquisitum illico fuit Univer-
3 sitati quoddam jus quasi invariabile pro illo quinquennio circa solutionem collectarum, cum dictum æstimum importet quemdam contractum inter Universitatem, & illum, cujus bona æstimantur, ut per Thomat. *de collectis, vers. si negatum, num. 22. inter tract. magnos, tom. 62. fol. 152. à tergo*; Et sic cum jurante jam firmatus est status, toto illo quinquennio invariabilis.

De illa vero dote, quæ postmodum solvitur, Universi-
4 tas pariter acquisivit jus exigendi collectas à dotante, quod ex facto parituum postea sequuto non videtur minuendum, vel alterandum, dum retenta quantitate collectarum jam taxata, variatur solum persona, quia summa soluta diminuitur solventi, & imputatur recipienti, tanquam patrimonium novum, & diversum ab illo, super quo juramentum præstitum fuit, & ex cujus præstatione jam Universitas in bonis antea possessis jus aquisiverat exigendi ad rationem bajoccorum 25. Unde allibratis, seu positis in æstimo omnibus bonis territorii pro bonis Titii, & Caji itaut contra utrumque sit firmata quantitas collectarum, si deinde Titius vendat Cajo aliquod prædium, utique il-
5 lud non erit computandum inter antiqua bona Caji, sed iste solvere debet nomine Titii venditoris id, quod ille solvere debebat si non vendidisset, & hoc arbitrio Universitatis, ut Tomath. *loco sup. cit.*

Alias sequeretur, quod Universitas defalcaret dotanti summam ex causa dotis solvendam absque relevatione,
6 contra expressum tenorem capitulorum, & præsertim dicti cap. 19. ubi disponitur, quod si uni detrahitur, alteri imputetur absque defalcho; Et merito, quia ut dixi, dictum juramentum, quod importat allibrationem, seu æstimum, firmat statum invariabilem, itaut si durante quinquennio bona augeantur, vel minuantur, nulla augmenti, vel diminutionis ratio habeatur, nisi in novo
7 juramento, seu æstimo pro sequenti quinquennio faciendo, ad text. *in l. fin. C. de alluv.* ubi Bald. & bene incertus auctor *cons. 1. impress.* post Petr. de Ubaldis *in tract. de gabellis, num. 1. & 8. inter tract. magn. doct. tom. 12. fol. 99.* Et de æstimo faciendo quolibet quinquennio, ad effectum attendendi variationem bonorum medio tempore sequutam, quia interim status est invariabilis, Menoch. *consil. 1144. n. 49. & 90.* Cyriac. *controv. 156. num. 5. & seq. hoc tit. disc. sequenti.*

Quodque status bonorum jam firmatus de tempore juramenti, sit invariabilis, & solum concedatur commutatio de persona ad personam, constat etiam ex cap. 21. ubi in casu restitutionis dotis disponitur, ut summa, quæ restituitur, defalcetur restituenti, & adscribatur recipienti, & sic semper debet esse idem, & conformis bonorum sta-
8 tus, variata solum persona, quæ non facit cessare conventam quantitatem, nisi in casu incendii, furti, vel alterius infortunii gravis, ob quod notabilis diminutio sequatur, quo casu remissum est arbitrio factorum, quale defalchum faciendum sit, ut in cap. 16. & sic semper stare firmum videtur, quod jus Universitati jam quæsitum ex facto contractu, resultante a juramento, non deberet ex facto partium pati diminutionem.

Et idem, quod dictum est de jurantibus supra 500. sed infra mille, procedit porportionabiliter de jurantibus infra 500. seu infra 200. cum eadem sit ratio in omnibus, & hanc dixi mihi videri veritatem.

ROMANA COLLECTÆ HEBRÆORUM

PRO EADEM UNIVERSITATE HEBRÆORUM

CUM JOSEPHO TOSCANO ETIAM HEBRÆO.

Casus resolutus per Locumtenentem Vicarii pro Universitate.

In datiis, seu collectis Hebræorum, an sit habenda ratio bonorum sub juramento cadentium in sorte principali, vel in fructibus.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Collecta de jure debentur pro modo fructuum.*
3 *Declaratur.*
4 *Quod non sit practicabile cum hebræis.*
5 *Etiam pro pecuniis, mercibus, aliisque bonis ad industriam retentis solvenda sunt collecta.*
6 *Prout solvendæ sunt per capita ratione laboris, & industriæ personalis.*
7 *Æstimum faciendum est juxta consuetudinem, & præteritam observantiam, a qua non est recedendum.*
8 *Illud tamen quibusque temporibus est renovandum, non ad effectum immutandi modum consuetum in genere, sed ad effectum adæquandi variationes, medio tempore contingentes.*
9 *Quod per Universitatem Judæorum practicatur singulis quinquenniis, prout practicatur in Statu Mediolani.*
10 *Ubi æstimum fit per æs, & libram, habita ratione valoris bonorum in sorte principali non inspicitur, an ex illis possessor majorem, vel minorem utilitatem percipiat.*
11 *Valor intrinsecus locorum montium, vel aliorum jurium ob accidentia sæpe minuitur.*

DISC. CI.

CUm hæc Universitas soleat singulis quinquenniis pro publicis taxis, & collectis renovare juramentum, quod 1
idem est, ac facere novum æstimum, ut in aliis discursibus pro eadem universitate hoc pariter titulo, atque retroactis temporibus Toscanus possidens in Civitate Florentiæ loca centum duodecim illius montis saltim in valore intrinseco importantia summam scutorum 12. mil. prætenderet ob illorum diminutos fructus, ac difficultatem exactionis, consuetum intrinsecum valorem esse notabiliter diminutum, (ut in effectu diminutus erat,) idcirco concordavit cum Universitate jurandi hanc bonorum speciem pro summa scut. 5. mil. ad cujus rationem datia, seu collectas, ad illam rationem tot pro centenario, ad quam taxa fieri solet, solvere deberet, atque ita per tria quinquennia servatum fuit. Cumque non obstante, quod dictorum locorum valor hoc medio tempore notabiliter auctus esset, Universitas ad eamdem summam concordatam in novo juramento continuaret, prætendere cœpit Toscanus, se in hoc notabiliter læsum esse, eo quia ejus Consultores calculando cum evidenti æquivoco fructus, qui ex dictis Monnibus pro rata scut. 5. mil. percipiebantur, ostendebant collectas importare majorem summam, integros fructus excedentem, quod prorsus injustum, ac irrationabile dicebant, cumulando cum incongrua applicatione magnam Doctorum catervam ad probandum, collectas & datia taxanda esse per æs, & libram, habita ratione ad fructus, qui ex bonis percipiuntur, & pro istorum rata tamquam species decimæ, non autem ad valorem bonorum in sorte principali, & prout taxantur pecuniæ, quas Hebræi retinent sub industriis, mercimoniis, vel usuris, ex quibus longe majorem fructum percipiunt.

Sed pro Universitate scribens dicebam; jura disponen- 2
tia collectas, & onera publica ferenda esse pro modo facultatum habita ratione fructuum, præsertim *in leg. 1. & seqq. Cod. de annon. & tribut. lib. 10. leg. ultim. C. de immunit. nomin. conced. cum concord.* per Menoch. *conf. 1144. n. 6.*

atque

æquè auctoritates, juxta dictarum legum dispositionem lo-
3 quentes, prorsus extraneas esse a casu controversiæ, utpote
procedentes in illis ordinariis muneribus, quæ per subditos
solvuntur loco antiqui tributi, quod tamquam pars, seu
quota fructuum Principi solvebatur ratione bonorum, & tan-
4 quam onus prędiale; Quæ onerum species inadaptabilis est
Judæis non possidentibus bona stabilia fructifera, ex quo-
rum fructu tale munus Principi solvendum sit, cum tantum
eis conveniant, vel illa munera extraordinaria, quæ etiam
5 inter Christianos solvuntur propter pecuniam, merces, alia-
que bona mobilia sub industria, & mercimonio retenta, ex
deductis per Menoch. *d. conf.* 1144. *num.* 31. *& seqq.* Natt.
conf. 433. *num.* 5. vel illa munera personalia, quæ in singula
capita ob quotidianum laborem, & industriam etiam inter
6 Christianos solvuntur sub capitationis vocabulo, in jure
nuncupata, & de quibus Menoch. *d. conf.* 1144. *num.* 40.
cum seqq. & de qua onerum specie etiam inter Hebræos ha-
betur *disc. seqq.*

Quodque dum ab annis 100. & ultra, quantum homi-
num memoria suggeret, constabat, ad formam capitulo-
rum ab eadem Universitate, Sede Apostolica approbante,
editorum, semper hujusmodi juramenta, seu æstima facta
7 esse, habita ratione bonorum in sorte principali, devian-
dum non erat ab observantia, & consuetudine in hac mate-
ria Principatuum obtinente, ut bene in his terminis facien-
di æstimum; cæteris allegatis, Menoch. *dict. consil.* 1144.
n. 89. *& seqq.* Cyriac. *controv.* 159. *n.* 8. *cum seqq.*

Qui solum bene observant singulis quibusque congruis
8 temporibus renovanda esse æstima, non ad effectum immu-
tandi modum consuetum illa faciendi, cum in hoc omnes
concordent omnino deferendum esse consuetudini, sed ad
effectum reducendi onera ad justitiam, & equalitatem,
cum tractu temporis bonorum pretia variari soleant, prout
variantur possessorum facultates, utqui de uno tempore est
9 dives, tractu temporis fiat pauper, & contra; Ex ea qua
ratione ex Bossio, & aliis testantur inductam esse praxim
in Statu Mediolani renovandi æstimum singulis quinquen-
niis, prout hæc Universitas etiam ab antiquo prudenter ser-
vavit, & servat, ideoque prorsus vanam dicebam hujusmo-
di prætensionem.

Neque posito hoc modo æstimandi, & collectandi, in-
10 spiciendum est, an bona, quæ per Hebræos possidentur, fru-
ctent multum, vel modicum, cum id esset impracticabile,
atque inextricabilem confusionem induceret; sufficit enim,
quod bona tanti valoris possideat Hebræus, qui sibi impu-
tet, cur non magnum, sed modicum fructum percipiat;
itaut si casus daret pecunias retineri otiosas in area, non in-
de resultet datiorum exemptio; Proindeque dicebam, quod
si hic opponens credebat pecuniam in dicta loca montium in-
vestitam parum fructiferam esse, illam venderet, atque pre-
tium in pignorando sub usuris, vel in alia mercimonia mo-
re aliorum hebræorum converteret, ut ita majus emolu-
mentum perciperet.

Verum adhuc spectata fructuum quantitate, videbatur
manifestum esse equivocum, quia fructus, qui ex omnibus
dictis locis 120. percipiebantur ad rationem scut. quatuor
pro quolibet loco, redacto eorum valore ad solam summam
scut. 5. mil. ob extrinsecam, & accidentalem intrinseci va-
loris diminutionem, importat ad rationem circiter decem
11 pro centenario, itaut spectandus esset fructus integræ sum-
mæ scut. 12. mil. ad hanc minorem summam redactæ ob ac-
cidentia; istorum jurium intrinsecum valorem diminuen-
tia, eo modo quo practicatur in juribus Hispaniarum, alio-
rumque Principatuum, ut præsertim constat apud Capyc.
Latr. *dec.* 188. ac supra hoc eod. tit. in Rom. locorum mon-
tium de Oticellariis *disc.* 30.

Quinimo cum hoc intermedio tempore, postquam dicta
conventionalis reductio sortis ad dict. summam scut. 5. mil.
facta fuit, dictorum locorum valor notabiliter excreverit,
itaut de præsenti valerent fere ultra dimidiam ejus, quod
tunc valebant, intrinsecum valorem fere adæquando ex
jam d. ratione variandi æstimum pro ratione augmenti, vel
respectivè diminutionis bonorum, eorumque valoris, po-
tius dicebam, ex hujusmodi continuatione gravatam esse
Universitatem, quæ istius reclamantis onera juxta præ-
sentem statum augere poterat, & debebat; Et ex his juste
mandavit Judex servari solitum rejecta dicta reclamatione,
reservando Universitati jus agendi pro augmento ad portio-
nem excreti oneris, pro quo credebam ei bonum jus, ac ju-
stitiam assistere; Appellavit Toscanus, & commissa fuit
causa in Rota, sed prosecutio usque adhuc cessat.

ROMANA DATIORUM, PRO EADEM UNIVERSITATE HEBRÆORUM, CUM HEBRÆIS, BONA NON POSSIDENTIBUS.

An & quando Hebræi non possidentes bona caden-
tia sub juramento, seu æstimo, possint collectari
pro lucris ex industria, & labore personali: Et quid
in hoc operetur observantia, præsertim respectu
onerum ex causa extraordinaria omnes tangente,
pestis, vel belli, aut simili.

S U M M A R I U M.

1 *UNiversitatibus etiam inferioribus, & recogno-scentibus Superiorem, competit de jure facultas imponendi collectas pro publicis oneribus.*
2 *Universitas hebræorum id habet in facultatibus ex indulto Apostolico.*
3 *Ubi collectæ solitæ sunt exigi per as, & libram, an possit solitum alterari, & induci solutio per capitationem.*
4 *Collectæ propriæ sunt, quæ solvuntur Principis ex fructibus bonorum tamquam tributum, seu species decimæ in quota fructuum solvenda.*
5 *Ex qua causa solvantur per hebræos datia, & onera.*
6 *Onera personalia, vel mixta, seu alias omnibus de Universitate communia, ab omnibus solvenda sunt.*
7 *Capitatio est collecta imposita per capita personarum, & ratione laboris, & industriæ personalis.*
8 *Quomodo intelligendi sunt damnantes modum collectandi per capitationem, volentes fieri debere per as, & libram.*
9 *Pauperes non sunt collectandi, & quomodo id intelligatur, & qui in proposito dicantur pauperes.*
10 *Pro artificio, seu labore, & industria personali imponi possunt collectæ, & contributiones.*
11 *Judæi non possident bona stabilia, & fructifera, sed solum pecunias, & merces, quorum ratione solvunt collectas.*
12 *Collectæ dicuntur species decimæ, quibus æquiparantur, earumque more regulandæ sunt.*
13 *Decimæ debentur etiam ex opificio, industria, & labore personali.*
14 *In facultate Universitatis est vivere per collectas, vel per gabellas, ac onera uno, vel altero modo exigere.*
15 *Quoties ex præterita observantia resultat injustitia, & gravamen circa modum collectandi, ab ea est recedendum.*
16 *Immunes, & exempti ab oneribus, & collectis, tenentur ad illas, quæ imponuntur ex causa pestis, vel alia omnibus communi.*

D I S C. CII.

UNiversitas Hebræorum Urbis pro solvendis tributis, 1
aliisque oneribus Cameralibus, vel Communitati-
vis, imponere solita est singulis quinquenniis collectam per
æs, & libram, ut in præcedenti habetur; Cum autem ob
graves impensas, quas pati coacta est ex causa pestis in Urbe
grassantis anno 1656. æs alienum contraxisset, pro quo
consuetas collectas augere, vel novas imponere cogeretur,
atque adverteret multos Hebræos, ne juramento, & oneri
contributionis subjacerent, licet alioquin industrios, in dies
cum quotidiano labore, vel industria vivere, non curando
cum parsimonia aliquod peculium sibi constituere; Hinc
proindè determinavit istos etiam ita viventes proportiona-
biliter collectare, quibus se opponentibus, ac introducta
causa in Tribunali Vicarii.

Pro Universitate scribens dicebam, illius intentionem
fundatam esse, tum in dispositione juris, per quam etiam
inferioribus Universitatibus conceditur ejus subditis impo- 2
nere collectas pro supportandis oneribus Communitativis,
ac solvendis tributis, aliisque contributionibus Principi,
Alex. *conf.* 78. *n. n.* 4. *l.* 5. Capyc. *in investit. feud. verbo cum
Collectis*, Thesaur. *dec.* 257. Farinac. *q.* 173. *nu.* 72. Buratt.
dec. 751. *n.* 4. Marot. *in toto ejus tractatu de collect. seu bo-
natenensin*, apud quos concordantes; Tum certius, dum
concurrebat espressa facultas, quæ concessa legitur in capi-
tulis hujus Universitatis, confirmatis a Clemente VII. &
successive ab aliis Pontificibus, præsertim ab Innocentio X.
in erectione, seu aggregatione Montis pro ejusdem Univer-
sitatis debitis, & oneribus solvendis.

Neque

Neque obstare dicebam præteriti temporis observantiam,
3 ostendentem hujusmodi collectas imponi tantum consuevisse per æs, & libram, & sic juxta quantitatem bonorum, ideoque solitum alterari non posse, neque permittendam esse capitationem, ea deductis per Beroum *conf.* 150. *lib.* 3. Parif. *conf.* 25. *l.* 3. *& alios*, quoniam isti loquuntur de illa collecta, quæ imponitur pro oneribus mere realibus, quæ utpote perpetua, & uniformia solvuntur Principi, tamquam tribu-
4 tum, seu verius, tamquam decima, seu portio fructuum prædiorum, & bonorum, sub ejus ditione existentium, & quod vere, & proprie, collectarum appellatione veniunt, juxta text. *in l. fin. ff. de munerib.* Ansald. *conf.* 43. *n.* 24. & quæ onera, fixa, perpetua, & invariabilia sunt illa, quæ transeunt cum ipsis bonis, etiam in exemptos, juxta receptam distinctionem, de qua Brundusina gabellæ cor. Penia *inter suas dec.* 1079. & in Alben. gabellæ cor. Merlino, *& pariter inter suas decis.* 901. de quibus in Hydruntina onerum *disc.* 50. *& in aliis hoc tit.* Quæ tamen collecta, seu onerum species in hac Universitate non datur, cum Hebræi non possideant bona stabilia, tamquam ab illa obtinenda, & possidenda inhabilitati.

Quare cum agatur de oneribus personalibus, quæ omnes, & singulos tangant; vel quia solvantur Principi pro eorum
5 toleratione, & protectione, quod tamen est quid satis modicum, vel quia ipsorum publicos usus percutiant, & in quo fere omnia onera consistunt, ideoque regula juris est, ab omnibus supportanda esse, *cum ea onera, quæ omnibus com-*
6 *munia sunt, ab omnibus ferri debeant, atque a summis sarcina usque ad infimos decurrere debet*, ut sunt verba text. *in l. 1. in fin. C. de quibus muneribus nemini, &c. l.* 10. ideoque solvi potius debent per capitationem, quæ proprie est
7 collecta, imposita per capita personarum, ac ratione laboris, & industriæ personalis, ad text. *in l. fins C. si propter publicam pensitationem cum concord.* per Alex. *conf.* 68. *nu.* 3. *l.* 2. Bertacch. *de gabell. in prælud. n.* 11. Bovadill. *in polit. l.* 5. *c.* 5. *n.* 25. *&* 26. Rovit. *super prag. in rubr. de appretio*.

Et quamvis plerique DD. etiam pro oneribus communita-
8 tivis, vel aliis, quæ personalia, vel mixta sint, damnent hujusmodi collectandi speciem per capitationem, atque magis laudent alteram per æs, & libram, seu pro quantitate bonorum, attamen id procedit ad tollendum inconveniens, ne idem, & æquale sit onus divitum, ac pauperum: tunc enim intraret injustitia considerata per DD. cumulatos per Barbatum *in tract. de divis. fructuum par.* 1. *c.* 8. *n.* 38. & in hoc admittebam non pariformiter collectandum esse divitem, ac pauperem, sed proportionatam rationem haberi debere, nedum ad industriam personalem, sed etiam ad bona.

Prout admittebam traditionem Bald. *in l. etiam Cod. de execut. rei judic. num* 17. ut collectari pro publicis oneribus debeant bona possidentes, ac etiam mercatores, & fœne-
9 ratores ex pecunia lucrum reportantes, non autem pauperes ex quotidiano labore viventes, ubi adeo sunt pauperes, ac minus industrii, quod diurnus labor vix alimentis, & substentationi sufficiat, cum tunc cesset etiam onus decimarum, quibus collectæ assimilantur, ut infra.

Non inde tamen dicebam inferri posse, artifices, & alios industrios in summa paupertate non constitutos, & ad contributionem idoneos, remanere debere omnino exemptos sub hoc prætextu, quod bona cumulata non habeant, quia
10 etiam pro industria, & labore personali debet proportionabiliter aliqua contributio fieri, ut in specie firmant Dec. *consil.* 334. Natt. *consil.* 418. *n.* 3. Bellon. sen. *conf.* 12. *n.* 16. Cyriac. *contr.* 156. *num.* 21. *& per tot.* Menoch. *conf.* 1143. *ubi ae materia*, Alias enim esset inducere maximum inconveniens alliciendi istos hebræos, quamvis industrios, & ex labore notabile lucrum comparantes, ad imitandam potius cicandam, quam formicam, atque in turpi otio, seu in imprudenti, & damnata profusione totius lucri vivendum, itaut melioris essent conditionis otiosi, vel male viventes, eorum lucrum quotidie consumentes in cauponis, & luxibus, quam illi, qui cum debita diligentia, & parsimonia aliquod peculium ex industria, & labore acquirere curant, & sic esset punire virtutem, & præmiare vitium, dictamque Universitatem ita tractu temporis omnino inhabilitare ad publica onera non supportanda.

Clarius hæc procedere dicebam, ponderando collectas
11 juxta præteritam observantiam per æs, & libram, non solvi ratione fructuum, qui ex bonis perciperentur, cum per istos nulla possideantur bona fructifera, sed totum eorum æs consistat in pecunia, & mercibus, de sui natura infructiferis, catenus fructum, seu utilitatem producentibus, quatenus possessoris industria concurrat, igitur totus est effectus industriæ, & laboris, cum hac solum differentia, quod isto casu dicitur fructus mixtus, comparatus nempe partim ex industria personali, partim ex commodo, & usu pecuniæ, in aliis vero pecuniam, vel merces non habentibus dicitur emolumentum simplex ex mera industria, seu labore personali resultans, unde nulla subest ratio, cur de una, & non de altera industriæ specie contributiones, & collectæ juxta debitam proportionem solvi debeant.

Idem comprobari dicebam ex altera juris propositione, 12
quod collectæ, quæ per subditos Principi solvuntur, seu alia onera, quæ pro Republica supportantur; æquiparantur decimis, earumque more data proportione regulari debent, Lucas de Penna *in l. annonas n.* 3. *Cod. de erogatione militaris annonæ lib.* 12. Ansald. *de jurisd. par.* 5. *tit.* 2. *de* 13
tribus num. 30. & est sæpius hoc eod. titulo deductum. Decimæ autem non solum sunt prædiales, & quæ de bonorum fructibus debentur, sed etiam personales debitæ, ex industria, opificio, & labore personali, *cap. Pastoralis de decimis*, ubi DD. Barr. *decis.* 583. *n.* 10. Barbos. *de Parocho cap.* 28. *& cæteri passim*; Igitur sicut decimæ deberentur, ita intrant hujusmodi contributiones illis assimilatæ.

Hinc dicebam non obstare præteritam observantiam,
tum quia in facultate Universitatis repositum est vivere 14
per collectas, vel gabellas, atque onera uno, vel altero modo solvere, Capyc. *dec.* 148. de Marin. *resol.* 63. *n.* 3. *vol.* 1. unde in facultativis non datur præscriptio absque notis requisitis præviæ prohibitionis, seu respectivæ petitionis cum subsequuta acquiescentia, seu denegatione; Tum etiam, quia forsan antiquitus hominum malitia non adeo excrescente, non dabatur hoc inconveniens, quia
quilibet validus, & industrius, cum debita parsimonia, & 15
diligentia aliquod peculium sibi parare satagebat; Vel in omnem eventum prædecessorum administratorum negligentia, vel culpa, Universitati præjudicare non debuit, neque exinde permittenda erat certa injustitia, qua concurrente, a præterita observantia super modo collectandi recedendum est, ut post Dec. *conf.* 234. & alios bene probat Cyriac. *controv.* 156. *n.* 30. *cum seqq.*

Demum ubi etiam præmissa cessarent, itaut ex observantia, immunitas non habentium bona, & successive juramento, seu æstimo non subjacentium inducta esset; Adhuc tamen respectu hujus collectæ, quæ controversiæ causam dedit, dicebam casum esse extra controversiam, cum illa imposita esset pro satisfaciendo ære alieno, contracto ex causa pestis; quæ pro eorumdem hebræorum præservatione, & subsidio, magnas produxit impensas, ideoque ad eam etiam immunes tenebantur; ut in specie aliis allegatis firmatur per Thesaurum juniorem *lib.* 1. *quæst. forens.* 13. *num.* 5. *cum seqq.* Et ita juste, ac fundate Judicatum fuit, quia istæ impensæ magis pro pauperibus, quam pro divitibus fiunt; Sed judicatum quoad effectum remansit fere inane; quia dictum fuit collectari debere pro eo, quod lucrum excederet necessaria alimenta, qui casus vel numquam, vel satis de raro datur; Unde propterea Universitas nullum levamen exinde sentit.

ALIA ROMANA DATIORUM PRO EADEM UNIVERSITATE HEBRÆORUM. CUM LEONE CAMIZ.

Casus terminatus per Concordiam.

An Universitas impedire possit Hebræis, ne ab Urbe extrahant, alioque traducant in notabili quantitate pecunias, merces, aliaque bona in præjudicium collectarum, & datiorum ipsius Universitatis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Forenses non tenentur pati gabellas pro debitis universitatis.*
3 *Universitas an possit impedire hebræis exteris extractionem pecuniarum, & bonorum, in præjudicium datiorum, & collectarum.*
4 *Datia hebræorum licet sint personalia, attamen ob Cameræ, & aliorum cautelam videntur realia, itaut pro eis sint affecta bona hebræorum.*

5 Quo-

5 *Quomodo intelligenda sit dicta propositio de bonis affectis pro oneribus, & datijs.*
6 *Multa, quæ alias de jure permissa sunt, prohibentur ex capite publicæ necessitatis, seu utilitatis.*
7 *De prohibita extractione victualium ratione publicæ annonæ.*
8 *An Baronibus, & Civitatibus competat jus revocandi Cives, seu Vassalos, ut ad patriam redeant.*
9 *An Episcopus impedire possit simplices Presbyteros, vel Clericos residentiam non habentes, ne a Diœcesi discedant.*

D I S C. CIII.

1 COntracto matrimonio inter quendam Leonem Caniz hebræum, Anconæ commorantem, & filiam Josephi Toschani hebræi, habitantis in Urbe cum dote scut. 5000. dictoque matrimonio dissoluto per mortem mulieris, superstite unica filia infante, cum Leo vir prætenderet, sive ex Statuto Urbis, sive ex Hebræorum ritibus, & traditionibus, dotem superlucratum esse, vel saltem se tanquam patrem filiæ, ex matrimonio superstitis, esse ejusdem dotis administratorem, & usufructuarium, atque volens ad patriam reverti, intenderet dotem prædictam in pecunia consistentem, a socero debitore viribus præturæ compulso jam depositatam, secum asportare; Se opposuit Universitas, prætendens adeo notabilem pecuniarum quantitatem ejus æstimo, seu juramento pro collectis jam affectam, a Ghetto Urbis extrahi non posse, ideoque investitam remanere debere pro collectarum, & onerum contributione, unde introducta lite cor. Vicario seu ejus V. Gerente.

Ex parte Leonis pecuniam extrahere volentis insistebatur in eo, quod cum ipse esset forensis occasione matri-
2 monii solum aliquo tempore in Urbe commoratus, teneri non debebat ad datia, & onera Universitatis, præsertim pro debitis antea contractis, ad id allegando auctoritates late congestas *decis.* 3. post Cenc. *de censib. ac sæpius hoc in aliis deductas*, dictæque propositioni adjungebantur regulæ generales, quemlibet esse rei suæ liberum administratorem, & arbitrum, neque naturalem libertatem transmutandi personam, & bona de loco ad locum, non concurrente aliquo legitimo titulo servitutis, impediendam esse.

Pro universitate autem scribens dicebam, quod omissa
3 etiam inspectione, an dictus Leo in Urbe incolatum contraxerit, ut scribens in facto pro Communitate prætendebat, atque admissa forensitate; Adhuc tamen dictam extractionem adeo notabilis pecuniarum quantitatis juste impediendam esse, non ex jure collectandi ipsum Leonem forensem, & tanquam ejus bona, sed tamquam bona Josephi Toschani hujus Universitatis subditi, & quæ sub juramento, quod inter Judæos est idem, ac æstimum, seu allibratio, jam posita fuerunt, itaut affecta essent oneribus publicis, & præsertim debitis jam contractis per Universitatem in summa scut. 189. m. pro qua Innoc. X. ad eamdem Universitatem à gravioribus usuris sublevandam, illam admiserat ad quemdam Montem Cameralem, pro cujus dote, & fundo obligavit omnes pecunias, merces, aliaque bona, quæ à singulis Judæis possiderentur, itaut licet in puncto juris hæc non sint onera mere realia, sed vel personalia, vel mixta, ut habetur in præcedenti, nihilominus pro dictorum onerum implemento, ac Montis fundo, & cau-
4 tela videntur speciem realium habere, ideoque in mere realibus, bona illis subjecta transeunt in quemcumque quamvis exemptum cum sua causa, ex plene deductis in Brundusina gabellæ coram Penia *decis.* 1079. & Alben. gabellæ coram Merlino *dec.* 902. de quibus in Hydruntina onerum *disc.* 50. *& in aliis hoc tit.*

Sive stante expressa hujusmodi bonorum, pecuniarum, & mercium obligatione pro dicti Montis, seu creditorum cautela, recte intrabant quæ in jure habentur de bonis hypothecatis penes quemcumque tertium cum hujusmodi affectione transeuntibus; Licet enim hujusmodi propositio ita
5 generaliter, & abstracte sumpta recipienda non videatur, utpotè impeditiva commercii, quod alias cum Hebræis nullatenus haberi posset, unde restringenda venit ex illa æquitate, quam præter juris dispositionem forus ex traditione Doctorum passim admittit in quibuscumque mercibus, & mobilibus, ut scilicet, quamvis cred totum hypotecis affecta sint, attamen in tertium liberè, & immunia transeant, & ex deductis per Cayc. Latr. *dec.* 24. *n.* 12. Otthobon. *dec.* 55. *n.* 9. *alias* 107. post Merlin. *de pignor. ubi cæteri*; Nihilominus illa ratio non urget in constitutione dotis, quam nihil publico commercio interest in tuto poni, & non extrahi ab Urbe, præsertim cum nulla urget necessitas, ut hebræi Urbis maritent filias potius aliis hebræis forensibus, quam concivibus.

Ideoque propositio prædicta, nec generaliter recipienda, nec generaliter respuenda videtur, sed sano modo, & discrete juxta facti circumstantias intelligenda, nam alias, si ita de facili cuicumque hebræo liberum esset pecunias, & merces in tam notabili quantitate pro libito extrahere, stante gravitate onerum, quæ in Urbe per eos solvuntur per æs, & libram, quilibet ad onera effugienda sub figuratis prætextibus curaret ejus pecunias, & merces extrahere alibi, occulto sub indultis retinendas, itaut Universitas redderetur impotens ad onerum supportationem, & quod magis est elusi remanerent creditores, qui sub hujusmodi bonorum, & mercium cautela Universitatis fidem sequuti sint, sub assecuratione etiam, & fide publica Principis, qui Montis erectionem, seu aggregationem concessit, ex deductis in Romana usurarum judaicarum *sub tit. de usur. disc.* 6.

Multa enim ex justa causa publicæ utilitatis, vel necessitatis præter juris regulam, & contra naturalem libertatem 6
conceduntur, unde licet quilibet sit rei suæ moderator, & arbiter, ejusque bona ex naturali libertate, quocumque velit, ducere valeat, nihilominus si ratio publicæ annonæ, vel altera secus exigat, prohibita est extractio, ut passim 7
de vectigalibus, & aliis ubique vidimus, ac de jure aliis allegatis probant Rovit. *super pragm. in rubr. de tractis, seu extractionib.* Apont. *de potest. Proreg. tit. de variis provisionib. ead. rubr. de tractis*, Mauson. *in tract. de contraban. post tract. de caus. executivis*, ubi plene de materia.

Prout conceditur Baronibus, vel Civitatibus jus revocandi vassallos, seu cives patriam deserentes, ut ad il- 8
lam redeant, quoties discessus est talis, quod illius desertionem, seu notabile præjudicium causet, ex deductis per Marin. *resol. quotid.* 117. *lib.* 1. & addit. ad Revert. *dec.* 398. ubi etiam observat, quod licet Episcopus impe- 9
dire non possit simplices Presbyteros, vel Clericos residentiæ beneficium non habentes, ne descedant a Diœcesi, attamen ex justa causa desertionis Ecclesiarum id facere potest, cum similibus.

Eoque magis præmissa in proposita facti specie procedere dicebam, ob illius particularem circumstantiam, quod sive ex statuto Urbis 131. sive ex dispositione juris communis *in auth. uxore mortua, C. de secund. nupt.* quamvis vir hujusmodi dotem lucratus esset, illius tamen proprietatem reservare tenebatur filiæ superstiti adhuc infanti, pro cujus cautela recte Joseph avus, & dotans, ac eadem Universitas se opponere poterant, ut hujusmodi summa poneretur in tuto, neque permitteretur extractio sub dissipationis periculo. Et ad ita decernendum, judex inclinabat, sed concordia controversiæ finem dedit, quia pecunia data fuit ad cambium ipsi universitati.

ANCONITANA ONERUM HEBRÆORUM,

PRO UNIVERSITATE HEBRÆORUM ORIENTALIUM, ANCONÆ COMMORANTIUM,

CUM UNIVERSITATE HEBRÆORUM ITALORUM, SEU OCCIDENTALIUM EJUSDEM CIVITATIS.

Casus pendet a Rota.

De immunitate ab oneribus, concessa Hebræis exteris Orientalibus ad Civitatem Anconæ accedentibus; An competat illis, qui longo tempore in eadem Civitate incolatum habuerunt, sive iis, qui ex Orientalibus procreati fuerint, & ibid. nati, Et an isti potius Itali censendi veniant, quam Orientales.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *An executio alias competens litteris Apostolicis procedat respectu limitationis, seu exceptuationis contra eum, in cujus gratiam, & privilegium dictæ litteræ emanarunt.*
3 *Litteræ Apostolicæ tunc habent paratam executionem, quando agitur de facto executoris meri, secus autem non executoris mixti procedentis tanquam Judicis.*
4 *In exceptuationibus, & limitationibus, quæ continentur in privilegiis, Princeps dicitur habere se negative, ac nihil*

nihil disponit, sed relinquit casum exceptuatum extra privilegium, & sub dispositione Juris.

5 *Domicilium non contrahitur sine animo, & per habitationem accasionalem, quamvis longevam.*

6 *Ex quibus excludatur animus non contrahendi domicilium per habitationem.*

7 *Græci longo tempore viventes, vel etiam nati in Italia, seu aliis partibus Ecclesiæ latinæ, sub quo ritu vivere debeant.*

8 *Commorantes in aliqua Civitate occasione mercaturæ, vel artis, an fiant domicillarii, vel potius dicantur continuare Civilitatem originariam.*

D I S C. CIV.

1 AD alliciendos ad portum, & Civitatem Anconæ exteros mercatores, præsertim hebræos in Orientalibus partibus commorantes, consueverunt antiquitus Pontifices eis concedere varias exemptiones, & privilegia, per Paulum III. demum confirmata, & ampliata, inter quæ illud habetur, ut Hebræi orientales ultra exemptionem a dohanis, & oneribus pro mercium introductione, seu contractatione solvi consuetis, immunes etiam esse deberent a collectis, & taxis imponi solitis per Universitatem Hebræorum in dicta Civitate, & locis adiacentibus cum perpetuo incolatu commorantium, pro solvendis oneribus Cameralibus, & aliis eidem Universitati incumbentibus, exceptis tamen illis hebræis, quos in dicta Civitate clarè constiterit juxta juris communis, non autem statutorum dispositionem, domicilium elegisse, & contraxisse, Unde propterea sequutum est, per unam, & alteram hebræorum speciem, duas diversas constitui Universitates, unam nuncupatam Orientalium, alteram vero Italorum, duasque haberi diversas Scholas, seu Synagogas. Cum autem tractu temporis aliqui ex Orientalibus, occasione mercaturæ, longævum incolatum in dicta Civitate contraxerint, atque ibidem filios procreaverint, idem paternum exercitium continuantes, easdemque Orientalium Universitatem, & Scholam sequentes, prætendere cœperunt ushanati, istos; utpote in dicta privilegiorum exceptuatione comprehensos, ad dohanarum aliorumque onerum solutionem teneri, & introducta causa sub Paulo V. coram Gubernatore Anconæ, prodiit sententia hebræis favorabilis, in gradu appellationis confirmata in Urbe per Thesaurarium Generalem, & in tertia Instantia per Cameram, quæ sententiæ munitæ etiam fuerunt cum Brevi Pauli V. qui prævia narrativa prædicti privilegii cum dicta exceptuatione per Paulum III. concessi, illud confirmavit ac servari voluit; A quo tempore supradicti originarii Orientales, quamvis in dicta Civitate, seu aliis Italiæ locis orti, utpote sub Orientalium, non autem Italorum Schola, & Universitate viventes, dictis exemptionibus potiti sunt, donec nuper Universitas Hebræorum Italorum prætendere cœpit, illos utpote Italos sibi esse subjectos, ad ejus onera, & contributiones teneri, atque ita Orientalium Universitate indefensa, ab A. C. tanquam litterarum Apostolicarum executore, & sub titulo executionis dictarum litterarum Pauli V. sententiam obtinuit, qua prodita, occasione adeundi Signaturam ad effectum videndi, an locus esset appellationi suspensivæ regulariter ob executione litterarum Apostolicarum denegandæ.

2 Ex parte dictæ Universitatis Orientalium in hoc statu ad Causæ defensionem assumptus, quoad ea quæ ordinem, seu appellationem respiciunt, prorsus vanam dicebam dictæ Universitatis Italorum prætensionem super appellationis suspensivæ denegatione, quia litteræ Pauli V. continent favorem, & privilegium Orientalium, in quorum gratiam tantum emanarunt, unde absonum in jure videtur, ut privilegia contra ipsos privilegiatos exequi, & rigorosè practicari debeant; Et quamvis replicaretur non impugnari privilegium, sed peti solum executionem limitationis, seu exceptuationis in eo contentæ adversus eos, qui domicilium in dicta Civitate contraxerunt; Adhuc tamen dicebam chimericam remanere appellationis denegationem sub prætextu executionis litterarum; hæc enim tunc intrare dicitur ita privilegiata, ubi agitur de nuda illarum executione in iis, quæ ibidem explicitè demandantur absque alia Juris inspectione, & judicatu, ac legitimo contradictore cessante; itaut executor dicatur merus, secus autem ubi ille assumere debet partes Judicis cum legitimo contradictore, itaut dicatur executor mixtus, quia tunc intrat sine dubio appellatio, ac procedendum est juxta judiciarium ordinem, cum tali casu appellari non dicatur ab ipsis litteris, earumque dispositione, sed a mala judicis declaratione, seu executione, Scacc. *de appell. quæst.* 17. *limit.* 4. *n.* 64. & 65. Mantic. *dec.* 324. *n.* 3. *dec.* 701. *par.* 2. *rec. dec.* 352. *par.* 10. & *sæpius*, quia est propositio plana, satisque frequens in materia beneficiali. 3

Clarius, quia Paulus V. in ejus litteris circa dictam exceptuationem nihil disponit, sed tantum narrat tenorem litterarum Pauli III. dictam exceptuationem continentium. Et nihilominus etiamsi dispositive, & ex integro dictam exceptuationem continerent, non inde tamen inferri posse dicebam, quod in hac parte hujusmodi litteræ aliquid disponerent, vel præciperent, itaut executionem mereantur, sed tantum exceptuant casum, quod idem est, ac declarare illum non esse comprehensum sub privilegio, 4 sed remanere sub dispositione juris, itaut in hac parte Papa se habeat solum negativè, Exceptio enim, vel præservativa nihil de novo continere dicitur, nec aliquid dare, vel tollere, sed solum relinquit res in suo statu naturali, perinde ac si privilegium, vel alia dispositio, in qua continetur, non adesset, Gregor. & Add. *dec.* 158. *n.* 5. Royas *dec.* 32. *n.* 26. *dec.* 100 *par.* 10. *rec.*

Quo vero ad justitiam, & merita negotii principalis, tum sensu etiam veritatis, dicebam injustam esse prætensionem Universitatis Italorum, quia Papa exceptuat eos orientales, qui juxta dispositionem juris communis domicilium elegerint, & contraxerint; Quod sequutum dici non poterat ex solo longævo incolatu, seu etiam ex nativitate in loco, absque declaratione animi expressa, vel etiam implicita, & præsumpta, resultante a conjecturis a jure probatis, alias enim, hoc animo cessante, solus 5 incolatus, seu nativitas occasionalis, occasione scilicet mercaturæ, officii, militiæ, studii, vel similis, non importat domicilium, vel civilitatem, etiamsi per mille annos, invito eo, de cujus domicilio, vel civilitate agitur, ad text. *in l. Cives, ubi gloss. verba larem, C. de Incol. lib.* 10. quam communiter sequuntur DD. congesti per Barbos. *de Episcopo alleg.* 4 *n.* 22. *cum seqq.* Buratt. & Add. *dec.* 75. *n.* 19. Othob. *dec.* 145. *n.* 30. & 31.

De hoc autem animo contrahendi domicilium non constabat, quinimo de contrario, dum isti, quamvis in dicta 6 Civitate nati, seu longævo tempore commorantes, non sub Italorum Universitate, vel Schola vixerunt, sed illam eorum parentum, & orientalium sequuti sunt, & sequuntur, unde clare declararunt animum non contrahendi domicilium in loco, sed occasionaliter tantum in eo permanentes, continuandi antiquam, & paternam civilitatem. Quod etiam inter Christianos ejusdem, vel diversi ritus in dies ubique practicari videmus, Multi siquidem, præ- 7 sertim in Italia, adsunt Græci, qui ab illis partibus venientes, longo tempore in istis commorati sunt, filiosque, & nepotes procrearunt, qui in Italia nati, ac Italiæ idioma, & mores habentes, potius Itali, quam Græci dicendi venirent, & tamen, si juxta Græcorum ritum vivere continuant, eis ille permittitur, & pro Græcis, non autem pro Latinis reputantur.

Item plures, præsertim in Italia, nationes habemus mercaturæ occasione per omnes fere Christiani orbis partes, & per varias Civitates versantes, ut in specie sunt Januenses, Florentini, Bergomenses, Lucenses, & alii 8 sparsi, nedum per omnes conspicuas Italiæ Civitates, sed etiam per Galliam, Hispaniam, Germaniam, Poloniam, Angliam, ac etiam in Indiis, & nihilominus, quamvis ibi longam moram trahant, itaut iisdem habeant ortos patres, & avos; attamen, utpote sub propriæ nationis Consulatu viventes, ejusque Universitatem, & Ecclesiam sequentes, antiquam propriæ patriæ originariæ civilitatem retinent, nec proinde inter cives locorum, in quibus occasionaliter commorantur, computandi sunt, quia ut dictum est, occasionalis incolatus, vel nativitas, cessante præfecto animo, novam non inducit civilitatem, nec unquam cessare facit. Accedente potissime in præsenti longæva observantia, quæ tanquam optima interpres quamcumque dubietatem, si quæ adesset, omnino tollebat; Et juxta præmissa fuit sensus signaturæ Justitiæ, quæ proinde causam appellationis commisit ad utrumque in Rota, ubi post has annutationes, semel proposita causa coram Carpineo pendet absque resolutione, quod sciam.

ROMANA DEFALCHI SALIS, PRO NERLIIS APPALTATORIBUS SALARIÆ URBIS, CUM CAMERA,

Casus disputatus in Congregatione Camerali, & sopitus per Concordiam.

An deficientia hominum ob bellum divinum, vel humanum, deficere faciat in parte substantiam appaltus salis ad effectum defalchi.

Et de materia vectigalis salis, & salinarum, earumque origine, & usu, ac jure, quod Princeps in eis habet, & an salinæ dicantur de Regalibus.

S U M M A R I U M.

1 *DEfalcum non competit, nisi pro damno intolerabili, & quale illud dicatur ubi est in fructu.*
2 *Ubi vero est in substantia reficitur tale, quale sit.*
3 *Quando dicatur damnum esse in substantia, vel in fructu.*
4 *Distinctio prædicta procedit in bonis naturaliter fructiferis, non autem in salaria, quæ ob hominum deficientiam dicitur cessare in substantia.*
5 *Salaria, seu appaltus salis, in quo consistere dicatur.*
6 *Appaltus salis dicitur continere quamdam speciem gabellæ, seu vectigalis.*
7 *An substantia salaria dicatur esse in hominibus, salem ementibus, vel in ipso jure vendendi.*
8 *In quibus vectigalium, vel aliorum appaltuum substantia consistat.*
9 *Pretium salis est inalterabile.*
10 *Appaltus salis potius speciem administrationis continere dicitur, & de differentia inter istum, & alios appaltus.*
11 *Ubi accedit pactum, non requiritur damnum esse intolerabile.*
12 *Declaratur ubi pactum esset relativum ad juris dispositionem.*
13 *De differentia inter salinas, & salariam.*
14 *Salinæ possunt esse de dominio privato.*
15 *Salinæ computantur inter Regalia, sed declaratur, in quo hoc jus Regaliæ consistat.*
16 *De origine salinarum Urbis, seu Hostiæ.*

D I S C. CV.

COncesso per Cameram Apostolicam Nerlii appaltu salinarum Urbis, ac salinarum ad ostia Tiberina existentium, in quibus sal pro usu Urbis, & locorum adjacentium, fabricari solet pro annua pensione sc. 945000. cum ob pestem grassantem in Urbe, & locis adjacentibus de anois 1656. & 1657. magna personarum diminutio contigisset, unde consequenter salaria prædicta notabile passa est detrimentum circa consuetam salis esitationem, ac propterea
1 dicti Appaltatores peterent defalchum, Prætendebat Camera damnum contigisse in fructu, ideoque non intrare remissionem mercedis, nisi quatenus probaretur damnum esse intolerabile, quod juxta unam opinionem dicitur, ubi non remanet quantum sufficiat ad solvendam medietatem pensionis, juxta *dec.* 422. Coccini, & juxta aliam in hujusmodi appaltibus fiscalibus receptam, ubi læsio est in sexta parte, ut fusius habetur in Romana defalchi pro Ravenna, *disc.* 65. *& in aliis hoc tit.*

2 E converso autem Appaltatores prætendentes damnum fuisse in rei substantia, unde remissio competit pro toto damno, quale quale sit, itaut restringeretur disputatio ad hunc punctum, an scilicet damnum causatum ex peste, & hominum mortalitate in appaltu salis, dicatur circa fructum, vel circa substantiam rei.

Dicebant Camerales, censeri debere in fructibus, quia
3 tunc dicitur perire substantia rei, quando destruitur, seu deficit ipsa potentia, seu causa productiva fructuum, & emolumentorum, quia nempe conducto molendino, illud impetu fluminis destruatur, sive conducto prædio, domo, vel alia re, illa in toto, vel in parte chasmate pereat, seu ex alio accidente perpetuo inutilis, & infructifera fiat, quia sic deficere, vel diminui dicitur rei substantia. Secus autem si ipsa re, seu causa productiva in suo naturali, & consueto esse continuante, ea aliquo accidenti proveniat temporanea minor fructuum perceptio, itaut impedimentum non pereutiat potentiam, seu causam productivam, ac jus perceptionis fructuum, sed solum ipsum actum alicujus minoris consequutionis, juxta distinctionem, de qua sæpius *in aliis hoc tit.* & in alio *de locatione, & conductione*; Unde cum salinæ non defecerint, sed in eorum naturali cursu continuaverint, neque defecisset salaria, idest jus distribuendi, seu vendendi salem, sed solum ex diminutione populi causata esset aliqua minor venditio, in qua majori, vel minori consistere dicitur salariæ fructus, seu utilitas, utique damnum non in substantia, sed in fructibus contigisse videtur, & consequenter dicebant locum non esse petito restauro, nisi damnum probetur intolerabile, ut supra.

Pro Appaltatoribus autem scribens dicebam, hujusmodi distinctionem esse veram, ac recte procedere in prædiis, aliisque bonis indifferentibus naturaliter fructiferis, non 4
autem in hac salaria tanquam re ab aliis differente, & in qua hominum, & populi deficientia substantiæ peremptionem, sive diminutionem causare dicitur.

Appaltus etenim salis non consistit in ipsa materia, quæ 5
de per se, ac juxta suam intrinsecam qualitatem nullus vel satis modici valoris sit, sed consistit in ipso jure privativo vendendi salem populis pro pretio a Principe locatore taxato, quod satis longe superat pretium, seu valorem intrinsecum, & in quo jure privativo vendendi, ac extrinseco pretii augmento consistere dicitur vectigal, quod ita occasione hujus necessarii victualis Princeps a subditis, vel aliis in sua ditione commorantibus, exigere dicitur, & cujus ratione pensio per appaltatorem solvitur, ut bene in puncto appaltuum salium Marchiæ, Soccin, *cons.* 156. *vol.* 2. quod est in materia magistrale, & de alio appaltu salium, Surd. seu verius alter scribens apud eum *cons.* 507. *num.* 7. *& per tot.* quod etiam ex Anchar. *cons.* 414. ubi quod interesse Appaltatoris consistit in jure vendendi salem aliquibus populis, qui emere recusabant, *& ex cons.* Feroi 143. *nu.* 1. *& seqq. vol.* 1. ubi pariter de appaltatore salium, qui damnum patiebatur ob redditam difficiliorem consuetam salis venditionem; Idemque habetur apud Corneum, *cons.* 339. *vol.* 1. *in principio*; ubi de appaltu salia considerato circa distributionem faciendam populis.

Quodque vectigal salis dicatur species capitationis, quia 6
respicit personas, & distribuitur per buccas, Bellon. *cons.* 12. *n.* 8. quod etiam dicit Bossius *de Principe*, *nu.* 100. *in fine*. Et in individuo appaltus salis diminuti ob eximanitum populum ex causa pestis, & novi appaltus regulandi ad proportionem populi, & buccarum comedentium, Cyriac. *contr.* 461. Quod etiam probari videtur ad sensum ex ratione naturali, quia salis materia de per se considerata est inutilis, nullumque vel salis exiguum habet pretium, quod totum in proposito hujusmodi appaltuum consistere dicitur in ipso jure vendendi populis, quibus salis usus est necessarius, unde si populus non adesset, etiam dictum jus vendendi esset inutile, ac nullius fructus productivum, ideoque dicebam recte per Surd. sive scribentem apud eum *dict. cons.* 507. *n.* 7. asseri, quod deficientibus hominibus dicitur deficere substantia hujusmodi salarium.

Quamvis autem hæc, quæ tanquam Advocatus deducebam, aliquam probabilitatem habere viderentur, stante 7
præsertim dicta individuali auctoritate Surdi, seu alterius apud eum scribentis *d. cons.* 507. *num.* 7. Mihi tamen minus fundata videbantur, quia licet verum sit, appaltum non consistere in ipsis salinis materialibus, sive in ipsa materiali salis, sed in jure privativo vendendi pro pretio alterato, quod vectigal potius, seu gabellam continere dicitur, ut supra, itaut emolumentum consistat in majoris, vel minoris quantitatis esitatione, pendente a numero populi, quo diminuto absque dubio minor remanet esitatio, & notabilis pars salis vendi consueti remanet inutilis; Nihilominus semper verum erit hæc omnia percutere fructum, ejusque majorem, vel minorem perceptionem, non autem substantiam, seu causam fructuum productivam, consistentem in ipso jure vendendi, quod est idem, nullumque recipit impedimentum; Ac alias in omnia materia etiam indifferenti idem dici posset, nam triticum, vinum, oleum, aliique terræ fructus, eatenus valorem habent, & pro eis conductores prædiorum pensiones solvunt, quatenus adsint homines, qui comedant, unde ob victus necessitatem eos emere cogantur, itaut diminuto populo, adhuc fructuum consuetorum pars excrescens remaneat inutilis, sive omnium valor ex ista excrescentia notabiliter minuatur, & tamen vanum ex hoc motivo prætendi per prædiorum aliorumque bonorum indifferentium conductores restaurum, nisi damnum sit intolerabile; juxta termi-

nos

nos text. *in cap. potuis & cap. propter sterilitatem*; cum substantia non sit diminuta, vel perempta.

Non sic est in casu Soccini, Ancharani, & Beroi, de quibus supra, quia ibi impeditum erat ipsum jus privativum in aliquibus locis, atque ita impedimentum erat in ipsa substantia consistente in jure privativo vendendi; Ea etiam concurrente circumstantia, quod impedimentum proveniebat ex facto locatoris, seu tertii; cui locator præcipere poterat, unde non removendo impedimentum quod poterat removere, dicebatur non præstare patientiam, ad quam de jure locator tenetur, & sic termini erant diversi.

Et quidem, licet hunc punctum pereuntis substantiæ ob impedimentum contingens in fructuum esitatione non semel disputaverim, seu disputatum viderim, nunquam tamen illud vidi admissum, ut præsertim disputavi in Romana defalchi pro Ravenna, de qua *hoc tit. disc. 65.* ubi de appaltu dohanarum consistentium in vectigali portorii, seu introductionis mercium exterarum, unde substantiam deficere Ego & cæteri pro Appaltatore scribentes assumebamus ob introductionem artium in Urbe, ob quam longe minores merces exteræ introducuntur, sive ob impeditum commercium ratione pestis, unde merces introduci non potuerunt; Sed hoc motivum semper fuit rejectum, quamvis ex aliis motivis in eo casu satis honesta concordia prodierit.

Idemque assumpsi disputandum in una Bonon. Cursitationis, ubi de Conductore Cursitationis, sive postarum, prætendente defectam appaltus substantiam ob impeditum commercium; unde cursus haberi non poterat; Nihilominus contrarium judicatum fuit, ac etiam in una Romana pischeriarum *disc. 134.* ubi de conductoribus cujusdam lacus dicentibus substantiam defectam, vel diminutam esse, stante impedimento introducendi pisces in Urbem ex causa pestis, ac etiam majori accidenti, quod ex eadem causa dispensatum fuerat vesci carnibus, aliisque cibis paschalibus in Quadragesima; Ac idem, quamvis in causa non scriberem, scio disputatum, & decisum in Camera in una Tusculana, in qua conductor macelli pro consueta pensione intuitu magni emolumenti percipi soliti ex concursu incolarum Urbis, & locorum adjacentium ad quasdam nundinas, & festivitates ex dicta causa pestis prohibitas, & nihilominus non probato damno intolerabili, prætensio rejecta fuit, quia vere impedimentum est in fructu, non in causa fructuum productiva, consistente in ipsa potentia, seu jure vendendi, ut in terminis appaltus vectigalium, & similium, quod appaltus consistere dicatur in ipso jure, seu potentia, late probat Larrea *alleg. fiscal. 17. cum pluribus seqq.*

Solidum autem in ista causa Appaltatorum fundamentum consistere putabam in ea particulari circumstantia hujus appaltus salis, quod materiæ usus esse non potest ad luxum, & oblectamentum, sed ad solam necessitatem, quia nemo emit salem, illoque in condiendis cibis utitur, nisi quantum necessitas postulat; Ac etiam quia ejusdem materiæ pretium semper est uniforme, ex accidentibus bonis, vel malis non alterabile, etiam sub pœnis, ut in specie considerat Soccin. *d. cons. 156. num. 9. lib. 2.* Unde propterea quando fit appaltus, est moraliter certum emolumentum inde percipiendum, quia ad pensionem regulandam, tam ex parte locatoris, quam conductoris, habetur ratio ad quantitatem, seu numerum populi, ad cujus verisimilem proportionem pensio constituitur, unde Appaltatoris damnum, vel respective lucrum versari dicitur circa eam variationem, quam præter opinatam verisimilitudinem ipsa veritas, sive rei eventus tribuit, quod nec magnum lucrum, nec magnum damnum importare solet, ac
10 propterea administrationis potius, quam locationis, & conductionis naturam iste appaltus habere dicitur; Neque in eo intrare videntur termini, seu ratio textus *in l. licet, C. locati, & cap. potuit, & cap. propter sterilitatem extra eodem*, quod scil. conductor aleam, seu fortunam conduxisse dicatur, ex qua, sicut ratione sterilitatis, vel alterius mali eventus, damnum reportare potest, ita ratione nimiæ fertilitatis, vel alterius boni eventus, aut alterationis pretii victualium, magnum lucrum obtinere; Ut nedum in conductionibus prædiorum, & bonorum, quæ sunt naturaliter fructifera, sed etiam dohanarum, & vectigalium frequenter practicatur, & contingit; Ideoque sicut in casu fertilitatis, & lucri, locator pensionis augmentum non petit, ita conductor in casu sterilitatis, & damni diminutionem petere non debet, ut æqualis sit contrahentium conditio, atque sentiat damnum, qui lucrum sentire potest.

Hæc autem ratio huic appaltui salis ex supradictis convenire non potest, ut bene ratiocinatur Surd. seu scribens apud eum *dicto cons. 507. num. 6.* cujus auctoritas in hac parte videtur vera, & bene fundata; Et in terminis appaltus transitus salis cum narrativa, seu præsupposito, quod singulis annis tanta modiorum quantitas transire soleat, ut tanta quantitate non transeunte, habenda sit ratio ad faciendum defalcum, supponitur apud Bursatt. *cons. 104.* licet ejus disputatio alios terminos percutiat; Ac etiam, quia, in casu sterilitatis fructuum, istorum valor notabiliter augetur, unde majus pretium supplet illorum minorem quantitatem, quod in sale non est adaptabile.

Aliam item in hac materia considerabam diversitatis 11
rationem, ob quam casus pestis cum terminis sterilitatis illarum rerum, naturaliter fructiferarum, regulandus non venit, ut sæpius in aliis consimilibus controversiis hoc eodem titulo contentis, vel sub altero de locat. dicere solebam, quod scilicet in casu sterilitatis, vitio Cœli, vel naturæ, sperari potest ab eodem Cœlo, vel natura, compensatio damni cum subsequenti nimia fertilitate; Prout impedita in uno anno mercium introductione ex causa belli, vel alio accidenti, potest in anno sequenti fieri duplicata introductio, cum similibus, itaut unius anni damnum cum alterius lucro, & utilitate compensetur, ut in eisdem juribus supra allegatis disponitur.

Hoc autem verificabile non est, ubi damnum provenit ex causa pestis in hac præsertim materia salis, quia diminuto populo ob pestem, sperari non potest, quod in anno sequenti ille adeo crescat, ut major solito quantitas esitetur, cum neque sæculum sufficiat ad resarciendum damnum, quod in populi diminutione pestis infert; Quinimo ubi etiam, non ex causa pestis, sed ex alio accidenti in uno anno consueta salis esitatio impeditur, adhuc populo etiam non diminuto, sperari non potest compensatio damni cum utilitate anni sequentis, quia usus salis, ut supra, non est ad luxum, & oblectamentum, sed ad solam naturæ necessitatem, unde homines, & bruta, quibus anno præcedenti impeditus est usus salis dandi per Appaltatorem, consumere non possunt in anno subsequenti non impedito duplicatam quantitatem; Ideoque huic subjectæ materiæ nullatenus convenire posse dicebam dispositionem, vel rationem dictorum jurium, quorum applicatio vere continere videtur æquivocum manifestum; Quod tamen difficile est judicibus suadere, maxime hodiernis temporibus, in quibus insistitur solum in auctoritatibus, rejectis solidis, & legalibus ratiociniis, quibus doctrinæ passim prævalent, quales illæ sint.

Aderat etiam pactum expressum faciendi defalcum in casu belli divini, vel humani, vel absentiæ Papæ ab Urbe; Unde dicebant Appaltatores, & cæteri pro eis agentes, ex hoc cessare omnem difficultatem, quia cum pactum non debeat esse otiosum, sed aliquid operetur ultra juris dispositionem, opus non est damnum esse intolerabile, sed sufficit tale quale, juxta *consil. Angeli 312. n. 6. & per tot.* ut adnimitur apud Coccin. *dec. 422. num. 11. & 12.* & in terminis appaltus salis, Surd. *dicto consil. 507. num. 2. & 3.* & fusius habetur in Romana defalchi pro Pacinis *de tit. de locat.* Sed ego de viribus hujus motivi dubitabam, stantibus illis verbis pactum qualificantibus, *Conforme sarà di ragione*, ex quibus *cons. Angeli*, 12
non intrare, neque pactum habere suam consuetam operationem, sed attendendam esse juris dispositionem circa damnum intolerabile firmant in specie Mantic. *de tacit. lib. 5. tit. 8. num. 21.* & Tondut. *qu. civili 31. num. 12. & 13.* & nihilominus aliqui pro Appaltatoribus agentes, in illis verbis majus fundamentum constituebant, ac forsan probabile est, quod credentes adhibere majorem cautelam, illam in capitulis appaltus apponi curaverint, ut consuetæ sunt cautelæ inductorum.

Super puncto autem peremptæ, vel diminutæ substantiæ, de quo supra, Camerales ad motivum evitandum insistebant, appaltum non consistere in ipsa salaria, seu jure vendendi salem, sed in ipsis salinis tanquam prædiis fructiferis, & causa salis productiva, quæ semper eadem continuavit, ac produxit fructum consuetum, cujus venditionem, seu corruptionem, vel aliud accidens locator certare non tenetur; Si enim locato prædio productivo tritici, vini, olei, vel aliorum fructuum, conductor percipit fructus consuetos, qui deinde a solo separati distrahentur, seu alias corrumpantur, vel inutiles fiant, non per hoc intrat remissio mercedis, sic a pari.

Verum, nisi leve videbatur istud Cameralium fundamen-

13 mentum, siquidem retroactis temporibus etiam modernia salinæ locari solebant distinctæ a salaria pro satis modica pensione, cum modicus sit earum fructus, seu utilitas naturalis; Inspecto enim valore intrinseco salis, qui in eis fabricatur, detractis expensis in salinarum cultum, & salis fabricatura necessariis; satis modica remanet utilitas; Pensio autem hujus appaltus in adeo notabili quantitate scutorum fere 100. m. juxta consuetum solvitur pro salaria, idest pro eo vectigali, quod exigi dicitur a populis cum intrinseco, & alterato pretio salis, non aliunde habendi, sed de necessitate emendi a Principe, seu cui Princeps dederit.

14 Salinæ siquidem de privato dominio esse possunt, ad text. *in l. forma*, §. *Salinæ quoque*, *ff. de Censibus*, *l. magis puto*, §. *sed & si salinæ*, *ff. de reb. eorum*, *l. generali*, §. *uxori*, & §. 1. *dum quæsivis*, *ff. de usu & usufruct. legat. l. sed & si*, *ff. de public. cum conc.* per Borell. *de præstantia Regis Catholici*, *cap.* 25. *n.* 8. & *seqq.* Altograd. *in appendice ad cons.* 70. *volum.* 1. *vers. plane fol.* 749. Barbosa *l. divortio*, §. *vir n.* 27. *in fine*, *ver. Juxta hæc*, &c. *ff. solut. matrim.* Rosenthal. *de feud. c.* 5. *concl.* 89. *n.* 2. Atque antiquitus quando, juxta dictum Sanazarii, boves loquebantur, cuilibet salem in proprio fundo fabricatum vendere licebat. Principes vero deinde optimum vectigal exinde capere volentes, introduxerunt jus privativum, quod hodie computatur inter regalia *in c.* 1.

15 *quæ sint regalia*, verbo *Salinæ*, sub quo verbo, vere, & proprie non veniunt salinæ materiales, quia hæ etiam privatorum, ut supra esse possunt, sed vel jus exigendi decimam a salinarum privatis, vel verius hoc jus privativum vendendi populis pro pretio sibi bene viso, in cujus pretii alteratione, & de necessitate solvendi, proprie consistit vectigal Principis, qui propterea emere solet a privatis, salinarum dominis, ipsam materiam salis pro vili pretio, & ipse deinde per suos Appaltatores cariori vendit populis, quibus alias, quam ab ejus manibus salem habere prohibetur, ut egregie Barbosa *in d. l. divortio*, §. *si vir*, *n.* 29. & 30. ubi mentionem facit de Constitutionibus Pauli III. & Greg. XIII. ita disponentibus, & Borell. ubi supra *n.* 10.

Et in individuo istarum salinarum prope Hostia Tiberina: eas instituit Ancus Martius Tertius Romanorum

16 Rex, ut salis congiarium populo daret, hoc est donativum de eo faceret; post longum autem temporis intervallum, expulsis Regibus M. Livius Censor, cui exinde Salinatoris nomen datum fuit, introduxit salis vectigal, consistens in dicto jure vendendi alterato pretio, ut ex Livio, & aliis Borell. *d. cap.* 25. *n.* 1. Igitur utilitas non est in ipsis salinis, sed in jure privativo vendendi pro alterato pretio, quod vectigalis speciem habet; Dictumque vectigal esse antiquissimum etiam temporibus Machabæorum habetur *lib.* 1. *Machab. cap.* 10. & *capit.* 11. & ubique reputari tale, habetur late collectum per Solorzan. *de jure Indiarum*, *tom.* 2. *lib.* 5. *cap. unic.* Larrea *alleg.* 77. *n.* 7. & alios.

Quia tamen non expedit cum fisco litigare, consului Appaltatoribus, ut eam, quam possent amplecterentur concordiam; seu pensionis remissionem concorditer faciendam, & ita sequutum fuit.

ANNOT. AD DISC. CV. & CVI.

IN his discursibus, occasione diversarum quæstionum, agitur de materia salis, & salinarum, de qua etiam agitur infra *disc.* 158. & 159. ac etiam infra in Placentina salis *disc.* 168. cum revera omnia videantur coincidere in idem, ac propterea procedi non potest cum solis generalitatibus, cum totum pendeat ex facti circumstantiis, pro diversis legibus, stylis Regionum, vel Principatuum.

TUDERTINA SALIS, PRO COMMUNITATE TUDERTI, CUM PETRO NERLIO APPALTATORE SALARIÆ URBIS.

Casus respective decisus per Cameram pro Appaltatore, postea concordatus.

Subappaltator certæ quantitatis salis singulis annis levandæ, An teneatur ad integrum pretium conventum, quamvis integram quantitatem non levaverit, itaut obstet, necne exceptio rei non traditæ, & de ratione.

Pretium salis per Appaltatorem augeri non potest, & si exigatur in excessu, est restituendum. Et quando excessus, in aliquo loco exigi solitus per Communitatem, dicatur potius gabella Communitativa.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De exceptione rei non traditæ quando venditori non obstet, itaut etiam re non tradita pretium ab emptore consequatur.*
3 *Pretium salis ultra valorem intrinsecum materiæ dicitur importare vectigal, consistens in augmento seu pretio extrinseco.*
4 *Exceptio compensationis admittenda est etiam adversus rem judicatam, & post factam executionem.*
5 *Compensatio concurrente æquitate admittenda est etiam in casibus, in quibus alias non intraret.*
6 *Purgatio attentatorum quando reservetur in fine litis.*
7 *Pretium salis per Appaltatorem augeri non potest.*
8 *Et exactum in excessu est restituendum, & quando augmentum spectet ad Civitatem.*
9 *Pretium salis neque minui potest, & quando intelligenda sit facultas data Appaltatori vendendi salem extraordinarium pretio bene viso.*
10 *Æquitas non est attendenda, ubi juris dispositio resistit.*
11 *Princeps, vel ejus Appaltator habens facultatem cogendi Communitatem ad accipiendum salem non potest ad id per Communitates cogi, & sic necessitas est reciproca.*

D I S C. CVI.

AB antiquo, duorum circiter sæculorum spatio, solita fuit Communitas Todertina sumere subappaltum salis esitandi in ipsa Civitate ejusque Castris, in quantitate rubrorum 500. singulis annis solvenda (juxta subjectæ materiæ naturam) sive salis quantitas levaretur, sive non; sed quia aliqua Castra e dictæ Civitatis jurisdictione exempta, seu dismembrata fuerunt, prætendere cœpit Communitas, nolle amplius de tantæ quantitatis susceptionem teneri. Unde de anno 1657. deventum est cum Appaltatore salariæ ad concordiam, per quam Communitas ad septennium suscepit subappaltum salis pro ejus Civitate, & Castris subjectis pro rubris 360. singulis annis solvendis, sive levetur, sive non, ad rationem scut. septem cum dimidio pro quolibet rubro, quorum scuta sex, importabant tria nova augmenta imposita per Urbanum VIII. reliquum vero pro antiquo vectigali, admixto cum valore intrinseco ipsius materiæ, & cum obligatione Appaltatoris in fine appaltus consignandi, vel deponendi salis quantitatem non levatam; Cum autem in hoc septennio Communitas non levasset rubra circiter mille, per Appaltatorem factis aliquibus intimationibus depositata in quodam horreo, dictique salis non levati prætenderet pretium non solutum a Communitate; Hinc proinde introducta fuit causa in prima instantia coram Thesaurario generali, qui pro Communitate pronunciavit, eo sub fundamento, in quo Communitatis defensores insistebant, quod venditori agenti ad pretium obstaret exceptio rei non traditæ, juxta terminos textus *in leg. Julianus*, §. *offerri*, *ff. de action. empt.* quodque iniquum esset velle consequi pretium, & rem in manibus habere ex iis, quæ habentur in Romana Locationis venæ ferri 6. Julii 1644. coram Verospio, de qua *hoc eod. tit. disc.* 117. Ponderando hujusmodi pacta non esse obligatoria, utpote continentia pœnam de æquitate canonica hodie non exigendam ultra id, quod interest, ut *d. disc.* 117.

Et quamvis ex parte Appaltatoris replicaretur se ex parte sua implevisse, faciendo depositum salis exuberantis in finem appaltus, & quem promptus erat præstare, itaut cessare diceretur dictum inconveniens obtinendi rem, & pretium; Replicabant tamen agentes pro communitate, depositum ob non bene factas intimationes; obque non servata, quæ de jure pro depositorum validitate servanda sunt, haberi pro infecto; Et in hoc, stantibus facti circumstantiis bene dicebant, præsentaneam scilicet oblationem salis non suffragari; Tum quia ob imminutum ejus pretium de mandato Superiorum longe minus valebat, itaut res non esset integra; Tum etiam, quia finito appaltu, cessato consequenter jure privativo vendendi (in quo substantia appaltus, ac fere totum pretium, vel major pars consistere dicitur) sal remanebat inutilis, itaut oporteret projicere, vel illum vendere pro vilissimo pretio intrinseco solius materiæ, ideoque firmum remanebat, solvi debere pretium rei non habitæ.

Introducta vero per appellationem causa in Camera hæc in contraria fuit sententia, atque per binas resolutiones (implicite circumscripta dicta sententia Thesaurarii) pro Appaltatore respondit etiam in processu executivo, non curata vulneratione, regulariter ex sententia absolutoria resultante ob illius insubsistentiam, quam credidit manifestam.

In hoc statu ad Communitatis prædictæ defensionem assumptus, cupiens pro mea informatione, & causæ directione congressum Advocatorum ex laudabilissimo Curiæ stylo frequentem, & vere in causis nimis proficuum, exaggerantibus aliis defensoribus hujusmodi resolutionum injustitiam ob dicta juris clara principia Comunitati assistentia, contrarium Ego sentiebam, resolutiones scilicet videri justas, & bene fundatas.

Licet enim supradictæ propositiones essent de jure verissimæ, difficultatem tamen consistere observabam in applicatione; Illæ siquidem recte procedunt in emptione, & venditione mercium, & rerum habentium de per se valorem intrinsecum, itaut remanentes penes venditorem, illum de æquivalenti ditare dicantur; Secus autem in hujusmodi rebus, quarum valor intrinsecus, nullus, vel satis modicus est, & quæ penes venditores remanentes ei non prosunt, cum pretium consistere dicatur in jure privativo vendendi cum subsequuto effectu venditionis statutis temporibus ex eisdem rationibus, & auctoritatibus, quæ deductæ habentur in dicta Romana locationis, *disc.* 137.

Prædicta enim exuberans quantitas salis remanebat penes Appaltatorem inutilis, solumque ejus intererat quantum importaret solus valor intrinsecus materiæ, quia licet ipse renovato appaltu salariæ cum Camera, ejusdem juris vendendi exercitium continuaret, in hoc tamen reputabatur novus homo, diversus ab eo primo, quem in præcedenti appaltu repræsentabat, itaut esitatio hujus salis pro integro pretio constituto ex vectigali ad commodum Communitatis emptricis, vel sui ipsius tanquam appaltatoris prædecessoris, importaret supplantationem appaltus currentis, atque esset percipere fructus rei conductæ post finitam conductionem ad novum conductorem pertinentis; Et ex qua ratione, ubique terrarum receptum est, in quibuscumque appaltibus rerum mineralium & præsertim frequentius in hoc salis, Appaltatorem finito appaltu, exuberantem materiam amplius vendere non posse intra illam Provinciam, seu ditionem, in qua appaltus consistit, ut non semel. *hoc tit.* & est praxis ubique indubitata.

Idque discurrebam non solum fundari in ratione prædicta, sed etiam in altera, ut pretium salis, quod ultra ejus intrinsecum valorem a populis solvitur, dicatur vectigal, seu onus publicum personale, quod Princeps ab ejus subditis, vel aliis in ejus ditione commorantibus, ita commode, & insensibiliter exigit occasionem hujus victualis adeo
3 humano usui necessarii, ut habetur etiam deductum in Romana Defalchi, seu appaltus pro eodem Nerio *hoc eod. tit. disc. præced.* ubi concordantes auctoritates cumulatæ habentur, & in aliis. Unde quando Communitas dictum subappaltum in certa, & determinata salis quantitate suscepit, aliud in effectu fecisse non dicitur, (prout antecedenter longo continuato tempore consuevit,) nisi se componere cum Appaltatore in eo vectigali, quod per ejus cives, & incolas occasione prædicta (forsan in majori quantitate) solvi debuisset, expediendo ipsi Communitati ejusdem vectigalis diminutam exactionem a singulis facere, ob exactionem alterius oneris Communitativi, quod ipsa in augmento pretii ejusdem materiæ a subditis exigere consueverat, ut infra.

Quibus stantibus inevitabilem remanere dicebam solutionem dicti pretii, tanquam vectigalis, seu oneris illorum annorum, non commiscendi cum alio vectigali, seu onere solvendo in annis sequentibus; Quibus auditis cæteri cum jam dictis regulis generalibus rerum indifferentium procedentes acquieverunt, proindeque conclusum fuit hujusmodi puncti disputationem ulterius prosequendam non esse.

Verum quia eadem Communitas vigore indulti sibi concessi a Summis Pontificibus indicendi pro publicis occurrentiis collectas & onera, pro minori civium, & comitatensium incommodo, ab antiquo consueverat vendere salem ad minutum pro tribus quadrantibus ultra id, quod, vel antiquum vectigal, vel deinde nova augmenta importarent, ex quo majori pretio percipiebatur utilitas singulis annis scutorum mille, & ultra, atque completo dicto subappaltu de anno 1654. ab eo tempore usque ad illud, in quo hæc agebatur, spatio decennii idem Nerius appaltator, cessante ulteriori subappaltu, saltem in dicta Civitate, ejusque districtu vendiderat juxta consuetum pretium, sicut supra per Communitatem alteratum, itaut sic haberet in manibus de bonis Communitatis longe, ultra quam præfatum ejus creditum importabat; Opportunum proinde censui, derelicta priori via, novam aggredi, petendo in eodem Tribunali admitti ad compensationem unius debiti cum altero, cum reconventione ejusdem Appaltatoris ad restitutionem illius pluris; Licet enim Appaltator haberet 4 resolutiones pro consequutione sui crediti in processu exequutivo, & cum ea manu Regia, quæ Appaltatoribus Cameralibus competere solet, adhuc tamen in hoc statu non incongruam dicebam allegationem compensationis, quæ etiam post rem judicatam opponi potest, cum nova sit exceptio impugnativa, sed modificativa, Orthob. *dec.* 235. *nu.* 15. Et quod opponi possit etiam ad effectum satisfaciendi clausulæ, *parito*, Greg. *dec.* 342. *num.* 1. *cum seqq.* Et de ejus admissa oppositione post jam factam exequutionem, Rota in Romana expensarum 15. Decembris 1653. §. 1. coram Bichio,

Fortius concurrente æquitate, ob quam compensatio saltem juris retentionis admittenda est, quamvis alias in stri- 5 cta juris censura non deberet admitti, Gregor. *d. dec.* 342. *nu.* 3. & 4. Zacch. *de oblig. Camer.* q. 18. *nu.* 23. *cum seqq.* Æquitas autem in præsenti dupliciter concurrebat; Primo nempe quod, ut supra Tribunal æquitatem cum actore exercuerat, dando locum processui executivo, quia ex sententia absolutoria declarante viam executivam non competere, de stricta juris censura vulneratus erat, *juxta dec.* 78. *Coccini*, & 42. *Martini Andr. cum concord. in Romana pecuniaria* 5. *Julii* 1665. *coram Bevilaqua*, & *in alia Romana pecuniaria* 19. *Januarii* 1663. *coram Albergato*; Et secundo, quia cum impossibile esset Communitati cum bonis, vel redditibus communalibus solutionem summæ adeo notabilis facere, unde propterea opus esset illam exigere per viam collectæ a singulis; cum maximis totius populi in his calamitosis temporibus, incommodis, molestiis, clamoribus, & scandalis, iniquum dicebam, cum irreparabilibus præjudiciis permittere istum inanem circuitum, dum e converso actor erat ejusdem Communitatis, vel populi debitor in longe majori summa; Unde etiam in rigorosissima attentatorum materia receptum habemus, quod licet illa in primis, & ante omnia, quocumque bono jure non obstante, purgari debeant, nihilo- 6 minus ubi purgatio fieri non potest sine scandalo, vel ubi concurrit paupertas purgare debentis, gustato bono jure admittitur æquitas pro illorum rejectione ad finem litis.

Bonum jus Communitatis in postposito dicebam clarum, quoniam Appaltatori licitum non est alterare pro libito pretium salis, ex deductis in Spoletana salis *hoc tit.* 110. 7 ex jam dicta convincenti ratione, quod non est vendere ipsam mercem pro eo majori, vel minori pretio, quod vel partium conventio, vel rerum, & temporum variæ circumstantiæ exigant, ut contingit in tritico, vino, oleo, & similibus, sed est exigere vectigal, seu gabellam a populo subdito sub occasione necessarii usus hujus victualis; Et ideo cum gabella sit de Regalibus, non imponenda nisi per Principem, illicitum est Appaltatori pretium alterare, cum concessum sibi solum videatur jus exigendi id, quod Princeps locator, seu Camera ejus nomine exigere solita est, tum ex regula, ut semper appaltus concedi censeatur juxta solitum, Cavaler. *dec.* 60. & *frequenter hoc tit.* ad materiam vectigalium, eorumque appaltuum; Tum etiam, quia esset ita cum privata auctoritate novum vectigal indicere, vel consuetum augere.

Multo magis, quia constabat de causa augmenti, quod 8 scilicet Civitas solita per viam subappaltus hujusmodi vectigal a singulis exigere, istud augmentum adjecerit tanquam onus Communitativum, quod alias ab eisdem civibus incolis pro supplendis publicis necessitatibus aliunde solvendum esset, ita ut duplici onere hic populus alias gravaretur.

Et si replicaretur de defectu potestatis in Communitate super augmento pretii in hujusmodi Regaliis Principi reservatis; Ultra repensionem resultantem ex facto centenariæ observantiæ, ob quam cuicumque melior titulus allegari potest; Ponderabam, replicantem convinci posse cum inevitabile dilemmate, quod aut Communitas hujusmodi augmentum imponere potuit, aut non; Si potuit, ergo ad ipsam pertinet, & consequenter eidem restituendum est ab appaltatore quod suum non est exigere; Et

Et si non potuit, ergo fuit gabella indebite exacta, restituenda proinde eidem populo indebite illam solvenő, ex deductis in Romana appaltus gabellæ carnia *hoc eod. tit. disc. 71.* & coosequenter dicebam magis de plano intrare debere compensationem pro evitando vere inani, & adeo incommodo, ac scandaloso circuitu exigendi minutatim a singulis de populo, per viam collectæ, debitum solvendum Appaltatori, qui deiode eandem, & majorem summam pariter mioutatim eidem populo restituere deberet, quod esset impracticabile, ac magnas pareret confusiones.

Assumpta igitur desuper disputatione, Appaltator Ma-
9 gnum constituebat fundamentum io quodam capitulo appaltus, per quod facultas sibi conceditur vendendi salem extraordinarium pro pretio sibi bene viso; Respondebam tamen hujusmodi capitulum loqui de illa emptione, & veoditione, quæ sequeretur ex mere voluntaria partium conventione, io qua cadere potest industria emptoris, vel venditoris, atque unus potest alterum circumvenire, juxta text. *in l. 2. Cod. de rescind. vendit.* ut clare probant illa verba capituli, *per il prezzo che saranno d'accordo*, ideoque intelligendum de venditionibus, quæ fierent non subditis, & extra appaltus limites, seu ditionem; Vel etiam inter subditos; salis extraordinarii, de quo proprie capitulum loquitur, qui sal extraordinarius dicitur ille, qui populi necessitatem, & consuetum usum exuberans, emitur per subditos voluntarie, & ad industriam pro saliendis carnibus porcinis in magna quantitate pro mercatura, vel similiter, itaut esset in utrisque partibus omnimoda libertate emere, & respective venderes necne; Secus autem io sale ordinario, idest consueto, & usui necessario, qui pro certo pretio taxato per ipsum Appaltatorem venditur in publico foro, quia neque hic dicitur sal extraordinarius, neque venditur pro pretio conventionali, sed coacto, cum sola taxa posita per ipsum Appaltatorem, qui si longe majus posuisset, adhuc stante jure privativo, populus coactus fuisset illum emere tanquam victuale humano usui necessarium, unde propterea, ut superius dictum est, istud pretium dicitur potius gabella personalis, quæ per Principem a subditis occasione hujus necessarii victualis exigitur, itaut esset alterare vectigal, vel novum imponere, quod per Appaltatorem fieri non potest, cum hic dicatur Procurator Principis in rem propriam, exigens illud vectigal, quod ipse Princeps vult, & solet exigere, & non ultra; Quæ ratio non militat in eo sale extraordinario, qui venditur non subditis, vel etiam subditos ad industriam, & ex mera facultativa partium conventione, quacumque necessitate cessante, Atque hunc dicebam, cum sensu etiam veritatis, verum ac germanum dicti capituli intellectum a communi totius orbis observantia comprobatum.

Præterea eadem communi observantia suadente, dicta facultas vendendi quamcumque quantitatem salis extraordinarii pro pretio concordando cum emere volentibus, vere in capitulis appaltuum adjici solet in gratiam appaltatorum, ut ita majorem quantitatem exitare possent etiam pro minori pretio, cum in hoc smaltimento vere, & proprie consistat appaltatoris lucrum, quamvis pro dimidiato, vel longe minori pretio, quam vendatur sal ordinarius, seu necessarius populis subditis; Ideoque apponitur hoc pactum ad tollenda impedimenta, quæ alias Princeps locator dare posset, prohibendo hujusmodi venditiones, utpote supplantatores appaltum pro tempore futuro ex iis, quæ habentur deducta in Rom. bulli alearum *hoc eod. tit. disc. 79.* Nonquam vero, nec theorice, nec practice dici potest, quod in vim hujusmodi facultatis licitum esset appaltatori populos suffocare, atque salis pretium pro libito alterare.

Agnoscentes Appaltatoris defensores in prima disputatione, (quæ absque resolutione secuta est) hujus fundamenti insubsistentiam, convolarunt ad alterum refectionis damnorum, per Communitatem sibi debitæ ob non sequutam elitationem consuetæ quantitatis rubrorum 500. vel respective 350. ad quam Communitas juxta longissimam observantiam annor. circiter 200. tenebatur, dum in facto ostendebat ex venditione salis io hoc novennio ad dictam alteratam rationem quadrantium 12. fuisse potius in damno, atque non percepisse illam pecuniarum summam, quam percepturus fuisset, si Communitas ejus risico suscepisset rubros 350. singulis annis, ut antecedenter factum fuerat, sed longe minorem, itaut nullum adesset lucrum, vel excessiva vectigalium exactio, minusque aliquod Communitatis damnum; Et ex hoc fundamento, quod procedendo cum quadam non scripta æquitate, seu naturali discursu, visum fuit subsisteos, prodiit resolutio Appaltatori favorabilis.

Resolutio mihi non placuit, quia ubi juris regulas, & dispositionem habemus, attendenda non est ista non scripta æquitas apud rusticos, & idiotas attendi solita, non autem attendenda per eos, qui judicare debent, prout de jure 10
decis. 243. n. 22. part. 5. recent. 172. nu. 57. & seqq. par. 6. & in aliis per Adden. *ad dec. 28. part. 3. rec. n. 437. & seqq.* Quidquid enim sit de obligatione Communitatis, & an hæc finito præcedenti appaltu cogi potuisset ad suscipiendam suo risico consuetam summam rubror. 350. juxta ultimam conventionem, eorumque pretium solvendi sive exitaret, sive non, ut supra, quod tunc examinandum non fuit.

Attamen hoc erat privilegium Cameræ ejusque Appaltatoris, in cujus facultate positum erat ad id cogere Commu- 11
nitatem, seu econverso ipse ad id cogi non poterat, ex deduct. per Jas. *consil. 117. n. 4. & 3. lib. 1.* Castill. *decis. 207. n. 12. cum seqq. lib. 3.* & conferunt, quæ in similı habentur de pacto resolutivo apud Merlin. *de pignor. lib. 3. q. 7.* Olean *de cess. tit. 7. q. 3. n. 26. dec. 422. par. 4. rec. & in aliis.* Et sic poterat Appaltator uti hac facultate, quatenus voluisset, sed dum usus non est, aliamque viam eligere voluit, sibi patere debebat via, quam elegerat, & ex qua sicuti facere potuisset majus lucrum exitando majorem quantitatem, illudque fuisset suum, ita suum esse debebat damnum, sed non per hoc dici poterat licitum fuisse pretium consuetum alterare. Si enim sibi competente facultate usus esset, atque Communitatem interpellasset ad continuandum solitum, ista sibi consuluisset distribuendo salem per cives, vel alias providendo; Numquam vero jure dici posse videbatur, quod ignarus, & non interpellatus, quinimo videns expressum non usum facultatis sibi competentis teneatur ad damna, & interesse, ad quorum effectum præcise necessaria est mora; Ideoque resolutio nullum habere videbatur probabile juris fundamentum; Nihilominus opus fuit se concordare eo meliori, seu minus malo modo, quo potuit.

FULGINATEN. SALIUM,

PRO PETRO ANGELINO, ET HIERONYMO LILIO SUBAPPALTATORIBUS SALARIÆ FULGINEI.

CUM HONORATO THESAURARIO MARCHIÆ.

Casus disputatus in Camera, sopitus per Concordiam.

Concesso appaltu salariæ cum obligatione præstandi, & respective recipiendi singulis annis certam quantitatem salis consueti, & certæ qualitatis pro certo pretio; Si deficiente sale consueto, tradatur sal diversæ regionis, & qualitatis, An possint Appaltatores prætendere aliquod defalcum, vel interesse ex immutata specie, seu qualitate resultans.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Sal majorem habens mixturam terræ est minoris ponderis, seu operationis.*
3 *In quo consistere dicatur damnum Appaltatoris salariæ, resultans ex mutatione consueti salis, ejusque diversa specie.*
4 *Conventio de præstando salem in genere, censetur juxta solitum, & in genere, seu specie consueta.*
5 *Et ita judicavit Camera.*
6 *Ubi conductori non præstatur implementum, seu usus rei conductæ, si provenit sine culpa locatoris, debetur remissio pensionis damni quale quale sit, & si cum culpa, debetur totalis refectio damni etiam ratione lucri amissi.*
7 *De defalco competente Appaltatori vectigalium, ob istorum immutationem, vel quamcumque alterationem, seu etiam immutationis rumorem, & suspicionem.*
8 *Quando impedimentum conductoris dicatur provenire ex culpa locatoris.*
9 *Dicitur in culpa, ubi non adhibet eas diligentias, ex quibus conductoris impedimentum removeri possit.*

D I S C. CVII.

1 CONduxerunt Angelinus, & Lilius, ab Honorato Marchiæ Thesaurario ad novennium, salarium Fulginei cum obligatione sumendi, & respective præstandi singulis annis 800. mil. libras, seu ut vulgo dicitur 800. miliaria salis per conductores solvendi, ad rationem scutorum 7. cum altero julio pro quolibet miliare, ad quorum solutionem teneri voluerunt, sive habuerint conventam salis quantitatem, sive non; dummodo ex culpa locatoris id non proveniat, quodque salem in fine appaltus, vel non habitum, vel apud eos remansum invenditum, juxta hujus appaltus consuetam naturam restituere tenerentur ipsi locatori, vel alteri in Thesauraria successori, soluto tantum ejus pretio intrinseco, & naturali, quod est quorumdam paucorum juliorum pro quolibet miliare.

In primis tribus, vel quatuor annis, juxta hujus, & fere omnium similium appaltuum naturam conductores integram quantitatem, quinimo neque medietatem levarunt, nec esitarunt, stantibus populorum provisionibus in fine appaltus præcedentis factis; Cum autem inciperent anni boni, in quibus, nedum currentem quantitatem singulorum annorum, sed etiam excrescentem in præcedentibus, ac extraordinariam conductores levare, & esitare sperabant, dedit casus sterilitatem salinarum Cerviæ, unde defecto sale consueto dictarum salinarum, quo fere totus status Ecclesiasticus utitur, opus fuit, ut prævia Papæ licentia, dictus Thesaurarius Marchiæ introduceret salem exterum Barlettæ, illumque subappaltatoribus distribueret, cujus salis longe diversa qualitas magnum causavit consuetæ, ac verisimiliter speratæ esitationis impedimentum, Tum quia utpote magis aridum, minusque terrosum, majorem habet acrimoniam, cum minori quantitate eandem condiendi operationem faciendo, itaut una libra istius salis fere condiret, quantum ducti consueti salis Cerviæ, ex ea clara ratione, quod dum minorem habet terram insulsam, & aquam admixtam, majoris est condimenti, ut in specie observat Rovit. *super pragmaticis in rubr.*
2 *de sale, & salinis, num.* 4. Tum quia populi hujusmodi salis magis asperi usui non assueti, satis dubitantes
3 illum esse præjudicialem ovibus, aliisque animalibus viventibus, ad minus aptum carnibus, caseis, & piscibus saliendis, quo magis fieri potuit, abstinuerunt ab ejus usu; Tum demum, quia ob salis diversam coloris qualitatem, cum iste esset albus, nostralis vero Cerviæ niger, ac similis sali, quo uti solent Principatus, & Provinciæ adjacentes, ista coloris diversitas totaliter prohibuit forenses in notabili quantitate, quamvis clandestine emere solitos, cum ex colore satis de facili convinci potuissent de contraventione, atque subjici pœnis, quæ ubique habentur adversus introductores salis exteri, & ab alio ementes, quam a proprio Principe, vel abeo, quem Princeps in loco deputavit.

Hinc finito appaltu, prætendente locatore solutionem pretii pro integra conventa quantitate, quamvis juxta formam pacti non levata; E converso autem prætendentibus conductoribus, non solum a solutione salis non habiti excusari, sed actionem habere adversus locatorem ad interesse pro eo lucro, quod in venditione conventæ quantitatis fecissent, si consueta salis qualitas nostralis continuata fuisset; Introducta causa in Camera, locator fundatam dicebat ejus intentionem in conventione clara, quam adimplevisse dicebat, dum ejus obligatio erat consignandi tantum salem in genere, absque alicujus speciei restrictione, ideoque suæ obligationi satisfecerat præstando idem genus, quod erat in obligatione.

Pro conductoribus autem scribens, dicebam conventionem, quamvis generice de sale loquentem, omnino intelligendam esse de nostrali consueto Cerviæ; quo & non alio populi, & Appaltatores uti solent, ac debent, privative ad quamcumque aliam speciem, etiam sub gravibus pœnis
4 ex Constitutionibus Pauli III. Gregorii XIII. & Clement. VIII. de quibus duabus primis mentionem facit Barbos. *in l. divorti.*, *§. si vir*, *num* 29. *&* 30. *ff. solut. matrim.* ideoque appaltus censetur factus juxta solitum, & eo modo, quo de pretio est consuetum, Cavaler. *decis.* 60. *num.* 4. Bursat. *cons.* 190. *num.* 37. & cæteri ad materiam gabellarum non semel hoc eod. tit. deducti.

Ideoque cum a sæculo, citra alia, salis species cognita, vel usitata non haberetur, quinimo sub gravibus prohibitionibus, & pœnis, neque haberi posset; Hinc certum videbatur de alio partes non sensisse, tum ex dicta regula, quod appaltus censeantur facti juxta solitum, tum ex alia, quod omnes actus, & conventiones censentur rebus in eodem statu permanentibus, ac etiam, quia nunquam censetur deductum in contractum id, quod continet delictum, & gravis pœna incursum, prout est introductio salis exteri, & diversæ qualitatis, ut in specie, quod contractus initus super traditione salis intelligatur de illo Cerviæ, utpote solito, Surd. *cons.* 563.

Atque super hoc, Camera nullam habuit difficultatem, 5
sed concorditer judicavit partes intellexisse de sale nostrali consueto, unde deputavit peritos ad referendam differentiam inter unam, & alteram speciem, & quanti interesset conductoribus dictam immutationem sequutam esse, mandando interim supersederi in paghis.

Qua resolutione sequuta, dum peritorum judicium pendebat, assumpta disputatione super effectibus ex dicta variatione resultantibus, de duobus tractari contigit. Primo nempe, an conductoribus competeret defalcum pensionis, seu conventi pretii pro rata non factæ esitationis ex dicta causa. Et secundo, an eisdem competeret actio ad totale interesse etiam pro lucro, quod in diminutis venditionibus fecissent, cum in jure privativo vendendi, & in utilitate ex hujusmodi venditione resultante consistat substantia hujusmodi appaltuum, justa punctuale *consil.* 156. *Soccin. lib.* 2. cum aliis in discursu proxime præcedenti.

Quoad primum, etiam cum sensu veritatis, nullam ca- 6
dere dicebam difficultatem super conductorum instantia, quia ubi conductori non præstatur implementum, ac libere, & consuetus usus rei conductæ, sive proveniat a casu, sive a facto tertii, vel alias quomodocumque, etiam sine culpa, & facto locatoris, certum est pensionis remissionem intrare pro parte deficiente, quia sic deficere dicitur substantia rei conductæ, sive præstatio patientiæ; Accedente vero culpa locatoris, non solum intrat remissio pensionis, sed actio ad interesse etiam ratione lucri, ut ex magistrali theorica Bart. firmant in terminis individualibus appaltus salis, Soccin. *d. consil.* 156. *lib.* 2. & Anchar. *consil.*
414. Et in consimilibus terminis appaltuum aliorum vecti- 7
galium, Alberic. *in rub. Cod. de vectigalib.* & plenius *in tract. de statut. quæst.* 123. & Rota *cons.* 285. post Pacific. de Salv. ubi de appaltatore vini obtinere debente remissionem ex immutato consueto statu, quia impositum sit novum onus, ob quod consueta vini quantitas vendita non fuit; Et de Appaltatore macelli, seu gabellæ carnis ob novi oneris impositionem, & consueti status immutationem Eugen. *consil.* 50. *lib.* 1. & Anna senior *allegat.* 21. qui fortius firmat in his materiis sufficere solam famam, seu rumorem novi oneris, vel alterationis consueti status, quamvis deinde non sequatur effectus, quia solus rumor Appaltatori notabiliter præjudicat, ut quotidiana experientia docet; Et in terminis Appaltatoris gabellæ farinæ, Marcian. *consil.* 7. *tom.* 2. Atque in hoc primo puncto Camera pro conductoribus sentiebat, quia iniquum esset, nedum privari lucro, sed absque propria culpa sentire debere damnum solvendi id, quod haberi non potuit.

Et quamvis locator diceret, quod qui præstare tenetur deterius, longe magis ejus obligationem explicare dicitur, præstando melius; Facili tamen negotio replicabam, meliorem qualitatem respectu conductorum consistere in deteriori, ex qua resultat major esitatio, ut habetur fusius in Urbinat. pretii salis *hoc eod. tit. disc.* 111. *seu* 114. quia quo magis sal est bonus, & perfectus, magis condit, ideoque minor quantitas venditur, & in hoc consistit damnum Appaltatoris, cujus utilitas in majori venditione consistit, ob illud extrinsecum pretium, resultans a privativo jure vendendi, in quo consistit appaltus, ut per Soccin. *dicto consil.* 156. *lib.* 2.

Difficultas igitur tota residebat in secundo puncto, an scilicet conductoribus competeret actio ad interesse passum, etiam ratione lucri, cujus decisio attenta magistrali, ac recepta distinctione Bart. *in leg. si uno*, *§. item cum quidam*, *ff. locat.* de qua in his terminis salis non tradito habetur in Ferrarien. salis pro Rimbaldesio *hoc eodem tit. disc.* 109. Pendebat ab eo, an conductoris impedimentum, seu implementum a locatore non præstitum, provenerit a casu fortuito, seu facto tertii, cui locator providere non poterat, vel potius ab ipsius locatoris culpa, seu alterius facto, cui locator poterat providere, ut primo casu intret solum remissio pensionis, neque aliud a conductore prætendi possit, secus autem in secundo, in quo recte con-

ductor

ductor actionem habet adversus locatorem ad interesse, non solum ratione damni passi, sed etiam lucri amissi, ut apud allegatos, & bene *d. dec.* 285 post Pacificum de Salriano, ideoque tota quæstio versabatur in facto, & super dictæ distinctionis applicatione.

Dicebat enim locator, sterilitatem salinarum Cerviæ, utpote provenientem, vitio Cœli, seu naturæ, casui tribuendam esse, ut habetur in Cervien. seu Ravennaten. *disc. seqq.* Et quatenus etiam negligentiæ, & malæ culturæ tribui posset, non per hoc tamen ipsi culpæ tribuendum erat, cum dictarum salinarum administratio, & cultura non incumberet Thesaurario Marchio locatori, sed Thesaurariis Æmiliæ, seu Romandiolæ, certam salis quantitatem præstare obligati Thesaurario Marchiæ pro hujus Provinciæ usu.

8 E converso, conductores non ex hoc locatoris culpam deducebant, sed ex eo, quod cum ex Thesaurariæ capitulis haberet in facultatibus, in casu deficientiæ hujusmodi salinarum, se aliunde providendi de salis quantitate necessaria, seu consueta, non debebat ob aviditatem lucri facere hujusmodi provisionem de sale *Barlettæ* in Apulia, omnino diversæ qualitatis, utpote vilioris pretii, vel minoris impensæ in conducendo, sed providere de sale *Paghi* in Dalmatia, quod est nostrali simillimum, ac ejusdem fere qualitatis, sive ab aliis locis, ubi consimile reperitur:
9 Unde propterea dicebantur in culpa non faciendo diligentias, quibus adhibitis, impedimentum conductoris removeri poterat, ut in his terminis appaltus salis, pro conductore contra locatorem late deducit Soccin. *disc.* 156. *lib.* 2. Rigorosa tamen, & exorbitans videbatur, nedum Cameræ, sed etiam mihi licet eorum Advocato hujusmodi conductorum prætensio, præsertim quia provisio salium *Barletta*, de Superiorum etiam consilio, & consensu, fuit universalis, etiam per Thesaurarios Romandiolæ pro aliis Provinciis, & locis ex salinis Cerviæ provideri solitis, sed non fuit opus de his disputare, quia ex compromisso inito in ipsos partium Advocatos sequuta est concordia.

CERVIEN. SEU RAVENNATEN. REMISSIONIS PENSIONIS,

PRO LUCATELLIS, ET MAJOLIS JAM THESAURARIIS ROMANDIOLÆ,

CUM CAMERA APOSTOLICA.

Casus sopitus per Concordiam.

De remissione pensionis facienda Appaltatori salinarum, ob istarum sterilitatem, unde consueta salis quantitas percipi non potuit; Et quando hujusmodi sterilitas casui, vel potius Appaltatoris culpæ tribuenda sit.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Attestationibus magnatum, & Cardinalium ob excellentiam dignitatis est deferendum.*
3 *De contingibili salinarum Cerviensium sterilitate.*
4 *De distinctione Bartoli circa actionem competentem conductori impedito inter impedimentum culposum, & casuale.*
5 *Quando dicatur deficere, vel impediri substantia rei, vel potius damnum esse in fructu.*
6 *Appaltus distributo pretio in singulos annos, an dicatur importare locationem, vel venditionem. Distinguitur.*
7 *Locator non tenetur conductori de non implemento, seu non præstatione illius rei, quam est in facultate conductoris accipere, ac habere potest a seipso.*
8 *Non sunt adhibenda diligentiæ verisimiliter non profuturæ.*

D I S C. CVIII.

1 Thesaurariæ generali Provinciæ Æmiliæ, vulgo *Romandiola* nuncupatæ, annexus esse solet appaltus salinarum Cerviæ, Cesenatici, & Comacli, sub suo tamen censu separato cum propriis, & separatis capitulis, inter quæ illud in appaltu concesso cum dicta Thesauraria Lucatellis, & Majolis continetur, quod ubi ob malam temporum qualitatem non fabricaretur consueta quantitas salis, neque Camera aliunde suppleret usque ad summam saccorum 57. m. in singulis annis, diminui debeat census pro rata salis deficientis; Unde cum de annis 1650. & duobus sequentibus ob maris tempestates, temporumque intemperiem, dictæ salinæ Cervienses omnino steriles effectæ essent, itaut fere nulla quantitas salis ex eis percipi potuerit; Petebant idcirco dicti Appaltatores a Congregatione Camerali in computorum solidatione defalcum, seu bonificationem census ex dicta causa, dictæque petitioni de more contradicentibus Cameralibus, pro dictis Thesaurariis scribens dicebam, omnino indebitam esse oppositionem.

Salinarum enim sterilitas notoria erat, ac etiam probabatur per attestationes Cardinalium Donghi, & Cibo, qui 2
fuerant in ea Provincia Legati, quibus ob conspicuam qualitatem, & dignitatis excellentiam deferendum erat, ut *dec.* 181. *nu.* 14. & 15. post Zacchiam *de obligat. dec.* 594. *nu.* 16. *par.* 5. *rec. decis.* 92. *part.* 10. *rec.* & sæpius, præsertim cum ageretur de re verisimili, & contingere solita, 3
ut de alia earumdem salinarum sterilitate habetur apud Surd. *cons.* 653. *post. n.* 5. *vers. secunda excusationis causa &c.* & comprobari dicebam ex eisdem capitulis expresse providentibus de isto casu præviso, utpote contingibili, & contingere solito.

Quo posito, ex recepta distinctione Bart. quam cæteri communiter sequuntur *in l. si uno, §. item cum quidem, ff. locati*, & de qua in puncto appaltus salium, Soccin. *cons.* 156. *lib.* 2. & Surd. *cons.* 507. dum rei conductæ usus ex 4
casu impeditus fuerat, quamvis conductori non competat actio ad interesse, prout competeret, si culpæ locatoris casus adscribi posset: competebat tamen exceptio diminutionis pensionis, præsertim quia ad tollendam omnem juris ambiguitatem, id expresse conventum fuit per pactum, per quod etiam in terminis consuetis remissionis pensionis, juxta terminos textus *in cap. potuit, & cap. propter sterilitatem extra locati*, cessat omnis dubietas juxta cons. Angeli 312, & aliorum traditionem admissam apud Coccio. *decis.* 432. atque habetur sæpius deductum in hac materia defalchi *hoc eod. tit.* præsertim *disc.* 65. & in altero *de locato, disc.* 1.

Et clarius dicebam, procedendum non esse cum terminis consuetis remissionis, faciendæ ex causa damni obventi in fructibus; juxta dictorum jurium dispositionem, quia in alio capitulo de hoc impedimento fructuum exitatione, sive impedimento ex causa pestis, belli, vel alia, expresse & distincte conventum fuit; unde per partes agnitum fuit in isto casu tractari de peremptione, seu deficientia substantiæ.

Licet enim ex alias hoc titulo deductis, substantia tunc proprie perire, seu deficere dicatur, quando deficit, vel 5
impeditus est usus ipsius causæ productivæ fructuum; secus ubi ex accidenti impeditur, vel diminuitur effectus ipsius causæ, ipsa nempe fructuum perceptio, firma remanente ipsa causa productiva, ut in præsenti pro ratione deputandi dici posse videbatur, dum sterilitas solum consueti fructus perceptionem impedierat, eo modo, quo in vinea, vel alio prædio, vitio Cœli antiquo, anno, vel tempore, siccitas, inundatio, vel imbres consuetam fructuum perceptionem impedire solent; Nihilominus in præsenti procedendum erat cum terminis deficientis substantiæ, vel quia ita partes ex conventione agnoverunt, ut supra, vel etiam quia, in effectu locatæ non erant salinæ ad integrum fructum percipiendum, eo modo, quo locatur vinea, vel ager, cujus integer fructus a natura productus conductoris commodo, & utilitati cederet, quo casu conductor futuram aleam, seu fortunam emisse dicitur, itaut quemadmodum ex naturæ beneficio, & liberalitate, magnum lucrum in casu fertilitatis consequitur, ita ex ejusdem naturæ defectu damnum sterilitatis patiatur, juxta regulam text. *in l. secundum naturam de regulis juris.* Et ex qua ratione denegatur conductori remissio pensionis ob damnum sterilitatis in fructibus, nisi esset intolerabile.

Non tamen ita est in præsenti conductione, quia si in casu fertilitatis, salinæ magnam salis quantitatem producerent, non possunt Appaltatores in proprios usus convertere, nisi dictam præscriptam quantitatem saccorum 57. mil. reliquum vero, detractis expensis culturæ, & fabricationis, cedit juxta formam Capitulorum commodo Cameræ, quæ reponere, & conservare solet in horreis, seu conservis, ut in aliquo salinarum accidente, populorum necessitati consuleret, donec aliunde provideret. Igitur nulla ratio patitur, ut qui commodum fertilitatis sentire non debet, sterilitatis incommodo subjaceat.

Atque licet ob distributum pretium in singulos annos, 6
ex magis recepto Doctorum sensu, hujusmodi appaltus

fonent in locationem magis, quam in venditionem juxta dictum punctuale cons. 156. Soccini, locatio tamen potius residere videtur in jure administrandi salinas, & privative ad quoscumque vendendi, seu distribuendi dictam salis quantitatem, sed respectu ipsius materiæ videtur potius species emptionis, & venditionis, quod scilicet census sit pretium dictorum saccorum 57. mil. cum privilegio dicti juris privativi, itaut intrent termini rei non traditæ per venditorem emptori, ut pro rata ejus, quæ non traditur, dummodo non ex ipsius emptoris facto pretium solvendum non sit, cum declarationibus tamen, de quibus in Romana locationis Venæ ferri hoc titulo ad materiam mineralium, *disc.* 117.

Ponderabantur hæc, concernentia materiam defalchi, non quod in illis annis, in quibus fuit sterilitas, damnum non esset intolerabile, cum fuerit fere in totum, sed ad tollendam Cameralium prætensionem, super totius novennii, quo appaltus durat, peræquatione, ut scilicet compensata utilitate omnium annorum fertilium, inspiciatur an singuli remaneant ita damnificati, quod dici posset damnum intolerabile, de quo peræquationis, seu compensationis puncto particulariter habetur *d. disc. 65. & in aliis hoc eod. tit.*

Prætendebant Camerales sterilitatem adscribendam esse ipsorum Appaltatorum culpæ, ob minus diligentem salinarum culturam, sed de facili objectum remotum fuit in facto, cum attestationibus dictorum Cardinalium Legatorum ac depositionibus multorum testium peritorum; Quas probationes dicebant adminiculatas esse ex solito, dum novum non est, hujusmodi salinas ex temporum intemperie his accidentibus subjectas esse, ut habetur apud *Surd. d. consil.* 563. Unde Camerales ad aliud objectum recurrebant, quod cum in appaltu continerentur non solum salinæ Cervienses, sed etiam Cesenatenses, & Comaclenses debebant in istis, illis impeditis, adhibere diligentias, ac necessariam salis quantitatem fabricare; cum locator non teneatur pro ea re non tradita, quam conductor ex lege conventionis
7 sibi ipsi præstare debet, ac per se stat, quominus recipiat, ut in hujusmodi mineralium materiis deductum habetur in dicta Romana locationis Venæ *disc. 117. & alibi*,

Sed facilis etiam erat responsio cum solo facto, quod scilicet, quamvis salinæ Cesenatici, & Comacli juxta antiquorum capitulorum formam venirent sub hoc appaltu, consuetudo tamen dedit eas non fuisse coli solitas, itaut adeo steriles, & incultæ effectæ essent, quod nonnisi magno sumptu ad priorem formam reduci possent, & adhuc inutiliter pro primis annis, unde diligentiæ fuissent ina-
8 nes, propterea non adhibendæ, quia non tenetur quis adhibere diligentias verisimiliter non profuturas; ut bene in his proximis terminis *Surd. dec. 87. n. 9. & seqq.* Magon. *dec. Flor. 67 n.* 22. quinimo fuisset se exponere verisimili, ac probabiliter certo periculo, seu damno magnorum sumptuum inutilium, quia cum dictæ aliæ salinæ eandem haberent situationem, nec adsit aliqua promontorii diversitas, ob quam dici posset, quod tempestates maris unas devastantes, alias immunes relinquerent, itaut causa casus, seu sterilitatis esset omnibus æqualis, utique fatuitas fuisset, videndo ex eadem causa effici steriles salinas uberiores, & bene cultas, assumere colendas dum magno sumptu incultas, naturaliter steriliores, & eidem infortunio pariformiter subjectas; quia tamen in dictorum computorum solidatione, pleræque aliæ aderant controversiæ, idcirco pro omnibus deventum fuit ad satis honestam concordiam, cum cujus medio consuetudo est, fere omnes controversias inter Cameram, & Appaltatores terminari; Habita tamen fuit ratio quasi ex integro hujusmodi remissionis, cujus petitio vere justa, & fundata videbatur.

FERRARIEN. SALIS,

PRO FRANCISCO RINBALDESIO APPALTATORE GENERALI FERRARIÆ,

CUM CAMERA APOSTOLICA.

Casus decisus per Congregationem Computorum pro Appaltatore.

Obligatio præstandi Appaltatori certam quantitatem salis ex consuetis salinis an dicatur stare taxative, vel demonstrative, itaut dicatur obligatio speciei, vel generis: Et locatore non adimplente, ad quid erga conductorem teneatur, An scilicet ad solam remissionem pensionis, vel etiam ad interesse, & quatenus istud prætendi possit, An debeatur solum interesse intrinsecum, vel etiam extrinsecum, & quale.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione Bart. super actione competente conductori impedito uti re locata.*
3 *Ubi impedimentum est culpa locatoris, competit actio etiam ad lucrum amissum.*
4 *Debitor speciei perempta specie liberatur, nisi peremptio sit ex culpa, sed debitor generis non liberatur.*
5 *Promissio salis in genere, intelligitur tamen de consueto.*
6 *Princeps prohibens subditis salis fabricationem, vel provisionem, tenetur eos providere, & non excusatur ob sterilitatem, vel aliud impedimentum suarum salinarum.*
7 *Princeps tamquam subditorum pater, & Reipublicæ maritus, tenetur providere de victualibus, & aliis humano usui necessariis.*
8 *Culpa officialium, & ministrorum tribuenda est proponenti.*
9 *Distinguuntur species interesse, & quale sit extrinsecum, vel intrinsecum.*
10 *De pretiorum variatione, & quando dicatur invariabile.*
11 *In rebus, quorum pretia alterationem non recipiunt, interesse intrinsecum dicitur totum illud, pro quo vendi solent.*
12 *Pretium intrinsecum salis, respectu Appaltatoris dicitur etiam illud, quod provenit ex augmento extrinseco ratione regaliæ.*

D I S C. CIX.

AD tollendam dissensionum occasionem inter Sedem 1
Apostolicam, & Duces Ferrariæ super usu salinarum Comacli, & salis fabricatione in eis, vel aliis dictis Status Ferrariæ locis facienda, inita fuit conventio sub Julio II. ac deinde sub Adriano VI. per quam promisit Camera Apostolica singulis annis providere dictum Ducem, a prædicta salis fabricatione abstinentem; sed sale sibi, & ejus populis necessario, in quantitate saccorum 20. m. per Thesaurarios Romandiolæ gratis ex sale fabricato in salinis Cerviæ præstanda; Devoluto autem dicto Statu, ejusque possessione per Sedem Apostolicam adepta sub Clemente VIII. omnes publici, & fiscales redditus vectigalium, aliorumque jurium, inclusis etiam Vallibus, seu Pischeriis Comaclensibus, in appaltum per Cameram Apostolicam dari consueverunt conductori, qui nuncupari solet Appaltator generalis, cui, in capitulis Appaltus, Camera pro fornitura, seu usu Civitatis Ferrariæ, & aliquorum locorum adjacentium, promisit dare gratis singulis annis saccos 5. mil. salis, declarando esse quartam partem illorum saccorum 20. mil. qui Ferrariæ Ducibus, ut supra præstari solebant, cum facultate illum populis vendendi, seu distribuendi pro certo pretio inalterabili in tabellis præscripto; Necnon pro saliendis piscibus Comacli, illiusque Civitatis usu, præstare alios saccos 2000. soluta quadam modica summa Thesaurariis Romandiolæ pro valore materiæ.

Concesso autem dicto appaltu de anno 1659. pro annis novem cum dimidio Francisco Ribaldesio cum consuetis capitulis, præsertim supradicto præstationis dicti salis per dictos Thesaurarios Romandiolæ ex salinis Cerviæ juxta solitum faciendæ; Cum ob dictarum salinarum sterilitatem in primis tribus subsequentibus annis, Appaltator prædictus, non obstantibus diligentiis, ac protestationibus tam contra dictos Thesaurarios, quam contra eandem Cameram, integram solitam quantitatem habere non potuisset, itaut usque ad mensem Augusti anni 1653. (quando idem Appaltator, ut populorum necessitati consuleret, non sine labore obtinuit facultatem se providendi propria auctoritate de sale extero) deficerent ad integrum implementum sacchi 4000. circiter; Idcirco in redditione, seu solidatione computorum, petiit ex censu, seu pensione scut. circiter 100. m. singulis annis pro dicto appaltu debita, defalcari pretium dictæ ratæ salis non traditi, in summa scut. circiter, 13. mil. Cui petitioni se opponentibus de more Cameralibus, assumpta desuper disputatione in Congregatione Computorum.

Dict-

Dicebant Camerales, quod cum deficientia provenerit a fortuito casu sterilitatis salinarum ex maris tempestatibus,
2 seu aeris intemperie resultantis, ad aliud Camera teneri non debebat, nisi ad se abstinendum ab exactione pensionis, seu pretii, per Appaltatorem alias pro re tradita solvendi, si traditio sequuta esset; cum actio ad interesse solum intret, ubi ex culpa locatoris implementum non sequitur, juxta magistralem, & receptam distinctionem Bart. *in l. si uno, §. item cum quidam, ff. locati*. Unde cum pro sacchis 5000. præstandis pro fornitura Ferrariæ, Appaltator nihil solvisset, quia dantur gratis, & pro aliis sacchis 2000. Comaclis solvendum esset quid modicum, sufficere debebat Appaltatori se non constitui debitorem de eo, quod alias ex dicta causa solvere debuisset.

Pro Appaltatore autem scribens dicebam, quod admisso etiam, dictarum salinarum sterilitatem non fuisse culposam, sed casualem, adhuc tamen Camera locatrix dice-
3 batur in culpa, qua concurrente, ex eadem recepta theorica Bartoli, tenebatur nedum ad remissionem pretii, seu pensionis, sed ad totale interesse etiam ratione lucri amissi, ut in individuo Appaltatoris salium Marchiæ cum Camera Soccin. *concil. 156. lib. 2.* & in terminis Appaltatoris gabellæ vini Urbis, cui ex facto Cameræ locatricis defectum est in implemento promissorum, est bona *decis. 285.* post Pacificum de Salviano, ubi de reficiendo interesse etiam ratione lucri.

Culpam vero dicebam incontrovertibilem, quia promissio
4 præstandi dictam salis quantitatem non erat præcise restricta ad speciem salium Cerviæ, itaut esset obligatio speciei, qua perempta, regula est, debitorem liberari, sed erat obligatio generis, quod nunquam perit, cum tamen etiamsi obligatio esset speciei, ejus peremptio data culpa non liberet, ad text. *in l. si ex legati, l. inter stipulantem, §. sacram, & l. ubi autem, §. illud, ff. de verb. oblig. cum concord.*

Et quamvis stante usu propriarum salinarum, ex quibus solum, & non aliunde ista salis quantitas semper præstari solita est, Cameræ promissio intelligenda veniat de hac spe-
5 cie solita, ut in individuo ratiocinatur, & firmat Surd. *cons. 563. n. 14 & habetur disc. præced.* Hoc tamen verum dicebam ad effectum, ut Appaltator recusare non posset hanc salis speciem, neque aliam, ista existente, prætendere posset, secus autem ad effectum inducendi promissionem taxativam ad istam speciem, itaut ea perempta liberetur; Quidquid enim sit de subsistentia opinionis Surdi loco citato in casu suo, in quo tractatur de obligatione cujusdam privatæ personæ, verisimiliter ex facti circumstantiis ad hanc speciem taxative restricta; In casu nostro id asseri non poterat ex diversa facti qualitate.

Cum etenim salis usus, hominum, ac aliquorum animalium victui sit præcise necessarius, atque Princeps sub
6 rigorosissimis pœnis, populis sibi subditis prohibeat hanc speciem fabricare, vel aliunde sibi providere, quam ab ejus manibus privative ad quoscumque, Utique de necessitate resultat ejusdem Principis obligatio, eosdem subditos providendi de hac specie per ipsum prohibita, & usui adeo necessaria, cum alias nimis iniquum, & humanæ rationi contrarium esset, ut Principi licita sit dicta prohibitio absque
7 hujusmodi correspectiva obligatione, dum etiam dictæ prohibitionis particulari ratione cessante, adhuc generaliter Principi tanquam subditorum patri, & Reipublicæ marito necessitas incumbit, ubi victualium, & rerum humano usui necessariarum penuria occurrat, aliunde providere, quoniam correspective ad hanc obligationem, vectigalia, tributa, obsequia, & alia jura a subditis exigit, arg. text. *in l. 1. C. ut nemini liceat in emptione specierum, lib. 10.* & aliis allegatis, Tusch. *in verbo Princeps, concl. 679. n. 17.* Capoblanc. *de Baronib. pragm. 1. num. 185.* & habetur in Spoletana gabellæ *disc. 44. ac in aliis hoc tit.* Et sic culpam consistere dicebam in eo, quod cognita salinarum accidentali sterilitate provisum non fuerit de sale aliunde, maxime quia istam obligationem recte agnoscunt Constitutiones Apostolicæ de hac salis materia loquentes, præsertim ultima Clem. VIII, *inter suas la 49. §. 3.* ac etiam ejusdem Appaltus salinarum capitula, in quibus prævisso casu sterilitatis, disponitur de providendo sale aliunde.

Dabam in hoc, exemplum practicum de habente cauponam in regione unicam, cum prohibitione, tam conductori, quam loci incolis, emendi aliunde vinum, quam illud, quod ex consuetis vineis domini in dicta caupona vendi solet; Si enim illius dominus eam in appaltum concedat cum dicto jure privativo, & cum obligatione præstandi singulis annis, vel mensibus certam vini quantitatem, utique obligatio intelligitur de vino, quod ex domini vineis colligi solet, quod appaltator recusare non potest; Sed si ob dictarum vinearum sterilitatem vinum non colligatur, non inde tamen inferri potest locatoris obligationem remanere solutam, tam erga appaltatorem, quam erga illum populum, aliunde de hujus necessarii victualis specie se providere prohibitum.

Et quamvis ex parte Cameræ replicaretur, hujusmodi vere inevitabilem culpam non providendi de sale aliunde, non sibi adscribendam esse, sed Thesaurariis Romandiolæ, quibus utpote salinarum Appaltatoribus in eorum Capitulis datum erat in commissis, Replicabam tamen, quod quidquid sit de hujusmodi Appaltuum obligatione, de qua Cameræ ipsis videret; Ad nostrum tamen Appaltatorem non pertinebat de his inspicere, cum ipse cum Camera contraxisset, ejusque obligationem suscepisset, ac fidem sequutus esset, acceptando solum conventi traditionem a dictis Thesaurariis, tamquam ipsius Cameræ officialibus, & ministris, quorum proinde culpa eidem imputanda erat, ad text. *in l. si servus servum, §. si fornicarius, ff. ad l. aquiliam, l. videamus, ff. locato, l. nullus, & l. neminem C. ad Decurionibus*, in quibus juribus clare probatur, dominum teneri de facto famuli, sive præponentem de culpa præpositi, & sequuntur communiter DD. de quibus plene Fariuac. *q. 110.* Rovit. *d. 99.* Greg. *dec. 233. n. 1. & per tot.* Othob. *dec. 202. n. 9. & seqq. & ceteri*; Atque in specie satis conferunt deducta per Socc. *d. cons. 156. lib. 2.* ubi firmat, Cameram locatricem teneri erga Appaltatorem salis de culpa tertii, ab eadem Camera causam habentis, vel quem prohibere potest.

Licet autem hæc in puncto juris vera videantur, itaut in
controversia inter duos privatos probabiliter conductor to- 8
tale interesse, etiam lucri amissi juxta dictam Bart. distinctionem, prætendere posset; Attamen ex prudentialibus motivis ad computorum solidationem facilitandam, ex omnium pro Appaltatore scribentium consilio, suspensa prætensione, quam ratione culpæ Appaltator habere posset super totali interesse etiam extrinseco lucri amissi, restricta fuit prætensio ad solum interesse intrinsecum, seu remissionem illius ratæ census, vel pensionis, quæ correspective ad hanc salis traditionem solvebatur, perinde ac si non implementum a casu, non autem a culpa provenisset.

Prætendebant Camerales, juxta supradictam Bartholi theoricam, ad aliud non teneri, nisi ad interesse, seu pretium intrinsecum salis, quod consistere dicebant in illis quatuor, vel quinque juliis, qui ob fabricaturæ, & custodiæ expensas salinarum Romandiolæ Thesaurariis pro rata saccorum 2. m. salis Comacli solvuntur, quasi quod istud sit ipsius promissæ materiæ pretium intrinsecum; Verum hujusmodi prætensionem nimis injustam, minusque fundatam dicebam.

In hac enim materia interesse, aliud est illud extra rem, 9
seu ut alii dicunt extrinsecum, & accidentale, aliud vero intra rem, quod alii dicunt intrinsecum, & naturale; Illud extra rem, quatenus ad hanc speciem pertinet, exemplificari posse dicebam in eo majori lucro, quod Appaltatoris industria, & diligentia reportare poterat in vendendo salem exteris, cum quibus certam taxam præscriptam non habebat, sive in eo lucro, quod facere potuisset in carnibus, vel piscibus sale conditis, tanquam per speciem mercaturæ, & industriæ, quam ex non implemento locatoris exercere non potuit, & hoc est illud interesse, quod non venit, nisi in casu culpæ; Illud vero intra rem, in cæteris speciebus, & victualibus, prout sunt frumentum, vinum, oleum, & similia, dicitur incertum, & variabile, utpote
pendens a majori, vel minori æstimatione juxta temporum 10
varietates, & accidentia, sive juxta venditoris industriam, ad notata per scribentes, præsertim Rebuff. & Caball. *in l. unica, C. de eo quod interest*, & alios ductos *dec. 304. p. 9. rec.* ubi bene his terminis interesse discurritur, itaut necessaria sit liquidatio.

Sed in his materiis habentibus a publico pretium determinatum, & uniforme, illud dicitur certum, & invariabile, utpote pendens a Principis taxa nunquam variabili, itaut temporum varietates, & accidentia, vel hominis in-
dustria nihil operentur, nullamque causent alterationem, 11
ideoque absque alia liquidatione, totum id, pro quo vendi potuisset quantitas salis non traditi, dicitur pretium intrinsecum, cujus amissio ex non implemento resultans, damni certi potius, quam lucri amissi speciem habere dicitur, atque in eo consistere dicitur pretium census, seu pensionis, ut egregie in his præcisis terminis ita distinguendo, Socc. *d. cons. 156. l. 2. n. 10. & 11.*

Siqui-

Siquidem licet pretium ipsius materiæ sic salis modicum & vile, nihilominus respectu tam Cameræ locatricis, quam Appaltatoris, pretium conventum principaliter consistere dicitur in jure privativo vendendi pro majori pretio, in cu-
12 jus extrinseca alteratione Principis Regalia, necnon vectigal, & substantia appaltus consistere dicitur, ut per Soccin. *d. consil.* 156. & sæpius hoc tit. ad eandem materiam habetur deductum, unde quando Appaltator conventam pensionis, seu census quantitatem solvere promisit, inter alios appaltus effectus, respectum habuit ad hanc salis gratuitam quantitatem, cujus emolumentum, stante pretii taxa, & rei necessario usu erat certum, & sine quo tantum censum non promisisset.

Juxta præmissa judicatum fuit, bonificando scil. Appaltatori totum id, quod ex d. deficientis quantitatis venditione juxta taxam retractum esset, si traditio sequuta fuisset, quamvis hæc resolutio post plurium annorum decursum causaverit potius præjudicium hæredibus dicti Appaltatoris, ex iis quæ habentur in Ferrarien. decupli *hoc eod. tit. disc.* 119.

SPOLETANA PRETII SALIS, PRO THESAURARIIS MARCHIÆ, CUM COMMUNITATE NURSIÆ.

Casus decisus per Cameram pro Communitate.

An aliqua Communitas, vel populus ex temporis observantia præscribere possit, sibi deberi salis distributionem pro minori pretio, quam alibi distribuatur; Et an in Regalibus, seu vectigalium exemptione competat manutentio.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Pretium pro quo sal vendi solet, distinguitur in tres species.*
3 *Quod tempus requiratur ad præscriptionem exemptionis a gabella, vel istius diminutionis.*
4 *Gesta per conductores in committendo, vel omittendo non præjudicant locatori.*
5 *In juribus incorporalibus non acquiritur possessio sine scientia, & patientia ejus, contra quem acquiri prætenditur.*
6 *Appaltator salium, seu salaria duplicem personam gerere dicitur, & quomodo.*
7 *Novum augmentum vectigalis, vel gabellæ superveniens, durante appaltu exigitur per appaltatorem tamquam administratorem.*
8 *Ultra augmentum gabellæ salis, quod exigitur per Cameram, solvendum est id, quod importat diminutio, seu calum.*
9 *Pretia rerum in appaltibus, seu venditionibus generalibus, diversa esse solent a venditionibus particularibus, & diminutis.*
10 *Vectigal est de Regalibus Principis.*
11 *In Regalibus non dantur remedia possessoria contra Principem sine titulo.*
12 *Declaratur.*
13 *In exactione vectigalium spectanda semper est consuetudo.*
14 *De constitutionibus revocatoriis exemptionum.*

D I S C. CX.

ANtequam per Urbanum VIII. tres gabellæ nuncupatæ *primi, secundi, & tertii augmenti* super sale imponerentur, ita ut in ejus venditione, per Appaltatorem facien-
1 da, haberetur solum ratio valoris intrinseci, consistentis in expensis fabricaturæ, vecturæ, custodiæ, & diminutionis vulgo *calo* nuncupatæ, ac etiam aliqua ratio, sed modica, illius antiqui vectigalis, quod in jure privativo vendendi hanc speciem consistit, ut infra; Incertum est ex quo initio, quave ratione, in Oppido Nursiæ, & Castris adjacentibus, sub eadem Communitate venientibus, antiqua observantia dederit salis venditionem, seu distributionem per Thesaurarium Marchiæ fieri pro satis minori pretio, quam in aliis locis d. Thesaurariæ subjectis fieri solitum esset, nempe ad rationem librarum 24. pro quolibet julio, quod idem est, ac duorum quadrantium, & duodecimæ partis alterius quadrantis pro qualibet libra; Postquam vero supervenerunt d. nova augmenta, prædictæ Communitatis industria effecit, quod plurium annorum spatio, in ejusdem materiæ venditione continuatum esset ad solam rationem quadrantium octo pro qualibet libra, & sic pro longe minori pretio, quam in aliis locis, eo quia eadem Communitas curavit sub nomine alicujus civis, absque aliquo privato lucro, ad solam publicam utilitatem sumi subappaltum salis pro d. loco, & pluribus adjacentibus, atque venditionem ad minutum fieri solum pro eo pretio, quod subappaltus importaret.

Cum autem Thesaurarii, terminato forsan subappaltu, voluissent per seipsos, sive eorum ministros, salis venditionem ad minutum facere pro eo pretio, quo, juxta taxam a superioribus factam, in aliis locis Thesaurariæ subjectis vendi solet, se acriter opposuit Communitas, introducendo causam in Camera, per quam non obstantibus deductis, tam ex parte Appaltatoris, quam Cameralium illi adhærentium, concessa fuit manutentio Communitati, cum sensu etiam quod bonum jus in petitorio eidem assisteret, reassumptaque pluries disputatione, persistitum semper fuit in decisis; Resolutionis autem fundamenta, quæ fuerint, incertum est, cum ab hoc Tribunali edi non soleant decisiones, de quibuscumque resolutionibus causam reddentes, ut ex laudabili stylo practicat Rota; Et vere disputando istam causam, tamquam Thesaurariorum Advocatus, dictæ resolutionis probabile fundamentum percipere non potui, unde intellectus non acquievit.

Distinguebam siquidem pretium salis in tres species, quarum prima consistit in intrinseco, & naturali, constituto
ex solo valore ipsius materiæ, prout emitur in salinis, ac im- 2
portantia expensæ, vecturæ, custodiæ, diminutionis, seu cali, & ministrorum, & hoc pretium, ex calculo diligenter, per peritissimos viros facto, ostendebatur importare quadrantes duos, & aliquid plus pro qualibet libra; Secunda species consistit in pretio accidentali ratione Regaliæ, seu antiqui vectigalis consistentis in eo privativo jure vendendi sub certo censu, seu annua pensione per Cameram in Appaltum concedi solito, de quo agit Soccin. *sæpius cit. consil.* 156. *lib.* 2. & hoc ex eorumdem peritorum calculo importat quadrantem unum, & quartam partem alterius; Tertia species est pretii constituti ex superindicto, seu tribus augmentis, ut supra per Urbanum VIII. impositis, importantibus quadrantes septem pro qualibet libra, & forsan plus; Licet enim d. tria augmenta juxta arithmeticam computationem ad commodum Principis importarent solum quadrantes 6. cum quodlibet augmentum impositum fuerit ad rationem duorum quadrantium, nihilominus donec procedatur ad diminutam venditionem, in qua Princeps hoc vectigal hoc medio a subditis exigere dicitur, diminutiones, aliæque causæ, unum quadrantem, & ultra important, ut in d. calculo convincenter ostendebatur.

Quo facto sic stante, impossibile dicebam tam in possessorio, quam in petitorio, canonizari debere d. prætensam possessionem Communitatis, cogendi Cameram, vel ejus Appaltatorem ad vendendum ad solam rationem quadrantium 8. quamvis admitteretur a d. populo ex longæva observantia quæsitum esse jus continuandi in distributione pro diminuto, & longe inferiori pretio librarum 24. pro quolibet julio, idest, duorum quadrantium, & duodecimæ
partis alterius pro qualibet libra, ita enim addendo illis 3
solum tertiam pretii speciem, consistentis in tribus novis augmentis, adhuc solutio ad minus facienda esset ad rationem quadrantium novem, & aliquid plus, ut supra, cum respectu novorum augmentorum dari non posset observantia habilis ad inducendam aliquam præscriptionem exemptionis in toto, vel in parte, quia augmenta erant moderna, & infra spatium 30. annor. quod ad minus ad hujusmodi præscriptionem inducendam est necessarium, ex deductis apud Capyc. Latr. *consult.* 66. *&* 68. *& non semel in aliis hoc tit. ad materiam gabellarum.*

Prout neque in possessorio, tam ex decreto irritanti, apposito in chirographis, super dictorum augmentorum im-
positione emanans, cujus decreti natura est inficere quem- 4
cumque titulum, & possessionem; Unde propterea juxta receptissimam quotidianam propositionem, ubi certum est illud intrare, impedit remedium manutentionis; Quam etiam, quia hæc modici temporis possessio quæsita prætendebatur ex observantia unius Appaltatoris prædecessoris, qui solum spatio novennii intermediaverat, cujus gesta præjudicare non potuerunt Cameræ, juxta text. clarum *in l. locatio* 9. *§. earum, ff. de publicanis*: Et in puncto manutentionis non dandæ adversus dominum ratione possessionis resultantis ex actibus gestis per conductores, Buratt. *dec.* 753. & cæteris apud Poltium *de manutenendo observ.* 35. *n.* 64.

n. 64. Et confert regula generalis, ut ex facto conductoris, seu arrendatarij non præjudicetur domino, sive illud consistat in committendo, sive in omittendo, ut præsertim habetur in materia decimarum *sub eo tit.* deductum, & alibi etiam hoc titulo ad materiam gabellarum.

Præsertim ubi agitur de juribus incorporalibus, in quibus non datur vera, & materialis possessio de facto, sed solum quasi possessio ficta, habens pro fundamento scientiam, & patientiam, quæ stat loco possessionis, & sine qua impossibile est istam dari, ubi præcipue non intercedit tempus lon- 5 gissimum, ex quo illa præsumpta resultet; Unde ubi etiam ex infra dicendis ista Communitas ex privilegio, vel consuetudine censenda esset exempta ab antiquo vectigali, itaut pretium de præterito solvi solitum ad rationem unius julii pro quibuslibet 24. libris, ad solum materiæ intrinsecum valorem referendum esset (cum circa d. valorem respicientem justitiam mere commutativam inter Appaltatorem, & emptores salis, cadere non videantur termini exemptionis, & privilegii;) Adhuc tamen inevitabiliter dicebam prætensam possessionem, seu observantiam ad istos limites regulandam, substineri non posse in quadrantibus 8. stantibus d. novis augmentis importantibus quadrantes 7. & ultra, circa quæ augmenta nulla considerari poterat exemptio ex privilegio, vel antiqua præscriptio quæsita, ut supra.

Et quamvis plerique judicantium in eo se fundarent, quod augmenta prædicta importarent solum quadrantes 6. qui juncti cum antiquo pretio consueto prædictis quadrantib. 8. respondebant, cum sola differentia unius duodecimæ partis alterius quadrantis, de qua, tamquam re minima, curandum non erat; Attamen hoc videbatur æquivocum clarum;
6 Appaltator enim in hoc duplicem personam repræsentare dicitur; Unam, salinatoris, sive Appaltatoris solius privativi juris vendendi, seu antiqui vectigalis juxta eum statum, qui in specie consideratur apud Soccin. *d. cons.* 156. *lib.* 2. Alteram, administratoris, sive diversi Appaltatoris hujusmodi trium augmentum, quæ utpote continentia no- 7 vam, & separatam gabellam, novum, ac diversum negotium constituere dicebantur, itaut tam in dominio, quam in administratione, vel appaltu, penes diversam personam esse valeant, ut de novo augmento gabellæ super serico, & similibus, habetur apud Reverter. *dec.* 258. *n.* 2. ubi quod hoc augmentum dicitur nova, & diversa gabella, atque in dies ubique practicatum videmus.

Huic igitur diversæ personæ habenti in administrationem, vel appaltum d. nova augmenta ponuntur in calculo ad ejus gravamen quadrantes sex, habita ratione quantitatis salis, prout in salinis ei traditur; Unde cum antequam deveniatur ad actum diminutæ venditionis, qua mediante d. augmenta a singulis de populo exiguntur, sal notabilem faceret diminutionem juxta materiæ naturam, de qua in
8 specie in Rom. Magalotti, *hoc tit. disc.* 113. idcirco istud decrementum, quod juxta experimentum importat unum quadrantem, & ultra, etiam a populis est exigendum in pretio, cum Camera illud administratori non bonificet; Neque aliqua justitiæ commutativæ ratio postulat, ut appaltator consideratus tamquam simplex administrator in hoc damnum pati debeat de suo.

Magnam fecit impressionem apud judices demonstratio ex parte Communitatis deducta, quod Appaltatores ab ipso initio impositionis augmentorum usque ad innovationem, quæ liti causam dedit, vendiderint hujus loci subappaltatori salem ad rationem scutorum 14. cum dimidio pro quibuslibet 1000. libris, quod pretium, computatis etiam expensis vecturæ, & aliis a subappaltatore faciendis, in singulas libras repartitum, importat solum quadrantes septem, & quartam partem alterius, ut ipsi dicebant, unde continuando Appaltator venditionem ad rationem quadrantium 8. erat potius in lucro, quam in damno, ideoque curare ad eum non pertinebat de illo majori lucro, quod per subappaltatorem fieri deberet.

Sed hoc pariter videbatur æquivocum magis clarum, cum a diminutis venditionibus, ad appaltus generales, seu
9 venditiones, quæ insimul in magna quantitate fiunt in his materiis, non recte arguere liceat ratione periculi, cui emptor, sive subappaltator se exponit, cum suo risico se obliget levare, & solvere certam quantitatem hujusmodi materiæ, quæ potest non integre vendi, & ea rata, quæ superest invendita elapso tempore appaltus, remaneret inutilis, in flumen projicienda, vel locatori pro vilissimo pretio restituenda, ideo in hujus periculi compensationem locator, sive Appaltator generalis pro longe minori pretio hanc materiam vendere solet, quam in diminutis venditionibus soleat, cum ita seddatur certus de illius quantitatis smaltimento, in quo majori, vel minori, tota utilitas hujusmodi mineralium consistere dicitur, ut in specie de hoc fusius actum habetur in Romana locationis venæ ferri, *decis.* 117. *hoc tit.* Et talis erat casus in præsenti, quia subappaltatores, qui pro d. minori pretio salem a Thesaurariis emebant, se obligaverant solvere singulis annis pretium milliarium 435. sive levaverint, & vendiderint, sive non, unde pretii diminutio est pura compensatio hujus oneris, & periculi, ac propterea omnino fallax videbatur hoc argumentum.

Procedunt hæc, admittendo etiam antiquam observantiam, quodque iste populus legitime quæsierit, distributionem salis sibi faciendam esse ad d. rationem unius julii pro quibuslibet 24. libris; Sed neque id admittendum esse acriter insistebant Camerales, & cæteri pro Thesaurario scribentes, quia detractis etiam novis augmentis, atque discurrendo in solis terminis status antiqui, cum pretium salis, attento tam valore intrinseco materiæ, quam extrinseco vectigalis ad Principem spectantis, importet quadrantes 3. & quartam partem alterius quadrantis, neque præscriptio, vel præsumptum privilegium solvendi minus referri posset ad valorem intrinsecum, consistentem in justitia mere commutativa 10
ratione expensarum, quæ in ipsius materiæ fabricatione, & custodia de facto fiunt; Idcirco de necessitate referenda ad vectigal Principis, quod non dubitatur esse de Regalibus, ex deductis in terminis salis, & salinarum per Asar. *de officio fiscalis gloss.* 20. §. 4. *n.* 82. *cum seqq.* Solorzan. *de jure Indiar. tom.* 2. *lib.* 5. *c. unic. n.* 34. Larrea *allegat.* 77. *n.* 7. *& allegat.* 80. *n.* 15. Montan. *de regal. tit. piscationum redditus, & salinar. num.* 2. *fol.* 294. Borell. *de præstantia Regis Catholici, cap.* 25. *& cæteri;* Unde inferebant ad conclu- 11
sionem, quod in Regalibus non datur contra Principem manutentio, vel aliud remedium possessorium sine titulo, ex plene deductis per Galeot. *responsio fiscal.* 12. *num.* 393. *& 444. cum seqq.*

Verum de hujus motivi relevantia Ego satis dubitabam, quia Regalia consistit in ipso jure privativo vendendi salem alterato pretio, sub quo publicum vectigal ab emptoribus 12
solvi dicitur; Unde ubi privatus hoc jus prætenderet, recte intraret inspectio, an sine legitimi tituli justificatione sibi remedia possessoria competere valeant, necne; Sed de hoc non agebatur in præsenti, quia solum iste populus prætendebat ex longissima possessione, & observantia, acquisivisse franchitiam, seu exemptionem a vectigali, seu onere, quæ 13
exemptio cum hujusmodi regalis non procedit, sed consuetudo in vectigalium exactione spectanda est, ex deductis per Capyc. Latr. *consult.* 66. *&* 68. & sæpius in aliis *hoc tit.*

Eo magis, quia talis erat ejusdem Cameræ voluntas, dum in capitulis appaltus cum Thesaurariis, expresse illis injungebatur, quod salem pro consueto pretio distri- 14
buere deberent, neque solitum alterare possent; Nec videbatur a verisimilitudine alienum, huic populo Sedem Apostolicam, ob aliquod fidelitatis meritum, vel servitium, concessisse gratuitam salis distributionem, soluto tantum eo intrinseco valore, quem ipsius materiæ impensæ importarent, & cui consueta quantitas adamussim respondere videtur.

Solidius autem motivum in hoc consistere dicebam, in Constitutionibus revocatoriis franchitiarum, & exemptionum, sed hoc motivum, quod postea in mentem venit, tunc deductum non fuit.

URBINATEN. PRETII SALIS, PRO ANDREA ANGELO VALENTE, CUM LUCATELLIS, ET MAJOLIS ALIAS

Casus sopitus per concordiam.

Salis consignatio, an sit facienda in pondere, vel in mensura, ubi præsertim variatur species, itaut nova, & insolita sit ponderosior; Et quando conventum in mensura possit dari in pondere.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *De differentia inter observantiam interpretativam, & præscriptivam.*
3 *De modio, seu modiolo, ut sit species mensuræ.*

4 *Quan-*

4 *Quando species deducta in contractum adest, illa est praestanda, & non admittitur aequipollens.*
5 *Observantia consignandi in pondere, an tollat obligationem praestandi cum mensura: quandoque numerabilia, vel mensurabilia ponderantur, & econtra.*
6 *Quid intersit frumentum esse ponderosius.*
7 *Substantia, & utilitas appaltus salis, in quo consistant.*

D I S C. CXI.

1 CONcessa per Cameram *Valenti* Thesauraria Urbini, cum obligatione praestandi, & respective levandi certam quantitatem modiorum salis salinarum Cerviae, juxta consuetam mensuram praestandam a Thesaurariis Romandiolae, quibus d. salinae sunt anneaae, Observantia dedit, quod loco mensurandi salem cum modiolo, ille consignari solitus fuit in pondere, ad rationem scil. librarum 292. pro quolibet modiolo, quem tanti importare experientia dederat. Cum autem ob dictarum salinarum Cerviae sterilitatem, opus fuisset salem exterum salinarum *Barlettae* introducere, ac subappaltatoribus, & aliis distribuere longe ponderosiorem, unde propterea attento pondere ad d. rationem librarum 292. pro quolibet modiolo, dabatur satis minor consueti salis quantitas, quae, attenta mensura, esset majoris ponderis. Hinc orta est quaestio, an juxta mensuram, vel potius juxta pondus, d. salis exteri quantitas ponenda esset in calculo, dum illa modioli mensura, quae in sale Cerviae importabat in pondere libras 292. in hoc sale extero importabat libras 366. Et introducta causa in Camera.

Pro *Valente* scribens dicebam, consignationem faciendam esse ad rationem mensurae, non ponderis, quia sic in contractu appaltus conventum fuit, ibi, *di farli consegnare moggetti 6. m. di sale alla misura solita*. Unde cum verba contractus sint clara, illa debent attendi ad regulam, text. in *l. semper in stipulationibus 35. de regulis juris*, cum in hac materia ponderum, & mensurarum controversia cadat inter DD. circa speciem, seu qualitatem generis conventi, quae scil. mensurae species attendenda sit, quoties diversae habentur, juxta deducta in Ferrarien. Datii salis, *disc.* 82. non autem circa substantiam, seu genus conventum, quia cum expresse dictum sit, consignationem fieri debere ad mensuram, dici non potest faciendam esse in pondere, quod est genus omnino diversum ab eo, quod expresse, & clare conventum est, ac propterea cum conventio sit clara, locus non est argumentis, & conjecturis, ad text. *in l. ille, aut ille, ff. de legatis tertio*, cujus dispositionem procedere in omni materia, etiam in actibus inter vivos plene firmatur, *decis. 44. par. 11. rec. n.* 14. ubi concordantes.

Hinc propterea dicebam non obstare consuetudinem, seu observantiam faciendi hujusmodi consignationem in pondere, & non in mensura, quia observantia magnifacienda est in ambiguis, & dubiis, in quibus optima interpres reputatur; secus autem in claris, in quibus non cadit terminus in-
2 terpretationis, unde potius praescriptiva, seu destructiva status praecedentis, & novi status inductiva dicenda est, ad communiter notata *in l. si de interpretatione, ff. de legibus*, Barbos. *in l. quae dotis, n. 47. & seqq. ff. soluto matrimonio*, Greg. 1. *dec.* 184. *dec.* 319. & 351. *par. 6. rec.* & bene in proposito, *dec. 430. n. 3. part. 4. recent.*

Clara etenim erat conventio, tum quia verba appaltus expresse sonabant in mensuram, ut supra, tum etiam quia relationem habebant ad modiolum, quem assa mensorae ge-
3 nus ex Plauto, & alia observat Calepin. *in verbo modiolus & de verbo modius*: quod contineat mensuram, habemus in jure nostro dispositum, *in l. 1. C. de canonibus civilibus lib. 11. & l. 1. C. de conditis in horreis publicis, eod. lib.* 11. ac alibi; Et de facto sales *Barlettae* in illis salinis, earumque membris, & subappaltibus, vendi, & consignari solent ad mensuram cujusdam parvi modii, ut Ego, tamquam in ea Regione versatus, testabar, tamquam de notorio inconvertibili.

Nec obstare dicebam, in salinis Cerviae consignationem fieri solitam esse in d. pondere librarum 292. quanti experientia, seu peraequatio facta ostenderat modiolum importare, quia eadem peraequatio probat existentiam in rerum natura hujusmodi mensurae, sine qua impossibile fuisset illam facere, ac scire quantitatem ponderis, unde posito, quod mensurae genus non sit omnino imaginarium, sed ejus existentia in rerum natura habeatur, tunc dum ipsa species promissa adest, illa est praestanda, neque admitti-
4 tur aequipollens, nisi in casu impotentiae, quando scilicet impossibile est ipsam conventam speciem praestare, juxta Gloss. *in l. stipulatio, §. opus autem, ff. de novi operis nunciatione, cum concordantib.* per Rot. *decis. 192. n.* 18. post Zacchiam *de obligatione Camerali*; Et in specialibus terminis mensurae, quod ubi illa in rerum natura reperitur, juxta eam solutio facienda sit, habemus decisiones Seraphini 1461. & 1499.

Et quamvis in pondere, non in mensura consignatio salium Cerviae fieri solita esset, in quo solito altera pars totum convincebat fundamentum, stantibus illis verbis, *alla misura solita*, dicebam tamen, numquam adjectivum posse 5
destruere substantivum, ut ita sequeretur, quod juxta hunc intellectum ipsa substantia mensurae omnino tolleretur, quae tamen ea dicto solito vere non cessat, cum illud inductum solum sit gratia majoris commoditatis, seu facilioris expeditionis in consignando, stante qualitate d. salis Cerviae, qui tamquam nimis humidus, & terrosus, non est ita de facili aptus ad expeditam consignationem per mensuram, sicuti est per pondus, atque haec est ratio differentiae, cur in hac salina consignatio fiat per pondus, & in illa *Barlettae* fiat per mensuram, quia illa salis species tamquam arida, & minus terrosa, facilior est ad mensuram, quam ad pondus, & sic totum circa unam, vel alteram observantiam resultat a majori commoditate, & faciliori expeditione.

Ad quod comprobandum adducebam quotidianum exemplum, seu praxim in materia monetarum, quia ubi frequens est usus monetae aereae, quamvis omnes solutiones, utpote quantitativae in numero, non autem in pondere, vel mensura faciendae sint, attamen gratia majoris commoditatis, & expeditionis, frequenter fiunt vel in pondere, vel in mensura, quae juxta experimentum numerationi aequipolleat, quod non semel etiam in moneta aurea in Monte Pietatis Urbis, & alibi, quoties agitur de notabili quantitate, practicari solet; unde si ob deficientiam monetae regionis minus ponderosae, eadem summa scut. ex. gr. 3000. solvi debeat, nullatenus dicendum videtur debitorem posse admitti ad praestandum idem pondus, quod in alia moneta praestari solebat, quia stante monetarum diversitate idem effectus non resultat, cum pondus istius monetae non contineat illam numericam quantitatem, quae ex debito obligationis praestanda est.

Sic pariter exemplificari posse dicebam in frumento, seu farina, cujus consignatio, quamvis de rei natura fieri soleat, & debeat in mensura, saepe tamen, ac frequentius fit in pondere, ut praesertim in farina passim practicatur, quod ex experimento certarum librarum pondus aequipollent mensurae rubri, seu modii, & tamen si deficiente frumento istius regionis, quod est levius, cogatur debitor, ut suam impleret obligationem, loco illius dare frumentum Marchiae, vel Apuliae, quod est longe ponderosius, utique vanum esset dicere, quod loco centum modiorum, vel rubrorum illius frumenti levioris, quod est in obligatione, admittendus esset debitor ad praestandum in pondere tantam dicti frumenti exteri quantitatem, quae eidem ponderi frumenti nostralis correspondeat, quoniam ita non esset dare integra rubra centum, quae sunt in obligatione, sed solum 70. vel 80. quae tantum ponderant, quantum 100. alterius frumenti levioris.

Et nihilominus iste casus est fortior, ac aliquam probabilitatem satis habere videretur debitoris praetensio, quia al- 6
terius frumenti qualitas ponderosior producit effectum majoris utilitatis, cum ob magis aridam qualitatem, ejus farina majorem recipiat aquam, ideoque majorem panis quantitatem producat, ut experientia docet, unde sequitur, quod frumentum dulce, & minoris ponderis aliquo viliori pretio ex dicta ratione venditur, quam ponderosius, & magis aridae qualitatis, ut frequentissime practicatum vidi in dohanis Salerni, & Abellini, quae sunt maxima hujus frumentariae materiae emporia.

Non sic est in sale, cujus magis arida, & minus terrosa qualitas prodesse quidem potest ementibus, seu revendentibus adminutum, tam ratione majoris ponderis, quam etiam majoris conditurae, cum experientia docuerit, eumdem effectum facere in carnibus, vel caseis condiendis unam libram dicti salis exteri *Barlettae*, ac unam cum dimidio, & plus salis Cerviae, ut habetur supra in Fulginaten. salium, *disc.* 107. Sed hoc nullam affert utilitatem, quinimo damnum notabile salariae Appaltatori, cujus utilitas non consistit in intrinseca bonitate materiae, quae de per se satis modicum habet intrinsecum, & naturalem valorem, sed consistit in majori, vel minori esitatione, & sic in ipso jure privativo vendendi, cujus ratione solvitur pensio, ut in puncto Appaltatoris salium Marchiae, Soccin.

consil.

consil. 156. *lib.* 2. & latius habetur *d. disc.* 107. & *disc.* 105.
Sæpe enim contingit, quod terminato tempore appaltus,
remanet Appaltatori aliqua salis quantitas invendita, quam
ex lege appaltus, vel projicere debet, vel successori pro vi-
lissimo pretio revendere, ne novum appaltum impediat, ut
susius habetur in Romana locationis venæ ferri pro Princi-
pe Ludovisio, *hoc tit. disc.* 117. Et sic major salis bonitas,
& salsedo præjudicat Appaltatori in esitatione, seu smalti-
mento, quia quo magis sal condit, eo minor quantitas per
populos emitur, ideoque Appaltatori expedit esse minus bo-
num, quia in minori bonitate sua utilitas consistit. Eo ma-
gis, quia ut *in d. disc.* 117. habetur, non solum Appalta-
tor ex majoris salis exteri acrimonia præjudicatus remanet
ex jam dicta ratione, sed etiam ex alia, quod populi hujus
salis usui non assueti, illum videntes nimis acidum, &
mordacem, crediderunt caseis, præsertim & piscibus
condiendis minus aptum, & præjudicialem, ac etiam pe-
riculosum, ut daretur ovibus, & animalibus viventibus,
unde ab illius usu quantum possibile fuit abstinere curarunt,
ideoque duplex damnum ita Appaltator sentiret, recipien-
do, scilicet, ratione ponderis minorem quantitatem, quam
sibi debita esset, & istam minus aptam illi majori esitatio-
ni, seu smaltimento, in quo ejus utilitas consistit; Et ex
his satis probabiles credebam partes Valentis; Concordia
tamen controversiam terminavit.

CERVIEN. SALIUM,

PRO BONIFACIO GRANARA THESAURARIO ROMANDIOLÆ,

CUM CAMERA, ET LUCATELLIS, ET MAJOLIS THESAURARIIS PRÆDECESSORIBUS.

Casus decisus per Cameram pro Granara.

An Appaltator circa finem Appaltus distribuere possit
Communitatibus, & populis salem excedentem usum
temporis, quo ejus Appaltus durare debet; Ideoque
d. excrescentis salis pretium, an cedere debeat com-
modo ipsorum Appaltatorum distribuentium, vel
potius successorum pro rata temporis sub eorum
novo appaltu cadentis; Et an Camera teneatur in
hoc novis Appaltatoribus assistere, ac alias teneri ad
quanti interest.

S U M M A R I U M.

1 *Falsi series.*
2 *In quo dicatur consistere appaltus salinarum, & salis.*
3 *Appaltator salis non potest illum vendere pro usu cadente post suum appaltum finitum, & terminatum.*
4 *Dantur similia de usufructuario, conductore, Prælato, appaltatore gabellarum, & similibus.*
5 *Ubi quis facit actum principaliter ad suam utilitatem, non spectatur damnum, quod accessorie, & consecutive alteri resultat.*
6 *Declaratur in usu licito, & non protracto in tempus prohibitum.*
7 *Locator tenetur removere impedimentum proveniens a tertio, quem ipse prohibere potest.*

D I S C. CXII.

POst terminatam in Lucatellis, & Majolis Thesaurariam
1 Romandiolæ, & successive appaltum salinarum Cer-
viæ eidem Thesaurariæ annecti solitum, ut habetur in præ-
cedenti; Utrumque appaltum suscepit pariter ad noven-
nium Bonifacius Granara cum consuetis capitulis, in qui-
bus quoad concernentia appaltum salinarum, conventum
est de d. consueta quantitate saccorum 57. m. Appaltatori
præstanda, & per ipsum Communitatibus, & locis in so-
lita tabella descriptis distribuenda, juxta diversa pretia in
eadem tabella præscripta, ut singularum Provinciarum, vel
locorum diversa antiqua consuetudo introduxit; Cum au-
tem dicti prædecessores appaltatores, reversis salinis ad fer-
tilitatem, in ultimo anno talem fecerint salis distributio-
nem, præsertim in Provincia Marchiæ, & Statu Urbini,
quod fere ad totius primi anni novi appaltus provisionem
sufficeret, unde in eodem anno impedita remanebat novo
Appaltatori consuetæ quantitatis esitatio; Hic prætendere
cœpit, quod d. salis in excrescenti quantitate distributi pre-
tium extrinsecum, seu accidentale, illud scil. quod fabri-
caturæ, vecturæ, & custodiæ expensas superat, deberet
ejus commodo cedere, prætendendo etiam Cameram lo-
catricem teneri sibi assistere cum subsequuto effectu, alias
ad quanti interest, non sequi; Unde introducta causa in
Camera coram Pallavicino.

Pro d. Granara novo Appaltatore scribens, dicebam peti-
tionem esse justam, & rationi consonam, quia hujusmodi
appaltus substantia juxta sæpius allegatum consilium 156.
Soccin. *lib.* 2. consistit, non in ipsa materia salis, sed in 2
jure privativo vendendi, ac percipiendi illud extrinsecum,
& majus pretium, in quo, ut in præcedentibus pluries de-
ductum est, consistere dicitur illud vectigal, quod Princeps
ab ejus subditis mediante hujus materiæ usu exigit; Unde
cum hoc vectigal a populis solvi videatur singulis diebus, 3
& temporibus, in quibus utuntur dicta materia de necessi
tate ab Appaltatore tamquam Principis officialis pro alterato
pretio emenda, idcirco sequitur, quod prædecessor Appal-
tator ejus jure jam resoluto, & expirato officio, idem ve-
ctigal ad privatam utilitatem exigat, unde intrare dicebam
terminos usufructuarii non valentis imminente sui juris
expiratione ita agere, quod proprietarium supplantet, at-
que in istius præjudicium præventivos fructus percipiat, 4
post suum jus expiratum, a proprietario percipiendos; Sive
terminos Prælati, vel Beneficiati non valentis percipere
anticipatas solutiones, vel colligere immature fructus post
suum jus expiratum per successorem percipiendos; Quod
etiam habetur in specialibus terminis conductoris, ut non
possit in fine conductionis ita prædium conductum erode-
re, ut locatori, vel novo conductori præjudicet, quia es-
set percipere fructus pro tempore non suo.

Et in terminis magis specialibus Appaltatoris gabellarum,
ut non possit in fine sui appaltus gabellæ pretium diminue-
re, ut successori præjudicet, est magistralis decisio Franch.
96. cujus auctoritate id generaliter firmat Cohell. *ad Bul-
lam boni regim. c.* 46. *n.* 42. ubi in specie exemplificat in
appaltatore salis, & agitur in Romana Bulli aleatum *hoc
eod. tit. disc.* 79. & 80. Et aliqua ad hujusmodi mineralium
materiam in proposito habentur in Romana locationis ve-
næ, *hoc pariter tit. disc.* 117.

Unde propterea suffragari non dicebam prædecessoribus
Appaltatoribus genericam regulam, pro unico fundamento 5
adductam, ipsos eorum jure usos esse, non ut successori
præjudicarent, sed principaliter, ut sibi ipsis prodessent,
ideoque spectandum non esse consequutivum præjudicium
alteri resultans ex actu ad propriam utilitatem, utendo jure
suo principaliter ordinato, juxta communem nostrorum
traditionem *in l. altius, C. de servitutibus, & aqua*; Quo-
niam istam propositionem procedere dicebam in sui juris
usu licito, non autem in abusu, percipiendo id quod sibi
non competit, ac respicit tempus, in quo jam suum jus ex-
piravit; nam conductor, vel usufructuarius vineæ, relin-
quena, ut nostri exemplificant, in ejus ultimo anno vitea
longiores, actum gerit de tempore, quo suum jus durat, 6
illumque agit principaliter ad suam utilitatem, ut ita majo-
rem vini quantitatem percipiat, sed non inde sequitur bene
agere, cum ita abuti dicatur jure sibi competenti, quo dis-
crete, & juxta solitum uti debet, ne locatorem, vel suc-
cessorem in appaltu supplantet; Ac etiam quia ita esset perci-
pere fructus pro tempore non suo; Ad quod etiam conferunt
ea, quæ habentur deducta in Romana officiorum pro Ma-
ximo, *hoc titul. disc.* 3. & in Senogallien. *sub titul. de feud.
disc.* 1. super facultate subinfeudandi cum similibus.

Hujusmodi vero petitioni assistere teneri dicebam Ca-
meram locatricem, alias ad quanti interest obligatum esse, 7
etiam ratione lucri amissi ob patentiam non præstitam; Ipsa
enim concessit appaltum per novennium, cujus integro
tempore durante promisit, Provincias, Civitates, & loca
in tabella descripta ab Appaltatore sumere debere salem no-
rum usui necessarium, vel consuetum, & non posse habere
aliunde; Unde cum hoc jus privativum ita impeditum re-
maneret facto tertii ab eadem Camera locatrice jus habere
prætendentis, & quem tamquam subditum ipsa poterat pro-
hibere, dicebam versari in casu præciso consiliorum 156.
Soccini *lib.* 2. & Ancharani 414. in quibus agitur in indi-
viduo de interesse Appaltatori per Cameram locatricem re-
ficiendo, ex eo quod aliqui populi, vel loca non emerent
consuetam, seu debitam salis quantitatem ex facto ejusdem
locatoris, seu tertii, cui ipse providere poterat, ac impe-
dimen-

dimentum removere; Ad favorem Granaræ prodiit senten-
tia cor. Pallavicino, in alia instantia confirmata cor. Aqui-
no, & introducta causa cor. Caetano, Lucatelli cesserunt
liti acceptando sententias, solumque remansit disputandum
super liquidatione quantitatis salis, & pretii.

ROMANA PECUNIARIA, SEU ADMINISTRATIONIS, PRO JO: BAPTISTA MAGALOTTO, CUM APPALTATORE SALARIÆ URBIS.

Casus resolutus per Cameram, cum quodam temperamento postea concordatus.

De diminutione, quæ sequi solet in sale, tam pro asportatione de loco ad locum, quam ex mora in repositoriis, & diminutis venditionibus, ad effectum bonificandi administratori d. diminutionem.

De materia liquidationis, & quando ab ista detur appellatio suspensiva etiam in executivis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *A liquidatione datur appellatio etiam in executivis.*
3 *Quando dicatur vera liquidatio, vel non, ad istum, & alios effectus.*
4 *Quando sal dicatur magis, vel minus ponderosus.*
5 *Debitor speciei, vel generis condemnari non debet ad pretium, nisi quando alias obligatio impleri non potest.*
6 *Ad favorem Appaltatorum procedi solet cum subappaltatoribus eadem manu Regia, & via executiva, cum qua Camera procedit contra eos.*
7 *Judex, an, & quando teneatur judicare secundum allegata, & probata, vel procedere possit per extrajudiciales informationes.*
8 *Sententia excessiva, an annulletur in totum, vel sustineatur in parte debita.*

DISC. CXIII.

COnsuevit Appaltator generalis salariæ Urbis, in Pro-
1 vinciis, seu locis ad eam spectantibus, salis venditio-
nes facere, ut vulgo dicitur, *all'ingrosso*, mercatoribus,
vel tabernariis, illum deinde ad minutum revendentibus,
pro satis minori pretio, quam diminutæ venditiones im-
portent, cum ex istis retrahantur scut. 18. pro quolibet sac-
co, qui ab Appaltatore generali solitus erat vendi revendi-
toribus ad rationem scut. 12. habita ratione diminutionis,
quæ fit pro transportatione de loco ad locum, mora in ma-
gazenis, seu repositoriis, & in minutis venditionibus, nec
non habita ratione expensarum vecturæ, ac mercedis reven-
ditorum. Cum autem Appaltatores ad facilitandam salis esi-
tationem, (in qua majori, vel minori, utilitas, vel respe-
ctive jactura appaltus consistere dicitur,) deputassent Ma-
galottum ministrum Narniæ residentem ad dict. esitationem
faciendam, cum mercede scuti unius pro quolibet rubro;
Hic autem tractu temporis expertus esset, magis Appaltato-
ribus expedire, ut in singulis locis, pro quibus d. revendi-
tores salem emebant, venditio fieret ad minutum nomine
ipsorum Appaltatorum, & per eorum ministros; Idcirco ita
per plures annos sub ejus generali administratione, & su-
perintendentia practicatum fuit; Terminata vero d. admi-
nistratione, ortisque inter eos pluribus controversiis, &
præsertim super deficiente quantitate salis traditi ob diminu-
tionem, seu calum ab administratore prætensum, ab Ap-
paltatoribus autem impugnatum, Introducta lite in prima
instantia cor. Thesaurario generali, hic bonificata diminu-
tione, seu calo salis in certa sibi visa quantitate, pro resi-
duo alterius quantitatis deficientis mandatum executivum
relaxavit in quadam quantitate pecuniaria, perinde, ac si
dicta deficiens quantitas vendita esset ad d. rationem scut. 12.
pro quolibet rubro, unde interposita appellatione in Came-
ra, ibique assumpta disputatione, an admittenda esset ap-
pellatio etiam ad effectum suspensivum.

In hoc statu ad causæ defensionem a Magalotto assum-
ptus, dicebam quod absque aliqua justitiæ, & meritorum
inspectione, appellatio de plano intrabat ratione liquida-
tionis, a qua etiam in executivis datur appellatio suspen-
siva, quia hæc dari non dicitur ab executione, seu substan-
tia ipsius obligationis, sed ab isto incidenti liquidationis,
in qua Judex decipi potuit, declarando majorem summam, 2
quam vere debitam, ex deductis per Scacc. *de appellationi-
bus, quæst. 17. limit. 9. n. 36. & seqq.* Greg. *dec. 232. num. 2.*
Rot. *dec. 379. n. 2. & 3. part. 9. rec.*

Præsertim quia non retractabatur de liquidatione intrin-
seca, & in sui substantia certa, ex solo calculo arithmetico
certificanda, quæ in effectu non dicitur vera liquidatio, ex
deductis, *dec. 608. n. 5. part. 7. rec. 586. n. 3. p. 5.* Othob.
dec. 201. n. 4. Tuscul. Salviani 22. Maji 1654. cor. Zarata,
& in aliis, cum ista liquidatio, utpote consistens in solo
judicio intellectus, a solo Judice absque extrinsecis proba-
tionibus fieri possit, ac assimiletur liquidationi, seu exce- 3
ptioni pendenti a puncto juris, sed agebatur de liquidatio-
ne extrinseca, & varia, pendente ex testium depositionibus,
vel peritorum judiciis, & relationibus, juxta varias facti
circumstantias.

Salis enim decrementum non est semper uniforme, quia
cum illud resultet ab exsiccatione illius aquæ, seu terræ cum
sale admixtæ, quæ ubi magis adest, reddit materiam pon-
derosiorem, & ubi deficit, illam reddit leviorem, ut in spe-
cie observat Rovit. *super pragmaticis in rubr. de sale n. 4.
& 15.* idcirco una, & eadem quantitas, & qualitas, majus
decrementum pati potest, quam altera ex accidentibus, &
facti circumstantiis, vel scil. ratione aeris magis, & minus
exsiccantis, seu ipsiusmet salis materiam liquefacientis,
dum asportatur de loco ad locum, vel ratione majoris, & 4
minoris permanentiæ in magazenis, ac repetitæ mutationis
de uno repositorio in alterum, cum soli & murorum aridi-
tas, humiditatis materiæ exsiccationem notabiliter causare
soleat, unde de necessitate hujusmodi liquidationem facien-
dam esse dicebam judicio peritorum, pensatis omnibus d. fa-
cti circumstantiis, majorem, vel respective minorem dimi-
nutionem causantibus, ideoque dupliciter suspensivam ap-
pellationem intrare, Tum ex ratione, & natura liquidatio-
nis extrinsecæ faciendæ per testes, vel peritos, qui prout, &
idem Judex, decipi potuerunt; Tum etiam ratione mani-
festi gravaminis, quod Judex in d. liquidatione intulerat,
non eligendo formiter peritos, qui partibus auditis, & ser-
vatis servandis eorum judicium dederint, sed ex ejus capi-
te, & per solas extrajudiciales informationes.

Ac etiam, quia ubi de justitia non esset admittenda tanta
diminutio, quanta per dict. administratorem in redditione
ejus rationum deducebatur; Adhuc tamen condemnatio se-
qui debuisset in reliquatu in ipsa specie salis tradita, dum
non probabatur secutam esse illius venditionem, ideoque
indebite condemnatio sequuta fuerat in quantitate, cum de-
bitor generis, vel speciei condemnari non possit, nisi ad ip-
sam speciem, vel genus, non autem ad pretium, nisi con-
currentibus mora, & ipsius rei peremptione, itaut obligatio 5
adimpleri alias non possit, quam in æquivalenti, ad com-
muniter notat. *in l. vinum, ff. si cert. petat. cum concord.*

Quamvis autem ex præmissis, in stricta juris censura, ap-
pellatio sine dubio admittenda esset, atque partes Cameræ
solum esse debuissent in hoc puncto determinando; Ex quo- 6
dam tamen istius Tribunalis stylo, præsertim in causis Ap-
paltatorum Cameralium, quibus justum, & conveniens vi-
detur, ut cum suis subappaltatoribus eadem summaria justi-
tia administretur, cum qua ipsi manu Regia, & sola facti
veritate inspecta per Camerales urgentur; Idcirco per extra-
judiciales informationes a peritis exquirere voluit, quantum
verisimiliter juxta experientiam, pensatis omnibus facti cir-
cumstantiis, d. decrementum importaret, dictaque infor-
matione habita, decisivum judicium super ea non forman-
do, sed utriusque partis jura in ulteriore discussione præser-
vata relinquendo, in parte admisit appellationem ad utrum-
que effectum, in parte vero, in qua debitoris prætensio cir-
ca d. diminutionem visa est excessiva, admisit ad solum de-
volutivum, itaut interim executio non retardaretur.

Resolutio mihi, quamvis pro debitore scribenti, visa non
est a justitia aliena; Licet enim in stricta juris censura, Judex
procedere debeat secundum allegata, & probata, non autem 7
per extrajudiciales informationes, itaut, quod non est in
actis, dicatur non esse in mundo, ex deductis per Gregor. &
Adden. *dec.* 1. Adden. ad Buratt. *dec.* 251. *dec. 197. n. 13. &
seqq. p. 5. rec.* Quod adeo rigorose nostri asserunt, ut Judex,
qui propriis oculis viderit delictum commissum esse a Titio
condemnare teneatur Cajum, in actis, & processu convi-
ctum, sive a judicando abstinere, Jas. *in §. si minus, Instit.
de actionib.* Rovit. *pragm. 15. de ordine Judicior. n. 4.*

Attamen in magnis præsertim Tribunalibus, & præcipue
in

in his materiis fiscalibus, receptum est, ubi non agitur de probatione ipsius substantiæ, sed de hujusmodi liquidationibus, vel aliis incidentibus, procedi etiam per extrajudiciales informationes, Felin. *in c. Pastoralis*, §. *quia vero de offic. deleg.* Apont. *conf.* 83. *n.* 4. *vol.* 2. Franch. *dec.* 220. *n.* 5. Gramat. *dec.* 62. Capyc. Latr. *consul.* 6. *n.* 75. *& seqq.* Quod etiam non semel vidi practicatum in Rota, præsertim in materiis cambiorum, & mercantilibus, pendentibus ab inspectione spacciorum, sive librorum, an bene, & mercantiliter justificentur, sive a calculis dati, & accepti, quod ad evitandas dilationes, & longos anfractus resultantes a formalibus, & judicialibus electionibus peritorum hinc inde perpetuo invicem discordantium, (unde causæ redduntur immortales,) habentur extrajudiciales informationes a peritis, qui Tribunali videantur probatæ fidei, & juxta illas proceditur, præsertim in his materiis, pendentibus a regulis generalibus, & invariabilibus, ut in specie fuit practicatum in Romana cambiorum inter Valentem, & Raymundum, *de qua sub tit. de cambiis*, *disc.* 1. *&* 2.

Prout licet etiam de juris rigore, sententia, vel decretum excessivum condemnans ultra debitum, admittat appellationem in totum, etiam in parte debita, ratione individuitatis, ob quam non potest in parte valere, & in parte non, Buratt. *dec.* 368. *n.* 7. & ibi Adden. *n.* 8. 9. Nihilominus de
8 stylo originaliter in Tribunali Aud. Cam. & deinde per alia Tribunalia amplexo, in materiis executivis, & de sui natura suspensivam appellationem non admittentibus, ubi aliqua pars debiti in decreto contenta videatur indebita, vel turbida, in hac tantum admittitur appellatio suspensiva, demandando executionem pro parte debita, quoties adhuc res est integra, & processum non est ad executionem, in cujus casu stylus cessat, & excessus quamvis in minimo in totum vitiat, Salust. Tiber. *in prax. l.* 1. *c.* 37. *n.* 4. Adden. ad Buratt. *dec.* 91. *n.* 6. Duran. *dec.* 388. *n.* 3. 4. *& alias sæpe*; Licet a moderno tempore Signatura Justitiæ practicare cœperit dict. stylum, etiam post factam, non tamen consummatam executionem, mandando illam sustineri, & consummari in parte, quæ sibi videatur liquida, & debita, concedendo suspensivam appellationem in parte indebita, vel turbida, ut ita reorum, & solvere debentium subterfugia evitentur, quod non est a justitia, & ratione alienum; Causa vero ulteriorem non habuit prosequutionem, utpote per concordiam sopita.

URBINATEN. PRETII SALIS,
PRO VALENTE APPALTATORE SALARIÆ URBINI,
CUM LUCATELLIS, ET MAJOLIS THESAURARIIS ROMANDIOLÆ.

Casus decisus per Cameram pro Thesaurariis.

De augmento monetæ, in qua salis pretium solvi solitum, vel præscriptum est, cujus damno cedat; Et an scuti aurei attendi debeant juxta antiquum valorem, non attento eorum intrinseco augmento, vel potius in ipsis scutis, seu æquivalenti valore ad præsens currenti.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione, an, & quando augmentum monetæ cedat commodo, vel incommodo creditoris, seu respective debitoris.*
3 *Quando summa, seu valor moneta stet taxative, vel demonstrative.*
4 *Observantia debet esse clara, & liquida, non autem dubia, & æquivoca.*
5 *An diminutio pretii ob anticipatam solutionem importet usuram, & econverso dilatio ob retardatam.*
6 *Ex alteratione monetarum alterantur pretia rerum.*

D I S C. CXIV.

1 Conduxit Philippus Valente a Camera per novennium salarias Status Urbini cum conventione, quod sal ei traderetur in salariis Cerviæ per illarum Appaltatores, quibus solvi deberet illud idem pretium, quod solvere solebat Dux Urbini, quodque Appaltator revendere teneretur salem populis ejusdem Status pro eodem pretio, quo vendebatur vivente Duce; Cum autem de anno 1629. per Thesaurarium generalem aliosque Camerales confecta esset tabella salinarum Cerviæ, cum taxatione pretiorum, prout antiquæ consuetudines, vel conventiones singularum Civitatum, vel Provinciarum diversimode induxerunt; Atque in d. tabella pretium Status Urbini descriptum haberetur in scutis 19. aureis ad rationem juliorum 11. cum dimidio pro quolibet scuto, ad præsens autem scutus aureus curreret juxta ejus intrinsecum valorem ad rationem juliorum 15. Hinc orta est quæstio inter d. Thesaurarios Romandiolæ, & Appaltatorem occasione solidationis computorum, non quidem super quantitate numerica, cum concordarent esse 19. sed super qualitate scutorum, an scilic. essent imaginarii in rerum natura non existentes, solvendi in moneta currenti ad d. rationem juliorum 11. cum dimidio pro quolibet, itaut ex auri alterato, & excreto valore nullam alterationem recipere deberent, vel potius essent scuti aurei veri, & repetibiles, solvendi in ipsa specie, vel in alia moneta æquivalenti juxta eorum currentem valorem, itaut auri alteratio alterationem pretii induxerit. Et Thesaurarius General. in prima instantia judicavit pro Valente, pretium scil. esse scut. 19. ad rationem juliorum 11. cum dimidio, in gradu vero appellationis, Camera contrarium sensit.

In hac igitur disputatione concordabamus hinc inde super juris theorica generali, quam in hac materia habemus fundatam in recepta distinctione, quod aut moneta in conventionem deducta, attento ipsius conventionis tempore 2
erat in rerum natura, & repetibilis quamvis etiam rara, Aut econverso esset mere imaginaria, & irreparabilis, ut primo casu spectandum sit intrinsecum ejus augmentum, vel decrementum; itaut solutio, vel in ea monetæ specie facienda sit, vel quatenus esset in regione rara, fieri debeat cum alia moneta in æquivalenti: secundo autem casu, valor sit inalterabilis, ac solvi debeat in eo æquivalenti, quod currebat de tempore conventionis ex deductis per Thesaur. jun. *in ejus tractatu de augmento monetæ per tot.* Gregor. *decis.* 41. Buratt. *dec.* 636. *dec.* 430. *n.* 2. *par.* 4. *rec. decis.* 119. post Merlin. *de pignoribus*, & in aliis de quibus habetur infra ad materiam monetarum, *disc.* 126. *&* 128. sed sola controversia erat super applicatione.

Dicebant enim Thesaurarii, monetæ augmentum prætendentes, quod cum habeamus in rerum natura scutos aureos in una tantum specie in Statu Ecclesiastico, ac præsertim in Provincia Romandiolæ currentes, cum sola differentia stamparum novarum, vel veterum importante quid modicum augmentum agi pro usu mercatorum, idcirco locus non erat monetæ imaginariæ, quia nunquam intrat fictio, ubi habetur veritas; Nil obstante specificatione valoris ad rationem juliorum 11. cum dimidio pro quolibet scuto, quia id sæpe contingere solet pro partium commoditate, & ad tollendas differentias super modica alteratione agi, seu valoris auri singulis hebdomadis contingere solita, ideoque 3
stare potius demonstrative, non autem taxative, ac proinde non impedire effectum intrinseci augmenti, vel decrementi; Ut in puncto pensionis impositæ in scutis aureis, cum expressione ad rationem juliorum 12. pro quolibet scuto, ut d. summa stet demonstrative, quia tunc tanti scutus currebat, non autem taxative; neque tollat debitum solvendum in ipsis scutis, habetur in specie *d. dec.* 430. *par.* 4. *rec.* & bene declaratur, *dict. decis.* 119. post Merlin. *de pignor.* & agitur hoc titulo in supra insinuatis, *disc.* 126. *&* 128.

Verum pro Valente scribens dicebam, hæc abstracte quidem vera, non tamen applicari ad factum, quinimo ex ejus circumstantiis potius retorqueri, quia tabella confecta fuit de anno 1629. quando intrinsecus valor scuti aurei importabat julios 14. neque attento eo tempore habebatur in rerum natura, præsertim in his partibus, scutus aureus, cujus valor esset juliorum 11. cum dimidio, unde propterea de necessitate dicendum erat, tabellam loqui de moneta imaginaria. Prout ita inevitabiliter judicari debuisset, si tabella tunc ex integro formata esset, neque aliud in contrarium obstaret.

Difficultas autem in eo consistebat, quod supponebatur de dicto anno 1629. fuisse solum renovatam tabellam antiquam, confectam forsan de tempore, quo scutus aureus ad dictam rationem juliorum 11. cum dimidio currebat; Et quod magis obstabat, quod capitula appaltus de pretio loquentia, relationem non habent ad tabellam, sed ad pretium, quo Dux Urbini solvere solebat, atque ex prædecessorum Thesaurariorum libris constare supponebatur Ducem solvisse ad rationem scut. 19. auri in moneta vera, unde dicebant Thesaurarii cessare omnes juris inspectiones, ubi in facto clara partium conventio aderat ad text. *in l. ille aut ille*, *ff. de legat.* 3. *cum concordantibus in Romana*, *seu Florentina*

ventina

rentina Cambiorum 3. *Junii* 1650. cor. Corrado, *decis.* 44. *num.* 14. *par.* 11. *rec.*

Super hoc facto controversia erat inter partes, cum solutiones factæ per ministros Ducis Urbini, ex eisdem libris, aliisque justificationibus apparerent in moneta currenti, redactæ deinde juxta ordinem scripturæ ad scutos aureos; sed moneta soluta non correspondebat adamussim illi quantitati, quam importarent 19. scuti aurei imaginarii ad dictam rationem juliorum 11. cum dimidio pro quolibet, neque correspondebat illi quantitati, quam importarent 19. scuti aurei veri ad rationem juliorum 14. quanti tunc valebant, quia quantitas soluta correspondebat valori scut. 16. cum dimidio scuti aurei veri, unde propterea dicebatur ex hac parte versari in ambiguo, dictamque observantiam esse æquivocam, ideoque non attendendam adver-
4 sus legem claram tabellæ, cum ad effectum, ut observantia suas consuetas faciat operationes, esse debeat certa, clara, & liquida, non autem æquivoca, & dubia, Gregor. *dec.* 184. *n.* 5. & 6. Buratt. *dec.* 464. *n.* 6.

Removebatur tamen hæc difficultas per aliam partem, ostendendo ex libris, aliisque justificationibus, quod licet pretium salis esse soleat ad dictam rationem 19. scut. aurei veri, antiqua tamen consuetudo dedit, quod hujus quantitatis solutio secum ferat dilationem unius anni cum dimidio, cujus beneficio nolente emptorem uti, eoque in prompta, & numerata pecunia solvente in ipso actu consignationis salis, remissio fieret scut. duorum cum dimidio, ratione commodi repræsentationis pecuniæ, atque ita solutio sequeretur cum dictis scut. 16. cum dimidio, in quorum æquivalenti præfatus Dux dictam dilationem non curando, salem emere consuevit; Et ex hoc motivo corroborato ab epistolis, & libris ejusdem Valentis, se constituentis debitorem ad rationem scut. aurei veri, atque agnoscentis hujusmodi differentiam inter pretium numeratum, vel cum dicta dilatione solvendum, prodiit resolutio, quæ propterea, ex præmissis, visa non fuit a probabilitate aliena; quia dum conventio non habet relationem ad tabellam, sed ad id, quod facere consuevit Dux Urbini, atque idem contrahens, tam verbis, quam factis ita observando conventionem interpretatus est, sibi proprium factum obstare debuit.

Et quamvis replicarem diminutionem pretii ob qualitatem anticipationis continere usuram, quæ in tam probo, & qualificato Principe, qualis fuit ultimus Dux, non est præsumenda, ex deductis per Molin. *de contractibus*, *disp.* 355. et Leotar. *de usur. q.* 8. *n.* 26. & *seqq.* & *quæst.* 30. *n.* 14. apud quos, & alios ab eis allegatos communis distinctio est, quod aut agitur de rebus habentibus pretium incertum, & variabile, recipiens alterationem juxta temporum, & casuum contingentiam, quodque habere dicitur suam latitudinem infimi, medii, & maximi, & tunc ratione futuræ incertitudinis admittitur currentis pretii alteratio ob anticipatam vel posticipatam pretii solutionem, dummodo augmentum vel respective decrementum sit verisimile, & futuro damno, vel lucro adaptabile, ad not. *in c. in Civitate*, *c. fin. de usuris* prout sunt frumentum, vinum, oleum, & alia hujusmodi, Aut de rebus habentibus pretium legitimum invariabile a lege, vel consuetudine, in uniformi summa stabilitum, itaut ex tempore, vel aliis accidentibus nullam recipiat alterationem, & tunc augmentum, vel decrementum ob anticipatam, vel posticipatam solutionem continere dicitur usuram claram, quia illud provenit ex sola dilatione, in qua tanquam sub virtuali, & implicito mutuo proprie usura consistit, itaut sit accessio pecuniæ de sui natura sterilis, cum ad aliam causam referri non possit, ut in sua materia *sub tit. de usuris*.

Ponderabam tamen hoc motivum parum esse relevans ad effectum, de quo agebatur, tum quia tam de jure, quam de communi usu, in rerum venditionibus aliisque contractationibus pecunia prompta de facto magis æstimatur, quam dilata, dum præsertim ita est consuetudo publica, antiqua, & notorie practicata, itaut deficiant depravata intentio fœnerationis, & suffocatio debitoris, quæ sunt usuræ bases, & fundamenta. Tum etiam quia in proposito spectandum non est, quid de jure faciendum esset, sed quid de facto gestum sit ad regulandam observantiam, ac assignandam rationem, cur summa per dictum Ducem soluta, nec uni, nec alteri scutorum speciei responderet.

Veruntamen videbatur in hoc proposito considerabile fundamentum suadens monetam imaginariam, & consequenter invariabilem potius, quam veram in auro, quia in dies aurum variationem recipit, & tamen tractatur de materia, per Appaltatorem populis vendenda pro uniformi, & invariabili pretio, quod nullatenus etiam sub pœnis ab ipso alterari potest, unde esset dare inconveniens, quod data auri alteratione, Appaltator, vel non reperto Appaltatore, Camera cogeretur pati jacturam de suo, vendendo populis salem pro minori pretio, quam emerit, cum tamen in hujusmodi pretii taxa per Superiores facta, habita fuerit ratio ad pretium, pro quo Appaltator emere debet, necnon ad expensas vecturæ, & custodiæ, ac aliquod istius lucrum propter periculum, quod suscipit, & operam, quam in hujusmodi negotio impendit,

Ideo enim in aliis materiis parum curatur de monetæ alteratione, quia ex eadem alteratione etiam rerum pretia 6
alterantur, ad text. *in l.* 4. *C. de veterum numismatum potestate*, ubi Bart. & cæteri, Grat. *dec.* 85. *n.* 2. *cum seqq.* quæ ratio in hac specie inalterabili non cadit, atque istud motivum videbatur satis considerabile; Attamen stante d. observantia, & ejusdem Valentis agnitione, de hoc motivo non fuit habita ratio, sed dictum, quod Appaltator stante monetæ alteratione debebat procurare a Superioribus alterationem pretii, ac alias sibi imputare, cur non fecerit,

ANCONITANA SALIUM, PRO BONIFACIO GRANARIA THESAURARIO ROMANDIOLÆ, CUM PETRO MIRANDA.

Casus decisus per Cameram contra Granariam.

De pretio salis quomodo liquidandum, & solvendum sit vero illius domino per eum, qui a non domino emit, & ipsam speciem consumptam restituere non potest.

Mandatum datum correspondali ad merces vendendas quomodo probetur, & quomodo probetur etiam ejus revocatio, & an illa resultare dicatur ex correspondalis decoctione.

Revocatio mandati dati correspondali, an præjudicet tertio cum eo contrahenti.

Quando quis dicatur decoctus, vel decoctioni proximus, & de nullitate actus gesti a proxime decocturo.

Quæ actio detur mercium domino contra tertium emptorem, ubi illæ sunt consumptæ, vel commixtæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Mandatum etiam per epistolas familiares dari potest.*
3 *Probatur etiam ex præsumptionibus, & conjecturis.*
4 *Sola transmissio mercium dicitur importare mandatum.*
5 *De facili præsumitur mandatum in eo, qui alia negotia gerere solet.*
6 *Ad merces in tertium distractas non competit hypotheca.*
7 *Quando domino mercium non detur jus eas vindicandi a tertio emptore bonæ fidei.*
8 *Revocatio, vel restrictio mandati, quando præjudicet contrahenti cum mandatario.*
9 *Dissolutio societatis, facta inter socios, an præjudicet correspondalibus, postea cum socio contrahentibus.*
10 *Decocturus habetur pro decocto.*
11 *Quando dicatur decocturus.*
12 *Mandans, an sit obligatus per actum gestum per mandatarium decoctum.*
13 *Scientia decoctionis in dubio non præsumitur.*
14 *Girata, & contropositiones partitarum inter mercatores habentur pro solutione numerata.*
15 *Duplex est pretium salis, vel aliarum rerum, quæ per officialem, vel appaltatorem fiscalem, cum jure privativo venduntur, & de specialitate in materia salis ratione Regaliæ.*

D I S C. CXV.

PEtrus Miranda mercator in Civitate Barii commorans, certam quantitatem salis Barlettæ per mare 1
transmisit Anconam Invito mercatori, in ea Civitate commoranti, ut de eo exitum faceret, quatenus per Talleacarnem, & Cassionum, mercatores Venetos, alias non dispo-

neretur

rcteue, unde istis eumdem sensum habentibus, vendidit modiolos 8. m. ad rationem jusiorum quatuor, cum quarta parte alterius julii in numerata pecunia Granaræ Thesaurario Romandiolæ: Cumque post quinque dies dictus Invitus defecisset, prætendens Miranda, salem non potuisse ab eo vendi, egit pro ejus restitutione, vel eo consumpto, pro solutione pretii contra emptorem, introductaque desuper causa in Camera, de quatuor disputatum fuit.

Primo, An constare diceretur de sufficienti mandam in persona Inviti ad vendendum salem; Secundo, an stante mandatarii decoctione, censeretur revocatum mandatum, quatenus adesset; Tertio, stante consumptione salis ex cessante mandato per mandatarium male venditi, quæ actio, vel quale remedium competeret rei venditæ domino contra tertium, qui emit, & consumpsit; Quarto demum, posito, quod competeret actio ad pretium, quomodo illud liquidandum esset.

Quoad primum, pro Granaria emptore scribens dicebam, rem esse in claris pro affirmativa, dum exhibebantur litteræ Mirandæ directæ Invitto, in quibus injungebatur cura faciendi finem salium, quatenus ab illis de Talliacarne, & sociis, aliter non disponeretur, quia Veneti scribentes eumdem sensum habuerunt faciendi finem, nec de jure dubitatur, mandatum etiam per epistolas familiares dari posse, ad text. *in l. 1. ff. mandati, leg. si procuratorem,*
2 *ff. de procurationibus*, Mantic. *dec.* 100. *n.* 1. Rot. *dec.* 198. *part.* 11. *rec.* Quinimo etiam ex præsumptionibus, & conjecturis illud probatur, Mantic. *de tacit. lib. 7. tit. 9.* Greg. & Adden. *dec. 44. & cæteri*, maxime quia non agebatur de mandam ad faciendam formalem alienationem alicujus rei
3 stabilis, pro quo juxta communem observantiam dari soleat formale, & solemne mandatum per instrumentum, ad effectum obligandi mandantem ad evictionem, aliasque ementis cautelas, sed de venditione mercium de uno emporio, vel loco, ad aliud transmissarum, in quibus solus actus transmissionis ab uno mercatore ad alium dicitur importare mandatum, ut per Rot. Genuæ *dec. 14. num. 4. cum*
4 *seq.* ubi de tacito mandato inter mercatores, & circa res mercantiles, præsertim quis in facto docebatur Invitum in aliis negotiis fuisse ejusdem Mirandæ correspondalem: de facili enim præsumitur mandatum in eo, qui in aliis negotiis procurator esse solet, *ut in Avenion. pecuniar. 15. Januarii* 1648. coram Dunoz. *inter suas dec.* 786. atque alias actum esset de publico commercio præcipue inter mercatores, si commissiones, quæ dantur pro distrahendis mercibus ad eos transmissis, essent per emptores formiter
5 probandæ per scripturas publicas, quinimo, nec etiam per privatas apocas, vel epistolas, quas mercium emptores requirere non solent, neque tenentur, ubi a toto mercatore, palam, & publice mercaturam exercente, emptionem fieri contingat.

Multa enim ratione publici commercii in mercibus, aliisque in quotidiana contractatione consistentibus, conceduntur, quæ juris rigori, & regulis repugnant. Ut præsertim habemus, quod quamvis hypothecæ privilegium sit persequendi bona debitoris hypothecata penes quemcumque tertium, etiam per mille manus transierint, nihilominus æquitas, sive commercii ratio induxit hujus regulæ limitationem in mercibus, quæ licet sub hypotheca cadentes, donec sunt penes debitorem, attamen penes tertium foventem causam onerosam, cessante fraude, & mala fide, remanent ab illa immunes, nisi ageretur, non de mercibus singularibus, sed de integra illarum taber-
6 na, considerata tamquam corpore universali, juxta theoricam Bald. *l. ubi adhuc, C. de jure dotium*, quam cæteri sequuntur apud Gizzarell. *decis.* 62. Capyc. Latr. *decis.* 24. *n.* 12. Rot. *decis.* 107. *n.* 6. post Merlin. *de pignor.* Caval. *dec.* 259. Gansver. *decis.* 5. apud quos habetur dicta distinctio, de qua fusius in titulo de credito.

Prout licet rei Domino detur illius vendicatio a quocumque, penes quem invenitur, quamvis iste, in portu, in nundinis, vel alio publico emptorio emerit, ad text. *in l. incivilem, C. de fur. & habetur actum in Januen. vene sub tit. de feud. disc.* 58. *& in Rom. mercium pro Cucurno, hoc eod. tit. disc.* 129. Attamen si ematur a probato mercatore, cui idem dominus eas transmiserit, itaut non agatur de rebus furtivis, quamvis correspondalis mandati sibi traditi
7 limites excesserit, ex eadem ratione, de qua supra in creditore dictum est, nullatenus intrare videntur termini text. *in l. incivilem*, de quibus supra, quia ementes a mercatorib. merces in eorum tabernis, vel repositoriis existentes, non videntur obligati exquirere, an sint suæ, vel alienæ, & quale mandatum habeant ad vendendum, ideoque sibi imputet illarum dominus, cur correspondali minus fideli eas transmiserit, cum penes istum reperiantur de ipsius domini voluntate, & electione, quod non est in casu *d. l. incivilem*, in cujus etiam terminis ementes a mercatoribus, quibus juste credi potuit, adhuc probabilius videtur, concurrente bona fide, non debere molestari, ut habetur locis citatis, nam alias actum esset de publico commercio.

Et quamvis ex parte actoris diceretur, mandatum per primas litteras datum, fuisse per subsequentes limitatum, vel revocatum, replicabam tamen, mandati revocationem, sive modificationem deduci debuisse ad publicam omnium notitiam per edicta, vel alios publicitatis modos, stante præcedenti mandato puro, & libero, cujus vigore emptores ignari de subsequuta modificatione, recte mandatarii fidem sequuti sunt. Secus autem si restrictio, seu modificatio contineretur in ipso primo mandam ab initio, quia cum mandatario contrahens de istius facultatibus inquirere debet, ad text. *in l. sed si Pupilli, §. quod palam, ff. mandati, & l. inter causas, §. si quis debitori, ff. eod. cum concord.* per Mantic. *de tacit. l. 7. tit. 23. n. 18. & tit. 26. num. ult.* Roccus *respons.* 17. *lib.* 1. & ita bene distinguendo habetur *in Rom. Societatis de Rotignis* 10. *Februarii* 1648. cor. Ghislerio apud Salgad. in Labyrint. *dec.* 13. *&* 151. *part.* 10. *rec. & in eadem* 19. *Ju-* 8
nii 1645. apud Anton. de Marin. *resol.* 207. *tom.* 2. in quibus agitur de societate simpliciter, & indeterminate per litteras circulares ad negotiantium notitiam deducta, & deinde per apocam privatam inter ipsos socios ad certum tempus restricta, ut hujusmodi restrictio non præjudicet negotiantibus, habentibus proinde omnes socios obligatos, quamvis contractus initus esset cum uno post expiratam societatem, sive revocatum complementum, nisi revocatio per litteras circulares, aliosque modos ad publicam notitiam deducta sit, quod habetur latius tractatum *in Romana creditorum Lugi, & Serena, sub tit. de credito.* 9

Et hoc etiam in illis casibus, in quibus cum mandatario, vel socio, alieno nomine contrahitur, itaut sufficiens contrahendi potestas inquirenda sit. Multo magis ubi ageretur de emptione, quæ a publico mercatore, & negotiante fit de mercibus tamquam propriis, & proprio nomine, seu simpliciter alio non expresso, quia ex communi usu, quando a mercatoribus emuntur merces in eorum tabernis, vel repositoriis existentes, non inquiritur, an sint suæ, vel alienæ, unde quoties emptio est bona fide, itaut fraudis, & collusionis suspicio cesset, nimis publico commercio præjudiciale videretur, rigorosas juris regulas in hujusmodi mercantilibus contractationibus attendere; Atque præsupposita bona fide Judices hæc admittebant, sed punctus difficultatis erat in hujusmodi præsuppositi deficientia, a qua omnes aliæ inspectiones pendebant, ut infra.

Quo vero ad secundum punctum subsequutæ decoctionis Inviti mandatarii, an scilic. per illam revocatum esset mandatum, itaut male cum eo contractum sit, non solum post detectam, & publicatam decoctionem (quo casu res esset plana) sed etiam, ubi erat proxime decocturus, cum tali casu etiam pro decocto habeatur, Buratt. *dec.* 9. ubi addit Fenzon. *ad stat. c.* 114. *lib.* 1. *cum aliis in Rom. seu Neapolitana litterarum cambii, & in aliis, sub tit. de credito, vel cambiis.* Pro actore scribentes toti insistebant in proban- 10
do, quando quis dicatur proxime decocturus, & quale temporis intervallum ad hujusmodi effectum requiratur, cum terminum unius mensis attenderit Senatus Valentiæ apud Leon. *dec.* ..... ac terminum 14. dierum ante detectam decoctionem attenderit Rota apud Buratt. *d. dec.* 9. Alii vero solum triduum, vel aliud simile modicum tempus atten- 11
dant, ex allegatis per Rocc. *de decoct. mercator. notab.* 37. *num.* 108. *& seqq. post secundum vol. cons.* Et alicubi etiam longum plurium annorum præcedentium intervallum attendatur, præsertim in Civitate Bononiæ, ubi ex Statuto fori mercatorum, omnes qui intra quatriennium ante decoctionem contraxerunt, veniunt æqualiter per concursum, non curato privilegio, vel tempore, ut *in Bononien. census* 27. *Martii* 1647. *Ghisler. Bonon. discussionis* 14. *Decembris* 1654. *&* 5. *Maii* 1655. Bich. de qua causa habetur actum *in Bononien. Creditorum Crippæ, sub d. tit. de credito.* Sed in præsenti causa omnem difficultatem cessare dicebant, stante Statuto Anconitano disponente, omnes actus per octo dies ante detectam decoctionem censeri gestos a decocturo, ideoque invalidos remanere.

Verum dicebam, quod in hoc scribentes laborabant in æquivoco, dictaque inspectio incongrua erat terminis. Aliud enim est, ubi agitur de actibus gestis per decocturum

cum nomine proprio cum ejus creditoribus, sive cum aliis in istorum fraudem, & supplantationem; Aliud vero de actibus gestis cum eodem tanquam alterius mandatario, institore, seu negotiorum gestore.

Primo casu, quicquid nostri Doctores varient, veritas esse videtur, certam regulam tradi non posse, sed totum repositum esse in prudentis judicis arbitrio, ex singulis facti circumstantiis regulando; Multoties enim casus decoctionis est talis, quod etiam per plures menses a creditoribus, & aliis cum mercatore contrahentibus prævidetur, & multo magis ubi agitur de actibus ab ipso decocturo gestis ad favorem uxoris, filiorum, seu aliorum conjunctorum in creditorum fraudem, & supplantationem, quia ut plurimum isti infames, & perditi homines, de eorum statu bene conscii, cum fallacibus apparentiis negotiatores eludentes per annos, eorum futuram decoctionem prævident, itaut quo magis affectent pompas, & apparentias, eo magis augeatur suspicio; Multoties vero etiam ipsis decoctoris, aliisque negotiantibus casus contingit novus, itaut actus etiam per diem, vel horam antea gesti, bonæ fidei, & in statu habili censendi sint, quia nempe casus proveniat ab inspetato infortunio naufragii mercium, sive decoctionis alicujus mercatoris, vel correspondalis in diversa Civitate, vel provincia commorantis, ex quo ultimo casu probatissimos, & satis idoneos mercatores scio plures innocentes propriæ decoctionis damnum, & injuriam passos esse. Sive ex morte naturali ejusdem mercatoris alioquin probi, & idonei, ob pecuniarum, & bonorum occultationem a conjunctis, vel famulis, ut est casus *in Rom. seu Bonon. litterarum Cambii pro Federico, sub eodem tit. de cred. vel camb.* Unde erroneum dicebam in ista materia certi, & determinati temporis regulam dare.

Secus autem ubi agitur de contractu inito cum decoctu-
12 ro, tanquam alterius mandatario, seu negotiorum gestore, quia tunc, cessante in tertio contrahente collusione, vel mala fide positiva, ille qui, non mandatarii, sed mandantis fidem sequutus est, eum habet obligatum, quamvis mandatarius, vel institor esset decoctus, vel alias in malo statu, contrahenti tamen ignoto, quia mandanti imputandum est cur personæ minus idoneæ mandatum dederit, vel merces distrahendas commiserit, ejusque statum diligentius non inquisierit; Ideoque in æquali concursu ipsius mandantis, & tertii, qui cum mandatario contraxit, quamvis uterque de damno vitando ageret, melior est conditio tertii, utpote magis innocentis, quam mandantis culposi, ut per Jo: de Evia, *lib. 2. commer. terrestris, c. 11. n. 44. cum seqq.* Strac. *de decoct. p. 3. n. 52.* Rocc. *in notabil. post secundum vol. cons. tit. de decoct. notabili 48. n.* 148. unde nisi in tertio emptore probetur futuræ decoctionis, & præparatæ fugæ scientia, quæ in dubio non præsumitur, & ex plene deductis per Surd. *cons.* 128. *n.* 40. *& seqq.* & per Rocc.
13 *ubi sup. & notab.* 49. *n.* 150. contra mandantem judicandum venit. Præsertim ubi non agitur ad effectum agendi contra mandantem, qui, excipiendo, allegare possit cessationem mandantis ex immutato statu mandatarii, juxta ea, quæ in proposito habentur *in dict. Rom. seu Bonon. litterarum Cambii Federici*, sed ad effectum excipiendi atque excusandi malam fidem emptoris mercium jam consumptarum, ne dici valeat dolo, & culpa desiisse possidere, ut contra eum competere valeat actio subsidiaria ad pretium, juxta ea, quæ habentur *in d. disc.* 129.

Omnia hæc in puncto juris abstracte considerata videntur vera, & tanquam talia, per majorem, ac saniorem Judicum partem admittebantur, sed punctus difficultatis erat in applicatione ad factum ob deficientem bonam fidem, cum cujus præsupposito, & non alias præmissa omnia procedunt; Facti siquidem circumstantiæ unitim consideratæ, cum consueta regula, ut singula, quæ non prosunt &c. collusionem, & malam fidem satis clare convincere videbantur, quia Invittus reperiebatur debitor Castelli Mercatoris Veneti, qui erat socius Granatæ in Thesauraria, sive utilium particeps, atque tractatus de hujusmodi salium emptione facienda per menses absque conclusione, ob discordantiam in pretio præcesserat, nolente Invitto venditionem concludere pro oblato pretio sine certioratione, & approbatione principalis, & tamen ista non expectata, ex abrupto intra brevem terminum detectæ decoctionis dicta venditio pro eodem pretio, alias non acceptato, conclusa fuit, unde magna resultare visa fuit suspicio collusionis, quod scil. id actum esset pro reintegratione Castelli de dicto ejus credito consequendo; Quæ suspicio major reddebatur, ex eo, quod conventio super solutione pretii fuerat cum dilatione sex mensium, & deinde illa non curata, cum deductione sex pro centenario, simulatum fuit fieri in pecunia numerata, quæ nec vere intercesserat, cum processum fuerit per simplicem contrapositionem cum dicta partita Castelli; Unde nobis bonam fidem Granatæ absentis, ac ementis, mediante ejus agente, & procuratore exaggerantibus, ac etiam inculcantibus nullam adesse posse malam fidem Castelli Venetiis commorantis, & sic longa distantia absentis de Invitti infortunio ignari: Replicabant Judices, quod doceremus de vera, & effectiva pretii solutione, quia se promptos declarabant ad admittendas omnes propositiones ex parte nostra deductas.

Et quamvis replicaretur de vera, & recepta propositione, quod inter mercatores, & negotiantes, giratæ, seu 14
partitarum contrapositiones, ad evitandos inanes circuitus habentur loco veræ, & effectivæ solutionis in pecunia numerata, Gab. *cons.* 155. *n.* 21. *&* 26. *lib.* 1. Scacc. *de cambiis*, §. 2. *gloss.* 5. *n.* 55. Buratt. *decis.* 546. *n.* 1. Rot. *in Romana Cambii* 23. *Januarii* 1645. cor. Peutingerio; Replicabatur tamen, & bene, id esse verum ad effectus solutionis inducendos, quoties nulla fraudis, vel collusionis accedit suspicio, quæ in præsenti magis augebatur ex quadam alia cotiorum venditione inter eosdem apparenter facta cum pecunia numerata, quæ per eorumdem contrahentium apocam declarabatur ficta, & simulata; Ideoque resolutio justa, & rationabilis visa fuit, qualem in Advocatorum congressibus, contra sensum aliorum pro hac parte scribentium, semper prædixeram, ideoque exitus causæ fuit juxta meum votum, quamvis ob clientis affectionem desideratam proprii judicii fallaciam.

Hinc deficiente præsupposito bonæ fidei, inanis remanebat altera inspectio super qualitate actionis domino rei male distractæ, competentis contra tertium ipsam rem amplius non possidentem, utpote consumptam, seu distractam, de quo puncto in his etiam terminis mercium emptarum in porta, vel emporio a non domino, & per emptorem distractarum, an ipsarum domino contra istum aliqua competat actio ad pretium, habetur *in d. disc.* 129.

Præsupposita vero competentia actionis ad pretium, ex eo præsertim, quod vere illud solutum non esset tamquam male compensatum, cum debito proprii mandatarii decocti, seu decocturi. Altera disputata fuit quæstio super pretii quantitate, seu liquidatione, cum actor non acquiescens conventioni desuper habitæ cum mandatario ad jam d. rationem juliorum quatuor, & quartæ partis alterius julii, longe majorem quantitatem prætenderet, atque ad eam rationem, pro qua ipsemet emptor eamdem mercem aliis vendiderat, quasi quod in tanta quantitate remaneret de alieno locupletatus.

Hoc tamen assumptum injustum, & sine fundamento, etiam cum sensu veritatis, dicebam, quia licet emptor tamquam salinarum Cameræ Appaltator pro majori pretio saltem Communitatibus, & populis vendidisset, non inde tamen inferri poterat illud integre ab extero mercatore prætendi posse, quia in venditione, quæ fit per Appaltato-
rem Cameralem tamquam officialem Principis Communi- 15
tatibus, & populis, duplex pretium adesse dicitur, unum intrinsecum, consistens in valore ipsius materiæ, alterum extrinsecum in jure privativo vendendi pro pretio a publico determinato, in quo consistit Regalia, seu vectigal Principis, cujus ratione Appaltator pensionem solvit juxta magistrale in hac materia consilium, Soccini 156. *lib.* 2. & sæpius habetur in aliis, *hoc eodem tit.* Igitur prorsus vanum est dicere, quod mercator ad privatam utilitatem consequi velit istam secundi pretii extrinseci speciem a solo Principe, vel ab eo causam habente exigendam. Ideoque solum habenda erat ratio valoris intrinseci, quantum scil. importent pretium emptionis in salinis *Barletta*, necnon expensæ vecturæ, & non aliud, habita aliqua ratione periculi in itinere, ac industriæ.

Quinimo si istæ expensæ excederent valorem materiæ salis nostralis, adhuc dicebam, istum valorem attendendum esse: cum enim non ageretur de merce indifferenti existente in libero commercio, quam mercator cum ejus industria, & majori diligentia, plus, & minus, uni, vel alteri personæ vendere posset, sed de re differenti in commercio non existente, & quam ipsius dominus aliis, quam appaltatori vendere non poterat ex Apostolicis Constitutionibus Gregor. XIII. & Clem. VIII. id expresse prohibentibus, atque nisi appaltator emisset, mercator cogebatur, vel habere mercem prorsus inutilem, vel illam majori sumptu ad alias Provincias, & Principatus vendendam asportare; ideoque non

non videbatur emptorem ad plus teneri debere, quam ad id, quod impendere debuisset in salinis Cameralibus pro
14 æquivalentis quantitatis materiæ fabricatione, aliisque expensis, quia tanti, & non ultra sua intererat, & in hoc tantum dicebatur effectus de re aliena locupletior, cum illud plus, pro quo venditio facta fuit, percutiat vectigal, seu regaliam, ut supra, & ista consideratione habita processum fuit in d. pretii liquidatione, addendo aliquid plus supradicto pretio convento ad rationem, scilicet, si memoria non fallit, juliorum quinque.

PERUSINA COMPENSATIONIS, PROTHESAURARIIS UMBRIÆ, CUM CIVITATE PERUSII.

Casus disputatus coram Thesaurario Generali incertus est exitus.

An Dominus salariæ actionem habeat contra eos, qui salem habuerunt ab appaltatore eorum debitore, cum quo compensarunt.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversia.*
2 *Compensatio fit etiam in præjudicium creditorum anteriorum.*
3 *Quæ actio competat locatori contra subconductorem.*
4 *Quid contra habentem fructus rei conductæ titulo lucrativo.*
5 *Quando compensatio non intret in alterius præjudicium.*

DISC. CXVI.

1 CUm Camera Apostolica solita esset singulis annis certam salis quantitatem gratis distribuere aliquibus religiosis, & locis piis, istud onus injungere consuevit Thesaurariis Umbriæ salem prædictum ementibus, vel a Civitate, quæ est illius salariæ domina, vel ab ejusdem Civitatis appaltatoribus, bonificando, ut plurimum, pretium in onera per eamdem Civitatem Cameræ, vel ejus nomine, d. Thesaurariis solvenda. Cum autem salaria prædicta per Civitatem data fuisset in appaltum, primo cuidam Ridolphino, & deinde cuidam Codanti, qui ex causa mutui, vel alia, debitores dictorum Thesaurariorum effecti sunt, isti pro eorum crediti consequutione, compensarunt in propriis libris pretium dicti salis de eorum ordine per præfatos appaltatores respective distributi; Verum quia Civitas, appaltus integram pensionem ad. Appaltatoribus consequi non potuit, idcirco pro residuo recuperando egit contra d. Thesaurarios, tamquam debitores salis ad ipsam spectantis, & introducta causa cor. Thesaurario generali, hujusmodi controversiarum judice competenti in prima instantia, cum sensu etiam veritatis.

Injustam mihi videri dicebam Civitatis prætensionem,
2 quia compensatio dicitur ficta solutio, ejusque vicem habet, ideoque recte compensatur cum eo, cui libere solvi potest, non obstante præjudicio creditoris anterioris, cui tale nomen debitoris effectum esset, quoniam quicquid dubitaverint Franc. *decis.* 53. ejusque sequaces, de quibus Giurb. *observ.* 106. Salgad. in Labyrint. *part.* 3. *cap.* 5. §. *unic.* magis communis, ac in foro recepta est opinio contraria, quoties fraudis, vel collusionis suspicio deest, atque legis, vel hominis inhibitio non concurrit ex deductis, per Capyc. Latr. *dec.* 25. Giurb. *d. observ.* 106. Rot. *decis.* 107. post Merlin. *de pign.* quæ est ead. apud Otthob. *decis.* 55. *num.* 13. & *part.* 9. *rec. dec.* 183. ac frequenter deductum habetur in sua materia, *sub tit. de credito.* Unde quemadmodum ementes salem ab Appaltatoribus numerata pecunia tuti sunt, sic a pari, sibi imputet salariæ dominus, cur personæ minus idoneæ illam appaltaverit.

3 Adinstar ementis a conductore fructus prædii conducti, quod adversus eum, foventem causam onerosam, nulla locatori competit actio, ad text. *in l. solutum*, §. *solutam*, *ff. de pignoratitia actione*, Rovit. *dec.* 23. Cancer. *part.* 1. *variar. tit.* 14. *de locato*, *sub n.* 3. in terminis appaltuum Otthob. *decis.* 40. *n.* 51. & repetita post Merlin. *de pign. dec.* 99.
4 Quinimo etiamsi Appaltator alicui gratuitum salem dedisset, amplius non extantem, sed bona fide consumptum, adhuc salariæ dominus nullam adversus eum haberet actionem, cum nulla competat personalis adversus tertium ex contractu, vel quasi non obligatum; actio autem realis non datur nisi ad rem extantem, solumque officium judicis re

Card. de Luca, Lib. II.

non extante adversus tertium intrat, vel ubi dolo desiit possidere, vel ubi res extet in æquipollenti, quia nempe sit factus effectus locupletior, cum tunc intret vel condictio sine causa, vel æquitas desumpta, ex text. *in l. si me, & Titium, ff. si cert. petat. cum concord. in Rom. pro Cucurno, hoc eod. tit. disc.* 129. cum de reliquo sufficiat rem non mala fide consumptam habuisse esse ab eo, qui reputabatur ejus dominus, vel disponendi facultatem habebat, qualis dicitur Appaltator, quem sive dicamus dominum fructuum rei conductæ durante locatione, sive dicamus locatoris procuratorem in rem propriam ex iis, quæ habentur *in Rom. appalt. gabellæ carnis, hoc eodem tit. disc.* 71. semper fateri oportet eum habere liberam dispositionem fructuum, seu emolumentorum appaltus, eo durante.

Difficultatem aliquam faciebat capitulum appaltus, in
quo Civitas locatrix assumebat in se onus exigendi a Came- 5
ra Apostolica pretium illius salis, quem de Cameralium vel aliorum Superiorum ordine Appaltator personis, vel locis piis distribueret, eidem appaltatori bonificandum, quasi quod hujus salis pretium in certam causam ab initio destinatum sit, quia Civitas illud cum oneribus eidem Cameræ debitis compensare, seu contraponere solita erat, quod Thesaurariis innotescebat, dum eis, in locum Cameræ succedentibus, incumbebat eadem onera exigere. Et in hoc motivo ex parte Civitatis non deducto, aliquam dubitandi rationem subesse ponderabam, sed incertum est, ex qua causa defuerit occasio ulterius disputandi, dum post unicam disputationem amplius de causa actum non fuit, forsan concordia illam terminavit.

ROMANA LOCATIONIS VENÆ FERRI, PRO PRINCIPE PLUMBINI NICOLAO LUDOVISIO, CUM MARCHIONE CAROLO, ET JOANNE DE RINUCCINIS.

Casus varie decisus per Rotam, deinde concordatus.

De pretio, seu valore mineralium, in quo consistere dicatur, an in ipsa materia tamquam valor intrinsecus, vel potius in æstimatione, seu jure vendendi, Et an recipiat augmentum, vel decrementum ex qualitate venditionum, seu appaltuum, itaut differat pretium, ubi agitur de generalibus, & magnis, ac respective parvis, & diminutis.

An in hujusmodi mineralibus detur, quod venditor licite solvat, vel petat pretium, & retineat rem statuto tempore ab emptore non perceptam, & in quo istæ materiæ differant ab aliis mercibus, & rebus indifferentibus.

Appaltator, seu administrator generalis fodinæ ad quid teneatur, & in quo consistere dicatur fodinarum fructus, seu redditus.

Et an, & quando contractus locationis, & venditionis admixtus cum mutuo, dicatur usurarius.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncti, seu inspectiones controversiæ.*
3 *De quæstione, an contractus locationis, vel venditionis, admixtus cum contractu mutui sit usurarius.*
4 *Quando intret consideratio variationis, & incertitudinis pretii maximi, medii, & infimi.*
5 *Pretium appaltuum, seu venditionum generalium est longe inferius pretio appaltuum, seu venditionum particularium, & minutarum.*
6 *De ratione, ob quam resultat dicta pretii differentia inter venditiones, seu appaltus generales, & particulares, ac minutos.*
7 *De ratione, ob quam appaltus generalis, cum jure privativo debet esse minus, vel respective majus pretio.*
8 *Jus privativum est de Regalibus, & auget pretium.*
9 *Monopolium est prohibitum.*
10 *An in contractu cambii dicatur adesse mutuum verum, vel interpretativum remissive.*
11 *Venditor non potest obtinere pretium rei non traditæ.*
12 *De jure canonico non exigitur pœna conventionalis ultra interesse.*
13 *Fallit accedente juramento, & ubi obligatio consistit in faciendo.*

14 *Declaratur regula pœnæ conventionalis, de qua n. 22.*
15 *In quo differant mineralia ab aliis bonis, & mercibus.*
16 *Fructus mineræ, & fodinarum in quo consistat, & n. 18.*
17 *Quando locatur fodina, quid locari dicatur.*
18 *In fodinis constituitur fideicommissum, & usufructus, imponuntur census, dantur in dotem, cum similibus,*
29 *De suspecta consulentium auctoritate.*
20 *An appaltus contineat locationem, vel venditionem.*
21 *Suscipiens appaltum, vel administrationem fodinæ, ad quid teneatur, & quando dicatur esse in culpa.*

D I S C. XCVII.

CUm Venusii Princeps Nicolaus Ludovisius, prompte satisfacere deberet aliquibus mercatoribus Venetis,
1 qui pro eo assecuraverant, vel fecerant solutionem Cameræ Imperiali duodecies centenor. millium florenorum Rheni pro nominatione ad subfeudum Plumbini, de qua *in Massarem. Castror. sub tit. de feud. disc.* 54. De ann. 1635. initio adeptæ possessionis dicti Status, contractum iniit cum Marchione Carolo, & Joanne fratribus de Rinuccinis nobilibus Florentinis, per quem ad decennium eis concessit appaltum generalem venæ ferreæ Ilvæ sub pretio scutorum 38. & quartæ partis alterius scuti pro quolibet pondere, vulgo *cento* nuncupato, sub diversis pactis, en præsertim, quod ipse locator non posset quoquo modo, hujusmodi appaltu durante, d. venam contractare, etiam pro usu proprio, quinimo in se assumere deberet onus curandi, ne quicumque alii ibi habentes venam excavatam, seu minutos, hujusmodi merces contractare possent, itaut super ea jus omnino privativum esset ipsorum appaltatorum, qui econverso promiserunt (utendo in Italico idiomate, vocabulo *prestare*) dare, vel ab aliis dari facere prompte scuta 175. m. retinenda sub cambiis ad rationem septem pro centenario, cum pacto, ut tam de sorte, quam de cambiis, satisfieri deberent ex ejusdem venæ pretio, de quo singulis annis constituere tenerentur eum creditorem in scut. 22500. sive tantam venam eo anno levassent, sive non, quam in annis sequentibus levare possent, dummodo singulo quoque triennio fieret peræquatio, & cum aliis pactis, de quibus partim in discursu, & partim neglectis, utpote ad rem non facientibus.

Cum autem inter cætera ferri ædificia in Italia existentia, quæ hujusmodi venam elaborare solent, sit illud Magni Ducis Etruriæ, vulgo *Magona Florentiæ* nuncupatum, quod satis notabilem quantitatem ponderum 250. circiter singulis annis percipere, & elaborare solet, atque de præterito consuetum esset pro hoc ædificio hujusmodi mercem vendi ad solam rationem scut. 42. & sic longe inferiori pretio, quam pro aliis locis, & ædificiis, pro quibus, facta peræquatione, pretium erat scutorum 50. circiter; Dicti vero Appaltatores hujusmodi consuetudinem continuare nolentes, pretium alterare vellent, hinc hujusmodi innovatio causavit, quod dictæ *Magonæ* administratores per triennium abstinuerunt a laborerio, curando etiam facere experimentum cujusdam fodinæ, existentis in ibi proxima Insula nuncupata *del Giglio*, quæ tamen inutilis detecta fuit; Indeque sequutum est, quod hæc fodina ob hujusmodi adeo notabilis esitationis deficientiam, satis modicum redderet fructuum, longe consueto inferius. Unde propterea in anno quarto dicti appaltus, Princeps prædictus, illum de facto reassumpsit, denegando continuationem ob ejus invaliditatem, introductaque desuper lite coram Aud. C. de voto Rotæ, ac assumpta disputatione coram Verospio super dubio, *an contractus esset usurarius, & invalidus*, sub die 23. Martii 1639. de quo tempore Ego adolescens addiscebam praxim in S. Consilio Neapolitano, affirmativa prodiit resolutio. Deinde vero ob varios intermedios tractatus concordiæ, ac etiam ob quoddam compromissum, siluit causa usque ad ann. 1659. quando reassumpta disputatione coram altero Verospio subrogato super dubio: *An esset standum, vel recedendum a decisis*, sub die 2. Maii ejusdem anni, pro recessu, & sic pro validitate contractus responsum fuit, & hæc resolutio confirmata sub diebus 20. Februarii, & 26. Novembris 1660. quæ duæ posteriores decisiones sunt impressæ, post Zuff. *de legitim. process. decis.* 44. & 49. & omnes tres *post collucubrationem Bondeni decis.* 63. 71. & 82. Deindeque aliæ assumptæ fuerunt disputationes super variis punctis, concernentibus inter easdem partes data, & accepta, seu debitum, & creditum, variæque prodierunt resolutiones, uni, vel alteri respective parti favorabiles, *sub diebus* 30. *Junii* 1661. 6. *Martii*, & 12. *Junii* 1662. & 6. *Junii* 1664. *quarum prima est decis.* 88. *post Bondenum*. Ac demum prævio compromisso in tres ejusdem Rotæ Auditores, prodiit concordia, per quam controversia finem accepit.

In hujusmodi autem disputationibus, de pluribus articulis, seu quæstionibus actum fuit, de quorum aliquibus, circa relationem præsertim aliquarum solutionum in unam, vel alteram causam debendi, habetur actum sub hoc etiam causæ nomine, *sub tit. de credito*. Potissime vero, ac principales fuerunt tres. 2 Primo scil. super hujus contractus usuraria qualitate ex parte Principis locatoris prætensa ob mutui mixturam. Secundo, an vena suscepta, seu levata per Appaltatores in anno quarto referenda esset in supplementum illius venæ, quam in præcedenti triennio non susceperant ad proportionem scut. 22500. in quibus singulo quoque anno, ad formam pacti, locatorem constituere debebant creditorem, vel potius tenerentur ejus pretium bonificare pro d. anno quarto absque jure petendi d. venam deficientem; Et tertio (de quo solum disputatum fuit coram Arbitris, non tamen in plena Rota, unde propterea decisiones de eo non tractant.) An scil. dicti Appaltatores tenerentur bonificare id, quod importabat pretium venæ elaborari solitæ per *d. Magonam Florentiæ*, quæ ob d. innovationem, ipsorumque Appaltatorum factum otiosa steterat.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum prætensæ invaliditatis contractus ex capite usuræ, scribentes hinc inde, ac etiam d. decisiones, quamvis inter se variæ, concordabant in principio, seu theorica juris, solaque controversia fuit facti, seu applicationis; In hac etenim quæstione, an contractus locationis, seu venditionis, admixtus cum mutuo, dicatur usurarius, & quæ antesignanos habet pro una opinione Abbatem *cons.* 16. & pro altera Gemi- 3
nian. *consil.* 15. Quidquid aliqui variaverint, ex iis quæ habentur in hac eadem causa, *sub tit. de usur. disc.* 4. Attamen, magis communis, & recepta est distinctio contrariarum opinionum conciliativa, spectandam scilicet esse justitiam, vel injustitiam pretii deducti in locationis, & conductionis, seu emptionis, & venditionis contractum, cum altero mutui, correspectivum.

Si enim pretium est justum, quamvis aliqui nimium rigorose credant adesse usuram, ob illud emolumentum saltem affectionis, quod mutuans ex ea locatione, vel emptione, & venditione percipit, ac respective, ob necessitatem, qua mutuatarius astringitur ad d. alium contractum faciendum; Nihilominus verius est oppositum. Secus autem econverso, ubi accedit injustitia, ut opiniones conciliando, ac declarando doctrinam, Covar. *lib.* 3. *variar. c.* 2. *n.* 5. *vers. tertio tamen Adrianus*, firmant Rubeus *consil.* 20. *n.* 4. & *seq.* Mantic. *de tacitis lib.* 8. *tit.* 18. *n.* 19. Menoch. *cons.* 109. scribentes apud Farin. *cons.* 191. *lib.* 2. *n.* 16. 24. & 27. *cum seq.* Mattril. *dec.* 106. *num.* 7. *cum seq.* Castill. *decis.* 143. *num.* 1. 2. Molin. *decis.* 88. *repetit. post primum volum. cons.* Farinac. *decis.* 119. & cæteri deducti in prima hujus Causæ decisione 23. Martii 1639. & non negant aliæ illius revocatoriæ, rejectis traditis per Cravett. *consil.* 145. *n.* 10. & Adden. *ad d. decis.* 119 *post dictum primum volum. cons.* Farin. cum aliis *d. disc.* 4. *de usur.*

Quare tota quæstio erat facti, & applicationis, an scil. adesset, necne injustitia, quam Ego, & cæteri pro hac parte scribentes dicebamus claram, dum in facto justificabatur, plurium præcedentium annorum spatio, venæ pretium, facta peræquatione, majoris, minoris, ac medii, juxta singularum provinciarum, seu locorum respective consuetudinem, importare scuta 50. circiter pro quolibet pondere, unde cum hujusmodi appaltus, sive contineret locationem, sive venditionem, haberet pretium in scutis 38. & quarta parte alterius scuti, injustitia erat evidens, dum in singulis scut. 100. mutuantes erant in lucro, & mutuatarius respective in damno scut. circiter 27. ultra alia septem pro cambiis.

Neque in hac merce dicebam intrare posse distinctio- 4
nem in materia usuraria tradi solitam pretii, maximi, medii, & infimi, sive considerationem incertitudinis super ejus majori, vel minori alteratione. Quoniam hæc intrant in victualibus, aliisque mercibus, juxta temporum, & casuum contingentias, seu ob earumdem meliorem, vel inferiorem qualitatem, notabilem variationem recipientibus. Non autem in hac materia, quæ ob quoddam jus privativum a natura hujus fodinæ domino traditum in Italia, habet pretium pene certum juxta singularum provinciarum consuetudinem, & consequenter dici potest pretium civile, seu necessarium, in quo non datur d. distinctio, ut per Molin. *de contract. disp.* 347. & 364. Leotar.

de

de usur. quæst. 59. *num.* 23. apud quos concordantes; Quod habemus in sale, cujus pretium juxta singulas provincias, vel Civitates, varium, in singulis tamen respective est certum, & uniforme, unde dici potest pretium necessarium, seu civile, facta peræquatione,

Unicum autem fundamentum, cui revera innixæ sunt hujusmodi resolutiones pro injustitia pretii excludenda,
5 consistit in eo, quod justificationes ex hac parte deductæ percuterent appaltus, sed venditiones diminutas, & particulares, a quibus inferri non potest ad appaltus, seu emptiones generales, in quibus pretium longe inferius esse solet, ut ex originali sententia *Corradi* firmant, Reginald, *in praxi, lib.* 25. *n.* 281. Lessius *de just. & jur. lib.* 2. *c.* 21. *de empt. & vendit. dubit.* 4. Bonac. *de contract. disput.* 3. *qu.* 2. *punct.* 4. *n.* 21. Filiuc. *quæst. moral. contract.* 35. *cap.* 3. *n.* 58. & cæteri, de quibus in causæ primis decisionibus, super hoc puncto usuræ editis, impressis, ut supra,

Ita etiam docente totius Orbis, observantia, & praxi, præsertim circa appaltus generales salinarum, in quibus pretium, pro quo salinæ dominus illum vendit Appaltatori, esse solet longe inferius eo, pro quo populus diminute eamdem mercem emit, & tamen est pretium necessarium, seu civile, ex iis, quæ frequenter habentur, *hoc eod. tit. ad materiam salinarum*, præsertim *discurs.* 113. Et quod magis, ita comprobante observantia individua duorum appaltuum generalium hujus fodinæ, unius scilicet initi de anno 1577. inter tunc Principem Appianum, & M. Ducem Etruriæ, duraturi ad ann. 45. pro pretio scut. 59. pro quolibet pondere, & alterius initi de anno 1627. inter Regiam Cameram Neapolis, istum Statum tunc administrantem, & quemdam Sanguinettum ad triennium, pro pretio plastrarum 40. pro quolibet pondere, usque ad certam quantitatem, ordinariam nuncupatam, & plastrarum 30. pro quantitate exuberanti, quæ extraordinaria dici solet, ut etiam in appaltibus salis, & salinarum practicatur, ex deductis *in Fulginat. salis, disc.* 107. *& in aliis, hoc tit. ad illam materiam*.

Non negabam, scribens pro locatore, hujus assumpti, seu distinctionis veritatem in abstracto. Verum cum sensu etiam veritatis, dicebam fallaciam consistere in applicatione, unde propterea, etiam post hujusmodi causam concordatam, refrigeratumque illum affectionis calorem, qui Advocatorum intellectum frequenter fascinare solet, adhuc ad eamdem veritatem reflectendo, intellectus posterioribus resolutionibus acquiescere non potuit, potissime postquam recessum fuit a decisione 12. Junii 1662. per alteram 6. Junii 1664. super vana non levata in primo triennio, supplenda cum vena anni 4. de qua infra in secundo puncto, seu inspectione, & postquam compertum est, quod in laudo, seu concordia, nulla habita esset ratio de tertio puncto damnorum, resultantium ab acquiescientia Magonæ Florentiæ per trienoium, ut etiam infra.

Ideoenim, in hujusmodi præsertim materiis mineralibus, pretium appaltuum, seu partitorum generalium, ra-
6 tionabiliter esse soles longe inferius pretiis particularium, & diminutarum venditionum, quia ipsa materia de per se considerata nullum habet pretium, seu valorem intrinsecum, sed totus valor consistit in jure privativo vendendi statuto tempore, juxta magistrale consilium 156. Soccini *lib.* 2. de quo satis frequenter, *hoc eod. titul. ad materiam Salinarum*. Ideoque cum Appaltator generaliter in se suscipiat onus solvendi certam salis, seu consimilis materiæ quantitatem singulis annis, sive eam levaverit, & esitaverit, sive non, sub periculo, quod finito appaltu, & cessato jure vendendi, illa materia sibi remaneat inutilis, projicienda in flumen, seu mare, vel restituenda Appaltatori successori pro eo satis modico, & infimo pretio, quod importat ipsius materiæ valor intrinsecus, idcirco istud periculum compensat commodum, resultans ex pretii diminutione, ac propterea hujusmodi mineralium Appaltatores, adinstar Appaltatorum vectigalium, & gabellarum, emere quoque dicuntur incertam aleam, ex qua ditari, vel depauperari possunt, juxta majorem, vel minorem materiæ esitationem, in qua vere, & proprie consistit valor, seu substantia appaltus, juxt. *d. cons.* Soccin. 156. *lib.* 2. *cum aliis, supra disc.* 105. *&* 107.

Eademque ratio, proportionabiliter, ac respective cadit etiam in emptionibus, vel partitis generalibus, seu magnis, victualium, & mercium, quamvis valorem intrinsecum habeant, ob incommoda, & expensas super earumdem mercium conservatione, & diminuta venditione, ac etiam ob periculum corruptionis, seu diminutionis consueti pretii ob superventam ubertatem, sive insolitum, & insperatum concursum earumdem mercium ad locum. Ob quas rationes allegati auctores, & cæteri communiter hanc notabilem pretii differentiam ab injustitia salvant ratione compensationis cum periculo, incommodo, & expensis respective, ut supra.

Istæ rationes conveniebant dictis aliis appaltibus generalibus, præsertim secundo inito de anno 1627. per Sanguinettum cum Regia Camera, quoniam ipse in se susceperat onus, & risicum solvendi singulis annis pretium 800. ponderum, idemque respective procedit in altero priori appaltu Magni Ducis, in quo alia etiam ratio accedebat, ob quam illud deservire non poterat pro regula pretii, quoniam in eo sæculo, ut generaliter erat in omnibus aliis mercibus, & rebus, etiam pretium particularium, & diminutarum venditionum erat inferius ad rationem scut. 33. circiter pro quolibet pondere, ut in facto justificabatur.

In hoc autem appaltu, nullum conductores susceperunt onus, vel periculum circa esitationem, vel aliud, dum etiam ab illo naufragii in itinere erant exempti, stante pacto (quod tamen est consuetum, & connaturale) ut nau- 7
fragata aliqua venæ quantitate, deberet suppleri tantumdem, cum sola refectione expensarum pro effossione, seu cavatura. Et sic cessat illa ratio oneris, expensarum, & periculi, quæ unice sustinet d. pretiorum differentiam inter appaltus generales, & particulares, seu diminutos.

Alia etiam notabili differentia concurrente inter dictum appaltum, initum per Regiam Cameram, & istum; quod in eo appaltator, non omnino obtinebat illud jus privativum, quod est in hujusmodi appaltibus connaturale, & necessarium, dum præclusa non erat facultas fororum de Appianis, hæredum ultimi feudatarii, vendendi minutos tamquam fructus jam a feudo separatos, & de quibus habetur actum in Romana *annuæ præstationis, seu minutorum, sub tit. de feudis, disc.* 17. quæ prohibitio in præsenti accedebat.

Unde propterea hujusmodi ratione cessante, dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod hujusmodi qualitas appaltus generalis cum omnino jure privativo, quod natura in hac regione ad favorem hujus fodinæ induxit, potius retorqueretur, ac deberet producere majorem pretii alterationem, quam in particularibus, & diminutis venditionibus, ex ea clara, & convincenti ratione, quod particularis negotiator, qui certam venæ quantitatem in hac fodina emit, cum lege traducendi ad certam Civitatem, seu provinciam (ut est hujus materiæ, seu fodinæ consuetudo) incertus est, an alter negotiator eamdem mercem introduxerit, vel sit introducturus, unde ob ejusdem mercis affluentiam impediatur esitatio, seu pretii consueti diminutio causetur. Cujus oppositum est in appaltatore generali cum dicto jure privativo, quoniam ita certus est de negativa alterius introductionis, & successive tutus de esitatione, etiam pro sibi bene viso, & alterato pretio, tamquam de re humano usui necessaria, quæ aliunde haberi non potest.

Hinc propterea habemus, quod jus prohibendi reputatur species vectigalis, & de Regalibus, pretio æstimabile, unde auget pretium, cum importet privilegium, Galeot. *respons. Fiscal.* 10. *num.* 39. & habetur frequenter, *hoc eod. tit. in d. materia salinarum*; Et ex qua ratione, in jure, etiam sub gravibus pœnis, prohibetur dardanaria, vulgo *Monopolium* nuncupata, ob jus privativum, quod neque ita certum redditur, ob possibilitatem introductio- 8
nis earumdem mercium, & rerum ab extra, ac etiam quia non de facili practicabile est, ut dardanarius omnes merces acquirat, itaut resultet illud certum, & omnimodum jus privativum, quod in isto Appaltatore adesse dicitur, ubi est generalis, & cum dicto jure privativo satis stricte in conventionem deducto.

Ut de dardanaria, seu monopolio habetur, cæteris al- 9
legatis, apud Menoch. *de arbitr. casu* 569. Farinac. *in repertor. crim.* verbo Monopolium, Bovadill. *in politica, lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 54. Rovit. *decis.* 17. *n.* 5.

Huic autem motivo nunquam per scribentes in contrarium, vel in decisionibus data fuit adæquata responsio, quæ intellectum captivare posset; Quamvis enim tunc dicti scribentes dicerent, ac decisiones admitterent, quod dictum onus, seu periculum subintelligeretur pro quantitate consueta, juxta ea, quæ inferius in secundo, & tertio puncto habentur. Vel quod saltem intelligeretur susceptum onus pro illa venæ quantitate, quæ caderet in dicta summa scutor. 22300. quæ singulis annis ponenda erat ad credi-

creditum locatoria, ut supra. Nihilominus post sopitum istum punctum, iidem scribentes cecinerunt palinodiam, atque in ultima decisione 6. *Junii* 1664. ac in laudo, seu concordia id neglectum fuit, ut infra.

Consideratum etiam fuit pro exclusione usuræ, quod nulla adesset mixtura mutui sine quo illa non datur, cum 10 summa pecuniaria 175. mil. data esset, non sub contractu mutui, sed sub altero cambii. Verum, & hoc fundamentum, etiam in sensu veritatis, omnino fragile, nulliusque ponderis videbatur, ex iis, quæ habentur deducta in hac eadem causa in sua materia, *sub tit. de cambiis*, ubi clare ostenditur, quod mutui mixtura datur etiam in cambio, vel ob diversorum contractuum multiplicitatem in ista specie cambii obliqui concurrentem, ut in ista causa, & in altera Rom. *Cambior. disc.* 1. 2. vel ob conversionem in mutuum interpretativum, quæ nedum datur in cambio, sed etiam in contractibus emptionis, & venditionis, permutationis, locationis, & quocumque alio contractu. Quinimo, & in sententiis, & laudis, in legatis, & ultimis voluntatibus, omnique alio humano actu ex circumstantiis alterativis, & corrumpentibus naturam contractus, eumque in aliam diversam transmutantibus, ut in dictis causis, *sub tit. de cambiis*, & in sua materia, *sub tit. de usuris*.

Ponderabantur etiam plura pacta pretium augentia, vel respective minuentia, de quibus tam in prima decisione, quam in subsequentibus, & super quibus scribentes hinc inde nimis elaborarunt, præsertim nostri. Sed pro meo judicio eraqt levitates, ac inanes labores, resultantes a modica peritia hujus negotii, & subjectæ materiæ, cum fere omnia essent huic negotio connaturalia, mutuamque compensationem continerent, absque eo quod notabilem pretii alterationem, sive in plus, vel in minus producerent.

Quo vero ad secundum punctum, seu inspectionem, an scilic. Appaltatoribus licitum esset petere supplementum illius venæ, quæ cadebat sub pretio scut. 67500. de quibus in triennio, ad formam pacti, creaverant locatorem creditorem ad rationem scut. 22500. pro qualibet anno, ut supra, itaut vena habita in anno quarto, referenda esset ad supplectionem anni tertii. Dicebant scribentes pro Appaltatoribus, ibi assistere conclusiones, ac regulas generales juris, quod scil. venditor obtinere non potest rem, & pretium, atque istud ex re non tradita consequi, unde propterea in isto contractu, & quocumque simili, semper venditori, petenti pretium, obstat exceptio rei non traditæ, ad 11 text. *in l. Julianus*, §. *offerri*, *& l. ex prædiis*, *ff. de action. empti*, in puncto hujus venæ, Decius *consil.* 297. & constat regula, text. *in l. curabit cum ibi notatis*, *C. de action. empti*. Alias enim esset inducere pœnam, quæ hodie de jure canonico non exigitur, ultra id, quod interest, Afflict. *decis.* 135. *num.* 4. Rota *in Romana lignorum* 9. *Junii* 1603. coram Justo, ubi de reprobatione pacti adjecti, quod em-12 ptori sylvæ cæduæ licitum non esset levare ligna, statuto tempore non levata, quorum pretium solutum, vel solvendum esset, quoniam esset species pœnæ, & cum his, & aliis generalibus deductis *in d. ult. decis. 6. Junii* 1664. processum fuit, interpretando verba contractus, ut pactum venæ non levatæ percuteret retardationem pagarum, seu cessationem cambiorum, non autem restitutionem facultatis levandi venam non levatam, sed solutam.

Verum in hac etiam parte, probabilior mihi videbatur prima resolutio *anni 1662.* & consequenter minus probabilis hæc posterior. Quoniam quantum pertinet ad terminos pœnæ conventionalis non exigendæ, duæ cadebant limitationes ad rem facientes, una, ubi accedit juramentum ex deductis, *decis. Bonon.* 22. *n.* 40. *&* 41. & per Rot. *dec.* 170. *part.* 11. *rec.* ubi concordantes; Et altera ubi pœna non adjicitur solutioni quantitatis, seu alteri obligationi consistenti in dando, itaut inesse possit mutuum verum, vel inter-13 pretativum, & successive fraus usurarum. Sed adjicitur non implemento consistenti in faciendo, unde d. fraudis suspicio absit, ut erat in præsenti, ut firmatur *in d. decis. Bonon.* 22. *n.* 6. *cum seq.* Surd. *decis.* 259. *num.* 9. *&* 10. *dict. decis.* 170. *part.* 11. *rec.* Et conferunt, quæ habemus in materia pacti commissorii apud Leotard. *de usuris*, q. 69. *&* 70. quoniam illud reprobatum est in casu dictæ suspicionis, seu fraudis, secus autem ea cessante, & de quo in Tiburtina Castri S. Angeli, *sub tit. de usur. disc.* 8.

Verum quicquid sit de prædictarum limitationum subsistentia, & intelligentia, quomodo scilic. & quando procedant, ac recipiendæ sint, cum incidenter solum deducerentur, absque eo, quod formiter examinarentur, quia nulla suberat necessitas ad eas recurrendi; Credebam in proposito cessare omnem difficultatem ex cessante applicatione ipsius regulæ principalis procedentis, quando stipulatoris 14 nihil interest, itaut pœna conventa sit ad exorbitantiam, & concessionem adimplere debentis, unde creditor eam exigendo esset in mero lucro; Secus autem ubi subjecta materia, seu natura rei in contractum deductæ ita exigit, itaut hujusmodi pacta redolentia speciem pœnæ, soleant esse potius connaturalia, & consueta, ad præservandum alterum contrahentem a damnis, & interesse, alias resultantibus, ut in eisdem terminis pacti non extrahendi ligna a sylva cædua post statutum tempus, explicando *dict. decis. in Romana lignorum* 9. *Junii* 1603. *coram Justo* habetur *in mea Romana*, *sub tit. de locato*.

Id autem recte, ut infra, congruit huic subjectæ materiæ, unde propterea, etiam in sensu Rotæ, nulla cadebat quæstio potestatis, sed tota erat voluntatis, seu interpretationis dictæ conventionis, an scil. illa tanquam ambigua referenda veniret magis ad prohibitionem non levandi amplius venam singulo quoque triennio non levatam, ut prima vice resolutum fuit sub die 12. Junii 1662. vel potius ad suspensionem interusuriorum, ut credidit secunda dec. 6. Junii 1664.

Mihi autem, nedum in calore hujusmodi disputationum, sed etiam post controversiam sopitam, omnino probabilior videbatur prior intellectus per Rot. concordibus votis datus, non autem secundus, in quem non absque votorum scissura deventum fuit; Quoniam ista materia regulanda non est cum terminis, & regulis generalibus, cadequibus in aliis mercibus, bonis indifferentibus, prout sunt, triticum, vinum, saccharum, piper, & similia, habentia pretium, seu valorem intrinsecum, non amittendum in totum ex tempore, sed solum in aliquo alterabile; unde propterea intrat jam dictum inconveniens, quod venditor, seu locator locupletetur cum aliena jactura.

Non sic enim est in hac merce, quoniam cum agatur de materia, quæ de per se nihil valet, nullumque habet 15 valorem intrinsecum, quia totus valor consistere dicitur in temporaneo usu, seu smaltimento, dum agitur de magna, & indeficienti fodina, idcirco, excepta modica impensa effossionis, seu excavationis, nihil venditoris, seu locatoris interest conventam quantitatem statuto tempore levatam esse necne, quoniam levando nihil minuitur, & relinquendo nihil crescit, ut bene in his præcisis, & individualibus terminis hujus fodinæ, ita distinguendo habetur apud Corn. *cons.* 152. *l.* 4. Et in simili pacto non negat (loquendo pariter de hac eadem fodina) Dec. *cons.* 297. *&* 555. in quibus non impugnat pacti validitatem, sed curat excusare appaltatorem ob impedimenta. Dictique pacti, seu conventionis validitas ratione consuetudinis, ex mercatorum, & negotiantium testimonio probatæ, firmatur in specie per Rot. in una Rom. venæ ferri 24. Februarii 1592. coram Blanchetto, quæ in proposito est satis punctualis, & notabilis decisio.

Siquidem fructus, seu redditus, qui ex hujusmodi fodinis percipi dicitur, consistit, non in perceptione mate- 16 riæ renascentis, ut consuetudo est fructuum, qui dicuntur illi, qui renascuntur, & percipiuntur salva rei substantia, sed in ipsa exitatione substantiæ, seu rei principalis singulis annis, unde quemadmodum in aliis bonis, & prædiis fructiferis, quando natura copiosum præbet fructum, dicitur annus fertilis, seu uber, & e contra sterilis, vel damnosus, quando modicum, ita in præsenti, ubertas, vel respective sterilitas pendet a majori, vel minori exitatione.

Hinc proinde habemus, quod quando fodinæ dominus illam locat, seu concedit in appaltum, aliud concedere non 17 dicitur, nisi facultatem utendi pro eo tempore, quo elapso cessat, ut bene Gutt. *de gab. qu.* 36. *n.* 10. *cum seqq.* Et conferunt, quæ apud Socc. *consil.* 156. *l.* 2. & sæpius *hoc tit. ad materiam salinarum* habentur de appaltu salium, seu salinarum, quod non importat aliud, nisi jus, seu facultatem privative vendendi eam mercem statuto tempore, emendo alearn lucri, vel respective damni resultantis a majori, vel respective minori exitatione in tempore statuto.

Et licet in stricta juris censura id, quod ea hujusmodi fodinis singulis annis percipitur, potius pars sortis quam 18 fructus dicatur, quoniam fructus vere, & proprie dicitur ille, qui renascitur, ac singulis annis, vel temporibus, salva rei substantia, seu causa productiva, percipitur; Nihilominus ubi non agitur de parvis, & superficialibus minerriis modico tempore duraturis, sed de hujusmodi magnis, atque juxta tot sæculorum experimentum indeficientibus, tunc earum fructus consistere dicitur in ipsius substantia, an-

nuli,

nulli, seu temporanea consumptione, & esitatione; Unde propterea in eis cadit ususfructus, Ordinantur fideicommissa, Datur in dotem pro matrimonio carnali, seu pro dote Ecclesiæ, vel beneficii, Imponuntur super eis census, atque intrant pro pretio termini, text. *in leg. curabit*, *C. de action. empti*, cum similibus, ut per Garz. *de expensis*, *c.22. n.47.* Barbos. *in l. divortio*, *§ si vir*, *n.9. 10. ff. solut. Matr.* Barbat. *de divis. fructuum*, *p.1. cap.17. n.39.* Molina *de primog. lib.1. c.23. n.8. in fine*, Castill. *de usufr. cap.37. n.36.* Guttier. *de gabell. d. qu.36. n.11. & seq.*

Igitur quot sunt anni, tot sunt locatores, neque fructus unius anni commiscendi sunt cum fructibus alterius, ad text. *in l. hac distinctio*, *§.1. ff. locat. cum concor.* per Barbat. *de divis. fructuum*, *part.2. c.7. n.5. cum seqq.* Neque ex eo, quod conductor prædii, vel vineæ non percipit integros consuetos fructus anni præteriti remansos inutiles, & absque locatoris utilitate, sequitur eum non debere solvere pensionem, seu quod fructus anni sequentis referendi sint ad supplementum fructuum alterius præcedentis anni, & hunc dicebam esse casum.

Clarius vero, ac extra difficultatem, quia non integra perceptio, seu esitatio venæ consuetæ, non provenerat ab aliquo casu, vel justo impedimento, seu ex facto tertii, sed a facto ipsorummet Appaltatorum, qui volentes alterare consuetum pretium *magonæ Florentiæ*, retraxerunt istius ædificii administratores a consueto laborerio; (Quidquid enim sit, an id præberet actionem contra eosdem ad damna, & interesse, ut infra in tertia inspectione;) Ad effectum tamen prædictum, ne fructus unius anni referri debeant ad fructus in anno præcedenti non integre perceptos, ista circumstantia videbatur ponere rem in claris.

Adversus hæc, deducebatur per scribentes in contrarium auctoritas punctualis Caballi *consil. 86. lib. 2.* ubi in individuo pro M. Duce hujus fodinæ Appaltatore generali ratione appaltus, ut supra initi ad annos 45. de an. 1577. sustinet contra tunc Plumbini Dominum locatorem, quod
9 M. Dux appaltator non teneretur ad solvendum pretium venæ non habitæ, ex dictis regulis generalibus prohibentibus petere pretium rei non traditæ.

Verum in hac auctoritate satis verificari observabam id, quod mea est frequens consuetudo dicendi, ut nulla fides adhibenda sit Consulentibus, utpote ad solum causæ servitium, seu opportunitatem clientis, & ad pecuniam scribentibus, ut clare verificabatur in isto scribente, qui erat etiam minister stipendiatus. Ideoque bene dicit Franch. *decis. 260. n.5.* quod quando allegantur consilia, videre oportet decisiones desuper editas, quod etiam dixit Rota *in Lauden. sensus 21. Junii 1666. Taja.*

Probabilius autem est in d. casu *Caballi* decisionem fuisse in contrarium, dum idem Appaltator in controversia postmodum habita cum subappaltoribus, prævia formali probatione hujusmodi consuetudinis ratione subjectæ materiæ, obtinuit eam canonizari per Rot. *in d. Romana venæ ferri 24. Febr.* 1592. cor. Blanchetto, ad ejus favorem edita.

Dicebant ulterius scribentes in contrarium, ad evitandum d. motivum, quod fructus unius anni confundendi non essent cum illis alterius. Quod hujusmodi appaltus, vere, & proprie non contineret locationem ipsius fodinæ,
10 dum præfinita erat quantitas ponderum, distributo pretio in singula pondera, sed quod potius dicendus esset contractus emptionis, & venditionis; Hoc autem erat æquivocum clarum, quoniam in hujusmodi materiis mineralibus, in quibus fiat appaltus generalis cum jure privativo, determinatur numerus, seu quantitas materiæ levandæ, & solvendæ, cum distributione pretii in singulas mensuras, vel singula pondera, quia sic exigit subjecta materia, & ad tollendas fraudes, quas Appaltator facere posset in supplantationem locatoris, vel successoris in appaltu, ut practicatur in appaltibus salis, seu salinarum, qui tamen ubi fiunt per plures annos, distributis respective pretio, & quantitate in singulos annos, dicitur locatio, ut punctualiter Soccin. *d. consil. 156. lib. 2. in princ.*

Et nihilominus, ubi etiam contraria fundamenta essent majoris ponderis, dicebam ea prodesse posse, considerando Appaltatorem in suis potis, & simplicibus terminis appaltatoris, ad effectum, ut urgeri non posset ad solvendum pretium rei non habitæ, juxta casus, de quibus agunt Dec. *d. consil. 297.* & Caball. *d. cons. 82.* Sed hoc admisso, pernecesse exinde resultabat destructio fundamenti, cui innixæ sunt priores decisiones circa punctum usuræ, cujus inspectio pendebat a justitia, vel injustitia pretii, firmando quod pretium, etsi inferius, non esset injustum.

Eatenus enim pretium appaltuum, seu venditionum generalium absque injustitia est inferius venditionibus particularibus, & diminutis, quatenus Appaltator, seu emptor suscipiat in se aleam futuræ incertitudinis, & periculi, quod pars mercis solutæ remaneret inutilis, cum aliis incommodis, damnis, & periculis ut supra; Cessante autem hujusmodi periculo, tunc, neque legalis, neque humana ratio subesse videtur, quæ pretii injustitiam salvet. Atque hic mihi videbatur punctus inevitabilis, quod scil. non possent insimul stare diminutio pretii ratione appaltus generalis, & hujusmodi facultas levandi, quandocumque mercem non levatam, & non esitatam in suis temporibus, ideoque unum de duobus pernecesse dare oportebat.

Demum quoad tertiam, & ultimam inspectionem damnorum, & interesse, ob denegatam consuetam venditionem venæ magonæ Florentiæ pro soluto inferiori pretio. Dicebam scribens in causa, adhuc certum videri bonum jus locatoris, stante pacto prædicto ipsius prohibitivo, ne aliquo modo durante appaltu in venæ contrectatione se ingereret posset etiam pro usu proprio, unde sequutum est, quod acquisitis per Principem locatorem furnis, & ædificiis ferri, coactus fuit emere rem suam ab eisdem Appaltatoribus, cum augmento scutorum decem circiter pro quolibet pondere.

Ita enim d. Appaltatores suscepisse dicuntur hujusmodi fodinæ generalem administrationem, ac mandatum ad vendendum, unde propterea præstare debebant diligentiam, ut perciperentur consueti fructus juxta solitum, Carroc. *de loc. tit. de consuet. n. 3. 4.* Carpan. *de Statut. Mediolani*, *c.379. n.41. & seq. vol. 2.* Pondetando etiam regulam generalem, 21
obligantem mandatarium erga mandantem ad culpam latam, & levem, de quibus nemo dubitat, ut juxta unam opinionem etiam ad levissima, ex late deductis per Harprecht. *in §. is qui*, *Instit. de mandato*, *n.21. cum seq.* & quam conductoris obligationem de percipiendo fructus consuetos admittunt etiam primæ tres decisiones, ad effectum excusandi usuram, & injustitiam pretii, quibus terminis retentis, hujusmodi damnorum refectio resultare dicitur de consequenti, quia non potest mandatarius, vel administrator pro ejus libito, & ratione proprii majoris lucri, ita sperati, negligere consuetam venditionem, quinimo eam positive denegare.

Maturius tamen post causam sopitam, reflectendo ad veritatem, mihi videbatur hoc factum dici non posse culposum, sed potius prudens, & bene ordinatum ad eam utilitatem, quæ tunc, & temporaliter, fuisset quidem ipsorum Appaltatorum, cogendo scil. hujusmodi ædificii dominum, vel administratores ad emendam venam pro eo majori pretio, pro quo reliqua ædificia emere solent. Sed principaliter, & perpetuo redundasset in ipsum fodinæ dominum, ut comprobavit experientia longi appaltus, quem, ut supra spatio 45. annorum tenuit M. Dux Etruriæ, quoniam cum tunc consuetum pretium esset scut. 33. circiter pro quolibet pondere, d. Appaltatoris diligentia, & parcitas in primis annis vendendi, ob jus privativum, quod, ut supra, natura huic fodinæ dedit, causarunt, quod etiam antiquiori tempore, quando rerum pretia erant inferiora, vendita fuit vena ad rationem scut. 53. auri, ut patet ex decisione in alia Romana *vena*, *decis. 555. part. 4 rec. tom. 3.* Et sic aliud est, ut tamquam ex actu culposo tenerentur ad damna, & interesse, Aliud vero, quod deberet currere aliquod periculum consuetæ, seu præfinitæ quantitatis singulorum annorum ad effectum regulandi justitiam, vel injustitiam pretii, ut supra. Sed concordia a Me etiam laudata, & consulta, his omnibus finem dedit.

ROMANA FERRACCII, PRO PRINCIPE LUDOVISIO, CUM FRATRIBUS DE SIRIS.

Casus decisus per A. C. pro Principe, & deinde concordatus.

Periculum rerum venditarum consistentium in pondere, numero, vel mensura. An, & quando sit venditoris, & emptoris. Et quando venditori non obstante exceptione rei non traditæ jus competat consequendi pretium ex peculiari natura mineralium.

Casus belli, cujus damno cedere debeat, & an dicatur sequutum ex culpa venditoris, seu locatoris, itaut emptorem, vel conductorem liberet.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*

2 *De exceptione rei non traditæ, & an ex pacto venditor agere possit ad pretium, quamvis traditio sequuta non esset.*

3 *In rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, his non sequutis, periculum est venditoris.*

4 *Fallit, ubi emptor est morosus in accipiendo, ac per eum stat.*

5 *Extenditur limitatio, ut venditor possit etiam bona vendita projicere.*

6 *Quando dicatur incursa mora, & an dilatio conventionalis concessa emptori illam non tollat.*

7 *An bellum motum in odium venditoris, seu locatoris excuset emptorem, seu conductorem a mora in rei perceptione.*

8 *Bellum inter casus fortuitos computandum est.*

9 *De differentia proveniente ex casu belli moti per hostes locatoris, vel venditoris, & ex causa privatæ inimicitiæ.*

10 *Quæ requirantur, ut emptor, vel conductor actionem habeat contra venditorem, seu locatorem pro damnis illatis ab ejus inimicis.*

DISC. CXVIII.

1 PLumbini Princeps Nicolaus Ludovisius ingentem ferraccii quantitatem vendidit fratribus de Siris, tunc Appaltatoribus Status *Castri*, & ferreriarum *Ronciglioni*, spatio novem annorum, juxta distributas in singulos annos ratas percipiendam, eo adjecto pacto, quod tenerentur pretium statis temporibus solvere, sive mercem receperint, sive non; Ipsis autem in duobus, vel tribus annis ante Status invasionem, consuetum ferraccium recipere negligentibus, casus dedit, quod ferraccium ibi in magna quantitate existens a Gallis occupatum, & distinctum fuit; Quare Princeps prædictus de anno 1648. occupatione adhuc durante, eos pulsavit coram A. C. ad solvendum residuum pro integro tempore decurso ex causa dictæ venditionis debitum, eisque opponentibus rei non traditæ exceptionem, assumpta fuit disputatio.

2 In qua scribens pro Principe (atque hujus causæ occasione Advocationis muneri formiter, & publice initium in ista Romana Curia dando.) Dicebam, pactum esse clarum, emptores teneri ad conventi pretii solutionem statutis temporibus, quamvis venditam mercem non accepissent, unde licet de jure, venditori ad pretium rei venditæ agenti obstet exceptio rei non traditæ, ad text. *in l. Julianus*, §. *offerri*, *ff. de actionibus empti*, Nihilominus idem jus non prohibet ex partium conventione recedi posse; ut omissis generalibus, in specie ementis venam a Domino Plumbini, seu Appaltatore generali hujusmodi folinæ, ut non obstante hujusmodi exceptione, etiam in casu, quo certum sit rem amplius tradi non posse, teneatur ad pretium, firmavit Rota *in una Romana venæ ferri 24. Februar.* 1592. cor. Blanchetto *de qua disc. præced.*

Et quamvis, Dec. *consil.* 297. *alias* 298. in eisdem præcisis terminis, (in quibus tamen poterat volens venditor rem tradere, sed ob lapsum temporis prætendebat vigore pacti amplius non teneri) non negando pacti validitatem, curet excusare emptorem, quasi quod conventio intelligenda sit de re amplius non petenda per viam actionis, soluto jam pretio, secus autem per viam exceptionis ad venditorem pretii petentem repellendum. Ei tamen in specie respondet Rot. *in d. decis.* ac latius in terminis venæ, etiam ubi est in facultate venditoris tradere, agitur assignata ratione *in Romana locationis venæ ferri, discursu præcedenti*; Nos autem versabamur in terminis clarioribus, quia in venditoris facultate amplius non erat tradere mercem venditam, utpote casu belli ab hostibus occupatam, ideoque periculum debuit esse ipsius emptoris, tanquam domini, ut in specie ista ratio, quamvis ex diverso casu deducitur per Rot. *in alleg. decis.* cor. Blanchetto.

Ex parte emptorum acriter insistebatur, quod in rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, in emptorem non transfertur dominium, & successive illius non est periculum antequam mensuratio, numeratio, vel ponde-
3 ratio sequatur, sed utrumque ad venditorem pertinet, ad text. *in l. quod sæpe*, §. *in his*, *ff. de contrahenda emptione*, *& l. 2. C. de periculo, & commodo rei venditæ*, *cum pluribus concordantibus*. Nihilominus non negata regula, illam limitari dicebam, ubi mora emptoris intercedit, atque per eum stat, quominus traditio, seu mensuratio, vel ponderatio sequatur, ut probat idem text. *in d. l. 2. in l. si per emptorem*, *& l. illud*, *ff. eod. tit. de periculo, & commodo rei venditæ*, ibique gloss. & DD. communiter, Gomez. *lib. 2. var. resol. tit. de emptione, & vendit. n.* 32. Medices de casibus fortuitis, *qu.* 10. *part.* 2. *n.* 106. 4

Quod adeo verum est, ut lapso statuto tempore, ac emptore rei traditionem non curante, si venditori impedimentum præstet, possit etiam rem venditam projicere, vel emptoris sumptu ex ejus fundo tollere, ut in terminis emptoris lapidum est text. *in l. si is qui lapides*, *ff. de actionibus empti*. Et in terminis venditoris vini, quod imminente nova vindemia, non curante emptore vinum accipere, possit venditor pro evacuandis doliis, ut vinum novum reponeret, illud etiam projicere, est text. clarus *in leg.* 1. §. *licet autem*, *ff. de pericul. & commod. rei vend.* 5

Unde cum statutis temporibus venditores ferraccium accipere, & levare non curaverint, quando in libera facultate venditoris erat illud tradere, eorum debuit esse periculum. Accedente præsertim pacto, quod cessare facit rationem supradictæ regulæ, quod scil. venditio rerum consistentium in pondere, numero, & mensura, eam habere censeatur conditionem, si ponderatio, numeratio, vel mensuratio sequatur, quia hæc juris præsumptio, in dubio admittenda, cedit contrariæ veritati ex pacto resultanti, & fortius ratione subjectæ materiæ, quia de natura hujusmodi mineralium est, ut eorum esitatio fiat in singulos annos, & statuta tempora, in quibus est vis, cum venditoris nil, vel parum intersit rem invenditam remanere, ejusque massam fieri, *ut in d. Rom. locat. venæ ferri*, *disc. præced.*

Negabatur ex parte emptorum mora (quam dicebam singulis annis contractam ex lapsu conventi temporis, juxta text. *in l. magnam*, *C. de contrahenda, & commit. stipul.*) stante alio pacto, quod si singulis annis ferraccium non levaverint, teneantur quidem statutis temporibus solvere pretium, sed intra integrum novennium, ac alium annum post illud expletum, levare possent mercem emptam, ideoque propterea stante hujusmodi conventa dilatione adhuc durante, moram in illis considerari non posse contendebant. Sed minus tutum erat refugium, siquidem dies adjecta perfectioni, & executioni contractus, ac traditioni rerum eum deductæ, consistebat in fine cujuslibet anni, per cujus lapsum mora hinc inde respective inducebatur. Subsequens autem pactum importabat unum ex tribus, vel scil. quod annus post expletum novennium esset terminus adjectus gratia omnino terminandæ, & extinguendæ obligationis venditoris, itaut quamvis pretium recepisset, ac in ejus libera facultate esset rem tradere, adhuc tamen amplius non teneretur, prout vere tam verba contractus, quam subjecta materia, & negotii natura suadebant, ut in præcedenti, ideoque intrat regula, quod mora non oritur ex die adjecta gratia extinguendæ obligationis, ad text. *in leg. ex empto alias l. emptore*, §. *Cassius*, *ff. de action. empti*.

Aut quod contineat gratiosam dilationem, emptoribus concessam ad faciendum id, quod alias facere non possent de merce, singuloquoque anno non levata, ita suadente hujus negotii natura, seu consuetudine, *ut plenius d. disc. præced.* Vel demum id fuisse concessum in gratiam eorumdem emptorum, ne venditor lapso statuto tempore illos cogere potuisset ad disbrigandum magazenos, seu repositoria, quodque alias venditori licitum esset mercem projicere juxta terminos text. *in d. l.* 1. §. *licet autem*, *ff. de periculo, & commodo rei venditæ*, *& l. si is qui lapides*, *ff. de actionib. empti*. Numquam vero tolli posse videbatur fundamentum, de quo supra, quod scilic. per emptores steterit, quominus statuto tempore receperint ad inducendam in eis moram, non quidem culposam aliquam pœnam irrogantem, sive interesse producentem, sed tantum causantem effectum prædictum habendi rem ex parte venditoris pro tradita, itaut emptoris periculo remaneret, prout regularis natura est hujusmodi contractus post illum perfectum, exceptis hujusmodi rebus, in pondere, numero, vel mensura consistentibus, cum modificatione, ut supra.

Aliud ex parte emptorum, solutionem effugere curantium, excitatum fuit motivum, quod casus belli, & invasionis adscribendus esset culpæ venditoris, quasi quod in ejus odium id gestum esset, allegando Bald. *in l. si ea lege n.* 12. *& seqq. C. de usuris*, Corn. *cons.* 23. *lib.* 2. firmantis casum belli moti contra locatorem, sive ex justa, sive ex injusta causa conductorem excusare; Pluribus tamen mediis hunc objecto de facili occurrebam. Primo nempe quia illud

illud percuteret casum illius mercis, quæ levanda esset de tempore, quo Status occupatus erat, itaut considerando emptores tamquam species conductorum (sub quorum, seu Appaltatorum nomine, etiam hujusmodi particulares emptores nuncupari solent) dictum impedimentum justam præbere posset causam ad petendam remissionem, in quibus terminis loquuntur allegati, in quibus tamen neque procederet, nisi facta aliorum annorum peræquatione,
8 damnum esse intolerabile juxta terminos text. *in cap. propter sterilitatem*, quia vere bellum inter casus fortuitos computandum est, neque ad praxim deduci potest, ut culpæ positivæ id adscribatur, ut bene considerant Mandos. *conf.* 79. *n.* 9. & alii apud Larteam *alleg.* 17. *cum seqq.* Et secundo quia quidquid vulgus diceret de armis Regis Christianissimi, motis ad dicti Status occupationem ob excitationem, & instantiam aliquorum privatorum inimicorum, seu æmulorum ipsius Principis, attamen id merebatur inter fabulas reponi, quia vere mota fuerunt ex causa publicæ inimicitiæ inter Reges & fines ponderatos *in Januen. vena*, *sub tit. de feud. disc.* 58. Unde quoad dicti Status possessorem aliosque interessatos, mero casui referendum erat.

Consideratio siquidem culpæ cadit in eo damno, quod
9 a privatis inimicis venditoribus, vel locatoribus infertur, quo casu inspicitur cujus culpa inimicitiæ provenerint, sed manifestum æquivocum esse dicebam ut ea, quæ Doctores dicunt de damno illato ab inimicis, applicanda sint bello publico, quod semper tribuendum est casui fortuito, cujus periculum in præsenti fuit commune, venditori scilicet pro rata illarum mercium, in quibus dici non poterat per emptores stetisse quominus illas reciperent, & emptoribus pro rata illorum annorum decursorum, in quibus per eos stetit, quominus tempore non impedito reciperent mercem.

Præterea, ut emptor adversus venditorem, vel condu-
10 ctor adversus locatorem actionem, vel exceptionem habeat ad interesse pro damno, quod ab ejus inimicis illatum infertur, duo copulative requiruntur; Primo quod damnum datum sit in odium venditoris, seu locatoris ab ejus inimicis, ut ipsum in bonis suis damnificarent, alias non damnificaturi, & secundo, ut inimicitia, seu causa damni fuerit præexistens de tempore contractus, secus autem si supervenerit, quia quæ sequuntur post contractum, non habent causam retro, sed emptoris damno cedunt, *l. Lucius*, *ff. de evictionibus*, Alex. *in l. stipulatio ista*, *n.* 15. *ff. de verb. obligationib.* ibique bene Jason. *n.* 14. Mantic. *de tacitis*, *lib.* 4. *tit.* 27. *n.* 41.

Et nihilominus etiam in præexistente de tempore contractus, limitandum crederem, ubi venditoris, seu locatoris inimicitia esset publica & notoria, quia conductor casum prævidere potest, unde censetur periculo se exponere voluisse, neque casus inde contingens dicitur inopinatus; Ut de conducente bona prope flumen, cujus inundationes ex ipsius rei aspectu, & frequenti contingentia prævideri possunt, ut ob damnum inde contingens remissionem non petat, nisi accedat pactum, *est plena decisio* Coccini 422. & de conductore tempore pestis, vel belli actualis, vel jam imminentis cum similibus, Caval. *dec.* 618. *n.* 7. Capyc. Latr. *consult.* 40. *n.* 34. *& seqq. ubi cæteri*.

Juxta præmissa judicatum fuit ab A. C. proindeque relaxatum mandatum contra emptores, a Signatura Justitiæ canonizatum, sed plures deinde exortæ sunt controversiæ super calculi dati & accepti, præsertim occasione cujusdam magni ovilis per debitores creditoris, annis præcedentibus, simpliciter & absque aliqua tituli expressione traditi, quod ex quodam morbo satis notabiliter diminutum fuit, an scilicet diminutio cedere deberet damno creditoris, vel debitoris, quod pendebat a puncto, an debitore simpliciter dante bona creditori, censeatur in pignus, vel in solutum; Admittebatur enim hinc inde, ex magis communi, & recepta sententia, præsumptionem esse in pignus, ut creditor prætendebat, unde sequebatur periculum esse debitoris, ex cujus tamen parte allegabatur hujusmodi regulæ limitatio ex conjecturis, aliisque adminiculis & circumstantiis, dationem in solutum inducentibus, & successive periculum in creditorem esse deductis *in Anconitana*, *sub tit. de credito*, *& in Tiburtina Castri S. Angeli*, *sub titulo de usur. d. disc.* 8. Quare post plures discussiones satis honesta concordia controversiæ finem præbuit.

ANNOT. AD DISC. CXVIII.

CONtenta in hoc discursu percutere videntur potius materiam emptionis, & venditionis, quando scilicet periculum sit emptoris, vel venditoris, ideoque videndum in sua sede *sub tit. de Empt. & vendit. disc.* 16. *&* 8.

FERRARIEN. DECUPLI, PRO HÆREDIBUS FRANCISCI RIMBALDESII, CUM CAMERA.

Casus sopitus per Concordiam.

De pœna decupli imposita per Bullam Pauli Tertii contra fraudantes fiscum, & Cameram, quando incurratur, & quid ad hunc effectum requiratur; Et an petatur mortuo delinquente, & de præscriptione dictæ pœnæ.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *An, & quando administrator exhibens computus infideles dicatur in dolo.*
3 *Ad pœnam conventionalem sufficit dolus præsumptus.*
4 *Ut confessio prejudicet, & convincat de mendacio, debet esse clara, dilucida, & concludens pernecesse.*
5 *Confitens potest declarare confessionem propriam dubiam, & æquivocam.*
6 *Donator donationem irrevocabilem potest declarare, si est dubia.*
7 *Mandans potest declarare mandatum dubium.*
8 *Convinci non potest de mendacio, vel dolo, qui erravit in modo calculandi, & ordinem temporum pervertit.*
9 *Salis consignatio anticipate appaltatori facienda est, & de ratione, & implementum post tempus non attenditur.*
10 *A quo tempore appaltus initium habere, ac regulari debeat, & annus dimidiatus quomodo attendendus.*
11 *Vinearum locationes incipere solent post vindemias.*
12 *In regulandis annis appaltuum & locationum quale initium spectandum sit.*
13 *Ad excusandum a pœna Decupli ob mendacium, vel fraudem in computis, qualibet probabilis causa admittenda.*
14 *Bulla Pauli III. super pœna decupli ob rationes infideliter datas, habet solum locum in partitis omissis introitus.*
15 *Assignatur ratio dictæ propositionis.*
16 *Quid ad effectus decupli requiratur dolus verus.*
17 *Ultra dolum requiritur perseverantia usque ad partitæ minus fidelis bonificationem, quia datur pœnitentia.*
18 *Distinctio, quando in his terminis requiratur dolus & quando, non inter pœnam mitiorem, & graviorem.*
19 *In duplo, triplo, vel decuplo an contineatur simplum.*
20 *Probatur de jure dicta distinctio inter pœnam graviorem, & mitiorem.*
21 *De pœna creditoris, debitum bis petentis.*
22 *Ad effectum hujus pœnæ decupli, vel similis, spectandus est effectus, an scilicet Camera Principis remaneat defraudata.*
23 *Mors extinguit delictum & pœnam, & quando contra mortuum procedi possit.*
24 *Moriens præsumitur memor æternæ salutis.*
25 *Crimen peculatus cessat per mortem.*
26 *Declaratur conclusio, quod pœna conventionalis non postulat dolum, ac non cessat per mortem.*
27 *Moriens per manus justitiæ dicitur voluntarie mori, & occidi a seipso.*

D I S C. CXIX.

TErminato primo appaltu generali Ferrariæ, suscepto per Franciscum Rimbaldesium in fine anni 1647. atque 1
non reperto novo appaltatore, stetit appaltus in administratione Officialium Cameræ usque ad mensem Augusti ejusdem anni, de quo tempore illum denuo suscepit idem Rimbaldesius, ea lege, ut initium habere deberet a prima Julii præcedentis, & terminare in fine Decembris 1657. & sic per annos novem cum dimidio, cum consuetis pactis, illo præsertim, quod Camera singulis annis te-

netur

netur sibi gratis tradere saccos 7000. salis, nempe 5000. pro Statu Ferrariæ & 2000. pro usu Civitatis & vallium Comacli, alias Clomachi, ut in alia *Ferrarien. hoc eod. tit. disc.* 109.

Cum autem salinæ Cerviæ, ex quibus dicta salis quantitas præstari debebat, sterilitatem passæ essent, alia occasione enarratam *in Cervien. disc.* 11. ideoque de anno 1650. & parte anni 1651. integram consueti salis quantitatem consequi non potuerit, hinc propterea in computis aliquorum annorum, quos ad præscriptum *Bullæ* 40. *Pauli Tertii*, juratos dedit in Camera de anno 1653. in ejus creditum, & a Camera bonificandam posuit partitam saccorum 4169. salis in anno 1650. & parte anni 1651. sibi non traditi, eoque mortuo, hæredes prosequentes dictorum computorum solidationem de anno 1658. obtinuerunt dictæ partitæ bonificationem, *ut dict. disc.* 112.

De anno autem 1661. supponentes ministri Camerales dictam partitam esse minus fidelem, ex eo, quod pro fornitura anni 1650. integram salis quantitatem habitam fuisse constaret, quodque pro anno 1651. licentiam habuisset se providendi de sale extero, hinc prætendere cœperunt, non solum delendam esse partitam ex dicta causa ut supra bonificatam, importantem pro rata minus fideliter posita scuta circiter 14. m. sed etiam incursum pœnæ decupli inflictæ per dictam *Constitutionem* 40. *Pauli Tertii*.

Et introducta causa coram Thesaurario, Agentes pro Rimbaldesiis, cum calculis in facto, ostendebant minus fundatam esse Cameræ prætensionem, quodque calculando usque ad diem 23. Augusti 1651. in quo Appaltatori concessa fuit facultas se providendi de sale extero per totum dictum tempus decursum, vere deficiebat summa prædicta; Econverso autem Camerales contendebant non debere ita calculari, quodque de anno 1651. nulla ratio haberi deberet, attento quod ipso Appaltatore pendente, sibi concessa fuerat facultas providendi de sale extero.

Verum ubi etiam, sine veri præjudicio, modus calculandi per Camerales prætensus subsisteret, proindeque constaret dictam partitam esse in computis male positam, ac non mereri jam sequutam bonificationem, itaut quæstio restringeretur ad punctum juris, an scilicet locus esset dictæ pœnæ decupli, vel potius remota bonificatione intraret illius excusatio.

Dicebam scribens pro Rimbaldesiis, punctum principaliter pendere ab eo, num ad hujusmodi pœnæ incursum requireretur dolus verus, vel sufficeret præsumptus, quem Camerales prætendebant sufficere, itaut probata infidelitate partitæ, Camera fundatam intentionem haberet ad pœnæ incursum absque alia probatione, donec per alteram partem concludenter probaretur non dolus, seu ejus excusatio, ex eo, quod qui supponit non verum dicitur esse in mendacio, habente in se dolum præsumptum, ut ultra
2 generalia, vel similia, in specie ad effectum incursus hujusmodi pœnæ, Lartea *alleg.* 38. *n.* 6. *& per tot.* ubi allegat Cabreram *de Triplici*, *c.* 14. *n.* 7. *cum seqq.*

Et ultra prædictos, qui per Camerales allegabantur, idem in his terminis individualibus tenet & probat Sousa *dec. Lusitan.* 7*d. n.* 12. ubi licet constituat regulam, ut dolus non præsumatur, sed ab allegante probandus veniat, firmat tamen ad hunc effectum, nisi probetur excusatio, illum præsumi, quæ auctoritates sunt speciales; Et generaliter allegabatur Chartar. *dec. Mediolan.* 81. ubi late probat, vel non requiri dolum, vel sufficere præsumptum, ad
3 incurrendam pœnam conventionalem, qualem Camerales dicebant illam, stante quod per contractum Appaltator se obligaverat reddere rationes, unde implicite se obligasse videbatur ad pœnas a prædicta Constitutione inflictas non bene, & fideliter rationes reddentibus.

Contrarium vero omnino verius dicebam, tam in facto quam in jure, in facto siquidem negabatur mendacium, de quo impossibile erat Appaltatorem convincere, dum in partita jurata narravit deficientiam salis pro anno 1650. & parte anni 1651. indeterminate absque expressione mensis, vel partis hujus ultimi anni, ideoque in facultate ipsius confitentis erat declarare, de qua parte intellexerit, & usque ad quod tempus deficientiam includeret, quia ut confessio præjudicet confitenti, illumque convincat de mendacio, debet esse clara, dilucida, & per necesse concludens, Man-
4 tic. *dec.* 199. *n.* 6. *&* 205. *n.* 2. *dec.* 218. *n.* 9. *p.* 6. *rec. dec.* 54. *in fin. &* 164. *n.* 13. *p.* 9. *rec.* & in aliis frequenter; Atque sufficit confitenti pro excludendo præjudicio, confessio-
5 nem esse æquivocam, seu dubiam, ut ipsius declarationi deferendum sit, cum nemo melius declarare possit verborum sensum, quam ille, qui ea protulit; Unde etiam in actibus irrevocabilibus, & obligatoriis (qualis est ex. gr. donatio inter vivos) quamvis donator non possit perfectam donationem revocare, neque aliud indirecte agere, ob quod revocatio resultet, attamen si concepta est
per verba dubia, & æquivoca, ad eum pertinet declara- 6
tio, quæ est attendenda. Otthobon. *dec.* 119. *n.* 8. *& dec.* 195. *n.* 18. *dec.* 402. *n.* 31. *& seqq. part.* 9. *rec. Romana scutorum* 30. *m.* 9. *Aprilis* 1660. *&* 21. *Junii* 1661. Albergato *quæ sunt dec.* 77. *&* 90. *post collustationes Bondeni.*

Ita pariter in mandato, quod mandantem obligat ad ea, quæ illius vigore mandatarius gessit, quia si est dubium, ad ipsum pertinet declaratio Soccin. jun. *cons.* 22.
n. 21. *lib.* 3. Mantic. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 14. *n.* 11. *& fuit di-* 7
ctum in Romana pecuniaria de Vincentinis, *sub titulo de cred.* cum similibus; Unde cum calculando usque ad diem 23. Augusti, quando concessa fuit Appaltatori facultas se providendi de sale extero, deficeret summa in computis posita, omnino cessabat in facto mendacium.

Neque de illo convinci poterat Appaltator, ex eo, quod non esset in ejus facultate ita calculare, quasi quod calculari debuerit ad totam ultimam diem Junii ejusdem anni 1651. in quo annus terminabar, ne unus annus cum altero confunderetur (quod erat præcipuum, & forte totum
Cameralium fundamentum, & in quo Judex primæ instan- 8
tiæ suam sententiam fundavit;) Hanc enim dicebam fallaciam nimis claram, quoniam, aliud est agere quomodo computa dari debuerint, & an pars anni novi commisceri potuerit cum annis præcedentibus jam decursis; Aliud vero agere, quid dicere voluerit ille, de cujus mendacio convincendo agitur, præsertim ad effectum pœnæ; Stant enim bene simul, quod calculari debuerit eo modo, quo Camerales asserebant; itaut computa alias data reformationem mererentur, & tamen quod ille, qui rationes non bene ordinatas exhibuit, juxta suum calculandi modum veritatem dixerit, atque a mendacio immunis esset.

Clarius, quia attenta subjecta materia, ita & non alias
calculandum erat, deficientia enim salis debito tempore 9
non habiti, non est reparabilis cum suppletione post præfinitum tempus facienda, quia eo ipso, quod sal debitis temporibus non habetur, itaut populis præventive distribui non potuerit, vel in condiendis piscibus converti; Appaltator illico passus est damnum irreparabile, cui subsequens traditio non providet, cum dari non possit usus talis pro tempore jam decurso, quia hodie non utimur sale externa die consummando, neque cum eo tarde tradito condi possunt pisces jam capti, & corrupti, vel alias ob salis deficientiam inutiles redditi, ideoque merito in capitulis Appaltus conveniri solet de anticipata traditione, quæ omnino necessaria videtur, ut scilicet adveniente tempore, quo Appaltator ex distributione utilitatem reportare debet, jam sit in magazenis, & repositoriis singulorum locorum promptus, ex ipsa prima die distribuendus. Quod etiam clare suadet ipsum vocabulum *fornitura*, quod idem est ac præventiva munitio, seu provisio pro futuri temporis prompto usu, itaut in satis bona fide versatus diceretur Appaltator, restringendo deficientiam usque ad diem 23. Augusti, quando facultatem habuit se providendi de sale extero *Barlettæ*, cum dictæ facultatis effectus ob regionis distantiam & navigationis intervallum, aliaque impedimenta contingere solita, vix ad totum mensem Septembris obtineri potuerit, unde hoc medio tempore, ob salis penuriam Appaltator remansit irreparabiliter damnificatus, ac etiam istud damnum ponere potuisset in calculis.

Ponderabam quoque Ego specialiter in facto, non bene 10
regulari annum a die prima Julii, sed illum regulandum esse juxta consuetam appaltus naturam a prima Januarii, quia cum appaltus esset pro annis novem cum dimidio, annus dimidiatus referri debebat ad primum, quem, pro reducendo appaltu ad suum consuetum cursum, Appaltator ita dimidiatum suscipere voluit, cum juribus tamen pro anno integro competentibus, tanquam partem pretii, dum Appaltatores salinarum Cerviæ pro eo primo anno nihil de consueta fornitura dederant, stante quod pro usu populorum in eo medio anno, quo appaltus stetit in administratione, distributus fuerat sal appaltus præcedentis, remansus in magazenis; Atque isto calculandi modo attento, pro decem scilicet fornituris, non autem pro novem cum dimidio, ut dicebant Camerales, non solum usque ad dictam die 23. Augusti deficiebat data quantitas, sed longe major saccorum fere 7. m.

Ad hoc assumptum probandum, dabam simile de loca- 11
tione

gione & conductione vineæ, cujus initium ex consuetudi-
ne, spectata prædii natura, incipere solet post collectas
uvas a prima die Novembris, ut de consuetudine, quod
locationes vinearum incipiant a die S. Michaelis, & termi-
nent in eadem die, habetur in specie apud Munoz. *in
tract. de computat. comput.* 31. *n.* 7. *&* 8. Si enim daret casus,
quod non reperto conductore locatore vineam coleret, &
intra annum versus mensem Aprilis illam locaret pro uno
anno cum dimidio, itaut affictus terminare deberet in fe-
sto Sancti Michaelis anni secundi, utique dicendum est,
annum dimidiatum referendum non esse ad secundum, sed
ad primum, in quo continuando annum jam cœptum, cum
sola possessione sex mensium, integras uvas, sive integros
fructus percipit tanquam partem pretii, seu tanquam condi-
tionem, sine qua conductor non conduxisset, itaut duas
recollectas, non autem unam cum dimidio obtineret.

Quodque in regulandis annis præsertim affictuum, spe-
12 ctanda sit consuetudo, eaque cessante spectetur annus so-
laris, seu naturalis, incipiens juxta communem usum a die
Nativitatis Domini, Munoz. *d. tract. de comput. post tract. de
ratiocin. comput.* 21. *n.* 1. *& seqq.* Rot. *dec.* 196. *n.* 1. apud
Post. *de manut. Melevitana pensionis* 14. *Maii* 1699. coram
Bichio *post Contrium dec.* 84. Quamvis ista computatio an-
ni naturalis recte procedat in regulandis affictibus, seu
fructuum perceptionibus hujusmodi appaltuum, seu vecti-
galium, quorum fructus est civilis; secus autem in præ-
diis rusticis, quorum fructus naturalis certa anni parte
percipitur, quia tunc juxta exemplum vineæ supra tradi-
tum, annus novus incipere dicitur a prima die post col-
lectos fructus, qui per naturam produci dicuntur *ad not.
per DD. in l. divortio, ff. sol. matrim.* & non semel
habetur *sub tit. de pension.* ad effectum regulandi onus
pensionis inter prædecessorem & successorem, sive inter
titularem & pensionarii hæredem.

Et nihilominus ad effectum, de quo agebatur, dicebam
sufficere ex præmissis dictam confessionem, seu partitam
reddi æquivocam & probabiliter dubiam, ad excusandum
a mendacio & dolo, ex quibus alias satis gravis pœna re-
sultaret, præsertim mortuo ipso principali confitente, qui
suam voluntatem declarare non poterat, neque adducere
causas excusationis forsan veras & solidas, hæredibus au-
tem ignotas; Et ex qua præsertim ratione deducebam, du-
13 rum videri contra mortuum relinquentem hæredes pupil-
los, & non informatos, post plures annos hujusmodi pœnale
judicium agere, proindeque de facili probabilem excusa-
tionis causam in proposito attendendam esse, late habe-
tur in his terminis apud Sousam *d. dec.* 76. *cum seqq.*

Verum ubi etiam factum, ut supra non assisteret, ita
ut dicta deficientia, quæ in computis præsupposita fuit,
14 non subsisteret; Adhuc tamen, etiam cum sensu verita-
tis, omnino improbabilem dicebam Cameralium præten-
tionem circa pœnæ incursum, quia dicta bulla *Pauli ter-
tii*, decupli, & censurarum, pœnas adjicit reddentibus
rationes *pro qualibet partita crediti Cameræ omissa, seu
non soluta*, ut sunt ejus verba præcisa, ideoque locum
habet, ubi defectus computorum est circa introitum, quia
nempe non introiretur partita habita & introitanda, ut
bene Afflict. *in Constit. Regni incipien. officiales*, *n.* 1. ubi
exemplificat in omissione introitus, & in his etiam ter-
minis, omissione introitus, ad effectum istius pœnæ a-
gunt Reyerter. *dec.* 323. Larrea *alleg.* 38. Ganavetr. *dec.* 27.
Munoz. *de ratiocin. cap.* 42. *n.* 17. Sousa *d. dec.* 76. *cum seq.*
de materia tractantes.

Et in individuo hujus Bullæ Vermigliol. *conf.* 136. *n.* 6.
137. *n.* 5. *&* 8. *&* 339. atque semper ab ipsa prima die,
qua Curiam ingressus fui, audivi dictam Bullam proce-
dere circa partitas introitus omissas, in quibus vere do-
los, seu occultatio consistere dicitur, non autem circa
hujusmodi prætensione concernentes potius defalcum,
seu diminutionem pensionis, cum communis sit appalta-
torum consuetudo, multas deducendi prætensiones pro
majori parte in computorum solidationibus rejici, vel
ad quid modicum reduci solitas.

15 Quodque in solis partitis omissi introitus id procedere
debeat, assignabam claram rationem, quod scilicet ubi
Camera concedit alicui Officiali, vel Appaltatori generalem
administrationem negotii, sub quo multi veniunt effectus,
ac redditus, ut plurimum incerti, eventuales, & varii,
impossibile redditur scire omnes partitas exactas, ac de-
tegere quænam sint omissæ. Ideoque omnino necessaria
est summa fidelitas, quæ hodie magis formidine pœnæ,
quam virtutis amore obtinetur, nam alias in facultate
Officialium, seu Appaltatorum esset plures redituum &
emolumentorum partitas occultare, de quibus vix convin-
ci possent; Ubi vero defectus non est in introitu, sed
est circa assertum non implementum ab eadem Camera,
ejusque officialibus & ministris præstandum, tunc non est
occultare id, quod Appaltator per se ipsum administravit,
& circa ea, in quibus Cameræ ipsius fidem sequuta est,
sed potius non est fateri implementum, quod ex parte
adimplere debentia probandum est, ac de facili probari
potest per officiales & ministros ad id destinatos cum
eorum libris & partitis, unde cessat dicta potissima ratio
violatæ fidei, quam Camera de necessitate circa introi-
tum requirere solet ipsius Appaltatoris seu administrato-
ris, præsertim quia de sale non solent per Appaltatorea
reddi rationes distinctæ, sed solum ejus non tradita quan-
titas enunciatur, tanquam prætensio, seu causa, ob quam
debita sit pensionis diminutio, ideoque nullatenus intra-
bat dictæ Bullæ dispositio.

Præterea ubi etiam admitteretur Bullam prædictam istum
quoque casum complecti; Adhuc tamen ex præmissis vi- 16
debatur satis excusari dolum, quem constanter asserebam
requiri verum, ex quo resultet dictum positivum, sine
quo non datur pœna, *ad text. in l. Sancimus, C. de pœ-
nis*, ut in individuo firmat Vermigliol *conf.* 136. *n.* 2. *&*
3. *conf.* 137. *n.* 3. *&* 4. *& conf.* 399. *n.* 11. in quibus allegat
auctoritatem Nattæ de consimili lege loquentis *conf.* 452.
n. 24. ponderando verba Bullæ, ibi, *ne audeant aliquid
pro se retinere*, quæ ad oculum probant temeritatem cir-
ca retentionem, & sic in occultatione introitus; Ac etiam
deducit chirographum Pauli V. emanatum in consimili
causa, agitata cum *Ceulo*, cujus originale repertum fuit,
& in quo licet ageretur de partitis omissis introitus,
attamen Papa liberando inquisitum, assignat rationem
deficientis doli, quem necessarium esse asserit.

Et quod ad hujusmodi pœnam incurrendam requiratur
dolus, explicite firmant, vel tanquam absolutum suppo-
nunt, ultra Nattam & Vermigliol. locis citatis, Afflict.
in Constit. Regni Officiales, *n.* 1. Reverter. *dec.* 253. Gana-
ver. *dec.* 27. *n.* 5. *& per tot.* loquentes de consimili lege
Regni Neapolitani, imponente pœnam nonupli, Et in
terminis legum Hispaniæ Munoz. *de ratiocin. cap.* 42. *n.*
17. *&* 19.

Quinimo neque solum mendacium ac dolosam parti-
tarum omissionem sufficere, sed necessariam esse perseve- 17
rantiam usque ad computorum solidationem, & postquam
partitæ fuerunt attinctæ, quia interim pendente rationum
discussione locus est pœnitentiæ: bene firmat in specie
Afflict. *d. Constit. officiales*, *n.* 1. ubi quod possunt errores
corrigi & emendari; & plene Ganaver. *d. dec.* 27. ubi
testatur de observantia: quod etiam firmant Munoz. *d.
cap.* 42. *n.* 18. Vermigliol. *conf.* 399 *n.* 57. Ideoque im-
possibile videbatur procedi posse ad pœnam contra Ap-
paltatorem, qui post datas rationes ad paucos menses
obiit, neque illarum solidationem obtinuit, cum illas
prosequuti fuerint hæredes pupilli, in quibus delictum
dari non poterat.

Et quod ad effectum hujus Bullæ requiratur verus do- 18
lus, dicebam expresse firmari per eundem rigidissimum,
nimisque affectatum fiscalem Larream unicum Camera-
lium Achillem *dict. alleg.* 38. *n.* 13. *& per tot.* ubi duas
considerat leges Hispanicas, unam imponentem solam
pœnam tripli, alteram imponentem graviorem pœnam
septupli; Ad primum effectum sentire videtur non requi-
ri dolum, quia est levis pœna a jure communi etiam
imposita, *in l. excellentia tua, C. de erogatione milita-
ris annonæ, lib.* 12. unde lex municipalis dici non potest
exorbitans, cum hujusmodi pœnam lex imponat etiam
in privatis, aliena occultantibus *ad text. in l. fin. §. li-
centia, C. de jure deliber. cum concordan. dec.* 181. *par.* 6. *rec.*
in quibus passim habetur pœna dupli, quam in effectu 19
dicta Hispanica lex continet, quamvis loquatur de tri-
plo, quia in eo continetur simplum debiti civilis, resul-
tantis ex occultatione partitæ, unde pœna in solo duplo
consistere dicitur, ut idem Larrea *d. alleg.* 38. *n.* 6. *&*
13. & plenius ex professo Sousa *d. dec.* 77. ideo non
mirum, si dolus positivus non requiritur.

Ad secundum autem effectum pœnæ gravioris septupli a
jure communi ignoræ, ac propterea exorbitantis, admit-
tit Larrea requiri dolum. Multo igitur magis in terminis
hujus Bullæ irrogantis, non solum longe graviorem pœ-
nam pecuniariam decupli, sed etiam alias, falsi scilicet,
perjurii, & excommunicationis majoris, quas impossibile
vide-

videtur posse incurri absque dolo positivo, ut Paulus V. declaravit, ut supra.

20 Quam differentiam inter minorem & graviorem pœnam, in proposito clarissime probari dicebam de jure *per text. in d. l. excellentiatua, & in l. quilibet* 40. *C. de decurionibus, lib.* 10. In prima enim, per quam sola levis pœna pecuniaria dupli adjicitur, nulla fit mentio fraudis, vel doli. Sed in altera, ubi pro eadem causa imponitur gravior pœna corporalis, expresse postulatur fraus, ibi, *vel fraudolentus in adscriptionibus*.

Replicabant Camerales, mendacium esse clatum ex præmissis facti considerationibus non excusabile, quia partita jurata loquitur de salaria Ferrariæ, pro qua ostendebatur nihil deficere, cum deficienria esset in sale debito pro Civitate Comacli; Sed esse satis leve fundamentum replicabam, tum quia calculando pro decem fornituris, non autem pro novem cum dimidio, ut supra, adhuc pro sola fornitura Ferrariæ, consistente in faccis 5. m. pro singulis annis, deficientia remanebat major. Tum etiam quia licet essent duæ salariæ, seu fornituræ, diversæ in ordine ad quantitatem singulis locis destinatam, ac etiam ob aliquam differentiam circa solutionem pretii intrinseci faciendam, vel non faciendam Salinariis Cerviæ; Attamen in effectu unum erat debitum, ex uno eodemque contractu resultans, itaut una esset persona debitoris, & una etiam persona creditoris ex eodem principio, & consequenter ista verborum formalitas nullius considerationis videbatur; Et nihilominus etiamsi credita provenirent ex diversis causis, attamen stante identitate personarum, nil referebat, ut creditor illud debitum, quod ex una causa consequi debebat, ad aliam retulerit, quia spectanda non est figura verborum, sed substantia veritatis, ejusque effectus consistens in eo, quod Camera non esset damnificata, seu præjudicata, dum nihil occultabatur, sed petebatur id, quod vere erat debitum, nil referendo, an ex una, vel ex altera causa deberetur.

21 Hinc habemus in jure, pœnam falsi, vel stellionatus impositam esse creditori idem debitum bis petenti, ex deductis per Farinacc. *in fragm. verbo creditor*, n. 725. & Rovit. *pragm. 7. de falsis*; Et tamen si ille, qui duas partitas ex diversis causis consequi debet, referendo erronee, vel indebite solutionem sequutam ad unam magis, quam ad alteram, non petendo debitam, sed loco illius petendo alteram indebitam, & ad quam solutio referri debuerat, Nullatenus dicendum est dictas pœnas intrare, quia debitor non remanet in aliquo damnificatus, neque in substantia concurrit fraus petendi debitum jam exactum, sed solum adesse dicitur error petendi rem pro re absque debitoris præjudicio, cum in proposito spectandus sit solus effectus, an scilicet vere Camera defraudata remaneat, Mandell. *d. cons.* 431. *n.* 48. Vermigliol. *d. cons.* 399. *num. fin.*

22 Atque ex hoc simili de debito bis petito, bene probari dicebam supradictum assumptum Afflicti & Ganaverr. *locis cit.* ut ad hujusmodi pœnæ incursum non sufficiat sola partita indebite posita, nisi concurrat perseverantia in ea sustinenda, & postquam attincta esset cum subsequuto effectu bonificationis, & in qua perseverantia dolus consistere dicitur, quia licet impositæ sint pœnæ pro debito bis petito, attamen ad illarum incursum sola indebita petitio absque effectu exactionis non sufficit, ut firmat Rovit. *in d. pragm. 7. de falsis*, quia in his non videtur puniendus affectus sine effectu.

23 Demum ubi etiam constaret de dolo, itaut locus esset pœnæ, adhuc tamen dicebatur, super ea judicium agi non posse contra defunctum, dum contra ipsum viventem, neque inquisitio formata fuerat, neque lis contestata, cum mors omne delictum & pœnam extinguat, *ad text. in l. defuncto, ff. de publ. judic.* cum concordan. per Farinacc. q. 10. *n.* 36. *cum seqq.* Pro cujus assumpti ab aliis Advocatis deducti comprobatione, Ego (qui nunquam illud deducere volui, ne ita admitterem illud delictum, quod nec per somnium adesse videbatur) ponderabam duo esse genera delictorum; Unum nempe eorum, quæ dicuntur

24 perfecta & consummata eo ipso, quod committuntur, itaut subsequens pœnitentia non possit ea retractare, nec facere, ut id, quod est delictum, non sit tale, prout sunt, homicidium, sacrilegium, stuprum, & similia; Et in his terminis dubitari potest, an per mortem cesset actio fisci ad pœnam pecuniariam, quam non cessare plerique contendunt; Alterum est genus delictorum, quæ ex primævo actu non sunt consummata & perfecta, sed admittunt pœnitentiam re integra, itaut perfectio delicti fiet in pendulo, pendens a futura perseverantia, & usu, usque ad consequutionem finis, ad quem illud est ordinatum, & tunc casus videtur indubitatus contra fiscum, ut scilicet per mortem omnia cessent, quia non adest adjectum adhuc perfectum & consummatum, sed solum initiatum, quod per mortem sublatum dici potest, tanquam per tacitam & subintellectam pœnitentiam, cum quilibet moriens præsumatur memor æternæ salutis ac pœnitens *ad text. in cap. significavis de homicid. & cap. litteras de præsumpt.* Alciat. *reg. 3. præsumpt. 4. in fin.* Menoch. *lib. 5. præsumpt. 5. n. 1. & 2. & per tot.* Farinac. *de hæresi, quæst.* 196. *n.* 31. ubi quod in moriente non intrat præsumptio pertinaciæ & perseverantiæ.

Et in hac ultima specie delicti versari dicebam, quia ut ex Afflict. Ganaverr. & aliis supra probatum fuit, hoc est delictum, postulans ad incursum pœnæ perseverantiam, ex qua doli probatio resultare dicitur, ut in proximis, & specialibus terminis pœnæ *peculatus* contra Officialem, 25
in officio delinquentem, quæ cum his terminis fraternizat, ut a fisco prætendi non valeat post mortem, quoties in vita non est formata inquisitio, & lis non contestata, fundat Anellus Amat. *cons.* 55. qui proinde testatur fiscum destitisse a molestiis, remoto sequestro; Et tamen ibi agebatur de fisco Principis laici, multo magis in illo Papæ, qui alios Principes ad æquitatem, & mansuetudinem invitare debet, eorumque exemplar est.

Ad ea vero, quæ a Cameralibus inculcabantur de pœna conventionali dolum non postulante ex Chartar. *dec.* 26
81. *cum ibi alleg.* & per mortem non cessante, satis facilis erat responsio; Id scilicet procedere de illa certa pœna, ad quam ex contractu quis expresse se obligat, ut est casus Charrarii, in quo quidem clericus expresse se obligaverat sub pœna centum scut. non conversari cum quadam muliere; Hoc autem nullatenus applicabile erat terminis nostris, in quibus nulla aderat expresse promissa pœna conventionalis; ille vero quasi contractus, quem delinquens facere dicitur cum justitia eo ipso, quod delictum committit, & per quod, per quamdam occultam conventionem, dicitur se subjicere pœnis a lege præscriptis, procedit in quocumque delicto, itaut moriens per manus justitiæ dicatur mori voluntarie, & occidi a se ipso, ut per Castracan. *de Societ. off. cap.* 29. *n.* 11. *in fine*, Rot. apud Zacc. *de Societ. dec.* 54. *n.* 5. *& per tot.* & est particulariter actum *in Melphiten. pensionis, sub tit. de pension.* ubi de casu singulari; Sed hæc est conventio large, & improprie sumpta, cui vanum est limitationem applicare, quoniam ita prorsus fatua, & nunquam verificabilis remaneret regula, dum idem procederet in omnibus pœnis pro quibuscumque delictis.

His non obstantibus, Judex primæ instantiæ processit ad sententiam dictæ pœnæ condemnatoriam, sed interposita appellatione ad Cameram, concors erat omnium opinio pro dictæ sententiæ, utpote evidenter injustæ, revocatione: ex quibusdam tamen provisionibus impedita fuit resolutio, atque non expectata repropositione inita fuit concordia super solidatione computorum, ac prætensionibus, quæ habebantur hincinde super appaltu, atque ista etiam prætensio sub eadem concordia comprehensa fuit. Sed reflectendo ad veritatem, etiam post causam sopitam, dictæ pœnæ nullatenus locum fore mihi videbatur.

BONONIEN. DECUPLI PRO N. CUM CAMERA.

Casus disputatus coram Thesauraria, incertus est exitus.

De eadem materia pœnæ decupli contra dantes minus fideles rationes administrationis, vel appaltus rerum fiscalium.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ad incursum pœnæ decupli an requiratur dolus verus, & fraus.*
3 *Errores computorum male traditorum possunt emendari.*
4 *In pœnalibus qualibet pœna probabiliter opinata excusat.*
5 *Camera Principis agit contra administratorem pro creditis inexactis.*
6 *Quando causa excusationis non dicatur justa.*

7 Ubi

7 Ubi causa non est omnino excusatione digna, sed aliquem colorem habet, an debeat pœna minorari.

D I S C. CXX.

1 SEquuta applicatione ad beneficium Cameræ Apostolicæ nonnullorum bonorum, quæ dismembrata fuerunt a Collegio Bonon. nuncupato *Montis Alti*, consuevit Camera, &, ejus nomine, Thesaurarius pro dictorum bonorum administratione deputare æconomum, qualis per plures annos fuit Comes Carolus Antonius de Fibulis, quo defuncto, deputatus fuit Titius, cui post jam transmissas litteras deputationis in forma consueta, idem Thesaurarius per epistolas familiares injunxit, ut salvo jure Cameræ contra Fibulum pro juribus, & redditibus decursis inexactis, eorumdem effectuum exactioni incumberet, prout fecit, efformando tamen de istis computum ad partes diversum a libro æconomiæ & administrationis super juribus & effectibus currentibus, atque post plurium annorum administrationem exhibendo computa jurata ad formam constitutionis Pauli III. ut per omnes Cameræ administratores, vel appaltatores faciendum est, fideliter descripsit omnes effectus currentes ad dictam ejus œconomiam, seu administrationem spectantes, omisit autem exactiones per eumdem factas de nominibus debitorum, aliisque effectibus ad œconomiam sui prædecessoris pertinentibus; Unde camerales ad hujusmodi defectum advertentes, prætendere cœperunt incursum pœnæ decupli in dicta Pauli III. constitutione inflictæ, asserentes non posse isto casu allegari excusationem, de qua *disc. præced.* quod scilicet Bulla solum procederet in partitis introitus omissi, cum de istis in specie ageretur, unde casus occultationis asserebatur planus.

Pro Titio vero scribens dicebam, adhuc eum ab incur-
2 su pœnæ excusabilem censendum esse; quia retento eodem præsupposito, de quo *in præcedenti*, ut scilicet ad hujusmodi pœnæ incursum; utpote gravissimæ, & juris dispositione nimis exorbitantis requiratur fraus, sive dolus positivus, quodque ille incurri dicatur, non ex solo actu momentaneo exhibendi computos defectivos, sed ex perseverantia in illis substinendis, ac reportando effectum, ad quem defectus directus est; Omnia hæc requisita in præsenti cessabant, quia computorum solidationem, & liberatoriam adhuc non reportaverat, unde adhuc res erat in-
3 tegra corrigendi errorem, quem corrigi posse ex Afflict. Ganavert. & aliis habetur *in præcedenti*, quia solus actus exhibitionis computorum videtur delictum initiatum, sed non perfectum, seu delinquendi affectus non sequuto effectu, pro quo, præterquam in atrocioribus, non intrat pœna ordinaria, ex deductis per Farinac. *quæst. 124. p. 1. n. 1. & seqq. & p. 2. 117. cum seqq.* præsertim ubi agitur de pœna statutaria a jure communi exorbitante.

4 Præterea recepta propositio est, in pœnalibus quamlibet causam quamvis injustam, sed probabiliter opinatam excusare a dolo, & pœna, Cavaler. *dec. 81. n. 2. dec. 293. n. 5. p. 6. rec.* Et in specialibus terminis hujus pœnæ Sousa, *dec. 77.* ubi regulæ generales cumulantur, quæ fortius in nostris terminis quam in illis, de quibus Sousa loquitur, procedunt, quia, *ut in præcedenti* dictum fuit, pœna tripli inflicta per leges Hispaniarum, utpote duplum in effectu continens, dum sub ea etiam ipsum simplum partitæ omissæ continetur, non exorbitat a jure communi, prout exorbitat nostra continens decuplum, nec non perjurium, falsum, & excommunicationem majorem, unde clarior dolus omnino requisitus videtur, & per consequens facilius excusatio admittitur.

Excusationis autem causa nimis probabilis videbatur in præsenti, quia pro nominibus & effectibus a Fibula prædecessore inexactis, Camera contra eumdem directam actio-
5 nem habebat *ad text. in l. fin. §. item, ff. de administr. rerum ad Civit. pertinentium, & l. 1. C. de periculo nominatorum, lib. 11. cum concord.* per Cyriac. *controv. 433. n. 6. cum seqq.* quod etiam idem Thesaurarius in dictis ejus epistolis declaravit, committendo exactionem dictorum effectuum sine præjudicio dictæ actionis, itaut potuerit probabiliter Titius credere, istos effectus non esse Camerales, sed potius privatos dicti Fibulæ prædecessoris, exigendos per Cameram tanquam nomen debitoris sui debitoris, & consequenter non cadere sub computis suæ œconomiæ & administrationis percutientis effectus in futurum post ejus deputationem decurrendos, unde juste potuit de his tanquam ab ejus œconomia diversis, & utpote diversam personam constituens tenere computum separatum ad partes.

6 Replicabant Camerales, non sine aliqua probabilitate, hujusmodi excusationem recte procedere, quando ageretur de computis singulis annis distincte præstandis; itaut administrator dicere posset, ordinem scripturæ non postulare hujusmodi decursorum mixturam, secus autem dum agebatur de redditione generali plurium annorum, ab anno scilicet 1653. quo deputatus fuit usque ad 1661. in quo computa exhibuit, cum nullus subesse videretur prætextus, cur in dicta generali redditione hujusmodi partitæ neglectæ fuerint, præsertim quia in tam longo intervallo (stante forsan Fibulæ insufficientia) idem administrator agnoscere potuit Cameram, vel negligendo, vel inanem reputando actionem contra dictum Fibulam, istos effectus reputasse suos. Unde casus patiebatur suas difficultates, atque si ageretur de miti pœna adeo a jure non exorbitanti, & juxta terminos legum Hispaniæ conformantium cum dispositione juris communis *in l. excellentia tua, C. de erogat. militaris annuæ, lib. 12.* satis dubitari potuisset quod causæ excusationis non essent sufficientes, sed quia tractatur de pœna nimis gravi & exorbitanti, ad cujus incursum, tam de jure, quam ex declaratione Pauli V. *in præcedenti* enunciata, dolus positivus requiri videtur, probabiliter excusatio a pœna ordinaria intrabat; Sed adhuc 7
dubitabam non posse eum prætendi ab alicujus minoris & extraordinariæ pœnæ incursu omnino immunem; Concurrente siquidem aliqua probabili excusatione, quæ delictum omnino non tollat, neque totalem innocentiam redolet, intrat quidem excusatio a pœna ordinaria, sed non per hoc remanet delinquens omnino immunis, ut habetur in proposito falsitatis non aptæ ad nocendum, sive affectus ad delinquendum non sequuto effectu, cum similibus; Et in specie hujus pœnæ ex aliqua causa minorandæ plene agit Sousa, *dec. 78.* ex regulis generalibus traditis per Tiraquell. *in ejus tract. de pœnis legum temperandis*; Causa siluit, atque ignotus est eventus, cum aliqua suavi concordia forte sequutus, &c.

ROMANA DECUPLI,
PRO ANTONIO FRANCISCO FARSETTO,
CUM CAMERA.

Casus decisus pro Farsetto.

De eadem materia pœnæ decupli resultans ex Bulla Pauli III.

Et aliqua de administratione cussionis monetarum, & expensarum, desuper currentium.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *An intret pœna decupli, ubi reddens rationes habet fundatam intentionem, eligibilem solum per exceptionem Cameræ.*
3 *An & quando diminuto labore, vel opere, diminuendum sit salarium, & econtra eo aucto, sit augendum.*
4 *Salarium debetur prompto operario, & per quem non stat præstare operam.*
5 *Ex quantitate pretii desumitur, quid in contractum deductum sit.*
6 *Tunc ex diminuto opere diminuendum est salarium, quando eo aucto competere posset augmentum, & non aliàs.*

D I S C. CXXI.

CUm ad parandam pecuniam belli indigentiis necessa- 1
riam, Urbanus VIII. publico edicto mandasset, ut omnes exhibere tenerentur argenta in Sicla Camerali, ad effectum cudendi & reducendi ad monetam, solvendo argentorum dominis valorem in tot locis montium tunc erectis; Camera iniit partitum cum Farsetto tunc ejus Depositario Generali, & Siclæ Appaltatore, super dictorum argentorum cussione, per solitos ministros & operarios facienda, sibi solvendo, seu bonificando pro affinatura, fusione, & cussione, omnibusque aliis necessariis, julios tres pro qualibet libra, qui deinde in stipulatione instrumenti redacti fuerunt ad julios duos, ad quam rationem in ejus computis Appaltator se creditorem constituit; Quia tamen plures argentorum domini existimantes ita sibi magis expedire, ad tollendas fraudes per inferiores ministros inscio Appaltatore in fusione & affinatura fieri solitas, propriis expensis extra Zeccham curarunt ea fundi & affinari, atque in massam redigi, Idcirco prætendere cœperunt Camerales ad instigationem cujusdam

fecre-

secreti denuntiatoris, defectivos ac fraudulentos esse computos dicti Appaltatoris in partita scutorum 4247. posita *pro toto eo, quod sibi debeatur pro raffinatura, calo, battitura, & quacumque alia impensa, seu risico & periculo librarum a 1237. argenti, per particulares introducti ad rationem juliorum duorum ad formam instrumenti*; Quasi quod supponendo in omnibus argentis impensam fusionis & raffinaturæ, ita fuerit in fraude, dum illorum notabilis pars per illorum dominos proprio sumptu fusa & raffinata fuerat, unde propterea restituere deberet Cameræ totum id, quod dicta impensa importaret, atque pro ista rata, in qua fraus prætendebatur, incurrisse pœnam decupli a Constitutione Pauli Tertii inflictam, introductaque causa coram Siclatum Præside.

Pro Appaltatore scribens, deducendo easdem conclusio-
2 nes jam in terminis hujus Bullæ superius deductas *in Ferrarien. decupli, disc.* 119. tam scilicet super dolo, ejusque excusatione ex qualibet causa probabiliter opinata, quam super ejusdem Bullæ intellectu, ut scilicet procedere deberet in partitis omissis in introitu, in quibus vere & proprie occultatio consistere dicitur, non autem in præsenti, ubi Appaltator ad formam publici instrumenti fundatam habeat intentionem in generali actione consequendi de omnibus argentis indefinite julios duos pro qualibet libra, quia hæc accidentalis defalcatio per Cameram prætensa, continere dicebatur quandam exceptionem, seu prætensionem, quam actor, seu creditor, nec deducere, nec fundare tenetur; Ideoque nullo jure nullaque positiva, vel humana ratione dici posse asserebam, ut creditor habens fundatam ejus actionem in conventione clara, dici posset in fraude & pœna, ex eo, quod aliquam defalchi exceptionem accidentalem, & a conventione extrinsecam non deduxerit; Atque ex hoc solum absque dubio locus esse deberet absolutoriæ a pœna, quamvis etiam circa simplum Cameræ prætensio fundamentum haberet, prout ita judicatum fuit, quia concessa absolutoria a pœna, credidit judex aliquid per Appaltatorem ex dicta causa restituendum esse, ideoque eum condemnavit ad restituenda scuta 400. circiter.

Sed adhuc parum fundata visa est condemnatio, quæ proinde nullum effectum sortita fuit, quia interposita appellatione ad Cameram, iidem Camerales agnoscentes prætensionis insubsistentiam, eam deseruerunt, & sic tacite liti cesserunt, & merito; Siquidem tunc hujusmodi prætensio aliquam subsistentiam habere posset, quando versaremur in mercede, quæ distincte pro singulis dictarum ope-
3 rarum speciebus præscripta esset, quo casu intrat quæstio, de qua Bart. *& cæteri in l. ex eo, ff. de annuis legatis, & l. diem functo, ff. de officio assessoris*, Menoch. *de arbitr. casu* 223. Zacch. *de salar. quæst.* 11. *n.* 2. *& seqq.* An scilicet diminuta parte laboris, seu non præstita aliqua specie operis, minuenda sit merces, & econverso, labore, vel operia specie excrescente, illa sit augenda; Sed versabamur in mercede generaliter pro toto opere ad certam summam per quamdam transactionis speciem conventa, quo casu, sufficit, locantem operas fuisse paratum ad præstandum quicquid pro opere perficiendo erat necessarium, neque per eum stetisse, quominus promissa adimpleret; Ut in specie de conducto indefinite ad servitium, & ad faciendum quicquid facere opus erit, ut non augeatur salarium ob augmentum laboris, neque minuatur ob illius diminutionem, habetur *in Romana mercedis* 26. *Januarii* 1604. *coram Pamphilio*, cum qua pertransivit Rota *in Interamn. mercedis* 15. *Maii* 1645. *§. fin. coram Peutingerio*, & observant add. Buratt. *dec.* 508. *in fine*, Zacch. *de salario, dict. q.* 11. *num.* 22. Et generaliter de conducto ad aliquod opus pro certa mercede, ut illam consequatur, si ex parte sua promptus est, nec
4 per eum stat, quominus faciat bene Galeot. *lib.* 2. *contr.* 69. *n.* 3. *cum seqq.* Cavaler. *dec.* 520. *n.* 1. Zacch. *dict. tract. q.* 22. *n.* 8. *cum seqq.* & late Rota *in Urbinaten. salarii* 26. *Junii* 1652. *coram Zarata, &* 20. *Aprilis* 1654. *coram Albergato, quæ sunt registrata apud Zacch. ubi supra, q.* 23. *& prima est repetita, dec.* 286. *part.* 11. *rec.*

Quod in proposito dicebam omnino rationabile, ac humano discursui adaptatum, si enim faber ex lapidibus, per cives ad certum locum asportandis, promittat pro certo pretio aliquod ædificium construere, assumendo in se onus calcis, arenæ, lignorum, mercedis fabrorum, & polituræ seu quarraturæ lapidum in confuso. Aliqui autem asportent ad locum destinatum nonnullos lapides jam politos, & quarratos, habebit quidem iste partitatius hoc beneficium a casu, seu fortuna, sed non inde inferri posse videtur, conventum pretium esse minuendum, quia casus potuit prævideri, ejusque ratione merces minui ab initio.

Idque omnino probabile in præsenti videbatur, tum quia inspecto valore singularum expensarum & operum, necnon periculi, & curæ, in hujusmodi cussione ad perfectionem reducenda, merces esset longe major, quam duorum juliorum, pro quibus conventa erat; Tum quia ultra singulas expensas singulorum operum, in quibus solum camerales insistebant, ponendus erat in æstimatione valor periculo notabilis super hujusmodi materiæ pretiosæ subtractione per ministros, & operarios, necnon curæ, & industriæ perficiendi operis: Et clarius stante differentia inter chirographum desuper expeditum, & instrumentum ad plures dies postea celebratum, quia in primo merx conventa erat ad rationem juliorum trium pro qualibet libra, in instrumento autem redacta est ad julius duos, quæ notabilis superveniens diminutio ad aliam causam referenda non erat, nisi quod Camerales experti hoc medio tempore argentorum asportationem in parte fieri in massa, itaut impensa necessaria in fusione & raffinatura in parte cessaret, ita mercem jam conventam diminuere voluerint, cum alias habita ratione omnium expensarum esset incongrua, unde intrat juris propositio, quod ex pretii quantitate desumitur partium intentio, & quid & quan- 5
tum in contractum deductum sit, Alex. *cons.* 26. *lib.* 4. Mantic. *de tacit. lib.* 4. *tit.* 9. *n.* 8. Gregor. *dec.* 126. *n.* 9. Buratt. *dec.* 471. *n.* 4. *&* 697. *n.* 5. *& passim*.

Ponderando demum, quod tunc ex diminutione laboris minuendum est salarium, quando istud ex illius augmen- 6
to esset augendum, ex communiter firmatis *per DD. in d. l. ex eo, ff. de annuis legat. & l. diem functo, ff. de off. assess.* Menoch. *de arbitr. dicto casu* 223. Zacch. *de salario, dict. q.* 11. Unde cum stante generalitate conventionis pro omni, & toto eo, &c. Appaltator nunquam separate potuisset augmentum pro eo damno, vel impensa, quod cum malo eventu sibi dedissent mala & corrupta qualitas argentorum, seu alia pericula in subjecta materia de facili contingibilia, ita, juxta regulam juris naturæ, canonizatam a jure positivo *in l. secundum naturam, ff. de reg. jur.* suum debebat esse commodum, quod bonus eventus sibi tribuerit, cum vere processum esset non per viam taxationis expensarum, quæ in singulis operibus essent necessariæ, sed per viam transactionis super omnibus casibus dubiis ad commodum, & incommodum se habentibus, & hæc videbatur veritas.

ROMANA, SEU VITERBIEN. APPALTUS,

PRO MUTIO ORSINO,

CUM CAMERA.

Casus disputatus in Congregatione Camerali.

An fiscus sit in aliquo privilegiatus circa facultatem jurandi suspectos ejus debitores, & Appaltatores diversimode, quam cuilibet privato creditori competat.

Facto appaltu bonorum & jurium fiscalium ad certum tempus sub certa pensione in singulos annos distributa, sub dilatione tamen majoris temporis circa solutionem, an, dicta dilatione durante, appaltator dici possit debitor pensionis pro rata temporis decursi, & quomodo hujusmodi appaltus consistens in Regalibus & juribus fiscalibus reguletur.

Et aliquod de utroque pretio intrinseco, & extrinseco locorum montium, quomodo hæc pretia differant.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Debitor non potest jurari suspectus nisi pro debito liquido & maturato, & si adest excessus actus corruit.*
3 *De distinctione pretii intrinseci, & extrinseci locorum montium, vel censuum inter tertios.*
4 *Quid quoad ipsam Cameram, vel debitorum census.*
5 *Quando Camera admittit aliquem particularem ad montem dicitur pro eo se obligare, seu fidejubere.*
6 *Fidejussor non est creditor debitoris, nisi quantum sua interest, & in damno quod patitur, sed non petit interesse extrinsecum nisi cum requisitis.*

7 *Pre-*

7 *Pretium intrinsecum locorum montium quandoque minuitur.*
8 *De fisci privilegiis cum eorum debitoribus remissive, inter quæ non adest illud allegandi debitorem suspectum sine causa.*
9 *Fiscus non est regulariter privilegiatus, sed ultra casus expressos in jure, utitur jure privati.*
10 *Fiscus potest convenire suum debitorem ante tempus.*
11 *Ille qui de tempore contracti debiti erat suspectus, & parum idoneus, non potest jurari suspectus de fuga.*
12 *Declaratur conclusio de qua, n. 11.*
13 *Pensionis debitum non regulatur juxta tempora in quibus solutio conventa est, sed juxta perceptionem fructuum, quorum ratione conductor ad eam tenetur.*
14 *Quomodo fructuum perceptio reguletur.*
15 *In specie appaltuum fiscalium quomodo reguletur fructus, & in quibus eorum fructus consistat.*

D I S C. CXXII.

1 SUscepit Orsinus a Camera appaltum reddituum & proventuum Ducatus Castri, & Status Roncilionis ad novennium, incipiendum sub die 29. Septembris 1659. ut sequitur, terminandum pro annua pensione scut. 70. m. solvendorum quolibet bimestre pro rata, sub conventione tamen, ut solutio initium habere deberet die prima Julii sequentis, itaut terminante appaltu sub die 29. Septembris 1668. solutio pensionis terminare deberet ultima die Junii 1669.

Item, ut animalia, aliaque instrumenta in hujusmodi appaltu necessaria, vel opportuna, Appaltator parare posset, loco illius mutui, quod vulgo *improstantia* nuncupatur, per Cameram in pecunia numerata alias fieri solita, illum admisit ad additionem cujusdam Montis pro locis mille, per ipsam Cameram sub ejus fide erigendis, & quæ per ipsum Appaltatorem ad libitum vendi & resignari possent, sub obligatione conservandi ipsam Cameram indemnem pro fructibus, ac etiam, dicto appaltu durante, reemendi totidem loca ejusdem montis, ad effectum, ut illa, appaltu terminante, suppressa & extincta remanerent, cum obligatione alias ad quanti ejusdem Cameræ interesse id non sequi; Cum autem paulo post biennium dicti appaltus, ministri Camerales ad quos pertinet, prætenderent dictum Appaltatorem non bene appaltum administrare, neque pensiones decursas solvisse, atque per publicam vocem, & famam, dictam impræstantiam integre erogatam non esse in causam conventam; Hinc proinde illum de deterioratione status suspectum habere jurarunt, ideoque de mense Januarii 1662. declarando uti velle omnibus privilegiis Cameræ, præcipue agendi pro assecuratione etiam ante cessam diem solutionis, institerunt procedi ad dicti Appaltatoris carcerationem, omniumque bonorum, & effectuum sequestrum, interdicta etiam sibi administratione, ut de facto sequutum fuit. Cumque ex præmissis ingentia damna sequuta essent dicto Appaltatori, hic post aliquod tempus, occasione solidationis computorum, atque ut ejus personæ, & bonorum liberationem obtineret, institit pro eorum refectione, seu bonificatione, utpote ex dictis indebitis actibus sequutorum; Unde assumpta desuper disputatione in Congregatione Camerali, cui ultra eos, qui in ea intervenire solent, duo alii Clerici de Camera mandato Papæ adjuncti fuerunt.

Punctus pendebat ab eo, an de tempore, quo dictus Appaltator juratus fuit suspectus, esset necne Cameræ debitor in sumpto, quo juratus fuerat, isto enim debito cessante; Dicebam scribens pro dicto Appaltatore, & Camerales non negabant, dictam allegationem suspicionis cum omnibus inde sequutis remanere nullam, utpote excessivam, cum ad hunc effectum requiratur debitum liquidum, pro quo tunc debitor urgeri poterat, itaut si pro summa excessiva, vel illiquida juretur, tale mandatum dicatur nuliter concessum & executum, ut cæteris allegatis firmatur apud Buratt. *dec.* 531. *n.* 5. & 653. *n.* 5. apud Otthob.
2 *dec.* 205. *n.* 6. *in interamnen. seu Romana nullitatis mandati* 11. *Decembris* 1652. coram Albergato, de qua causa habetur actum in sua materia *sub tit. de credito*, ubi pluries de ista conclusione, & aliis spectantibus ad materiam debitoris de fuga suspecti jurandi.

Hoc autem a duplici inspectione pendebat; Primo ab eo quod ministri Camerales, ad quos pertinet, juraverant dictum Appaltatorem ex causa dictæ impræstantiæ, seu aggregationis, Monti debitorem, nedum in eorumdem locorum pretio intrinseco importante scut. 100. m. ad rationem scut. 100. pro quolibet, sed etiam in scutis 9. m. pro pretio seu valore extrinseco & accidentali, cum tunc illa species locorum montium contractaretur ad rationem scut. 109. pro quolibet; An scilicet dici posset debitor Cameræ in præfatis scut. 9. m. Et secundo dum juratus fuerat debitor ex causa pensionis decursæ in scutis 43. m. circiter ad ratam temporis, non habita ratione dictæ dilationis novem mensium, de qua durante dici non poterat esse debitum liquidum, pro quo tunc urgeri posset, ut ad hunc effectum requiritur; Et in utroque, pro appaltatore probabilius respondendum esse dicebam.

Quatenus enim pertinet ad primum, licet quando loca montium inter privatos contractantur, ejusdem naturæ videatur utrumque pretium, intrinsecum, & extrinsecum, nulla adhibita dictorum pretiorum distinctione, quoniam quoad ipsas partes, tanti valere dicuntur, quanti communiter in foro currunt & contrectari solent, sive plus, sive minus, quam importet eorum naturale & intrinsecum pretium, pro quo erecta sunt scut. 100. ita ex accidentibus, ac temporum qualitate alterabile, eodem modo, quo licite in commercio inter tertios, absque debitoris mixtura & præjudicio, pro alterato majori, vel minori pretio contractari potest census, quia nempe impositus pro sorte scut. mille, ob bonam qualitatem debitoris, aliasque circumstantias, licite per creditorem alteri cedi valeat pro mille & centum, & e converso ob suspicionem debitoris, vel creditoris indigentiam, aut alias circumstantias cedatur pro 900. &c. juxta magis communem opinionem in foro receptam, de qua cæteris allegatis, Cenc. *de Cens. quæst.* 72. *n.* 17. & *seq.* Cyriac. *controv.* 170. *n.* 13. Salgad. *in labyrint. creditorum, part.* 1. *cap.* 13. *secundo, n.* 36. & *seq.* & *cap.* 27. *n.* 8. & *seqq.* & habetur pluries in aliis hoc eodem titulo ad materiam locorum montium, in quibus, vel similibus juribus cum Principe, aut Republica, totius Europæ inconcussa praxis id comprobat. Ex ea clara ratione, quia id nil interest debitoris, cujus debitum tam in sorte, quam in fructibus nullam recipit alterationem, dum in casu extinctionis, ab ejus electione ac facultate pendentis, ad aliud non tenetur, nisi ad restituendum pretium intrinsecum ab ipso acceptum, non curato, an census, vel juris possessio, plus, vel minus erogaverit pro ejus acquisitione a creditore. 3

Secus vero est, ipsa Camera Montis debitrice, quoniam aut non vult extinguere, & ejus interesse non versatur nisi in solutione fructuum, quorum respectu nulla intrat alteratio, aut vult extinguere, & non curato, an Montium possessores, illa pro majori, vel minori pretio ab aliis montistis acquisierint, cogi non potest ad majus pretium quam intrinsecum & naturale scut. 100. pro quolibet, licet possessor plus emerit, & e converso idem intrinsecum pretium diminuere non potest, licet possessor minus emisset, excepto casu, in quo extrinseci, seu alterati pretii augmentum, vel decrementum ipsius Cameræ, seu Reipublicæ commodo, vel respective damno cessisset, juxta casum, de quo *in Romana Religionis. hoc eodem tit. disc.* 33. ubi Camera etiam pro extrinseco & alterato pretio vendiderat, tantumdem restitutura, & casum conversum, quando eadem pro minus vendidisset, de quo plene agitur apud Capyc. Latr. *dec.* 180. quorum neutrum in præsenti concurrebat, quoniam dicta additio facta erat juxta consuetam formam pro solo intrinseco pretio scut. 100. 4

Hinc proinde resultabat ad effectum, de quo erat quæstio, eamdem Cameram dici non posse dicti Appaltatoris creditricem in dicta rata pretii extrinseci, seu accidentalis, quoniam ipsa in hac parte gerere solum videbatur, vel partes fidejussoris hujus Appaltatoris, pro cautela montistarum suam fidem pro alieno debito adhibendo, eo modo, quo facere solet, quando aliquos Barones, sive etiam particulares, aut Communitates admittit ad Montes Camerales, ut fecit præsertim pro Universitate hebræorum cum similibus; Seu verius gerere dicitur partes imponentis censum super ejus bonis in gratiam alterius, qui ipsum impositorem relevare debet, juxta casum, de quo *dec.* 46. *in fine, part.* 7. *rec.* & sæpius. 5

Quo posito, fidejussor aliud a principali debitore prætendere non potest, nisi relevationem, & quantum importaret suum damnum in casu, quo ille suam obligationem non impleret, ad communiter notata *in l. unica, Cod. de sententia pro eo quod interest*. Unde propterea fidejussor neque actionem habet ad interesse extrinse- 6

cum

creditum locatoris, ut supra. Nihilominus post sopitum istum punctum, iidem scribentes cecinerunt palinodiam, atque in ultima decisione *6. Junii 1664.* ac in laudo, seu concordia id neglectum fuit, ut infra.

Consideratum etiam fuit pro exclusione usuræ, quod nulla adesset mixtura mutui sine quo illa non datur, 10 cum summa pecuniaria 175. mil. data esset, non sub contractu mutui, sed sub altero cambii. Verum, & hoc fundamentum, etiam in sensu veritatis, omnino fragile, nulliusque ponderis videbatur, ex iis, quæ habentur deducta in hac eadem causa in sua materia, *sub tit. de cambiis*, ubi clare ostenditur, quod mutui mixtura datur etiam in cambio, vel ob diversorum contractuum multiplicitatem in ista specie cambii obliqui concurrentem, ut in ista causa, & in altera Rom. *Cambior. disc.* 1. 2. vel ob conversionem in mutuum interpretativum, quæ nedum datur in cambio, sed etiam in contractibus emptionis, & venditionis, permutationis, locationis, & quocumque alio contractu. Quinimo, & in sententiis, & laudis, in legatis, & ultimis voluntatibus, omnique alio humano actu ex circumstantiis alterativis, & corrumpentibus naturam contractus, eumque in aliam diversam transmutantibus, ut in dictis causis, *sub tit. de cambiis*, & in sua materia, *sub tit. de usuris*.

Ponderabantur etiam plura pacta pretium augentia, vel respective minuentia, de quibus tam in prima decisione, quam in subsequentibus, & super quibus scribentes hinc inde nimis elaborarunt, præsertim nostri. Sed pro meo judicio erant levitates, ac inanes labores, resultantes a modica peritia hujus negotii, & subjectæ materiæ, cum fere omnia essent huic negotio connaturalia, mutuamque compensationem continerent, absque eo quod notabilem pretii alterationem, sive in plus, vel in minus producerent.

Quo vero ad secundum punctum, seu inspectionem, an scilic. Appaltatoribus licitum esset petere supplementum illius venæ, quæ cadebat sub pretio scutor. 67500. de quibus in triennio, ad formam pacti, creaverant locatorem creditorem ad rationem scut. 22500. pro quolibet anno, ut supra, itaut vena habita in anno quarto, referenda esset ad suppletionem anni tertii. Dicebant scribentes pro Appaltatoribus, ibi assistere conclusiones, ac regulas generales juris, quod scil. venditor obtinere non potest rem, & pretium, atque istud ex re non tradita consequi, unde propterea in isto contractu, & quocumque simili, semper venditori, petenti pretium, obstat exceptio rei non traditæ, ad 11 text. *in l. Julianus*, *§. offerri*, *& l. ex prædiis*, *ff. de action. empti*, in puncto hujus venæ, Decius *consil.* 297. & conferri regula, text. *in l. curabit cum ibi notatis*, *C. de action. empti*, Alias enim esset inducere pœnam, quæ hodie de jure canonico non exigitur, ultra id, quod interest, Afflict. *decis.* 135. *num.* 4. Rota *in Romana lignorum 9. Junii* 1603. coram Justo, ubi de reprobatione pacti adjecti, quod em-12 ptori sylvæ cæduæ licitum non esset levare ligna, statuto tempore non levata, quorum pretium solutum, vel solvendum esset, quoniam esset species pœnæ, & cum his, & aliis generalibus deductis *in d. ult. decis. 6. Junii* 1664. processum fuit, interpretando verba contractus, ut pactum venæ non levatæ percuteret retardationem pagarum, seu cessationem cambiorum, non autem restitutionem facultatis levandi venam non levatam, sed solutam.

Verum in hac etiam parte, probabilior mihi videbatur prima resolutio *anni 1662.* & consequenter minus probabilis hæc posterior. Quoniam quantum pertinet ad terminos pœnæ conventionalis non exigendæ, duæ cadebant limitationes ad rem facientes, una, ubi accedit juramentum ex deductis, *decis. Bonon.* 22. *n.* 40. *&* 41. & per Rot. *dec.* 170. *part.* 11. *rec.* ubi concordantes; Et altera ubi pœna non adjicitur solutioni quantitatis, seu alteri obligationi consistenti in dando, itaut inesse possit mutuum verum, vel inter-13 pretativum, & successive fraus usurarum. Sed adjicitur non implemento consistenti in faciendo, unde d. fraudis suspicio absit, ut erat in præsenti, ut firmatur *in d. decis. Bonon.* 22. *n.* 6. *cum seq.* Surd. *decis.* 259. *num.* 9. *&* 10. *dict. decis.* 170. *part.* 11. *rec.* Et conferunt, quæ habemus in materia pacti commissorii apud Leotard. *de usuris*, *q.* 69. *&* 70. quoniam illud reprobatum est in caso dictæ suspicionis, seu fraudis, secus autem ea cessante, & de quo in Tiburtina Castri S. Angeli, *sub tit. de usur. disc.* 8.

Verum quicquid sit de prædictarum limitationum subsistentia, & intelligentia, quomodo scilic. & quando procedant, ac recipiendæ sint, cum incidenter solum deducerentur, absque eo, quod formiter examinarentur, quia nulla suberat necessitas ad eas recurrendi; Credebam in proposito cessare omnem difficultatem ex cessante applicatione ipsius regulæ principalis procedentis, quando stipulatoris 14 nihil interest, itaut pœna conventa sit ad exorbitantiam, & concessionem adimplere debentis, unde creditor eam exigendo esset in mero lucro; Secus autem ubi subjecta materia, seu natura rei in contractum deductæ ita exigit, itaut hujusmodi pacta redolentia speciem pœnæ, soleant esse potius connaturalia, & consueta, ad præservandum alterum contrahentem a damnis, & interesse, alias resultantibus, ut in eisdem terminis pacti non extrahendi ligna a sylva cædua post statutum tempus, explicando *dict. decis. in Romana lignorum 9. Junii* 1603. *coram Justo* habetur *in una Romana*, *sub tit. de locato*.

Id autem recte, ut infra, congruit huic subjectæ materiæ, unde propterea, etiam in sensu Rotæ, nulla cadebat quæstio potestatis, sed tota erat voluntatis, seu interpretationis dictæ conventionis, an scil. illa tanquam ambigua referenda veniret magis ad prohibitionem non levandi amplius venam singulo quoque triennio non levatam, ut prima vice resolutum fuit sub die 12. Junii 1662. vel potius ad suspensionem interusuriorum, ut credidit secunda dec. 6. Junii 1664.

Mihi autem, nedum in calore hujusmodi disputationum, sed etiam post controversiam sopitam, omnino probabilior videbatur prior intellectus per Rot. concordibus votis datus, non autem secundus, in quem non absque votorum scissura deventum fuit; Quoniam ista materia regulanda non est cum terminis, & regulis generalibus, cadentibus in aliis mercibus, bonis indifferentibus, prout sunt, triticum, vinum, saccharum, piper, & similia, habentia pretium, seu valorem intrinsecum, non amittendum in totum ex tempore, sed solum in aliquo alterabile; unde propterea intrat jam dictum inconveniens, quod venditor, seu locator locupletetur cum aliena jactura.

Non sic enim est in hac merce, quoniam cum agatur de materia, quæ de per se nihil valet, nullumque habet 15 valorem intrinsecum, quia totus valor consistere dicitur in temporaneo usu, seu emolumento, dum agitur de magna, & indeficienti fodina, ideirco, excepta modica impensa effossionis, seu excavationis, nihil venditoris, seu locatoris interest conventam quantitatem statuto tempore levatam esse necne, quoniam levando nihil minuitur, & relinquendo nihil crescit, ut bene in his præcisis, & individualibus terminis hujus fodinæ, ita distinguendo habetur apud Corn. *cons.* 152. *l.* 4. Et in simili pacto non negat (loquendo pariter de hac eadem fodina) Dec. *cons.* 297. *&* 555. in quibus non impugnat pacti validitatem, sed curat excusare appaltatorem ob impedimenta. Dictique pacti, seu conventionis validitas ratione consuetudinis, ex mercatorum, & negotiantium testimonio probatæ, firmatur in specie per Rot. in una Rom. venæ ferri 24. Februarii 1592. coram Blanchetto, quæ in proposito est satis punctualis, & notabilis decisio.

Siquidem fructus, seu redditus, qui ex hujusmodi fodinis percipi dicitur, consistit, non in perceptione mate- 16 riæ renascentis, ut consuetudo est fructuum, qui dicuntur illi, qui renascuntur, & percipiuntur salva rei substantia, sed in ipsa estitatione substantiæ, seu rei principalis singulis annis, unde quemadmodum in aliis bonis, & prædiis fructiferis, quando natura copiosum præbet fructum, dicitur annus fertilis, seu uber, & e contra sterilis, vel damnosus, quando modicum, ita in præsenti, ubertas, vel respective sterilitas pendet a majori, vel minori esitatione.

Hinc proinde habemus, quod quando fodinæ dominus illam locat, seu concedit in appaltum, aliud concedere non 17 dicitur, nisi facultatem utendi pro eo tempore, quo elapso cessat, ut bene Gutt. *de gab. qu.* 36. *n.* 10. *cum seqq.* Et conferunt, quæ apud Socc. *consil.* 156. *l.* 2. & sæpius *hoc tit. ad materiam salinarum* habentur de appaltu salium, seu salinarum, quod non importat aliud, nisi jus, seu facultatem privativæ vendendi eam mercem statuto tempore, emendo aleam lucri, vel respective damni resultantis a majori, vel respective minori esitatione in tempore statuto.

Et licet in stricta juris censura id, quod ex hujusmodi fodinis singulis annis percipitur, potius pars sortis quam 18 fructus dicatur, quoniam fructus vere, & proprie dicitur ille, qui renascitur, ac singulis annis, vel temporibus, salva rei substantia, seu causa productiva, percipitur, Nihilominus ubi non agitur de parvis, & superficialibus mineriis modico tempore duraturis, sed de hujusmodi magnis, atque juxta tot sæculorum experimentorum indeficientibus, tunc earum fructus consistere dicitur in ipsius substantia, an-

nuli,

nulli, seu temporanea consumptione, & esitatione; Unde propterea in eis cadit ususfructus, Ordinantur fideicommissa, Datur in dotem pro matrimonio carnali, seu pro dote Ecclesiæ, vel beneficii, Imponuntur super eis census, atque intrant pro pretio termini, text. *in leg. curabit, C. de action. empti*, cum similibus, ut per Garz. *de expensis, c.22. n.47.* Barbos. *in l. divortio, § si vir, n. 9. 10. ff. solut. Matr.* Barbat. *de divis. fructuum, p.1. cap. 17. n.39.* Molina *de primog. lib.1. c.23. n.8. in fine*, Castill. *de usufr. cap. 37. n. 16.* Guniet. *de gabell. d. qu.36. n.11. & seq.*

Igitur quot sunt anni, tot sunt locatores, neque fructus unius anni commiscendi sunt cum fructibus alterius, ad text. *in l. hac distinctio, §.1. ff. locat. cum concor.* per Barbat. *de divis. fructuum, part. 2. c.7. n.5. cum seqq.* Neque ex eo, quod conductor prædii, vel vineæ non percipit integros consuetos fructus anni præteriti remansos inutiles, & absque locatoris utilitate, sequitur eum non debere solvere pensionem, seu quod fructus anni sequentis referendi sint ad supplectionem fructuum alterius præcedentis anni, & hunc dicebam esse casum.

Clarius vero, ac extra difficultatem, quia non integra perceptio, seu esitatio venæ consuetæ, non proveniat ab aliquo casu, vel justo impedimento, seu ex facto tertii, sed a facto ipsorummet Appaltatorum, qui volentes alterare consuetum pretium *magonæ Florentiæ*, retraxerunt istius ædificii administratores a consueto laborerio; (Quidquid enim sit, an id præbeteret actionem contra eosdem ad damna, & interesse, ut infra in tertia inspectione;) Ad effectum tamen prædictum, ne fructus unius anni referri debeant ad fructus in anno præcedenti non integre perceptos, ista circumstantia videbatur ponere rem in claris.

Adversus hæc, deducebatur per scribentes in contrarium auctoritas punctualis Caballi *consil. 86. lib. 2.* ubi in individuo pro M. Duce hujus fodinæ Appaltatore generali ratione appaltus, ut supra initi ad annos 45. de an. 1577. sustinet contra tunc Plumbini Dominum locatorem, quod

19 M. Dux appaltator non teneretur ad solvendum pretium venæ non habitæ, ex dictis regulis generalibus prohibentibus petere pretium rei non traditæ.

Verum in hac auctoritate satis verificari observabam id, quod mea est frequens consuetudo dicendi, ut nulla fides adhibenda sit Consulentibus, utpote ad solum causæ servitium, seu opportunitatem clientis, & ad pecuniam scribentibus, ut clare verificabatur in isto scribente, qui erat etiam minister stipendiatus. Ideoque bene dicit Franch. *decis. 260. n.5.* quod quando allegantur consilia, videre oportet decisiones desuper editas, quod etiam dixit Rota *in Lauden. sensus 21. Junii 1666. Taja.*

Probabilius autem est in d. casu *Caballi* decisionem fuisse in contrarium, dum idem Appaltator in controversia postmodum habita cum subappaltoribus, prævia formali probatione hujusmodi consuetudinis ratione subjectæ materiæ, obtinuit eam canonizari per Rot. *in d. Romana venæ ferri 24. Febr.* 1592. cor. Blanchetto, ad ejus favorem edita.

Dicebant ulterius scribentes in contrarium, ad evitandum d. motivum, quod fructus unius anni confundendi non essent cum illis alterius. Quod hujusmodi appaltus, vere, & proprie non contineret locationem ipsius fodinæ,

20 dum præfinita erat quantitas ponderum, distributo pretio in singula pondera, sed quod potius dicendus esset contractus emptionis, & venditionis; Hoc autem erat æquivocum clarum, quoniam in hujusmodi materiis mineralibus, in quibus fiat appaltus generalis cum jure privativo, determinatur numerus, seu quantitas materiæ levandæ, & solvendæ, cum distributione pretii in singulas mensuras, vel singula pondera, quia sic exigit subjecta materia, & ad tollendas fraudes, quas Appaltator facere posset in supplantationem locatoris, vel successoris in appaltu, ut practicatur in appaltibus salis, seu salinarum, qui tamen ubi fiunt per plures annos, distributis respective pretio, & quantitate in singulos annos, dicitur locatio, ut punctualiter Soccin. *d. consil. 156. lib. 2. in princ.*

Et nihilominus, ubi etiam contraria fundamenta essent majoris ponderis, dicebam ea prodesse posse, considerando Appaltatorem in suis puris, & simplicibus terminis appaltatoris, ad effectum, ut urgeri non posset ad solvendum pretium rei non habitæ, juxta casus, de quibus agunt Dec. *d. consil. 297.* & Caball. *d. cons. 82.* Sed hoc admisso, pernecesse exinde resultabat destructio fundamenti, cui innixæ sunt priores decisiones circa punctum usuræ, cujus inspectio pendebat a justitia, vel injustitia pretii, firmando quod pretium, etsi inferius, non esset injustum.

Eatenus enim pretium appaltuum, seu venditionum generalium absque injustitia est inferius venditionibus particularibus, & diminutis, quatenus Appaltator, seu emptor suscipiat in se aleam futuræ incertitudinis, & periculi, quod pars mercis solutæ remaneret inutilis, cum aliis incommodis, damnis, & periculis ut supra; Cessante autem hujusmodi periculo, tunc, neque legalis, neque humana ratio subesse videtur, quæ pretii injustitiam salvet. Atque hic mihi videbatur punctus inevitabilis, quod scil. non possent insimul stare diminutio pretii ratione appaltus generalis, & hujusmodi facultas levandi, quandocumque mercem non levatam, & non esitatam in suis temporibus, ideoque unum de duobus pernecesse dare oportebat.

Demum quoad tertiam, & ultimam inspectionem damnorum, & interesse, ob denegatam consuetam venditionem venæ magonæ Florentiæ pro solito inferiori pretio. Dicebam scribens in causa, adhuc certum videri bonum jus locatoris, stante pacto prædicto ipsius prohibitivo, ne aliquo modo durante appaltu in venæ contrectatione se ingerere posset etiam pro usu proprio, unde sequutum est, quod acquisitis per Principem locatorem furnis, & ædificiis ferri, coactus fuit emere rem suam ab eisdem Appaltatoribus, cum augmento scutorum decem circiter pro quolibet pondere.

Ita enim d. Appaltatores suscepisse dicuntur hujusmodi fodinæ generalem administrationem, ac mandatum ad vendendum, unde propterea præstare debebant diligentiam, ut perciperentur consueti fructus juxta solitum, Carroc. *de loc. tit. de consuet. n. 3. 4.* Carpan. *de Statut. Mediolani, c.379. n. 41. & seq. vol. 2.* Ponderando etiam regulam generalem, 21

obligantem mandatarium erga mandantem ad culpam latam, & levem, de quibus nemo dubitat, ac juxta unam opinionem etiam ad levissima, ex late deductis per Harpreck. *in §. is qui, Instit. de mandato, n. 21. cum seq.* & quam conductoris obligationem de percipiendo fructus consuetos admittunt etiam primæ tres decisiones, ad effectum excusandi usuram, & injustitiam pretii, quibus terminis retentis, hujusmodi damnorum refectio resultare dicitur de consequenti, quia non potest mandatarius, vel administrator pro ejus libito, & ratione proprii majoris lucri, ita sperati, negligere consuetam venditionem, quinimo eam positive denegare.

Maturius tamen post causam sopitam, reflectendo ad veritatem, mihi videbatur hoc factum dici non posse culposum, sed potius prudens, & bene ordinatum ad eam utilitatem, quæ tunc, & temporaliter, fuisset quidem ipsorum Appaltatorum, cogendo scil. hujusmodi ædificii dominum, vel administratores ad emendam venam pro eo majori pretio, pro quo reliqua ædificia emere solent. Sed principaliter, & perpetuo redundasset in ipsum fodinæ dominum, ut comprobavit experientia longi appaltus, quem, ut supra spatio 45. annorum tenuit M. Dux Etruriæ, quoniam cum tunc consuetum pretium esset scut. 33. circiter pro quolibet pondere, d. Appaltatoris diligentia, & patentia in primis annis vendendi, ob jus privativum, quod, ut supra, natura huic fodinæ dedit, causarunt, quod etiam antiquiori tempore, quando rerum pretia erant inferiora, vendita fuit vena ad rationem scut. 53. auri, ut patet ex decisione in alia Romana *venæ, decis. 555. part. 4. rec. tom. 3.* Et sic aliud est, ut tamquam ex actu culposo tenerentur ad damna, & interesse, Aliud vero, quod deberet currere aliquod periculum consuetæ, seu præfinitæ quantitatis singulorum annorum ad effectum regulandi justitiam, vel injustitiam pretii, ut supra. Sed concordia a Me etiam laudata, & consulta, his omnibus finem dedit.

ROMANA FERRACCII, PRO PRINCIPE LUDOVISIO, CUM FRATRIBUS DE SIRIS.

Casus decisus per A. C. pro Principe, & deinde concordatus.

Periculum rerum venditarum consistentium in pondere, numero, vel mensura. An, & quando sit venditoris, & emptoris. Et quando venditori non obstante exceptione rei non traditæ jus competat consequendi pretium ex peculiari natura mineralium.

Casus belli, cujus damno cedere debeat, & an dicatur sequutum ex culpa venditoris, seu locatoris, itaut emptorem, vel conductorem liberet.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De exceptione rei non traditæ, & an ex pacto venditor agere possit ad pretium, quamvis traditio sequuta non esset.*
3 *In rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, his non sequutis, periculum est venditoris.*
4 *Fallit, ubi emptor est morosus in accipiendo, ac per eum stat.*
5 *Extenditur limitatio, ut venditor possit etiam bona vendita projicere.*
6 *Quando dicatur incursa mora, & an dilatio conventionalis concessa emptori illam non tollat.*
7 *An bellum motum in odium venditoris, seu locatoris excuset emptorem, seu conductorem a mora in rei perceptione.*
8 *Bellum inter casus fortuitos computandum est.*
9 *De differentia proveniente ex casu belli moti per hostes locatoris, vel venditoris, & ex causa privata inimicitiæ.*
10 *Quæ requirantur, ut emptor, vel conductor actionem habeat contra venditorem, seu locatorem pro damnis illatis ab ejus inimicis.*

D I S C. CXVIII.

1 PLumbini Princeps Nicolaus Ludovisius ingentem ferraccii quantitatem vendidit fratribus de Siris, tunc Appaltatoribus Status *Castri*, & ferrieriarum *Roncigliom*, spatio novem annorum, juxta distributas in singulos annos ratas percipiendam, eo adjecto pacto, quod tenerentur pretium statis temporibus solvere, sive mercem receperint, sive non; Ipsis autem in duobus, vel tribus annis ante Status invasionem, consuetum ferraccium recipere negligentibus, casus dedit, quod ferraccium ibi in magna quantitate existens a Gallis occupatum, & distractum fuit; Quare Princeps prædictus de anno 1648. occupatione adhuc durante, eos pulsavit coram A. C. ad solvendum residuum pro integro tempore decurso ex causa dictæ venditionis debitum, eisque opponentibus rei non traditæ exceptionem, assumpta fuit disputatio.

2 In qua scribens pro Principe (atque hujus causæ occasione Advocationis muneri forniter, & publice initium in ista Romana Curia dando.) Dicebam, pactum esse clarum, emptores teneri ad conventi pretii solutionem statutis temporibus, quamvis venditam mercem non accepissent, unde licet de jure, venditori ad pretium rei venditæ agenti obstet exceptio rei non traditæ, ad text. *in l. Julianus, §. offerri, ff. de actionibus empti*. Nihilominus idem jus non prohibet ex partium conventione recedi posse; ut omissis generalibus, in specie ementis venam a Domino Plumbini, seu Appaltatore generali hujusmodi solinæ, ut non obstante hujusmodi exceptione, etiam in casu, quo certum sit rem amplius tradi non posse, teneatur ad pretium, firmavit Rota *in una Romana venæ ferri 24. Februar.* 1592. cor. Blancheto *de qua disc. præced.*

Et quamvis, Dec. *consil.* 297. *alias* 298. in eisdem præcisis terminis, (in quibus tamen poterat volens venditor rem tradere, sed ob lapsum temporis prætendebat vigore pacti amplius non teneri) non negando pacti validitatem, curet excusare emptorem, quasi quod conventio intelligenda sit de re amplius non petenda per viam actionis, soluto jam pretio, secus autem per viam exceptionis ad venditorem pretii petentem repellendum. Ei tamen in specie respondet Rot. *in d. decis.* ac latius in terminis venæ, etiam ubi est in facultate venditoris tradere, agitur assignata ratione *in Romana locationis venæ ferri, discursu præcedenti*; Nos autem versabamur in terminis clarioribus, quia in venditoris facultate amplius non erat tradere mercem venditam, utpote casu belli ab hostibus occupatam, ideoque periculum debuit esse ipsius emptoris, tamquam domini, ut in specie ista ratio, quamvis ex diverso casu deducitur per Rot. *in alleg. decis.* cor. Blancheto.

Ex parte emptorum acriter insistebatur, quod in rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, in emptorem non transfertur dominium, & successive illius non est periculum antequam mensuratio, numeratio, vel ponde-
3 ratio sequatur, sed utrumque ad venditorem pertinet, ad text. *in l. quod sæpe, §. in his, ff. de contrahenda emptione, & l. 2. C. de periculo, & commodo rei venditæ*, cum pluribus concordantibus. Nihilominus non negata regula, illam limitari dicebam, ubi mora emptoris intercedit, atque per eum stat, quominus traditio, seu mensuratio, vel ponderatio sequatur, ut probat idem text. *in d. l. 2. in l. si per emptorem, & l. illud, ff. eod. tit. de periculo, & commodo* 4
rei venditæ, ibique gloss. & DD. communiter, Gomez. *lib. 2. var. resol. tit. de emptione, & vendit. n.* 32. Medices de casibus fortuitis, *qu.* 10. *part.* 2. *n.* 106.

Quod adeo verum est, ut lapso statuto tempore, ac em- 5
ptore rei traditionem non curante, si venditori impedimentum præstet, possit etiam rem venditam projicere, vel emptoris sumptu ex ejus fundo tollere, ut in terminis emptoris lapidum est text. *in l. si is qui lapides, ff. de actionibus empti*. Et in terminis venditoris vini, quod imminente nova vindemia, non curante emptore vinum accipere, possit venditor pro evacuandis doliis, ut vinum novum reponeret, illud etiam projicere, est text. clarus *in leg. 1. §. licet autem, ff. de pericul. & commod. rei vend.*

Unde cum statutis temporibus venditores ferraccium accipere, & levare non curaverint, quando in libera facultate venditoris erat illud tradere, eorum debuit esse periculum. Accedente præsertim pacto, quod cessare facit rationem supradictæ regulæ, quod scil. venditio rerum consistentium in pondere, numero, & mensura, eam habere censeatur conditionem, si ponderatio, numeratio, vel mensuratio sequatur, quia hæc juris præsumptio, in dubio admittenda, cedit contrariæ veritati ex pacto resultanti; Et fortius ratione subjectæ materiæ, quia de natura hujusmodi mineralium est, ut eorum esitatio fiat in singulos annos, & statuta tempora, in quibus est vis, cum venditoris nil, vel parum intersit rem invenditam remanere, ejusque massam fieri, *ut in d. Rom. locat. venæ ferri, disc. præced.*

Negabatur ex parte emptorum mora (quam dicebam singulis annis contractam ex lapsu conventi temporis, juxta text. *in l. magnam, C. de contrahenda, & commis. stipul.*) 6
stante alio pacto, quod si singulis annis ferraccium non levaverint, teneantur quidem statutis temporibus solvere pretium, sed intra integrum novennium, ac alium annum post illud expletum, levare possent mercem emptam, unde propterea stante hujusmodi conventa dilatione adhuc durante, moram in illis considerari non posse contendebant; Sed minus tutum erat refugium, siquidem dies adjecta perfectioni, & executioni contractus, ac traditioni rei in eum deductæ, consistebat in fine cujuslibet anni, per cujus lapsum mora hinc inde respective inducebatur. Subsequens autem pactum importabat unum ex tribus, vel scil. quod annus post expletum novennium esset terminus adjectus, gratia omnino terminandæ, & extinguendæ obligationis venditoris, itaut quamvis pretium recepisset, ac in ejus libera facultate esset rem tradere, adhuc tamen amplius non teneretur, prout vere tam verba contractus, quam subjecta materia, & negotii natura suadebant, ut in præcedenti, ideoque intrat regula, quod mora non oritur ex die adjecta gratia extinguendæ obligationis, ad text. *in leg. exempto alias l. emptore, §. Cassius, ff. de action. empti.*

Aut quod contineat gratiosam dilationem, emptoribus concessam ad faciendum id, quod alias facere non possent de merce, singulo quoque anno non levata, ita suadente hu- 7
jus negotii natura, seu consuetudine, *ut plenius d. disc. præced.* Vel demum id fuisse concessum in gratiam eorumdem emptorum, ne venditor lapso statuto tempore illos cogere potuisset ad disbrigandum magazenos, seu repositoria, quodque alias venditori licitum esset mercem projicere juxta terminos text. *in d. l. 1. §. licet autem, ff. de periculo, & commodo rei venditæ, & l. si is qui lapides, ff. de actionib. empti*. Numquam vero tolli posse videbatur fundamentum, de quo supra, quod scilic. per emptores steterit, quominus statuto tempore receperint ad inducendam in eis moram, non quidem culposam aliquam pœnam irrogantem, sive interesse producentem, sed tantum causantem effectum prædictum habendi rem ex parte venditoris pro tradita, itaut emptoris periculo remaneret, prout regularis natura est hujusmodi contractus post illum perfectum, exceptis hujusmodi rebus, in pondere, numero, vel mensura consistentibus, cum modificatione, ut supra.

Aliud ex parte emptorum, solutionem effugere curantium, excitatum fuit motivum, quod casus belli, & invasionis adscribendus esset culpæ venditoris, quasi quod in ejus odium id gestum esset, allegando Bald. *in l. si ea lege n. 12. & seqq. C. de usuris*, Corn. *cons. 23. lib. 2.* firmantes casum belli moti contra locatorem, sive ex justa, sive ex injusta causa conductorem excusare; Pluribus tamen mediis hunc objectum de facili occurrebam. Primo nempe quod

illud

illud percuteret casum illius mercis, quæ levanda esset de tempore, quo Status occupatus erat, itaut considerando emptores tamquam species conductorum (sub quorum, seu *Appaltatorum* nomine, etiam *hujusmodi* particulares emptores *nuncupari* solent) dictum impedimentum justam præbere posset causam ad petendam remissionem, in quibus terminis loquuntur allegati, in quibus tamen neque procederet, nisi facta aliorum annorum peræquatione,
8 damnum esse intolerabile juxta terminos text. *in cap. propter sterilitatem*, quia vere bellum inter casus fortuitos computandum est, neque ad praxim deduci potest, ut culpæ positivæ id adscribatur, ut bene considerant Mandos. *conf.* 79. *n.* 9. & alii apud Larream *alleg.* 17. *cum seqq.* Et secundo quia quidquid vulgus diceret de armis Regis Christianissimi, motis ad dicti Status occupationem ob excitationem, & instantiam aliquorum privatorum inimicorum, seu æmulorum ipsius Principis, attamen id merebatur inter fabulas reponi, quia vere mota fuerunt ex causa publicæ inimicitiæ inter Reges & fines ponderatos *in Januen. vena, sub tit. de feud. disc.* 58. Unde quoad dicti Status possessorem aliosque interessatos, mero casui referendum erat.

Consideratio siquidem culpæ cadit in eo damno, quod
9 a privatis inimicis venditoribus, vel locatoribus infertur, quo casu inspicitur cujus culpa inimicitiæ provenerint, sed manifestum æquivocum esse dicebam ut ea, quæ Doctores dicunt de damno illato ab inimicis, applicanda sint bello publico, quod semper tribuendum est casui fortuito, cujus periculum in præsenti fuit commune, venditori scilicet pro rata illarum mercium, in quibus dici non poterat per emptores stetisse quominus illas reciperent, & emptoribus pro rata illorum annorum decursorum, in quibus per eos stetit, quominus tempore non impedito reciperent mercem.

Præterea, ut emptor adversus venditorem, vel condu-
10 ctor adversus locatorem actionem, vel exceptionem habeat ad interesse pro damno, quod ab ejus inimicis illatum infertur, duo copulative requiruntur; Primo quod damnum datum sit in odium venditoris, seu locatoris ab ejus inimicis, ut ipsum in bonis suis damnificarent, alias non damnificaturi, & secundo, ut inimicitia, seu causa damni fuerit præexistens de tempore contractus, secus autem si supervenerit, quia quæ sequuntur post contractum, non habent causam retro, sed emptoris damno cedunt, *l. Lucius, ff. de evictionibus*, Alex. *in l. stipulatio ista, n.* 15. *ff. de verb. obligationib.* ibique bene Jason. *n.* 14. Mantic. *de tacitis, lib.* 4. *tit.* 27. *n.* 41.

Et nihilominus etiam in præexistente de tempore contractus, limitandum crederem, ubi venditoris, seu locatoris inimicitia esset publica & notoria, quia conductor casum prævidere potest, unde censetur periculo se exponere voluisse, neque casus inde contingens dicitur inopinatus; Ut de conducente bona prope flumen, cujus inundationes ex ipso rei aspectu, & frequenti contingentia prævideri possunt, ut ob damnum inde contingens remissionem non petat, nisi accedat pactum, *est plena decisio* Coccini 422. & de conductore tempore pestis, vel belli actualis, vel jam imminentis cum similibus, Caval. *dec.* 618. *n.* 7. Capyc. Latr. *consult.* 40. *n.* 34. *& seqq. ubi cæteri.*

Juxta præmissa judicatum fuit ab A. C. proindeque relaxatum mandatum contra emptores, a Signatura Justitiæ canonizatum, sed plures deinde exortæ sunt controversiæ super calculi dati & accepti, præsertim occasione cujusdam magni ovilis per debitores creditoris, annis præcedentibus, simpliciter & absque aliqua tituli expressione traditi, quod ex quodam morbo satis notabiliter diminutum fuit, an scilicet diminutio cedere deberet damno creditoris, vel debitoris, quod pendebat a puncto, an debitore simpliciter dante bona creditori, censeatur in pignus, vel in solutum; Admittebatur enim hinc inde, ex magis communi, & recepta sententia, præsumptionem esse in pignus, ut creditor prætendebat, unde sequebatur periculum esse debitoris, ex cujus tamen parte allegabatur hujusmodi regulæ limitatio ex conjecturis, aliisque adminiculis & circumstantiis, dationem in solutum inducentibus, & successive periculum in creditorem ex deductis *in Anconitana, sub tit. de credito, & in Tiburtina Castri S. Angeli, sub titulo de usur. d. disc.* 8. Quare post plures discussiones satis honesta concordia controversiæ finem præbuit.

ANNOT. AD DISC. CXVIII.

Contenta in hoc discursu percutere videntur potius materiam emptionis, & venditionis, quando scilicet periculum sit emptoris, vel venditoris, ideoque videndum in sua sede *sub tit. de Empt. & vendit. disc,* 16. *&* 8.

FERRARIEN. DECUPLI,
PRO HÆREDIBUS FRANCISCI RIMBALDESII,
CUM CAMERA.

Casus sopitus per Concordiam.

De pœna decupli imposita per Bullam Pauli Tertii contra fraudantes fiscum, & Cameram, quando incurratur, & quid ad hunc effectum requiratur; Et an petatur mortuo delinquente, & de præscriptione dictæ pœnæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An, & quando administrator exhibens computos infideles dicatur in dolo.*
3 *Ad pœnam conventionalem sufficit dolus præsumptus.*
4 *Ut confessio præjudicet, & convincat de mendacio, debet esse clara, dilucida, & concludens pernecesse.*
5 *Confitens potest declarare confessionem propriam dubiam, & æquivocam.*
6 *Donator donationem irrevocabilem potest declarare, si est dubia.*
7 *Mandans potest declarare mandatum dubium.*
8 *Convinci non potest de mendacio, vel dolo, qui erravit in modo calculandi, & ordinem temporum pervertit.*
9 *Salis consignatio anticipate appaltatori facienda est, & de ratione, & implementum post tempus non attenditur.*
10 *A quo tempore appaltus initium habere, ac regulari debeat, & annus dimidiatus quomodo attendendus.*
11 *Vinearum locationes incipere solent post vindemias.*
12 *In regulandis annis appaltuum & locationum quale initium spectandum sit.*
13 *Ad excusandum a pœna Decupli ob mendacium, vel fraudem in computis, quælibet probabilis causa admittenda.*
14 *Bulla Pauli III. super pœna decupli ob rationes infideliter datas, habet solum locum in partitis omissis introitus.*
15 *Assignatur ratio dictæ propositionis.*
16 *Quid ad effectus decupli requiratur dolus verus.*
17 *Ultra dolum requiritur perseverantia usque ad partita minus fidelis bonificationem, quia datur pœnitentia.*
18 *Distinctio, quando in his terminis requiratur dolus & quando, non inter pœnam mitiorem, & graviorem.*
19 *In duplo, triplo, vel decuplo an contineatur simplum.*
20 *Probatur de jure dicta distinctio inter pœnam graviorem, & mitiorem.*
21 *De pœna creditoris, debitum bis petentis.*
22 *Ad effectum hujus pœnæ decupli, vel similis, spectandus est effectus, an scilicet Camera Principis remaneat defraudata.*
23 *Mors extinguit delictum & pœnam, & quando contra mortuum procedi possit.*
24 *Moriens præsumitur memor æternæ salutis.*
25 *Crimen peculatus cessat per mortem.*
26 *Declaratur conclusio, quod pœna conventionalis non postulat dolum, ac non cessat per mortem.*
27 *Moriens per manus justitiæ dicitur voluntarie mori, & occidi a seipso.*

D I S C. CXIX.

Terminato primo appaltu generali Ferrariæ, suscepto 1
per Franciscum Rimbaldesium in fine anni 1647. atque non reperto novo appaltatore, stetit appaltus in administratione Officialium Cameræ usque ad mensem Augusti ejusdem anni, de quo tempore illum denuo suscepit idem Rimbaldesius, ea lege, ut initium habere deberet a prima Julii præcedentis, & terminare in fine Decembris 1657. & sic per annos novem cum dimidio, cum consuetis pactis, illo præsertim, quod Camera singulis annis te-

netur

netur sibi gratis tradere saccos 7000. salis, nempe 5000. pro Statu Ferrariæ & 2000. pro usu Civitatis & vallium Comacli, alias Clomachi, ut in alia *Ferrarien. hoc tod. tit. disc.* 109.

Cum autem salinæ Cerviæ, ex quibus dicta salis quantitas præstari debebat, sterilitatem passæ essent, alia occasione enarratam *in Cervien. disc.* 11. ideoque de anno 1650. & parte anni 1651. integram consueti salis quantitatem consequi non potuerit, hinc propterea in computis aliquorum annorum, quos ad præscriptum *Bullæ* 40. *Pauli Tertii*, juratos dedit in Camera de anno 1653. in ejus creditum, & a Camera bonificandam posuit partitam saccorum 4169. salis in anno 1650. & parte anni 1651. sibi non traditi, eoque mortuo, hæredes prosequentes dictorum computorum solidationem de anno 1658. obtinuerunt dictæ partitæ bonificationem, *ut dict. disc.* 112.

De anno autem 1662. supponentes ministri Camerales dictam partitam esse minus fidelem, ex eo, quod pro fornitura anni 1650. integram salis quantitatem habitam fuisse constaret, quodque pro anno 1651. licentiam habuisset se providendi de sale extero, hinc prætendere cœperunt, non solum delendam esse partitam ex dicta causa ut supra bonificatam, importantem pro rata minus fideliter posita scuta circiter 14. m. sed etiam incursum pœnæ decupli inflictæ per dictam *Constitutionem* 40. *Pauli Tertii*.

Et introducta causa coram Thesaurario, Agentes pro Rimbaldesiis, cum calculis in facto, ostendebant minus fundatam esse Cameræ prætensionem, quodque calculando usque ad diem 23. Augusti 1651. in quo Appaltatori concessa fuit facultas se providendi de sale extero per totum dictum tempus decursum, vere deficiebat summa prædicta; Econverso autem Camerales contendebant non debere ita calculari, quodque de anno 1651. nulla ratio haberi deberet, attento quod ipso Appaltatore pendente, sibi concessa fuerat facultas providendi de sale extero.

Verum ubi etiam, sine veri præjudicio, modus calculandi per Camerales prætensus subsisteret, proindeque constaret dictam partitam esse in computis male positam, ac non mereri jam sequutam bonificationem, itaut quæstio restringeretur ad punctum juris, an scilicet locus esset dictæ pœnæ decupli, vel potius remota bonificatione intraret illius excusatio.

Dicebam scribens pro Rimbaldesiis, punctum principaliter pendere ab eo, num ad hujusmodi pœnæ incursum requireretur dolus verus, vel sufficeret præsumptus, quem Camerales prætendebant sufficere, itaut probata infidelitate partitæ, Camera fundatam intentionem haberet ad pœnæ incursum absque alia probatione, donec per alteram partem concludenter probaretur non dolus, seu ejus excusatio, ex eo, quod qui supponit non verum dicitur esse in mendacio, habente in se dolum præsumptum, ut ultra
2 generalia, vel similia, in specie ad effectum incursus hujusmodi pœnæ, Larrea *alleg.* 38. *n.* 6. *& per tot.* ubi allegat Cabretam *de Triplici, c.* 14. *n.* 7. *cum seqq.*

Et ultra prædictos, qui per Camerales allegabantur, idem in his terminis individualibus tenet & probat Sousa *dec. Lusitan.* 76. *n.* 12. ubi licet constituat regulam, ut dolus non præsumatur, sed ab allegante probandus veniat, firmat tamen ad hunc effectum, nisi probetur excusatio, illum præsumi, quæ auctoritates sunt speciales; Et generaliter allegabatur Chartar. *dec. Mediolan.* 81. ubi late probat, vel non requiri dolum, vel sufficere præsumptum, ad
3 incurrendam pœnam conventionalem, qualem Camerales dicebant illam, stante quod per contractum Appaltator se obligaverat reddere rationes, unde implicite se obligasse videbatur ad pœnas a prædicta Constitutione inflictas non bene, & fideliter rationes reddentibus.

Contrarium vero omnino verius dicebam, tam in facto quam in jure, in facto siquidem negabatur mendacium, de quo impossibile erat Appaltatorem convincere, dum in partita jurata narravit deficientiam salis pro anno 1650. & parte anni 1651. indeterminate absque expressione mensis, vel partis hujus ultimi anni, ideoque in facultate ipsius confitentis erat declarare, de qua parte intellexerit, & usque ad quod tempus deficientiam includeret, quia ut confessio præjudicet confitenti, illumque convincat de mendacio, debet esse clara, dilucida, & pernecesse concludens, Man-
4 tic. *dec.* 199. *n.* 6. *&* 205. *n.* 2. *dec.* 218. *n.* 9. *p.* 6. *rec. dec.* 54. *in fin. &* 164. *n.* 13. *p.* 9. *rec.* & in aliis frequenter; Atque sufficit confitenti pro excludendo præjudicio, confessio-
5 nem esse æquivocam, seu dubiam, et ipsius declarationi deferendum sit, cum nemo melius declarare possit verborum sensum, quam ille, qui ea protulit; Unde etiam in actibus irrevocabilibus, & obligatoriis (qualis est ex. gr. donatio inter vivos) quamvis donator non possit perfectam donationem revocare, neque aliud indirecte agere, ob quod revocatio resultet, attamen si concepta est
per verba dubia, & æquivoca, ad eum pertinet declara- 6
tio, quæ est attendenda. Othobon. *dec.* 119. *n.* 8. *& dec.* 195. *n.* 18. *dec.* 402. *n.* 31. *& seqq. part.* 9. *rec. Romana scutorum* 30. *m.* 9. *Aprilis* 1660. *&* 21. *Junii* 1661. Albergato *quæ sunt dec.* 77. *&* 90. *post collucationes Bondeni.*

Ita pariter in mandato, quod mandantem obligat ad ea, quæ illius vigore mandatarius gessit, quia si est dubium, ad ipsum pertinet declaratio Soccin. jun. *cons.* 28.
n. 21. *lib.* 3. Mantic. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 14. *n.* 11. *& fuit di-* 7
ctum in Romana pecuniaria de Vincentinis, sub titulo de cred. cum similibus; Unde cum calculando usque ad diem 23. Augusti, quando concessa fuit Appaltatori facultas se providendi de sale extero, deficeret summa in computis posita, omnino cessabat in facto mendacium.

Neque de illo convinci poterat Appaltator, ex eo, quod non esset in ejus facultate ita calculare, quasi quod calculari debuerit ad totam ultimam diem Junii ejusdem anni 1651. in quo annus terminabat, ne unus annus cum altero confunderetur (quod erat præcipuum, & forte totum
Camcialium fundamentum, & in quo Judex primæ instan- 8
tiæ suam sententiam fundavit;) Hanc enim dicebam fallaciam nimis claram, quoniam, aliud est agere quomodo computa dari debuerint, & an pars anni novi commisceri potuerit cum annis præcedentibus jam decursis; Aliud vero agere, quid dicere voluerit ille, de cujus mendacio convincendo agitur, præsertim ad effectum pœnæ; Stant enim bene simul, quod calculari debuerit eo modo, quo Camerales asserebant; itaut computa alias data reformationem mererentur, & tamen quod ille, qui rationes non bene ordinatas exhibuit, juxta suum calculandi modum veritatem dixerit, atque a mendacio immunis esset.

Clarius, quia attenta subjecta materia, ita & non alias
calculandum erat, deficientia enim salis debito tempore 9
non habiti, non est reparabilis cum suppletione post præfinitum tempus facienda, quia eo ipso, quod sal debitis temporibus non habetur, itaut populis præventive distribui non potuerit, vel in condiendis piscibus converti; Appaltator illico passus est damnum irreparabile, cui subsequens traditio non providet, cum dari non possit usus talis pro tempore jam decurso, quia hodie non utimur sale externa die consummando, neque cum eo tarde tradito condi possunt pisces jam capti, & corrupti, vel alias ob salis deficientiam inutiles redditi, ideoque merito in capitulis Appaltus conveniri solet de anticipata traditione, quæ omnino necessaria videtur, ut scilicet adveniente tempore, quo Appaltator ex distributione utilitatem reportare debet, jam sit in magazenis, & repositoriis singulorum locorum promptus, ex ipsa prima die distribuendus. Quod etiam clare suadet ipsum vocabulum *fornituræ*, quod idem est ac præventiva munitio, seu provisio pro futuri temporis prompto usu, itaut in satis bona fide versatus diceretur Appaltator, restringendo deficientiam usque ad diem 23. Augusti, quando facultatem habuit se providendi de sale extero *Barlettæ*, cum dictæ facultatis effectus ob regionis distantiam & navigationis intervallum, aliaque impedimenta contingere solita, vix ad totum mensem Septembris obtineri potuerit, unde hoc medio tempore, ob salis penuriam Appaltator remansit irreparabiliter damnificatus, ac etiam istud damnum ponere potuisset in calculis.

Ponderabam quoque Ego specialiter in facto, non bene 10
regulari annum a die prima Julii, sed illum regulandum esse juxta consuetam appaltus naturam a prima Januarii, quia cum appaltus esset pro annis novem cum dimidio, annus dimidiatus referri debebat ad primum, quem, pro reducendo appaltu ad suum consuetum cursum, Appaltator ita dimidiatum suscipere voluit, cum juribus tamen pro anno integro competentibus, tanquam partem pretii, dum Appaltatores salinarum Cerviæ pro eo primo anno nihil de consueta fornitura dederant, stante quod pro usu populorum in eo medio anno, quo appaltus stetit in administratione, distributus fuerat sal appaltus præcedentis, remansus in magazenis; Atque isto calculandi modo attento, pro decem scilicet fornituris, non autem pro novem cum dimidio, ut dicebant Camerales, non solum usque ad dictam die 23. Augusti deficiebat data quantitas, sed longe major saccorum fere 7. m.

Ad hoc assumptum probandum, dabam simile de loca- 11
tione

gione & conductione vineæ, cujus initium ex consuetudine, spectata prædii natura, incipere solet post collectas uvas a prima die Novembris, ut de consuetudine, quod locationes vinearum incipiant a die S. Michaelis, & terminent in eadem die, habetur in specie apud Munoz. *in tract. de computat. comput.* 21. *n.* 7. & 8. Si enim daret casus, quod non reperto conductore locatore vineam coleret, & intra annum versus mensem Aprilis illam locaret pro uno anno cum dimidio, itaut affictus terminare deberet in festo Sancti Michaelis anni secundi, utique dicendum est, annum dimidiatum referendum non esse ad secundum, sed ad primum, in quo continuando annum jam cœptum, cum sola possessione sex mensium, integras uvas, sive integros fructus percipit tanquam partem pretii, seu tanquam conditionem, sine qua conductor non conduxisset, itaut duas recollectas, non autem unam cum dimidio obtineret.

Quodque in regulandis annis præsertim affictuum, spe-
12 ctanda sit consuetudo, eaque cessante spectetur annus solaris, seu naturalis, incipiens juxta communem usum a die Nativitatis Domini, Munoz. *d. tract. de comput. post tract. de ratiocin. comput.* 21. *n.* 1. *& seqq.* Rot. *dec.* 196. *n.* 1. apud Post. *de manut. Melevitana pensionis* 14. *Maii* 1649. coram Bichio *post Contrium dec.* 84. Quamvis ista computatio anni naturalis recte procedat in regulandis affictibus, seu fructuum perceptionibus hujusmodi appaltuum, seu vectigalium, quorum fructus est civilis; secus autem in prædiis rusticis, quorum fructus naturalis certa anni parte percipitur, quia tunc juxta exemplum vineæ supra traditum, annus novus incipere dicitur a prima die post collectos fructus, qui per naturam produci dicuntur *ad not. per DD. in l. divortio, ff. sol. matrim.* & non semel habetur *sub tit. de pension.* ad effectum regulandi onus pensionis inter prædecessorem & successorem, sive inter titularem & pensionarii hæredem.

Et nihilominus ad effectum, de quo agebatur, dicebam sufficere ex præmissis dictam confessionem, seu partitam reddi æquivocam & probabiliter dubiam, ad excusandum a mendacio & dolo, ex quibus alias satis gravis pœna resultaret, præsertim mortuo ipso principali confitente, qui suam voluntatem declarare non poterat, neque adducere causas excusationis forsan veras & solidas, hæredibus autem ignotas; Et ex qua præsertim ratione deducebam, du-
13 rum videri contra mortuum relinquentem hæredes pupillos, & non informatos, post plures annos hujusmodi pœnale judicium agere, proindeque de facili probabilem excusationis causam in proposito attendendam esse, late habetur in his terminis apud Sousam *d. dec.* 76. *cum seqq.*

Verum ubi etiam factum, ut supra non assisteret, ita ut dicta deficientia, quæ in computis præsupposita fuit,
14 non subsisteret; Adhuc tamen, etiam cum sensu veritatis, omnino improbabilem dicebam Cameralium prætensionem circa pœnæ incursum, quia dicta bulla *Pauli tertii*, decupli, & censurarum, pœnas adjicit reddentibus rationes *pro qualibet partita crediti Cameræ omissa, seu non soluta*, ut sunt ejus verba præcisa, ideoque locum habet, ubi defectus computorum est circa introitum, quia nempe non introitetur partita habita & introitanda, ut bene Afflict. *in Constit. Regni incipien. officiales*, *n.* 1. ubi exemplificat in omissione introitus, & in his etiam terminis, omissione introitus, ad effectum istius pœnæ agunt Reverter. *dec.* 523. Larrea *alleg.* 38. Ganavett. *dec.* 27. Munoz. *de ratiocin. cap.* 42. *n.* 17. Sousa *d. dec.* 76. *cum seq.* de materia tractantes.

Et in individuo hujus Bullæ Vermigliol. *cons.* 136. *n.* 6. 137. *n.* 5. & 8. & 339. atque semper ab ipsa prima die, qua Curiam ingressus fui, audivi dictam Bullam procedere circa partitas introitus omissas, in quibus vere dolus, seu occultatio consistere dicitur, non autem circa hujusmodi prætensione concernentes potius defalcum, seu diminutionem pensionis, cum communis sit appaltatorum consuetudo, multas deducendi prætensiones pro majori parte in computorum solidationibus rejici, vel ad quid modicum reduci solitas.

15 Quodque in solis partitis omissi introitus id procedere debeat, assignabam claram rationem, quod scilicet ubi Camera concedit alicui Officiali, vel Appaltatori generalem administrationem negotii, sub quo multi veniunt effectus, ac redditus, ut plurimum incerti, eventuales, & varii, impossibile redditur scire omnes partitas exactas, ac detegere quænam sint omissæ, ideoque omnino necessaria est summa fidelitas, quæ hodie magis formidine pœnæ, quam virtutis amore obtinetur, nam alias in facultate Officialium, seu Appaltatorum esset plures redditum & emolumentorum partitas occultare, de quibus vix convinci possent; Ubi vero defectus non est in introitu, sed est circa assertum non implementum ab eadem Camera, ejusque officialibus & ministris præstandum, tunc non est occultare id, quod Appaltator per se ipsum administravit, & circa ea, in quibus Camera ipsius fidem sequuta est, sed potius non est fateri implementum, quod ex parte adimplere debentis probandum est, ac de facili probari potest per officiales & ministros ad id destinatos cum eorum libris & partitis, unde cessat dicta potissima ratio violatæ fidei, quam Camera de necessitate circa introitum requirere solet ipsius Appaltatoris seu administratoris, præsertim quia de sale non solent per Appaltatores reddi rationes distinctæ, sed solum ejus non tradita quantitas enunciatur, tanquam prætensio, seu causa, ob quam debita sit pensionis diminutio, ideoque nullatenus intrabat dictæ Bullæ dispositio.

Præterea ubi etiam admitteretur Bullam prædictam istum
quoque casum complecti; Adhuc tamen ex præmissis vi- 16
debatur satis excusari dolum, quem constanter asserebam requiri verum, ex quo resultet dictum positivum, sine quo non datur pœna, *ad text. in l. Sancimus, C. de pœnis*, ut in individuo firmat Vermigliol *cons.* 136. *n.* 2. & 3. *cons.* 137. *n.* 3. & 4. & *cons.* 399. *n.* 11. in quibus allegat auctoritatem Nattæ de consimili lege loquentis *cons.* 452. *n.* 24. ponderando verba Bullæ, ibi, *ne audeant aliquid pro se retinere*, quæ ad oculum probant temeritatem circa retentionem, & sic in occultatione introitus; Ac etiam deducit chirographum Pauli V. emanatum in consimili causa, agitata cum *Ceulo*, cujus originale repertum fuit, & in quo licet ageretur de partitis omissis introitus, attamen Papa liberando inquisitum, assignat rationem deficientis doli, quem necessarium esse asserit.

Et quod ad hujusmodi pœnam incurrendam requiratur dolus, explicite firmant, vel tanquam absolutum supponunt, ultra Nattam & Vermigliol. locis citatis, Afflict. *in Constit. Regni Officiales*, *n.* 1. Reverter. *dec.* 353. Ganaver. *dec.* 27. *n.* 5. *& per tot.* loquentes de consimili lege Regni Neapolitani, imponente pœnam nonupli, Et in terminis legum Hispaniæ Munoz. *de ratiocin. cap.* 42. *n.* 17. & 19.

Quinimo neque solum mendacium ac dolosam parti-
tarum omissionem sufficere, sed necessariam esse perseve- 17
rantiam usque ad computorum solidationem, & postquam partitæ fuerunt attinctæ, quia interim pendente rationum discussione locus est pœnitentiæ: bene firmat in specie Afflict. *d. Constit. officiales*, *n.* 1. ubi quod possunt errores corrigi & emendari; & plene Ganaver. *d. dec.* 27. ubi testatur de observantia: quod etiam firmant Munoz. *d. cap.* 42. *n.* 18. Vermigliol. *cons.* 399 *n.* 53. Ideoque impossibile videbatur procedi posse ad pœnam contra Appaltatorem, qui post datas rationes ad paucos menses obiit, neque illarum solidationem obtinuit, cum illas prosequuti fuerint hæredes pupilli, in quibus delictum dari non poterat.

Et quod ad effectum hujus Bullæ requiratur verus do- 18
lus, dicebam expresse firmari per eundem rigidissimum, nimisque affectatum fiscalem Larream unicum Cameralium Achillem *dict. alleg.* 38. *n.* 13. *& per tot.* ubi duas considerat leges Hispanicas, unam imponentem solam pœnam tripli, alteram imponentem graviorem pœnam septupli; Ad primum effectum sentire videtur non requiri dolum, quia est levis pœna a jure communi etiam imposita, *in l. excellentia tua, C. de erogatione militaris annonæ, lib.* 12. unde lex municipalis dici non potest exorbitans, cum hujusmodi pœnam lex imponat etiam in privatis, aliena occultantibus *ad text. in l. fin. §. licentia, C. de jure deliber. cum concordan. dec.* 181. *par.* 6. *rec.* in quibus passim habetur pœna dupli, quam in effectu 19
dicta Hispanica lex continet, quamvis loquatur de triplo, quia in eo continetur simplum debiti civilis, resultantis ex occultatione partitæ, unde pœna in solo duplo consistere dicitur, ut idem Larrea *d. alleg.* 38. *n.* 6. & 13. & plenius ex professo Sousa *d. dec.* 77. ideo non mirum, si dolus positivus non requiritur.

Ad secundum autem effectum pœnæ gravioris septupli a jure communi ignotæ, ac propterea exorbitantis, admittit Larrea requiri dolum. Multo igitur magis in terminis hujus Bullæ irrogantis, non solum longe graviorem pœnam pecuniariam decupli, sed etiam alias, falsi scilicet, perjurii, & excommunicationis majoris, quas impossibile vide-

videtur posse incurri absque dolo positivo, ut Paulus V. declaravit, ut supra.

20 Quam differentiam inter mitiorem & graviorem pœnam, in proposito clarissime probari dicebam de jure per *text. in d. l. excellentiam tua, & in l. quilibet 40. C. de decurionibus, lib. 10.* In prima enim, per quam sola levis pœna pecuniaria dupli adjicitur, nulla fit mentio fraudis, vel doli. Sed in altera, ubi pro eadem causa imponitur gravior pœna corporalis, expresse postulatur fraus, ibi, *vel fraudulenter in adscriptionibus*.

Replicabant Camerales, mendacium esse clarum ex præmissis facti considerationibus non escusabile, quia partita jurata loquitur de salaria Ferrariæ, pro qua ostendebatur nihil deficere, cum deficientia esset in sale debito pro Civitate Comacli; Sed esse satis leve fundamentum replicabam, tum quia calculando pro decem fornituris, non autem pro novem cum dimidio, ut supra, adhuc pro sola fornitura Ferrariæ, consistente in saccis 5. m. pro singulis annis, deficientia remanebat major. Tum etiam quia licet essent duæ salariæ, seu fornituræ, diversæ in ordine ad quantitatem singulis locis destinatam, ac etiam ob aliquam differentiam circa solutionem pretii intrinseci faciendam, vel non faciendam Salinariis Cerviæ; Attamen in effectu unum erat debitum, ex uno eodemque contractu resultans, itaut una esset persona debitoris, & una etiam persona creditoris ex eodem principio, & consequenter ista verborum formalitas nullius considerationis videbatur; Et nihilominus etiamsi credita provenirent ex diversis causis, attamen stante identitate personarum, nil referebat, ut creditor illud debitum, quod ex una causa consequi debebat, ad aliam retulerit, quia spectanda non est figura verborum, sed substantiæ veritatis, ejusque effectus consistens in eo, quod Camera non esset damnificata, seu præjudicata, dum nihil occultabatur, sed petebatur id, quod vere erat debitum, nil referendo, an ex una, vel ex altera causa deberetur.

21 Hinc habemus in jure, pœnam falsi, vel stellionatus impositam esse creditori idem debitum bis petenti, ex deductis per Farinacc. *in fragm. verbo creditor, n. 725.* & Rovit. *pragm. 7. de falsis*; Et tamen si ille, qui duas partitas ex diversis causis consequi debet, referendo erronee, vel indebite solutionem sequutam ad unam magis, quam ad alteram, non petendo debitam, sed loco illius petendo alteram indebitam, & ad quam solutio referri debuerat, Nullatenus dicendum est dictas pœnas intrare, quia debitor non remanet in aliquo damnificatus, neque in substantia concurrit fraus petendi debitum jam exactum, sed solum adesse dicitur error petendi rem pro re absque debitoris præjudicio, cum in proposito spectandus sit solus effectus, an scilicet vere Camera defraudata remaneat, Mandell. *d. cons. 432. n. 48.* Vermigliol. *d. cons. 399. num. fin.*

22 Atque ex hoc simili de debito bis petito, bene probari dicebam supradictum assumptum Afflicti & Ganavett. *locis cit.* ut ad hujusmodi pœnæ incursum non sufficiat sola partita indebite posita, nisi concurrat perseverantia in ea sustinenda, & postquam attincta esset cum subsequuto effectu bonificationis, & in qua perseverantia dolus consistere dicitur, quia licet impositæ sint pœnæ pro debito bis petito, attamen ad illarum incursum sola indebita petitio absque effectu exactionis non sufficit, ut firmat Rovit. *in d. pragm. 7. de falsis*, quia in his non videtur puniendus affectus sine effectu.

23 Demum ubi etiam constaret de dolo, itaut locus esset pœnæ, adhuc tamen dicebatur, super ea judicium agi non posse contra defunctum, dum contra ipsum viventem, neque inquisitio formata fuerat, neque lis contestata, cum mors omne delictum & pœnam extinguat, *ad text. in l. defuncto, ff. de publ. judic.* cum concordan. per Farinacc. *q. 10. n. 36. cum seqq.* Pro cujus assumpti ab aliis Advocatis deducti comprobatione, Ego (qui nunquam illud deducere volui, ne ita admitterem illud delictum, quod nec per somnium adesse videbatur) ponderabam duo esse genera delictorum; Unum nempe eorum, quæ dicuntur

24 perfecta & consummata eo ipso, quod committuntur, itaut subsequens pœnitentia non possit ea retractare, nec facere, ut id, quod est delictum, non sit tale, prout sunt, homicidium, sacrilegium, stuprum, & similia; Et in his terminis dubitari potest, an per mortem cesset actio fisci ad pœnam pecuniariam, quam non cessare plerique contendunt; Alterum est genus delictorum, quæ ex primævo actu non sunt consummata & perfecta, sed admittunt pœnitentiam re integra, itaut perfectio delicti stet in pendulo, pendens a futura perseverantia, & usu, usque ad consequutionem finis, ad quem illud est ordinatum, & tunc casus videtur indubitatus contra fiscum, ut scilicet per mortem omnia cessent, quia non adest adjectum adhuc perfectum & consummatum, sed solum initiatum, quod per mortem sublatum dici potest, tanquam per tacitam & subintellectam pœnitentiam, cum quilibet moriens præsumatur memor æternæ salutis ac pœnitens *ad text. in cap. significavit de homicid. & cap. literas de præsumpt.* Alciat. *reg. 3. præsumpt. 4. in fin.* Menoch. *lib. 5. præsumpt. 5. n. 1. & 2. & per tot.* Farinac. *de hæresi, quæst. 196. n. 31.* ubi quod in moriente non intrat præsumptio pertinaciæ & perseverantiæ.

Et in hac ultima specie delicti versari dicebam, quia ut ex Afflict. Ganaverr. & aliis supra probatum fuit, hoc est delictum, postulans ad incursum pœnæ perseverantiam, ex qua doli probatio resultare dicitur, ut in proximis, & specialibus terminis pœnæ *peculatus* contra Officialem, 25
in officio delinquentem, quæ cum his terminis fraternizat, ut a fisco prætendi non valeat post mortem, quoties in vita non est formata inquisitio, & lis non contestata, fundat Anellus Amat. *cons. 55*, qui proinde testatur fiscum destitisse a molestiis, remoto sequestro; Et tamen ibi agebatur de fisco Principis laici, multo magis in illo Papæ, qui alios Principes ad æquitatem, & mansuetudinem invitare debet, eorumque exemplar est.

Ad ea vero, quæ a Cameralibus inculcabantur de pœna conventionali dolum non postulante ex Chartar. *dec.* 26
81. cum ibi alleg. & per mortem non cessante, satis facilis erat responsio; Id scilicet procedere de illa certa pœna, ad quam ex contractu quis expresse se obligat, ut est casus Chartarii, in quo quidem clericus expresse se obligaverat sub pœna centum scut. non conversari cum quadam muliere; Hoc autem nullatenus applicabile erat terminis nostris, in quibus nulla aderat expresse promissa pœna conventionalis; ille vero quasi contractus, quem delinquens facere dicitur cum justitia eo ipso, quod delictum committit, & per quod, per quamdam occultam conventionem, dicitur se subjicere pœnis a lege præscriptis, procedit in quocumque delicto, itaut moriens per manus justitiæ dicatur mori voluntarie, & occidi a se ipso, ut per Castracan. *de Societ. off. cap. 29. n. 11. in fine*, Rot. apud Zacc. *de Societ. dec. 54. n. 5. & per tot.* & est particulariter actum *in Melphiten. pensionis, sub tit. de pension.* ubi de casu singulari; Sed hæc est conventio large, & improprie sumpta, cui vanum est limitationem applicare, quoniam ita prorsus fatua, & nunquam verificabilis remaneret regula, dum idem procederet in omnibus pœnis pro quibuscumque delictis.

His non obstantibus, Judex primæ instantiæ processit ad sententiam dictæ pœnæ condemnatoriam, sed interposita appellatione ad Cameram, concors erat omnium opinio pro dictæ sententiæ, utpote evidenter injustæ, revocatione: ex quibusdam tamen provisionibus impedita fuit resolutio, atque non expectata repropositione inita fuit concordia super solidatione computorum, ac prætensionibus, quæ habebantur hinc inde super appaltu, atque ista etiam prætensio sub eadem concordia comprehensa fuit. Sed reflectendo ad veritatem, etiam post causam sopitam, dictæ pœnæ nullatenus locum fore mihi videbatur.

BONONIEN. DECUPLI PRO N. CUM CAMERA.

Casus disputatus coram Thesaurario, incertus est exitus.

De eadem materia pœnæ decupli contra dantes minus fideles rationes administrationis, vel appaltus rerum fiscalium.

SUMMARIUM.

1 *Falsi series.*
2 *Ad incursum pœnæ decupli an requiratur dolus verus, & fraus.*
3 *Errores computorum male traditorum possunt emendari;*
4 *In pœnalibus quælibet pœna probabiliter opinata excusat.*
5 *Camera Principis agit contra administratorem pro creditis inexactis.*
6 *Quando causa excusationis non dicatur justa.*

7 Ubi

7 Ubi causa non est omnino excusatione digna, sed aliquem colorem habet, an debeat pœna minorari.

D I S C. CXX.

1 SEquuta applicatione ad beneficium Cameræ Apostolicæ nonnullorum bonorum, quæ dismembrata fuerunt a Collegio Bonon. nuncupato *Montis Alti*, consuevit Camera, &, ejus nomine, Thesaurarius pro dictorum bonorum administratione deputare œconomum, qualis per plures annos fuit Comes Carolus Antonius de Fibulis, quo defuncto, deputatus fuit Titius, cui post jam transmissas litteras deputationis in forma consueta, idem Thesaurarius per epistolas familiares injunxit, ut salvo jure Cameræ contra Fibulum pro juribus, & redditibus decursis inexactis, eorumdem effectuum exactioni incumberet, prout fecit, efformando tamen de istis computum ad partes diversum a libro œconomiæ & administrationis super juribus & effectibus currentibus, atque post plurium annorum administrationem exhibendo computa jurata ad formam constitutionis Pauli III. ut per omnes Cameræ administratores, vel appaltatores faciendum est, fideliter descripsit omnes effectus currentes ad dictam ejus œconomiam, seu administrationem spectantes, omisit autem exactiones per eumdem factas de nominibus debitorum, aliisque effectibus ad œconomiam sui prædecessoris pertinentibus; Unde camerales ad hujusmodi defectum advertentes, prætendere cœperunt incursum pœnæ decupli in dicta Pauli III. constitutione inflictæ, asserentes non posse isto casu allegari excusationem, de qua *disc. praced.* quod scilicet Bulla solum procederet in partitis introitus omissi, cum de istis in specie ageretur, unde casus occultationis asserebatur planus.

Pro Titio vero scribens dicebam, adhuc eum ab incur-
2 su pœnæ excusabilem censendum esse; quia retento eodem præsupposito, de quo *in pracedenti*, ut scilicet ad hujusmodi pœnæ incursum; utpote gravissimæ, & juris dispositione nimis exorbitantis requiratur fraus, sive dolus positivus, quodque ille incurri dicatur, non ex solo actu momentaneo exhibendi computos defectivos, sed ex perseverantia in illis sustinendis, ac reportando effectum, ad quem defectus directus est; Omnia hæc requisita in præsenti cessabant, quia computorum solidationem, & liberatoriam adhuc non reportaverat, unde adhuc res erat in-
3 tegra corrigendi errorem, quem corrigi posse ex Afflict. Ganavert. & aliis habetur *in pracedenti*, quia solus actus exhibitionis computorum videtur delictum initiatum, sed non perfectum, seu delinquendi affectus non sequuto effectu, proquo, præterquam in atrocioribus, non intrat pœna ordinaria, ex deductis per Farinac. *quæst.* 124. *p.* 1. *n.* 1. *& seqq. & p.* 2. 117. *cum seqq.* præsertim ubi agitur de pœna statutaria a jure communi exorbitante.

4 Præterea recepta propositio est, in pœnalibus quamlibet causam quamvis injustam, sed probabiliter opinatam excusare a dolo, & pœna, Cavaler. *dec.* 81. *n.* 2. *dec.* 293. *n.* 5. *p.* 6. *rec.* Et in specialibus terminis hujus pœnæ Sousa, *dec.* 77. ubi regulæ generales cumulantur, quæ fortius in nostris terminis quam in illis, de quibus Sousa loquitur, procedunt, quia, *ut in pracedenti* dictum fuit, pœna tripli inflicta per leges Hispaniarum, utpote duplum in effectu continens, dum sub ea etiam ipsum simplum partitæ omissæ continetur, non exorbitat a jure communi, prout exorbitat nostra continens decuplum, nec non perjurium, falsum, & excommunicationem majorem, unde clarior dolus omnino requisitus videtur, & per consequens facilius excusatio admittitur.

Excusationis autem causa nimis probabilis videbatur in præsenti, quia pro nominibus & effectibus a Fibula præ-
5 decessore inexactis, Camera contra eumdem directam actionem habebat *ad text. in l. fin. §. item, ff. de administr. rerum ad Civit. pertinentium, & l.* 2. *C. de periculo nominatorum, lib.* 11. *cum concord.* per Cyriac. *controv.* 433. *n.* 6. *cum seqq.* quod etiam idem Thesaurarius in dictis ejus epistolis declaravit, committendo exactionem dictorum effectuum sine præjudicio dictæ actionis, itaut potuerit probabiliter Titius credere, istos effectus non esse Camerales, sed potius privatos dicti Fibulæ prædecessoris, exigendos per Cameram tanquam nomen debitoris sui debitoris, & consequenter non cadere sub computis suæ œconomiæ & administrationis percutientis effectus in futurum post ejus deputationem decurrendos, unde juste potuit de his tanquam ab ejus œconomia diversis, & utpote diversam personam constituens tenere computum separatum ad partes.
6 Replicabant Camerales, non sine aliqua probabilitate, hujusmodi excusationem recte procedere, quando ageretur de computis singulis annis distincte præstandis; itaut administrator dicere posset, ordinem scripturæ non postulare hujusmodi decursorum mixturam, secus autem dum agebatur de redditione generali plurium annorum, ab anno scilicet 1653. quo deputatus fuit usque ad 1661. in quo computa exhibuit, cum nullus subesse videretur prætextus, cur in dicta generali redditione hujusmodi partitæ neglectæ fuerint, præsertim quia in tam longo intervallo (stante forsan Fibulæ insufficientia) idem administrator agnoscere potuit Cameram, vel negligendo, vel inanem reputando actionem contra dictum Fibulam, istos effectus reputasse suos. Unde casus patiebatur suas difficultates, atque si ageretur de mitiori pœna adeo a jure non exorbitanti, & juxta terminos legum Hispaniæ conformantium cum dispositione juris communis *in l. excellentia tua, C. de erogat. militaris annua, lib.* 12. satis dubitari potuisset quod causæ excusationis non essent sufficientes, sed quia tractatur de pœna nimis gravi & exorbitanti, ad cujus incursum, tam de jure, quam ex declaratione Pauli V. *in pracedenti* enunciata, dolus positivus requiri videtur, probabiliter excusatio a pœna ordinaria intrabat; Sed adhuc 7
dubitabam non posse eum prætendi ab alicujus minoris & extraordinariæ pœnæ incursu omnino immunem; Concurrente siquidem aliqua probabili excusatione, quæ delictum omnino non tollat, neque totalem innocentiam redoleat, intrat quidem excusatio a pœna ordinaria, sed non per hoc remanet delinquens omnino immunis, ut habetur in proposito falsitatis non aptæ ad nocendum, sive affectus ad delinquendum non sequuto effectu, cum similibus; Et in specie hujus pœnæ ex aliqua causa minorandæ plene agit Sousa, *dec.* 78. ex regulis generalibus traditis per Tiraquell. *in ejus tract. de pœnis legum temperandis*; Causa siluit, atque ignotus est eventus, cum aliqua suavi concordia forte sequutus, &c.

ROMANA DECUPLI,
PRO ANTONIO FRANCISCO FARSETTO,
CUM CAMERA.

Casus decisus pro Farsetto.

De eadem materia pœnæ decupli resultans ex Bulla Pauli III.

Et aliqua de administratione cussionis monetarum, & expensarum, desuper currentium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An intret pœna decupli, ubi reddens rationes habet fundatam intentionem, eligibilem solum per exceptionem Cameræ.*
3 *An & quando diminuto labore, vel opere, diminuendum sit salarium, & econtra eo aucto, sit augendum.*
4 *Salarium debetur prompto operario, & per quem non stat præstare operam.*
5 *Ex quantitate pretii desumitur, quid in contractum deductum sit.*
6 *Tunc ex diminuto opere diminuendum est salarium, quando eo aucto competere posset augmentum, & non alias.*

D I S C. CXXI.

CUm ad parandam pecuniam belli indigentiis necessa- 1
riam, Urbanus VIII. publico edicto mandasset, ut omnes exhibere tenerentur argenta in Sicla Camerali, ad effectum cudendi & reducendi ad monetam, solvendo argentorum dominis valorem in tot locis montium tunc erectis; Camera iniit partitum cum Farsetto tunc ejus Depositario Generali, & Siclæ Appaltatore, super dictorum argentorum cussione, per solitos ministros & operarios facienda, sibi solvendo, seu bonificando pro affinatura, fusione, & cussione, omnibusque aliis necessariis, julios tres pro qualibet libra, qui deinde in stipulatione instrumenti redacti fuerunt ad julios duos, ad quam rationem in ejus computis Appaltator se creditorem constituit; Quia tamen plures argentorum domini existimantes ita sibi magis expedire, ad tollendas fraudes per inferiores ministros inscio Appaltatore in fusione & affinatura fieri solitas, propriis expensis extra Zeccham curarunt ea fundi & affinari, atque in massam redigi, Idcirco prætendere cœperunt Camerales ad instigationem cujusdam secre-

secreti denuntiatoris, defectivos ac fraudulentos esse computos dicti Appaltatoris in partita srutorum 4247. posita *pro toto eo, quod sibi debeatur pro raffinatura, calo, battitura, & quacumque alia impensa, sue risico & periculo librarum 21237. argenti, per particulares introducti ad rationem juliorum duorum ad formam instrumenti*; Quasi quod supponendo in omnibus argentis impensam fusionis & raffinaturæ, ita fuerit in fraude, dum illorum notabilis pars per illorum dominos proprio sumptu fusa & raffinata fuerat, unde propterea restituere deberet Cameræ totum id, quod dicta impensa importaret, atque pro ista rata, in qua fraus prætendebatur, incurrisse pœnam decupli a Constitutione Pauli Tertii inflictam, introductaque causa coram Siclarum Præside.

Pro Appaltatore scribens, deducendo easdem conclusio-
2 nes jam in terminis hujus Bullæ superius deductas *in Ferrarien. decupli, disc. 119.* tam scilicet super dolo, ejusque excusatione ea qualiber causa probabiliter opinata, quam super ejusdem Bullæ intellectu, ut scilicet procedere deberet in partitis omissis in introitu, in quibus vere & proprie occultatio consistere dicitur, non autem in præsenti, ubi Appaltator ad formam publici instrumenti fundatam habeat intentionem in generali actione consequendi de omnibus argentis indefinite julios duos pro qualiber libra, quia hæc accidentalis defalcatio per Cameram prætensa, continere dicebatur quandam exceptionem, seu prætensionee, quam actor, seu creditor, nec deducere, nec fundare tenetur; Ideoque nullo jure nullaque positiva, vel humana ratione dici posse asserebam, ut creditor habens fundatam ejus actionem in conventione clara, dici posset in fraude & pœna, ex eo, quod aliquam defalchi exceptionem accidentalem, & a conventione extrinsecam non deduxerit; Atque ex hoc solum absque dubio locus esse deberet absolutoriæ a pœna, quamvis etiam circa simplum Cameræ prætensio fundamentum haberet, prout ita judicatum fuit, quia concessa absolutoria a pœna, credidit judex aliquid per Appaltatorem ea dicta causa restituendum esse, ideoque eum condemnavit ad restituenda scuta 400. circiter.

Sed adhuc parum fundata visa est condemnatio, quæ proinde nullum effectum sortita fuit, quia interposita appellatione ad Cameram, iidem Camerales agnoscentes prætensionis insubsistentiam, eam deseruerunt, & sic tacite liti cesserunt, & merito; Siquidem tunc hujusmodi prætensio aliquam subsistentiam habere posset, quando versaremur in mercede, quæ distincte pro singulis dictarum ope-
3 rarum speciebus præscripta esset, quo casu intrat quæstio, de qua Bart. *& cæteri in l. ex eo, ff. de annuis legatis, & l. diem functo, ff. de officio assessoris*, Menoch. *de arbitr. casu* 223. Zacch. *de salar. quæst.* 11. *n.* 2. *& seqq.* An scilicet diminuta parte laboris, seu non præstita aliqua specie operis, minuenda sit merces, & econverso, labore, vel operis specie excrescente, illa sit augenda; Sed versabamur in mercede generaliter pro toto opere ad certam summam per quamdam transactionis speciem conventa, quo casu, sufficit, locantem operas fuisse paratum ad præstandum quicquid pro opere perficiendo erat necessarium, neque per eum stetisse, quominus promissa adimpleret; Ut in specie de conducto indefinite ad servitium, & ad faciendum quicquid facere opus erit, ut non augeatur salarium ob augmentum laboris, neque minuatur ob illius diminutionem, habetur *in Romana mercedis* 26. *Januarii* 1604. *coram Pamphilio*, cum qua pertransivit Rota *in Interamn. mercedis* 15. *Maii* 1645. *§. fin. coram Peutingerio*, & observant add. Buratt. *dec.* 508. *in fine*, Zacch. *de salario, dict. q.* 11. *num.* 22. Et generaliter de conducto ad aliquod opus pro certa mercede, ut illam consequatur, si ex parte sua promptus est, nec
4 per eum stat, quominus faciat bene Galeot. *lib.* 2. *contr.* 69. *n.* 3. *cum seqq.* Cavaler. *dec.* 520. *n.* 1. Zacch. *dict. tract. q.* 22. *n.* 8. *cum seqq.* & late Rota *in Urbinaten. salarii* 26. *Junii* 1652. *coram Zarata, &* 20. *Aprilis* 1654. *coram Albergato, quæ sunt registrata apud Zacch. ubi supra, q.* 23. *& prima est repetita, dec.* 286. *part.* 11. *rec.*

Quod in proposito dicebam omnino rationabile, ac humano discursui adaptatum, si enim faber ea lapidibus, per cives ad certum locum asportandis, promittat pro certo precio aliquod ædificium construere, assumendo in se onus calcis, arenæ, lignorum, mercedis fabrorum, & polituræ seu quarraturæ lapidum in confuso. Aliqui autem asportent ad locum destinatum nonnullos lapides jam politos, & quarratos, habebit quidem iste partiarius hoc beneficium a casu, seu fortuna, sed non inde inferri posse videtur, conventum pretium esse minuendum, quia casus potuit prævideri, ejusque ratione merces minui ab initio.

Idque omnino probabile in præsenti videbatur, tum quia inspecto valore singularum expensarum & operum, necnon periculi, & curæ, in hujusmodi cussione ad perfectionem reducenda, merces esset longe major, quam duorum juliorum, pro quibus conventa erat; Tum quia ultra singulas expensas singulorum operum, in quibus solum camerales insistebant, ponendus erat in æstimatione valor periculo notabilis super hujusmodi materiæ pretiosæ subtractione per ministros, & operarios, necnon curæ, & industriæ perficiendi operis: Et clarius stante differentia inter chirographum desuper expeditum, & instrumentum ad plures dies postea celebratum, quia in primo merx conventa erat ad rationem juliorum trium pro qualibet libra, in instrumento autem redacta est ad julios duos, quæ notabilis superveniens diminutio ad aliam causam referenda non erat, nisi quod Camerales caperti hoc medio tempore argentorum asportationem in parte fieri in massa, itaut impensa necessaria in fusione & raffinatura in parte cessaret, ita mercem jam conventam diminuere voluerint, cum alias habita ratione omnium expensarum esset incongrua, unde intrat juris propositio, quod ex pretii quantitate desumitur partium intentio, & quid & quan- 5
tum in contractum deductum sit, Alex. *cons.* 26. *lib.* 4. Mantic. *de tacit. lib.* 4. *tit.* 9. *n.* 8. Gregor. *dec.* 126. *n.* 9. Buratt. *dec.* 471. *n.* 4. *&* 697. *n.* 5. *& passim.*

Ponderando demum, quod tunc ea diminutione laboris minuendum est salarium, quando istud ea illius augmen- 6
to esset augendum, ea communiter firmatis *per DD. in d. l. ex eo, ff. de annuis legat. & l. diem functo, ff. de off. assess.* Menoch. *de arbitr. dicto casu* 223. Zacch. *de salario, dict. qu.* 11. Unde cum stante generalitate conventionis pro omni, & toto eo, &c. Appaltator nunquam separare potuisset augmentum pro eo damno, vel impensa, quod cum malo eventu sibi dedissent mala & corrupta qualitas argentorum, seu alia pericula in subjecta materia de facili contingibilia, ita, juxta regulam juris naturæ, canonizatam a jure positivo *in l. secundum naturam, ff. de reg. iur.* suum debebat esse commodum, quod bonus eventus sibi tribuerit, cum vere processum esset non per viam taxationis expensarum, quæ in singulis operibus essent necessariæ, sed per viam transactionis super omnibus casibus dubiis ad commodum, & incommodum se habentibus, & hæc videbatur veritas.

ROMANA, SEU VITERBIEN. APPALTUS,

PRO MUTIO ORSINO,

CUM CAMERA.

Casus disputatus in Congregatione Camerali.

An fiscus sit in aliquo privilegiatus circa facultatem jurandi suspectos ejus debitores, & Appaltatores diversimode, quam cuilibet privato creditori competat.

Facto appaltu bonorum & jurium fiscalium ad certum tempus sub certa pensione in singulos annos distributa, sub dilatione tamen majoris temporis circa solutionem, an, dicta dilatione durante, appaltator dici possit debitor pensionis pro rata temporis decursi, & quomodo hujusmodi appaltus consistens in Regalibus & juribus fiscalibus reguletur.

Et aliquod de utroque pretio intrinseco, & extrinseco locorum montium, quomodo hæc pretia differant.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Debiter non potest jurari suspectus nisi pro debito liquido & maturato, & si adest excessus actus corruit.*
3 *De distinctione pretii intrinseci, & extrinseci locorum montium, vel censuum inter tertios.*
4 *Quid quoad ipsam Cameram, vel debitorum census.*
5 *Quando Camera admittit aliquem particolarem ad montem dicitur pro eo se obligare, seu fidejubere.*
6 *Fidejussor non est creditor debitoris, nisi quantum sua interest, & in damno quod patitur, sed non petit interesse extrinsecum nisi cum requisitis.*

7 *Pre-*

7 *Pretium intrinsecum locorum montium quandoque minuitur.*
8 *De fisci privilegiis cum eorum debitoribus remissive, inter quæ non adest illud allegandi debitorem suspectum sine causa.*
9 *Fiscus non est regulariter privilegiatus, sed ultra casus expressos in jure, utitur jure privati.*
10 *Fiscus potest convenire suum debitorem ante tempus.*
11 *Ille qui de tempore contracti debiti erat suspectus, & parum idoneus, non potest jurari suspectus de fuga.*
12 *Declaratur conclusio de qua, n. 10.*
13 *Pensionis debitum non regulatur juxta tempora in quibus solutio conventa est, sed juxta perceptionem fructuum, quorum ratione conductor ad eam tenetur.*
14 *Quomodo fructuum perceptio reguletur.*
15 *In specie appaltuum fiscalium quomodo reguletur fructus, & in quibus eorum fructus consistat.*

D I S C. CXXII.

1 SUscepit Orsinus a Camera appaltum reddituum & proventuum Ducatus Castri, & Status Roncilionis ad novennium, incipiendum sub die 29. Septembris 1659. ut sequitur, terminandum pro annua pensione scut. 70. m. solvendorum quolibet bimestre pro rata, sub conventione tamen, ut solutio initium habere deberet die prima Julii sequentis, itaut terminante appaltu sub die 29. Septembris 1668. solutio pensionis terminare deberet ultima die Junii 1669.

Item, ut animalia, aliaque instrumenta in hujusmodi appaltu necessaria, vel opportuna, Appaltator parare posset, loco illius mutui, quod vulgo *improstantia* nuncupatur, per Cameram in pecunia numerata alias fieri solita, illum admisit ad additionem cujusdam Montis pro locis mille, per ipsam Cameram sub ejus fide erigendis, & quæ per ipsum Appaltatorem ad libitum vendi & resignari possent, sub obligatione conservandi ipsam Cameram indemnem pro fructibus, ac etiam, dicto appaltu durante, redimendi totidem loca ejusdem montis, ad effectum, ut illa, appaltu terminante, suppressa & extincta remanerent, cum obligatione alias ad quanti ejusdem Cameræ interesset id non sequi; Cum autem paulo post biennium dicti appaltus, ministri Camerales ad quos pertinet, prætenderent dictum Appaltatorem non bene appaltum administrare, neque pensiones decursas solvisse, atque per publicam vocem, & famam, dictam impræstantiam integre erogatam non esse in causam conventam; Hinc proinde illum de deterioratione status suspectum habere jurarunt, ideoque de mense Januarii 1662. declarando uti velle omnibus privilegiis Cameræ, præcipue agendi pro assecuratione etiam ante cessam diem solutionis, institerunt procedi ad dicti Appaltatoris carcerationem, omniumque bonorum, & effectuum sequestrum, interdicta etiam sibi administratione, ut de facto sequutum fuit. Cumque ex præmissis ingentia damna sequuta essent dicto Appaltatori, hic post aliquod tempus, occasione solidationis computorum, atque ut ejus personæ, & bonorum liberationem obtineret, institit pro eorum refectione, seu bonificatione, utpote ex dictis indebitis actibus sequutorum; Unde assumpta desuper disputatione in Congregatione Camerali, cui ultra eos, qui in ea intervenire solent, duo alii Clerici de Camera mandato Papæ adjuncti fuerunt.

Punctus pendebat ab eo, an de tempore, quo dictus Appaltator juratus fuit suspectus, esset necne Cameræ debitor in summa, quo juratus fuerat, isto enim debito cessante; Dicebam scribens pro dicto Appaltatore, & Camerales non negabant, dictam allegationem suspicionis cum omnibus inde sequutis remanere nullam, utpote excessivam, cum ad hunc effectum requiratur debitum liquidum, pro quo tunc debitor urgeri poterat, itaut si pro summa excessiva, vel illiquida juretur, tale mandatum dicatur nulliter concessum & executum, ut cæteris allegatis firmatur apud *Burat. dec.* 531. *n.* 5. & 653. *n.* 5. apud Othob.
2 *dec.* 205. *n.* 6. *in interamnen. seu Romana nullitatis mandati* 11. *Decembris* 1652. coram Albergato, de qua causa habetur actum in sua materia *sub tit. de credito*, ubi pluries de ista conclusione, & aliis spectantibus ad materiam debitoris de fuga suspecti jurandi.

Hoc autem a duplici inspectione pendebat; Primo ab eo quod ministri Camerales, ad quos pertinet, juraverant dictum Appaltatorem ea causa dictæ impræstantiæ, seu ag-
3 gregationis, Monti debitorem, nedum in eorumdem locorum pretio intrinseco importante scut. 100. m. ad rationem scut. 100. pro quolibet, sed etiam in scutis 9. m. pro pretio seu valore extrinseco & accidentali, cum tunc illa species locorum montium contractaretur ad rationem scut. 109. pro quolibet; An scilicet dici posset debitor Cameræ in præfatis scut. 9. m. Et secundo dum juratus fuerat debitor ea causa pensionis decursæ in scutis 43. m. circiter ad ratam temporis, non habita ratione dictæ dilationis novem mensium, de qua durante dici non poterat esse debitum liquidum, pro quo tunc urgeri posset, ut ad hunc effectum requiritur; Et in utroque, pro appaltatore probabilius respondendum esse dicebam.

Quatenus enim pertinet ad primum, licet quando loca montium inter privatos contractantur, ejusdem naturæ videatur utrumque pretium, intrinsecum, & extrinsecum, nulla adhibita dictorum pretiorum distinctione, quoniam quoad ipsas partes, tanti valere dicuntur, quanti communiter in foro currunt & contrectari solent, sive plus, sive minus, quam importet eorum naturale & intrinsecum pretium, pro quo erecta sunt scut. 100. ita ea accidentibus, ac temporum qualitate alterabile, eodem modo, quo licite in commercio inter tertios, absque debitoris injuria & præjudicio, pro alterato majori, vel minori pretio contractari potest census, quia nempe impositus pro sorte scut. mille, ob bonam qualitatem debitoris, aliasque circumstantias, licite per creditorem alteri cedi valeat pro mille & centum, & e converso ob suspicionem debitoris, vel creditoris indigentiam, aut alias circumstantias cedatur pro 900. &c. juxta magis communem opinionem in foro receptam, de qua cæteris allegatis, Cenc. *de Cens. quæst.* 72. *n.* 17. & *seq.* Cyriac. *controv.* 170. *n.* 13. Salgad. *in labyrint. creditorum, part.* 1. *cap.* 13. *secundo, n.* 36. & *seq.* & *cap.* 27. *n.* 8. & *seqq.* & habetur pluries in aliis hoc eodem titulo ad materiam locorum montium, in quibus, vel similibus juribus cum Principe, aut Republica, totius Europæ inconcussa praxis id comprobat. Ea ea clara ratione, quia id nil interest debitoris, cujus debitum tam in sorte, quam in fructibus nullam recipit alternationem, dum in casu extinctionis, ab ejus electione ac facultate pendentis, ad aliud non tenetur, nisi ad restituendum pretium intrinsecum ab ipso acceptum, non curato, an census, vel juris possessio, plus, vel minus erogaverit pro ejus acquisitione a creditore. 3

Secus vero est, ipsa Camera Montis debitrice, quoniam aut non vult extinguere, & ejus interesse non versatur nisi in solutione fructuum, quorum respectu nulla intrat alteratio, aut vult extinguere, & non curato, an Montium possessores, illa pro majori, vel minori pretio ab aliis montistis acquisierint, cogi non potest ad majus pretium quam intrinsecum & naturale scut. 100. pro quolibet, licet possessor plus emerit, & e converso idem intrinsecum pretium diminuere non potest, licet possessor minus emisset, excepto casu, in quo extrinseci, seu alterati pretii augmentum, vel decrementum ipsius Cameræ, seu Reipublicæ commodo, vel respective damno cessisset, juxta casum, de quo *in Romana Religionis. hoc eodem tit. disc.* 33. ubi Camera etiam pro extrinseco & alterato pretio vendiderat, tantumdem restitutura, & casum conversum, quando eadem pro minus vendidisset, de quo plene agitur apud Capyc. Latr. *dec.* 180. quorum neutrum in præsenti concurrebat, quoniam dicta additio facta erat juxta consuetam formam pro solo intrinseco pretio scut. 100. 4

Hinc proinde resultabat ad effectum, de quo erat quæstio, eamdem Cameram dici non posse dicti Appaltatoris creditricem in dicta rata pretii extrinseci, seu 5
accidentalis, quoniam ipsa in hac parte gerere solum videbatur, vel partes fidejussoris hujus Appaltatoris, pro cautela montistarum suam fidem pro alieno debito adhibendo, eo modo, quo facere solet, quando aliquos Barones, sive etiam particulares, aut Communitates admitiit ad Montes Camerales, ut fecit præsertim pro Universitate hebræorum cum similibus; Seu verius gerere dicitur partes imponentis censum super ejus bonis in gratiam alterius, qui ipsum impositorem relevare debet, juxta casum, de quo *dec.* 46. *in fine, part.* 7. *rec.* & sæpius.

Quo posito, fidejussor aliud a principali debitore præ- 6
tendere non potest, nisi relevationem, & quantum importaret suum damnum in casu, quo ille suam obligationem non impleret, ad communiter notata *in l. unica, Cod. de sententia pro eo quod interest*. Unde propterea fidejussor neque actionem habet ad interesse extrinsecum

cum

cum, seu accidentale, nisi prævia intimatione, aliisque
concurrentibus requisitis, ex deductis per Cenc. *de Cens.*
q. 75. n. 7. Diard. *eodem tract. §. 3. q. 13. n. 32.* Rota post
utrumque, *dec. 324.* & tanquam absolutum supponitur
apud Ottbob. *dec. 269. & dec. 270. p. 11. rec.*

Replicabatur per Camerales, idque faciebat impressio-
nem, quod Appaltator se obligasset tremere totidem loca
montium, ut illorum extinctio in fine appaltus, seu alias,
quando sibi videretur sequi posset, unde propterea infere-
batur, quod dum ab aliis privatis Montistis acquisitionem
per viam emptionis facere oportebat, utrumque pretium
pernecesse solvendum erat, quoniam, ut supra dictum
est, quoad ipsos Montistas inter se contractantes, nulla
differentia est inter pretium intrinsecum, & extrinsecum;
Sed mihi, reflectenti etiam ad veritatem, ista responsio
ad effectum de quo agebatur, videbatur parum probabi-
lis, quoniam fidejussor inquirere non debet, quomodo,
& pro quanto suam obligationem dissoluturus esset, sed
respicere debet ad proprium interesse, & quanti sua in-
terest, seu in quo damnificatus remanere posset, & de
quo incumbit se assecurare; Adinstar eorum, quæ habe-
mus in materia usuraria, in qua, in ordine ad credito-
rem, non inspicitur quanti intersit debitoris, sed quan-
ti intersit sua, cum similibus: Potissime vero quia hoc
novennio durante, incertum erat, quale juxta accidenta-
les temporum varietates futurum esset hujusmodi pretium
extrinsecum, quod Appaltator sperare poterat adeo dimi-
nuendum, quod etiam pretium intrinsecum diminueret,
ut de facto contingit de anno 1664. in quo ob aliqua
accidentia, loca Montium Cameralia contractabantur ad
7 rationem scut. 90. circiter pro qualibet, diminuto valore
intrinseco in scutis circiter decem, cum hic sit effectus
temporis respective pacifici & uberis, ac bellicosi, vel
alias calamitosi. Ut etiam in bello habito per Sedem
Apostolicam de anno 1664. vidimus loca Montium Ca-
meralia passa esse diminutionem valoris intrinseci in scut.
20. & forsan 30. circiter pro qualibet; Unde propterea sem-
per firmum remanere dicebam, cessare præcipuum ac essen-
tiale requisitum suspicionis fugæ, quod scilicet ageretur
de debito certo & liquido, juxta superius allegatas aucto-
ritates cum aliis apud eas. Neque in hoc dicebam (& ali-
8 quis doctissimus Cameralis non negabat) fiscum habere
aliquod privilegium a præfata juris dispositione exorbi-
tans, quoniam inter plura privilegia, quæ fiscus habet
contra ejus debitores recensita, cæteris allegatis per Pe-
regr. *de Jure fisci, lib. 6. tit. 7.* istud non videtur connu-
merari; Atque recepta propositio est eodem modo, qua
ex magis vera & communi habemus in dote, ut plures
9 in sua materia sub *titulo de dote*, fiscum non esse gene-
raliter in omnibus privilegiatum, sed solum in casibus
in jure expressis, quibus cessantibus, ejusdem juris regu-
lis generalibus, more privatorum, subjacet ad text. cum
ibi notatis *in l. idem, ff. de compens. cum concord.* per
Peregr. *de Jure fisci dict. lib. 6. tit. 1. n. 1.* Farinac. *q. 33. n.*
88. Rovit. *dec. 83. n. 5.* & cæteri communiter.

Quo vero ad alium crediti partitam, pro qua Appalta-
tor juratus fuerat suspectus, Cameralium fundamentum
consistebat in eo, quod calculando ratam temporis decursi
a die suscepti appaltus, ac repartiendo censum, seu pen-
sionem cum regulis arimeticis pro rata dicti temporis,
ita remanebat debitor in tanta summa, cum ageretur de
fructu civili currente singulis diebus, imo horis, & mo-
mentis, non obstante dilatione novem mensium, ad for-
mam conventionis, Appaltatori concessa, quoniam dice-
bant, mandatum relaxatum non fuisse ad effectum sol-
vendi, sed solum pro assecuratione; Ac ulterius dicebant,
fiscum in hoc esse privilegiatum, quod scilicet ante diem
ejus debitorem cogere potest ad solvendum, detracto ta-
men, seu bonificato interesse medii temporis, *ad text.*
10 *in l. prima, Cod. de condictione ex lege, ubi glos.* Bald.
& cæteri, Affict. *in cap. 1. verbo Vectigalia, n. 51. tit.*
quæ sint regalia, Peregr. *de jure fisci, dict. lib. 6. tit. 7.*
n. 21. & communiter.

Verum & in hoc parum probabilem dicebam Camera-
lium prætensionem, quoniam quoad primum assumptum
facultatis petendi assecurationem, etiam antequam cede-
ret dies solutionis, id non est privilegium particulare fi-
sci, sed adinstar eorum, quæ habentur *in l. si constan-*
te, ff. soluto matrimonio, cum concord. petitur assecura-
tio, ut adveniente tempore sequi possit solutio, eodem
modo, quo conceditur etiam judicium præventivum, non
pro solutione, seu executione, sed pro declaratione, ut
adveniente tempore executio sequi possit; Verum ad hunc
effectum requiritur accidentalis deterioratio, & sic mu-
tatio status debitoris, itaut non sit in eo statu, in quo
erat de tempore contractus; Si enim debitoris status im-
mutatus non esset, neque ejus conditio interim deterio-
rata, tunc etiamsi suspectus parumque idoneus esset, non
per hoc intraret facultas eum jurandi suspectum, quo-
niam sibi imputare debet alter contrahens, cui tunc ad
ejus conditionem non respexerit, atque minus idonei fi-
dem sequutus sit, Alex. *cons. 241. lib. 6. & per tot.* & 11
cæteri per Thomat. *dec. 85. n. 3. & 4.* concordantibus
in d. Interamnen. seu Romana nullitatis mandati 11.
Decembris 1652. coram Albergato. Unde cum in pro-
posito nulla concurreret immutatio, sed Appaltator esset
idem, qualis ab initio fuerat, eademque bona posside-
ret, nullo modo jurari poterat.

Et quoad alterum punctum de jure in suo casu verum,
cessabat applicatio ad factum, quoniam ut patet ex alle-
gatis, & aliis, istud privilegium fundatum est in ratio-
ne publicæ necessitatis, qua imminente id conceditur, 12
& non alias, ut ita publicæ causæ consuleretur, itaut
cessante ista necessitate, fiscus reguletur etiam jure pri-
vati circa duplicationem induciarum, ut cæteris allegatis
advertit Peregr. *d. lib. 6. tit. 7. eodem, n. 21.*

Præterea observabam, erroneum videri dictum assum-
ptum, quod scilicet Appaltator esset jam debitor dictæ
summæ, quæ cum regulis aritmeticis cadebat, habita ra-
tione temporis decursi, itaut dici posset, ut Camerales
dicebant, quod venisset, non autem cessisset dies debiti;
In hac etenim materia regulandi debitum pensionis pro
locatione rei fructiferæ, juxta communem traditionem
scribentium *in l. divortio, ff. soluto matrimonio*, frequen-
tiorem vero beneficialistarum exinde desumentium, ad
effectum regulandi, vel pensionem, vel divisionem fru-
ctuum, inter prædecessorem & successorem, non atten-
duntur tempora, in quibus pensio maturat, quia potest
esse anticipata, & posticipata in gratiam unius, vel al-
terius contrahentis, sed attenditur ipsa perceptio fructuum
ex deductis per Honded. *cons. 85. n. 13. & seqq. lib. 2.* Lot- 13
ter. *de benef. par. 1. cap. 44. n. 24. & seqq.* Giurb. *observ. 14. n.*
7 & per tot. Fontanell. *de pactis, clauf. 6. gl. 2. part. 2. n. 41.*
& communiter; Et ideo ubi agitur de prædiis urbanis, seu
rusticis jure urbanorum regulandis, ut sunt horti, in qui-
bus fructus singulis temporibus pariformiter percipitur, &
tunc recte pensionis debitum regulatur pro rata temporis
tanquam species fructus civilis, habita ratione singulorum
mensium, dierum, & horarum; Ubi vero agitur de præ-
diis, & bonis non uniformem fructum reddentibus, quia
magis fructent in una parte anni, quam in altera, sive
magis in uno anno, quam in alio, tunc dicta regula
non intrat super æquali rata temporis, sed totum tempus,
in quo omnium fructuum perceptio perficiatur, regulatur
pro uno anno, ad notata per Bart. Castrens. & alios *in dict.*
l. divortio, §. quod in anno, & in l. item quæritur, §. ul-
timo, ff. locati, cum concord. per Menoch. *lib. 3. præsumpt.* 14
85. & per Barbos. *de Episcopo, alleg. 96. n. 4.* Rota, *dec.*
210. *n. 7. & 8. par. 10. rec.* ubi in proposito regulandi
triennalem locationem bonorum Ecclesiæ permissam *per*
extravag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alien.

Talis autem naturæ sunt hujusmodi appaltus Camera-
les, complexivi non solum fructuum naturalium, indu-
strialium & civilium, qui singulis annis, seu in singu- 15
la tempora percipiuntur, sed etiam jurium ac Regalium
emolumentorum, provenientium a privilegiis, quæ Ap-
paltatoribus conceduntur, privatis non competentia, ut
sunt, incertæ fruges & merces, quæ in hoc Principa-
tu, tanquam venientes sub prohibitione dardanariæ,
privatis non permittuntur, conceduntur vero Appaltato-
ribus, solventibus pro eis partem pensionis. Ac etiam
sunt extractiones frugum alias prohibitæ, vulgo *trat-*
ce nuncupatæ, de quibus habetur in Ferrariensis ex-
tractionis, *hoc eodem titul. discur.* 133. & in aliis.
Iste autem fructus per Appaltatorem non percipitur
in primo anno, in quo, ob incettas & tractas præ-
decessoris, remanet in hac parte pene inutilis, unde
recipiendo utilitatem in fine anni, ita adesse dicitur
annorum posticipatio, ita & taliter, quod fructum
ultimi anni de facto percipiat post jam finitum ap-
paltum, eodem modo, quo regulam materia a dicta
l. divortio, cum concord. si vir de tempore contracti
matrimonii habet vineam, vel alium fundum vacuum,
quia fructus de proximo recollecti sint, percipis fructuum
etiam

etiam post tempus dissoluti matrimonii, seu aliàs factum casum restitutionis dotis. Ac etiam, quia in primo anno Appaltator magnas Impensas facere debet tamquam per speciem segetum pro directione, & præparatione negotiorum; & industriarum, in quibus major hujusmodi appaltuum nervus consistere dicitur. Unde propterea, ut habetur in Fulginaten. salium *disc*. 107. hoc eodem titulo, experientia docet, quod in appaltibus salium, & similibus, primi anni soleant esse damnosi, parumque fructiferi, ultimi vero uberes, & compensativi, quoniam hujusmodi appaltus in ipso jure vendendi, seu prærogativa faciendi id, quod alii non faciunt, magis consistere dicitur, juxta magistrale *cons*. 156. Soccin. *lib*. 2. Et consequenter dictus modus solutioni pensionis adjectus, non erat gratia dilationis solvendi debitum jam maturatum pro fructibus perceptis; sed erat correspectivus ad fructum percipiendum, ideoque revera Appaltator dici non poterat debitor.

ROMANA PRÆTENSÆ CONFISCATIONIS PRO ANTONIO BORANO CUM FISCO.

Discursus pro veritate.

An fiscus ex persona, & juribus Banniti capitalis, actionem habeat ad fideicommissum Bannito ante, vel post Bannum respectivè delato, sed non agnito.

Et de juribus de sui natura transmissibilibus ad hæredes, quæ non transmittuntur in fiscum.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Creditores jus non habent ad jura debitori delata sed non agnita.*
3 *Fortius tale jus non habet fiscus.*
4 *Fiscus pœnalis est deterior omnibus creditoribus.*
5 *Fiscus, ubi confiscatio est generalis habetur loco hæredis.*
6 *An & quando in fiscum transmittatur fideicommissum non agnitum.*
7 *De pluribus, quæ conceduntur hæredi, vel creditoribus, sed denegantur fisco.*
8 *Quid attenta Constitutione Sixti V. & bannimentis generalibus.*
9 *Fiscus succedit in fideicommisso jam agnito.*

D I S C. CXXIII.

1 MArtius Gironus, institutis Cæsare, & Julio filiis masculis, relicta solum dote quatuor filiabus, post reciprocam inter eos ordinatam, substituit ultimo, sine filiis morienti, dictas fœminas superstites, ac istis Claudiam sororem, vel istius præmortuæ filios, unde facto casu dictæ substitutionis ad favorem Octavii de Bubalo, filii Claudiæ, per mortem omnium dictorum filiorum testatoris absque prole, qui tamen tunc de tempore facti casus, per mortem ultimæ fœminæ oblatæ in Monasterio Turris speculorum, per Curiam Vicarii in criminalibus capitaliter bannitus fuerat cum confiscatione bonorum, Prætendere cœpit fiscus sibi deberi bona ad dictum fideicommissum pertinentia, possessa per Antonium Boranum hæredem dicti Julii ultimi masculi defuncti, sed quæstio cessabat ex facto potius, quam ex jure, quia ubi etiam agnitio præcessisset, sive idem Octavius numquam bannitus esset, vel in gratiam restitueretur, adhuc inanis remanebat prætensio, dum detractis ære alieno, legitima, & dotibus quatuor filiabus constitutis, in facto docebatur, nil penitus in hæreditate fideicommissaria remanere.

2 Verum, ubi etiam hac facti circumstantia cessante, remansissent bona, in quibus dicta fideicommissaria successio verificabilis esset, Consultus pro veritate à dicto Antonio, cum de reliquo in criminalibus non facilem, ac frequentem haberem scribendi consuetudinem, ut à classicis Curiæ Advocatis ferè communiter servatur; Respondi omnino vanam, ac improbabilem videri fisci prætensionem, quoniam sola fideicommissi delatio, seu apertura sine agnitione non transfert dominum in vocatum; qui potest non agnoscere. Unde propterea receptum est, creditoribus ejus, ad cujus favorem fideicommissaria, vel alia successio est aperta, nullum jus competere ad talia bona, non prævia agnitione, sine qua dicuntur esse in terminis nudæ facultatis, pendentis ab animo principalis, non exercibilis per creditorem, vel alium jus habentem in bonis, & juribus debitoris, ad communiter notat. in *l. qui autem*, *ff. quæ in fraud. cred.* Capyc. Latr. & Add. *dec*. 8. & 34. Prat. *observ*. 15. & 16. Salgad *in labyr. par*. 2. *cap*. 10. *num*. 103. & *seqq*. Rota in Firmana fideicommissi de Formonis 9. Junii 1634. Panaicolo, sæpissimè in aliis canonizata, ut non semel *sub tit. de credito*, itaut sit hodie conclusio plana, & præsupponenda quoad creditores. Et in specialibus terminis fisci ad satietatem in cæteris collectis cum consueto elaborato, sed infelici prolixo stylo, Castill. *tom*. 5. *controv. cap*. 112. ubi concordantes.

Si enim id procedit in præjudicium creditorum, etiam hypothecariorum, foventium causam verè onerosam, & correspectivam, quorum causa favorabilis est, 3 ac æquitatem fovet, Multò magis dicebam, id recipiendum esse in Fisco contendente de lucro, ac agente de pœna, & sic de materia odiosa, cui æquitas potius resistit, 4 itaut in dubio contra eum sit judicandum, atque in concursu creditorum, vel aliorum, etiam solam personalem habentium, deterioris est conditionis, nullatenus gaudens illis privilegiis, quæ sibi tamquam creditori conceduntur, ea deduct. per Costan. *in l*. 1. *C. de pen. Fiscal. lib*. 10. Capyc. Latr. *consult*. 33. & 34. Salgad. *in labyr. par*. 1. *cap*. 7. ubi de hac differentia Fisci creditoris, & Fisci pœnalis.

Quando Fiscus veniret tamquam creditor pro certa pœna, id videbatur absolutum. Difficultas vero consistebat in eo, quod ipse veniebat ob confiscationem universalem, tamquam hæres anomalus, succedens in universum jus activum, & passivum delinquentis, Duran. *decis*. 380. Staiban. *resol*. 69. Rovit. *pragm*. 1. *de bon. prodit*. Capyc. Latr. *d. consult*. 34. & 131. Salgad. *in labyr. par*. 1. *d. cap*. 7. Peregr. *de jur Fisci lib*. 5. *tit*. 1. *num*. 68. & *seqq*. unde 5 quemadmodum fideicommissum purificatum in vita substituti, licet non agnitum, absque dubio transmittitur ad hæredem, licet tamquam agnoscendum, itaut necessaria etiam sit agnitio transmissarii ad effectum dominii, & possessionis, ut in materia *sub tit. de fideicommissis*, ac etiam in Mediolanen. Jurispatronatus *sub tit. de Jurepatronatus*, ac in decisionibus in ea causa editis, ita videbatur, Fiscum tamquam hæredem posse hujusmodi transmissionem prætendere.

Quidquid autem sit de puncto, quando ageretur de fideicommisso jam delato ante bannum, itaut quando casus dictæ anomalæ successionis in fisco verificatus est in 6 ea istud jus, saltem in terminis facultatis existere diceretur, quo etiam casu ex infra dicendis, adhuc contra fiscum satis dubitari posset. In hac tamen facti specie omnis difficultas cessabat, quoniam fideicommissi casus factus erat post bannum, quo casu concordare videntur omnes, ut hæc transmissio non detur, ut ex Bald. Angel. Bossio, & aliis, Nan. *cons*. 472. Peregr. *de jure fisci lib*. 5. *tit*. 1. *n*. 93. & *fideic. art*. 31. *n. fin*. Noll. *de transmiss. casu* 1. *n*. 60. *cum seqq.* quia sicuti naturaliter moriens pendente adhuc conditione, suam vocationem non transmittit, ita dicendum videtur de moriente civiliter, & quia publicatio bonorum non capit futura.

Sed quando etiam ageretur de jure delato ante bannum, non tamen agnito, quamvis Peregr. *de jure Fisci dicto lib*. 5. *tit*. 1. *num*. 84. *in princ*. ex Bald. Alex. Jas. & aliis quos allegat, affirmativam tenere videatur, quod clarius explicat *de fideicomm. d. art*. 31. *num. fin*. Nihilominus mihi videbatur probabilior opinio contraria, quam tenent Aretin. Decius, Rininal. Cepolla, & alii relati per eumdem Peregr. *eod. n*. 84. Nedum ex ratione, quod confiscatio trahitur ad quæsita per damnatum, non autem ad acquirenda. Sed ex alia, quod fiscus non est verus hæres, sed habetur loco hæredis, unde propterea multa fisco denegantur, quæ conceduntur hæredi, ut infra. Ac etiam fortius ex verisimili deficiente utraque voluntate, tam fideicommittentis, quam ipsius damnati, transmittendi hanc facultatem in adeo odibilem successorem, cum fere omnium fideicommittentium consuetudo sit ordinandi fisci exclusionem, imo etiam eorum, qui nullum ordinant fideicommissum restitutorium, juxta *dec*. 258. Orthob. & sæpe in sua materia *sub tit. de fideicommissis*.

Hinc habemus, rectè substineri onus fideicommissi, etiam super legitima in casu delicti ad exclusionem fisci, 7 ut in Romana, seu Januen. officiorum pro Ragiis, & in Parmen. fideicommissi de Scuffonis *sub tit. de fideicomm. & sub altero de legitima, & detractionibus*. Item jus contratabulandi testamentum ex causa præteritionis, vel exhære-

dationis seu jus rejiciendi onus de legitima transmittuntur ad hæredem, & tamen non transmittuntur ad fiscum, ex deductis per Capyc. Latr. *dict. cons.* 33. *& seqq.* Giurb. *consi. crim.* 56. Farinac. *consil.* 173. *lib.* 2. Vermighol. *cons.* 51. *n.* 3. Atque licet ex magis communitati, facta donatione omnium bonorum sub reservatione facultatis testandi de certa summa, ista transmittatur ad hæredes intestatos facultatarii, quamvis dicta facultas ad exercitium non deducatur, nihilominus hæc transmissio non datur ad Fiscum, Mastrill. *decis.* 277. Castil. *decis.* 142. Hodiern. ad Surd. *dec.* 272. *num.* 3. ex dicta ratione cessantis verisimilis voluntatis transmittentis in talem hæredem, qui non verus ex præsumpta voluntate morientis, sed potius anomalus dicitur, per annihilationem magis, quam per successionem.

8 Motivabatur ex parte fisci *de Constit.* 6. *Sixti V.* §. 8. ubi disponitur confiscationi locum fieri non obstantibus fideicommissis. Sed facilis erat responsio, cum dictæ Constitutionis contextus ostendat, eam loqui de bonis jam possessis a damnato, atque pro fruitione pro tempore ejus vitæ, quæ transit in fiscum tamquam de bonis jam quæsitis, non autem de quærendis, juxta ea, quæ habentur collecta apud Salgad. *part.* 3. *cap.* 15. & pro absoluto habetur per Peregr. & alios locis citatis, nisi expressa consueta cautela fisci exclusiva per fideicommissi ordinatorem adjecta sit. Ideoque dicta Bulla prodiit pro tollendis omnibus his juris ambiguitatibus, in prædicto scilicet casu, in quo
9 in bonis jam possessis, & quæsitis, prætendatur exclusio Fisci ex causa fideicommissorum, secus autem in jure quærendo, de quo Bulla non loquitur, atque ad ejus limites, & relative disponunt bannimenta generalia, & hanc dixi mihi videri veritatem.

ANNOT. AD DISC. CXXIII.

Videnda sunt ea, quæ habentur infra *disc.* 162.

PERUSINA PARTICIPATIONIS POENARUM

PRO THESAURARIIS UMBRIÆ CUM CAMERA.

Casus disputatus in Congregatione Camerali, & concordatus.

Appaltatori pœnarum, seu proventuum ex maleficiis, an debeantur pœnæ, seu proventus provenientes ex condemnatione, seu mulcta, aut compositione sequuta in Curia Principis pro delicto in loco appaltus.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Conductori pœnarum loci debetur ea, quæ in alia curia decreta est.*
3 *De concursu plurium Baronum, vel officialium ad pœnam pecuniariam.*

DISC. CXXIV.

1 Cum inter effectus comprehensos sub appaltu Thesaurariæ Umbriæ, essent mulctæ, seu pœnæ maleficiorum illius Provinciæ, atque casus dedisset, quod ob delictum ibi commissum, pars offensa ex privilegio, *l. unica, C. quando Imperator, &c.* causam traxisset ad Curiam Romanam, in qua reus ad quamdam pœnam pecuniariam condemnatus fuit, Cameræ applicatam. Hinc orta est controversia in Congregatione computorum, inter dictos Thesaurarios, & Camerales, cuinam dicta pœna applicanda esset, prætendentibus Cameralibus spectare ad Cameram, quasi quod non sit pœna delata in loco appaltus, quod tamen doctissimus Cameræ Advocatus nullatenus cum terminis specialibus probabat, sed solum ad id probandum insistebat in conclusione, quod privilegium dictæ *leg. unicæ*, tamquam insertum in corpore juris, non venit sub generalitate verborum, sed expressa mentione indiget.

2 Pro Thesaurariis scribens, dicebam, conclusionem esse in suo casu veram, ubi scilicet agitur de prejudicio illorum, quibus tale privilegium competit, & ad effectum inspiciendi, an illud noceat, necnè. A nostra autem controversia casu extraneam esse, quia non erat quæstio super privilegii competentia, sed an pœna dici possit de loco comprehenso sub appaltu. In quo puncto affirmativam omnino veriorem dicebam, quia eo ipso, quod maleficium committitur, acquiri dicitur jus conductori foventi, præsertim causam onerosam, non curato, an condemnatio in uno, vel alio loco sequatur. Ad quod probandum adducebam individualem auctoritatem Vermigl. *cons.* 437. 438. *&* 440. in quibus in specie id firmatur, ac deducuntur fundamenta, quæ ibidem videri possunt.

Quod clare observabam probari ex capitulis ejusdem appaltus, in quibus disponitur, ad Thesaurarios spectare pœnas pro quibuscumque delictis etiam lesæ majestatis, & tamen de istis non cognoscunt judices inferiores, sed solus Princeps, ejusque suprema Curia, etiam in prima instantia, Farinac. *q.* 118. *n.* 15. *cum seqq.* ergo attendi non debet locus cognitionis causæ, & condemnationis, seu delicti.

Præterea hujusmodi quæstiones cadere solent inter diversos Principes, seu Officiales, & Barones, itaut contentio 3
sit; An pœna in unam, vel alteram bursam intrare debeat, & de quo agunt Constantius *in l.* 1. *C. pœn. fiscal. cred. præferr. lib.* 10. *n.* 32. *cum seqq.* Franch. *dec.* 434. Apont. *de potestate Prorog. tit.* 1. §. 3. Rovit. *pragm.* 5. *de administr. Univers. & pragm.* 1. *de prohib. vend.* Thes. & Adden. *decis.* 132. *&* 266. Sanfel. *dec.* 29. Merlin. *dec.* 135. *&* 168. *alias* 449. *par.* 5. *rec.* Secus autem, ubi unus, & idem est utriusque loci fiscus, itaut in unam, eamdemque bursam pœna intrare dicatur, sive in uno, sive in altero loco sequatur condemnatio, quia tunc idem fiscus ex delictis in ista Provincia contingentibus duplicem utilitatem reportaret, pensionem scilicet ab Appaltatoribus, & pœnam a delinquentibus ex sola formalitate mutationis loci, ab ipsius Principis facto pendente, cum ita omnes causas graves posset ad ejus curiam avocare. Et secundum præmissa, quibus veritas assistebat, resolutum fuit, licet juxta solitum computa per concordiam solidata essent.

Et ex eisdem rationibus in una Urbinaten. appaltus pro Peribertis, idem dicebam in Congregatione Camerali, ut scilicet Thesaurariis deberetur convecta participatio tractatuum ad rationem decem pro centenario, quamvis Thesaurarius Generalia decrevisset, quod obtinentes tractas in dicto statu, deberent solvere illatum emolumentum, quia non potest locator ex facto ejus voluntario tollere consueta emolumenta Appaltatori, per quem sufficit non stare, ut in simili habetur in Urbinaten. salarii 26. Junii 1652. Zarata, & 20. Novembris 1654. Albergato apud Zacch. *de salar. q.* 23. *& prima est repetit*, apud Paitell. *decis.* 40. generaliter habetur *hoc tit.* & in altern *de locato*, de locatore debente præstare patientiam, ac nihil faciente, quod conductori præjudicet.

ANNOT. AD DISC. CXXIV.

Ad hanc materiam participationis pœnarum, de qua aliis relatis, habetur apud Mastrill. *dec.* 12. Farinac. *cons.* 107. *&* 148. *lib.* 2. Larrea *alleg.* 37. de pœnis scilicet incursis, & declaratis de tempore unius officialis, exactis autem de tempore alterius, habentur in hoc Statu Ecclesiastico Constitutiones 93. Sixti V. 5. Clementis VIII. & 88. Pauli V. ex quibus quæstio decisa remanere videtur, quod scilicet in participatione, seu reparatione, attendi debeat tempus, in quo incameratio cum effectu sequatur, quasi quod istud sit præmium, quod ex pecuniis, vel bonis jam obtentis fiscus præbeat officialibus, aliisque participantibus, tamquam per speciem admissionis ad convivium, seu ad mensam, ut in ea accumbant illi officiales, qui reperiuntur de tempore, quo cibi sunt jam præparati, non autem illi, qui erant officiales de tempore, quo apertum fuit jus ad cibos assequendos, cum potius id videatur importare quamdam præparationem futuri convivii, cujus tempus attendendum venit.

Quare in hoc proposito, quæstio cadere videtur in casu, quo pœna jam declarata, & cognita sit, sed fiscus, vel ejus officiales concesserint reo, qui pœnam passus est, vel alteri, qui eam solvere debet aliquam dilationem ad solvendum, & de hoc agitur apud Farinac. *d. consil.* 107. *lib.* 2. ubi quod tunc habetur pro jam incamerata ad favorem primi officialia, dum dilatio non percutit substantiam, neque isto casu intrat ratio incertitudinis, quod scilicet prius incertum esset, an pœna effectum sortiri deberet, necnè, ob gratiam Principis, vel ob aliud accidens, ob quod licet de jure incursa sit, potest effectum non sortiri.

Ideoque in casu contingentia, in una Romana Centesimæ, inter prædecessorem, & successorem in officio substituti Commissarii Cameræ, dicebam, consultus pro veritate cur-

te cur-

te circa participationem emolumenti, resultantis ab incameratione quarumdam secretariarum monorum, quod si Camera effective obtinuerat secretarias, eas tamen pro ejus commoditate distulisset vendere ad aliquod tempus, intra quod sequuta erat mutatio officialium, quod tunc pro primo officiali respondendum esset; cum tali casu pœna esset jam consummata, & exacta in ipsis bonis, quæ Camera poterat non vendere, sed pro se retinere, ideoque ejus voluntaria dilatio in vendendo non debebat præjudicare officiali; Secus e converso; dando in hoc exemplum confiscationis, de qua infra *disc.* 161. quod scilicet cum illa consisteret in Castro, ac etiam in Casalibus, quæ Camera poterat vendere, vel pro se retinere, si determinasset retinere, & postea mutato consilio ex intervallo vendidisset, & pretium in pecunia recepisset, illudque incamerasset, tunc dicendum non est, ut attendi debeat istud ultimum tempus, sed potius primum, quoniam tunc vere, & effective pœna exacta fuit. Cum præsupposito tamen quod actus sit jam perfectus, & consumatus, adeout nulla vigeat dubietas, vel incertitudo circa substantiam, sed sit solum circa exactionem, & in sola ratione dilationis; secus autem, si adhuc vigeret dubietas circa substantiam; adeout res adhuc esset in pendulo, quia nempe a sententia lata super incameratione, vel super incursu pœnæ, penderet appellatio, vel recursus, unde propterea licet fiscus ex ejus privilegio obtinuerit in possessorio ob denegationem appellationis suspensivæ, nihilominus rationabiliter abstinuerit a venditione, & ab effectiva incameratione, ob dubietatem, quod in gradu appellationis condemnatio retractari possit, atque tunc iorate videatur ea, quæ habeotur favore illius officialis, qui reperiatur de tempore, quo effectiva incameratio sequatur, idest, quod actus sit perfectus.

Ad banc materiam quoque conferre videntur ea, quæ habentur *dec.* 322. *par.* 4. *rec. tom.* 2. repetit. apud Coccio. *dec.* 1839. in proposito participationis munerum, & emolumentorum, quæ solvi soleot per noviter promotos ad Cardinalatum familiaribus Papæ, occasione susceptionis pilei, vel receptionis bireti, quod eis absentibus, ultra montes, per unum ex familiaribus transmittitur, an scilicet debeantur familiaribus illius Pontificis, qui creavit Cardinales, vel potius familiaribus Pontificis successoris, ac regnantis de tempore, quo fiat effectiva distributio massæ, ex hujusmodi muneribus conflatæ.

NEAPOLITANA FRUMENTI PRO COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS JESU CUM REGIO FISCO, ET CIVITATE NEAPOLIS.

Discursus pro directione causæ.

De obligatione Principis, ejusque potestate circa concernentia Annonam; atque de istius administratione penes quem resideat. Et quando ex ista causa Fiscus obligetur.

Prorex an possit facere fidejussiones, & assecurationes pro annona ad favorem dominorum frumenti, & victualium Civitatis, obligando Fiscum Regium, ejusque bona.

Periculum rei venditæ cujus sit, & quando indicatur distractus, vel novatio contractus jam perfecti.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Periculum rei venditæ consistentis in pondere, numero, vel mensura, cujus sit.*
3 *Quando contractus emptionis, & venditionis sit perfectus.*
4 *An, & quando incertitudo pretii obstet, necne perfectioni contractus.*
5 *De differentia inter pretium stabilium, vel aliorum, non existentium in publico quotidiano usu, & victualium.*
6 *De probatione valoris frumenti.*
7 *Ubi traditio sequuta non est culpa emptoris, habetur pro sequuta.*
8 *Annonæ cura, seu administratio principaliter incumbit Principi, cujus mandatarii dicuntur Decuriones, & alii officiales.*
9 *Princeps dicitur Reipublicæ maritus, & pater Subditorum, quos de tempore penuriæ tenetur providere, & subvenire.*
10 *Quando Prorex possit, vel non fidejubere, & obligare Fiscum Regium.*
11 *Civitas dicitur corpus, & a quibus constituatur, & an defecta parte a devotione Principis, dicatur deficere corpus.*
12 *Ad effectum distractus, seu novationis, quæ requirantur.*
13 *Venditor frumenti, vel rerum corruptibilium, quando possit propria auctoritate vendere in damnum emptoris.*
14 *Quæ requiruntur in contractu, necessaria etiam sunt in distractu.*
15 *An, & quando recte distrahi possit cum eo, cum quo fuit contractum.*

D I S C. CXXV.

Cum magna Civitatis Neapolis de anno 1647. cum ob generalem Italiæ sterilitatem, tum ob motus populares, sequutos de mense Julii ejusdem anni, gravem frumenti penuriam pateretur, Princeps Rocchæ Aspidis Officialis per Proregem deputatus ad præsidendum, & assistendum nomine Regio in concernentibus annonam, & grassiam dictæ Civitatis, vulgo *Grasserius* nuncupatus, sub die 6. Septembris, de ordine ejusdem Proregis, convenit cum Procuratore Collegii Romani de emendis tumulis 12. mil. frumenti, existentis in Apulia in feudo Ortæ ejusdem Collegii, promittendo solutionem pretii ad illam eadem rationem, qua solveretur quibusdam aliis pariter in eadem Apulia frumentum habentibus, in cujus conventionis executionem, eadem die dictus procurator per epistolam familiarem dedit ordinem superiori Ortæ pro dicti frumenti consignatione, cui demandaret dictus Princeps, qui in dorso ejusdem epistolæ mandavit eidem Superiori, quod dictam consignationem faceret cuidam personæ in Oppido Baroli commoranti, cujus onus, & cura esse deberet illud conduci faciendi ad Oppidum prædictum, & exinde transmittendi Neapolim cum navibus. 1

Sequuta fuit consignatio dicto adjecto tumulorum 2. m. circiter, de quibus, utpote solutis, nulla erat quæstio; reliquorum autem 10. m. suspensa fuit ob novum ordinem a dicto *Grasserio* datum, stantibus novis motibus popularibus sequutis sub die 5. Decembris.

Magis autem ob dictos motus crescente penuria, tam illius partis Civitatis, quæ fidelitatem Regni conservabat, quam arcium, ac terrestris, & maritimi exercitus Regii; Idcirco, Prorex dedit in mandatis Gubernatori Baroli, ut omnino curaret consignationem frumentorum, eorumque onerationem in duabus navibus in eo portu existentibus ut quamprimum ducerentur pro servitio Civitatis, arcium & exercitus, eidem injungendo, ut ipsios nomine frumentorum dominos de pretii solutione assecuraret. In cujus mandati exequutionem Gubernator prædictus comminando etiam violentias cum militum transmissione, curavit per dictum Superiorem Ortæ sibi consignari dictos tumulos 10. m. quos conductos ad portum oneravit in dictis duabus navibus, atque in apocis, vulgo nuncupatis *poliza de Carico*, expressum fuit, dictum frumentum esse idem contentum in dicto partito tumulorum 12. m. facto per dictum *Grasserium*, ad effectum consignandi eidem, vel cui Prorex mandaret.

Sequuta oneratione, dum naves iter progrederentur, ex parte dicti Superioris Ortæ porrectus fuit supplex libellus Proregi in Collaterali Consilio, in quo facta præmissorum narrativa, supplicatum fuit impartiri facultatem habendi dictum frumentum, postquam ad portum advenerit, ad effectum distribuendi pistoribus Civitatis, atque ab eis sua mano pretium exigendi, & juxta petita rescriptum fuit, sed hoc nullum habuit effectum, quoniam ex dictis duabus navibus, una, in qua major pars dicti frumenti onerata erat ab hostibus, vel pyratis deprædata fuit, ea vero modica pars, quæ reperiebatur in altera navi ad portum deventa, applicata fuit per Proregiem munitioni arcium, & fortalitiorum, tam ejusdem Civitatis Neapolis, quam Gaetæ, ac etiam pro servitio classis maritimæ, sed de hac parte, utpote soluta, nulla pariter erat quæstio, quæ solum erat pro dicta rata frumenti perempti, pro qua Advocati, & Agentes dicti Collegii, circa eadem tempora judicium instituerunt *in Regia Camera summaria* contra Fiscum; Quo opponente, nullam contra eum competere actionem, seu contra Civitatem, sed

Annonam, ejusdemque Annonæ peculium, stante quod cum ipsa mediante persona dicti Officialis initus fuerat contractus, in cujus exequutionem sequuta erat traditio Replicabant, quod licet sub hoc simulato nomine præmissa sequuta essent, nihilominus, in rei veritate, Proregis intentio fuerat frumentum prædictum capiendi pro servitio Fisci, seu Curiæ Regiæ; Quod probare conabantur cum multis argumentis, & verisimilitudinibus in materia simulationis ponderari solitis, stante etiam dicta subsequuta observantia in ea modica frumenti parte, quæ ad portum devenerat; Atque super hoc puncto, per annos circiter 17. substentata fuit absque aliqua decisione dispendiosa lis usque ad annum 1665. Quando in Hebdomada majori, partim recreationis, partim negotiorum gratia Ego dictam Civitatem, post 22. annorum moram in ista Curia, revidendo, per PP. Jesuitas hospitio receptus, de hujusmodi causa de proprio judicio consultus, cum, habita aliquali facti informatione, dixissem, pro mea sententia justam, ac fundatam videri fisci oppositionem, atque hujusmodi judicium inepte formatum videri, cum directe institui debuisset contra Civitatem, seu Annonam, vocando tamen ad causam tam Regium fiscum pro actione subsidiaria (quatenus Civitas, vel Annona esset non solvendo,) quam etiam ipsummet Grasserium contrahentem, ad effectum, de quo infra, Causæ vero defensoribus non placeret; Hinc determinatum fuit desuper convocare congressum, qui ibi *Collegium*, in Curia vero *Congregatio* nuncupatur.

In quo, erudite quidem, ac bene ordinate, cum magno verborum apparatu, ab aliquo tamen superfluitatis defectu non alieno defensores prædicti curarunt, eodem modo, quo in causa scripserant, probare dictam frumenti consignationem, & respective onerationem, vere factam esse pro servitio Regiæ Curiæ, non autem Civitatis, quamvis istius nomen ex simulatis politicis respectibus expressum fuisset, ideoque insistebant in juris regula, *plus valere, quod agitur, &c.* super qua plures cumulabant auctoritates; Ac etiam super altera regula, quod verisimilitudo imaginem habet veritatis; sicuti e converso inverisimilitudo imaginem habet falsitatis.

Eoque magis procedere dicebant ex eo, quod ob motus populares tunc, neque Civitas adesse dicebatur, neque ejus Annona, vel ejusdem Officiales, dum omnium rerum ordo sic immutatus erat. Atque ad oretenus per Me ante congressum motiva, quod dum contractus initus erat cum dicto Annonæ Præfecto, actio directa competere debebat contra Civitatem, vel Annonam, subsidiaria vero contra Fiscum, ob dictam assecurationem a Prorege promissam; Replicabant neutrum habere posse subsistentiam. Non quidem primum de actione contra Civitatem, seu Annonam, quoniam ex privilegiis *Ladislai*, aliorumque Regum, administratio illius Annonæ residet penes Civitatis Decuriones, qui *Electi* nuncupantur, penes quos tantum residet auctoritas desuper contrahendi, ac Civitatem, vel Annonæ peculium obligandi. Officiales vero, *Grasserius* nuncupatus, per Proregem a moderno tempore deputari solitus, nullum in hoc habet votum, vel partem, cum solum præsideat jure cujusdam superintendentiæ.

Minusque alterum de actione subsidiaria contra Fiscum ratione directæ assecurationis per Proregem promissæ, quoniam Prorex, sive illum consideremus Regis Vicarium, & Procuratorem, sive antiquis Proconsulibus, vel Provinciarum Præsidibus assimilatum, quemadmodum libere donare non potest bona Fisci, ita minus fidejubere, cum & hic actus speciem donationis, seu perditionis sapere videatur, absque speciali mandato non faciendus, & in his omnibus absque minima dissonantia, contra communem hujusmodi congressuum consuetudinem, omnes erant concordes.

His auditis meum proferendo votum, quamvis ex improviso, & in otio sine libris dicebam iis non obstantibus in mea persistere sententia, donec methodicas, ac adæquatas responsiones infra deducendis fundamentis audirem.

Atque ut stricte, ac methodice, juxta Romanæ Curiæ laudabilem stylum procederetur, dicebam, quod cum sola quæstio esset super frumento perempto, causa reducebatur ad punctum, de quo *in toto tit. ff. & Cod. de periculo, & commodo rei venditæ*, an scilicet, & cujus damno hujus-
2 modi periculum cedere deberet; In quo puncto constituebam certam juris theoricam, deductam præsertim *in l. si peremptorem, & l. illud, ff. d. tit. in l. 2. C. eod. in l. quod sæpe, §. in his, ff. de contrah. emptione*, ibique Gloss. & DD. communiter, de quibus Gomez *lib. 2. variar. tit. de empt. & vend. num. 32.* Medices *de casibus fortuitis quæst. 10. part. 3. num. 506.* cum aliis in Romana, seu Messanen. Ferraccii *hoc eod. tit. disc. 118.*

Quod scilicet in hujusmodi rebus consistentibus in pondere, numero, vel mensura, periculo sit venditoris, donec sequatur ponderatio, numeratio, vel respective mensuratio, qua sequuta periculum est emptori, nisi per istum steterit, quominus illa sequatur, cum tunc habeatur pro sequuta, idemque resultet effectus; Cum enim periculum sit sequela dominii, ad effectum, ut illud spectare possit ad emptorem, præcedere debet legitimus, ac perfectus contractus emptionis, ac venditionis, cum subsequuta traditione in hujusmodi rebus practicabili.

Quia juris certa theorica ita constituta, & per omnes Congregatos admissa, causæ punctum consistere dicebam in applicatione, cum enim Collegium haberet absque dubio radicale hujus frumenti dominium, utpote in ejus prædiis, & territoriis ortæ collecti; Idcirco, ut ejus actionem fundare posset, oportebat concludere ejusdem frumenti venditionem cum subsequuta consignatione per mensurationem, per quos actus dici posset rei dominium ab uno abdicatum esse, ac translatum in alterum, cui periculum imputandum veniret, & qui pretii jam debitor, antequam casus contingeret, dicendus esset.

Examinando igitur dictos duos actus ad hunc effectum necessarios, unum scilicet perfecti contractus emptionis, & venditionis, alterum vero consignationis; Quatenus pertinet ad primum, de illo constare dicebam cum suis 3
tribus requisitis substantialibus inter procuratorem Collegii, & dictum Principem Rocchæ Præfectum Annonæ, seu Grasserium, nomine Civitatis contrahentem, dum concurrebant consensus, certa res, & pretium; Et quamvis obstare videretur aliquis defectus in tertio requisito, dum de certo pretio conventum non fuerat, ad text. *in l. finali, Cod. de contrahen. empt. cum concord.* per Surd. 4
dec. 14. n. 6. & finali, late Merlin. *dec. 567. alias 172. part. 6. rec.* Nihilominus hanc dubitandi rationem ex pluribus cessare dicebam; Primo, quia id procedit, ubi nullum pretium conventum est, minusque explicatus modus illud taxandi, vel collatum fuit in voluntatem unius ex contrahentibus; Secus autem, ubi conventum est de pretio, quod licet in ipsa conventione appareat incertum; attamen in sui substantia est certum, quia conventum fit per relationem, ex qua certificari potest, Surd. *dec. 82. nu. 3. & 13.* Franch. *dec. 23. n. 3. & per tot.* ibique Add. Mastrill. *de tacit. lib. 4. tit. 19. n. 18. & 21. cum seqq.* & hic erat casus, dum conventum fuit de illo pretio, quod solvetur pro aliis partitis, & maxime quia ex summa tumulorum 2. m. jam consignatorum, & in quibus nulla erat controversia, hæc certitudo patefacta dicebatur.

Secundo, quia deventum jam fuerat ad consignationem rei venditæ cum subsequuta consumptione, ac respective peremptione, itaut contractus fuerit jam exequutus, ac redactus ad terminos irretractabiles, quo casu dicitur inesse pretium certum, utpote judicis arbitrio taxandum, ex motivatis apud Merlin. *dec. 567. alias 172. par. 6. rec. n. 3. cum seqq.* & conferunt quæ in materia locationis absque conventione certæ pensionis, ubi jam contractus effectum habuit irretractabilem, habentur *dec. 88. par. 2. divers.* & in Romana locationis pro Luccio *sub tit. de locato, & conducto*; Sed in hoc secundo fundamento, utpote altioris indaginis, & habente multas inspectiones, ad causam facilitandum, monebam non esse insistendum, dum clariora habebantur.

Tertio clarius, quia hoc objectum circa pretii incerti- 5
tudinem, procedere videtur in bonis stabilibus, vel aliis, in quibus ob particulares circumstantias, etiam illam affectionis, seu deceptionis inter contrahentes de jure permissæ, est omnino incertum, atque ex partium conventione potest esse notabiliter varium, secus autem in hujusmodi victualibus, habentibus pretium fere certum, & uniforme a publico foro, & communi usu in dies taxatum, cum tunc venditio simpliciter facta, habere dicatur relationem ad pretium commune, ubi præsertim sequuta est traditio, ut communis praxis docet, atque isto casu absolutum videtur secundum fundamentum, de quo supra; Unde propterea in jure habemus debitorem frumenti, vel aliorum victualium hujusmodi, non solventem in tempore, teneri ad pretium, quanti plurimi de facili taxabilem a publico

foro,

foro, *ad not. in l. vinum, ff. si cert. petat.* Giurb. *dec.* 115. Duran. *dec.* 346. *dec.* 421. *p.* 9. *rec.*

Prout in æstimatione bonorum stabilium, vel aliorum, quorum major, vel minor valor pendet a singularibus circumstantiis, requiritur judicium peritorum; qui sive gerant personam peritorum, sive illam testium, etiam non interrogati, congruas & concludentes rationes allegare debent, cum id consistat in judicio intellectus, *ut in Pisaurien. rescissionis contractus sub tit. de emptione*, secus autem in æstimatione hujusmodi victualium, & rerum in quotidiano humano usu & commercio existentium, quia sufficiunt etiam testes non periti, & quamvis aliquam rationem non
6 adducant, quia potius tamquam res notoria consistere dicitur in sensu corporis, quam in judicio intellectus, add. ad Buratt. *dec.* 538. *num. fin.*

Quodque frumenti pretium taxationem, seu liquidationem incipiat a foro, & prout circa ea tempora idem genus vendi consueverat, Affl. *dec.* 316. *n.* 6. *&* 7. Mantic. *dec.* 220 *n.* 4. Buratt. *dec.* 865. *in fine*, *dec.* 223. *par.* 11. *rec. Romana affictus, seu frumenti* 17. *Aprilis* 1654. *Pauting. & in aliis*.

Dum igitur constabat de contractu perfecto inter Civitatem, seu annonam, & Collegium, de nullo autem contractu constabat inter idem collegium, & Cameram Regiam, non videbatur ubinam fundaretur actio directe intenta contra fiscum, dum deficiebat contractus translativus dominii, ex quo resultabat periculum, seu fundamentum actionis.

Quo vero ad alterum requisitum subsequutæ mensurationis, quod ad effectum periculi, ut supra, est quoque necessarium, ubi etiam subsisterent motivata per alios; quod hæc facta non esset cum emptore, vel ejus mandatario, sed cum Gubernatore Baroli, mandatario Proregis, quem a contractu extraneum supponebant tanquam tertium per vim, & auctoritative potius, quam ex voluntaria conventione hujusmodi frumentum capientem; Adhuc posito contractu dicebam, esse in casu periculi in damnum emptoris, ex cujus facto voluntario consignatio cum mensuratione, antequam iste casus contingeret, sequuta non erat, dum cœpta jam consignatione tumulorum 2. m. &
7 in actu illam in totum perficiendi supervenerat ordo ejusdem emptoris dicto correspondali, seu mandatario, ut supersederet; Ubi enim stat per emptorem, quominus ponderatio, numeratio, vel mensuratio sequatur, tunc illa habenda est pro jam sequuta, atque suum est periculum, ex supra allegatis juribus & auctoritatibus occasione constituendi theoricam, à qua præsens controversia pendet, ideoque dato quod hic fuisset casus fortuitus, qualis dicitur factum principis, vel cujuscunque procedentis per violentiam, cui resisti non potest, adhuc alterum requisitum verificatum remanebat.

Verum hæc ex abundanti, quoniam vere traditio cum mensuratione sequuta erat cum ipso emptore recipiente in executionem præcedentis contractus, ut explicite declaravit Gubernator Baroli in apocis oneratoriis, vulgo nuncupatis *polize di carico*, Licet enim contractus initus esset cum dicto Annonæ Præfecto, seu Grasserio, nihilominus potius ille initus dicendus erat cum ipso Prorege, cujus ministri, seu mandatarii personam dictus Grasserius gerere dicitur, unde contrahens cum procuratore, si tradat rem in contractum deductam ipsi principali, recte contractum absque dubio implere dicitur.

Annonæ siquidem cura, seu administratio principaliter incumbit Regi, & ex illius Persona Proregi, qui omnes Regis absentis partes implet; Decuriones autem, vel Præfecti, aliique officiales, Annonæ administrationi deputati, dicuntur ipsius Regis officiales, ac ministri, seu mandatarii, ejus nomine administrantes, absque eo, quod sua potestas abdicata dicatur, ut bene per Apont. *de potestate Proreg. tit. de abundantia Civitatis*, §. 1. *n.* 15. *cum sequen.*

Atque hinc cessare dicebam objectum, ut supra per congregatos excitatum de defectu potestatis dicti Grasserii absque Decurionibus, quoniam id recte procederet, quando ipse solus proprio marte contraxisset, sibique rei venditæ traditio facta esset, vel habenda esset pro facta, secus ubi de mandato Proregis ratum habentis, & cum quo, seu altero ejus mandatario, contractus mediante consignatione exequutus fuisset.

Ad hunc tamen effectum laudabam, ad causam vocari debere dictum Grasserium, privato nomine satis idoneum, & quem potius Collegio expediebat habere debitorem, quoniam, aut ipse sufficientem habebat facultatem contrahendi nomine Civitatis, vel Annonæ, ejusque peculium obligandi, aut non; Si habebat, intrabant de plano præmissa, & si non habebat, sequebatur, ipsum, tamquam falsum mandatarium, actione de dolo teneri ad quanti interest, & sic posito contractu venditionis jam perfecto, atque data persona venditoris, de necessitate dare oportebat personam emptoris, obligatam ad solutionem pretii, quæ dicenda erat, vel illa Civitatis, seu Annonæ, vel illa dicti Grasserii male, ut supra contrahentis, non autem illa fisci, cum de istius contractu non appareret, dum persona Proregis intervenisse videbatur, potius tamquam Supremus administrator ipsius Annonæ, quam uti administrator Regii fisci, ac rerum fiscalium.

Subjungebam tamen, quod ubi facta excussione peculii Civitatis, vel Annonæ, hæc reperiretur non solvendo, tunc recte prætendi posset actio subsidiaria contra fiscum, seu Cameram Regiam ob expressam assecurationem ab 9
ipso Prorege promissam in litteris directis Gubernatori Baroli, ut supra. Ac etiam ex dispositione juris, quia cum Princeps dicatur maritus Reipublicæ, ac pater subditorum, sibi obligatio incumbit de tempore penuriæ providere de frumento, aliisque victualibus, quæ in casu indigentiæ, populis etiam gratis, & de proprio distribuere tenetur, ex deductis in hac materia Annonæ frumentatiæ, per Rovit. *cons.* 73. *lib.* 2. & alios, de quibus in Spoletana gabellæ; & in Ferrarien. *hoc eod. tit. disc.* 44. 45. in quibus de ista materia annonæ tractatur, ac de obligatione Principis, & fisci.

Unde propterea ita de plano cessabat excitatum moti- 10
vum super defectu potestatis Proregis obligandi Regium fiscum ex causa fidejussionis absque mandato speciali, quoniam id recte procederet in actibus mere voluntariis, importantibus speciem donationis, ac perditionis, secus in concernentibus debitum, ac sui officii necessitatem, ipsi Regi, si præsens esset, incumbentem, cum etiam in casu, quo Princeps non gerat partes patris, gratuito victualia subditis, tamquam filiis subministrantis, sed gerat alias partes prudentis œconomi, ita providentis populum, a quo reintegretur de expensis juxta alteram distributionis speciem, de qua locis citatis; Adhuc tamen pernecesse suam fidem interponere debet pro assecuratione mercatorum, aliorumque dominorum victualium, qui alias ea daturi non essent sub incertitudine recuperationis pretii a populo, præsertim de tempore revolutionum, & motuum popularium, ideoque Prorex recte versatus fuerat circa concernentia ejus officium, ac ea, quæ ipsi Regi de necessitate incumbebant.

Ad motivum autem excitatum per eosdem hujus partis 11
Advocatos, quod stantibus motibus popularibus, ex quibus major pars Civitatis defecerat a fide erga Regem, atque se pro Republica gerebat, defecisse diceretur corpus Civitatis, proindeque resoluti essent contractus per ejus Decuriones, & Officiales initi, dicebam dupliciter facillime tolli, nullamque subsistentiam habere; Primo nempe, quia dum hæc immutatio pervenerat facto, & culpa ipsius Civitatis, id non debebat sibi prodesse, ac alteri præjudicare contra omnia scripti, & naturalis juris Principia; Et secundo clarius, quia verè hoc assumptum deficientiæ Civitatis nullum habebat fundamentum.

Civitas enim subdita dicitur corpus politicum, cujus caput est Princeps, membra verò sunt cives; unde si aliqui cives, etiam in parte notabili a sui capitis, & reliqui corporis antiqua natura, & unitate discedant, id non operatur Civitatis, dictique corporis dissolutionem, sed eis ita se facientibus alienos, ac extraneos, totum corpus constitui dicitur ex capite, & membris validis remanentibus; Ut habemus de Capitulo Cathedralis, cujus sunt caput Episcopus, & membra Canonici, quia si aliqui ex eis, vel ex voluntaria absentia, vel alio accidenti sint impediti, seu alias cum Episcopo, & reliquis Canonicis uniti esse non possint, totum jus consolidatum dicitur penes reliquos non impeditos, etiam unum, ut in Cæsaraugustana Canonicatus 30. Maji 1650. Dunozetto *inter suas dec.* 856. & in eadem 16. Junii 1653. Albergato, & 4. Febr. 1654. Bichin, *quarum secunda est dec.* 14. post Tondut. *de pens.* & in aliis etiam instantiis confirmat. in qua scribebam pro Alaiem, ut habetur in ea causa *sub tit. de Canonicis*; Ideoque non curatis illis civibus, qui se fecerant membra putrida, & a suo capite, ac reliquo corpore abscissa, totum corpus repræsentabant in ea parte, quæ fidelitatem, ac unitatem suo capiti conservabat, & cui reliqui cives resipiscen-

res, tanquam per remotionem impedimenti, denuo naturam suam, utpote ad suam unitatem redeuntes.

Major difficultas, quæ vel ex parte Civitate, vel fisci fieri posset, resultabat ex dicto supplici libello, qui juxta enarratam facti seriem porrectus fuerat ex parte superioris Ortæ in Collaterali Consilio, dum naves essent in itinere, quasi quod exinde deduci posset distractus, atque prioris conventionis novatio; Sed in hoc omnes concordabamus difficultatem non obstare, ex eo potissimo fundamento, quod hodie novatio non inducitur, nisi expresse

12 dicatur, juxt. expressum in *l. finali, C. de novationibus*; Et licet etiam hodie tacita, & implicita novatio admittatur, nihilominus ad hunc effectum requiritur omnimoda incompatibilitas, alias ubi novus actus potest esse compatibilis cum præcedenti, tunc illa semper excluditur, quia sufficit quæcunque possibilis conciliatio, utex Mantic. Menoch. & cæteris habetur apud Amat. *variar. ref. cap.* 50. Capyc. Latr. *consil.* 120. *n.* 1. *cum seqq.* Nulla vero incompatibilitas dignoscebatur inter præcedentem contractum, ac petitionem in dicto supplici libello contentam, itaut exinde distractus resultare posset, quoniam petebatur solum facultas distribuendi frumentum pistoribus, postquam ad portum advenerit, ad effectum exigendi propria manu pretium, quod pernecesse non importat recessum a priori contractu, sed potius referri potest ad illius executionem, cum quadam cautela venditoris pro faciliori consequutione pretii, quæ alias stantibus temporum calamitatibus aliisque circumstantiis reddi potuisset difficilis, ac satis periculosa ob notoria impedurentia concurrentia in Prorege, & regiis Officialibus, vel magistratibus Civitatis.

Ubi enim ex parte emptoris aliquod concurrit impedimentum, sive justum, sive injustum, tunc in hujusmodi

13 mercibus peremptioni subjectis licitum est venditori, absque aliquo recessu a contractu, illas vendere propria auctoritate, etiam minori pretio, quam convento, dummodo bona fides intercedat in damnum emptoris, ut in puncto frumenti firmatur apud Rotam *dec.* 219, *num. fin. par.* 5. *rec.* ubi allegatur Cyriac. *contr.* 226. *n.* 62.

Et nihilominus, ubi etiam dicta petitio contineret incompatibilitatem, ex qua resultaret distractus, adhuc observabam istum prætendi non posse, dum petitio hujusmodi facultatis erat conditionalis, si, & postquam frumentum ad portum devenisset: unde liquet venditorem nonnisi tunc voluisse mercis venditæ dominium reassumere, non autem dum esset in itinere, atque in se suscipere illud periculum, quod emptori de jure incumbebat, dum actus voluntarii non possunt plus operari, nec protrahi, quam voluntas est. Et potissime, quia ex parte emptoris, licet verbaliter in rescripto super dicto supplici libello dicta facultas concessa fuerit, realiter tamen, & de facto fuit denegata; nam illa frumenti rata, quæ in alia navi ad portum salva venit, data non fuit venditori destribuenda ad

14 formam petitionis, & rescripti, sed erogata in usus vel Civitatis, vel fortalitiorum, & classis maritimæ; Unumquodque enim dissolvitur eo vinculo, quo ligatum est, unde quemadmodum contractus non perficitur, neque hujusmodi mercium dominium transfertur a venditore in emptorem, nisi utriusque consensus jungatur, ac ulterius sequatur traditio mediante actu mensurationis, numerationis, vel ponderationis, ut supra; Ita dicendum e converso respectu distractus, seu novationis, quæ (dum præsertim res non est integra, sed ad traditionem deventum est) importare dicitur novum contractum novi dominii translativum.

Concurrente etiam alia circumstantia, quod non constabat dictum supplicem libellum porrectum fuisse cum mandato speciali dicti Superioris Ortæ, sub cujus nomine cantabat. Quicquid enim esset de mandato præsumpto,

15 quod adhuc negari poterat, dum nulla concurrebat impensa, vel alia circumstantia, ex qua ejus præsumptio resultet, dicebam hujusmodi præsumptionem suffragari posse, vel ad substinenda acta judicialia, vel ad interpretationem alicujus rei ambiguæ, similesque effectus non adeo gravis præjudicii; secus autem ad effectum formalis distractus, exigentis pro præcipuo, & essentiali requisito consensu certum, & determinatum.

Motivatus etiam fuit defectus potestatis, an scilicet dictus superior, tamquam procurator, seu institutor Collegii potuisset etiam, si voluisset, huic prejudicare, atque dictum distractum facere sine mandato speciali, sed in hoc Ego habebam difficultatem, cum non ageretur de mandatario, seu institutore specialiter deputato ad vendendum, itaut sequuta venditione ejus facultas consumpta remaneret; neque distrahere posset, eodem modo, quo procurator deputatus ad emendum, post perfectam emptionem retrovendere non potest, sed de institore, & administratore generali, cujus facultas ad certum actum limitata non erat, unde quemadmodum libere, & absque principalis consensu speciali contrahere potuit, ita & distrahere, quoniam cessante dicta ratione facultatis limitatæ, & jam consumptæ, juris regula est, distrahi posse cum eo, cum quo contractum fuit; Et ex his juxta meum votum conclusum fuit, evocandos esse ad causam Civitatem, & dictum Principem Rocbæ; Sed officiales Ragiæ Cameræ agnita veritate decreverunt, verbaliter tamen, nullo hucusque sequuto effectu, refectionem a Regio fisco faciendam esse.

ANNOT. AD DISC. CXXV.

DE contentis in hoc discursu ad materiam annonæ actum est supra *in Annot. ad disc.* 44. & 45.

MELEVITANA QUINQUE CANONICATUUM PRO CANONICIS NOVIS CUM CAPITULO CATHEDRALIS.

Casus decisus per Rotam pro Canonicis.

De qua moneta intelligenda sit erectio facta per Sedem Apostolicam de Canonicatibus, vel aliis breviter erectis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ubi fit mentio monetæ, de qua intelligatur.*
3 *De differentia inter observantiam interpretativam, & præscriptivam.*
4 *Ubi haberi potest moneta deducta in obligationem, ibi facienda est solutio.*
5 *Etiamsi rara sit, & cum magna difficultate inveniatur, & quia tunc admittitur solutio in æquivalenti.*
6 *Princeps tenetur facere monetam bonam cum justo pondere, & valore ubique expendibilem.*
7 *Quando concedatur Principi, valorem monetæ augere.*
8 *De ratione postulante probitatem monetæ.*
9 *Principis laici lex super moneta non obligat exemptos.*
10 *Causa decisio.*

DISC. CXXVI.

EXcrescentibus redditibus Ecclesiæ Cathedralis Melevitanæ in annuis scutis mille monetæ Romanæ, & 1
ultra, Urbanus VIII. de anno 1633. erigi jussit alios quinque Canonicatus, quorum singulis in singulos annos præstari deberent scuta biscentum monetæ hujusmodi, prout sequuta erectione servatum fuit usquequo in ea Insula de mandato Magni Magistri, ejusque Consilii fabricata fuit quædam species monetæ æreæ, seu alterius inferioris materiæ, cujus valor ex ejusdem M. Magistri edicto longe supra illius intrinsecum valorem præscriptus fuit cum inscriptione, *non æs, sed fides*, unde propterea sequuta est satis notabilis cambiorum alteratio, itaut centum scut. illius monetæ, neque quinquaginta monetæ aureæ, vel argenteæ ubique currentis constituerent, quod etiam frequens habetur in Hispaniis de moneta nuncupata de *Vellon*. & alibi.

Hinc propterea orta est controversia inter Capitulum, & dictos quinque novos Canonicos, illo prætendente solvere dicta scut. 200. in ea monetæ specie, istis autem petentibus eadem scut. 200. sed in moneta Romana ad præscriptum litterarum Apostolicarum, pro quarum exequutione, favore quinque Canonicorum, pronunciavit in prima instantia Inquisitor, a cujus decreto introducta per appellationem causa in Rota, Agentes pro Capitulo insistebant in propositionibus generalibus, ut scilicet, dum hæc præstatio erat meræ laboris a Canonicis in ea Civitate, & pro illius Ecclesiæ servitio præstanda, ibidem cum ejusdem regionis moneta solvenda esset, cumulando beneficialistarum propositiones, tam occasione congruæ, quæ Episcopo, vel Curato per S. C. T. reservatur, seu al- 2
terius, quæ ex Constitutione Pii V. ad favorem Vicariorum præscribitur, quam etiam reservationis pensionum, ut

ut quotiescumque de scutis, seu aliis monetarum vocabulis, & speciebus mentio habetur, intelligendum sit de illa regionis; Quibus propositionibus addebatur, tum omnimoda monetæ Romanæ deficientia in ea Insula, itaut impossibilis præstatio redderetur, tum inconvenientia exinde resultantia, quod scilicet melioris conditionis essent hujusmodi novi Canonici antiquioribus, quorum redditus in dicta monetæ specie exacti ita longe minores remanerent; Ac demum adducebatur observantia, tum particularis per aliquos prædecessores, qui de dictis novis Canonicatibus provisi sunt, tum generalis, præsertim ipsius Religionis, quia cum ex ejus stabilimentis certa annua præstatio militibus pro alimentis, seu aliis ministris in tot scutis solvenda sit, illa solvitur in hac moneta, & juxta ejus valorem a Principis edictis præscriptum.

Pro Canonicis autem junioribus scribens dicebam, omnia præmissa aliquod probabile fundamentum habere, quoties Bulla erectionis de scutis simpliciter loqueretur absque alio adjuncto, secus autem illo accedente, tunc etenim, utpote in claris non intrant ratiocinationes, & argumenta, juxta notam regulam text. *in l. ille, aut ille, ff. de leg.* 3. Prout neque consueta operatio tribuitur observantiæ, quæ magnifacienda est in ambiguis, tamquam optima interpres, non autem in claris, in quibus non dicitur
3 amplius interpretativa, sed præscriptiva, & novæ dispositionis inductiva, indigens proinde omnibus requisitis ad præscriptionem necessariis, juxta receptissimam distinctionem, de qua Barbos. *in l. post dotem* 41. *sub num.* 47. *& seqq. ff. sol. matrim.* Penia *dec.* 754. *nu.* 5. *& 6. &* 1145. *num.* 5. *& dec.* 319. *&* 234. *par.* 6. *rec.* & punctualiter in inferius allegan. Mantuana pensionis.

Posita vero clara obligatione præstandi singulis Canonicis annua scuta 200. monetæ Romanæ, ut litteraliter in litteris Apostolicis disponitur, & clarius redditur ex subsequuta declaratione Sac. Congregationis, Episcoporum & Regularium negotiis præpositæ, de cujus prævio voto *Urbanus* hujusmodi erectionem fecerat, sequitur verissima juris propositio, in similibus terminis pensionis Ecclesiasticæ sæpius canonizata, quod ubi species monetæ in obligationem deductæ in rerum natura existit, & haberi
4 potest, tunc in ea facienda est solutio, juxta traditionem Bart. *in l. Paulus* 99. *n.* 4. *ff. de solut.* Afflict. *dec.* 194. Rot. *decis.* 686. *num.* 1. *par.* 4. *divers. bene dec.* 430. *p.* 4. *rec.* Penia *dec.* 5. *num.* 6. Gregor. & Add. *dec.* 42. Buratt. & Add. *dec.* 626. *&* 790. bene de materia Lattea *dec.* 21. *cum plurib. seqq.* Mantuana pensionis 12. Junii 1615. coram Dunozetto *inter suas dec.* 139. Toletana pensionis 31. Maji 1660. coram Albergato, & in aliis cumulatis per Adden. ad *dec.* 67. *n.* 29. *& seqq. & n.* 71. *& seqq. par.* 9. *recent.*

In quibus auctoritatibus, & decisionibus firmatum ha-
5 betur id procedere, quamvis ea monetæ species parum, vel nihil esset in commercio, itaut nonnisi cum magna difficultate, & incommodo haberi possit, quia non per hoc cessat obligatio, quæ in ea constituta est, sed solum ex quadam æquitate intrat officium judicis, ut debitor admittatur ad solvendum in altera specie monetæ, quæ currat in regione, ita tamen, quod æquivalentem valorem constituat, atque id, quod solvitur, præponderet monetæ in obligationem deductæ, ut ultra allegata habetur *dec.* 688. *p.* 4. *divers. dec.* 215. *& seqq.* post Cencium de Cens. apud Latteam *d. dec.* 21. *cum seqq.* & in aliis; Unde cum notus, ac certus sit valor scuti monetæ Romanæ, constituti ex decem juliis, quorum æquivalens rectè solvi potest in alia moneta argentea, vel aurea, habente valorem intrinsecum correspondentem, seu etiam in hac moneta ærea, regulando tamen valorem intrinsecum ipsius materiæ, non autem extrinsecum a Principe attributum, ita solutio facienda erat; Ut in specie de moneta noviter cussa solvenda pro veteri in tanta quantitate, quod veterem adæquet, Lotter. *de benef. lib.* 1. *q.* 39. *n.* 214. ubi bene de materia monetarum, & pluries *sub tit. de pension.* ubi hæc materia est frequens, ac etiam *sub tit. de credito*.

6 Eoque magis præmissa procedere dicebam, stante injustitia hujusmodi Edicti; Princeps enim, vel alter Superior, qui jus cudendæ monetæ in loco habet, tenetur illam probam facere cum justo pondere, & valore æquali in massa, seu materia non elaborata, ad not. per Andr. de Barulo, Jo: de Platea, & alios *in leg.* 1. *Cod. de veteris numismatis potestate lib.* 10. Botell. *de præstantia Regis Catholici cap.* 12. *n.* 28. *& seqq.* ubi multa ad monetarum materiam notanda deducit, & præsertim, an expensæ necessariæ pro cussione ponendæ sint in valore, de quo etiam, & aliis ad materiam monetæ, bene agit Lotter. *de benef. lib.* 1. *q.* 39. *num.* 189. *& seqq.*

Et quamvis in historiis habeatur, probos etiam Princi- 7
pes aliquando improbam, & inferioris valoris materiæ monetam cussisse, cui longe majorem valorem extrinsecum ex eorum auctoritate tribuerint; Attamen id fuit tamquam species signi obligantis eumdem Principem, cessante necessitate supplendi de materia bona; nam alias esset subditorum bona ita surripere, illisque commercium cum aliis regionibus omnium auferre; Inter cæteras et- 8
enim rationes monetæ probitatem postulantes, illa videtur potissima, conservationis commercii, quod alias dari non potest, nisi intrinsecus monetæ valor sit ubique uniformis, itaut cum quacumque alia probæ monetæ specie sit commutabilis Lotter. *dict. quæst.* 39. *num.* 180. *& seqq.* ubi cæteri allegantur; Unde quatenus alias de facto indebite fieret, id obligaret quidem de facto ejusdem Principis subditos, non autem istos Canonicos a M. Ma- 9
gistri superioritate, & jurisdictione exemptos, ut in specie Lotter. *loc. cit. num.* 210. & habetur in Rom. seu Januen. restitutionis dotis *hoc eod. tit. disc.* 128. Atque ita tolli dicebam objectum deductum ex observantia Religionis, ejusque militum, & stipendiatorum, quia ab istis, utpote subditis præceptum eorum Principis, & Superioris, sive bonum, sive malum servari oportet, quæ ratio cessat in non subditis.

Quo vero ad inconvenientia, illud præsertim magni incommodi Mensæ Capitulari exinde resultantis, quodque contra verisimilem Papæ intentionem, melioris conditionis essent isti Canonici juniores antiquioribus; Respondebam, hæc quidem censeri posse valida motiva deducenda eidem Papæ pro dictæ erectionis moderatione in futuria vacationibus, nullius autem ponderis esse apud Judicem ad formam litterarum Apostolicarum, ita expresse disponentium, judicare debentem.

Et juxta præmissa per Rotam determinatum fuit sub 10
die 4. Aprilis 1661. coram Albergato, ut constat ex decisione desuper edita, atque resolutio justa, beneque fundata videtur, stante præsertim inconcussa observantia, quæ ubique habetur, præsertim in Hispaniis, super solutione pensionum Ecclesiasticarum; quæ in scutis monetæ Romanæ reservari solent; Atque ponderabatur etiam observantia individualis pensionum, quæ solvuntur ab ejusdem Insulæ Episcopo, & aliis beneficiatis; Et in specie de anno 1656. Sac. Congreg. S. Officii universalis Inquisitionis determinavit, pensionem ab Episcopo solvendam esse Inquisitori in eadem Insula existenti, in scutis auri, vel in moneta regionis ad proportionem valoris intrinseci scutorum auri, non obstante longissima observantia ex eisdem fundamentis, ex quibus idem judicavit in Imolen. pensionis, de qua in sua materia *sub tit. de pension.*

ANNOT. AD DISC. CXXVI. & seqq.

DE hac materia monetarum, earumque alteratione, cujus damno, vel commodo cedat, agitur *sub tit. de credito disc.* 140. *tit. de benef. disc.* 89. *& tit. de pension. disc.* 34. *& seqq.* ubi videndum est; Et in specie de hac inferiori moneta Insulæ Melevitanæ *in Miscellan. Ecclesiastic. lib.* 14. *disc.* 4. ubi quod cussio monetæ inferioris materiæ, cujus pretium intrinsecum, & naturale, ipsius monetæ valori non respondeat, sit species occultæ gabellæ, quæ ita insensibiliter exigitur a subditis, eo modo, quo exigitur cum pretio extrinseco, & alterato salis, aliorumque victualium, quorum jus privativum Princeps habeat; Et de legatorum, aliarumque dispositionum interpretatione, de qua scilicet specie monetæ, vel scutorum intellectum sit *sub tit. de Legat. disc.* 49. *& in ejus Supplemento*, ubi pariter videndum est.

RHEGINEN. PENSIONIS PRO EMANUELE MONTOYA CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Emanuele.

An moneta unius Regni, vel Principatus attendi debeat in altero diverso, ex eo, quod ibi per alterius Regni adjacentiam de facto esset in usu; Et in specie, reservata pensione in scutis monetæ regionis super Ecclesiastica existente in Provincia Calabriæ; An debeatur in scutis monetæ Regni Neapolitani, vel in illis monetæ Regni Siciliæ ultra Pharum;

Et aliqua de hujusmodi Regnorum origine, unitate, & diversitate respectivè.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De prima erectione Regnorum utriusque Siciliæ, tunc cum unicum Regnum constituebant.*
3 *De illorum divisione.*
4 *Quomodo post divisionem, Regnum Siciliæ citra nuncupetur.*
5 *In Regno Neapolitano, seu Siciliæ citra, unum est regimen sub eisdem legibus, eademque uniformi moneta.*
6 *Regnum Siciliæ ultra est in omnibus diversum ab illo Siciliæ citra.*
7 *Unio Regnorum sub una Corona non causat eorum unitatem.*
8 *Jus cudendi monetam est de Regalibus, & spectat ad Principem.*
9 *De materia monetarum.*
10 *Si moneta in qua debetur solutio est rara, an admittatur debitor ad solutionem in altera specie.*

D I S C. CXXVII.

1 REservata, auctoritate Apostolica, ad nominationem Regis Catholici, super fructibus Ecclesiæ Metropolitanæ Rheginen. in Calabria de Regio jurepatronatus ad favorem Emanuelis Montoyæ annua pensione ducatorum 300. monetæ illarum partium, orta est controversia inter Archiepiscopum, & pensionarium super qualitate monetæ, prætendente Archiepiscopo illam deberi in scutis monetæ Regni Siciliæ ultra, constitutis ex quibusdam *tarenis*, ibi nuncupatis, utpote in dicta Civitate, & Diœcesi in extremis partibus Calabriæ existente, & cum dicto Regno satis proxime confinante, magis frequentata, quam esset moneta Regni Neapolitani, & introducta desuper causa coram A. C.

Scribens pro Emanuele pensionario, cum sensu etiam veritatis, qualem etiam causæ eventus comprobavit, dum ita judicatum fuit, Dicebam improbabilem, nullique fundamento innixam esse hujusmodi prætensionem, quoniam cum reservatio facta esset de moneta illarum partium, intelligenda erat de illa hujus Regni Siciliæ citra, seu Neapolis, cujus pars, seu membrum est dicta Provincia Calabriæ, omnino separata, & independens à dicto altero Regno Siciliæ ultra.

Quamvis enim in secta primæva hujusmodi Regnorum
2 erectione sub *Anacleto Antipapa*, seu *Innocentio II.* in persona *Rugerii II.* juxta unam opinionem, sive diverso tempore, juxta alteram, prius in persona Rugerii I. Normandi, unicum esset Regnum *Siciliæ*, nuncupatum sub unico Rege, complexivum omnium illarum partium, & regionum, quæ hodie utrumque Regnum Siciliæ, & Neapolis constituunt, unde propterea Constitutiones per Federicum Imperatorem, compilatæ circa annum 1320. aliæque leges usque ad extrema tempora Regni Caroli Primi Andegavensis erant, ut de facto remanserunt, communes, ac probabiliter una eademque erat moneta.

Nihilominus, postquam, in Vespere Siculo, Gallis
3 expulsis, illa Insula se dedit dominio Regis Aragoniæ, duo efformata fuerunt Regna, quorum unum a dicta Insula, & ab altera Melevitana sibi annexa constitutum, & ab Hispanis possessum, nuncupari cœpit Regnum Siciliæ ultra Pharum; alterum vero in reliquis Provinciis, seu regionibus mediteraneis, perseverans sub eadem dominatione Gallorum, usquequo per adoptionem factam a Regina Joanna II. de Alphonso Primo Aragonensium Rege, non per viam antiquæ unitatis, sed quolibet ejus naturam retinente, sub eadem Corona unitum fuit: nuncupari cœpit *Regnum Siciliæ citra Pharum*, deinde autem frequentius apud feudistas, & in investituris Apostolicis Regnum *Apuliæ*: A quodam verò moderno tempore abu-
4 sive, vulgo *Regnum Neapolitanum* ob residentiam, quam Reges in ea Civitate facere consueverunt, & ex tunc habitum fuit pro omnino separato.

Illud vero Regnum, quod legaliter, & discretivè ad reliquam Regis Catholici Monarchiam, unica est Provin-
5 cia, ab uno Præside, seu V. Rege sub eisdem legibus regitur, eademque est moneta, quæ sub diversis speciebus in dicta Metropolitica, seu residentiali Civitate fabricari solita, omnibus dicti Regni partibus æqualis est, & uniformis, itaut non detur regio, Civitas, vel locus, quæ particularem, & ab aliis diversam habeant monetam: Licet enim idem Regnum, facilioris regiminis gratia, 3
divisum sit in duodecim Provincias, ita improprie dictas, quarum singulæ proprium habent Præsidem; Non tamen diversa corpora constituunt, neque diversas habent leges, vel monetas, ut contingit in Statu Ecclesiastico juxta Legationum diversitatem, sed ubique pariformiter vivitur cum eisdem legibus, & monetis, exceptis consuetudinibus locorum particularium circa leges.

Regnum verò Siciliæ ultra, diversam habet monetam sub diverso cuneo, & impressione, tamquam diversi Regni, 6
seu Principatus; Licet enim Regna post mortem Alphonsi Primi denuò divisa sint, ac demum sub Rege Ferdinando, *Cattolico*, nuncupato, ad ejusdem Coronæ Aragoniæ unionem redierint, attamen adhuc duo diversa remanent Regna inter se distincta. Quoniam unio sub eadem Corona, non inducit ipsorum Regnorum unitatem, juxta ea quæ habentur deducta in Pampilonen. decimarum de Taffalla *sub tit. de praemin.* Unde propterea banniti, 7
vel inquisiti unius Regni, in altero tamquam in diverso territorio, ac omnino diverso Principatu esse dicuntur. Atque ut patet ex deductis in Panormitana successionis feudorum *disc.* 13. *& in aliis sub tit. de feud.* diversas habent leges, imo eædem Constitutiones antiquæ utrique communes, diversam habent interpretationem, & praxim, ut loco citato.

Cum igitur jus cudendi monetam sit de Regalibus, itaut nonnisi ad loci Principem spectet, ad text. *in cap.* 1. 8
quæ sint regalia, ubi Isernia, Balb. Alvar. Afflict. & cæteri Capyc. *in Investitur. feud. vers. feudorum regalia, verbo moneta*, & cæteri communiter, de quibus ample Bozell. *de præstantia Regis Catholici cap.* 12. *n.* 3. *cum seqq.* ubi 9
juxta consuetam eruditionem bene agit de monetæ origine, usu, tonsione, falsificatione, ac probitate, itaut suum debitum pondus, suumque intrinsecum valorem habeat, quorum plura deducit etiam Lotter. *de benef. lib.* 1. *q.* 39. & habetur in Melevitana *disc. præced.*

Hinc proinde, cum reservatio esset de moneta regionis, seu illarum partium, atque ista regio, seu provincia sit membrum, seu pars hujus Regni, de hac moneta sine dubio reservatio intelligenda est, quia hæc dicitur moneta regionis, non altera diversi Principis, in hoc Regno non habentis jurisdictionem, & Regalia.

Et quamvis in illa Civitate, ac Diœcesi, utpote in extrema parte Regni, & ob magnam adjacentiam dicto alte- 10
ri Regno, magis in usu, & commercio esset dicta moneta Siciliæ ulterioris, rara vero altera proprii Regni; nihilominus id est accidens, quod non alterat, ut etiam praxis docet in aliquibus earum partibus Aprutii, confinantibus cum Statu Ecclesiastico, Urbi magis approximantibus, distantibus vero a Civitate Neapolis, quoniam in commercio magis est moneta Papalis, quam Regnicola, non per hoc tamen dicitur moneta proprii Principis, seu propriæ regionis, ideoque juxta ea, quæ frequenter habentur in hac materia *sub tit. de pensionibus Ecclesiasticis*, præsertim in Calaritana pensionum, aliud prætendi non potest, nisi quod ubi moneta, quæ est in obligatione, non reperitur, vel est nimis rara, itaut notabile incomodum debitori causet in ea præcise solvere, ex equitate admittatur debitor ad solvendum in alia moneta, quæ importet æquivalentiam, ita ut creditor obtineat totum id, quod interest solutionem fieri in ea moneta, quæ est in obligatione, ut habetur etiam in dict. Melevitana *disc. præced.*

ROMANA, SEU JANUEN. DOTIS PRO MARIA CATANEA COSTA CUM OCTAVIO COSTA FILIO.

Casus decisus per Rotam pro Octavio.

De eadem materia monetarum: An scilicet edicta, vel aliæ provisiones principis loci, in quo initus est contractus super earum valutatione, afficiant creditorem, vel respective debitorem extra ejus ditionem, quomodo, & quando.

S U M M A R I U M

1 F*Acti series.*
2 *Decisio causæ ejusque fundamenta.*
3 *Sæpe a magnis Tribunalibus prodeunt resolutiones ex ignotis motivis.*

4 *De*

4 De quæstione, quale tempus in materia monetarum attendi debeat, an obligationis, vel solutionis.

5 In valore, & usu monetarum Principis auctoritas totum facit, & dat regulam.

6 Contractus jurati non subjacent statutis, & legibus sæcularibus.

7 Leges, vel provisiones Principis in materia monetarum locorum non habent cum non subditis.

8 Declaratur conclusio, de qua, num. 6.

9 Incolatus occasionalis non facit cessare civilitatem originis.

10 Potest quis esse Civis duorum locorum.

11 Quando statuta sint operativa, & attendantur etiam extra territorium.

D I S C. CXXXVIII.

1 INito matrimonio de anno 1631. in Civitate Januen. inter Mariam Cataneam ejusdem Civitatis, & Benedictum Costam natum in Urbe, filium Octavii pariter Januen. seu Albinganen. in Urbe moram trahentis occasione negotiationis, cum dote librarum 60. mil. eoque ad plures annos dissoluto per mortem viri: Cum pro dicta quantitate data essent quædam jura Hispaniarum, & super datio Mediolani notabiliter hoc medio tempore, deteriorata, ac effecta pene nullius valoris; Hinc occasione restitutionis dictæ dotis, orta in primis fuit quæstio inter dictam Mariam, & Octavium ejus filium, legatarium, seu hæredem fideicommissarium Octavii senioris, An dos consisteret in quantitate, vel in specie; ex quo pendebat, num hujusmodi jurium deterioratio, viri, vel mulieris damno cederet.

Et introducta causa in Rota, prodierunt coram *Otalora, & Taja*, resolutiones mulieri favorabiles pro restitutione dotis in quantitate, ut habetur actum in hac eadem causa in sua materia *sub tit. de dote*. Deinde vero assumptum fuit disputandum alterum dubium, super ejusdem quantitatis liquidatione, ob alterationem valoris librarum Januensium, dum inter partes non dubitabatur hanc monetam esse imaginariam, An scilicet attendendum esset tempus contractus, ut debitori expediebat, vel tempus solutionis, ut expediebat mulieri creditrici. Et proposita coram Taja sub die 25. Junii 1668.
2 prodiit resolutio debitori favorabilis, attendendum scilicet esse tempus contractus, quo attento, debitum liquidandum erat in minori summa.

Resolutio magis prodiit potius ex quadam æquitate non scripta, quam ex discussione conclusionum juris, habita consideratione, quod ad ejusdem Mariæ favorem benigne processum fuerat in dicto altero dubio, seu puncto magis importante. Ac etiam, quia Tribunal cum eadem alteram exercuerat æquitatem circa contraventionem præcepto Octavii senioris. juxta *dec.* 205. apud Royas, & sic, ut cum eodem motivo æquitatis aliqua fieret hinc inde compensatio: Unde propterea in hujusmodi causa, ut frequenter in aliis, practicatum fuit id, quod advertunt Apon. *dec.* 34. *in fin.* & melius Rovit. *dec.* 49. *nu.* 13.
3 quod sæpius a magnis, & Collegialibus Tribunalibus prodeunt resolutiones, vel ex illis causis quas recensent, & declamat Aponte, vel ex aliis motivis a partibus, earumque Advocatis non deductis, neque excogitatis, unde propterea resultat tam frequens legulejorum, & pragmaticorum error, insistendi mordicus in decisionibus, non distinguendo casus, & non considerando diversas circumstantias.

Quatenus vero pertinet ad ea, quæ juris sunt; Scribens pro muliere creditrice dicebam, quod licet ista quæstio,
4 An scilicet attendendum esset tempus obligationis, vel illud solutionis, esset apud antiquiores nimium controversa, itaut elaboratus Additionator *ad dec. 67. part. 9. rec.* ubi multa in hac materia colligit *nu.* 10. dicat, eam nuncupari a Doctoribus quæstionum altam, antiquam, profundam, confusam, & involutam, habentem a tergo lupos, & a fronte præcipitium; Nihilominus admittebam, magis communem, hodieque magis receptam, videlicet, quod attendendum sit tempus contractus, quoties agitur de moneta imaginaria, ut in præsenti, ut apud Afflict. *dec.* 194. *in princ.* Thesaur. *de augmento monetæ par.* 1. Rot. *dec.* 214. post Cenc. & in aliis collectis per eosdem Add. *ut supra*, & in Melevitana *disc.* 126. ac in hujus causæ decisione, ac habetur pluries *sub tit. de credito*, & in altero *de pensionibus*, ubi est propria hujus materiæ sedes.

Dicebam tamen, hujusmodi propositionem, quæ hodie recepta est pro regula, non procedere in casu controverso ob decreta, seu statuta edita per Rempublicam Januensem de annis 1637. & 1638. in contrarium expresse disponentia. Ideoque cum jus monetarum sit de 5
Regalibus majoribus supremo Principi reservatis, *ut in duobus disc. proxime preced.* Hinc sequitur, quod in valutatione, ac usu monetarum, Principis auctoritas totum facit, ad text. *in l. 1. ff. de contrah. empt. cum concord.* apud Larream *dec.* 12. *num.* 9. & per dictos Adden. *ad dec. 67. n. 21. cum seqq. par. 9. rec.*

Non negabant scribentes in contrarium dictam propositionem, quod scilicet Principis decretis, vel statutis in propria ditione, circa usum, & valorem monetarum deferendum sit. Insistebant tamen in duabus limitationibus, una, quod ageretur de contractu jurato regulariter non subjacente statutis, & decretis Principis sæcularis ex 6
utroque defectu voluntatis, & potestatis, ex deductis per Lambert. *de contr. gloss. fin. q. 4. n. 4. & 9.* Buratt. & Add. *dec. 44. & 422. dec. 387. n. 6. cum seqq. p. 9. rec.* & passim, ut frequenter habetur *sub tit. de contract.* ac altero *de credito*. Et secundo, quod procederet cum propriis subditis, & in propria ditione, quorum utrumque in præsenti cessabat, dum Benedictus vir natus erat in Urbe, in qua judicium agebatur, ac obierat Octavius senior, a cujus hæreditate hujus dotis restitutio petebatur: Potissime quia in dictis aliis præcedentibus disputationibus, eadem actrix potita fuerat beneficio statutorum Urbis pro obtinenda via executiva, illorum vigore, pro dote competente, ex deductis in hac eadem causa *sub d. tit. de dote*.

Quodque hujusmodi provisiones in materia monetarum non afficiant non subditos, sed locum habent solum cum 7
propriis subditis, ultra propositiones generales in materia statutorum, de quibus præsertim in Romana pecuniaria, seu dotis de Santacruce *sub d. tit. de dote, & alibi*: In specialibus terminis monetarum habetur in dicta Melevitana *disc.* 126. In præsenti autem dupliciter cessabat subjectio, quia extra territorium, seu ditionem, & quia cum civibus Romanis, dum actria effecta erat domiciliaria viri, idem domicilium retinendo in statu viduitatis.

Quidquid autem sit de dicto motivo æquitatis, compensativo alicujus rigoris adhibiti in altera quæstione, ob quod resolutio non omnino improbabilis videbatur. Isto circum- 8
scripto, prædicta alia motiva, reflectendo etiam ad veritatem, parum probabilia mihi videbantur; Præsertim vero nulla penitus consideratione dignum erat primum de contractibus juratis sub laicalibus statutis, & provisionibus non cadentibus, unde merito per Rotam spretum fuit. Conclusio enim est vera de jure, sed omnino cessabat applicatio ad factum: procedit siquidem quando statutum, vel alia laicalis provisio directe tolleret juramentum, atque enervando substantiam actus, eximeret jurantem ab observantia juramenti, quod ubi non tendit contra bonos mores naturales, sed absque interitu æternæ salutis servari potest semper servandum est. Secus ubi agitur de exceptione modificativa, quæ non percutiat substantiam actus, sed accidentia, & sic interpretationem actus dubii super magis & minus, sive non comprehensionem casus, vel præsumptum implementum, aut etiam defectum probationis ejusdem juramenti, adimendo fidem scripturæ, cum similibus, ut in foro quotidianum habemus.

Juramentum siquidem in hac facti specie, interpositum est super ipsa dotis solutione, vel restitutione respective in summa librarum 60. m. unde contra illud veniri diceretur, quando ipsa restitutio in genere, sive ipsa summa impugnaretur. Sed si utraque firma manente, oriatur quæstio, etiam de ipso jure communi dubia, super ejusdem summæ liquidatione, & quantum illa, consistens in moneta imaginaria, importet in moneta vera, quodve tempus attendi debet, id omissum est conventione, & consequenter provisiones super hujusmodi casibus omissis, ac de jure, vel de facto dubiis, nullatenus percutiunt ipsum juramentum.

Quo vero ad aliud motivum deficientis potestatis, illud pariter non videbatur habere subsistentiam ex defectu applicationis, quoniam ambo contrahentes origine erant Januenses, seu illi ditioni subjecti, ibique initus erat contractus. Et quamvis, tam vir, quam ejus pater incolatum haberent in Urbe. Nihilominus iste erat accidentalis occasione negotiationis, qui non tollit naturalem civilitatem, neque inducit verum domicilium in loco, tamquam occasionalis, seu causativus, ex deductis apud Otthob. *dec.* 89. & 145. *dec.* 436. *n.* 16. *cum seq. p.* 5. *rec.* & habetur præsertim actum in Anconitana onerum hoc tit. ad materiam

Ve-

Vectigalium *disc.* **104. & pluties** *sub tit. de preeminent,* **ubi de hac materia civilitatis.**

Nil obstante, quod eadem actrix usa esset beneficio statutorum Urbis, tum quia id esset allegare inconveniens, quia si statuta non intrabant, eorum dispositio admitti non debeat, Neque ex pingui remedio concernente solum ordinatoria judicii, & inventato per causidicos, & procuratores, debet mulier, hujusmodi forensium subtilitatum ignara, remanere præjudicata in substantia, seu forte principali ejus doris. Tum etiam, quia de jure non implicat, aliquem habere duplicem civilitatem, unam scilicet ratione originis, alteram vero ratione domicilii, seu incolatus, ac utramque respective retinere, ex deductis per Buratt. *dec.* 804.*n.*4.Adden. *ad eum dec.* 811. *num.* 7. *dec.* 187. *in fin.*, post Zacch. *de oblig. Cameral.*

Et in specie consimilia negotiatoris Januensis in Urbe commorantia *dec.* 575. *n.* 20. *par.* 9. *rec.* Et in terminis ulterius negotiatoris exteri ad effectum comprehensionis sub statutis *dec.* 137. *per tot. par.* 5. *rec.*

Præterea considerabam, recte applicari posse ea, quæ habentur apud Merlin. *dec.* 447. *alias dec.* 355. *p.* 5. *rec. n.* 15. *cum seqq.* de operatione statuti unius loci extra territorium, & cum non subditis, non in ratione auctoritativa, sed in ratione probativa, vel interpretativa voluntatis disponentis, seu contrahentium. Cum enim alteratio monetarum in Civitate, & ditione Januensi, tamquam de Regalibus, & spectantibus ad Principem, facta esset per ipsam Rempublicam; Hinc proinde ista faciendo talem
10 actum, ita declaravit ejus animum, quod scilicet intendebat id agere, quoad contractus futuros, non autem præteritos. Unde propterea dicta decreta, seu provisiones attendi non debent in ratione auctoritativa, & tamquam lex exorbitans, seu correctoria ejus, quod de jure dispositum est, sed tamquam declaratio ejus animi, & volunta-
11 tis, & quid per immutatum monetarum valorem facere voluerit, ideoque ista ratio, cui principaliter innititur decisio, videbatur parum probabilis, neque in decisione desuper edita respondetur huic motivo, quod ego deducebam.

ROMANA SEU CIVITATIS VETULÆ MERCIUM

PRO FRANCISCO CUCURNO CUM ALIQUIBUS MERCATORIBUS VENETIS,

Casus resolutus per Thesaurarium contra Cucurnum.

De materia Salvi conductus, & portus franchi, & an emens a non domino merces in portu, sive in nundinis, vel alio publico emporio sit tutus, itaut per illarum dominum vendicari non possint talium non restituto pretio soluto, vel e contra.

Emens a non domino merces furtivas, an & quando eisdem mercibus distractis, & non extantibus, teneatur illarum domino valorem restituere.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De salvo conductu, qui conceditur ingredientibus in portum, vel aliam locum, quomodo sit servandus, & de quibus bonis intelligatur.*
3 *Emens rem alienam in portu, vel publico emporio, an sit tutus, itaut rei domino competat jus vendicandi non restituto pretio.*
4 *Hypotheca competens super bonis mobilibus, an sit exercibilis super mercibus penes tertium distractis.*
5 *Portus essentia principaliter consistere videtur in libertate commercii.*
6 *Contra tertium, an & quando dari possit actio personalis pro bonis in eum obventis, & non extantibus.*

D I S C. CXXIX.

1 Traduxerunt in Civitate Venetiarum plures mercatores eorum merces Capitano Petro Bruè, cum quo navi vehendas ad Civitatem Alexandriæ Ægypti, ad effectum ibi vendendi, ac de pretio emendi alias merces illarum partium, ad eamdem Venetiarum Civitatem asportandas. Cum autem Bruè prætenderet, in dicta Civitate Alexandrina injuste accusatum, passum esse duas graves vanias, aliasque impensas, integrum dictarum mercium pretium absorbentes, ideoque a mercatoribus Alexandrinis merces pecunia credita ad has partes vehendas habuisse; Hinc appulit ad portum Centum cellarum, seu Civitatis Vetulæ, ubi his omnibus narratis, *salvum conductum* obtinuit, eoque contento merces vendere cœpit variis mercatoribus præsertim Francisco Cucurno Mercatori Urbis pro summa scuta 4. m. ex quibus 3. m. circiter in promptu soluta esse ex ejusdem Bruè appocis apparebat.

Consignata mercium parte comparuerunt dicti mercatores Veneti, qui docentes per legitima documenta, merces in dicta navi existentes esse suas, sive ex aliarum mercium pretio emptas, obtinuerunt illas sequestrari, etiam cum dicti Capitanei carceratione. Unde exorta inter eos lite in Camera, per istam, (Me tamen in causa non scribente,) acerrime discusso articulo, pluries decisum fuit ad favorem Bruè, quod scilicet illi per Mercatores reficiendæ essent vaniæ, & expensæ, ut supra passæ, quibus refectis ipse mercium dimissionem prompte offerebat, vel quod reponendus esset ejus pristinæ libertati cum *salvi conductus* observantia, ne publica fide contra jus gentium ita deceptus remaneret.

Ex quo præsertim ultimo motivo non violandæ fidei 2
portus Camera semper in hujusmodi sententia constanter perstitit, etiam super mercibus & bonis, quæ dicebantur aliena, non obstante auctoritate Bald. *cons.* 400. *lib.* 1. Petr. Bellio. *de re militar. p.* 9. *tit. unico & aliis* firmantibus *salvum conductum* intelligendum esse de rebus propriis, non de alienis, quia cum ille fuisset generalis & indefinitus, debebat in totum servari, etiamsi dictus Portus Gubernator ad id potestatem non habuisset, dum agebatur de non subdito, qui sub hac fide portum ingressus, erat alias non ingressurus, unde reputandus erat pro non ingresso, ac suæ libertati reponendus ex iis quæ de hac materia *salvi conductus* habentur apud Surd. *dec.* 307. *& cons.* 281. *&* 298. Cyriac. *contr.* 399. *ex nu.* 20. Franch. *dec.* 590. *&* 673. Fontanell. *dec.* 297. Farinac. *q.* 29. Tappia, *dec.* 21. *&* 55. Spetell. *dec.* 148 *p.* 2. Rovit. *super pragm. de gindicaticis*, & alios de materia tractantes, Unde propterea revocavit sententiam in prima instantia latam.

Verum habito per mercatores recursu ad Alexandrum
VII. ab isto, forsan ex justis ignotis tamen motivis, avo- 3
cata causa a Camera, emanavit chirographum, per quod circumscriptis Cameræ resolutionibus, demandabatur prædictæ primæ sententiæ executio. Quare, vigore prædicti chirographi directi Thesaurario, dicti mercatores, postquam merces in portu, ejusque repositorii adhuc existentes, sive venditas, sive invenditas sibi consignari obtinuerant, pulsarunt etiam coram dicto Thesaurario varios mercatores, quibus aliquæ ex dictis mercibus traditæ fuerant, præsertim dictum Cucurnum, unde assumpta disputatione.

Pro isto scribens dicebam, causam in duas inspectiones dividendam esse. Unam scilicet super mercibus adhuc existentibus jure dominii, probata indemnitate, per dictos mercatores earum dominos vendicabilibus. Alteram super jam consumptis, & non extantibus. Super prima quamvis pro mercatoribus urgeret dispositio textus *in l. Incivilem C. de furtis*, ut rei furtivæ domino illam vendicare licitum sit a quocumque possessore, quamvis hic bona fide emisset, nullo sibi restituto pretio, quia bona fides excusat tantum emptorem a pœnis, quibus alias mala fide ementes res furtivas subjacere debent, non autem, ut de pretii soluti consequutione excipere valeat ex deduct. per Farinac. *de furt. q.* 167. *n.* 15. *& seqq.* Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 29 Spadam *cons.* 149. *vol.* 1 Rot. Lucen. *diver.* 151. Rovit. *super prag.* 1. *de empt. & vend.* & habetur in Romana gemmarum pro 4
Prico & in Romana pro Terentiana *sub tit. de empt. & vend.* Quod Doctores nostri extendunt, etiamsi emptiones factæ essent in nundinis, vel publicis emporiis, ut per Menoch. Farinac. & Rovit. *loc. cit.* qui alios adducunt.

Attamen, præsupposita bona fide, dicebam hujusmodi conclusiones non esse illis terminis applicabiles, ubi agitur de mercibus, in quibus ratione libertatis commercii specialem esse videtur, ut a juris consuetis regulis recedatur. De jure siquidem creditori hypothecario conceditur ad bona sibi hypothecata agere contra quoscumque illorum possessores, etiamsi per mille manus transierint, & nihilominus ubi agitur de mercibus, quæ distractæ sint, non tanquam universales cum ipsa taberna, seu toto corpore negotii, sed tamquam singulares, receptum est jam dicta ratione publici commercii, tertium in quem distractæ sunt molestari non posse, sed illas transire liberas ab omnibus vinculis

culis, & hypothecis, quibus subjacebant, dum erant penes venditorem, ad communiter notata per DD. per ipsum text. *in l. cum tabernam*, *ff. de pignorib.* Bald. *in l. ubi adhuc num. 37. C. de jur. dotium*, Merlin. *de pign. lib. 2. q. 45. nu. 35. & seqq.* Capyc. Latr. *dec. 24. n. 12.* Rot. post Pacif. de Salv. *decis. 125. 126. & 205. & dec. 107.* post Merlin. *ubi sup. n. 6.* apud Ouhob. *dec. 55. num. 9. & in aliis*. Ita a pari, dum eadem in utroque casu militare videtur ratio publici commercii alias impediti, cum non soleant mercatores, & negotiantes in mercium emptionibus exquirere a venditoribus eorum dominii, & possessionis titulos, quod etiam respectu venditorum, magnum, & impracticabile onus esset, ut in singulis mercium venditionibus prædictos titulos justificare deberent, ut dictum etiam fuit in Anconitana Salium, *hoc tit. disc. 115.*

Fortius, quia venditor per Principis officiales ad id destinatos in portum receptus fuerat, & publice ad merces vendendas admissus, ex qua ratione mercatores in bona fide existentes, ab eodem Principe, ejusque publica fide, contra omnem jus gentium, & positivi dispositionem decepti remanerent, cum credere non debuerint furem, & alienarum rerum prædonem illum, qui in portu tamquam dominus, & mercator admissus fuit ad merces publice vendendas.

Ad quod comprobandum adducebatur communis aliorum portuum observantia, præsertim in nostra Italia, Venetiarum, & Liburnii, cum hujusmodi portuum anima, sive essentia principaliter hujusmodi commercii li-
5 bertate, ibique mercantium securitate consistere videatur. Ideoque ubi cum summa æquitate ad favorem actorum procedendum esset, dicebam, admitti quidem posse ad mercium suarum vendicationem, sed restituto pretio per mercatorem, bona fide ementem, soluto.

Quo vero ad merces consumptas, in quibus rei vendicatio, vel alia actio realis exercibilis non erat, dicebam actores omni prorsus actione, vel remedio destitutos esse, quia contra tertium dari non potest actio personalis, cum deficiat
6 obligatio, quæ est hujusmodi actionis mater, nisi duobus tantum casibus, vel ubi scilicet dolo, & mala fide possidere desierit, quia nempe ad eludendam rei propriæ vendicationem, domino competentem, illius distractionem, vel consumptionem affectaverint, ex deductis per Menoch. *d. l. præs. 29.* Spada *d. consil. 149. vol. 1.* Franc. *d. quest. 177.* Vel ubi rei consumptæ pretium penes ipsum remaneret titulo lucrativo, & sine causa, juxta terminos text. *in l. si me, & Titium, ff. si cert. pet.* vel *de in rem verso*. Quorum neutrum in præsenti applicari videbatur, quia pretium mercium venditarum penes istum mercatorum remanebat titulo oneroso, dum pretio mediante illas emerat & non probabatur dolus, vel mala fides, quæ, utpote delictum importantia, non præsumuntur, præsertim dum bonæ fidei præsumptiones, & argumenta concurrebant, quia publice, & palam in publico portu emptæ fuerant.

Verum ex eisdem præsuppositis ab illis extrajudicialibus notitiis, sive prudentialibus rationibus, ex quibus infirmato judicio duodecim Virorum, Tribunal Cameræ constituentium, unus solus pro dictis mercatoribus contra Brnè judicavit, sive, talis judicati exequutio demandata fuit. Ex eisdem etiam judicatum fuit contra istum mercatorem, quia processum est cum præsupposito, quod in ipso actu emendi, & antequam ad aliquam pecuniæ solutionem procederetur, fuisset sibi ad aures denunciatum a personis in eadem navi existentibus, ut ab emendo abstineret, quia merces erant alienæ. Item quia nonnullæ merces distractæ fuerant post inhibitiones, & sequestra, & quod magis est, præsuppositum etiam fuit, vere nullam pecuniam solutam esse, sed apocas continere simplices confessiones sub spe futuræ solutionis, ut ita mercatoribus præcluderetur via agendi ad suorum bonorum recuperationem. Et quando præsupposita essent vera, resolutio non esset injusta, sed dubium est, quod in actis non bene justificabantur.

ANNOTAT. AD DISC. CXXIX.

AD contenta in hoc discursu super securitate ementis in portibus, vel publicis emporiis, conferunt, quæ habentur *sub titul. de empt. & vend. disc. 13. & 42.* ac etiam *sub tit. de credit. disc. 22.*

Et de emente rem furtivam, an, & quando ex æquitativa exceptione de utili in rem verso, seu negotiorum gestorum repetat pretium ab ipso solutum, conferunt ea, quæ habentur *sub tit. de usur. disc. 5. & dict. disc. 13. de empt. & vend.*

ROMANA, SEU CIVITATIS VETULÆ STATERÆ
PRO JOSEPHO ROGERIO PONDERATORE POPULI ROMANI
CUM COMMUNITATE CIVITATIS VETULÆ.

Casus decisus per Thesaurarium, & Cameram ad favorem ponderationis.

De materia ponderum, & mensurarum, ac jure privativo alicui Communitati competente ponderandi, vel mensurandi merces in loco contractandas. An illis subjaceant forenses, præsertim in Portu ementes, & vendentes. Et an hoc dicatur species vectigalis, & gabellæ. Et aliqua de immunitate portus.

SUMMARIUM

1 *Facti series.*
2 *Ponderum, & mensurarum usus, utpote publico commercio necessarius, de jure divino damnatus est.*
3 *Idem de jure canonico, & civili.*
4 *Jus adequandi, & retinendi pondera, & mensuras, computari solet inter Regalia competentia Principi, vel Civitati.*
5 *De inventione ponderum, & mensurarum remissive.*
6 *Introductio juris privativi ponderandi, vel mensurandi, an sit rationabilis.*
7 *Dictum jus privativum competens Civitati, procedit inter cives, & incolas, non autem cum forensibus.*
8 *Portus Civitatis Vetulæ ex indulto Apostolico est exemptus ab omnibus gabellis, & oneribus.*
9 *Jus privativum est species vectigalis, & gabella.*
10 *Portus dicitur de Regalibus majoribus Principi competentibus, & alia dicuntur vectigalia, & onera, quæ in portu exiguntur.*
11 *Barones, vel inferiores Civitates non habent jus portus, nisi ex Privilegio, vel immemorabili,*

DISC. CXXX.

POpulus Romanus quamdam habebat stateram *grossi pon-*
deris nuncupatam, importantem utilitatem emptori 1
quatuor pro centennario, ut supra in Romana Gabellæ stateræ *disc. 85.* Quia tamen, tam respectu gabellæ super ea existentis, quam ex eo, quod illius usus diligenti personæ in officium concedi soleat, exteri mercatores illam magis commodam, & fidelem judicant. Hinc propterea, ut plurimum, antequam ad portum Civitatis Vetulæ accedant, in ipsismet eorum regionibus, per litteras cum corresponsabilibus Urbis, pascisci solent de mercibus ponderandis cum dicta statera, cum qua, cessante etiam dicta præcedenti conventione, in ipsomet portu libentius vendunt, prout etiam libentius Mercatores Urbis emunt, unde aliqua navi mercibus onusta ad portum appulsa, vocari solet ab Urbe Ponderator Populi ad mercium ponderationem cum dicta statera faciendam. Cum autem Communitas Civitatis Vetulæ suam pariter haberet stateram, quam in officium, seu appaltum, cum jure privativo ponderandi sub certa pensione, seu emolumento concedere solet, ideoque prætenderet prohibendum esse dictum Populi ponderatorem, ne in suo Territorio in præjudicium dicti juris privativi hujusmodi ponderationem faceret, orta desuper controversia coram Thesaurario.

Pro Urbis Ponderatore scribens (cum sensu etiam veritatis, ita ipsomet judice Me requirente) credebam u-
traque partem discretive, & juxta diversos respectus, bo- 2
norum jus fovere. Cum enim in ponderum, & mensurarum adæquatione multæ fraudes committi soleant, atque publica utilitas, quinimo commercii necessitas ponde-
rum & mensurarum justitiam requirat, adeout etiam de 3
jure divino id demandatum habeamus, Deuteron. *cap. 25. Proverb. 16.* & ibi, *nec erit in domo tua modius major, & minor*, & ibi, *pondus habebis justum, & verum*, & ibi, *modus æqualis, & justus sit tibi*. Quod etiam de jure Canonico statutum habemus *in cap. 2. de emptione & venditione*. Atque de jure civili *in l. modios 9. Cod. de susceptoribus, & arcariis lib. 10. & in auth. de Collatoribus, §. eos autem circa finem*, præcipit in unoquoque loco, vel Civitate, in Ecclesia, vel loco publico, justum pondus, & justam mensuram conservari, ex quibus alia regulari valeant.

Hinc

Hinc fere ubique, vel per leges particulares, vel per
4 consuetudines, inductum est jus privativum penes Principem, vel Baronem, seu Civitatem, adequandi pondera, & mensuras, easque retinendi, atque hoc jus inter Regalia computari solet, ut bene Guidopapa *dec. 490.* quæ reputatur in materia magistralis, & notant Afflict. *in Constit. Regni* ad legitima tempora, *& in Constit. Mercatores*, Niger. *in cap. Regni inter prædicti 65.* Bovadil. *in politica*
5 *lib. 4. c. 30. num. 33.* Cyriac. *contr. 131. num. 3. & 4.* Flamin. de Rubeis *consf. 69 n. 26. cum seqq. vol. 2.* ubi etiam erudite agit de ponderum, & mensurarum inventione, de qua agunt quoque Alciat. *in tract. de ponderibus, & mensuris*, & Borell. *in magistratum edictis lib. 3. c. 15.*

Prout in praxi videmus in Urbe, Præfecto Siclæ, & Populi Magistratui privative injunctum esse jus adæquan-
6 di pondera, & mensuras, necnon jus ponderandi merces venales in summa notabili excedente libras 50. in dicta specie stateræ grossæ, nonnisi ponderatori ab eodem Populo deputato competere, ut *disc. 85.* dictique juris privativi introductio non videtur a duplici boni ratione extranea, ne scilicet ex generica mensurandi, seu ponderandi libertate, fraudes comminantur, præsertim cum exteris, qui de loci, ponderum, & mensurarum usu informationem non habent.

Ex qua ratione, ad exemplum Urbis & Populi Romani, recte ex consuetudine potuit etiam in Oppido Cen-
7 tum Cellarum, seu Civitatis Vetulæ hoc jus privativum ponderis, & mensuræ introduci, ut nonnisi uni personæ per Communitatem deputandæ competeret. Verum hoc restringendum esse dicebam inter cives, & incolas, seu alios ejusdem Communitatis subditos, quorum respectu recte verificabantur instrumenta appaltuum aliæque probationes, ex quibus Communitas suum jus, & possessionem justificare prætendebat.

Secus autem respectu portus, ac mercium, quæ ab
8 omnibus mundi partibus per mare ad portum appellant, ibique, vel in eisdem navibus, vel in repositoriis occasione contractationis ponderantur. In hoc enim prorsus vanam dicebam Communitatis prætensionem, tum ex amplissimo privilegio huic portui concesso per Urbanum VIII. per quod sublatis omnibus, & quibuscumque vectigalibus gabellis, & oneribus, omnimoda franchitia, & exemptio conceditur, cum hujusmodi jus privativum ponderandi merces cum una solum statera per quemdam Officialem tenta, utpote tollens naturalem libertatem sit species servitutis, vel oneris, quinimo species vectigalis, ex deductis per Menoch. *de arbitr. casu 569.* Galeit. *respons. fiscal. 10. n. 39.* Rovit. *dec. 17. n. 5.* Farinac. *in fragm.*
9 *verbo Monopolium*, ac habetur in dicta Romana Gabellæ stateræ *disc. 85.* Quod etiam in specie probatur ex eisdem appaltibus a Communitate productis, in quibus dicitur, concedi *gabellam stateræ, seu juris ponderandi*, unde liquet hoc jus habitum fuisse inter gabellas, & emolumenta publica.

Tum clarius, quia circumscripto etiam privilegio, attentaque sola juris dispositione, potius dicitur de ma-
10 joribus Regalibus Principi competentibus, & sub ejus immediata jurisdictione, gubernio, & protectione existentibus, ideoque vectigalia, & quæcumque onera, quæ in portu exiguntur, dicuntur de Regalibus majoribus, soli Principi competentibus, ut clare disponitur *in cap. 1. quæ sunt Regalia*, ubi Andreas, Alvarot. & cæteri, Capyc. *in investitura feudali, verbo* portubus, Frecc. *de subfeudis lib. 1. tit. de offic. magni admirati, num. 26. cum seqq.* Loffred. *cons. 24. in princ. & per tot.* Borell. *in tract. de præstantia Regis Catholic. 9. n. 1. & n. 60. cum seqq.* Aponte *de potestate Proregis tit. 10. de diversis provisionib. rubr. de portu num. 1. cum seqq.* Apud quos habetur, Barones, vel inferiores Communitates jus portus non habere, nisi ex Principis Privilegio, vel accedente immemorabili, cujus
11 vigore privilegium, & quicumque alius titulus de mundo melior allegari potest. Quorum neutrum in casu, de quo agitur, justificabatur, & quatenus justificaretur, sublatum remanebat ex dicto novo exemptionis privilegio per Urbanum concesso, per quod expresse omnia, & quæcumque onera revocantur.

Ac propterea etiam in sensu, sententiandum esse, non quidem ad favorem ponderatoris Populi Romani, ut sibi licitum esset in portu cum ejus statera ponderare, (ut in hac parte forsan non bene factum fuit, unde propterea id non levem dubitandi ansam præbuit in gradu appellationis in Camera,) sed pronunciandam esse ad favorem mercatorum, & quorumcumque in portu merces contrectantium, ut juxta ejusdem portus libertatem, eis licitum esset merces ponderare cum illis stateris, & ponderum speciebus, quæ partibus visæ essent, dummodo sint pondera legitima, & probata auctoritate Superioris, qualis est Syclarum Præfectus, itaut esset in mercatorum arbitrio uti dicta statera Communitatis, vel illa Populi Romani, seu quacumque alia, Superioris approbationem habente, quoniam alias portus sibi concessa exemptione, & libertate potiri non diceretur, atque esset dare in subdita Communitate jus exercendi jurisdictionem in portu, ita dupliciter sibi usurpando Regalia majora, vectigalis speciem ab exteris, & non subditis in portu exigendo, quæ omnia juris dispositioni adversantur. De hac autem materia ponderum, & mensurarum agitur in dicta Romana gabellæ stateræ *disc. 84.* ac in Ferrarien. datii, & Urbinaten. pretii salis *disc. 82. & 111. seu 114.*

NAZARENA PEDAGIORUM, SEU NUNDINARUM

PRO DUCE REGINÆ

CUM ARCHIEPISCOPO NAZARENO.

Casus pendet in Rota indecisus.

Facta per Principem sæcularem concessione juris nundinarum alicui Ecclesiæ, An exemptio a vectigalibus, & pedagiis competere dicatur mercatoribus ad hujusmodi nundinas accedentibus jure Ecclesiasticæ immunitatis, & an hæc violari dicatur per vectigalium, & pedagiorum exactionem, & de franchitiis, & exemptionibus competentibus in nundinis & mercatis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Jus exigendi pedagia est de Regalibus, & a privato non possidetur, nisi ex privilegio, vel immemorabili.*
3 *Castra, & jura etiam Regalia donata per Principes Ecclesiis fiunt bona Ecclesiastica, & num. 7.*
4 *Nundinæ sunt de regalibus, & non competunt nisi ex privilegio, vel immemorabili.*
5 *Inter privilegia nundinarum est illud exemptionis a vectigalibus.*
6 *Princeps non revocat privilegia, & jura concessa Ecclesiæ.*
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 3.*
8 *Multæ nundinæ sunt Ecclesiarum.*
9 *Privilegium exemptionis nundinarum, de quibus vectigalibus intelligatur.*
10 *Pedagium solvitur per vectorem ratione vecturæ.*
11 *Qua ratione exigatur pedagium, seu gabella passus.*
12 *Quale interesse non habeatur in consideratione circa immunitatem Ecclesiasticam.*
13 *Clerici negotiatores pro mercibus non sunt immunes.*
14 *Quando Ecclesiæ, vel Ecclesiastici teneantur ad hujusmodi pedagia, seu gabellam passus.*

D I S C. CXXXI.

ARchiepiscopo Nazareno ab ejus Cathedra, & Diœce- 1
si, utpote ab infidelibus occupata, profugo Sedes Apostolica Ecclesiam concessit sub titulo S. Mariæ de Nazareth in insigni Oppido Barolitano Tranen. Diœcesis, ubi Sedem fixam habere posset, eidemque tractu temporis univit Ecclesias Cathedrales, Cannen. & Montis Viridis, cum plerisque privilegiis, jurisdictionibus, & prærogativis, de quibus in Nazarena Jurisdictionis *sub tit. de Jurisdictione disc. 20.* & per Ughellium 7. t. Italiæ Sacræ, ubi de hac Ecclesia tractat. Cumque ad Solemnitatem B. Mariæ in die Annunciationis, nedum ejusdem Oppidi, sed aliorum adjacentium locorum incolæ cum magna devotione concurrerent, Hinc proinde Rex Ferdinandus Primus de anno 1458. privilegium concessit nundinarum, quarum jurisdictionem, administrationem, & emolumenta dictus Archiepiscopus haberet cum officio Magistri nundinarum, ac immunitatibus, exemptionibus, & privilegiis, quibus potiri solent aliæ publicæ nundinæ, quæ in Regno celebrantur. Cumque de anno 1495. per Regem Alphonsum Secundum concessum fuisset in feudum Leonardo Como ejus Scribæ, & Consiliario jus exigendi pedagium,

gium, vulgo *passo*, a transeuntibus, prius per Regiam Curiam exigi consuetum in ponte Cannarum prope dictum Oppidum Baruli, satis celebri ob excidium, quod Exercitus Romanus ab Annibale ibi passus est. Atque Dux Regina de familia Calcosa, nepos ex filio Fabii, auctoris controversiarum, responsorum fiscali, ex dicto Leonardo descendens, in hujusmodi juris, seu pedagii possessione esset; ejusque ministri, seu affictuarii indefinite illud exigerent a quibuscumque, etiam illis, qui ad prædictas ibi satis proximas nundinas accedere profitebantur, prætendere cœpit Archiepiscopus, id aversari Ecclesiasticæ immunitati, unde propterea præfatos ministros, seu affictuarios, tamquam dictæ immunitatis violatores excommunicavit, sed interposita appellatione ad Sanctissimum, & commissa per breve causa Episcopo Bituntino, hic dictas Censuras revocavit, unde Archiepiscopo recurrente ad Sacram Congregationem immunitatis, eoque solum informante, de mense Martii 1660. prodiit sibi favorabile rescriptum super dicta violatione immunitatis. Verum altera parte recurrente, suaque jura deducente, cognito quod esset causa mere judicialis exigens formalem processum, remissa fuit ad Rotam coram Otalora, & proposita semel causa, absque resolutione, super solo incidenti attentatorum, quæ hinc inde prætendebantur, ulteriorem progressum non habuit, ob supervenientem mortem dicti Archiepiscopi, in cujus locum post biennalem vacationem ad dictam Ecclesiam ad meas preces, meorumque servitiorum remunerationem per Alexandrum VII. de anno 1667. translato Francisco Antonio de Luca Episcopo Anglonen. mihi benevolentia plusquam fratre conjuncto, huic consului, quod nisi melius fundarentur jura Ecclesiæ, abstineret a prosecutione hujusmodi litis; quæ mihi scribenti pro dicto Duce, parum probabilis videbatur.

Non dubitabatur enim de competentia dicti juris exigendi hoc pedagium, quod est de Regalibus, non obti-
2 nendum, nisi per habentes hoc jus ex Principis privilegio, vel ex immemorabili, quæ eidem privilegio æquipollet, cum doceretur de dicta Regia concessione in feudum, cum subsequuta observantia pluries canonizata, & demandata per Regiam Cameram Summariæ. Et quod magis, ad occurrendum fraudibus, & extorsionibus, quæ per hujusmodi pedagiorum, & passuum exactores, vel affictuarios committi solebant, ex generali Regia provisione in toto Regno, de anno 1570. præscripta fuit taxa insculpta in marmore ad favorem epitafii in eodem ponte, seu loco, in quo exactio fieri solet. Et nihilominus id deducebatur ex abundanti, quoniam cum, ut dictum est, jus exigendi hujusmodi pedagia sit de Regalibus supremo Principi reservatis, ad istum, ejusque Magistratum, & Officiales pertinet inspicere, an illa per privatos ab ipsius Regis subditis exigi possent, necne. Unde cum, iisdem Regis Officialibus scientibus, approbantibus, ac demandantibus, publice, & palam hujusmodi exactio fieret, prorsus extraneum, ac inanem laborem dicebam illum scribentium hinc inde, super hujusmodi juris competentia, de qua inspicere non pertinebat ad istum judicem Ecclesiasticum, cujus partes tantum erat agendi de censuris, quarum causa per appellationem commissa erat, quod pendebat a puncto violationis Ecclesiasticæ immunitatis, an adesset, necne.

Quatenus igitur ad istum punctum pertinet, scribentes pro Archiepiscopo insistebant in generalibus, late deductis
3 per Spad. *cons. 5. & 6. lib. 1.* quod scilicet ea, quæ per Reges, & Principes sæculares Ecclesiæ conceduntur, etiamsi sint castra, & bona jurisdictionalia, seu alias jura Regalia, & de sui natura laicalia, efficiuntur Ecclesiastica, atque ut nostri dicere solent, *Sancta Sanctorum*, ut in proposito deductum habetur in Lucana jurisdictionis, seu Imperii *sub tit. de feud. disc. 60.*

Ideoque admittentes quod nundinæ sunt de Regali-
4 bus, ac Principi reservatis, exigentibus proinde vel ejusdem Principis privilegium, vel immemorabilem illi æquipollentem, cum ejus vigore quilibet titulus de mundo melior allegari valeat, ad text. *in l. 1. ff. de nundinis, l. 1. Cod. eodem*, ubi Bald. Salyc. & cæteri, de quibus late Borell. *de præstantia Regis Catholici, c. 36. n. 11. & seqq.* Apont. *de potestate Proregis tit. de divers. provis. rubr. de mercat. secundinis n. 1.* Rippoll. Christin. & cæteri de quibus in Imolen. nundinarum *disc. seqq.* Attamen dicebant, quod penes Ecclesiam effectæ erant Ecclesiasticæ, & successive, quod earum perturbatores, seu violatores dicerentur Ecclesiasticam immunitatem violare. Ipsæque nundinæ perturbari dicuntur eo ipso, quod ab accedentibus ad eas, vectigalia & pedagia exiguntur, cum inter nundinarum privilegia collecta per Borell.
dict. cap. 36. sit istud exemptionis a vectigalibus, & pe- 5
dagiis.

Nec refert dicebant quod pedagii exactio fieret ex privilegio, & auctoritate Regis ejusque Officialium quoniam Princeps sæcularis revocare non potest ea bona, seu jura, & privilegia, quæ Ecclesiæ concessit, utpote effecta de diverso jure, & dominio, etiamsi expresse diceret, transcribendo cum copiosis allegationibus ea, quæ desuper collecta habentur per Thom. del Bene *in tract. de immunit. tom. 1. par. 1. dub. 2. sect. 2. num. 7. & num. 16. cum seqq.* ubi quod privilegium concessum non subditis
transit in contractum irrevocabilem, multo magis, ubi 6
expresse non dicitur, cum tunc, regulando voluntatem a potestate neque volitum præsumatur.

His tamen non obstantibus, reflectendo etiam ad ve-
ritatem, contrarium dicebam probabilius esse. Quidquid 7
enim sit de veritate dicti assumpti, quod scilicet jura Regalia ex Principis largitione ita fiant Ecclesiastica, quod ab ejusdem Principis alto dominio, & suprema potestate exempta fiant, quod saltem de facto, & in praxi non transit absque magna difficultate, ubi præsertim non assistit, sed potius resistit observantia, cui satis in proposito deferendum est ex iis, quæ habentur deducta in dicta Lucana jurisdictionis, seu Imperii *sub tit. de feud. disc. 60.* Et quæ observantia in contrarium urgere videtur quoniam
major pars nundinarum Regni, utpote introductarum oc- 8
casione devotionis, ac solemnitatum, ex Regiis privilegiis pertinet ad Ecclesias, earumque Prælatos, Capitula, vel Monasteria, nedum quoad emolumenta bursalia, sed etiam quoad jurisdictionalia, facultatem scilicet deputandi Magistrum nundinarum, aliosque Officiales, licet in hoc privilegia non sint conformia, cum in plerisque, jus, seu dominium Ecclesiæ sit quoad emolumenta tantum, non autem quoad dictam facultatem, & jurisdictionem. Et nihilominus juxta inconcussam observantiam nundinæ prædictæ, earumque Magistri & Officiales, quoad concernentia laicalia, tam in personis, quam in bonis, ipsi Regi ejusque Officialibus subjiciuntur.

Adhuc tamen prædicta percuterent casum, in quo ageretur de revocatione ipsarum nundinarum, earumque pri-
vilegiorum, quia nempe exigi vellent in istis nundinis illa 9
vectigalia, & pedagia, quæ in aliis nundinis non exiguntur, ita ut laicalis provisio esset in odium Ecclesiæ, in ejusque præjudicium, directe, vel indirecte tenderet. Quod in præsenti dici non poterat, illa enim exemptio, quæ juxta communem usum, præsertim in Regno, conceditur in nundinis, percutit illa vectigalia, & onera, quæ alias extra tempus nundinarum in eo loco per mercatores, & negotiatores ratione introductionis, vel contractationis mercium sub nomine dohanæ, seu plateæ, seu alio vocabulo solvi solent, non autem ea pedagia, quæ in itinere per pontes, scaphas, vel alia loca, potius ratione transitus
materialis, quam ratione introductionis, vel contractatio- 10
nis mercium solvuntur, quoniam ista, ex iis, quæ habentur in Romana gabellæ ferri *hoc eod. tit. disc. 63.* juxta doctrinam Bart. *leg. 1. §. hoc titulus num. 7. ff. de public. & leg. cum plures, §. vehiculum, ff. locati, & conducti*, solvuntur potius a vectoribus, quam a dominis.

Ea etiam ponderata ratione, quod hujusmodi pedagia, seu passus, introducta fuerunt, ac exigi consueverunt, pro expensis refectionis, vel custodiæ illius pontis, vel
loci. At etiam, quia non exiguntur ratione accessus ad 11
unas, vel alias nundinas, sive ad unum, vel alterum locum, sed indefinite ob illum actum passus, seu transitus materialis, non curando ad quem locum transeuntes accessuri sint. Et sic vectigal non percutit ipsas nundinas, earumque particulare privilegium, quod ita intactum remanet, neque Ecclesia dici potest præjudicata, seu de suo damnificata per ejusmodi oneris solutionem. Licet enim considerari posset quoddam remotum interesse majoris concursus negotiantium ad hujusmodi nundinas, quando nedum in ipso loco, sed per omnia passus, & in toto itinere negotiantes essent immunes. Nihilominus illud videtur quoddam interesse nimis remotum, & accidentale, non habendum in consideratione, quoniam interessatæ etiam dici possunt Ecclesiæ in omnibus oneribus, quæ per Principes laicos imponuntur eorum subditis, qui ita pauperiores, ac minus potentes effecti, dare

non

non possunt illas eleemosynas, & oblationes, quas alias darent, cum similibus indirectis, & remotis præjudiciis, in consideratione non habendis. Stante etiam contraria praxi, & communi consuetudine, quia accedentes ad nundinas, præsertim publicas & magnas, a Metropolitica Civitate Neapolis, seu aliunde cum mercibus, plurium dietarum iter habent, atque per plures hujusmodi passus pertranseunt accessuri ad plures nundinas, & de una in alteram, sive de una ad alteram Civitatem, vel locum pro contractandis mercibus, quæ in nundinis venditæ non essent, unde dicta exemptio esset impracticabilis. Ideoque nundinarum exemptio intelligitur de oneribus in ipso loco, extra illarum tempus ferri solitis. Cumque transitus per istum pontem sit communis duabus, vel tribus Provinciis, non pertinet ad gabellarium inquirere unde transeuntes veniant, & quo vadant, sed solum attenditur ipse transitus materialis.

Illud etiam considerando, quod neque clerici & personæ ecclesiasticæ in mercimoniis, ac bonis, quæ negotiationis causa trasvehuntur, seu contractantur, sunt immu-
13 nes a vectigalibus, aliisque oneribus, ad text. *in c. quamquam, de censibus in sexto, Clementina præsenti, eod. tit.* Canonistæ communiter collecti per Bellet. *disquis. Clerical. tit. de Clericorum exemptione a muneribus*, §. 4. *n.* 1. Igitur nil dicebam commune habere in proposito Ecclesiasticam immunitatem cum isto casu, in quo immunitas, seu exemptio provenit ex mero privilegio laicali, quod proinde intelligendum est, prout intelligit & practicat ipsemet Princeps, qui privilegium concessit.

In proposito item hujusmodi pedagii, seu oneris solvendi ratione transitus per aliquem locum, concorditer consul-
14 tus de anno 1665. in Civitate Neapolis per agentes Principis Ludovisii, Domini passus Montisfusculi, seu Venticani, spectantis ad Statutum, seu Principatum Venusinum, & agentes Collegii Romani Societatis Jesu; An scilicet deberetur dictum pedagium pro frumento, quod a feudis ejusdem Collegii in Apulia asportatur ad dohanas Avellini & Atripaldæ, sive ad Civitatem Neapolis. Tanquam utriusque partis in Curia Advocatus & benevolus respondi: Quod, aut agitur de illo pedagio, quod nulla habita ratione valoris, & qualitatis mercium in summa uniformi solvitur, ex sola ratione transitus materialis pro quolibet animali onusto, & tunc istud non debeatur pro animalibus propriis ipsius Collegii, sed bene pro illis vectorum, qui juxta frequentiorem usum pro certa mercede frumentum de loco ad locum asportant, cum hujusmodi onera spectent ad ipsos vectores, non autem ad mercium dominos, juxta dictam doctr. Bart. *& habetur in d. Romana gabellæ ferri, disc.* 63. unde propterea nihil Ecclesiæ interest, neque in eo aliquo remaneret damnificata, cum sufficiat solvere consuetam mercedem. Secus autem ubi agitur de illo onere, quod solvitur ratione mercium, & juxta earum qualitatem, vel valorem, cum illud pertineat ad dominum, non autem ad vectorem, ideoque Ecclesia debet esse exempta, cum hujusmodi frumentum collectum in propriis fundis transportetur de loco ad locum gratia facilioris, & melioris esitationis, unde dici non potest mercatura, in cujus casu, pro frumento scilicet empto in Apulia, ad effectum revendendi in alio loco, etiam Collegium teneri deberet. Et licet respectu dicti oneris solvendi per vectores dici possit, quod illud indirecte solvi dicatur per Ecclesiam, quæ alias minorem solveret vecturam, nihilominus illud dicitur interesse potius lucri de alieno, quam damni de proprio juxta distinctionem, de qua in Mantuana, seu nullius exemptionis *disc.* 53. *& in aliis hoc eod. tit.*

ANNOT. AD DISC. CXXXI. & CXXXII.

IN materia nundinarum, juxta ea, quæ in his discursibus habentur super conclusione, ut nundinæ sint de Regalibus, pluries in facti contingentia, præsertim in una Recanaten. dicere consuevi, quod Regalia consistunt in illis qualitatibus, quæ vere, & propriæ contradistinguunt nundinas publicas, & solemnes, ab aliis nundinis privatis, quas ad differentiam, vulgo, appellamus Mercatus, juxta distinctionem, de qua in his discursibus, & in auctoritatibus ibi relatis circa immunitatem, scilicet, a Dohanis, aliisque vectigalibus, ac etiam circa alia privilegia, quę præter, vel contra dispositionem juris competere solent emptoribus, & venditoribus, aliisque negotiatoribus, ut
2 ad constituendam primam speciem nundinarum publicarum, cum prædictis, & aliis privilegiis, requiratur privilegium Principis, quodque id sit de Regalibus; cum illa jurisdictione, & summaria cognitione causarum, de qua plene agit Marant. *in specul. seu prax. verb. ut judicium mercatorum*, & advertitur *tit. de Judic. disc.* 42. recensendo processus, seu causas executivas. Secus autem pro secunda specie mercati privati, occasione alicujus festivitatis, vel alterius concursus populi, cum tunc catenus non liceat facere privata auctoritate hos mercatus sine licentia Gubernatoris, vel alterius judicis ordinarii loci sæcularis, vel respective Ecclesiastici, juxta qualitatem dierum feriatorum, & non feriatorum, in quibus illi fiant, vel utriusque etiam in diebus feriatis, quatenus ad alios effectus dicta licentia requiratur superioris, scilicet, Ecclesiastici ob contrectationem in die festivo, & sæcularis ob prohibitas adunantias, ex quibus inconvenientia resultare possunt, juxta ea, quæ de conventiculis in jure disponuntur, sed hoc non est de Regalibus, cum pertineat ad quemcumque judicem inferiorem ordinarium loci. Ideoque magna differentia est inter unam speciem, & alteram. Est bene verum, quod ista dici meretur una ex materiis incapacibus regulæ certæ, & generalis, dum Regionum, seu Principatuum leges, vel styli, quibus principaliter defetendum venit nimiam diversitatem habere videntur. Ac propterea intrat consuetus error procedendi cum generalitatibus, vel attendendi auctoritates, & doctrinas in sola littera, earumque arithmetico cumulo, vel consarcinatione, non distinguendo loca, & tempora, aliasque circumstantias, cum quarum præsupposito, diversarum Regionum scriptores loquuntur, quoniam stant bene simul, quod omnes bene loquantur, & tamen, quod male aliqua applicentur.

IMOLEN. NUNDINARUM PRO FRANCISCO MONTANO CUM COMMUNITATE....

Causa pendet in Camera.

De nundinis, seu mercatis, an fieri possint absque auctoritate Principis. Et an concessio loci nundinarum, facta per Principem importet jus privativum & necessarium, itaut mutari non possit.

Et de foro in quo hujusmodi quæstiones cognosci debent.

S U M M A R I U M

1 *FActi series.*
2 *Causa in quibus Fiscus habet interesse, cognoscenda sunt in Camera.*
3 *Nundinæ, seu mercatus sunt de regalibus, & non possunt fieri, nisi de Principis concessione.*
4 *Quid, de mercatis fieri solitis singulis hebdomadis, vel mensibus.*
5 *De privilegiis, exemptionibus, & prærogativis nundinarum.*
6 *An locus nundinarum possit mutari.*
7 *Loca publica Principis, quæ sunt in communi usu, si uni concedantur, desinit usus.*

D I S C. CXXXII.

QUemdam locum, seu situm de dominio Cameræ Apostolicæ, in quo nundinæ singulis annis celebrari 1
solebant, Urbanus VIII. concessit Christophoro Roncorio, alias in ista Curia eximio Advocato, tunc Subdatario, ad effectum, ut ibi constituerentur casulæ, seu capannæ pro usu mercatorum, & aliorum ad nundinas accedentium. Cumque orta esset controversia inter dictum concessionarium, & Communitatem loci . . . . in cujus territorio hujusmodi nundinæ fiunt, atque situs est locus concessus, An aliis dictas clausulas facere possent. Idem Urbanus per alias litteras declaravit se fecisse dictam concessionem cum jure privato faciendi dictas clausulas, seu capannas. Devoluto autem per mortem dicti Christophori præfato loco ad Cameram, ab ista per consimilem investituram emphyteuticam concessus fuit Francisco Montanario, quo parante pro minori sumptu, ac majori commoditate, dictas casulas, seu capannas in forma domorum, ne ita de facili perirent, dicta Communitas prætendens ad se spectare jus nundinarum, earumque jurisdictionem, & administrationem, ut hujusmodi concessionem eluderet, prætendere cœpit immutare locum,

atque

atque in altera ejusdem territorii parte nundinas prædictas celebrare, ipsaque recurrere ad Congregationem Boni Regiminis, in qua, utpote in dubio Communitatibus favorabili, expedit earum causas tractari assumpta disputione, & cognito non esse de causis ipsi Congregationi congruis, illa remissa fuit ad Tribunal Cameræ, ubi pendet.

In hujusmodi autem disputatione principaliter actum fuit de fori competentia, & remissione dictæ causæ ad dictum Tribunal Cameræ, ob Fisci, seu Cameræ Apostolicæ interesse. Incidenter vero, ac ad emendum finem, juxta consuetum stylum, summatim & pro gustu, deducta fuerunt concernentia merita negotii principalis, & jus Regale nundinarum, seu mercatorum, cum exinde resultaret quoque interesse Cameræ, cujus ratione ad dictum Tribunal causa remittenda erat.

De jure siquidem omnes causæ, quæ directe, vel indi-
2 recte percutiunt interesse Fisci, cognoscendæ sunt coram Procuratore Cæsaris, cujus loco successit hodie illud Tribunal, quod ubique Cameræ dicitur, ex deductis per Peregr. *de Jure Fisci lib.7. tit.1.* Franch. *dec.132.* ubi in proximis terminis controversiæ inter Communitatem, & feudatarium, seu ab eo causam habentes, Rovit. *pragm.62. de off. Procuratoris, Cæsaris.* Marches. *de commiss. par.1. fol.158. n.63.* Clarius vero, in Urbe, & Statu Ecclesiastico ob Constitutionem nonam Pauli III. ita expresse disponentem, & per quam cessat quæcumque dubitandi occasio.

Dupliciter autem Fiscus, seu Camera in hujusmodi controversia interessata erat; Primo, quia cum hujusmodi situs esset de ejus directo dominio, sua principaliter intererat, nundinarum locum non immutari, cum alias idem situs inutilis remaneret, unde in casu devolutionis novum emphyteutam non inveniret cum tantis canonis solutione. Quinimo etiam ipsa Investitura durante ob immutatum rei statum, posset emphyteuta se prætendere ab obligatione exemptum, ut de interesse Fisci in re Feudali ob casum devolutionis habetur apud Franch. *d. dec.* 132.

Et secundo, quia nundinæ sunt de Regalibus, ac Principi
3 reservatis, neque celebrari possunt absque ejusdem Principis privilegio explicito, vel consuetudine immemorabili, cujus vigore quicumque titulus de mundo melior allegari valeat, ut text. *in l.1. ff. de nundinis, l. unica C. eod.* ubi Bald. & cæteri, de quibus Natta *cons.511. & seqq.* ubi late de materia Franch. Marc. *dec.53. repet. dec.513. & dec.415.* Borell. *de præstantia Regis Catholici 36. n.11. & 12. ubi n.1. & seqq.* juxta consuetam eruditionem agit de usu Romanorum circa nundinas, Apont. *de potest. Prorog. tit. de mercatis, & nundinis n.1.* Ricoll. *de Reg. c.42. n.1. & seqq.* Christin. *dec. Belg. 99. n.3. & seqq vol.3. cons.14. par.1. inter cons. Academ. illustr. & omnes*; Ideoque Fisci, seu Cameræ Principis interest, an Communitas habeat, necne tale jus, quod est ipsius Principis proprium, & peculiare.

Potissime quia non agebatur de aliquo privato mercatu, occasione alicujus solemnitatis fieri solito, sive de illo
4 mercatu, qui singulis hebdomadis circa victualia pro majori commoditate in aliquo determinato loco fieri soleat, quo casu intrat quæstio examinata, per Borell. *dict. c.35. num.19. cum seqq.* an dicatur, necne de Regalibus. Sed agebatur de formalibus, & solemnibus nundinis publicis, semel in anno celebrari solitis, ad quas comprovincialium, aliorumque negotiantium concursus habetur, quo casu indubitatum est, id esse de Regalibus, ob praxim, & usum illorum privilegiorum, quibus potiri solent ad hujus-
5 modi nundinas concurrentes, circa exemptionem scilicet vectigalium, & pedagiorum, necnon assecurationem a repressaliis, aliisque molestiis, quæ in loco privato alias inferri possent; Ac etiam circa summariam cognitionem causarum, & processum executivum inter ipsos negotiantes, juxta plene deducta per Marant. *in praxi, seu speculo*, verbo, *ut judicium mercatorum*, & Borell. *dicto cap.36. n.35. cum seqq.* ubi hujusmodi privilegia recensentur. Et cum qua distinctione observabam decidendam videri dictam quæstionem super mercatibus privatis, ut supra, an scilicet essent de Regalibus, & pernecesse exigerent privilegium Principis, vel immemorabilem, quia si prætenderentur, seu essent in usu dicta privilegia, & prærogativæ nundinarum solemnium peculiares, atque ad istum effectum censerentur de Regalibus; secus e converso, quia tunc essent potius quædam privatæ adunantiæ ementium, & vendentium pro majori commoditate.

Verum, ubi etiam in hac facti specie admittenda esset,
6 ratione longæ consuetudinis habentis vim taciti privilegii, facultas in dicta Communitate celebrandi, & administrandi nundinas prædictas, etiam cum aliqua jurisdictione, quæ per Magistrum nundinarum haberi solet, Adhuc tamen, stante concessione facta per Pontificem de dicto loco cum jure privato ibi faciendi casulas, seu capannas, ad aliam usum non servientes, nisi illum nundinarum cum sensu etiam veritatis, credebam, eidem Communitati illicitum esse, inconsulto Principe, atque in præjudicium ipsius, vel ejus, cui ipse concederet, dictum locum immutare, quoniam eadem antiqua consuetudo dividi non potest, neque eam Communitas ad sui favorem deducere valeat tamquam speciem privilegii, & rejicere ejus qualitatem circa locum, cujus immutatio continet præjudicium ipsius Principis tamquam domini loci, quoniam ita esset multiplicare specialitates, & præjudicia.

Et quamvis ante hujusmodi concessionem, hujusmodi locus haberetur tamquam publicus quasi nullius, itaut
cuilibet licitum redderetur casulas, & capannas construe- 7
re; attamen id provenit ea facultate, seu indulgentia Principis, in cujus libito fuit aliquando tolerare, sed postquam suo jure uti voluit, atque hoc jus privativum alteri concedere, utique licitum non est subditis & inferioribus cum immunitate loci ejusdem Principis factum eludere, ut in Urbe practicamus de mercatu, qui fit singula hebdomada in platea Agonis, & in Campo Boario, cum similibus.

Prætendebatur etiam per Communitatem, quod ista concessio, utpote relativa ad primam factam Ronconio, non contineret jus privativum concessum per alias literas, post annum, & ultra. Verum difficultas tollebatur ex facto quoniam revera secundæ litteræ prodierant potius in declaratione animi Pontificis, & ejus, quod virtualiter, & de jure in prima concessione continebatur, juxta exemplum excussionis grana a spicis, contentum *in l. adeo 7. ff. de acquir. rer. dominio*.

FERRARIEN. EXTRACTIONIS, SEU TRACTÆ PRO RIMBALDESIO APPALTATORE GENERALI FERRARIÆ CUM CAMERA APOSTOLICA.

Casus sopitus pro Concordia.

De tracta concessa alicui Appaltatori, an exerceri possit finito appaltu in frugibus emptis eo durante.

S U M M A R I U M

1 *Facti series.*
2 *Concessa tracta pro uno anno, an suffragetur in alio anno.*
3 *Fallit, ubi adest clausula refectionis.*
4 *Bona serva, & prohibita, si semel effecta sunt libera, semper talia remanent.*
5 *Bona venientia ab extra non subjacent prohibitioni extractionis.*
6 *Libertas extractionis ex pacto concessa viro de fructibus bonorum dotalium, durat soluto etiam matrimonio.*
7 *Quomodo sit practicanda extractio competens appaltatori post finitum appaltum.*
8 *Facultas extrahendi intelligitur, quatenus regionis necessitas non urgeat, & victualia abundent.*

D I S C. CXXXIII.

IN Capitulis initis inter Cameram, & Rimbaldesium
super appaltu generali Ferrariæ, illud inter cætera 1
continetur, ut Appaltatori licitum esset quolibet anno inceptare, ac extra Ducatum Ferrariæ, universumque Statum Ecclesiasticum libere extrahere rubos mille frumenti, & 500. marzatelli ad quemcumque locum, præterquam ad partes infidelium, eo etiam adjecto, quod si dicta tracta in uno anno non exerceretur, uti posset in se-
quentibus; Cum autem in ultimo anno appaltus, facta 2
dicti frumenti, & marzatelli consueta inceptatione, vellet Rimbaldesius, post jam expiratum appaltum dicta extrahendi facultate uti, per Camerales autem, seu successorem Appaltatorem impediretur, Orta desuper controversia in Camera, Pro suæ oppositionis fundamento adducebant Camerales doctrinam Camilli de Curte, relatam per Cancer. *par.3. var. resol. cap.13. de jurib. Castrorum*

rum num. 264. in fin. ubi firmat, quod concessa extractione pro uno anno, si in illo non utatur, non prodest in sequenti. & hoc solum adducebatur in specie; reliqua enim consistebant in regulis generalibus, quod nempe concessum ad tempus, post illud censeatur denegatum, quodque una pars contractus alteram declaret. Unde cum respectu facultatis inceptandi expresse dictum esset, illam concedi appaltu durante, ita pariter intelligi debeat facultas extrahendi, quæ in eodem contractu concessa fuit.

Pro Rimbaldesio autem scribens dicebam, non negari regulam, quod concessa extractione frugum pro uno anno, illa non suffragetur pro sequenti, cum id non solum firmetur per Camillum de Curte, quem simpliciter refert
3 Cancer *loc. cit.* Sed etiam post Apont. *de potest. Proreg. tit. de tractis num. 9.* & Laganat. in addit. ad Rovit. *super pragmaticis in rubr. de extractionibus*; Verum hujusmodi regulam limitari, ubi adest clausula, *refectionis*, quod scilicet, si in uno anno extrahere non potuerit, possit in sequenti, vel sequentibus omnes sibi concessas extractiones perficere, ut bene dictam clausulam explicat Laganat. *loc. cit.* per eadem fere verba in capitulis appaltus contenta; ideoque videbamur versari in casu claro; Nil obstante replicatione, quod hujusmodi clausula intelligi deberet, ut operativa esset infra novennium, in quo appaltus durare debet, secus autem eo jam expleto ex duplici ratione, Prima, quia esset alias conferre suæ facultatis exercitium in tempus inhabile, quando jam suum jus, sive officium expiravit; Altera, quia esset supplantare successorem, ac ita sibi reddere inutilem tractam in primis annis, quia steriles regiones ab hujusmodi Provincia de frugibus provideri solitæ, si ab Appaltatore prædecessore providentur, non curant fruges Appaltatoris successoris, juxta ea, quæ in proposito non permittendi prædecessori exercitium illorum jurium, quæ protrahantur in tempus finiti appaltus, & locatori, seu successori Appaltatori præjudicant, habetur in Romana Bulli alearum, & in Cervien. salium *disc. 79. & 112. & in aliis hoc. tit.*

4 Siquidem ultra propositiones generales a simili applicabiles, quod bona alias serva, & prohibita, si semel effecta sunt libera, semper talia remanent, ad text. *in l. cum Pater, §. 15. de legat. 3.* cum concord. per Rovit. *dec. 5. num. 7.* Fusar. *de substit. quæst. 531. num. 90.* Fontanell. *de pactis clausula 5. gloss. 1. par. 2. num. 49. & seqq.* Merlin. *de legit. lib. 3. tit. 1. quæst. 9. num. 45. & seqq.* Rot. apud eumdem *dec. 131. num. 7. & 192. num. 43. cum seqq.* ubi de bonis fideicommissariis semel a fideicommisso extractis, ut semper libera remaneant, de quo in Fanen. fideicommissi, & in aliis in sua materia *sub tit. de fideicommissis, & sub altero de dote*, sic a pari, dum hujusmodi frugum quantitas, appaltu durante incepta, extractionis libertatem acquisivit, semper eam retinere debeat.

5 Magis proxime ad speciales terminos extractionis de bonis, quæ venerunt ab extra in regionem, ubi adest prohibitio, ut tamquam alias a dicta prohibitione libera, retineant suam naturam, eorumque extractio permissa sit, per text. *in leg. si quis post hanc, Cod. de ædificiis privatis*, firmant Isernia *in rubr. quæ sint regalia post num. 5.* Bartol. de Capua *singular. 136.* Rovit. *super pragmat. in dict. rubr. de extract. num. 4. & 11. & pragmat. 100. num. 3.* plane Phenut. *de momento temporis cap. 31. num. 20.* Cancer. *par. 3. variar. cap. 13. nu. 155.* præsertim *num. 264.* & habetur *disc. 63.* sic in proposito, quia jus libertatis insitum videtur ipsis bonis, quandocumque propterea exercibile.

Habita præsertim consideratione absurdi alias resultantis, quod cum hujusmodi facultas dicatur esse in fructu appaltus, itaut ejus intuitu solvatur pars pretii, seu pensionis, ita in ultimo anno remaneret dicta facultas inutilis, quia cum incepta fieri soleat post recollectam inter mensem Augusti, & Septembris, quando & proxime extractio non est congrua, utpote in tempore proximo recollectæ, dum pro illis primis mensibus quælibet sterilis regio sufficientes fructus producere solet, Appaltus autem terminet in mense Decembris, non solum facultas ita remaneret inanis, sed esse posset damnosa, quod scilicet fruges sub hujusmodi spe inceptatæ remanerent inutiles vel pro viliori pretio in ipso loco vendere oporteret.

6 Hinc si contracto matrimonio dentur viro bona dotalia, habentia privilegium, quod eorum fructus extractionis libertatem, vel aliam immunitatem habeant, si post eos recollectos solvatur matrimonium, non per hoc dicendum videtur, viro competere non debere libertatem, seu immunitatem ipsis fructibus jam impressam, cum similibus.

Bene verum, quod id cum temperamento intelligendum esse dicebam, atque ita tolli absurda, quæ de successoris supplantatione in objectum considerabantur, ut scilicet hujusmodi facultas post terminatum appaltum exercibilis remaneat pro sola quantitate inceptata in eo anno, 7
sive non facta in isto pro altera inceptatione anni præcedentis, itaut unam solam recollectam percutiat, neque detur plurium inceptationum, & collectarum massa, cum qua supplantaretur successio, cui per extractionem solius quantitatis emptæ in ultimo anno, seu in ultima recollecta, quæ judicari non dicitur, cum ipse in ejus ultimo anno idem facere possit, proindeque idem sit effectus, juxta ea, quæ habentur de viro habente in primo anno fundum vacuum, quod in ultimo, etiam dissoluto matrimonio, juxta arithmeticam proportionem plenum habere debet, quia non est percipere fructus in tempore inhabili, & post sui juris expirationem, sed est se reintegrare de fructu, quæ non percipit in primo anno, quando matrimonii onera jam supportavit, sic a pari, quia etiam Rimbaldesius in sui appaltus ingressu idem cum ejus prædecessore passus erat.

Quia tamen ipsa extractio, ob regionis penuriam permittenda non erat, unde tota controversia restringebatur ad defalcum, seu refectionem ejus, quod intererat illam 8
fieri, ita in casu penuriæ expresse disponentibus capitulis appaltus, ac etiam ita juris dispositione suadente, cum hujusmodi facultates semper intelligantur cum præsupposito superabundantiæ, quia non decet proprios agros sitim pati, ut alieni irrigentur ex deduct. in Carpen aquarum *sub tit. de servit.* ideo honesta concordia finem controversiæ dedit.

ANNOT. AD DISC. CXXXIII.

De hac materia tractarum, ut quamvis concessæ sint, non solum ex gratia, & titulo lucrativo, sed etiam ex contractu oneroso, & correspectivo, ut in præsenti, prohiberi tamen possit earum usus, vel exercitium, quando ratio annonæ, seu alia justa causa id exigat, cadente solum controversia super refectione, an debeat esse major, vel minor, habetur actum supra *in annot. ad disc. 44. & 45.* occasione agendi de annona.

In casibus autem contraventionis, quod scilicet victualia, aliaque prohibita extrahantur extra principatum, vel extra provinciam, sive extra privatum territorium loci, juxta varias leges, vel stylos Principatuum, vel Præsidatuum, plures disputari solent quæstiones, & præsertim an possit procedi per inquisitionem, vel sit opus, ut capiantur in fragranti, ac etiam quomodo in hac materia procedendum sit cum Clericis, & personis Ecclesiasticis, & de his agunt Rovit. & Novat. *super pragm. de extract.* Mauson. *in ejus tract. de Contrabann.* & nuper Rocch. *in ejus tract. de offic.* cui officiorum materia deservit solum pro titulo, cum re vera tota circumferatur super ista materia contrabannorum; Adhuc tamen desuper certa regula generalis statui non potest, proindeque digno scitur in hoc idem consuetus error procedendi cum generalitatibus, sive quidquid scriptum reperitur, indefinite applicandi quibuscumque casibus, cum totum pendeat a legibus, & stylis particularibus Principatuum, seu guberniorum.

ROMANA PISCHERIARUM; SEU DEFALCHI.

Casus varii disputati in Rota, & in Camera inter partes, & cum resolutionibus, ut infra.

De Regalia consistenta in pischeriis enunciatis in *cap. unico quæ sunt Regalia*, qualis sit, & in quo consistere dicatur; Et an impedimentum superveniens super consueto usu piscium dicatur percutere substantiam appaltus pischeriarum, vel potius damnum in fructibus, ad effectum defalchi faciendi hujusmodi Regalium Appaltatori, cum aliquibus ad defalchi materiam pertinentibus in hac specie Regalium.

SUM-

SUMMARIUM.

1 De vocabulo Pischetiis *posito inter regalia quid significet, & de illius significatione.*
2 *Facti series.*
3 *Etiam in executivis injustitia admittit appellationem suspensivam, & retardat.*
4 *De regula quod quisque juris, &c. etiam de jure divino.*
5 *Æqualitas de jure servanda est.*
6 *Ubi adest pactum super defalco, non oportet, quod damnum sit intolerabile.*
7 *Dispositio relativa ad aliam, illius jure regulatur.*
8 *Ubi cessat rei substantia, reficitur damnum quale quale sit.*
9 *De differentia inter damnum, quod tempus calamitosum, vel accidentale causat in una, ac altera specie vectigalium.*
10 *Casus dispensationis quadragesimæ de tempore pestis.*
11 *Casus omnino insoliti, & verisimiliter non cogitati non veniunt sub susceptione casuum, & renunciatione restauri, & quando casus dicantur tales.*
12 *Ubi Appaltator impedimentum recipit facto locatoris, agit ad omnem refectionem damni etiam ratione lucri amissi.*
13 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
14 *Alter casus controversiæ super appaltu pischeriæ,*
15 *Si damnum contingit in fructibus quos fundus locatus jam produxit, non intrat restaurum.*
16 *Non petitur defalcum, nisi in fine appaltus, quia anni uberes possunt compensare damnum.*
17 *Refertur resolutio, sed impugnatur, & de ratione.*
18 *Damnosus, & sterilis dicitur annus, si de facto est uber, attamen expensa sunt magna, & n. 21.*
19 *Declaratur conclusio, de qua n. 16.*
20 *Anni pestis, vel belli dicuntur damnosi,*
21 *De eodem, de quo n. 18.*
22 *De alio casu pischeriæ remissive,*

DISC. CXXXIV.

1 Quamvis textus *in cap. unico, quæ sint Regalia in usibus feudorum*, inter jura Regalia enumeret *pischeriis*;
controversia tamen est inter DD. super hujusmodi
verbi intelligentia, vel significatione: Aliquibus, improbabiliter, volentibus esse impressionis mendum, potiusque
dicere debere *pischerias*, idest loca in quibus pix conficitur;
Aliis vero volentibus verificari in illis maris partibus, seu
lacubus, & stagnis, in quibus natura quamdam particularem, ac solito longe majorem liberalitatem exercuit super piscium productione, ut occasione vallium Comaclensium habetur actum in Comaclen. alias Clomacen. vallium *sub tit. de feudis, disc.* 2. ubi de hac Regalia satis agitur, sub ea tamen feudali materia, ob feudales quæstiones in eadem causa cadentes, quasi quod magis dignum
attrahat ad se minus dignum, seu principale trahat accessorium, cum quæstio ibi tractata, num illæ valles piscatoriæ essent juris publici, & de Regalibus, directa esset ad
finem feudi; ibique enunciatur, incongrue hoc vocabulum juris Regalis significativum, adaptari posse illi significationi, quam ei tribuunt regulæ grammaticales, quibus
attentis illud significat locum, in quo pisces venduntur.

Occasione autem controversiæ habitæ in Camera inter
Christophorum Panzerium Appaltatorem dohanæ piscium,
& Appaltatorem generalem dohanarum Urbis, comperit
etiam in ista significatione Regaliam verificari, dum in
Urbe habetur dohana piscium, vulgo *pischaria* nuncupata, super jure exigendi vectigal ex piscibus, qui ad Urbem vendendi vehuntur, pro satis prudenti grasciæ ordinatione in certum locum statutis horis traducendi, ut ibi
pretium constituatur, ut vulgo dicitur *al cottio*. Et sic
est vectigal piscium, adinstar vectigalis aliarum mercium,
quod solvitur pro introductione juxta ea, quæ de hoc vectigali vulgo *dohana* habentur *disc. 65. & 67.* & alibi hoc
eodem titulo.

Suscepto siquidem per Zenobium Baldinottum, in Ur-
2 be negotiatorem, appaltu generali dohanarum, sublocavit iste Vincentio, & Honuphrio de Panzeriis dohanam piscium, quæ vulgo dicitur *pischaria*, pro annua
conventa pensione scut. 22. mil. cum eisdem pactis, &
juribus, cum quibus ipse omnes dohanas a Camera con-

duxerat; Cum autem ob pestilentiam in Urbe, ac pluribus Italiæ partibus grassantem, de annis 1656. & 1657.
dohanæ magnum senserint damnum, obtinuit dictus Dohanerius generalis a Camera defalcum, seu remissionem in
summa scutorum 153. mill. Ipse vero pro dictis annis calamitosis, sequendo exemplum, quod Camera cum ipso servabat, tenuit in suspenso pagas cum dictis subappaltatoribus pro summa scutorum 7500. pro quibus deinde ad
plures annos, cum illo processu summario, & executivo,
qui more Camerali hujusmodi Appaltatoribus conceditur,
obtinuit a Thesaurario Generali mandatum executivum
contra Christophorum, & alios prædictorum subappaltatorum interim defunctorum hæredes, per quos in vim appellationis introducta causa in Camera coram Colonna, datoque solito dubio a decretis Thesaurarii, ex
constitutione 100. Sixti V. alisque Apostolicis provisionibus habentis in facultatibus procedendi executive & appellatione remota, *An & quomodo sit inhibendum*: Cum
hujusmodi dubii resolutio ad favorem appellantis pro retardanda executione pendere soleat ab injustitia, qua concurrente, etiam in executivis & privilegiatis, appellatio 3
suspensiva alias prohibita admittitur; Et ex qua ratione
adeo frequentes disputationes super judiciis executivis habentur in Signatura justitiæ, ac etiam quandoque in illa
gratiæ.

Hinc proinde scribens pro dicto Christophoro, & consortibus appellantibus, injustam dicebam dictam condemnationem, ex fundamento resultante ab omni jure divino, naturali & scripto, stante remissione, quam ex eadem accidentali causa pestilentiæ ipse principalis conductor a locatore obtinuerat in dicta summa, quæ repartita, proportionabiliter, & pro rata, absorbebat summam
controversam, itaut potius in majori, habita debita proportione, istis subconductoribus remissio, seu defalcum
deberetur.

De jure siquidem divino, præcise, ac in individuo, decidirur in Euangelio secundum Matthæum *cap. 18.* ubi de
injustitia & iniquitate damnatus fuit, atque severe punitus 4
ille major servus, qui obtenta a domino liberatione a debito 10. mil. talentorum, suffocabat suum conservum debitorem in centum denariis, quos ille petebat sibi remitti ex eadem causa, seu cum eodem modo, cum quo ipse
major conservus a domino remissionem petierat & obtinuerat; In idem faciente altero Euangelico Oraculo, *quod
eadem mensura qua mensi eritis, metietur & vobis*, cui juri conformat juris positivi, ac etiam naturalis regula, *quod
quisque juris, &c.* ut in rubrica & in toto titulo, *ff. Quod
quisque juris*, ob quam in omnibus correlativis, tam in
judicio, quam extra, generaliter receptum habemus, inter litigantes, vel contrahentes, æqualitatem servandam
esse, ex iis quæ plene colligit Barbosa *axiomate 16.* Rota 5
dec. 232. n. 23. part. 6. recent. Honded. *consil. 29. n. 95. &
seqq. & cons. 59. n. 60. & seqq. lib. 1.* ubi plura colligit favore æqualitatis servandæ.

Clarius vero dicebam hæc procedere, quoniam in hoc
vectigali piscium major urgere videbatur ratio remissionis pensionis, ob dictum accidens pestilentiæ, quam in
alio vectigali mercium; Aut enim remissionem ipse principalis appaltator obtinuit ratione pacti, in cujus casu
non attenditur, an damnum sit intolerabile, necne juxta rigorosos terminos textus *in cap. potuit, & cap. propter
sterilitatem extra locati*, cum ibi notatis, *& in l. licet,
Cod. eodem*, sed ut pactum in aliquo operativum sit ultra juris dispositionem, sufficit tale quale damnum considerabile juxta magistrale *cons. 312.* Angeli admissum
apud Coccin. *decis. 422. cum concord.* in his specialibus ter- 6
minis dohanarum supra *disc. 65.* & in aliis *hoc tit.* ac etiam
in altero de locato, præsertim *disc. 1.* Et tunc eadem ratio assistebat, dum hic subappaltus expresse factus erat
cum eisdem privilegiis, conditionibus & pactis, cum
quibus ipse Appaltator generalis cum Camera contraxerat; Conventio enim, vel qualibet alia dispositio relativa ad aliam conventionem, seu dispositionem, juxta 7
eam in omnibus regulatur, perinde ac si illa inserta esset
in ista de verbo ad verbum, ad regulam text. *in leg. asse
toto, ff. de hered. institut. cum concord.* apud Othobon. *dec.
97. n. 6. decis. 272. n. 4. part. 10. recent.* & ad satietatem
Barbos. *axiomat. 203. n. 1.* ac habetur præsertim frequenter
deductum *sub tit. de fideicommissis* occasione fideicommissorum, quæ ordinata sunt relative ad alia fideicommissa
majorum.

Aut prætendebat ipse principalis Appaltator, quod ob

O im-

impeditum commercium, ita cessasset saltem in parte rei substantia, seu ipsius rei consuetæ usus, quo casu neque damni intolerabilitas attenditur, sed illud quale quale sit reficitur ex deductis per *Boss. de remiss. merced. num.*
8 *104. cum seq.* Surd. *cons.* 400. *num.* 26. *& seq.* Mastr. *dec.* 299. *num.* 111. *& 116. cum seqq.* Venturin. *cons.* 15. *n.* 7. cum aliis juxta consuetam nauseam cumulatis per Amat. *resol.* 18. *num.* 22. ac habetur in terminis dohanarum occasione belli humani *dicto disc.* 65. & occasione appaltus salis damnificati ob hoc idem accidens pestilentiæ *supra disc.* 105. & in aliis *hoc eod. tit.* & in damno subappaltus, ostiarum ob hanc eandem pestem Contrius *contr.* *99. num.* 7. Et tunc ista ratio magis congruit huic appaltui piscium, quam illi dohanarum, quoniam ob hujusmodi impedimenta temporalia merces, in quibus dictum
9 vectigal consistit, non pereunt, sed bene conservari possunt, atque cessato impedimento, in Civitatem introduci, in longe majori quantitate, quam solitum esset, unde ita Appaltator, si non omnimodam, saltem aliquam compensationem, vel restaurationem reportare potest. Non sic est in isto vectigali, in quo non solum urget ratio in proposito salis ponderata *dicto disc.* 105. quod scilicet impossibile est, ut diminuto populo propter pestem, cessato hoc accidenti, possit Appaltator cum futuro majori lucro reintegrari, quoniam homines mortui non possunt salem consumere, & viventes non excedunt usum consuetum, ut ibi; Sed etiam quia urget alia ratio corruptionis ipsius materiæ, quæ conservari non potest, vel ad alienas regiones transmitti pro estatione, sicuti fieri potest de sale, retrahendo saltem pretium intrinsecum, quoniam nisi pisces comedantur ipsamet die, oportet eos projicere in flumen, cum damno etiam expensarum in piscatione, & vectura, & sic magis congruit ratio peremptis substantiæ, si non vere & proprie, ut credunt scribentes apud Surd. *cons.* 307. & Contrius *d. controv.* *93. num.* 3 *& 4.* quia id videtur minus tutum, *ut in dict. disc.* 65. *& 105.* & in aliis, saltem æquipollenter, & per assimilationem.

Præterea in hac facti specie, cum sensu etiam veritatis, dicebam versari extra omnem controversiam, longeque majorem rationem incompatibiliter isto casu militare pro remissione, quam in aliis vectigalibus & do-
10 hanis, ex ea particulari circumstantia, quod Pontifex Alexander VII. prævio maturo consilio, tam medicorum, quam aliorum peritissimorum virorum, catholica etiam pietate insignium, ex eadem pestilentiæ causa, ob bonum publicum, dispensavit a jejunio quadragesimali, in cujus tempore, exceptis feriis quarta, sexta, & Sabbato, licitum vesci carnibus, aliisque cibis paschalibus, unde propterea duo exinde resultare dicebam, ex quibus magis de plano, ac de justitia ista remissio debita erat. Primo scilicet, quod iste casus erat omnino insolitus & incogitatus, unde propterea etiamsi conductor in se suscepisset omnes casus remissione dignos, adhuc illi locus esse debeat juxta traditam apud Millin. *decis.* 139. *& 145.* ubi de insolita & verisimiliter non cogitata magna affluentia bannitorum, quæ tamen circa ea tempora non erat adeo incogitata & inaudita, Et generaliter quod casus omnino insoliti & verisimiliter non cogitati non veniant sub hujusmodi casuum susceptione, ac renunciatione restauri, plene colligit Amat. *d. resol.* 18. *num.* 1. *& 5.* & confert celebre *cons.* 402. Ancharani, de quo frequenter in aliis *hoc tit. de conductore* vectigalium Pistorii, de tempore quo Curia Papæ ibi residebat; Et tamen ille conductor talem Curiæ discessum verisimiliter cogitare potuit, ac debuit, cum ea Civitas non esset consueta Papæ residentia, sed proveniret per meerum accidens; Prout appaltator dohanarum, aliorumque vectigalium, verisimiliter cogitare potuit, ac debuit, casum utriusque belli divini & humani, cum sint contingentiæ humano generi connaturales, & solitæ, potissime dum de recenti in Italia utrumque bellum, præcise vero in hoc Principatu humani belli casus contigerat, unde propterea in omnium appaltuum instrumentis & capitulis, quasi de consueta formula hujusmodi casus belli divini & humani, seu absentiæ Papæ ab Urbe in conventionem deduci solent; At nemo unquam prævidere, vel cogitare potuit istum adeo novum & insolitum casum dispensandi a quadragesima, de cujus tempore majus est hujusmodi vectigalis emolumentum.
11 Et secundo quia cum dicta innovatio provenisset ex provisione ac facto voluntario ipsius Papæ locatoris, dicebam intrare quoque receptam theoricam, Bart. de qua in celebri *cons.* 156. Soccin. *lib* 2. cum aliis apud Amat. *dicta resol.* 18. *num.* 23. *& 24.* Ventur. *d. cons.* 15. *num.* 9. *& 10.* Mastrill. *d. dec.* 299. *num.* 11. *& sequent.* Camill. 12
de Medic. *cons.* 23. late Castill. *lib.* 3. *contr. cap.* 3. *num.* 26. *& sequent. & num.* 39. cum aliis *dicto disc.* 65. & in aliis *hoc eodem tit.* Quod scilicet ubi impedimentum provenit a facto voluntario ipsius locatoris, vel ejus, quem ipse prohibere potest, tunc tamquam ob deficientem patientiæ præstationem, nedum intrat remissio pensionis, quæ peti non potest, sed etiam refectio. Et tunc ista ratione magis congruit huic appaltui piscium, quam illi dohanarum, refectio omnium damnorum, & interesse, etiam ratione lucri amissi juxta celebrem decisionem in Romana appaltus coram Justo *decis.* 285. post Pacif. de Salviano.

Et quamvis, juxta ea quæ plene deducuntur per Larream *alleg.* 17. *cum plurib. seq.* & advertitur *d. disc.* 65. & alibi, quod dictus rigor reficiendi conductori totale in- 13
teresse, etiam illud lucri amissi, procedat in facto mere voluntario, & quod culposum dici potest, secus autem ubi ex justa causa publicæ necessitatis, vel militaris, cum tunc potius necessarium dicatur; Attamen id suffragatur ad evitandam refectionem cujuscumque damni, secus autem ad effectum remissionis pensionis, ad quem effectum dicta consideratio non intrat, ut bene advertitur per Castill. *cap.* 3. *n.* 44. *cum sequent.* cum aliis *dicto disc.* 65. Et sic credebam justitiam huic parti omnino assistere, maturum tamen judicium pro veritate hucusque efformari non potuit, dum, vel ob obsequutam concordiam, vel ob alia accidentia, ad disputationis trutinam adhuc ista redacta non sunt, unde inspici non potuerunt alterius partis fundamenta, minusque audiri Tribunalis judicium, ex quibus ad meliorem veritatis notitiam deveniri solet, Credebam tamen probabiliores esse has partes. Tum ex dicta regula quod quisque juris, &c. dum ipse principalis Appaltator defalcum a Camera locatrice obtinuerat; Tum etiam quia, stante dicta particulari circumstantia, ob quam major urget ratio, quam in reliquis dohanis, & vectigalibus, istis subappaltatoribus debitum videretur restaurum, etiamsi per Cameram ipsi principali Appaltatori factum non esset, ut in specie Soccin. *consil.* 44. *num.* 10. *& 11. lib.* 1. late Purpuratus *cons.* 473. & cæteri collecti per Contrium *discept. seu controv.* 90. *num.* 1. *& per tot.* ubi in puncto de defalco faciendo subappaltatori occasione istius pestis, quamvis ipsi principali Appaltatori factum non esset.

In eodem autem proposito illius pischeriarum speciei, quæ juxta distinctionem deductam in dicta Comacleni vallium *sub tit. de feudis, disc.* 2. consistit in jure privativo piscandi in locis, in quibus natura magnam, & insolitam productionis piscium liberalitatem exercuit; Occasione etiam præfati accidentalis impedimenti pestilentiæ, aliam disputavi controversiam in Rota in una Romana affictus lacus, seu defalchi pro Cyriaco Theolo & 14
sociis cum Duce Sermonetæ, possessore lacus Forani, quem præfati Theolus & socii conduxerant pro annua pensione scut. 3000. ad quinquennium, quo durante, dicti belli divini casus in Urbe, & partibus adjacentibus contigit; Unde petentibus conductoribus defalcum, dictoque locatore denegante, introducta causa in Rota coram Taja, sub die 7. Junii 1660. prodiit resolutio locatori favorabilis super petitæ remissionis denegatione; Ex eo potissimum fundamento, quod in facto ex parte locatoris docerent, hoc accidentali tempore naturam fuisse magis fœcundam, atque solito majorem piscium quantitatem, facta priori annorum perequatione, perceptam esse, unde propterea cessabat, tam dispositio, quam ratio textus *in cap potuit & cap. propter sterilitatem extra locati, cum concord.*

Quoties enim conductor ex fundo conducto consuetos fructus percepit, si in eis deinde casus contingit, de isto locator non tenetur, Alberic. *in l. si servus, §. locavi, ff.* 15
de furtis, Boss. *de remissione mercedis conductoris*, *n.* 9. Mandell. *cons.* 735. *num.* 5. *& 12.* Panzirol. *cons.* 49. *num.* 10. Pantzham *de locato, q.* 5. *num.* 17. Faber. *in Cod. l.* 4. *tit.* 42. *defin.* 46. *& 52.* Ponderando etiam, quod adhuc completa non erat locatio, dum alii duo supererant anni, qui poterant esse uberes, & apti ad hujusmodi damnum compensandum, ideoque intrat conclusio, quod ad restaurum, nonnisi finito affictu agi potest, Fab. *in Cod. dicto* 16
lib. 4.

lib. 4. tit. 42. defin. 35. ad finem Gratian. *in addit. ad dec. Marchie* 222. *num. 4. & 5.* Rota *dec.* 225. *numer. 5. part. 4. diverf.* & habetur fuper *dict. disc.* 65. Ac etiam quod si in Urbe aderat impedimentum, præfertim ex difpenfatione quadragefimæ, adhuc pifcea in aliis adjacentibus partibus, in quibus tale impedimentum non aderat, vendi potuerunt, ut patet ex decifione defuper edita, quæ aliam revifionis trutinam non habuit, dum conductores ita deterriti, eo quo potuerunt modo fe concordarunt.

Refolutio autem mihi, pro dictis conductoribus fcribenti, non placuit, ex eifdem fundamentis, de quibus fupra in dicto alio cafu difputam, non obftante dicta pifcium affluentia, quoniam illa nullius utilitatis eft,
17 ubi eorum ufus & comeftio impeditur, prorfufque improbabile credebam dictum affumptum, quod ex præfato omnino infolito, & incogitato Urbis cafu non refultaffet damnum, ob potentiam vendendi pifces in aliis locis adjacentibus, quoniam notorium eft in aliis parvis Civitatibus, Oppidis & Caftris, omni tempore, præfertim vero illo calamitofo, fequi non poffe hujufmodi victualis congruam efitationem, nedum in quantitate, fed quod magis, in magno & alterato pretio, pro quo in Urbe pifces præfertim nobiles venduntur.

Item quia magnum, ac intolerabile hujufmodi conductorum damnum hoc accidentali tempore, non tam
18 provenerat ex impedimento perceptionis, & efitationis pifcium, fequutæ etiam in Urbe, & in illis hebdomadæ tribus diebus, in quibus prohibitus erat ufus ciborum pafchalium, quam ex magis & folito longe majoribus impenfis, quas ftante impedimento commercii, & hominum penuria pati oportuit, tam pro habendis retibus, aliifque pifcationis inftrumentis, quam pro habendis pifcatoribus, & vecturalibus, aliifque operariis, quibus expenfis detractis, nullus remanebat fructus, qui de jure dicitur detractis expenfis; Atque in hoc pro meo judicio confiftebat æquivocum, quod fuit caufa refolutionis, quia fcilicet eo anno pretium pifcium fuit forte majus folito, punctus enim non erat in pretio, vel defectu efitationis, fed in expenfis, quibus detractis parum aut nihil conductoribus remanebat.

Incongruam vero fubjectæ materiæ dicebam dictam conclufionem futuræ compenfationis cum fubfequenti
19 ubertate; Ut enim pluries hoc eodem tit. advertitur, præfertim in propofito faltem *dicto disc.* 105. ubi fterilitas provenit vitio Cœli, feu terræ & naturæ, fpectari poteft compenfatio, eo quia natura uno anno avara, in altero nimium liberalis, & prodiga effe folet; Sed hæc ratio non intrat in hujufmodi accidentibus refultantibus a pefte, vel bello ea rationibus deductis *dicto disc.* 205. atque ex Alberic. *in l. si uno, §. item cum quidem, ff. locati, num.* 13. unum cafum ab altero diftinguentes ponderant Sebaftianus Medices *de compenf. part. 1. quæft.* 45. *in fine*, bene Camill. de Medic. *conf.* 23. *numer.* 13. Anni enim bellicofi, & peftilentiales dicuntur de natura damnofi ex collectis *in dec.* 222. *num. 5. par. 11. rec.* Contrius, *d. disc.* 90. *num.* 2. ubi concordantes; Atque in propofito non fpectandi fructus perceptos, fed quid remaneat
20 deductis expenfis, ponderabam *dictas decifiones Mellini* 139. & 145. quod fcilicet natura produxerat confuetum fructum frumenti, aliarumque frugum, fed damnum provenerat a magnis impenfis, quas pro oportuerat pro
21 facienda recollecta, & retinendis hominibus armatis, ut fe defenderent a bannitis, five pro iifdem bannitis alendis & recognofcendis, unde propterea nil proderat uber recollecta, fi detractis detrahendis, parum, vel nihil remanebat pro recolligente in fructus, & utilitate, cujus effectus attenditur.

De hac materia Regaliæ pifcheriæ, feu privativi juris pifcandi in certa fluminis parte conceffa in feudum, vel
22 fubfeudum; Et an devolum feudo ceffaret, habetur actum in Ferrar. juris pifcandi *fub tit. de feudis*, *disc.* 40.

ANNOT. AD DISC. CXXXIV.

SUb die 16. Junii 1670. propofita caufa, juxta præmiffa refolutio prodiit, conceffaque nova audientia non audivi amplius actum, forfan concordia caufæ finem dedit, fi defenfores non mutavit.

ROMANA PLATEÆ S. JOANNIS, INTER CAPITULUM LATERANENSE, ET PRINCIPEM JUSTINIANUM.

Difcurfus pro veritate ad inftantiam judicare debentis in caufa.

De platea quando dicatur publica, vel privata, Et de privilegio habendi ufum plateæ, quamvis publicæ privative ad alios circa venditionem aliquorum bonorum.

Via publica exiens in plateam, An definat effe via, & fiat platea, vel potius retineat qualitatem viæ, Et aliqua de jure privativo in aliquo loco publico.

S U M M A R I U M.

1 *FActi feries.*
2 *De jure vendendi privative in platea, vel area exiftente ante Ecclefiam.*
3 *Habens aliquod jus in platea, an illud habere dicatur in ejufdem plateæ ampliatione, refultante a demolitione ædificiorum.*
4 *Via intrans in plateam an definat effe via, & efficiatur platea.*
5 *Confiderantur diverfi effectus, ob quos via poteft effe juris publici, & de regalibus, ac etiam de jure, vel dominio privato.*
6 *Habens jus privativum vendendi bona in platea, an poffit prohibere venditionem in ftillicidiis, & areolis privati adjacentibus.*
7 *In incorporalibus non acquiritur poffeffio, neque inducitur præfcriptio fine fcientia, & patientia.*
8 *Jus privativum venaendi bona, quæ vendi folent occafione folemnitatis in aliqua Ecclefia non incongruit, ut ad eamdem Ecclefiam fpectet.*

D I S C. CXXXV.

CUm antiquitus facies Bafilicæ Lateranenfis a parte Septentrionali verfus baptifterium diverfam haberet ftructuram, quia non adhuc constructo per Sixtum V. palatio Apoftolico eidem Bafilicæ nunc adjacenti, capella ad Sancta Sanctorum erat annexa, eumdemque profpectum faciebat, Ortæ fuerunt variæ controverfiæ inter Capitulum ex una, & Cuftodes dictæ capellæ ex altera, quas Leo Decimus, motu proprio, certis expreffis modis terminavit; Et inter cætera declaravit, plateam exiftentem ante dictas bafilicam, & capellam, & continentia ædificia fpectare ad Capitulum. 1

Platea predicta non erat ejus amplitudinis, qualia hodie cernitur, quia in loco, ubi eft obelifcus, & constructa eft via ducens a porta Sancti Joannis ad Colifeum, fupponitur tunc adfuiffe varias domos, hortos & ædificia, quibus dirutis, Sixtus V. palatium Apoftolicum ædificavit, obelifcum erexit, viam prædictam, ac alteram a dicta bafilica, ad illam S. Mariæ Majoris aperuit, atque capellam ad Sancta Sanctorum, cum Scala fancta, in loco feparato, ubi nunc cernitur, repofuit, itaut ftructura in hac parte totaliter immutata fuerit.

Ex his fequuta eft dictæ plateæ ampliatio, atque vinea nunc poffeffa per Principem Juftinianum aliquam reftrictionem paffa fuit, quia ex veftigiis patet, antiquitus ultro fe extendere, juxta vero hodiernum ftatum, quædam ejufdem vineæ parva domus angulum conftituit inter viam, quæ ducit e porta Sancti Joannis ad Colifeum, & alteram ab illa bafilica ad illam S. Mariæ Majoris.

In hac domo, quantum noftri fæculi memoria tradit, conductores, vel miniftri eorum, qui vineæ domini fuerunt, exercere confueverunt cauponam, vendendo panem, vinum, carnes, pifces, & alia comeftibilia, eademque domus habet ante fe quamdam areolam latitudinis palmorum circiter octo circumfeptam a quibufdam lapidibus, columnis, arboribus, & muris, & in medio areolæ adeft quædam tabula lapidea, in qua accedentes ad cauponam comedere folent.

In tota vero platea, etiam ita recenter ampliata, ob populi, & peregrinorum concurfum, præfertim vero in feftis folemnibus, & quando Sacramentum Confirmationis in eadem Bafilica tanquam Urbis Cathedrali miniftratur, confuetum eft ab antiquo vendi aliqua comeftibilia, præfertim ciambellas, ab habentibus tamen

licentiam a Capitulo, tanquam plateæ domino, privative ad quoscumque alios, qui vendere tentantes fuerunt prohibiti, quod jus privativum locari a Capitulo consuevit pro certa pensione usibus Sacristiæ applicata.

Cum autem casus dedisset, unam eamdemque personam conduxisse ad plures annos tam usum dictæ plateæ, quam cauponam Justiniani, hinc proinde consuevit in prædictæ cauponæ areola retineri continuo tambulam ciambellarum nemine contradicente, cum utrinsque loci unus & idem esset conductor, unde Capitulum credere potuit hujusmodi actum geri jure facultatis eorum plateæ, conductori competentis, & Justinianus id geri per conductorem cauponæ.

Terminata dicta commiata locatione, ac prætendente novo cauponæ conductore diverso ab altero, qui jus plateæ conduxerat, venditionem ciambellarum in dicto loco continuare, orta est controversia, in qua per utriusque partis defensores regulæ solum generales deducebantur super facultate faciendi in suo, &c. Requisitus autem pro parte judicare debentis de mea sententia,

Dicebam, quatenus pertinet ad jus privativum vendendi tam ciambellas, quam quæcumque alia bona in ea parte, quæ basilicæ platea dici potest, omnino fundatam esse intentionem Capituli, non quidem ex privilegio, seu jure præscriptionis hujusmodi juris privativi, contra juris regulas competentia locis publicis, sed ratione privati dominii, quia Leo X. expresse determinavit, plateam spectare ad Capitulum, ac in ejus dominio esse, ideoque intrant vulgares regulæ, ut in privato
2 fundo nemini liceat invito domino bona immittere, vel aliud gerere, ea quibus ita in præcisis terminis juris vendendi in platea ante Ecclesiam firmat Antonin. *lib. 1 var. cap.* 74.

Solum difficultas cadere poterat circa partem ampliatam ex ædificiis demolitis, & respective constructis per Sixtum V. cum in facto non dubitarentur plateam, de qua loquitur Leo X. esse longe magis angustam, cui difficultati respondebant agentes pro Capitulo, ampliationem provenisse ex demolitione ædificiorum ad idem Capitulum spectantium, unde propterea ipsorum dicendum erat eorundem ædificiorum solum; Sed istam credebam divinativam responsionem, cum hoc suppositum in facto non justificaretur, atque diruta ædificia esse potuerint aliorum privatorum, seu juris publici.

Meliorem tamen responsionem dari posse observabam de jure, quod scilicet habens jus in platea, illud habere dicatur in ejusdem plateæ ampliatione, sequuta per alicu-
3 jus adjacentis ædificii demolitionem, quia tota effecta est unica platea, unde dici potest augmentum per quamdam speciem alluvionis, nisi prioris ædificii dominus soli dominium sibi reservaverit cum signia, illud a platea distinguentibus, quo casu in ordine ad jus privativum vendendi, vel alia jura in platea exercendi, distinguendum veniret, at tale jus in antiqua magis angusta platea competeret ratione privati dominii, vel potius ex privilegio concesso a Principe super hoc jure, seu ejusdem juris legitima præscriptione, ut primo casu de hoc dubitari posset, secus autem in secundo.

Atque hujus partis ampliatæ pertinentiam jure probari dicebam per doctrinam Bart. *in l. fin. ff. de locis & itineribus publicis*, ubi firmat, quod ædificio diruto prope plateam, totum sit platea, etiam viæ quæ erant prope ædificium dirutum, præsertim quia non de facili ostendi poterat, qualis esset pars antiqua, & qualis moderna; Et fortius quia Capitulo, quatenus pertinet ad plateam, assistebat antiqua inconcussa observantia a dictis temporibus Sixti citra, apta etiam ad præscribendum favore Ecclesiæ, multo magis ad inducendam interpretationem, quod pars ampliata ob ædificiorum demolitionem, camdem naturam sortita sit, itaut una eademque esset platea diverso jure non regulanda.

Major autem difficultas consistere videbatur in via publica ducente a porta Sancti Joannis ad Coliseum, num scilicet dicta via plateæ contingua, & quasi cum ea confusa, dicenda esset ejusdem plateæ pars, itaut esset de jure vel dominio Capituli; Et pro affirmativa stare videtur
4 doctrina Bart. *in d. l. fin. ff. de locis public. & l. fin. de servit. rustic. præd. utrobique in fine*, ubi firmat, quod via intrans in plateam, non dicitur amplius via, sed platea, adinstar viæ parvæ intrantis in magnam, sive torrentis intrantis in flumen, ac fluminis intrantis in mare, & Bartolum sequuntur Cepoll. *de servit. rustic. præd. cap. 3. num.* 21. *& sequent.* Cancer. *lib. 2. var. cap. 2. tit. de jurisdict. omnium judicium, num.* 99. Rovit. *super pragm. in rubr. ne quid in loco publico, num.* 9. Unde infertur quod statuto disponente delicta commissa in platea gravius puniri, id procedat etiam in via, quæ in plateam intravit, quia in effectum est platea, & non via, cum similibus.

Verum hæc doctrina, licet ad effectum statuti, de quo loquitur Bart. vel ad alios effectus æquipollentes recipienda esset, nullatenus tamen videbatur ad casum applicabilis, quia hoc jus non probabatur spectare ad Capitulum ex privilegio, vel præscriptione hujusmodi juris privativi in platea & loco publica, sed solum competere dicebatur ratione privati dominii, de quo esse dictum antiquam plateam Leo Decimus declaravit, quod dominium dari non potest in via publica & consulari, qualis est ista ducens a porta Sancti Joannis ad Civitatem, ideoque doctrinam Bart. intelligendam videri, vel ad dictum effectum Statuti, vel de via, quæ intrat in plateam, ibique cessat, ulteriorem progressum non habens, ut clare probare videtur idem text. *in l. finali, ff. de loc. public.* ibi, *intermoritur*; Et sic considerat textus quod ibi via desinat, eudemque sensum habet textus *in d. l. fin. ff. de servit. rustic. præd.* atque eodem termino utuntur Cancer. & Rovit. *ubi supra*, supponentes, quod via moriatur in platea, a qua discerni non possit, sed cum ea omnino confundatur, itaut quamvis in aliqua ejusdem plateæ parte alia adsit via, per quam ulterior progressus haberi valeat, ista censenda videatur via nova, initium habens a platea, eo modo, quo dici potest de flumine intrante in lacum, a quo deinde ex alia parte rivus, vel flumen prodeat, qui erit rivulus prodiens ex lacu, non autem idem flumen, quod intravit; quod dici non potest in via, de qua agitur, habente suam lineam rectam, & bene contradistinctam a platea, quamvis in una parte cum ista confinet; Unde quemadmodum, si per possibile daretur, ut flumen, habendo suum cursum rectum ad litus maris, vel lacus, cum isto transeundo confinaret, suum tamen cursum rectum retineret, itaut cum mare, vel lacu ex diversa aqua constituto non confunderetur, dici non posset, quod desinat esse flumen, & sit effectus lacus, vel mare: sic a pari.

Super quo plura habemus exempla ubique, præsertim in Urbe, in plateis Agonis & Rotundæ, quia earum usus, seu jus privativum in quibusdam ipsarum locis est Camerarii, & respective Capituli Rotundæ, sive aliorum, quibus ex privilegio concessum sit, ut de platea Rotundæ habetur in Romana plateæ *hoc eod. tit. discur.* 142. Et nihilominus via publica, recto tramite ducens a Sapientia ad Pasquinum, non est de jure, vel usu Camerarii, sed subest Ædilibus, seu magistris viarum, quia confinat cum platea, sed cum ea non confunditur, dum retinet suam rectam lineam & consuetum cursum.

Est bene verum, quod cum hæc via esset de recenti constructa per Sixtum V. habens transitum per hujusmodi
plateam, quæ tota supponitur de solo, seu dominio Ba- 5
silicæ, implicare non videtur, viam esse juris publici, omnino exemptam a privato dominio, quoad usum privatum, Et nihilominus ejus solum adhuc remaneret in statu antiquo, quia ut magis distincte deductum habetur in Sabinen. transitus, seu viæ discursu sequenti, viæ publicæ quoad protectionem & custodiam sunt Principis, & de Regalibus, quo vero ad usum, sunt omnium, seu nullius (intelligendo de usu viæ connaturali, qualis est per illam transire & iter agere,) & quoad jurisdictionem sunt ejus, in cujus territorio sitæ sunt, & quoad solum esse possunt privati dominii, verificabilis in illis partibus, quæ publico usui non repugnant, qualis est iste prohibendi, ne in hujusmodi via tanquam in parte plateæ agere liceret id, quod viæ usum non respicit, Accedente præsertim longæva observantia, quæ ut supra dictum est, tanquam interpretativa id declaravit.

Adhuc tamen his admissis, urgebat difficultas, quia 6
Justiniani conductor, seu minister non intendebat vendere ciambellas in platea, neque in via publica, sed in domo privata ejusque areola, seu stillicidio, in quibus unicuique, tanquam in suo datur liber usus in iis, quæ non sunt de genere prohibitorum, ut Urbis observantia docet in jam dictis publicis plateis, Agonis, Rotundæ, & similibus, in quibus privati domorum adjacentium domini, sub propriis stillicidiis, & areolis habent rerum comestibilium venditores, per plateæ dominos,

vel

vel viarum magistros non prohibitos; Atque in hoc stabat gravis punctus difficultatis, quis sicut in dicta caupona venduntur panis, vinum, carnes, caseus, pisces, fructus, & omnia alia comestibilia, ita subesse non videbatur ratio differentiæ, cur ibidem ciambellæ, tamquam species panis electi, seu res comestibilis more aliarum rerum vendi non possent; Nil refragante, quod ante supradictam affictuum mixturam, id non esset consuetum, tum quia satis difficile dicebam posse concludenter probari negativam venditionis rei comestibilis in caupona, tum etiam quia in omnem eventum esset actus facultativus non admittens præscriptionem, nisi præcedente prohibitione cum subsequuta acquiescentia, sine quibus, nec in petito-
7 rio, nec in possessorio quicquam prætendi potest ex deductis per Thesaur. *dec.* 16. Capobl. *de Baron. pragm.* 1. *n.* 306. *cum seq. & pragm.* 14. *per tot.* Buratt. *dec.* 38. Post. *de manut. observ.* 53. *ex n.* 13. & frequenter habetur in materia juris prohibendi accessum ad furnos, & molendina cum similibus *sub tit. de servitutibus*.

Quare pro congrua hujus controversiæ determinatione Mihi dicendum videbatur, spectandam esse qualitatem ciambellarum, aliarumque rerum in his locis vendendarum; Ubi enim ageretur de usualibus ciambellis, quotidiano usui deservientibus, tamquam species panis magis grati, itaut inter quotidiana comestibilia connumerari possent, & tunc minus juridicam censendam esse credebam capituli prætensionem; Econverso autem ubi ageretur de venditione illarum rerum, sive comestibilium, sive non quæ ex antiquissima Urbis consuetudine, occasione solemnitatis vendi solent ante, vel prope Ecclesias in diebus festivis, & solemnioribus, in quibus ad eamdem Ecclesiam magnus, ac insolitus populi concursus habeatur, & tunc secus, quia illa venditio fieri non dicitur pro ordinario & quotidiano usu humano, sed occasione illius festivitatis, unde congruum est, quod hujusmodi emolumentum in ipsius Ecclesiæ utilitatem cedat; Et econtra incongruum est, ut in his se ingerat caupona, præsertim vero in illis ciambellis, vel aliis rebus ornatis, quarum usus tantum esse solet pro pueris, dum Confirmationis sacramentum in eadem Ecclesia recipiunt, & in quarum rerum venditione dictarum solemnitatum occasione, vere plateæ utilitas consistit, cum omnino incongruum videatur, hujusmodi res in cauponis vendi.

Ad quod dabam exemplum antiquorum temporum, in quibus columbæ, aliaque animalia in Templo offerri & sacrificari solebant, ut incongruum non esset, accedente præsertim antiqua observantia, quod hujusmodi res vendi illicitum esset in cauponis, aliisque privatis domibus, sed solum id liceret in atrio, seu area ipsius Templi illis, quibus præberent Sacerdotes facultatem, utpote de rebus ad Templi usum destinatis, seu quæ occasione festivitatis & concursus introduci, & contractari solent. Causa, quod sciam, cum quodam amicabili temperamento sopita fuit, itaut jus capituli conservatum remoneat, quis ille ciambellarius utrique affictuario plateæ, & cauponæ, quamdam recognitionem solvit, ut ante portam dictæ cauponæ ciambellas vendere possit.

ANNOTAT. AD DISC. CXXXV. & CXLII.

1 AGitur in his discursibus de materia publicarum platearum, quæ contradistinguuntur a viis publicis ob diversitatem usus, quoniam quæstiones viarum percutiunt libertatem transitus, juxta casus, de quibus in duobus discursibus proxime sequentibus, istæ vero quæstiones platearum, in quibus ex Principis concessione habeatur aliquod jus privativum in tota platea, vel in aliqua ejus parte, præcipuus punctus non est in usu situs materialis, sed in jure vendendi, sive in jure prohibendi, ne alii vendant absque ejus licentia, & permissione, pro qua præmium obtineatur.

Hoc propositio in quæstione disputata coram Judice particulariter deputato per Cardinalem Protectorem Hospitalis S. Sixti, quod habet hoc jus in platea Judæorum, sive ante Ghetum, & Dominos domorum adjacentium; Cum isti prætenderent posse concedere, seu locare situs existentes subtus stillicidia, quasi quod ista essent juris privati, atque Scribentes pro dictis Dominis desuper allegarent deducta a me *d. disc.* 142. Dicebam, scribens pro Hospitali, quod quidquid sit de hoc puncto, an scilicet spatium existens sub stillicidio, seu tecto sa protendente super platea publica, esset juris publici, vel privati; Admisso etiam quod dicendum veniret juris privati ad hunc effectum, ut scilicet alter, invito ipsius domus domino, non possit illum occupare, sive ibi bona vendere; Eo modo, quo est juris privati sine dubio externa pars murorum domus respondentium in via, seu platea, & quæ partes deservire solent pro venditione victualium, aliorumque bonorum, juxta ponderationem, de quibus *d. disc.* 142. *& sub tit. de locat. disc.* 29. non tamen exinde inferri potest, ut licitum sit ipsis dominis, vel illis, quibus ipsi concedant ibidem tenere exposita victualia, aliave bona, pro quorum venditione privativa facta sit plateæ concessio a Principe, nisi quatenus agatur de rebus concernentibus usum illius domus, vel privati ædificii, juxta easdem ponderationes, de quibus *in his discursibus* 135. *&* 142. *& d. disc.* 29. *de locato*. Et sic quod illi, qui in hujusmodi stillicidiis, vel spatiis, victualia, aliave bona vendere volunt, duplici indigeant licentia, seu facultate, adeout una sine altera sufficere non videatur; nisi quatenus antiqua, & pacifica observantia contrarium doceat; Domini scilicet Plateæ, sive habentis illam concessionem juris prohibendi pro facultate vendendi in ea platea, sine distinctione, an in uno, vel in altero loco, Et domini domus, vel stillicidii, qui prohibere potest occupationem illius situs, & ne ipso invito, venditores ibi morentur, dum ita utrique consultum remanet; Neque habentis jus plateæ interest, an venditores pro obtinenda majori commoditate illius situs sub stillicidio, seu tecto protendente, vel pro commoditate murorum, solvant etiam recognitionem domorum dominis, atque ita in hac facti specie judicatum fuit, dando manutentionem utrique parti.

SABINEN. VIÆ, SEU TRANSITUS, PRO PRINCIPE BURGHESIO, CUM PRINCIPE BARBERINO.

Casus decisus per Cameram pro Barberino, & pendet.

Via quando dicatur publica, Et de illius requisitis; pluribusque viarum speciebus, & cui incumbat onus probandi eam esse talem, vel esse potius privatam, Et quando requiratur immemorabilis, necne.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Servitus viæ, vel itineris, non dato titulo exigit immemorabilem.*
3 *Quomodo istius servitutis probatio facienda sit.*
4 *De requisitis necessariis ad probationem viæ publicæ.*
5 *Quales viæ sint sub cura Ædilium, & quales sub cura Domini loci, vel Civitatis.*
6 *Quando requiratur probatio quod solum sit publicum.*
7 *Observantia declarat mentem sternentis viam, quod eam fecerit pro usu publico.*
8 *Successor in dominio, seu Baronia, an possit revocare viæ destinationem factam a prædecessore.*
9 *Ea quæ semel destinata sunt pro usu publico non possunt amplius retractari, & redigi ad privatum.*
10 *Intentans negatoriam super libertate rei suæ adversus prætendentem servitutem, non indiget probatione.*
11 *De quæstione, an intentans judicium jactationis, seu diffamationis dicatur actor, vel reus.*
12 *Quod longa quasi possessio annorum 30. in hac materia sufficiat.*
13 *Testes reducendi sunt ad concordiam.*
14 *Expenduntur jura distinguentia plures species viarum, & in quibus requiratur probatio immemorabilis, & in quibus non.*
16 *Via publica sub cura Ædilium.*
17 *Quomodo dignoscatur, an in una, vel altera viæ specie versemur ad dictum effectum.*
18 *Via, quæ incipit a publico, & desinit in publicum, præsumitur publica, non constito de contrario.*
19 *De quatuor diversis effectibus, ad quos viarum dominium in jure consideratur, & quomodo stent simul, ut solum sit publicum & privatum.*

 20 *Via*

20 *Via & flumina solent dividere territoria & servire pro confinibus, sed aliquando secus.*

21 *Terminus, seu confinis est diversus a confinatis, & dicitur communis utrique confinanti.*

D I S C. CXXXVI.

1 IN quadam parte Tiberis in territorio Montis libertinorum, seu Montis Rotundi, adest locus (*portus* nuncupatus) utpote destinatus & aptus onerationi cymbarum, vehentium ad Urbem ligna fabrilia & combustibilia, necnon blades, & alia, ex sylvis & territoriis Palumbariæ, Moriconi, Cretoni, Stallani, Castri Chiodari, & Montis Flavii, quæ ligna & bona vehi solent per quamdam viam initium habentem a dictis castris respective, ac longo spatio sitam in eorumdem locorum territorio, & circa finem in tenuta, nuncupata *de forno*, territorii dicti Montis Libertinorum, intersecatam a tribus viis generaliter publicis, vulgo *strade Romane* nuncupatis, quarum una dicitur *di Rieti*, altera *delle molette*, & tertia *di Correse*.

Cum autem Princeps Prænestinorum Barberinus, ex titulo emptionis ab Ursinis, juxta seriem de qua in Sabinen. Status Montis libretti *sub titulo de feudis, disc. 65.* effectus esset Dominus dicti loci Montis Libertinorum, aliorumque locorum ad eumdem Statum pertinentium, ac etiam per prius esset Dominus Montis Rotundi, Prætendere cœpit impedire transitum curruum, aliorumque instrumentorum ducentium ligna a præfatis sylvis, & Castris Principis Burghesii per dictam viam, utpote privatam, de facto per ejus ministros exigendo ab affictuariis pro transitu quamdam recognitionem; Hinc propterea Burghesius pro sua, suorumque Vasallorum & affictuariorum libertate itinerandi, ac ligna, aliaque bona ducendi per eamdem viam tanquam publicam, ex remedio *l. diffamari*, judicium instituit coram Præside viarum, coram quo succubuit, mediante sententia declarante in hac tenuta nullam adesse viam publicam; A qua sententia interposita appellatione in Camera, & proposita causa, scissa sunt vota; quoniam ex undecim, cum duo essent indeterminati, ac alter esset idem Præses qui sententiaverat, ex reliquis octo, quatuor erant pro confirmatione, & quatuor pro infirmatione; Sed quia, ex quodam, forte non commendabili stylo Tribunalis votat idem Præses, qui jam judicaverat, idcirco ob istius voti accessum capta fuit resolutio pro confirmatione, sed concessa nova audientia & pluries reproposita causa, ob votorum scissuram nulla hucusque capta est resolutio.

In hoc statu, in Advocatorum congressu, juxta laudabilem stylum, habito per Burghesium, aliqui ex noviter assumptis, non laudantes modum usque tunc tentum, substinendi scilicet hujus viæ publicitatem, ob difficultates, quas in ejus probatione militare dignoscebant, & de quibus infra, erant in voto assumendum esse motivum servitutis per castrorum Dominum, & incolas quæsitæ, transeundi per hanc tenutam, ac ducendi ad dictum portum ligna, & alia bona; Sed majori parti hæc sententia non placuit, utpote longe minus tuta, majoresque patiens difficultates; Tum quia, quidquid aliqui dixerint in contrarium, magis communis & recepta videtur opinio, hujusmodi scilicet servitutem, utpote habentem causam discontinuam, non dato titulo saltem colorato ab initio, & certitudi-
2 natie allegato, exigere immemorabilem, ut ex glos. Bart. & cæteris firmatur per Rota, *dec. 101. part. 4. rec. tom. 2. n. 10.* ubi *n. 9.* refelluntur Cepoll. & cæteri volentes sufficere præscriptionem ordinariam 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes, & hanc opinionem sequuta etiam fuit Rota in Romana servitutis 29. Januar. 1666. Cerro, de qua causa inter Maximum & Justinianum habetur actum *sub tit. de servitutibus*; Tum etiam quia justificandum est, usum transitus fuisse jure servitutis, cre-
3 dendo uti jure suo, sciente & patiente domino fundi, quod in dubio non præsumitur, *ut d. dec. 101. n. 14. & 15.* cum qua processum est in dicta Romana servitutis coram Cerro, quæ omnia ex facti circumstantiis non erant justificabilia.

Quare concludendo, quod insistendum esset in jam assumpto motivo libertatis transeundi tanquam per viam publicam, atque examinando fundamenta scribentium in contrarium, illud erat potissimum, quod Burghesio, tamquam actori, incumberet onus probandi hanc viæ publicitatem, ad quam probandam, dicebant dicti scribentes, tria requisita copulative justificanda esse. Primo scilicet, quod habet utrumque caput in publicum, quia incipiat a publico, & desinat in publicum; Secundo, quod longo tempore per eam publice iter haberi consueverit. Et tertio, quod solum sit publicum, publica auctoritate ad id destinatum, nisi accedat immemorabilis, cujus vigore, cum quicumque titulus de mundo melior allegari valeat, dicta publica auctoritas cum sola allegatione probata dicitur, ad id allegantes text. *in lib. 2. §. viam & §. via publica, ff. ne quid in loco public.* Rip. *in l. quominus, n. 92. ff. de flumin.* Bertazz. *cons. crimin. 471. n. 7.* Laderch. *cons. 134. n. 5.* Palm. *cons. 59. n. 2. & 11.* Menoch. *cons. 448. n. 13.* Surd. *d. dec. 42. n. 3.* Ripoll. *de regal. cap. 40. n. 9.* Sixtin. *de regal. lib. 2. cap. 2. n. 22.* Paitell. *exped. 67. & in annotationibus, ac alios.*

De primo & secundo requisito nulla erat controversia, primum enim justificabatur per rei evidentiam, dum ista controversa via initium habebat a dictis Castris, seu a dictis duabus viis indubitate publicis, & Romanis, nuncupatis *di Rietti, e delle Molette*, ac desinebat, vel in altera etiam publica & Romana nuncupata *di Correse*, vel in flumine publico. Et alterum publici itineris, saltem ab anno 1663. quo, ut infra, prætendebatur hæc via constructa per Ducem Jo: Antonium Ursinum tunc dicti Status Montis Libreti Dominum, erat pariter incontrovertibile. Unde difficultas reducebatur ad tertium, quod mordicus contendebant dicti scribentes, cessante titulo destinationis soli publica auctoritate, justificandum esse cum immemorabili, nedum ex parte actoris non bene probata cum requisitis vulgaria glos. *in cap. 3. de præscript. in 6* sed etiam improbabili, dum plures dabantur testes concludentes, istam dictæ tenutæ partem, alias sylvatam, de dicto anno 1633. a præfato Duce Joanne Antonio, atque de ejus mandato disboscatam fuisse, redactamque ad eam formam, quæ cernebatur; Ideoque dato tam recenti initio, prorsus exclusa remanebat immemorabilis, cujus potissimum, ac magis peculiare requisitum est, ut non constet de initio.

Ponderato etiam in contrarium urgenti adminiculo, quod in divisione confinium sequuta inter eosdem de Ursinis, tunc respective dominos Montis Libertinorum & Montis Rotundi, ac tenutarum nuncupatarum *del forno & sacco repozzo*, in quorum extremis controversa via reperiebatur; Ac etiam in pluribus venditionibus herbarum, aliisque actibus, unum territorium ab altero, seu unam tenutam ab alia distinguentibus, nulla reperiebatur mentio hujus viæ, quæ si esset antiqua & publica, verisimiliter adjecta esset tanquam confinis publicus invariabilis.

His tamen minime obstantibus, pro Burghesio scribens, cum sensu etiam veritatis, nisi causæ affectio fascinaret intellectum, ut in Advocatis sæpe contingere solet, justitiam probabilius huic parti assistere dicebam, prout aliis quoque defensoribus videbatur, quoniam ubi etiam omnia præmissa venirent de jure admittenda, itaut stante certa justificatione duorum primorum requisitorum, Burghesio, & aliis transire volentibus, incumberet onus justificandi dictum tertium requisitum soli publici, utpote publica auctoritate ad id destinati; Adhuc admissa etiam lectura partis adversæ, ac dicto testium ab ea inductorum, id satis justificatum videbatur, quoniam Dux Joan. Antonius, de cujus mandato hæc via de anno 1633. pro commodo transitu plaustrorum, seu curruum & barotiorum aperta, & constructa prætendebatur, non erat dictæ tenutæ privatus dominus, illam jure privati dominii ad 5
solam fructuum perceptionem possidens, sed erat dominus totius castri & territorii cum jurisdictione & imperio, itaut penes ipsum resideret publica auctoritas sternendi & custodiendi eas vias publicas, quæ juxta distinctionem, de qua infra, dicuntur in jure privatæ, ad differentiam basilicarum, seu viarum militarium, quæ solæ intra districtum Urbis sunt sub jurisdictione, & cura Ædilium, qui vulgo *viarum magistri* nuncupantur, reliquæ autem sunt sub jurisdictione & cura Baronum, & domicellorum, seu Civitatum, ut communis, inconcussa & notoria observantia docet.

Unde dato quod præfatus Dux, tamquam dominus jurisdictionalis, publicam habens auctoritatem, viam prædictam in suo territorio aperuerit, juxta ejusdem partis lecturam, illam viam curribus & barotiis aptam reddendo, exinde videbantur esse in probatis circa dictum tertium requisitum, cum ita solum effectum esset publicum, utpote publica auctoritate destinatum. Ideo- 6
que remanebant extra casum dictæ, & aliæ auctorita-

tes

tes in contrarium deduci solitæ, de quibus præsertim Surd. *dec.* 42. Paitell. *exped.* 67. Rota *dec.* 101 *part* 4. *rec. tom.* 2. Romana servitutis 29. Januarii Coram Cerro, utpote percutientes vias vicinales per privatos agrorum dominos apertas, & usitatas pro suorum agrorum privata commoditate; sive percutientes illos scurtos, quos itinerantes ad evitandam longiorem, seu incommodiorem viam publicam, facere solent per agros privatorum ignorantium, seu tolerantium, atque hic est casus frequentior, de quo in allegatis Rotæ decisionibus; Idemque per agri dominum prætendebatur in casu, de quo apud Cavaler. *dec.* 631. & juxta casum de quo in Spoletana *disc. seq.* Sed ubi habemus factum positivum ipsiusmet domini sternentis viam in proprio fundo per eum possesso, non jure privato, sed jure baroniæ, seu dominii publici, atque non ad privatam alicujus prædii commoditatem, sed ex ratione usus publici, tunc nil aliud ad publicitatis qualitatem desiderandum remanere videtur, unde clarum æquivocum credebatur dictas & similes auctoritates ad hanc facti speciem applicare.

7 Clarius autem, stante subsequuta observantia, comprobante talem fuisse præfati Ducis Jo: Antonii voluntatem, ex receptissimo quotidiano axiomate, quod observantia est optima omnium rerum ambiguarum interpres; Cum enim per octo & ultra annos, idem supervixisset, atque publice & palam, ipsomet, ejusque ministris & officialibus scientibus, & videntibus, publicum iter habitum fuisset, nunquam se opposuerunt, sed actum contraria voluntatis ostenderunt. Idemque fecerunt, Dux Sancti Gemini successor, ejusque officiales ministri, usquequo dicta venditio sequuta est; Atque per plures etiam annos ita continuarunt officiales & ministri ejusdem Barberini, novi domini.

Item ista venditio sequuta fuit ad æstimationem regulandam, non a valore bonorum in sorte, sed in redditu ad rationem scilicet duorum circiter pro centenario; unde venditores, ad reddendum quo majus possent pretium, diligentissime dederunt notulas omnium fructuum & proventuum, etiam quarumdam gallinarum, quæ a vasallis præstari solent, necnon redditus sylvarum Montorii existentium sub lite cum illa Communitate; Et quod magis est, proventum angariarum super jure cogendi vasallos ad asportandum frumentum ad flumen, & sic redditum, qui habet jusis resistentiam, juxta ea, quæ habentur in dicta Sabinen. Status Montis Libretti, *sub tit. de feud. disc.* 65. ideoque omnino probabile videbatur quod istum redditum quoque apposuissent, si transitus fuisset privatus, itaut pro eo mercedem exigere licuisset.

8 Dicebant agentes pro Barberino, istud tanquam novum dominum non teneri servare id, quod servare placuerat Ursinis ejus prædecessoribus, qui potuerunt negligere eorum jura, ab eo non negligenda, sed ista responsio vere nullius videbatur momenti ex pluribus. Primo & principaliter, quia dicti actus deducebantur, non tanquam inductivi servitutis, seu præjudicii, sed tanquam interpretativi, seu comprobativi voluntatis, quam dictus Dux Joannes Antonius habuit in dicta via sternenda, ut scilicet id facere voluerit animo construendi viam publicam cum publica auctoritate, quo sequuto, ex tunc iste locus hujusmodi qualitatem assumpsit.

Secondo, quia tunc successor non ligatur facto prædecessoris, quando venit jure suo independenter, secus autem ubi habet ab eo causam & dependentiam, ut ita distinguendo firmant DD. de quibus apud Rovitum *decif.* 71. *num.* 62. Et tertio quia ea, quæ semel usui publico destinata sunt, non possunt amplius retractari, atque in ejusdem

9 publici usus præjudicium redigi ad statum privatum ad text. *in l. diligenter, C. de acqueduct. lib.* 11. Borgnin. *dec.* 6. *n.* 49. *par.* 5. Cancer. *part.* 3. *variar. cap.* 4. *de servitutibus*, *n.* 244. *in fin.* & habetur in Urbevetana aquæ, seu fontis, *sub tit. de servitutibus*, in qua ex hoc motivo judicatum fuit, non licere divertere quandam aquam, etiamsi dicta destinatio facta fuisset per privatum & jure privato, multo magis dum auctoritate publica, ob quam stantibus aliis viæ publicæ requisitis, ista qualitas jam impressa fuit.

Verum ubi hæc omnia cessarent, itaut cessante dicto facto positivo Ducis Jo: Antonii, procedendum esset cum solis terminis probationis viæ publicæ a solo usu, Plures ex judicibus credebant, quæstionis decisionem pendere ab inspectione, quisnam contendentium esset actor, vel reus, ad effectum videndi, cuinam incumberet onus probationis, an scilicet Burghesio probandi qualitatem publicam, vel Barberino istam excludendi, ac probandi solum esse privatum.

Atque in hoc satis hincinde elaboratum fuit super quæstione, an intentans remedium, *l. diffamari*, *ff. de ingen. & manumiss.* quod vulgo in Curia *jactationis & jactationum* dicitur, censendus esset actor, vel reus.

Pro meo autem judicio, dum non agebatur in possessorio, sed in petitorio, ac negotio principali, inanis videbatur iste labor, quoniam cum non dubitaretur Barberinum esse dominum pleno jure naturæ, per quam iste transitus prætendebatur, idcirco in petitorio, qui allegat negatoriam, dicitur eo ipso habere intentionem fundatam in rei suæ libertate, nisi per prætendentem onus, vel servitutem probetur contrarium, ut plene *dicta decis.* 101. *par.* 4. *rec. tom.* 2. ac habetur in Spoletana viæ *disc. seq.* Unde supponitur, quod dominus fundi sit actor intentans negatoriam, & tamen non gravatur onere probandi, ideoque dicta quæstio in aliis casibus, seu terminis agitata, præsertim vero ad effectum competentiæ fori, seu attentatorum, non videbatur istis terminis congrua. 10

De reliquo enim, satis huic parti expediisset causam reduci ad istum punctum, quoniam ita onus probationis tute transferri debuisset in alteram; Licèt enim ista quæstio antiquitus fuisset involuta, ut liquet ex deductis hincinde per Cacheran. *decis.* 151. & per Muscatell. *in praxi*, *part.* 1. *glos. reus*, *n.* ubi latius Prat. in addit. *vers. ad quest. fol.* 20. ubi allegantur Afflict. *decis.* 268. volens intentantem tale remedium esse actorem, & Capyc. *dec.* 18. volens contrarium; Attamen hodie, præsertim in Rota & Curia, recepta videtur distinctio, ut quoad onus probandi diffamationes, seu jactationes, intentans remedium sit actor, quo vero ad negotium principale; sit potius reus voluntarius, ut apud Cavaler. *decis.* 587. *decis.* 417. apud Postium *de manut. decis.* 102. *num. fin. part.* 6. *recent.* 57. *num.* 31. *& sequent. part.* 7. & aliis, atque non semel habetur *sub tit. de jurisdictione & foro competenti*, ac etiam in Romana legati *sub tit. de feud. disc.* 33. Sive quod procedendum sit cum distinctione, de qua *disc.* 500. *n.* 12. *& sequent. par.* 5. *recent.* & in aliis *in dicto disc.* 33. *sub tit. de feud.* ut scilicet spectetur, an intentans tale remedium sit possessor necne, ut primo casu sit reus, in secundo autem actor, & sequi videtur in Firmana beneficii 28. Aprilis 1659. Cerro, & semper hujus partis potior fuisset conditio, dum erat in possessione, sed mihi videbatur quæstio a casu extranea. 11

Ideoque, pro meo judicio, restringi videbatur quæstio ad punctum, an ex parte prætendentis viæ, ac soli publicitatem, docendum esset de usu immemorabili, ut probandum esse contendebant scribentes in contrarium per text. *in leg. fin. ff. de loc. publ. & l.* 2. *§. vicinales*, *ff. ne quid in loc. publ.* ut glos. verbo *constitutum sit*, & DD. de quibus apud Surd. *dicta decis.* 42. Paitell. *expedit.* 67. & alios superius allegatos super requisitis; quoniam si hujusmodi probatio huic parti incumbere deberet, ut opinabantur votantes pro altera, Egomet agnoscebam difficultatem, quia licet per enunciativas contentas in publicis Instrumentis usque ab annis 1601. & 1604. ac plures testes deponentes a 40. & 60. annis citra, & a tempore immemorabili, constaret in loco adfuisse viam, nihilominus ob plura, quæ in contrarium deducebantur, probabilius perfecta immemorabilis probatio non aderat, nec fieri poterat.

Bene tamen aderat illa longissima quasi possessio annorum 50. & ultra, qua contenta fuit Rota apud Cavaler. *dec.* 631. *n.* 2. cum ipsa esset concludenter approbata nedum per dictas enunciativas, aliaque adminicula, sed etiam per plures testes, bonas & concludentes scientiæ causas reddentes, quorum fides non tollebatur per testes deponentes de moderno initio anni 1623. de mandato Ducis Joannis Antonii, quoniam, ultra plures circumstantias in isto testium conflictu primis potius assistentes, Ego dicebam, recte istos testes reduci ad concordiam, pro qua inducenda omnis possibilis intellectus est capiendus, ad glos. & DD. *in cap. cum tu testibus*, Gregor. *decis.* 131. *num.* 37. *& seq.* Merlin. *dec.* 608. *n.* 24. ubi quod uni testes alios declarant, vel supplent, Adden. ad Buratt. *decis.* 431. *in fine*, & Rota sæpius. 12

13

Cum enim antiquiori tempore non haberetur iste commodior usus ducendi ligna cum curribus, seu plaustris & barotiis, sed ducerentur in dorso animalium sufficiebat pro publico itinere angusta via duorum, vel trium pedum, neque suberat necessitas ut illa esset per loca magis plana & commoda; Postquam vero usu haberi cœpit iste commodior modus, pro quo latior, & commodior via necessaria erat, Dux Jo: Antonius dicto moderno tempore

eam construxit; Et sic id, quod moderno tempore gestum erat, non percutiebat substantiam viæ in genere, sed ejus majorem latitudinem, ac aptationem, ideoque veritatem respective dicebant omnes testes hinc inde inducti, licet judices nullam fidem, neque istis, neque aliis præstare vellent, itaut nec quidem eos nominari sinerent, utpote rusticos, ad cujuslibet partium opportunitatem deponentes, quod damnare non poteram.

14 Pro solutione igitur dicti objecti ex allegatis juribus, & auctoritatibus deducti, circa necessitatem probandi viæ publicum usum per tempus immemorabile dicebam, quod bene inspectis, ac ponderatis juribus ad materiam agentibus, istud videbatur æquivocum clarum. Pro cujus dilucidatione advertebam, *text. in l. fin. ff. de locis, & itineribus publicis*, duas tantum constituere viarum species, unam militarium, alteram vicinalium, dicendo per verba præcisa, *Militares dicuntur, quæ habent exitum ad mare, aut in Urbem, aut flumina publica, seu ad aliam viam militarem: Vicinales dicuntur, quæ ex privatorum agris collatæ sunt, quarum pars in militares vias exitum habet, pars autem sine ullo exitu intermoritur, &c.* atque in hac secunda specie, text. immemorabilem ad publicitatem inducendam exigit.

Ista distinctio est manca, dum totius Orbis usus docet, plures alias adesse viarum species, quare melius distinguit alter tex. *in l. 2. §. viæ publicæ, vel viarum, ff. ne quid in loco publico*, ubi tres viarum species generales constituuntur, scilicet *publicæ, privatæ, & vicinales*.

Publicæ sunt illæ, quas Græci appellant *Basilicas*: antiqui autem Jurisconsulti, juxta usum Pandectarum, & Codicis, vel linguæ latinæ professores, vocant *Militares, Consulares, vel Prætorias*, Feudistæ vero, & alii eas vocant *Regales, regias, magistras, seu stratas* per antonomasiam, & in materna lingua juxta usum Urbis, & locorum adjacentium dicuntur *strade Romane*; Et hæc proprie est illa viarum species, quam text. *in c. unic. quæ sint regalia in usibus feudorum* ponit inter Regalia, & ibidem communiter feudistæ, verbo *via publica*.

Atque in istis cadit quæstio, quæ fere per totam Europam, præsertim in Urbe, & in Sac. Consulta frequenter habetur inter majora Tribunalia Supremi Principis, ac
15 Barones, seu Officiales inferiores, super privativa cognitione disrobationum, aliorumque delictorum, quæ in iis committuntur, ut liquet ex Ripoll. *de Regalib. cap. 40. per tot. præsertim n. 21. cum seqq. ubi cæteri*.

Prout istæ antiquitus erant per totum Imperium Ro-
16 manum sub cura Ædilium, de quorum jurisdictione agunt Borell. *de præstant. Reg. Catholici, cap. 7.* & bene Rovit. *cons. 58. l. 1.* & quorum auctoritas hodie in Urbe intra districtum exercetur supra, & quandoque cum Præsidente per totum Statum ex iis, quæ habentur *in Reatina taxæ pro Communitate Nursiæ, in hoc tit. disc. 141.* quia respiciunt publicum commercium in universum, & communicationem cum toto Orbe, atque istæ sunt propriæ viæ existentes sub immediata Supremi Principis protectione, sub qua tamen etiam sequentes esse non desinunt.

Privatæ sunt illæ, quæ exeuntes a via consulari, ducunt ad vicos, colonias, & castra, & respective ab istis reducunt ad viam consularem; Dicuntur autem privatæ, ad differentiam dictæ præcedentis speciei, eo quia ad usum aliquorum locorum, seu populorum tantum deserviunt, non destinatæ communicationi universali, proportionabiliter autem, & discretive sunt etiam publicæ, respectu illorum vicorum, & coloniarum, seu populorum in eis viventium.

Ut puta, exit ab Urbe via consularis, vulgo dicta *strada Romana*, recto tramite ducens per agrum Tusculanum, vel Albanensem, & successive per alia loca, usque quo ducat ad mare, Civitatem, vel flumen, ubi desinit, atque hæc est prima species viæ; Verum ab ista, tanquam matrice, exeunt, vel respective ad eam ingrediuntur plures viæ ducentes ad castra, & alia loca, ad quæ itinerando per dictam viam consularem, accessus, vel recessus haberi non potest, & hæc est secunda species, quæ in jure privata nuncupatur, ad differentiam consularium, sub nomine stratæ, seu viæ publicæ propriæ venientium, sed in se est etiam publica.

Quinimo, & hæc secunda specie subdistinguitur, quia intra ejusdem Civitatis, Oppidi, vel Castri territorium, adsunt viæ, quæ in sui genere proportionabiliter, & respective dici possunt majores & consulares, ex quibus habetur ingressus, & regressus per alias parvas vias, privatorum agros intersecantes, pro commercio de una contrata ad alteram ejusdem territorii, cujus cultura, & communicatio alias haberi non potest, ut edocemur non solum ex dictis juribus, sed etiam ab ipso jure naturæ, & communi totius orbis usu necessario, & de hac secunda specie agitur apud Caval. *disc. 631.*

In istis prima, & secunda viarum speciebus, prorsus erroneum videtur in jure desiderare in transeuntibus necessitatem probandi immemorabilem, vel aliam probationem, quod illud solum sit publicum, publica auctoritate ad id destinatum, quoniam neque allegata jura, neque DD. id cogitant, ipse enim usus commercio necessarius publicitatem probat, cum jura de dicta probatione loquentia, percutiant tertiam speciem viarum, de qua infra. Cum enim fere omnes viæ Orbis, sive sint de prima, sive de secunda specie prædictis, intersecent per agros, & tenutas privatorum, atque sæpius unus sit agri dominus ab una, & altera viæ parte; Hinc sequeretur, quod ita in cujuslibet libito positum esset claudere vias publicas, illas præsertim parvas juxta secundam partem subdistinctionis, & cogere vecturales, ac itinerantes ad probandam immemorabilem, vel destinationem soli publica auctoritate, quo nil absurdius, adhuc in jure non auditum, cum id solum procedat in illis scortis, quæ prope vias publicas magis, lutuosas, vel alias incommodas, itinerantes facere solent per agros privatos juxt. casum, de quo *in Spoletana, disc. seq.* in hoc versatur æquivocum.

Tertia demum est species viarum vicinalium, quæ propriæ sunt illæ constitutæ ex privatorum agrorum conflatione, atque aliquorum privatorum prædiorum usui, & commoditati principaliter destinatæ sunt, quamvis accidentaliter aliis quoque deserviant, prout frequenter contingere solet in illis tenutis, vel casalibus, quæ conceduntur ad vinearum constructionem, quia totum solum est juris privati, & constat de origine status privati ex ipsa rei evidentia, vel situatione: destinantur autem aliquæ viæ per eosdem concessionarios, vel concedentes pro singularum vinearum, seu prædiorum commoditate, & istæ sunt viæ, de quibus dicit text. *in d. l. fin. ff. de loc. public.* quod aliquæ inter ipsa prædia intermoriuntur, aliquæ vero exeunt ad vias consulares, vel mare, seu ad flumen.

De hac ultima specie agunt DD. de quibus Surd. *dec. 42.* Laderch. *cons. 124.* Menoc. *cons. 448.* Paitell. *expedit. 67.* Rot. *d. 101. p. 4. rec. t. 2. & d. Romana servitutis*, coram Cerro, quia sunt viæ per agros, & fundos privatos, introductæ principaliter pro privato usu, & commoditate, unde ad effectum, ut immutent qualitatem, atque ex privatis fiant publicæ, dicta requisita desiderantur, & hæc videtur vera theorica, & ipsissima genuina legalis veritas.

Applicando igitur istam theoricam ad præsentis controversiæ praxim, agitur in hac facti specie de multis Castris, & Oppidis, tam quoad blades aliaque victualia, quam quoad ligna fabrilia, & combustibilia, quamdam hincinde necessariam communicationem habentibus cum Urbe per flumen, ad quem aliter non habetur accessus congruus cum curribus, seu plaustris, aliisque instrumentis, ad lignorum, aliorumque bonorum evectionem opportunis, nisi per istam viam principaliter destinatam, ac deservientem non privato usui aliquorum prædiorum, sed usui, & commercio publico Urbis, ac populorum in dictis Castris, & Oppidis viventium; Igitur pernecesse dicendum venit, & esse in casu viæ publicæ, non quidem juxta primam speciem viæ consularis, sed juxta secundam, non autem juxta tertiam viæ vicinalis, in qua solum requisita ex adverso deducta desiderantur.

In ista enim materia spectanda est situatio, seu finis, ad quem principaliter controversia via destinata est, & deservit. Si enim principalis destinatio est ad usum, seu 17
commodum privatum aliquorum prædiorum, itaut sit via de sui natura privata, sive quod ex rei evidentia, vel situatione pateat, agrum esse privatum prope viam publicam longiorem, vel incommodiorem, quam deserendo itinerantes iter habuerint per talem agrum, tanquam per commodiorem scortium, juxta casum de quo *in d. Spoletana viæ, disc. seq.* & tunc non constito de destinatione facta auctoritate publica, ob quam solum alias privatum, efficiatur publicum, admittebam necessariam esse immemorabilem, juxta allegatas auctoritates, istos casus proprie percutientes; Sed ubi usus est principaliter publicus, quinimo necessarius ad humanum commercium, tunc, ut evidenter patet ex lectura dictorum jurium, ac omnium Doctorum de materia agentium, atque docet usus communis, casus est indubitatus, ut posito eo requisito, quod incipiat a publico, & desinat in publicum, præsumptio stet pro publi-

publicitate, donec probetur contrarium, ut apud Caval. *dec.* 631. ac supponunt omnes firmantes jam receptam, &
18 vulgatam propositionem, ut via, quæ incipit a publico, & desinit in publicum, præsumatur publica, ut ultra Cavaler. *d. dec.* 631. Isernia *in c.* 1. *quæ sint Regalia*, verbo *via publica*, *n.* 3. Afflict. *ibid. n.* 6. Surd. *d. dec.* 42. *n.* 3. Franch. *decis.* 142. *n.* 3. Tondut. *q. civil.* 133. *n.* 10. *cum seq.* & omnes.

Præsertim ex dicta circumstantia necessitatis commercii activi, & passivi cum Urbe, ad quam ligna, & alia bona hujusmodi asportari non possunt per terram in dorso animalium, minusque per aerem, sed pernecesse per flumen, ad quod non constat aliam adesse viam, ideoque cum ista castra, & norma in eorum territorio existentia, sint antiqua etiam de tempore antiquæ triumphantis Romæ, quæ utpote longe majorem populum in centuplo habens, majorem habebat necessitatem lignorum, & aliorum bonorum, ab his adjacentibus locis vehendorum, idcirco pernecesse supponenda est via, per quam d. accessus haberi posset, & hoc est, quod mathematice convincere videbatur hanc veritatem circa existentiam viæ publicæ in genere, quamvis circa latitudinem,elioremque aptationem, cum aliqua etiam loci immutatione, illa quæ nunc extat dici potest moderna.

Neque per hujusmodi viam præjudicatum dicebam dominio tenutæ, a qua hincinde illa circumdata est, quoniam viarum dominium ad quatuor effectus considerari solet. Unus est usus, & dicitur omnium, seu nullius. Secundus est defensionis, & protectionis, & Supremi Principis, atque isto respectu viæ dicuntur de Regalibus, & Principi
19 reservatis. Tertius jurisdictionis, & sunt Civitatis, vel domini loci (exceptis casibus, in quibus idem Princeps prætendit privativam, vel cumulativam.) Et quartus est quoad dominium soli, & est Civitatis, vel etiam privati, per cujus agrum viam intersecat, quia non implicat, viam ad dictos tres alios effectus esse publicam, & in reliquis esse partem, seu membrum fundi privati, *communiter feudistæ in c.* 1. *quæ sint Regalia*, verbo *via publica*, Afflict. *de jur. prothom.* §. *ult. n.* 3. Borell. *de præstant. Regis Catholici*, *c.* 7. *n.* 1. & 3. *per tot.* Rovit. *cons.* 58. *n.* 2. *lib.* 1. Ripoll. *de Regal. d. c.* 40. Capoblanch. de Baron. *tom.* 1. *pragm.* 8. *part.* 2. *n.* 48. & liquet ex *d. dec.* 631. Cavaler. ubi de via intersecante castle privatum.

Et sic quando, text. *in l.* 2. §. *viam publicam*, & §. *viæ autem publicæ*, dicit quod via publica dicitur ea, cujus solum est publicum, intelligitur quoad dict. alios tres effectus, præsertim circa usum, sed non implicat eam esse publicam, in agro tamen privato existentem, cum ita sine legibus, & auctoritatibus, doceat praxis totius Mundi, etiam quoad ipsasmet vias limitares, seu consulares, & magistras, frequenter intersecantes privatorum agros campestres, & tenutas, cum non ageretur de fundo culto sepibus, vel muris recincto, cui publicus transitus esset incongruus.

Levissimum autem videbatur contrarium argumentum, in quo aliqui adeo se fundabant, deductum ex eo, quod in
20 antiquis divisionibus, hujusmodi via posita non esset pro confine. Tum quia, viæ, flumina, & similia tamquam fines publici, & invariabiles, distinguere quidem solent territoria, & jurisdictiones, sed non est confinatio, quæ concludat pernecesse, ut in proposito fluminis forte habetur *in Sabbinen. territorii* inter eosdem Principes Burghesium, & Barberinum, *sub tit. de jurisd.* Tum clarius ex facto, quia illius viæ situs ostendebat illam esse totam in d. tenuta nuncupata *del forno* de territorio Montis Libertinorum, quod etiam patet ex ipsismet probationibus alterius partis, dum dicitur aperta, & constructa per ducem Jo: Antonium de ann. 1633. quando Princeps Barberinus erat jam Dominus castri confinantis Montis Rotundi, acquisiti ab alio Ursinorum colonello, de quo habetur in Romana fideicommissi de Ursinis, *sub titul. de feudis ad materiam Bullæ Baronum*, *disc.* 84.
21 Idcirco prudenter istud confine neglectum fuit, quoniam terminus dicitur ille, qui participat de extremo, Hier. de Monte *in tract. de finibus*, *c.* 13. *n.* 2. Rot. *dec.* 236. *n.* 8. *p.* 6. *rec.* Unde dicitur utique confinanti communis, proindeque in delictis, quæ occurrunt in via publica confinante, seu dividente duo territoria, locus est præventioni, & sic fatuitas fuisset ita facere commune id, quod totum erat unius ex confinantibus.

ANNOT. AD DISC. CXXXVI.

Ista causa adhuc pendet in eodem statu, ut in discursu, & ad hanc materiam viarum conferunt ea, quæ habentur *disc. seqq. & tit. de Servit. disc.* 22.

SPOLETANA VIÆ, PRO CHRISTALINA, ET ALIIS CUM BASILIO CHRISTALINO.

Casus resolutus pro Aud. C. pro Basilio.

De materia viæ publicæ, quando hæc dicatur constitui etiam in fundo privato, a cujus Domino impediri non possit.

SUMMARIUM.

1 *AD inducendam servitutem viæ, vel itineris requiritur immemorabilis.*
2 *Qualis dicatur via publica, & de ejus requisitis.*
3 *An sufficiat usus per 50. annos.*
4 *Via privata, seu vicinalis potest effici publica.*
5 *Ex signis juris privati excluditur usus publicus.*
6 *In facultativis non datur præscriptio, nisi præcedente prohibitione.*

DISC. CXXXVII.

CUm inter unam, & alteram viam publicam, pro majori commoditate frequentaretur quidam scortus, seu transitus intermedians prædia partium contendentium, adeout, etiam publicæ, & solemnes processiones per hujusmodi transitum, seu scortum fierent, præsertim illæ occasione benedicendi campos, deinde vero Basilius dominus prædii, in quo d. transitus initium habebat, cancellum apposuisset in quodam arcu, seu portono, ab antiquo pariter in initio d. transitus prope viam publicam existente, itaut præfatæ Christallinæ, aliisque adjacentium prædiorum dominus usus d. viæ impediretur. Hinc orta est controversia in partibus, atque examinatis plusquam 30. testibus, per eos (absque tamen formalibus requisitis immemorabilis) probatum fuit ab antiquissimo tempore solitum fuisse per d. 1
locum publice, & palam, tamquam per viam publicam pertransiri, ac etiam publicas processiones haberi; Introducta vero, per appellationem a quodam incidenti, causa in Curia cor. Aud. C. Basilii defensores insistebant in eo, quod cum ageretur de servitute habente causam discontinuam, ad illam inducendam necessaria esset immemorabilis ex parte transire volentium non probata, ex deductis, *disc.* 101. *par.* 4. *rec. tom.* 2. ubi concordantes, quia est decisio punctualis, cum qua processum est *in Romana servitutis* 29. *Januarii* 1666. coram Cerro.

E converso autem pro Cristallina, & aliis scribens, dicebam hic non intrare hujusmodi terminos servitutis, quia non prætendebatur ejus jure transitus per alienos fundos, sed prætendebatur illam esse viam publicam, cujus requisita habebat, dum incipiebat ab una via publica, & in alteram viam pariter publicam desinebat, juxt. *decis. Cavaler.* 2
631. *cum* aliis, quæ in proposito habentur *in Sabinen. transitus*, *disc. praced.* atque stante antiqua consuetudine transeundi per hujusmodi locum, tamquam publicum, talis in dubio erat præsumptio absque necessitate probandi formiter immemorabilem cum omnibus requisitis, quia probationem per ann. 50. sufficere punctualiter firmatur ap. Caval. *d. dec.* 631. ubi in specie de via in medio fundi privati. 3

Et quamvis ex rei facie constaret, hujusmodi viam conflatam esse ex privatis prædiis vicinorum, itaut, vicinalis potius, quam publica dicenda esset, adhuc tamen, dum non docebatur de contraria memoria, publica dicenda videbatur, quia non implicat, viam ab initio constitui ex prædiis privatorum pro vicinorum commoditate, & deinde 4
ex longæva observantia effici publicam, vel saltem talem, quod omnibus vicinis non consentientibus, claudi non possit, ad text. *in l. fin. ff. de locis publicis*, Surd. *dec.* 42. *n.* 15. *cum seq.* Barz. *dec. ult.* Ruinald. sen. *cons.* 431. *n.* 22. apud quos cæteri.

Ex his, stante præsertim d. satis punctuali *decisione Cavalerii*, videbantur probabiliora esse jura Christallinæ, aliorumque pro usu viæ instantium; Sed ab initio, quando ad causæ defensionem assumptus fui, maximam mihi intulit difficultatem ille portonus semper retentus cum signis antiquæ 5
portæ, seu cancelli ad claudendum. Hoc enim ad oculum excludebat qualitatem viæ publicæ, vel etiam vicinalis, dum per dicti portoni retentionem, prædii dominus retinere dicebatur facultatem claudendi quandocumque, quod usui publico repugnat; Et quamvis satis longo tempore clausus non fuerit, neque claudi potuerit ob deficientiam portæ, seu cancelli lignei, nihilominus ponderabam hoc 6
uisse

fuisse facultativum, in quo per quemcumque temporis lapsum præscriptio non inducitur, nisi prævia prohibitione cum subsequuta acquiescentia, per tempus aptum ad præscriptionem inducendam, cum non dicatur induci possessio, nisi ex die hujusmodi prohibitionis, ut sunt nimis plana juris principia.

Et fortius augebatur difficultas, quia in eodem loco, per quem transitus fieri consueverat, prope dict. portonum, ejusdem primi prædii dominus habebat aream manufactam ad triticum, aliasque blades triturandas, quod pariter viæ publicæ repugnat, cum de tempore messium, impossibile sit dare usum viæ publicæ, nemini impediendum, eodemque tempore in eodem loco areæ usum privatum haberi. Ex quibus circumstantiis eamdem difficultatem habuit Judex, qui proinde Basilio manutentionem concessit in possessione retinendi cancellum, illumque suo libito claudendi, taleque judicium approbatum fuit per Signaturam Justitiæ, & resolutio mihi justa visa est, unde partibus consului, quod acquiescerent, nec ulterius appellationis, seu petitorii causam prosequerentur, quia in effectu totum provenisse constabat ex mera negligentia, vel impotentia domini, non faciendo cancellum, ob cujus deficientiam, tamquam per locum apertum, vicini humaniter domino conniviente hujusmodi commoditatem obtinebant, tamquam per scortum commodiorem; Continuata vero portoni retentio clare ostendebat animum domini conservandi suum jus, & claudendi quandocumque.

ROMANA SITUS,

PRO PRINCIPE BURGHESIO,

CUM PROCURATORE FISCALI ÆDILIUM.

Discursus pro veritate, cum resolutione, ut infra.

Ripa fluminis, vel alter situs prope flumen, An dicatur juris publici, & de regalibus.

Et, an in iis, quæ prætenduntur esse de Regalibus, & juris publici, locum habeant interdicta possessoria sine justificatione tituli.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *In iis, quæ sunt juris publici, vel de regalibus non datur possessorium sine titulo.*
3 *Fallit, quando possessio est diuturna.*
4 *Item declaratur, ut procedat in iis, quæ sunt indubitanter publica, & de regalibus, secus ubi potest dubitari.*
5 *Ripa fluminis quoad usum est juris publici, sed quoad dominium est domini prædii adjacentis.*
6 *Talis est observantia ripæ fluminis in Urbe.*
7 *Quid de illis sitibus, seu areis, quæ sunt inter ripam, & adjacentia ædificia urbana.*

D I S C. CXXXVIII.

1 Palatium olim Cardinalis de Monte prope Portam, & Ecclesiam S. Mariæ de Populo, possessum a Principe Burghesio ob aeris suspicatam insalubritatem ad usum granariorum, seu locandum satis privatæ fortunæ viros, habet inter ejus faciem, & flumen, quandam plateam, seu aream, quæ ab annis 50. & ultra jure privato ab eod. Cardinali, & successive a Burghesio particulari successore possideri consuevit, itaut ligna, & alia bona per flumen venientia ibi exponi, sed alia fieri non potuerint, nisi per eos, quibus ipse, vel ejus conductores, & ministri concesserint, eodem modo, quo in plerisque consimilibus areolis, & sitibus existentibus inter fluminis ripam, & adjacentia ædificia fieri consuevit, & solet per eorumdem ædificiorum dominos, vel per alios privatos, seu loca pia, in iis partibus, in quibus tales situs ædificiis non cohæreant. Cumque a certo tempore citra Tribunal Ædilium, alias Magistrorum Viarum sub nomine Cameræ possessionem d. situs de facto occupasset, prohibendo in eo tamquam in loco publico ligna fabrilia ad exsiccandum apponi, aliaque ibidem solita fieri, nisi cum ipsorum Magistrorum licentia, prout in aliis Urbis plateis, & locis publicis fieri solet, atque petentibus Burghesii ministris in d. Tribunali manutentionem in possessione.

Objiciebatur per procuratorem Fiscalem, ut in iis, quæ
2 sunt de Regalibus, ac juris publici non competat hoc remedium absque legitimi tituli justificatione, itaut ea sola possessio de facto, quæ alias in bonis privatis indifferentibus absque alia justificatione in hoc interdicto sufficit, non attendatur in istis ad text. *in l. quicumque, C. de fund. limitroph. l. 11.* ubi Luc. de Penna, Menoch. *de retin. remed. ult. n. 54.* Peregr. *de jur. fisci, l. 7. tit. 3. n. 50.* Buratt. *dec. 312. n. pen. & fin. dec. 605. n. 8. & 615. n. 5. p. 5. rec.* unde super his consultus ex parte Burghesii in congressu Advocatorum pro veritate inquirenda habito, mea sententia erat, cui ceteri adhæserunt, injustam videri dicti procuratoris Fiscalis prætensionem, atque de justitia locum esse debere petitæ manutentioni.

Primo quia, hujusmodi conclusio procedit in simplici possessione, quæ dici non valeat diuturna, & temporis satis considerabilis, secus autem ista concurrente, cum ei assistat præsumptio, proindeque huic interdicto locus est ex ea ratione, quod præsumendum non est, talem possessionem tandiu publice toleratam fuisse, nisi legitimus adfuisset titulus in petitorio justificandus, ut in puncto possessionis littoris maris, quod est absque dubio de Regalibus, Rot. *dec. 27. n. 18. p. 1. divers.* Et generaliter in Regalibus, Giovan. *cons. 9. n. 36. & seq t. 1.* Post. *de manut. observ. 44. n. 25.* Cabol. *de Baron. pragm. 1. n. 135. vers. sublimata tamen.* Et magis generaliter de diuturna possessione manutenibili, etiam in iis, quibus jus vehementer resistit, & in quibus regulariter hoc interdictum non datur Greg. *dec. 370.* add. ad Bur. *dec. 131. n. 9.* ubi concordantes. 3

Secundo clarius, quia dicta propositio in objectum deducta, procedit cum certo præsupposito, quod ageretur de jure publico, & quod de sui natura sit de illis Regalibus, quæ sine Principis concessione possideri non possunt, itaut factum sit certum circa rei possessæ qualitatem, atque sola quæstio reducatur ad punctum juris, an scil. diuturna possessio absque titulo sufficiat necne, puta quia agatur de littore maris, de via Consulari, de jure exigendi vectigalia, & de similibus, quæ certam ac notoriam habeant faciem loci publici, seu qualitatem Regaliæ, secus autem ubi res esse potest juris privati, atque possessor contendat eam esse talem, itaut quæstio sit potius facti super ipsius scil. rei naturæ, & qualitate, quam juris super Regaliæ acquisitione; Tunc enim dicebam, cum sensu etiam veritatis, versari extra casum quæstionis, quoniam non datur præsumptum super præsumpto, atque dum res pernecesse non est juris publici, & de Regalibus, sed ei convenire potest jus, vel dominium privatum, tunc dicta conclusio non intrat, neque ob solam prætensionem, quod sit juris publici, possessor, præsertim diuturnus, de facto sua possessione spoliandus est, ut ita distinguendo admittitur in consiliis 1. 2. & 3. Peregr. *l. 1.* ubi Principis privilegium non litigandi manibus vacuis, neque patiendi interdicta possessoria, satis probatur. 4

Potissime dum subjecta materia ex sui facie, privatum potius quam publicum jus præsefert; itaut privato assistat præsumptio, ut in præsenti, dum agebatur de ripa fluminis, quæ circa usum navigationis est juris publici, sed circa dominium dicitur illius, qui est dominus prædii adjacentis, *§ riparum Instit. de rer. divis. ubi Repetentes institutiste,* Peregr. *de Jur. Fisci l. 1. tit. 1. n. 24.* Rosenth. *de feud. c. 5. concl. 22. nu. 3.* Sixin. *de Regal. l. 2. c. 5.* Montan. *eod. tract. verbo ripatica, n. 1.* 5

Tertiu corollarie, quia talis est natura omnium aliorum consimilium situum, vel arearum: Exceptis enim iis, qui ex antiquissimo usu reputantur juris publici, utpote publico usui destinati, reliqui omnes jure privato possidentur, ut plurimum per adjacentium ædificiorum dominos ad usum viridariorum, vel ad alios sibi placitos usus, ideoque facilius iste situs præsumitur ejusdem qualitatis, ex iis, quæ habentur *in Comacl. Vallium, disc. 2.* & in aliis, *sub tit. de feud.* ut scil. ad regulandam rei naturam, & qualitatem, an sit feudalis, vel allodialis spectetur natura omnium, vel majoris partis bonorum adjacentium consimilis qualitatis. 6

Et quamvis objicerent Camerales, seu ii, ad quos istas materias pro publicitate tueri pertinet, præmissa procedere in ipsa ripa, non autem in hujusmodi area inter ripam, & adjacentia ædificia existente, cum dici non possit ripa, hoc tamen ad rem nil facere videbatur, argumento ducto a majoritate rationis ad text. *in auth. multo magis, &c.* quia si ipsa ripa publico usui destinata, & consequenter de publico jure magis participans, dicitur de privato dominio eorum, qui sunt domini adjacentium prædiorum, multo magis idem dicendum est de illo situ, seu area, quæ intermediat, de jure privato magis participantes, præsertim stante dicta communi observantia individuali consimilium arearum vel situum.

Dice-

Dicebant quoque d. opponentes, observantiam prædictam esse circa illos situs, qui cum muris, vel sepibus sunt jam recincti, atque juris privati effecti sunt, secus autem in isto, qui publice omnibus patet, præsertim, quia cum duo adessent viculi, seu parvæ viæ ducentes a platea, nuncupata populi, ad flumen, & transitus haberi poterat per istum situm ab una ex illis viis ad alteram, ideoque inferebant eumdem quoque situm dici publicum ex eo, quod incipiat a publico, & desinat in publicum. Sed vere hoc levissimum videbatur fundamentum, dum loci situatio excludebat publicum transitum, & commercium de via ad viam, neque modo aliquo intrabant rationes, ob quas initium a publico cum desinentia in publicum inducit præsumptionem publicitatis, nam etiam per prata, & campos apertos haberi potest transitus ab una via publica ad alteram, multaque desiderantur ad hanc publicitatem, ut in duobus discursibus præcedentibus; Et ulterius dicebam, hanc esse unam de præsumptionibus, seu adminiculis publicitatis, deducendam in petitorio, sed non concludere pernecesse publicitatem, & regalia, ita, & taliter, quod excludat interdictum possessorium, ac exigat pernecesse justificationem tituli.

REATINA TAXÆ, PRO ILLIS DE NOBILIBUS, CUM COMMUNITATE CIVITATIS REATINÆ.

Casus per compositionem sopitus.

De contributione, seu taxa pro refectione pontium, & viarum, quomodo per dominos prædiorum, vel alios facienda sit.

S U M M A R I U M.

1 *Possidentes bona adjacentia ad mensuram commoditatis, & bonorum; tenentur ad refectionem pontium, & viarum.*
2 *Intellige in bonis sitis in territorio Civitatis collectantis.*
3 *Quælibet Communitas reficit pontes, & vias in suo territorio.*
4 *Declaratur.*
5 *Cessante utilitate cessat obligatio contribuendi ad refectionem.*

D I S C. CXXXIX.

Cum pro refectione cujusdam pontis, & viæ publicæ in territorio Reatino, Communitas ejusdem Civitatis notabilem summam erogasset, ex taxis, & contributionibus privatorum, juxta consuetum, reficiendam, imposuit proinde collectam, in qua taxavit illos de Nobilibus possessores cujusdam tenutæ, seu castri diruti, nuncupati *Repasto*, ad satis gravem summam, tertiam fere partem totius expensæ importantem, sub prætextu majoris adjacentiæ tenutæ prædictæ pontis, & viæ refectis, unde istis, utpote gravatis, Congregationem Boni Regiminis adeuntibus, Pro eis scribens, dicebam, quod licet pro refectione pontium, & viarum teneantur omnes bona possidentes contribuere per æs, & libram, habita proportione contiguita-
1 tis, ac majoris, vel minoris commoditatis, itaut oneris incommodum regulam a commodo desumat juxta dispositionem, text. *in l. 2. C. de immun. nemini concedenda*, ubi recte Bart. cum quo cæteri pertranseunt collecti, per Peregr. *cons. 102. nu. 7. lib. 1.* Riminal. jun. *cons. 10. per tot.* Kloch. *de tribut. cap. 9. n. 71.* Cohell. *ad Bull. boni regimin. cap. 28. n. 50. cum seqq.* ubi late agit, an, & quando Ecclesiastici ad hujusmodi contributionem teneantur, & collectari possint, *de quo in Barchinonen. hoc tit. disc. 98.*
2 Attamen id procedit in bonis sitis in territorio ipsius Civitatis collectantis, quorum respectu intrat quæstio agitata per Peregr. Kloch. & alios ubi supra, num scil. requiratur utraque subjectio personarum, & bonorum, vel sufficiat illa bonorum tantum; Et in qua, licet in stricta juris censura dubitari possit utramque requiri, de consuetudine tamen relata per Bart. etiam pro aliis oneribus sola bonorum subjectio spectatur, multo magis pro istis, quæ ipsorummet bonorum commodum, & gratiam respicere videtur, *ut sæpius hoc tit.*

Nemo tamen dicit Communitatem aliquam collectare posse bona extra ejus territorium existentia, in ejus æstimo non descripta, & per forenses non subditos possessa, cum in eis nullam habeat jurisdictionem, vel facultatem, nec ratione bonorum, nec ratione personarum, atque hujus qualitatis erat ista tenuta, quæ per antiquissimam sententiam ab annis centum, & ultra latam, declarata fuerat castrum dirutum jurisdictionale, constituens proprium territorium ab illo d. Civitatis separatum, ideoque collectis, & oneribus ejusdem Civitatis non subjectum, prout de facto ab ejus æstimo, seu catastro deleta fuit, consequenter nullo jure ejus possessores non subditi urgeri poterant ad solutionem collectæ, seu taxæ impositæ ipsius Civitatis auctoritate, ex omnimodæ jurisdictionis defectu.

Quatenus vero eadem Communitas prætenderet prædictæ tenutæ possessores ad hujusmodi impensam contribuere teneri ratione utilitatis exinde resultantis. Dicebam non inde posse propria auctoritate ad hujusmodi suæ prætensionis exercitium devenire, sed eam, tanquam gerentem personam partis formalis, debere adire judicem competentem rei conventi, atque ab eo, cum actione de utili in rem verso ad utilitatis proportionem (quatenus de illa constaret) contributionem petere, non solum ab hujusmodi tenutæ
possessoribus, sed etiam ab aliis castris, locis, & tenutis 3
extra ejus territorium, utilitatem, & commodum ex dicta pontis, & viæ refectione recipientibus. Quod tamen raro, vel nunquam praxis docet, quoniam quælibet reficit in suo territorio, absque eo, quod Civitates, vel loca adjacentia
de diverso territorio ad contributionem cogantur, cum istis 4
sufficiat proprias vias reficere, nam si casus nunc præbet uni, & non alteri Civitati necessitatem reficiendi, in futurum idem casus præbebit eamdem necessitatem alteri, nisi ageretur de magno ponte super flumen, qui unicus esset in provincia, vel regione, omnibus Civitatibus, & locis utilis, & commodus, cum tunc iniquum esset solam Civitatem, in qua situs est, ad ejus refectionem obligari, secus autem in iis in proprio territorio reaptandis, atque in parvis ponticellis super torrentibus, & foveis pro quadam melioris viæ aptatione constitui solitis.

Eoque magis injustam, & excessivam dicebam hujusmodi taxam, quia non constabat de utilitate, per possessores omnino negata, dum aliunde quam per pontem, & viam reaptatam, commodiorem accessum, & recessum habebant, atque qualitas adjacentiæ, in cujus ratione major taxæ summa fundata erat, dicebatur per possessores potius causa eorum damni, quia transeuntium frequentia non leve præjudicium eis inferebat.

Cessante autem utilitate, cessat contributionis obligatio, ut ultra generalia, in terminis individualibus refectionis
pontis, Cepoll. *de servit. rustic. præd. c. 70.* de Ponte, *nu. 4.* 5
in fine, ubi loquendo de ponte deservienti pro transitu distinguit, quod, aut deservit omnibus de Civitate, & per omnes refici debet, aut deservit uni tantum contratæ, seu viciniæ, & illi solum contribuere tenentur, quia ejus debet esse onus, cujus est utilitas ad regulam, text. *in leg. secundum naturam*, sed concordia litem terminavit.

ROMANA TAXÆ VIARUM, PRO ANDREA ANGELO VALENTE, CUM CAPITULO S. PETRI DE URBE.

Casus disputatus coram diversis judicibus, & vario resolutus, ut infra.

De eadem materia contributionis, seu taxæ pro refectione viarum, ad quem hujusmodi onus pertineat, An ad dominos, & locatores prædiorum, vel ad conductores: Et quid accedente pacto, ut ad conductores spectare debeat, quomodo illud intelligendum sit.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Onus aptandi vias, & pontes, seu contribuendi in taxis spectat ad locatorem, nisi agatur de conductore ad longum tempus.*
3 *Fallit accedente pacto, quod est stricte intelligendum.*
4 *Pacta a jure exorbitantia sunt stricte intelligenda, & non extendenda, itaut sufficiat, quod faciant unam operationem.*
5 *Conductor ad longum tempus, usufructuarius, & emphyteuta tenentur ad istas expensas, & contributiones.*
6 *Pro tempore tamen eorum juris durantis, itaut sit ei reficiendum pretium excessus.*

7 Taxa

7 Taxa pro refectione pontium, & viarum, licet una vice exigantur, dicuntur in effectu solvi diétim pro usu.

D I S C. CXL.

1 CONduxit ad sex annos Valente, seu alter, pro quo idem fidejussit, a Capitulo S. Petri duo casalia, sub diversis legibus, & pactis, illo præsertim, ut conductor teneri deberet ad quascumque publicarum viarum taxas impositas, & imponendas, pro quibus conventæ pensionis defalcum nullatenus prætendi posset; Cum autem casus dedisset de mense Aprilis, seu Maji ultimi anni, in quo de sequenti mense Septembris locatio terminabat, impositam fuisse per publicos Ædiles quamdam taxam pro viarum reaptatione facienda. Hinc orta est controversia, cuinam incumberet illius solutio, an locatori, vel potius conductori.

Pro parte Capituli locatoris dicebatur, casum esse planum, sub juris inspectionibus non cadentem, stante pacto claro, per quod quæcumque legis dispositio cessat, dum clarius non intrant interpretationes, & argumenta, cum tunc expensæ, per conductorem solvendæ, dicantur pars pretii, seu pensionis, itaut in effectu solvi dicantur per locatorem, cui alias regulariter admittebatur onus incumbere, per manus tamen, seu organum conductoris.

Pro isto autem scribens, non impugnabam hujusmodi generales propositiones de jure veras, dicebam tamen punctum esse in earum applicatione, seu congrua intelligentia;
2 Certa enim juris regula est, hujusmodi expensas, seu contributiones pro viarum publicarum refectionibus, spectare ad dominos, & locatores prædiorum, non autem ad conductores, quoties non agitur de locatione ad longum tempus, ut in terminis individualibus est text. *in l. Ædiles, ff. de via publica*, ubi Bart. & Salicet. *in l. in summa, C. de pignor.* Afflict. *in c. 1. quæ sint regalia*, verbo *via publica*, Roland. *cons. 83. nu. 2. 3. lib. 4.* Et generaliter in quacumque expensa refectionis, seu restaurationis, ut sunt text. *in l. ex conducto, l. Dominus horreorum, §. 1. l. Colonus, ff. locati, cum concord.* per Roland. *d. cons. 83. num. 1.* Carocc. *de locat. tit. de expensis n. 52.* Garz. *de expens. cap. 11.* Rot. *in Rom. domorum 2. Martii 1665.* cor. Verospio, & habetur pluries in sua materia, *sub tit. de locat.*

Est bene verum, quod ab hujusmodi regula receditur ex pacto, attamen istud utpote juris correctivum, seu ab ejus dispositione exorbitans, stricte intelligendum est pro solo tempore durantis locationis, & sic pro ea rata, pro qua conductor refectionis commodum percipit, & in qua parte pactum recte facit suam operationem a juris dispositione exorbitantem, nam etiam pro hoc tempore onus alias esset locatoris.

Non sunt enim multiplicandæ juris correctiones, ac pa-
4 ctorum exorbitantes operationes, sed sufficit, quod in aliquo pactum operativum sit, itaut superfluum, vel inane non remaneat, ideoque in eo, quod minus est intelligendum venit, juxta subjectam materiam, ut late Surd. qui de more alios cumulat, *cons. 34. nu. 49.* bene in his terminis locationis, & conductionis, ad effectum tamen restauri, Coccin. *dec. 422. n. 4.* & sæpe in sua materia, *sub tit. de locato, & hoc eod. tit. ad materiam Vectigalium.*

Atque hunc esse germanum hujus pacti sensum, ut scil. intelligeretur de taxis, & contributionibus impositis, & imponendis pro ea rata temporis, quam usus, seu commodum ipsius conductorum importabit. Probari de jure dicebam cum terminis conductoris ad longum tempus, cum quibus etiam proceditur in usufructuario, emphyteuta, & similibus, qui de jure tenentur ad hujusmodi impensas, ut per Carocc. *l. c.* Rolan. *d. cons. 83. lib. 4.* Menoch. *de arbitr. casu 215.* Garz. *de expens. c. 11.* Castill. *de usuf. c. 56.* & alios,
5 itaut in conductore ad breve tempus, pactum inducere videatur id, quod lex in eo longi temporis induxit; Et nihilominus si conductor ad longum tempus, vel emphyteuta, & similes, hujusmodi refectionum impensas faciant notabili tempore duraturas, itaut earum effectus futuram utilitatem locatoris, vel proprietarii magis, quam ipsius facientis respiciant, sibi veniunt reficiendæ, detracta solum rata suæ fruitio-
6 nis, ut per Garz. & Castill. *loc. cit.* qui concordantes cumulant. Iniquum enim, & contra æquitatis, ac justitiæ rationem videtur, ut ea impensa, quæ non ex ipsius conductoris libitu, vel præsentanei usus necessitate, sed ex superioris edicto facienda est pro futura utilitate, seu commoditate, quam non conductor, sed ipse locator percepturus est, debeat ita indefinite per conductorem fieri ex sola litterali, & judaica intelligentia pacti, quod juris dispositione, ac naturali ratione, congruam intelligentiam recipere debet.

Potissime quia, licet hujusmodi taxæ per Superiores initio destinari, seu faciendi publici oneris imponantur, in una, seu pluribus vicibus, gratia majoris commoditatis exigendæ, nihilominus in effectu est quædam anticipata solutio, seu destinatio ejus, quod in annos, menses, vel dies minutatim solvendum esset, tamquam pretium usus, 7
seu commoditatis, quæ ex viæ, vel pontis refectione in futurum percipietur. Et hæc cum sensu etiam veritatis in juris terminis recte procedere insinuabam; Varie autem desuper judicatum fuit, quia judex particularis hujus Basilicæ in prima instantia judicavit pro Capitulo, alter autem appellationis judicavit pro Valente, cui Ego credebam inspecta etiam veritate justitiam assistere.

REATINA VIARUM.
PRO COMMUNITATE NURSIÆ,
CUM PROCURATORE FISCALI ÆDILIUM, SEU MAGISTRORUM VIARUM URBIS.

Casus decisus per Cameram pro Communitate.

De Jurisdictione Magistrorum, ac Præsidis Viarum circa contributiones pro refectionibus viarum, quantum se extendat; Et quando Communitates, & populi teneantur ad hujusmodi contributiones, & collectas pro viis publicis reficiendis.

S U M M A R I U M.

1 *FAlli series.*
2 *De potestate Ædilium Curulium tempore Imperii Romani.*
3 *Post dissolutum Imperium, qui habebant viarum curam.*
4 *Quarum viarum curam habeat Princeps.*
5 *De obligatione Principis circa protectionem viarum.*
6 *De introductione officii Magistrorum viarum in Urbe.*
7 *De Congregatione viarum, & quod extra districtum jurisdictio Magistrorum viarum non extenditur.*
8 *Viarum refectio fit per Communitates, per collectam cum subditis, & quid, cum non subditis.*
9 *De jurisdictione Præsidis viarum.*
10 *Particulares solvendo pro via, non possunt præjudicare Communitati.*
11 *Datur distinctio collectarum, quæ solvuntur pro refectione viarum, & quæ sit universalis, quæ vero particularis.*
12 *Illi, qui sentiunt utilitatem, debent solum collectari.*

D I S C. CXLI.

REaptata via militari, seu consulari, ingressum, ac respective egressum habente per Portam Piam, Ædiles Cu- 1
rules, vulgo *Magistri viarum* nuncupati, una cum Præside, in repartitione collectæ pro hujusmodi expensa indictæ, inhærentes quibusdam antiquis taxis, condemnarunt Communitatem Nursiæ ad solvendum scut. 1800. sed interposita appellatione ad Cameram cor. Gastaldo, & proposito dubio: *An, & ad quid d. Communitas pro dicta contributione teneretur, sub die 4. Februarii* 1667. prodiit resolutio indefinite negativa, denuo occasione novæ audientiæ confirmata 26. *Martii seq.*

In istis autem disputationibus, scribens pro Communitate, duo deducebam fundamenta, unum ordinis, seu nullitatis circa defectum potestatis, seu jurisdictionis dd. Ædilium, alterum vero justitiæ, seu meritorum negotii principalis.

Quatenus igitur pertinet ad primum, dicebam, Ædiles Curules, seu viarum Curatores, Romani Imperii temporibus omnium viarum vere publicarum, quæ alias *consula-* 2
res; seu *militares* dicuntur, curam habuisse per totum Imperium, ad text. *in l. Ædiles Curules secunda, ff. de via publica, cum concord.* per Petr. Gregor. Tholos. *sintagm. jur. lib. 3. c. 13.* Borell. *de præstantia Regis Catholici, c. 7. n. 10. & seq.* Ruvir. *cons. 58. n. 5. lib. 1.*

Cum dissolutione autem Imperii d. officium abiit in desuetudinem, atque præsertim in Italia singulæ quæque Ci- 3
vitates, Oppida, vel loca Communitatem constituentia, curare cœperunt eas vias, quæ quoad se sunt publicæ, comparative autem ad d. *consulares*, seu *militares*, privatarum potius nomen in jure habent, juxta distinctionem, *quæ ex text. in l. 2. §. via publica, ff. ne quid in loco publico*, habetur *in Sabinen. transitus, hoc eod. tit. disc.* 136. Illas autem vias, quæ, ut supra, tamquam magis publicæ, *consulares*, vel *militares*,

tares, seu *basilicæ*, vulgo *magistræ*, seu *stratæ Romanæ* dicuntur, utpote de regalibus, sub Supremi Principis cura, & particulari protectione existentes, ipse respective Princeps curare consuevit vel cum Reipublicæ redditibus, vel cum uniformi subditorum collecta omnes tangente, ut ita
4 distinguendo advertitur per Borell. *d. cap. 7. n. 20.* referens praxim Regni Neapolitani, de qua etiam, occasione officii magistri portulani, Rovit. *d. conf. 58. & super pragm. 6. ne quid in loco publico*.

Et de Principis obligatione, nedum has vias regales reficiendi, sed etiam protegendi, & custodiendi ab incursioni-
5 bus latronum, aliisque molestiis, commercii libertatem impedientibus, Zasius *cons.* 14. late Gaill. *lib. 2. observ. 64.* Ripoll. *de regal. c. 40.* Et ex qua peculiari protectione oritur quæstio, an de delictis, quæ in hujusmodi viis committuntur, privative ad Barones, vel inferiores Magistratus, cognoscat Princeps, vel major magistratus ad id deputatus, de quo aliqua apud Ripoll. *ubi supra*.

Officium autem prædictum in ipsa etiam Urbe, sicuti, & in cæteris partibus, in desuetudinem abitum, *Marti-*
6 *nus V.* de anno 1425. restituit in eadem Urbe, & districtu per ejus *constit. 9.* confirmatam, & ampliatam per *Sixtum IV. Innocent. VIII. Leonem X. & Greg. XIII.* sed in omnibus pro sola Urbe, & districtu, ut habetur apud Bardum ad interpretationem d. constitutionis, seu *in tract. de offic. magistrorum viarum*, & ex eo, Cohell. *ad bullam boni regim. c. 28. n. 81.* Qui districtus alias 100. milliarium, deinde in solis locis, in quibus solvebantur sal, & focaticum, demum vero sub *Greg. XIII.* indefinite ad 40. milliaria circumcirca protrahitur, ex distincte in hac materia districtus observatis *in Rom. gabella equorum*, *hoc eod. tit. disc. 72.*

Hinc proinde, cum hæc provisio solum Urbem, & districtum caperet, *Sixtus V.* ut impleret partes Principis pro universo Principatu, inter 15. Congregationes per eum erectas per *constitut. 74.* istam 13. loco statuit viarum, pontium,
7 & aquarum. Indeque inferebam, quod cum istud Oppidum ejusque comitatus sint absque dubio extra districtum, nullam proinde habebant jurisdictionem dicti Magistri viarum, intra d. limites eorum potestatem restrictam habentes; Ubi enim scribentes, agendo de intelligentia text. *in l. 2. C. de immunit. nemini concedenda, lib.* 10. (ubi est sedes materiæ) firmant per æs, & libram, seu pro modo jugerum hujusmodi taxas, seu contributiones faciendas esse, omnes pro ab-
8 soluto supponunt, taxam fieri per collectantem intra suam jurisdictionem, & quatenus ejus territorium extenditur, remanente solum controversia circa forenses, an dici valeant subditi ratione bonorum, quæ in territorio possident, seu circa incolas, qui sint exempti ab eo magistratu, ut sunt Ecclesiastici, ut liquet ex Bart. *in ead. l. 2.* ubi quod refectio viæ fit per collectam Communitatis, ac sequuntur Cepol. *de servit. rustic. præd. cap. 3. de servit. via, n.* 50. Rimin. sen. *cons.* 31. (quod in materia reputatur magistrale,) Rimin. jun. *cons.* 10. *n. 7. Sola ad constit. Sabaudiæ de report. viarum, gloss. viam, n. 12.* Peregr. *cons.* 102. *n. 7. lib.* 1. Kloch. *de contrib. c. 9. n. 71.* Cohell. *ad Bullam boni Regim. c. 28. num. 50. & seq.* & habetur *in altera Reatina taxa*, *hoc codem tit. disc.* 139. Ubi quod in casu, quo ex utili actione de in rem verso, seu alias, Communitati facienti expensam refectionis competeret actio contra non subditum ad contributionem, adire deberet judicem competentem, non autem exigere manu sua ab eo, qui non est suus subditus.

Quamvis autem præmissa, respectu Magistrorum viarum de jure subsisterent, attamen in nulla consideratione per Cameram habita fuerunt, motivumque neglectum, propter mixturam Præsidis viarum, qui est unus ex ejusdem Cameræ Clericis, quem Tribunal præsupposuit pro certo,
9 in hac materia habere jurisdictionem per universum Statum, meritoque Ædiles ad hæc procedunt cum interventu etiam Præsidis, ad effectum scilicet, tollendi has difficultates, dum alias cum dicta limitata potestate intra districtum refectio viarum non esset practicabilis, atque ita servatur, atque in hac parte acquievi observantiæ, ac etiam rationi, cui illa innixa est.

Quare tota disputatio restringebatur ad alterum fundamentum justitiæ, circa quam, scribentes pro Ædilibus, ad substinendam collectam, satis insistebant in observantia, quam deducebant ex pluribus consimilium collectarum solutionibus factis ab ista Communitate, ac etiam illis *Asculi*, *Firmi*, & aliis, cum quibus eadem habebatur controversia, sub diversis istarum defensoribus; Verum ultra ea, quæ consistebant in facto circa probationem observantiæ, quam
10 causæ patronus negabat, quia si quæ aderat coacta solutio, ista facta erat per aliquos particulares, qui non possant publico præjudicare ex deductis in his terminis per Cavaler. *dec.* 631. vel etiamsi per aliquos officiales; neque obstaret, quoties id gestum est absque consensu totius Communitatis, & populi, ut requiritur ad inducendam consuetudinem præscriptivam, & in futurum obligatoriam.

Dicebam advertendum esse ad diversas refectionum, seu collectarum respective species. Una enim est refectio, ac successive collecta, quæ respicit omnes subditos Principatus indefinite, per omnes populos, & Communitates pariformiter pro numero personarum, vel bonorum solvendi, & hæc est illa refectio, quæ fieri consuevit singulo quoque anno Jubilæi. Et tunc admittebam istam Communitatem ad eam teneri, eodem tamen modo, quo reliqua omnia Oppida, Civitates, & loca Status Ecclesiastici, juxta illam speciem collectæ, quam exigi in Regno ad rationem tot gravorum pro foculari, habetur apud Borell. *de præstant. Reg. Catholici*, *d. cap.* 20.

Altero vero est refectio, quæ juxta temporum necessitatem fit sumptibus illarum Communitatum, & populorum, 11
qui mercimonii causa, cum animalibus onustis frequentiorem, & quotidianum habent commercium cum Urbe, grasciam ad eam inducentes, ut sunt Perusini, Asculani, Nursini, Firmani, & similes populi industrii, discreti a quamplutibus populis non industriis, unde propterea ex utili actione de in rem verso isti tantum collectantur, & contribuunt, reliqui autem non, qualis erat collecta, seu contributio cadens sub ista controversia.

Ad istam vero injuste hic populus cogebatur, quoniam in facto docebatur, vecturales, aliosque d. occasione continuum commercium cum Urbe habentes, non uti hac via, sed altera ingrediente per portam flaminiam, in cujus viæ refectione ista Communitas absque controversia, tamquam pro sua via contribuere solet, ideoque gravanda non erat ad collectam pro ea via, cujus d. usum peculiarem non habebat, ob cessantem causam utilitatis, quæ est fundamentum contributionis, ut per Cepoll. *de servit. urb. præd. c.* 70. 12
de Ponte *n.* 4. ubi agendo de contributione pro refectione pontis dicit, quod si omnes utuntur, omnes debent contribuere, sed si tantum illi de una contrata, illorum tantum debet esse contributio ex regula text. *in l. secundum naturam, &c. qui sentit*, *&c.* Unde propterea habemus, quod habentes prædia adjacentia sterilia, seu talia, quod nullam ex refectione viæ, vel pontis sentiant utilitatem, non debent sentire incommodum contributionis ex deductis *in d. Reatina taxa, & in Raven. collect. hoc eod. tit. disc. 59. &* 139. Non solum enim d. vecturales, seu alii trafficantes Nursini, non utebantur hac via, utpote utentes altera, ut supra, sed neque volentes poterant, quoniam inter cætera grasciæ bannimenta, est illud, ut bona grasciam respicientia non possint absque licentia extrahi a Statu Ecclesiastico, & tamen, ut a d. loco ad Urbem accederetur per hanc viam, supponebatur in facto, id non posse practicari, nisi transeundo per aliquas partes Aprutii Regni Neapolitani. Unde propterea cum justitiæ fundamento ita judicatum fuit.

ROMANA PLATEÆ ROTUNDÆ, PRO SOCIETATE SANCTISSIMI CRUCIFIXI, ET CONSORTIBUS, CUM CAPITULO ROTUNDÆ.

Casus disputatus in signatura gratiæ, & resolutus ut infra.

De jure privativo competente in aliqua platea quid importet. Et an per illud impediri possint privati domorum, & apothecarum domini vendere bona in ipsis domibus, earumque stillicidio, seu area in ipsam plateam respondente.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Concessio Principis de loco publico semper intelligitur sine tertii præjudicio.*
3 *Jus privativum, seu dardanaria est species gabellæ, & oneris odiosi.*
4 *Ex concessione locali inferri non potest ad jus reale.*
5 *Stillicidium, seu spatium ad quod se protendit tectum dicitur juris privati.*
6 *Datur intellectus consiliatorum; & quid sub stillicidio facere non liceat.*

DISC.

DISC. CXLII.

1 Concessit *Sixtus V.* Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ vulgo *Rotunda* nuncupatæ, quæ antiquitus erat celeberrimum Templum *Pantheon*, totam plateam, seu aream ante d. Ecclesiam, itaut in ea nemini concederetur vendere carnes, pisces, fructus, olera, & alia, tam victualia, quam alterius generis, nisi quibus concederet ipsum Capitulum, quod proinde magnum consequitur emolumentum ex locatione apothecarum, vel situum, ad hunc effectum in ipsa platea existentium. Quia vero primæ dictæ concessionis litteræ nimis amplam verborum prægnantiam continebant, itaut posset dubitari, an hujusmodi concessio importaret jus prohibendi dominis domorum, & apothecarum adjacentium, ne in illis d. bona vendere possent, idcirco idem *Sixtus* per litteras declaravit, suæ intentionis fuisse, concedendi plateam, & loca publica ad Cameram spectantia, non autem tollere jus privatorum, eisque præjudicare, præsertim circa ea, quæ de jure competunt; Verum tum, hac declaratione non obstante, tractu temporis in dies, inter d. Capitulum ejusque conductores ex una, dictosque dominos domorum, vel earum conductores ex altera, continuæ adessent dissensiones, & controversiæ. Hoc propterea *Urbanus VIII.* ad illas removendas, a dicta platea, seu jure Capituli excepit tres areæ palmos, domibus, seu apothecis adjacentes, ita simplicite in hoc spatio domorum præfatarum stillicidium declarando, itaut juris privati dicerentur, adjecta tamen deinde generali prohibitione, ne carnes, fructus, olera, & pisces vendi deberent, alias quam per eos, quibus Capitulum concederet. Denum vero *Alexander VII.* ad Urbis, ejusdemque Ecclesiæ majorem ornatum, per suas litteras prohibuit, ne in ea plateæ parte, quæ cum Ecclesia jungitur, usque ad viam intermediam, quicquam victualium venderetur, neque apothecæ, vel casulæ ligneæ, vulgo nuncupatæ *baracche*, tenerentur, sed tamen id fieri deberet in parte inferiori, ita tamen, quod ex hujusmodi innovatione, nullum fieret præjudicium dominis domorum, & aliis.

Istarum litterarum, ac subsequutæ innovationis occasione, novæ exortæ sunt controversiæ, prætendente Capitulo, dominos domorum, & apothecarum adjacentium, absque dubio ex præterita observantia non prohibitos vendere carnes, fructus, olera, & alia bona in ipsis domibus, vel apothecis, id facere non posse ante illas in d. tribus palmis per litteras *Urban.* a platea exceptis, quin quod d. declaratio impediat Capitulum, ne in ea parte, tanquam in platea, facultatem aliis concedere valeat vendendi bona, & alia faciendi, quæ domorum, & apothecarum dominos, & incolas impedirent, non autem, quod illis licitum esset ibi res venales exponere, ac vendere; Atque V. Gen. Vicarii Urbis, tanquam executor per d. ultimas litteras *Alexandri* deputatus, sub colore, as exequendi, ita per sententiam declaravit; unde Societas Sanctissimi Crucifixi, & consortes domos habentes, ita notabiliter præjudicari, recursum habuerunt ad signaturam gratiæ, potius pro obtinenda dd. ultimarum *Alexandri* litterarum, ac aliarum *Urbani* declaratione, quam pro appellatione, quæ alias, etiam sine recursu ad plenam Signaturam, absque dubio admissa fuisset, stante manifesto gravamine, dum ita eas non exequi, sed destruere, ac retorquere d. ultimas litteras, expotestam præservativam continentes juris privatorum, quibus Papæ intentio fuit non præjudicandi, ut expresse in eis declaratur.

Atque sine tali declaratione, de jure intelligitur in quocumque Principe, ad text. *in leg. 2. §. si quis a Principe, &*
2 *§. merito, ff. ne quid in loco publico. cum concord.* præsertim vero in Papa ob ejus protestationem contentam *in regula de jure tertii quæsito non tollendo.*

Assumpta igitur disputatione super interpretatione dictæ prohibitionis contentæ in litteris *Urbani*, dicebam, scribens pro privatis domorum dominis, etiam cum sensu veritatis, tam *Sixti*, quam *Urbani* intentionem nunquam fuisse concedendi Capitulo jus privativum vendendi in ea parte Civitatis carnes, pisces, fructus, olera, & alia hujusmodi, hæc enim esset species dardanariæ, seu monopolii, publico commercio, & grasciæ populi nimis præjudicialis, per Principem non solitæ concedi, cum sit species vectigalis, & gabellæ, ex deductis per Galeott. *respons. fiscal.* 10. *num.* 31.
3 *cum seq. & hoc eodem tit. sæpius*, præsertim *in Romana locationis venæ ferri ad materiam mineralium, disc.* 117. sed solum concessionem fuisse de usu ipsius plateæ, in qua utpote juris publici, vel quilibet pro libito bona vendere, vel quilibet prohiberi posset, ideoque fuit concessio localis, idest, quod ille usus, qui alias erat publicus, &
4 cujuslibet præoccupantis illos situs pro hujusmodi bonis vendendis, esset in futurum juris privati, unde propterea, facultas affirmativa vendendi in loco, extendi non poterat ad jus negativum, seu prohibendi, ne extra eum locum, & sub proprio stillicidio bona ab aliis venderentur, cum id tanquam non comprehensum sub concessione, remanere dicatur sub dispositione juris, dum concessio non percutiebat bona, sed locum, & sic non erat realis, sed localis.

Merito autem dicebam, dictam trium palmorum exceptuationem factam esse, cum hoc spatium juridice non di-
5 catur de platea, neque juris publici, sed potius juris privati, tanquam stillicidium, quod dicitur pars ipsius domus, & consequenter juris privati, ut pro absoluto supponitur apud Cepoll. *de serv. urb. præd. c.* 41. *de stillicidio, seu tecto*; & in juribus ibi allegatis, dum dicitur, quod cessante statuto, vel consuetudine, non posse porrigi tectum, seu stillicidium supra solum publicum, quia esset illud de libero facere servum; Et merito, quia tectum dicitur pars domus, ac de dominio ejus, cujus est ipsa domus, unde quod est subtus tectum, dicitur esse de dominio privato. Atque, ita servat praxis totius Orbis, præsertim vero inconcussa Urbis, quod in parte exteriori domorum, quantum se protendit earum tectum dicitur juris privati, atque ipsorum privatorum jus est locare illam domorum partem exteriorem ad victualia, aliaque bona vendenda, unde dictæ litteræ *Urbani* nil exorbitans a jure, vel a consuetudine continebant, sed solum, ad controversias dirimendas, statuebant uniformem mensuram tectorum, seu stillicidiorum, ne domorum domini ulterius, in præjudicium plateæ, se protendere valeant.

Verum quia post hujusmodi determinationem, in eisdem
6 litteris subsequebatur dicta nimis ampla prohibitio, quæ juxta sensum Capituli, esset contradictoria, & contineret cum præcedenter dispositis repugnantiam, seu subitaneam correctionem, quod non est admittendum. Et econtra juxta sensum hujus partis, contineret manifestum vitium ineptiæ, & superfluitatis, pariter non dandum, idcirco dicebam, verum, ac germanum sensum esse (ab observantia, quæ est optima interpres comprobatum,) ut dicta prohibitio, etiam respectu dicti situs privati sub stillicidio, intelligenda veniret circa usus ab ipsis domibus, vel apothecis extraneos, non autem circa eosdem; Ut puta in apotheca ubi exercetur aromataria, non erit prohibendus inquilinus ante illam in d. spatio exponere venales merces ejusdem apothecæ, illasque vendere, sed permittendus non erit ibi vendere carnes, pisces, vel olera, quia id extraneum est a suæ domus usu, ac præjudicium continet domini plateæ, cujus utilitas in hoc usu principaliter consistit; Sed si in apotheca exercetur ars venditionis carnium, olerum, fructuum, & similium, prohibendus non erit apothecæ dominus, vel conductor, in dicto spatio eadem bona ad suum exercitium spectantia exponere venalia, & vendere, cum alias pene inutilis usus remaneret, atque esset prohibitum, ne domorum domini in eis pro libito, artes, & mercimonia exercere possent. Atque alias potius esset concessio dardanariæ, seu monopolii circa venditionem bonorum, quam localis concessio plateæ, contra verisimilem Papæ concedentis intentionem, ita etiam observantia comprobante, & juxta præmissa declaratum fuit per Sanctissimum in signatura gratiæ.

TIBURTINA HOSPITII, PRO DUCE BRACCHIANI, CUM COMMUNITATE VICOVARII.

Responsum pro veritate.

An Communitas prohibere possit Domino loci, seu Baroni novum Hospitium, ex eo, quod ipsa solum de præterito illud habuerit: Et de differentia inter subditos ipsius Communitatis, & ipsum Dominum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De naturali facultate construendi in suo, & exclusione juris prohibendi.*
3 *Jus prohibendi est de Regalibus, & non obtinetur nisi ex privilegio, vel præscriptione.*
4 *In his juribus non datur præscriptio nisi præcedente prohibitione.*

5 De

5 *De differentia in hac materia inter subditos prohibentis, & alios.*
6 *Utilitas publica satis influit ad jus prohibendi.*
7 *Inverisimilitudo attenditur in hac materia.*

D I S C. CXLIII.

1 Cum in castro, seu Oppido Vicovarii, ab antiquo non nisi unum hospitium adesse consueverit, tam pro usu exterorum, & transeuntium, quam etiam civium, & incolarum; Dux autem Bracchiani ejusdem loci dominus in quodam ejus ædificio, alias forte inutili, ac etiam ad suorum fructuum, & bonorum meliorem esitationem, alterum hospitium construxisset, se opposuit dicta Communitas, prætendens in ejus præjudicium id fieri non posse, sibique ex antiqua consuetudine competeret jus prohibendi, unde propterea ex parte dicti Ducis desuper pro veritate consultus.

Respondi quod in hoc statu, & donec ex parte dictæ Communitatis fieret formalis probatio ad hujus juris privativi præscriptionem necessaria, & quam ex facti circumstantiis reputabam moraliter impossibilem, improbabilis erat ejus oppositio, cui assistit certa, & notoria juris regula deducta ex vulgari text. *in l. altius, C. de servit. & aqua*, ut
2 quilibet in suo, cessante positiva æmulatione excludenda per quamcumque utilitatem, sibi bene visum opus construere possit, non obstante præjudicio, quod exinde aliis consimile opus, seu ædificium habentibus resultaret, quoniam principaliter attenditur utilitas facientis in suo, non autem alterius damnum accessorium, & consecutivum, ut in his specialibus terminis juris prohibendi constructionem, vel usum molendinorum, furnorum, macellorum, & similium ædificiorum, post antiquiores ab eis collectos habetur apud Natt. *cons.* 106. *& seqq.* Gratian. *discept.* 564. *nu.* 44. *& seqq.* Capyc. Latr. *cons.* 110. *n.* 6. *cum seqq. & per tot.* Surd. *cons.* 127. Capoblanc. de Baron. *pragm.* 14. *tom.* 1. Afflict. *dec.* 388. *n.* 1. *& seqq.* ubi Ursil. Capyc. *dec.* 209. *n.* 24. *cum seqq.* Thesaur. *in celebri, dec.* 16. *num.* 3. *& seqq.* Rota *nostra dec.* 70. *part.* 2. *divers.* 616. *p.* 3. *rec.* & apud Buratt. *dec.* 38. quæ est in fortioribus terminis Domini loci, in cujus præjudicium Communitas, vel alii subditi opus construere vellent, Et in proposito molendinorum habetur *in Cornetana, & in Farfen. hoc eod. tit. disc. proxime, seq.* ubi etiam de jure prohibendi nedum ipsam constructionem, sed etiam accessum cum consequutivo jure cogendi accessum ad propria.

Neque præmissis obstare dixi longam observantiam re-
3 troacti temporis, quoniam cum hoc jus prohibendi dicatur de Regalibus, atque ob expressam juris resistentiam non competens recognoscentibus Superiorem, nisi, vel ex privilegio Principis, vel ex legitima præscriptione ut habetur *in dictis Cornetana molendini, & in Farfen. molendini* privilegium vero non adesset, ideo ut præscriptio suffragaretur, dum agebatur de jure incorporali, & facultativo, qualis qualis illa requireretur, & sufficeret, dari non potest nisi concurrentibus prohibitione, & subsequuta acquiescentia per tempus congruum, quæ stant lo-
4 co possessionis ad præscriptionem omnino necessariæ, *ut apud omnes allegatas cum aliis in dicta Farfen.* unde propterea neglexi assumere inspectionem super qualitate præscriptionis ad id necessariæ, an scilicet esse deberet immemorabilis, ut una est opinio, vel sufficeret tricenaria, seu quadragenaria juxta alteram, quoniam qualis qualis opinio teneretur, effectus erat idem, dum ex cessante dicto necessario requisito, cessare dicebatur ejus initium, sive ingressus, sine quo inanis labor est disputare de progressu.

Clarius vero præmissa locum obtinere dicebam, quoniam contentio non erat cum Domino loci adversus vassallos, & subditos, in quibus terminis frequentius hujusmodi controversiæ haberi solent, sive inter Communitatem, & particulares cives, & incolas, eidem Communitati etiam subditos, ut patet ex supra allegatis, & aliis apud eos, sed agebatur de casu converso Communitatis subditæ volentis prohibere proprium Dominum.

Magna vero differentia est inter unum casum, & alte-
5 rum, ubi enim hoc jus prohibendi prætenditur per communitatem adversus sibi subditos cives, & incolas, urgere non videtur tanta juris resistentia, ex quadam implicita conventione de facili subintelligenda eorumdem civium & incolarum, ita se privandi eo jure, alias ex naturali facultate competente ob propriam utilitatem, ut ita scilicet ex emolumentis ex hujusmodi jure privativo obvenientibus, communitas supportare posset illa publica onera, pro quibus alias ipsi cives, & incolæ, cum majori incommode collectandi essent eo modo, quo ex eadem ratione solent iidem cives, & incolæ se privare jure, seu facultate pascendi in proprio territorio, vel aliqua ejus parte juxta casum, de quo ap. Franch. *dec.* 197. & Mastrill. *dec.* 49. & habetur frequenter, *hoc titul. ad materiam pascuorum*, unde pro- 6
pterea intrare videtur limitatio, de qua ap. Thes. *d. dec.* 16. *n.* 13. *vers. sexta sequitur exceptio*, quando scil. utilitas redundaret ad publicam utilitatem, quæ ratio congruere non potest loci Domino Communitati non subdito, & ad ejus onera non obligato, quam differentiam in specie ponderant, Capobl. *d. pragm.* 14. *n.* 22. *& seqq.* & Capyc. Latr. *d. consult.* 110. *n.* 22. *cum seqq.*

Satis etiam me movebat loci qualitas, cum congruum, & sufficiens videbatur etiam unum solum hospitium, unde 7
propterea ob modicam utilitatem exinde resultantem inverisimilis non remanet negligentia, vel Domini, vel aliorum particularium circa hujusmodi operum, sed ædificiorum constructionem, & usum, cum hanc innovationem potius induxerit moderni temporis qualitas circa difficultatem alias esitandi proprios fructus, & victualia, & sic obstare non videbatur illud adminiculum, quod alias vehementer reputari solet resultans ab inverisimilitudine hujusmodi neglecti operis magnæ, seu notabilis utilitatis, & emolumenti, nisi revera jus privativum obstasset, qua circumstantia concurrente, aliquam habuissem difficultatem.

ANNOT. Ad Disc. CXLIII. cum duobus seqq.

Super concernentibus istam materiam juris privativi habendi in loco furnos, & molendina, vel hospitia, ultra insinuata, *lib.* 1. *de feud. disc.* 3. & in aliis, ut supra, *disc.* 61. agitur etiam infra, in Fanen. Molendini, *disc.* 167.

CORNETANA MOLENDINI, PRO COMMUNITATE CORNETI, CUM FANIS.

Casus decisus per Cameram pro Fanis.

An Communitates Civitatum, & locorum subditorum condere possint statuta prohibentia accessum ad aliena Molendina, seu alienos furnos, & successive cogendi ad accessum ad propria. Et quando data etiam potestate ita statuendi cum civibus, tamquam propriis subditis, hujusmodi statuta, vel edicta corruant ex eo, quod domini furnorum, vel molendinorum a statuentis jurisdictione exempti sint; Et an ubi hoc jus competat, possint exinde prohiberi novæ molendinorum, vel furnorum constructiones remissive.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Jus prohibendi est de Regalibus, ideoque non competit Baronibus, & Civitatibus recognoscentibus superiorem.*
4 *Civitates subditæ non possunt condere statuta contra jus.*
5 *De auctoritatibus super defectu facultatis prohibendi accessum ad aliena molendina, & cogendi accessum ad propria.*
6 *Etiam ubi dicta facultas competit, non capit molendina extra territorium, & n.* 16.
7 *De differentia inter subditos, & non subditos habentes hoc jus prohibendi, & cogendi.*
8 *De probatione immemorabilis, ejusque effectibus.*
9 *Non datur, neque suffragatur, ubi constat de initio infecto.*
10 *De controversia super dicto jure prohibendi, vel cogendi inter Dominum loci, ac cives, & incolas.*
11 *De alia controversia inter ipsos cives, eorumque Communitatem, ac particulares habentes furnos, & molendina.*
12 *De prohibitione construendi novos furnos, vel nova molendina remissive.*
13 *De casu præciso controversiæ, & qualis ille sit.*
14 *Quod quilibet possit sibi hanc servitutem imponere, & non curetur tertii præjudicium accessorium.*
15 *Declaratur, ut non præjudicet aliis, in quibus ratio servitutis non urgeat.*

16 *De-*

16 *Declaratur conclusio, de qua n. 6.*
17 *Jus prohibendi, seu privativum importat quamdam speciem vectigalis.*
18 *Habens molendinum privative, prohibet introductionem panis, & farinæ.*
19 *Quando subditi possint prohiberi, ne accedant ad molendina aliorum.*

D I S C. CXLIV.

CUm Civitas Cornetana aliqua molendina possideret, ad istorum majorem fructum comparandum, pro publicis oneribus supportandis, de anno 1571. in publica civium adunantia, seu parlamento statutum condidit prohi-
1 bitivum civibus, & incolis, ne ad alia, quam ipsius Civitatis molendina sub certa pœna accedere possent, atque ita per aliquod notabile tempus servatum fuit; Cum autem Fani acquisiissent a Camera quoddam molendinum existens in adjacenti territorio Centum cellarum, seu Civitatis vetulæ, alias sub Gregor. XIII. constructum pro usu triremium Pontificiarum, atque ad illud, ad meliorem formam redactum, nonnulli cives, & incolæ Cornetani artem agrariam, aliasque industrias ibi proxime exercentes, pro majori commoditate accederent, prætendere cœpit Communitas id prohibere, atque pœnam statutariam a contravenientibus exigere; Unde propterea introducta desuper causa in Camera, quamvis datum esset dubium in possessorio retinendæ, quia tamen illo proposito nulla capta fuit resolutio
2 cum rescripto, ut videretur de bono jure; Hinc super isto assumpta disputatione prodiit resolutio contra Communitatem, super non obstantia, scil. d. statuti, ac libertate civium, & incolarum, ac aliorum accidentaliter in ea Civitate, vel territorio existentium accedendi ad quæcumque placita molendina, dictaque resolutio occasione novæ audientiæ confirmata fuit, unde propterea Communitas acquievit.

Qualia fuerint resolutionis præcisa fundamenta, non est omnino certum; cum hoc Tribunal non habeat stylum Rotæ assignandi cum decisionibus judicati rationes; Quantum tamen desumi potuit, processum est cum infrascriptis propositionibus generalibus, deductis per scribentes in contrarium.

Primo scil. quod Civitates subditæ non habeant Regalia, inter quæ numeratur jus prohibendi, quod etiam Baronibus, & Domicellis habentibus merum, & mixtum Impe-
3 rium, & gladii potestatem, & sic, quod magis, cessante Principis privilegio, vel legitima præscriptione, tamquam de Principi reservatis non conceditur, multo minus Communitatibus ea collectis per Capobl. *de Baron. tom. 1. pragmat.* 14. Novar. *de gravamin. vassal. part. 1. gravam.* 58. *cum seqq.* atque *d. gravam.* 58. *n.* 3. agit etiam de Communitatibus, & supponitur absolutum apud proxime infra allegatos ex ratione tollendi jus tertii, & conferunt quæ habentur de molendinis banderatis, & non banderatis, *sub tit. de feud.* in Pisauren. molendinorum, *disc.* 3.

Secundo ex altera conclusione pariter generali, quod Civitatibus inferioribus, & subditis non competit facultas condendi statuta contra jus, multo minus in Statu Ec-
4 clesiastico ob Constitutionem Ægidianam id expresse prohibentem, ut per Rot. *dec.* 438. *part.* 4. *rec. tom.* 2. apud Buratt. *decis.* 6. *&* 229. utrobique Adden. Gregor. & Adden. *decis.* 267.

Et tertio in specie juris prohibendi accessum ad aliena molendina, & alienos furnos, & successive juris cogendi accessum ad propria, deducebant speciales auctoritates, Baldi *consil.* 409. *lib.* 5. Ancharan. *consil.* 12. *cum plurib. seq.*
5 *& consil.* 155. *&* 298. Natta *cons.* 106. *&* 107. Surd. *consil.* 127. Capobl. *de Baron. d. pragm.* 14. *in princip.* Navar. *de gravam. vassall. d. gravam.* 58, *cum plurib. seqq.* de Marin. *resolut.* 32. *lib.* 1. Grat. *discept.* 564. *n.* 44. *& seqq.* Thesaur. *dec.* 16. Rot. *dec.* 70. *p.* 2. *divers. &* 616. *p.* 3. *rec.* ap. Buratt. *dec.* 38. ac admittitur per Cafanatt. *consil.* 59. 40. ubi ex fundamento legitimæ præscriptionis, substinendo partes Baronis, vel Civitatis, admittit regulam tamquam absolutam.

Quod fortius procedere dicebant in hac facti specie, in
6 qua agebatur de molendino existente extra territorium ipsius Civitatis, quod non comprehenditur sub hoc jure prohibendi, quamvis præscripto, seu alias legitime competente intra proprium territorium, ut in specie firmatur per Capobl. *de pragm.* 14. *n.* 17. & Navarr. *tom.* 2. *qu. forens.* 5. *n.* 3. Et clarius, quia agebatur de molendino ipsius Cameræ, & sic Principis supremi, in cujus locum, & jura possessores successerant, cum quæcumque jurisdictio, seu facultas ex privilegio, vel præscriptione in hujusmodi juribus acquisita, intelligenda veniat cum propriis subditis, non 7
autem cum superiore juxta distinctionem, de qua habetur in Tiburtina Hospitii, *disc. præ.* atque, ut audivi, istud fuit potissimum, ac principale fundamentum resolutionis.

Neque subjungebant iidem scribentes, Civitati suffragari posse solitum præsidium præscriptionis immemorabilis, quæ suffragatur etiam in juribus Regalibus, quæ alias per subditos sine Principis concessione, vel privilegio possideri non possunt ob facultatem ex illo resultantem, allegandi 8
quemcumque titulum de mundo meliorem, & consequenter privilegium, juxt. *decis.* 56. Franch. *num.* 4. *cum seqq.* Tum quia illa probata non erat, ut concludenter per allegantem probanda est cum requisitis vulgaris Gloss. *in cap.* 1. *de præscript. in* 6. circa quorum concursum, seu verificationem Romana Curia nimium rigorose procedit, ut quotidianum præsertim habemus in materia decimarum, in qua ad effectum evitandi decretum Concilii Lateranensis, registratum *in cap. nuper de decimis*, satis frequenter de hoc agitur, ut præsertim habetur in Hispalen. decimar. *in eo. tit. de decim.* Tum clarius, quia constabat de initio infecto resultante a d. statuto condito de anno 1571. quod, ut supra, per Civitatem inferiorem condi non potuit, unde propterea dicebant, quod ubi etiam accederet centenaria, & longe major, adhuc dum constabat de initio vitioso, illa suffragari non poterat juxta receptam theoricam, Innoc. *in cap. dudum de decim. num.* 2. de qua exteris collectis habetur, apud Franc. *dec.* 166. *nu.* 2. Capobl. *de Baron. tom.* 1. *pragmat.* 1. *num.* 227. *& melius pragm.* 11. *num.* 136. 146. *& tom.* 2. *cap.* 7. *n.* 6. Rota apud Buratt. *dec.* 751. *num.* 1. *&* 792. *n.* 2. *&* 831. *n.* 6. & in aliis collectis per Adden. *ad dec.* 14. *n.* 52. *& seqq. part.* 3. *recent.* quoniam est conclusio satis frequens, ac habetur in Sabinen. exemptionis, *hoc eod. tit. disc.* 46. ubi, quando privilegium sit cum immemorabili compatibile, eique non præjudicet, multò magis, ac indubitanter, quia initium erat infra centenarium.

Mihi pro Communitate scribenti, ista generalia, ita in confuso deducta non placebant, cum in hac materia plures considerandi veniant diversi casus, seu effectus omnino diversam determinationem habentes, & ex qua generica, seu confusa conclusionum, ac auctoritatum consarcinatione 9
tot æquivoca in dies resultant, Ideoque ad veritatem eruendam, dictaque æquivoca evitanda advertebam, reflectendum esse ad plurium casuum distinctionem, ex qua utriusque partis bonum jus respective resultare videbatur, atque omnia poterant conciliari.

Primus igitur casus est in hac materia frequentior, ubi controversia est super naturali libertate, ac servitute respective inter ipsos locorum cives, & incolas, eorumque Communitates eis adhærentes de libertate contendentes, ac Barones, vel Dominos, seu alios prætendentes habere hoc 10
jus servitutis, quo casu triplex ratio assistit contendentibus de libertate, ac resistit contendenti de servitute; Una juris facultativi, quod est præscriptionis oppositum, quod scil. casus dederit longo tempore jure naturali facultativo cives, & incolas ad domini furnos, vel molendina accessisse; Altera impedimenti naturalis libertatis; Et tertia præsumptæ potentiæ, seu concussionis, ea iis quæ super isto casu contentionis inter dominum, & subditos habentur in Farfen. *disc. seqq.* Atque de isto casu agunt fere omnes, qui ut supra per dictos scribentes in contrarium cumulabantur, nempe Bald. *consil.* 409. *alias* 410. *lib.* 5. Natt. *consil.* 106. *&* 107. Surd. *consil.* 127. Thes. *decis.* 16. Gratian. *discept.* 364. Capobl. *pragmat.* 14. *de Baron.* Navar. *de gravam. vassall. gravam.* 58. *cum seqq.* de Marin. *resol.* 32. *lib.* 1. & Rot. *d. dec.* 616. *part.* 3. *recent.* & apud Buratt. *dec.* 38. atque isti sunt termini quos disputat Cafanatt. *cons.* 39. *& seqq.* ideoque dicebam istas auctoritates extraneas remanere a casu controversiæ, utpote omnino diversa, solumque a simili propositiones ibi constitutas deduci posse, sed non decidere casum præcisum.

Alter casus est, quando ipsi cives, & incolæ voluntarie sibi ipsi hujusmodi servitutem injiciunt ad favorem propriæ communitatis, cujus utilitas exinde resultans in eorum commodum redundet, ut ita commodius supportari valeant publica onera, quæ alias ab ipsismet civibus, & incolis, cum collectis supportari deberent, & ad quem effectum istud statutum conditum fuit; Et tunc est casus in plures alios subdistinguendus est. Primo, scilicet, ubi per Civitatem, vel alium Superiorem ista lex adjicitur de 11
tempore, quo alii in eodem loco, seu territorio possideant furnos, & molendina, quæ ita inutilia efficiantur, atque

quo isto casu, etiamsi ageretur de particularibus ipsi Civitati subjectis, juste isti reclamare possent, dictumque statutum, vel aliam decretationem impugnare; Tum ex eo, quod est contra jus, atque id jus tertii tollit, quod Civitatibus, vel Baronibus, & aliis Superiorem recognoscendibus non competit, cum sit solum de reservatis supremo Principi, ex deductis in Romana, seu Salernitana revocationis demanii, *hoc eodem titul. disc.* 148. Tum etiam, quia contineret manifestam irrationabilitatem, publica enim onera supportanda sunt per omnes pro modo virium, seu facultatum, aut alias, ita tamen, quod inæqualitas non resultaret, unos relevando, & alios nimium gravando, ut frequenter *hoc eodem titul.* ad materiam datiorum, & collectarum, quod ita cum maxima inæqualitate resultare diceretur, dum domini, & possessores furnorum, & molendinorum, ut alii sublevarentur, omnimodam paterentur jacturam in eorum bonis, & redditibus contra positivi, & naturalis juris principia; Multo vero magis, & indubitanter, ubi molendina, & furni possiderentur per Ecclesias, & Ecclesiasticos, seu alios statuenti non subditos, cum agatur de præjudicio positivo, ac de tollendo formiter jus alteri jam quæsitum, & competens, atque de isto casu agunt Ancharan. Calderin. Collegium Bononiense, & cæteri apud eumdem Ancharan. *dicto cons.* 12. *cum seqq. & consil.* 155. in quibus agitur de celebri Spalatten. inter Civitatem, & Archiepiscopum, stante statuto per Civitatem condito, ut accedentes ad aliena molendina, solvere tenerentur quamdam gabellam, a qua exempti essent accedentes ad illa ipsius Civitatis, nam ita erat per indirectum prohibere, ne accederent ad molendina Archiepiscopi, vel aliorum Ecclesiasticorum, ideoque merito pro statuti invaliditate respondetur reprobata contraria sententia, Bald. *cons.* 396. *lib.* 4. *repetit.* apud Anchar. *consil.* 11. & bene advertitur per Marin. *dicta resol.* 32. *lib.* 1. *ubi concordantes*; Eosdemque, vel similes terminos percutiunt dictæ aliæ auctoritates, quæ deducebantur, nempe ejusdem Ancharani *consil.* 298. Cacheran. *dec.* 17. Cravett. *de antiquitat. tempor. part.* 4. *vers. circa præmissa, numer.* 4. Franch. *dec.* 380. & Rota *dec.* 70. *part.* 2. *diversor. cum similibus*, quia scilicet præjudicium sit directum, tollendo emolumentum illius furni, vel molendini, quod in eodem loco pro usu incolarum ejusdem constructum est. Verum, & istæ auctoritates extraneæ erant a casu controversiæ, vel saltem illum directe, ac præcise non percutiebant, cum nec de tempore statuti, nec postea in hac Civitate, vel Territorio adessent privatorum, vel Ecclesiarum molendina, istud vero, quamvis tunc constructum, attamen erat extra territorium, atque tunc non deserviebat ad hunc usum privatorum, utpote constructum pro servitio triremium.

Alter casus est, ubi Communitas, vel particulares con-
12 struere volunt novos furnos, seu nova molendina in eod. territorio, eisque se opponat aliquis prætendens habere jus privativum, & in his terminis agunt, Capyc. *decis.* 209. Cyriac. *controv.* 462. Capyc. Latr. *consult.* 110. & 116. & de quo casu agitur in d. Farfen. *disc. seqq.* sed pariter id extra casum controversiæ.

Tertio demum est proprius, ac præcisus casus contro-
13 versiæ, ubi scilicet, nemine in loco ejusque territorio furnos, vel molendina possidente, seu habentibus, dict. restrictioni consentientibus, aut non opponentibus, Civitas de civium, & incolarum consensu præscribit hanc legem privativi accessus ad ejusdem Civitatis furnos, vel molendina, & tunc ubi non agitur de jure tertii directo, & proximo, ut est in casibus, de quibus supra agunt Ancharanus, & cæteri, quia nempe molendina essent in eodem loco, vel territorio, qualis erat casus apud Franch. *dec.* 380. unde merito illam impugnat Marin. *dicta resolut.* 32. *lib.* 1. sed de interesse remoto, & secundario, quale videtur illud habentium molendina in alienis territoriis, ad quæ locorum adjacentium incolæ pro commoditate accedere quandoque soleant, nulla subesse videtur congrua ratio, quæ prohibeat ipsismet civibus, & incolis, quorum favorem, & commodo in dicta naturalis libertas percutit, illa voluntarie se privandi, dictamque servitutem sibi ipsis pro majori eorum utilitate, vel commoditate injiciendi, ut bene ita distinguendo, Cravett. apud Franch. *dicta decis.* 380. Eo modo, quo cuique licet in bonis suis, etiam ex donatione, servitutem ad alterius favorem constituere, juxta ea quæ habentur deducta in Hydruntina onerum, vel exemptionis, *supra discurs.* 50. & magis proxime apud Franch. *disc.* 187. Magistrall. *decis.* 49. ac sæpius *sub titul. de servitutibus ad materiam juris pascendi*, quando cives se privant naturali libertate pascendi jure civico eis competente in certa parte territorii, ut ex pascui pretio, vel fida, commodius supportentur alia onera, quæ cum majori incommodo ab eisdem per collectas oporteret alias supportare, ut ponderatur in specie apud Cacheran. *decis.* 17.

Et licet id præjudicium afferat possessoribus molendinorum in locis adjacentibus, attamen ubi ordinatio principaliter dirigitur ad proprium commodum, propriamque com- 14
moditatem id attenditur, licet exinde alterius præjudicium accessorie, seu in consequentiam resultet ad vulgarem regulam text. *in l. altius, Cod. de servit. & aqua*, de qua satis frequenter *sub titul. de servitutibus*, ac etiam, *disc. seqq.* in proposito construendi in eodem flumine novum molendinum, de quo in S. Severini molendini, *sub d. tit. de servit. disc.* 30. Quod tamen recipiendum venit quoad illos cives, & incolas, in quibus dicta ratio urgeat, 15
quia scilicet sint Ecclesiastici, vel forenses, aut alias non subjecti Civitati statuenti, seu oneribus, ob quorum levamen talis servitus voluntarie imposita est, ut ponderatur in d. Hydruntina, & in decisionibus in ea causa editis coram Celso inter *suas disc.* 259. & 332.

Ideoque in hac facti specie applicando ad rem, atque reflectendo ad veritatem, cum hac distinctione mihi procedendum videbatur, quod scilicet respectu ecclesiasticorum, vel forensium in eo territorio accidentaliter pro arte agraria, vel pastura animalium hyberno tempore existentium, bonum jus dominis hujus molendini adversus Communitatem assisteret; Respectu autem civium, & incolarum dictum populum constituentium, & in quibus dicta ratio impositionis voluntariæ servitutis ad dictum aliud onus sublevandum urget, bonum jus assisteret Communitati, neque audivi probabilem rationem in contrarium adduci, quæ captivaret intellectum.

Ad auctoritatem autem Capoblan. *de Baron. pragm.* 14. *num.* 17. de qua supra, quod scilicet istud jus prohibendi, 16
quamvis legitime inductum non capiat molendina extra territorium, plures dabam responsiones. Primo, quod ipse loquitur de Barone, ut scil. vassalli non possint prohiberi accedere ad molendina extra territorium Baronis, & sic non percutit casum hujus controversiæ; Et secundo, quia d. doctrina in specie reprobatur per Marin. *resol.* 118. *lib.* 2. ubi vocat dict. auctorem Baronibus infensissimum; Merito autem reprobatur tam per fundamenta ejusdem au- 17
ctoris, quam etiam ex eo, quod istud jus privativum importare videtur quandam speciem vectigalis, juxta ea, quæ in terminis juris privativi furnorum, ac vendendi panem habentur in Veliterna *hoc eodem titul. disc.* 61. & generaliter in Romana locationis venæ, *disc.* 117. ac frequenter in aliis ad materiam salinarum; Indeque resultat, istud dici jus, vel onus potius personale, quam locale, seu territoriale, ut scilic. qui volunt habere usum aliquorum victualium, ita eorum occasione supportent illud onus, ut in proposito gabellæ molituræ habetur in Nullius Baren. *disc.* 54. & in Tranen. *disc.* 155. Et in terminis satis proximis habetur per Rot. in Aveninnen. seu Auriacen. Molendini cor. Verospio *disc.* 435. *part.* 9. *recent.* ubi de dominio habente Molendinum cum jure privativo, ut prohibere possit introductionem farinæ, vel panis ab extra; ergo assumptum Ca- 18
poblanchi nullum habere videtur fundamentum; Decipitur enim cum deductis per Annam *singul.* 160. ut vassalli non teneantur servire Baroni extra feudum, qui termini sunt diversi; De altera vero auctorit. Novarii *quæst. forens.* 5. *tom.* 2. *n.* 3. nulla penitus ratio habenda videtur, quia citatum Capobl. ad verbum eum transcribit cum eadem imperfecta allegatione, Socc. *consil.* 222. non allegando librum, sed est *lib.* 2. quem refert, & sequitur Ripa per eosdem allegatus *de remed. ad conservand. ubertat. n.* 301. istorum enim lectura ad oculum convincit æquivocum, in quod incidit Capoblancus, & consequenter Novarius ejus purus transcriptor. Soccinus enim firmat conclusionem in genere, quod scilicet Dominus loci, quamvis habeat merum, & mixtum imperium, & jurisdictionem, ubi tamen non est Princeps supremus non potest prohibere vassallis, ne exeant territorium, ac non accedant ad aliena molendina, & sic non supponit competentiam juris prohibendi in genere, ejusque legitimum titulum ex præscriptione, vel privilegio, itaque in posito intelligi debeat cum hac restrictione, cum vere id nullum habeat fundamentum.

Considerabile quoque videbatur quoad cives, & incolas Civitati subditos motivum, de quo in Farfen. *disc. seqq.* ut scilicet, quando molendina Domini, vel Communita-

sis in proprio territorio existentis sint æque commoda, ita ut pro molitura non supportetur onus excedens mercedem congruam, quæ nihil, vel parum differat ab onere, quod supportatur in molendinis existentibus extra territorium, tunc videatur species æmulationis, vel malignitatis, ideoque etiam ex sola dispositione, vel intentione juris communis cogi possunt, seu prohiberi; Cumque contra istud motivum scribentes in contrarium nil relevans deducerent, nullamque darent congruam responsionem, aliquod admirationis motivum habebam, quod illius nulla haberetur ratio, ut dictum est quoad cives, & incolas, in quibus urget dicta probabilis ratio validè impositæ servitutis per quamdam speciem contractus. vel speciem insensibilis collectæ, ut supra,

FARFEN, MOLENDINI, PRO COMMUNITATE PODII MIRTETI, CUM ABBATE.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Abbate in possessorio.

De eadem materia juris prohibendi accessum ad aliena molendina, & respective cogendi ad accessum ad propria competentia Baroni, seu Domino contra vassallos

SUMMARIUM

1 *FActi series*
2 *Quod in quadam specie causarum possessorium soleat importare totalem finem litis.*
3 *Baro, vel dominus non manutenetur in possessione juris prohibendi accessum ad aliena molendina, & cogendi ad accessum ad propria, contrarium n. 5.*
4 *De sublinentibus partes Domini in hoc jure prohibendi, & cogendi remissive.*
5 *Quod Baroni detur manutentio.*
6 *De regula, quod possessio temporis considerabilis sit manutenibilis, etiam ubi jus resistit.*
7 *Quando in Baronibus militet præsumptio concussionis, & de differentia inter Barones status Ecclesiastici, & alios.*
8 *An in Ecclesiasticis habentibus jurisdictionem temporalem intret præsumptio usurpationis, & concussionis.*
9 *Vassalli cogi possunt accedere potius ad molendina Domini, ubi eorum jus non fieret deterius.*
10 *Dominus non potest prohibere, ne per vassallos nova molendina construantur.*
11 *Ex jure prohibendi accessum ad aliena molendina, & jure cogendi accessum ad propria, an resultet jus prohibendi constructionem novorum molendinorum.*

DISC. CXLV.

1 CUm in territorio Oppidi Podii Mirteti nullum adesset molendinum, Abbas vero Farfen, in territorio adjacentis oppidi Montis Opoli aliqua haberet molendina, ad quæ isti cives, & incolæ accedere consueverunt, ob aliquas forte asperitates affictuariorum a moderno tempore quandoque exerceri solitas, cœperunt isti Oppidani accedere ad quædam alia molendina, quod cum per ministros Abbatiæ prohiberetur etiam cum mulctis, & pœnis; Hinc proinde introducta desuper lite cor. A. C. Abbatiæ defensore, juxta solitam prudentem cautelam, suspenso petitorio, institissent decerni in solo possessorio summarissimo tenendæ, quod *manutentionis* dicimus, atque de hac possessione juris prohibendi tempore considerabili sufficienter doctum esset, cum edictis singulis quibusque annis renovari solitis, continentibus prohibitionem accessus ad aliena molendina, idcirco prodiit decretum Abbatiæ favorabile super manutentione, canonizatum etiam a Signatura justitiæ, denegante appellationem suspensivam, ac rescribente de clausula, *sine præjudicio*, atque in hoc statu causa pendet, probabiliter absque ulteriori prosecutione, cum in hujusmodi controversiarum specie, prout & in altera jurisdictionalium, & præeminentialium, frequentior experientia doceat hoc possessorium quodammodo absorbere petitorium, eique de facto finem imponere, quoniam non libenter qui actualiter, & de facto patitur aliquod onus, alterum gravius eodem tempore suffert, substinendi litem in petitorio per tres conforties, potissime in rebus publicis, & communitativis, quæ de facili, refrigerato illo primo calore, negligi solent ex vulgari dicterio, *quod commune est negligitur.*

In disputationibus autem habitis cor. A. C. & in Signatura, ac etiam in aliquibus Advocatorum congressibus habitis pro directione, tres hujus controversiæ puncta examinati fuerunt. Primo nempe circa dictum jus prohibendi, & cogendi respective in solo possessorio; Secundo circa idem in petitorio; Et tertio posito utroque ad favorem Baronis, seu Domini, an id impediret, quin ista Communitas, vel ejus particulares in proprio territorio molendina pro majori eorum commoditate de novo construere possent.

Quatenus igitur pertinet ad primum; Quamvis ego scribens pro Communitate, tanquam Advocatus pro denegatio-
ne manutentionis institerem in eo, quod cum hic Abbas in 3
hujusmodi Oppidis, utramque jurisdictionem spiritualem, & temporalem habeat, sitque illorum Dominus, juxta ea, quæ habentur in alia Farfen. *sub tit. de feud. disc.* 52. exinde sequeretur possessionem ex parte ejusdem Abbatis probatam super accessu istorum Oppidanorum ad ejus molendina non esse manutenibilem, vel quia d. accessus facultativus dici valeat, vel quia ubi etiam probaretur coactivus, referendus veniret ad præsumptam usurpationem, & subditorum concussionem, ut in specie cæteris allegatis habetur apud Thes. *dec.* 16. *in princ.* Capobl. *de Baron. pragm.* 14. Novar. *de gravam. vassallor. part.* 1. *gravam.* 58. *cum seqq.* Et in terminis magis specialibus Baronis in Statu Ecclesiastico habetur, *dec.* 616. *p.* 3. *rec.* ubi in specie de jure molendi, & cum eodem sensu occasione angariarum procedit Rota in Sabinen. Status Montis Libretti 22. Junii 1662. cor. Cerro in fine. Unde propterea dicebam non intrare regulam generalem, cum qua ex collectis per Post. *de manut. observ.* 42. procedebant solum scribentes in contrarium, quod scilicet in hoc judicio non quæratur de justitia, vel injustitia, sed spectetur nudum factum possessionis, reliquis omnibus concernentibus bonum jus, seu negotium principale, rejiciendis, ac remittendis ad petitorium, quoniam ista regula non procedit concurrente juris resistentia, quæ ita ex præmissis adesse videtur, ut apud allegatos.

Reflectendo autem ad veritatem, agentibus pro Communitate ab initio juxta stylum libere insinuatam, resolutio
in hac parte visa est probabilis, cum possessio esset temporis 4
nimis considerabilis, & antiqua, cum continuatis edictis & prohibitionibus, ac subsequutis exactionibus mulctarum, aliisque actibus, qui in his terminis ad favorem Domini etiam in petitorio, & ad legitimam præscriptionem nimium latius cæteris collectis ponderantur apud Casanat. *cons.* 39. *& seqq.* ubi de hac materia, juxta illum satis abundantem, & forte superfluum stylum ad satietatem; Et consequenter intrat regula, quod etiam in iis, in quibus jus
resistit, seu præsumptio facultatis cadit, quando possessio 5
est diuturna, & temporis considerabilis, illa dicitur manutenibilis, ut in his individualibus terminis manutentionis concessæ Baroni, seu Domino in hoc jure prohibendi habetur apud Ann. *singular.* 557. & per Rot. in Avenion. seu Auriacen. Molendini cor. Verosp. *dec.* 435. *par.* 9. *rec.* ubi concordantes, ibique respondetur *ad d. dec.* 616. *part.* 3. *recent.* quia nempe non constaret possessionem esse diuturnam, sive quod accessus dici posset facultativus.

Et in terminis proximis possessionis temporis considerabi-
li, ut sit manutenibilis etiam in juribus Regalibus, quæ de 6
sui natura sine Principis privilegio, vel concessione possideri non possunt a privatis, bene Rot. *dec.* 28. *p.* 1. *diversf.* Et generaliter, ut possessio temporis considerabilis sit manutenibilis etiam in facultativis, quando probabilis dubitatio cadat, an actus jure facultatis, vel obligationis gesti sint, quoniam interim, donec id discutitur, possessor ejus possessione privandus non est, habetur in Majoricen. celebrationis Missar. cor. Bichin. *dec.* 186. *&* 380. *p.* 11. *rec.* Ac de alia possessione habente juris resistentiam, ut sit etiam manutenibilis, quando est temporis considerabilis, Cavalet. *dec.* 80. *n.* 8. Capyc. *dec.* 209. *n.* 58. Capyc. Latr. *consult.* 68. *n.* 23. Add. ad Buratt. *dec.* 131. *n.* 9. *& frequenter.*

Ad auctoritates autem Capobl. Navar. & aliorum, pluribus mediis responderi posse observabam, quamvis nihil
istorum deduceretur per scribentes in contrarium, ut supra, 7
cum d. generali regula procedentes; Primo, quod in Regno Neapolitano, de quo loquuntur Capobl. & Novar. ultra resistentiam resultantem ex dispositione, vel intentione juris communis, adest alia particularis magis ratio, quæ resultat ex *prag.* 14. *de Baron.* in qua principaliter præfati Authores se fundant; Et ulterius in ea regione militat forte de facto aliqua major præsumptio violentiæ, & concussionis vassallorum, quæ non datur in Statu Ecclesiastico ob facilem recursum ad Summ. Pontificem, ejusque Officiales,

nimium

prohibitus in hoc invigilantes, ut advertitur apud Coccin. *dec.* 354. *& d. dec.* 435. *par.* 9. *rec.* ac habetur in d. Sabinen. Status Montis Libretti, *sub t.r. de feud. disc.* 65.

Secundo, quod etiam in d. Regno non obstante d. majori resistentia resultante a lege particulari, ac etiam a mala præsumptione ibi fortius urgente, adhuc in possessorio ibi judicatum fuit pro Barone, ut testatur Anna *d. singul.* 557.

Tertio, quod in hac facti specie non ageretur de Barone,
8 seu Domino sæculari, sed Ecclesiastico, in quo militare non solet illa mala præsumptio usurpationis, quæ urget in Dominis temporalibus, ut ad intelligentiam S. Concil. Trid. *sess.* 24. *de refor. c.* 9. habetur apud Duran. *dec.* 413. *num.* 5. *dec.* 401. *n.* 7. *p.* 5. *rec.* cum aliis per Add. ad Buratt. *dec.* 832. *n.* 5. licet ista consideratio videretur modici, vel nullius momenti, quoniam quicquid sit ad d. alium effectum decreti Conciliarii, ad istum tamen timoris, & reverentiæ vassallorum, seu subditorum; major absque dubio videtur potentia hujusmodi Prælatorum utramque potestatem spiritualem, & temporalem habentium tam in Clerum, quam in Populum sæcularem, unde propterea deficit illa oppositio, quæ adversus Barones, & Dominos temporales in hujusmodi juribus publicis fieri solet per Clericos, & Ecclesiasticos, tamquam ejus jurisdictioni, & potestati non subjectos, quod isto casu non verificatur, sed utcumque sit, si non est circumstantia considerabilis de facto, reputatur tamen talis de jure, *ut sup.*

Et quarta demum fortius, ob aliquam probabilitatem etiam in petitorio, seu bono jure resultantem, nedum ex antiqua possessione non habente contrariam memoriam, unde legitima præscriptio deduci solet, ubi constat de præcedentibus prohibitionibus, cum subsequuta longissima observantia, & acquiescentia, ex deductis apud Casanat. *d. consil.* 39. *& seqq.* Anguisciol. *consil.* 59. Cyriac. *controv.* 462. & eumdem Thes. *dec.* 16.

Sed etiam, quia cum hæc molendina essent viciniora, & commodiora aliis, ad quæ accedi prætendebatur; neque onus moliturææ esset notabiliter gravius, intrare posse advertebam propositionem insinuatam in Cornet. *disc. præced.* quod scilicet, ubi, vel commoditas, vel onus notabiliter non alterantur, vassalli cogi possunt accedere potius ad molendina Domini, quam aliorum, cum alias videretur species æmulationis, & malignitatis, ut auctoritate Divi Gregorii firmant Freccia *de subfeud. lib.* 2. *auctor.* 41. Anna se-
9 nior *in rubr. de vassallo decrep. ætat. n.* 69. Anna jun. *in addit. ad singular.* 557. Lanar. jun. *in addit.* ad Lanar. sen. *in repetit. feudal.* §. *si quis per* 30. *n.* 68. Novar. *de gravamin. vassall. lib.* 1. *c.* 58. *n.* 4. *& lib.* 2. *q. forens.* 5. Mastrill. *de Magistrat. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 36. Rovit. *pragm.* 14. *de Baron. n.* 5. de Marin. *resol.* 218. *lib.* 2. *in fine.* Unde quicquid esset de dictæ conclusionis praxi, & intelligentia in petitorio, dum illam a me deductam in d. Cornetana Tribunal Cameræ in nulla consideratione habuit, observabam tamen illam magnifaciendam esse in possessorio, ad effectum, ut cessaret positiva juris resistentia, ac dici posset possessio habens aliquod boni juris fomentum.

His stantibus, in congressibus habitis pro examinando
10 petitorio, mea sententia erat, istud assumendum non esse directe, & præcise super hac libertate, dum semper, ubi etiam ex parte Abbatis non doceretur de legitima præscriptione, obstare posset ista conclusio, juncta præsertim cum aliis ponderatis apud Casanat. *d. consil.* 39. *& seqq.* ad eamdem præscriptionem inducendam, & sic secundus punctus supra distinctus parum examinatus fuit.

Credebam tamen meliorem viam esse illam, quatenus territorii opportunitas concederet, construendi Molendinum proprium, cum in hoc Communitas haberet fundatam intentionem in regula, de qua apud Capyc. *dec.* Surd. *cons.* 127. Borell. *de magistr. edict. lib.* 4. *cap.* 7. Novar. *de gravam. vassallorum gravam.* 50. *n.* 1. ut Baro non possit prohibere subditis, ne molendina, vel furnos pro usu proprio construant.

Et quamvis posito jure prohibendi, legitime præscripto, accedendi ad aliena molendina, exinde in quamdam con-
11 sequentiam resultare videatur jus prohibendi novorum molendinorum constructionem, ex deductis per Capyc. *dicta dec.* 209. Surd. *d. consil.* 127. Cyriac. *controv.* 462. Casanat. *d. conf.* 39. *&* 40. ac alios apud eos; Attamen advertebam id procedere, ubi ille, qui tale jus prohibendi acquisivit, & possidet, habeat molendina in eodem loco, in quo aliud de novo construi prætendatur, quasi quod antiqua observantia, quod nemo alter hujusmodi bonorum speciem possederit, dicatur argumentum juris privativi, ut advertitur apud Thes. *d. dec.* 16. *num.* 5. Capoblan. *de Baron. dict. pragm.* 14. *num.* 14. *& seqq. ubi cæteri*, & in his terminis loquuntur allegati; Secus autem, ubi nullum molendinum in proprio territorio adesset, cum tunc nulla concurrere dicatur possessio circa prohibitionem facultatis super nova constructione, sed illa solum percutiat prohibitionem accessus ad aliena molendina pariter extra territorium existentia, quæ possessio referri potest ad dictam rationem, seu conclusionem, ut scilicet, dum Oppidani nulla in proprio territorio molendina habebant, sed pernecesse ad aliena extra territorium proprium accessuri erant, deberent magis ad illa Domini, quam ad alia accedere, sed non exinde inferri posse videtur ad prohibitionem naturalis libertatis sibi parandi hanc commoditatem in territorio proprio, ideoque in hac parte credebam bonum jus Communitati assistere; defuit tamen hucusque occasio id maturius, ac firmiter examinandi, dum causa siluit; ideoque judicium pro veritate desuper efformari non potuit.

AMERINA SERVITIORUM,
PRO COMITE LAURENTIO DE MARSCIANO
CUM COMMUNITATE, ET HOMINIBUS CASTRI GUARDEÆ.

Casus disputatus in Sac. Consulta, seu coram Judice ab eo deputato.

De angariis, & perangariis, quæ dicantur, & an, & quando competant Baronibus, & inferioribus Dominis, non habentibus jura Regalia; Et generaliter de servitutibus per vassallos Domino, seu Baroni præstandis. Et quid in possessorio, quando possessio sic manutenibilis. Et an in proposito adsit differentia inter Barones possidentes castra in feudum, & illos qui ea possident in allodium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Vassalli debent portare ad domum Domini fructus portionis dominicalis, seu decimæ.*
3 *Quid de conductore, vel debitore censualista, ubi pensio, vel census consistit in fructibus.*
4 *Negligentia prædecessoris non præjudicat successori venienti jure proprio.*
5 *Quando observantia accipiendi fructus in ipsis bonis sit æquivoca, & non præjudicet.*
6 *De distinctione vassallorum feudi, & vassallorum civium, seu Burgensium.*
7 *Quando servitia per vassallos Domino præstanda, sint realia. & non cadant sub angariis.*
8 *Quod angaria, & perangaria sint de Regalibus, & non competant Baronibus, nisi accedente privilegio, vel immemorabili.*
9 *De alia ratione, ob quam requiritur immemorabilis ratione servitutis habentis causam discontinuam.*
10 *De servitiis, quæ vassalli de jure præstare debent Baroni.*
11 *Quæ sint angaria, & quæ perangaria.*
12 *Ubi agitur de perangariis semper adesse dicitur juris resistentia.*
13 *De rationibus ob quas in perangariis adest juris resistentia, & mala præsumptio.*
14 *Immemorabilis est difficilis probationis in Curia.*
15 *In possessorio retinendæ non quæritur de justitia, vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis.*
16 *Fallit ubi jus possessionis resistit, puta in Regalibus, & similibus.*
17 *Fallit, quando possessio est diuturna, & temporis considerabilis.*
18 *Conclusio de qua nu. 16. in Regalibus procedit, quando agitur de præscriptione contra dominum.*
19 *In Statu Ecclesiastico non urget mala præsumptio violentiæ, & oppressionis.*
20 *In facultativis ubi possessio est diuturna datur manutentio.*
21 *Expedit vassallis servitia commutari in pecunia.*
22 *De differentia inter Barones possidentes Castra in feudum, & alios in allodium.*
23 *Respectu Principis, vel alterius habilis ad possidenda jura regalia non requiritur immemorabilis ad præscribenda servitia.*

24 Qui vere, & proprie dicantur vassalli angarii, & per angaria,

25 Quando in præstatione servitiorum non requiratur immemorabilis,

D I S C. CXLVI.

1 REcurrentes Homines Castri Guardeæ ad Sacram Consultam adversus Comitem Laurentium de Marsciano eorum Dominum, plura deducebant prætensa gravamina, præsertim vero, quod eos cogeret ad asportandum ad propriam domum portionem colonicam, fructuum in eo territorio collectorum, necnon ad solvendum singulis annis julios duos pro quolibet loco unius operæ ad metendum, julium unum loco unius operæ ad fodiendum, ac habentes boves julios duos loco operæ unius arairi, exigendo etiam certis statutis temporibus asportationem lignorum, paleæ, & aliorum ultra alias exactiones ex singulis capitibus animalium, de quibus, ac etiam de facultate faciendi banditas, & restringendi pascua, habetur actum in Amerina juris pascendi, *sub tit. de servit. disc.* 36.

Quatenus igitur pertinet ad hæc servitia, quæ per scribentes pro d. vassallis recurrentibus generaliter involvebantur sub vocabulis angariarum, & perangariarum; Scribens pro d. Comite coram Judice, a d. Sacra Consulta deputato, dicebam, etiam cum sensu veritatis, sub inspectione servitiorum, seu angariarum, & perangariarum cadere non debere onus asportationis portionis dominicalis ad domum
2 Domini, quoniam ex juris dispositione, vel ratione, verius est, colonos teneri asportare fruges, aliosque fructus cadentes sub portione, seu recognitione dominicali ad ipsius Domini domum, nisi contraria consuetudo obstet, ut in specie illius responsionis, quam vassalli solvunt Baroni, seu Domino pro cultura ejus territorii, Ann. *alleg.* 95. *n.* 11. Franch. *dec.* 124. ubi Add. Capobl. *de Baron. tom.* 3. *c.* 78. *n.* 7. Ideoque erroneum dicebam hoc onus involvere cum illis servitiis, seu angariis, & perangariis, in quibus utpote de Regalibus recensitis *in c. unico, quæ sint regalia*, jus resistere videtur Baronibus, & Domicellis inferioribus, quibus Regalia non competunt, unde propterea urget juris resistentia non comprehendens istum casum, in quo, vel cessante contraria consuetudine, jus assistit Domino, ut supra, vel saltem eum regulando jure cujuscumque privati creditoris pro pensione, censu, vel responsione solvenda in certa quota, vel quantitate fructuum, dubium est inter scribentes, an asportari debeat per debitorem ad domum creditoris, necne ex
3 deductis per Duard. *de cens.* §. 3. *qu.* 8. *a nu.* 9. *ad* 21. & alios apud eum, ideoque tamquam in casu, vel præter jus, vel de jure dubio, deferendum videtur observantiæ, vel interpretativæ, quæ sufficit qualis qualis, absque præfinitione certi temporis, aliisque præscriptionis requisitis, cum hæc sit notoria differentia, quam in foro quotidie decantatam habemus inter observantiam præscriptivam, & interpretativam, vel saltem sufficit decennalis, utpote in re præter jus; Et sic magna differentia est inter istud onus, & alia onera, seu servitia superius recensita, quæ sub angariarum, & perangariarum vocabulis per DD poni solent. Et propterea cum in hac facti specie supponeretur talem esse observantiam ultimam, & non interruptam annorum circiter 15. & ultra, prorsus injusta remanebat querela.

Et quamvis ex parte vassallorum opponeretur hanc esse recentem introductionem ipsius Comitis, stante quod ejus majores hanc portionem levarent in areis, vel ipsis prædiis, illam cum propriis animalibus, seu alias, proprio sumptu ad domum asportando; Attamen id non videbatur considerabile, quoniam iidem testes asserentes, quod aliqui prædecessores ita servarent, deponebant quoque, quod antiqua observantia huic recenti conformis erat, quod scil. portio dominicalis per colonos, & vassallos ad domum Domini asportaretur, ideoque aliqua intermedia contraria observantia præjudicare non debebat, nisi probaretur illam esse talem, quod legitimam induxisset consuetudinem, vel præscriptionem hujus libertatis, præsertim contra successorem venientem jure suo, & independenter, cui prædecessoris negligentia etiam diuturna regulariter non præjudicat, ex deductis
4 per Grat. *discept.* 577. *n.* 4. Peregr. *de fideicomm. art.* 41. *nu.* 16. 17. Ciarlin. *controv.* 107. *num.* 26. Rot. *dec.* 280. *n.* 26. *part.* 11. *rec.* & habetur frequenter in materia jurispatronatus, etiam in fideicommissaria, & similibus.

Considerando potissime, quod d. contraria observantia prædecessorum congrue referri potest ad jus facultativum, quandoque pro industria, & majori utilitate exerceri solitum, quod scil. magis Domini interesse accipere manu sua fructus ejus portionis in area, vel in ipsis prædiis, quam quod coloni illos ad domum suo sumptu asportent, quasi quod major sit utilitas, quæ resultet habendi fructus sinceros, & non alteratos, quam sit onus, seu impensa vecturæ, ut in plerisque partibus vidi in praxi servari, unde si successor hanc meliorem œconomiam servare nolit, vel sibi proficuam non reputet, non exinde resultare debet consuetudo præscriptiva, & obligatoria, ut frequens praxis docet in Episcopatibus, ac Abbatiis, & Beneficiis, quod diversi esse solent usus Episcoporum, & Prælatorum pro tempore.

Ponderando quoque ad exclusionem hujus oneris, ne scilicet veniret sub nomine illarum angariarum, & perangariarum, quæ sunt de Regalibus, & quibus jus resistit, ut infra, quod juxta communem feudistarum distinctionem *in cap. unico, quæ sint regalia*, verbo *angariis*, & de quibus apud Montan. *in eod. cap. unico*, verbo *angaria, & perangaria*, *fol.* 119. *cum seqq.* Rosenthal. *de feud. cap.* 5. 6
conclus. 70. Novarr. *de gravam. vassallorum in prælud. nu.* 6. *& seqq.* Ripoll. *de Regalib. cap.* 19. & alios, diversa sunt servitia præstanda per vassallos feudi ratione ipsius feudi, seu rei, quæ propterea etiamsi a personis præstentur realia, occasionalia dicuntur, a servitiis personalibus, quæ ex sola ratione subjectionis, & vassallagii jurisdictionalis exiguntur a vassallis, quos, ad differentiam vassallorum feudi, seu subditorum occasione rei, feudistæ vocant vassallos cives, sive Burgenses; In hac enim secunda specie cadit juris resistentia ratione Regaliæ supremo Principi regulariter 7
competentis, ut infra, non autem in prima, quoniam etiam inter privatos hujusmodi onera juxta conventiones, vel consuetudines dantur; Ideoque cum ista præstatio portionis dominicalis de jure congruat cuicumque privato, atque sit de ratione rei, idcirco non cadit sub illis oneribus, & servitiis, quæ sub nomine angariarum, & perangariarum in jure explicantur.

Quatenus igitur pertinet ad alia onera, & servitia, quæ 8
ut supra, vel in specie, vel in pecunia exigi consueverunt sub nomine angariarum, & perangariarum explicari solita; Observabam, quod licet textus *in cap. unico, quæ sint Regalia*, angarias, & perangarias collocet inter Regalia, unde propterea feudistæ, ac alii DD. de quibus apud Montan. Rosenthal. & Ripoll *ubi supra*, inferunt illa non competere feudatariis, & Baronibus inferioribus, quibus concessa non censentur Regalia ipsi Principi reservata, & consequenter requiritur, vel ipsius Principis privilegium, vel immemorabilis, seu centenaria, cujus vigore privilegium, vel quicumque alter titulus de mundo melior allegari potest, ut in casu immemorabilis, vel centenariæ admittitur per eumdem Capoblanch. *in ejus tractatu de Baron. tom.* 1. *pragmat.* 16. quem Baronibus infensissimum, eorumque potestatis rigorosum censorem appellat de Marin. *resol.* 218. *lib.* 2.

Et cum rationi resistentiæ juris resultantis a qualitate Regaliæ, aliam quoque ego ponderabam addi posse, 9
quod scilicet, cum ista dicatur servitus habens absque dubio causam discontinuam, hæc etiam inter privatos, juxta magis communem, & receptam opinionem, de qua frequenter in sua materia, *sub tit. de servitutibus*, ac etiam in Sabinen. *hoc eodem tit. disc.* 96. non acquiritur, nisi per tempus immemorabile.

Attamen erroneum dicebam, quamcumque servitiorum speciem collocare sub hoc prohibito genere, juris resistentiam habente, quoniam pleraque sunt servitia, quæ hanc juris resistentiam non habent, sed potius assistentiam, quod scilicet Baro, vel Domicellus, quamvis inferior, 10
quemadmodum de jure, vel saltem recepto usu, habet jus cogendi unum ex vassallis, cum debita repartitione, & idoneitate ad colligendum sui feudi fructus, ac faciendum; ut vulgo dicitur, munus Ærarii, ita coloni, & laboratores, qui aliis servitia, & opera rustica locare solent, cogi possunt etiam inviti ad serviendum Domino in ejus bonis, quæ ratione feudi, vel patrimonii in loco possideat, soluta justa, & consueta mercede, ne Dominus sit inferioris conditionis quocumque alio privato, ut sæpe contingit, quia nempe vassalli ipsi Domino infensi, monopolium, seu conventiculam agendo, renuant accedere ad arandum, metendum, fodiendum, aliaque opera, & servitia rustica præstandum, sive asportare ligna, frumentum, vinum, paleas, & alia necessaria, nam tunc cogi possunt, ut advertit in specie Montan. *ubi supra*, & admittit, seu tamquam certum præsupponit, Novarr. Capoblanc. vectigiorum spectator circa censuram potesta-

us-

tis Baronum, *d. ejus tract. de gravaminib. vassallor. a gravamine 76. ad 116.* ubi solum præsupponendo d. obligationem insistit super illius moderatione, & ne Baro abutatur, ac excessive vassallos gravet.

Et tamen hæc etiam servitiorum species, quæ juris assistentiam potius, quam resistentiam habet, atque non est de Regalibus, sub nomine angariarum explicari solet, dum
11 ex communi, & recepta istorum vocabulorum significatione legali, sub nomine angariarum veniunt illa servitia personalia, quæ per vassallos domino præstari debent, salva tamen congrua, seu consueta mercede; sub nomine vero perangariarum illa servitia, quæ nulla soluta mercede præstari debent; ergo non omnes angariæ sunt de Regalibus, ac habent juris resistentiam, cum aliquæ adsint permissæ, ac habentes resistentiam juris, ut supra, quoniam angariæ vocabulum dictum ab angariando tam apud juristas, quam apud antiquos linguæ Latinæ professores quodcumque onus vel servitium personale significat, ut patet ex allegatis, & habemus in Evangelio de Simone Cirenæo angariato ad bajulandam Crucem Domini N. J. C.

Verum quia in hac facti specie servitia per Dominum a vassallis nulla soluta mercede in specie, vel in pecunia, ut supra exigi consueverunt, unde propterea in eis cadit terminus perangariæ, in qua non intrat dicta ratio servitio-
12 rum, ad quæ de jure vassalli cogi possunt soluta debita mercede, consequenter ubi non constat de concessione, vel privilegio Principis, pernecesse desideranda est centenaria, vel immemorabilis, tam ratione, quod hoc jus est de Regalibus, quam ea dicta alia ratione generali cadente in quacumque materia indifferenti ex dispositione juris communis, quod in servitutibus habentibus causam discontinuam requiritur immemorabilis.

Accedentibus etiam ratione subjectæ materiæ duabus aliis rationibus, ob quas in istis servitiis præstandis per vassallos, vel subditos Baroni, seu superiori, dicta major præscriptio
13 desideranda venit, vel scilicet ob præsumptionem facultatis, & benevolentiæ, ob quam vassalli hæc servitia grato, & benevolo domino præstare potuerint juxta casum, de quo in Ferettana servitiorum, *sub tit. de feud. disc. 51.* Vel ratione malæ præsumptionis concussionis, & violentiæ, quæ in Baronibus militare solet, ut apud DD. de quibus infra, cum quibus ex dicta ratione licet obiter, & non discussa materia processit Rot. in Sabinen. status Montis Libretti 12. Junii 1662. coram Cerro in fine, ut advertitur in eadem Sabinen. *d. tit. de feud. disc. 65.* Ideoque admittebam in petitorio, & pro canonizatione juris exigendi d. servitia, centenariæ, vel immemorabilis probationem requiri, quam supponebatur per testes probari; Licet enim ex considerationibus, de quibus infra non improbabiliter substineri posset, ut ea, quæ habentur in Baronibus, & Feu-
14 datariis, non procedant in hac specie Dominorum allodialium; Attamen agnoscebam id esse opus difficile, dum ut plurimum judices pragmaticum stylum sequentes, has ratiocinationes reputant Advocatorum subtilitates, ut Ego præsertim sæpissime experior.

Quia vero inspectio petitorii esse solet difficilis, ac altioris indaginis ob rigorem, cum quo in Curia procedi-
15 tur circa probationem immemorabilis, cum requisitis positis per vulgarem glossam *in cap. 1. de præscriptionib. in 6.* quæ ad litteram desiderari videntur, unde propterea in praxi rari sunt casus, in quibus immemorabilis bene probata canonizetur; Idcirco principalem dicti Comitis defensionem adversus dictos vassallorum recursus constituebam in possessorio retinendæ, quod vulgo dicimus manutentionis, de cujus utpote summarii, & privilegiati natura est, ut non quæratur de justitia, vel injustitia, sed attendatur nudum factum possessionis, rejectis exceptionibus boni juris non omnino claris, & indubitatis per confessionem partis, vel per rem judicatam ad petitorium ex nauseative collectis per Postium. *in tract. de manut. observat. 42.* & est in foro quotidianum.

Et licet in istis juribus, quæ sunt de Regalibus, atque præter supremum Principem, per inferiores sine titulo explicito privilegii, vel implicito, resultante ab immemorabili, possideri non possunt ob juris resistentiam possessioni,
16 ista propositio non procedat, ut aliis allegatis in his terminis, & juribus firmant, Natta *consil. 506. num. 11. & seqq.* Buratt. *dec. 312. nu. 12. & 13.* Rot. *dec. 616. part. 3. recent.* Capoblan. *de Baron. tom. 1. pragmat. 16.* & generaliter Capoblan. *ubi supra, pragm. 1. n. 229. & seq.* Rovit. *pragm. 1. de jurisdict. invicem non turban. num. 29. & seqq.* Rot. *dec. 605. & 615. part. 5. rec. ubi de officiis.*

Attamen id non procedit quando possessio est diuturna, & temporis considerabilis, ut in specie jurium Regalium, Rot. *dec. 28. p. 1. divers.* & magis in specie, Cocc. *dec. 354.*
per tot. & confert *dec. 435. p. 9. rec.* Et magis generaliter 17
de possessione temporis considerabilis, ut sit manutenibilis etiam ubi jus resistit, Capyc. *dec. 209. n. 18.* ea doctrina Innocent. *in cap. innotuit. de eo, qui ordin. fuer.* Capyc. Latr. *consult. 66. n. 2. & seqq. & consult. 83. n. 45. & seqq.* Caval. *dec. 80. num. 8.* Rot. *dec. 49. num. 9. p. 7. rec.* Add. ad Buratt. *dec. 131. num. 9.*

Merito autem in his terminis possessio temporis considerabilis est manutenibilis, quoniam juris resistentia non re- 18
sultat a Regalia, quæ solum urget, ubi agitur contra ipsum Principem ea deduct. apud Buratt. & Add. *d. dec. 131. nu. 4.* Sed potius a contraria præsumptione vel concussionis, & violentiæ potestativæ, & jurisdictionalis vel facultatis ratione benevolentiæ, ut supra, quæ utraque ratio cessat ubi agitur de continuata, & diuturna pacifica possessione absque conquæstibus, & recursu, quoniam prima species præsumptionis non admittitur in Statu Ecclesiastico, ubi facilis est recursus ad Summum Pontificem ejusque Officiales, & Magistratus, super hoc nimium invigilantes, ut in specie adver-
titur apud Cocc. *d. dec. 354.* cum qua proceditur *in dict. dec.* 19
435. p. 9. rec. ideoque non intrat illa mala præsumptio, quæ cadit in illis regionibus, de quibus allegati auctores, & cæteri loquuntur, in quibus Magnates, & Barones de facto aliquam majorem habent licentiam, ut etiam advertitur in d. Sabinen. Status Montis Libretti *sub tit. de feud. disc. 65.* & in Farfen. Molend. *hoc tit. disc. praced.* dum potissime in Regno Neapolitano, de quo plures loquuntur, adest aliqua major, & particularis resistentia juris municipalis, contenti *in d. pragm. 16. de Baronibus*; Altera vero præsumptio facultatis cessat, ubi concurrunt tempus notabile, & multiplicitas actuum, unde propterea isto casu quicquid sit in peti-
torio, talis possessio remanet manutenibilis, quoniam ad 20.
effectum hujus remedii sufficit esse dubium, an jure facultatis, vel obligationis id gestum sit, ex deductis in Majoricen. Missarum cor. Bichio *dec. 186. & 380. p. 11. rec.* Neque id negatur per Rotam in d. Sabinen. Status Montis Libretti 12. Junii 1662. cor. Cerro, dum ibi proceditur cum præsupposito, quod de possessione constaret per unicum actum, & per vim cum præceptis, & coactionibus.

Neque obstare videbatur, quod aliqua ex his servitiis præ-
starentur in pecunia, ut supra, quoniam id magis favorabile 21
reputatur ipsis vassalis, ut scil. per quandam speciem compositionis cum modica summa pecuniaria, ita redimantur ab hoc onere, atque libertatem acquirant, ut in specie habetur apud Novar. *d. tract. de gravamin. vassallorum gravam. 79. n. 1* & Rovit. *pragm. 16 de Baronibus, num. 5.*

Cæterum quæstiones pertinet etiam ad petitorium, ac bo-
num jus, assumendo rem aliqualiter magis ab alio, obser- 22
vabam, ut ea quæ generaliter per allegatos, & alios in hac materia angariarum, & perangariarum dicuntur in ordine ad Barones, & Feudatarios inferiores, non habentes jura Regalia, quæ resideant penes Principem, cujus ipsi sunt Barones, & milites, ut præsertim in dicto Regno, in quo omnes Barones sunt feudatarii, atque obtinent illas Civitates, Oppida, & Castra jure feudi, seu subfeudi omnino subordinati, & in sola ratione jurisdictionali, unde potius perpetui Gubernatores, & Officiales a Rege deputati, quam veri Domini censendi sunt, non ita congruant hujusmodi castris, & locis, quæ per Domicellos, & Barones in Statu Ecclesiastico, [illegible] absque investitura, & servitio feudali possidentur in allodium, cum ea etiam circumstantia, quod nedum penes eos est dominium territorii considerati in sola ratione jurisdictionali, & territoriali, utpote juris terrendi, seu etiam in pleno dominio etiam utili, adeout vassalli nihil possideant, nisi quoddam jus coloniæ, ut in præsenti ex deductis in hac eadem causa *d. tit. de serv. disc. 36.* Ex hoc enim duo resultant. Primo, quod isti dici possunt potius vassalli feudi, quam vassalli cives, seu burgenses, unde propterea ista sint servitia magis realia, quam personalia, quia nempe sub his oneribus per loci Dominum admissi fuerint ad inibi inhabitandum, ac habendum usum territorii; Et secundo, quod etiam penes talem Dominum resideant hæc regalia minora, juxta ea, quæ habentur in Civit. Castelli contributionis, *sub tit. de feud. disc. 63.* licet enim, ut frequenter, tam *in d. disc. 63.* quam in aliis, *d. tit. de feud.* istud non sit illud verum, & plenum allodium, per quod non recognoscitur nisi Deus, sed insit illa remota, & impropria feudalitas, quæ consideratur per Spad. *cons. 1. l. 1.* in ordine ad superiori-

prioritatem Papæ; Attamen exceptis Regalibus majoribus, & primi ordinis, quæ nonnisi penes Principem, ac supremum Dominum residere possunt, non implicat hæc Regalia minora esse penes hujusmodi Dominos, hanc dominationem habentes subordinatam quidem, sed magis plenam, atque non adeo dependentem, & limitatam, qualem habent simplices feudatarii Baronales, & inferiores, quorum respectu intrat d. resistentia, ob jus Domini, & infeudantis, a quo hæc jura non censentur concessa, neque veniunt sub feudo; Hac autem ratione cessante,
33 ubi agitur de jure serviciorum inter Dominum capacem Regalium, & subditos, non requiritur immemorabilis, sed solum longa præscriptio sufficit, ut per Montan. *ubi supra, n. 4. vel 5. pag. 112. col. 2. circa fin.* ubi quod resistentia consistit in eo, quod agitur de præscribenda Regalia contra Principem; Atque bene discursum satis comprobat frequentior praxis, quod in hujusmodi locis ita sine investituras & servitio feudali, jure allodii possessis, Domini habent furnos, macellos, tabernas, seu pizzicarias, & similia, cum Regalia juris privativi, & prohibendi, ac etiam habent fiscum, & alia, que incongrua sunt feudatariis, & puris Baronibus jure feudi inferioris.

Considerabam quoque veram Regaliam in hac materia consistere in jure generali, idest, in qualitate ipsorum
34 vassallorum, quod simpliciter, & indefinite, tanquam species servorum, seu colonorum adscriptitiorum censendi essent angarii, & perangarii ad plures effectus per feudistas consideratos, præsertim, quod sine licentia Domini clericari non possint, neque habitationem loci deserere, atque semper, & indefinite servitio parati essent, cum similibus, atque istud in vero sensu text. *in d. cap. unico, qua sunt Regalia*, ac antiquorum peritorum feudistarum, dicitur proprie jus Regale, secus autem ubi non agitur de imprimenda d. generali, & indefinita servili qualitate in personis, sed isti suam naturalem libertatem retinendo habeant solum quoddam modicum onus servitii rusticani, eorum statui, & conditioni congruum in una sola die totius annis, cum ejusdem servitii commutatione in præstatione pecuniaria, quoniam hæc dici potest quædam transactio super illis servitiis, quæ in pluribus diebus, ac anni temporibus etiam de jure, ut supra, inviti præstare tenentur; Unde propterea in stricta juris censora, neque desideranda videtur illa immemorabilis, quæ necessaria est
25 etiam in privatis servitutibus, habentibus causam discontinuam, cum non agatur de inducenda formali præscriptione juris, quod certum esset non competere, sed de inducenda præsumptiva probatione concordiæ super modo præstandi servitia, alias debita, licet hæc apud pragmaticos videantur metaphysica ratiocinica, & subtiles distinctiones non de facili amplexa, quando per Advocatum in causa scribentem educuntur, eo quia non adsint Joannes, & Martinus qui id dicant.

ANNOT. AD DISC. CXLVI.

AD hanc materiam angariarum, & perangariarum, aliorumque servitiorum, videnda sunt, quæ habentur, *sub tit. de feud. disc. 51. & 65.* & de hoc eod. Castro, ejusque Domino agitur quoque, *sub tit. de servis. disc. 36.*

ROMANA, SEU, &c.

RERUM EXISTENTIUM POST SUPERFICIEM.

Discursus informativus ad petitionem cujusdam Magnatis.

An, & quæ res existentes post superficiem terræ, sive subtus solum sint de Regalibus, vel respective juris privati: Et quando privato liceat absque publica auctoritate facere fodinas, seu excavationes. Et posito jure privato in toto, vel in parte; An hujusmodi res pertineant ad Dominum directum, vel potius ad Dominum utilem, sive subalternum.

SUMMARIUM.

1 *Occasio scribendi.*
2 *Veritas bene aperitur, cum disputationibus judicialibus.*
3 *Reprobatur opinio volentium omnia existentia post superficiem esse Principis, & de Regalibus.*
4 *Datur distinctio inter bona existentia post superficiem, habentia opus manufactum, & non habentia.*
5 *In rebus habentib. opus manufactum non cadit Regalia.*
6 *Statua, lapides, & alia reperta in fundo emphyteutico spectant ad emphyteutam.*
7 *Sed non possunt fieri excavationes sine licentia Principis.*
8 *In hac licentia consistit jus Regalia.*
9 *De Thesauris, eorumque materia.*
10 *Quod de consuetudine sint Principis.*
11 *Inventio thesaurorum redundat in damnum inventorum.*
12 *Ubi cum cautelis procedatur quid dicendum sit.*
13 *Quod spectent ad Dominum directum, non autem utilem.*
14 *De aliis quæstionibus in materia thesaurorum remissive.*
15 *Fodina dicuntur de jure communi, sed apud feudistas dicuntur mineria.*
16 *De distinctione plurium specierum fodinarum.*
17 *De variis opinionibus super fodinis auri, & argenti, an sint de Regalibus.*
18 *Opinio Auctoris.*
19 *De ratione ob quam in hac materia procedendum non est cum regulis juris communis.*
20 *De historia legali, & introductione Regalium.*
21 *Etiam antiquo tempore mineria auri, & argenti erant de Regalibus.*
22 *Quid servetur in Indiis.*
23 *De fodinis infimis creta, arena, & lapidum ad quem spectent.*
24 *De puteolana, ut sit Domini utilis.*
25 *Et qua actio competat Domino directo.*
26 *An, quod percipitur ex fodinis dicatur fructus, vel proprietas.*
27 *Super fodinis potest imponi census, vel constitui ususfructus.*
28 *De fodinis repertis constante matrimonio, vel durante dominio utili.*
29 *De tertia specie fodinarum continentium quid medium inter illas auri, & argenti, & infimas terra, vel cretæ, præsertim illas aluminis, & salis.*
30 *De jure privativo Cameræ Apostolicæ in alumeriis Tulpharum.*
31 *Alumen in Regno Neapolitano, an sit de Regalibus.*
32 *Quid de jure communi.*
33 *Refertur historia circa mineriam aluminis Tulpharum.*
34 *Quod articulus sit dubius.*
35 *An, sub concessione feudi veniant fodinæ, quæ sunt de Regalibus, seu alia Regalia in eis competens.*

DISC. CXLVII.

PLuries contingit, semper tamen in congressibus, & in 1
forma extrajudiciali, non autem judiciali, usque adhuc agere, seu discurrere de hac materia fodinarum, seu excavationum; Et, an illæ res, quæ, vel adhuc existentes in primævo statu naturæ, vel habentes hominis artificium, subtus solum, vel superficiem terræ, casualiter, vel data opera inveniuntur, sint de Regalibus, & juris publici, vel potius juris privati; Et quatenus agatur de illis juxta hanc secundam speciem existentibus in fundo, duplicem, directum, ac utilem, sive subalternum dominum habente, ad quem pertineant; Potissima vero occasio circa initia Advocationis in Urbe, fuit illa usus affirmativi, vel negativi jam notæ venæ aluminis enunciatæ, *sub tit. de feud. in Massanen. disc. 54.* ubi de illius statu, ac serie; Unde propterea per quemdam Magnatem, partim ad propriam directionem, partim vero in reliquis ad curiositatem, requisitus fui, ut inter moras, & otia Villæ Tusculanæ desuper ederem discursum informativum, prout edidi in sola discursiva forma, nihil tamen maturæ 2
pro veritate determinando, cum absque formali disputatione in judicio vix id sequi valeat, quia forenses disputationes nimium aperiunt intellectum, ac frequenter detegunt nigrum id, quod primo aspectu videbatur album, & econtra; Et ob quam rationem a nimium frequenti experientia comprobatam, mea consuetudo est parum deferendi iis scriptoribus, qui alioquin docti, & ingeniosi, nullam, vel modicam fori, in magnis præsertim, ac primariis Tribunalibus notitiam habentes, omnia dicunt theorice, & in abstracto, ex sola librorum lectura, & revolutione.

Dicebam igitur, quod neglecta illa satis adulatoria opi- 3
nione deferentium Principi, atque inter Regalia enumerantium omnia, quæ post superficiem, ac intra viscera terræ existunt, sive in primævo naturæ statu perseverent, sive hominis artificium habeant, & casualiter nobis abscondita reperiantur, quasi quod privatorum domi-

nium

nium ad solam terræ superficiem, cjusque naturales, vel industriales fructus restrictum sit, cum revera id nullum habeat, nec positivi, nec naturalis juris fundamentum.

Atque juxta magis communem, & receptum Doctorum sensum, in conclusione potius, quam disputativa ratione juxta solidum Curiæ stylum respondendo dicebam, distinguendum esse inter ea, quæ ea humano opere, vel industria ad illum statum redacta, præsupponunt antiquum primævum dominium (obliteratum tamen,) ac accidentaliter post terræ superficiem existentia, ut sunt pecunia, gemmæ, aurum, argentum, seu æs elaboratum, statuæ, lapides insculpti, seu alias quadrati, ac similia opus manufactum præseferentia, Et ea, quæ sub eadem superficie in primævo naturæ statu absque aliquo facto hominis adhuc perseverant, ut sunt mineriæ, seu fodinæ auri, argenti, ferri, aliorumque metallorum, necnon aluminis, sulphuris, vitrioli, marmorum, aliorumque lapidum, cretæ, arenæ, puteolanæ, & similium.

Quoad primam speciem rerum præseferentium hominis industriam, seu opus manufactum, distinguebam inter pecuniam, aurum, argentum, gemmas, & similia pretiosa, quæ sub thesauri nomine venire dicuntur, & inter statuas, aliasque res lapideas, seu æneas, ac lapidea insculptos, seu laboratos, & similia, quibus thesauri terminus non conveniat.

Quatenus pertinet ad hanc secundam speciem dicebam,
5 Principes usque adhuc pro mea notitia, in fundis, ac prædiis privatorum manus non apposuisse, neque hanc bonorum speciem inter eorum Regalia collocasse, unde propterea juris communis dispositione intacta remanente, dicuntur de privato dominio, & pertinentia eorum, qui sunt domini fundi, seu prædii, quibus invitis, non datur aliis privatis illa perquirendi, & effodiendi facultas, quæ ut infra datur in perquirendis, & effodiendis metallis; Solumque disputatio cadit, ubi fundus duplicem habet dominium, directum scilicet, & utile, seu subalternum, de cujusnam dominio, & pertinentia illa sint; Cumque ista quæstio in specie disputata esset in Rota in uno Romana lapidum, & statuarum coram Manzanedo, sub die 14. Maji
6 1612. pro emphyteuta, seu domino utili decisum fuit, dicto argumento a thesauro, cum cujus terminis processum est, ut patet ex decisione desuper edita, impressa post secundum vol. cons. Far. alias in istius decisionibus criminal. *dec.* 359. ubi in fine advertitur domino directo solum competere actionem ad quanti interest fundum ob hujusmodi excavationes deteriorem fieri, & quæ decisio usu recepta est in Urbe, ubi magis, quam in qualibet alia totius Orbis parte incorporabiliter hujusmodi effossiones, seu excavationes nimium frequentes & quotidianæ sunt, dum antiqua triumphatrix Roma adeo statuis, aliisque manufactis operibus ditata, tota sub solo est.

Quia vero sub nomine, seu pallio perquirendi statuas, lapides, & alia hujusmodi in proprio fundo, fraudes com-
7 mitti possent, perquirendo, scilicet, thesaurum, sive dando excavationi initium in proprio fundo, illam prosequi in publico, vel in aliena; Hinc proinde inolevit praxis, quæ foret mei Orbi communis est, & de qua in Catalonia testatur Ripoll. *de Regalib. cap.* 16. *num.* 15. *cum seq.* ut hujusmodi excavationes fieri non possint absque licentia aliquorum officialium cameralium, quæ passim concedi solet, sub sola reservatione ad beneficium Cameræ, pecuniarum, ac rerum auri, & argenti, aliarumque pretiosarum, sub thesauri nomine venientium, atque in hac licentia, seu privativo jure prohibendi, ne
8 ipso Principe, ejusque officialibus inconsultis, hujusmodi effossiones fiant, consistit Regalia, ut advertitur per Ripoll. *dict. cap.* 16.

In prima vero specie illarum rerum, quæ habent hominis industriam, seu opus manufactum, quæ sub thesauri nomine veniunt, inanem laborem, ac stultitiæ speciem semper censui immorari super quæstionibus, ac distinctionibus, quæ desuper per Doctores tradi solent, An scilicet in fundo proprio, vel in alieno; vel respective sacro, & religioso, vel nullius, Et an casualiter, vel data opera. Atque hoc secundo casu, an opera sit honesta, & licita, vel illicita, cum magicis artibus, & incantationibus, & an eo invento in fundo Ecclesiæ fiscus Principis laici aliquod jus habeat cum similibus, de quibus post antiquiores ab eis relatos, Farinac. *quæst.* 104. *a num.* 1. *ad* 32. Peregrin. *de jure fisci*, *lib.* 4. *tit.* 2. Sixtin. *de Regal. lib.* 2. *cap.* 20. Ripoll. *d. cap.* 16. *ex num.* 38. Rosenthal. *de feud. cap.* 5. *conclus.* 92. Harpreçt. *in §. Thesaur. Institut. de rer. divis.* Fulgin. *de emphyteusi*, *titul. de variis quæstionibus*, *quæst.* 16. Cavalcan. *decis.* 15. *lib.* 2. & nostri Regnicolæ. Borell. *de præstant. Regis Cathol. cap.* 27. & Montanus *de Regal. in §. & dimidiam thesauri*, *fol.* 307. *cum sequent.* ubi plene, & docte disputant, præsertim secundus, an dispositio juris communis per jus municipale Regni in aliquo alterata sit necne.

Quoniam, vel generalis est illa consuetudo, de qua 10 testantur Farinac. *d. quæst.* 104. *num* 22. *in fine*, *& alii*, ut hujusmodi res ad fiscum, seu Principem pertineant, vel ob illam participationem, quam etiam de jure fiscus ratione publici soli, vel ratione malarum artium prætendere potest; De facto ubique experientia comprobat, po- 11 tius in inventoribus hoc esse fortunæ maleficium, quam beneficium, quoties unum de duobus extremis non concurrit; vel scilicet, omnimodæ publicitatis, cum qua de Superiorum ad quos pertinet licentia, ac interventu eorum, quos ipsi deputant, speratus thesaurus effodiatur, Vel ubi cum nimia cautela, ac impenetrabili occultatione inventio sequatur; Et quando præventive ad excavationem licentia obtineatur, sive quod contingente casuali inventione, ita inventor caute, ac sincere agat, quod consuetas rigorosas fiscalium molestias effugiat. Tunc 12 neque certa, & determinata regula dari potest, sed totum pendet a singulorum Principatuum stylis, & usibus, unde propterea, vel nulli, vel rari sunt casus, in quibus hujusmodi quæstiones in foro per juris tramites, præsertim civiliter disputari contingat, & sic istæ quæstiones, atque tot distinctiones desuper per DD. traditæ, scholarium, & Academicorum potius pabulum videntur, ad ingenia acuenda, & exercenda.

Ubi vero casus præbeat, quod thesaurus, vel in toto, vel in parte pertineat ad dominum fundi, in quo repertus est, talisque fundus duplicem habeat dominium, directum scilicet, & utile, sive subalternum. Et tunc re- 13 ceptum est, ad utile, non autem ad directum pertinere, ut patet apud allegatos de materia agentes, & per Rot. *d. decis.* 349. *post secundum vol. cons.* Farinac.

Pluribus etiam aliis quæstionibus in hac thesauri, seu pecuniæ absconditæ materia cadentibus, inter proprietarium, & usufructuarium, emptorem, & venditorem, 14 maritum, & uxorem, cum similibus, de quibus apud supra allegatos, ac apud Barbos. *in l. divortio*, *§. si vir*, *ff. solut. matr.* Castill. *de usufr. cap.* 37. ac etiam inter fiscum sæcularem, & Ecclesiasticum, ubi in locis sacris, & religiosis inventio sequeretur, cum aliis, de quibus curiosus apud supra allegatos, ac alios, apud eos videre potest; inanis autem labor est in viro forensi, conclusive, atque ad practicam, & utilitatem scribente desuper immorari, tempusque terere ex ratione supra insinuata.

Quod vero ad alteram speciem rerum, seu bonorum in primævo naturæ statu perseverantium, nullumque o- 15 pus manufactum, seu hominis industriam habentium, quæ vere, & proprie in jure communi Romanorum, sub fodinarum nomine veniunt, in jure autem feudali, seu apud feudistas explicari solent cum vocabulo mineriarum, dum aliæ res habentes, ut supra opus manufactum, sub solo existentes veniunt, seu explicari solent, sub nomine excavationum, seu effossionum, quamvis aliqui promiscue istis terminis, seu vocabulis utantur, quoniam vis non est in verbis.

Eam in tres alias species pro clariori resolutione mihi subdistinguendam esse videtur, constituendo, scilicet, duo extrema, primum superius, auri, & argenti, ac illorum 16 lapidum pretiosorum, qui sub specie gemmarum veniunt; Alterum inferius arenæ, & cretæ, ac lapidum ordinariorum, qui sub lapicidinarum nomine explicantur, Et quid medium, seu tertiam speciem mixtam illarum rerum, quæ non veniunt sub metallis pretiosis primi ordinis, auri, & argenti, minusque sub alia vili, & inferiori materia cretæ, seu terræ aliqualiter qualificatæ, ac lapidum ordinariorum, sed sunt quid medium, utputa æs, auricalcum, ferrum, & similia metalla inferiora, necnon alumen, vitriolum, borlamentum, sulphur, ac lapides qualificati, puta marmoris, porphidi, dispati, & similes, qui etiam pretiosi ad differentiam ordinariorum dicuntur, non tamen gemmarum speciem habent,

Super prima specie variant DD. Aliqui enim volunt esse de Regalibus auctoritate D. Thomæ, ac aliorum di- 17 centium, Reges, & Principes hæc pretiosa mineralia sibi reservasse, ex quibus conflatur pecunia, Principatus, seu Reipublicæ defensioni, rectoque regimini necessaria,

ria, nulla data distinctione, an in loco publico, vel in pri-
vato reperiantur, & adsint; Alii vero promiscue de omni-
bus metallis absque distinctione, an sint magis, vel minus
pretiosa, loquentes, distinguunt, quod, Aut reperiuntur
in loco publico, & sint Principis tamquam de Regalibus,
Aut in loco privato, & sint domini fundi; Et alii demum,
retenta eadem distinctione inter solum publicum, & pri-
vatum, & concedentes primo casu pertinere ad Princi-
pem. In secundo vero, ubi scilicet sint in solo privato,
adhuc variant, Aliquibus volentibus solam decimam spe-
ctare ad Principem, reliquum esse domini soli, Aliis ve-
ro volentibus fieri tripartitam divisionem, ut una portio sit
Principis jure Regaliæ, altera domini soli, & tertia me-
tallarii, ut post alios ab eis relatos habetur apud Peregrin.
de jure fisci, lib. 4. tit. 2. Farinac. *d. quæst. 104. inspect. 2.*
Rosenthal. *de feudis, cap. 5. conclus.* 88. Sixtin. *de. Regal.
lib. 2. cap. 26.* Barbosa *in dicta lege divortio, §. si vir, ff.
soluto matrimon.* Solorzan. *de jure. Indiar. tom. 2. lib. 5.
cap. 1. & unico num.* 19. Ripoll. *de Regal cap. 16 num. 4
cum seqq.* Montan. *de Regal.* verbo *argentariæ ex fol.* 255.
& Botell. *de præstant. Regis Catholici, cap.* 28. qui dum
examinant jus Regni Neapolitani, & an per ejus Con-
stitutiones, & Capitula, juris communis dispositio in
aliquo alterata sit,

Mihi vero quoad hanc primam speciem mineralium pri-
mi ordinis, auri, & argenti, ac illorum lapidum pretio-
18 sorum, qui sub gemmarum nomine veniunt, videtur di-
cendum idem, quod supra insinuatum est de thesauris, ut
scilicet, hujusmodi decisiones remaneant hodie potius pa-
bulum academiarum, & scholarum, quam fori; Quan-
tum enim universalis praxis docet, istæ quæstiones non
de facili audiuntur in foro, atque de facto hujusmodi fo-
dinæ, seu minerīæ sunt de Regalibus, ad supremum
Principem pertinentibus; Sive, quod hæc materia non re-
cipiat uniformem, & generalem determinationem, sed
tota pendeat a singulorum Principatuum legibus, & sty-
lis, auditis quandoque in foro hujusmodi quæstionibus in
illis inferioribus metallis, seu qualificatis lapidibus, ac
magis pretiosis terræ speciebus, in quibus tertia species
constituta est, ut infra,

Et quidem juxta ea quæ in proposito Regalium exami-
nata habentur in Comaclen. alias Clomacen. vallium, *sub
19 tit. de feud. disc.* 2. legulejæ simplicitatis speciem habere
videntur, procedere cum jure communi Romanorum, &
cum iis, quæ in aliquibus ejus legibus disponuntur, sive
per inductiones, & argumenta inducuntur, perinde, ac
si Romanorum Imperium adhuc vigeret, idemque esset re-
rum status, qualis erat temporibus Justiniani, aliorumque
prædecessorum, sub quibus Imperium magis florebat, mi-
noremque scissuram passus fuerat. Siquidem, quando
Regalium usus in his partibus occidentalibus introduci cœ-
pit, præsertim vero in Italia, ob omnino in his partibus
obliteratum illud Imperium Romanum, quod ad differen-
tiam moderni occidentalis, atque post hujus usus introdu-
ctionem Orientale dicitur, nullus habebatur usus juris com-
munis Romanorum juxta hodiernam compilationem,
dum illius usum modernum habemus juxta legale n hi-
storiam, insinuata in d. Clomacen. latius vero occasione
20 Zenonianæ Constitutionis super aspectu maris, examina-
tam in Neapolitana, *sub tit. de servitutibus, disc.* 1. Un-
de propterea omnino immutato priori rerum statu, hisque
partibus in tot diversarum Nationum Principatus divisis,
ita eorum temporum conditione exigente, Principes, vel
Civitates, quæ ad libertatem provocaverant, sibi applica-
runt eas partes, in quibus natura magis fecunda, & libe-
ralis, insolita, & extraordinaria emolumenta præbet, &
quæ bona, vel juta ita reservata, de Regalibus dicta sunt,
ut in dicta Clomacen. *de feud. disc.* 3. Potissime vero in his
magis pretiosis, ac primi ordinis metallis, deservientibus ad
usum illius pecuniæ, quæ Principi, vel Reipublicæ pro
terrestri, vel maritimo exercitu, aliisque publicis necessi-
tatibus, ac Principatus bono regimine magis necessaria est.
Ideoque non solum his modernis temporibus post scissum
dictum antiquum Romanum Imperium hoc ex praxi edo-
21 cemur, sed etiam, quod idem servaretur dicto antiquo
Imperio, seu Republica durante, ut docent historiæ, præ-
sertim omnium prima, & major *Sacra Scriptura, lib.* 1.
Machabæorum, ubi agendo de Romanis, cum quibus Ju-
das Machabæus amicitiam, & societatem statuit pro Græ-
corum jugo excutiendo, atque narrando illorum victorias
& potentiam, debellatasque Provincias, & Regiones, il-
lam præsertim Hispaniæ, deducitur ad speciem, quod in
eorum potestatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ
ibi sunt. Quod moderno tempore quoque practicatum est
in acquisitione novi Orbis Indiarum, nam reliquis bonis
in suo primo consueto statu relictis, aliquæ fodinæ argen-
ti, & auri, juris Regii effectæ sunt, atque Regiæ Coro-
næ incorporatæ, reliquæ autem relictæ in dominio priva- 22
to, sub obligatione præstandi Regi quintam partem, quan-
doque decimam, vel vigesimam, juxta fodinarum, & re-
gionum qualitatem, ut per Solorzan. *d. tom. 2. lib. 5. c. 1.
& unic. numer.* 23. *& seqq.* Et sic non ratione correctionis
juris communis, vel præscriptionis adversus ejus disposi-
tionem, ut plures opinantur, sed quia d. jure tunc igno-
to, ita illorum temporum usus, & contingentiæ induxe-
runt; unde, quando jus commune inventum est, atque
usu receptum, seu primævo usui restitutum, jam ita in
his Regalibus statutum erat.

Quo vero ad aliam bonorum speciem, constitutam ex
opposito extremo infimi, circa scilicet fodinas infimas cre-
tæ, arenæ, ac ordinariorum lapidum ad ædificia servien- 23
tium, receptum econverso videtur, ubi, cessante aliqua
particulari, seu locali consuetudine, illa esse juris mere
privati, nullamque Regaliam considerari, præterquam su-
perius enunciatam, quæ juxta diversos Principatuum sty-
los, & usus, consistere dicitur in illa licentia, quæ pro
quacumque effossione, seu excavatione a supremo Prince-
pe, ejusque Magistratibus concedenda est, ad fraudes e-
vitandas, & ne sub hoc pallio, thesaurorum, seu me-
tallorum, aliorumque jurium Regalium effossiones fiant,
vel etiam hujusmodi rerum infimi ordinis existentium
in loco publico, cujus ratione ad Principem pertineant,
ac sint de Regalibus.

In hac autem specie rerum, absque dubio juris privati
existentium, intrant quæstiones, ubi fundi, sive soli do-
minium pleno jure ad unum non pertinet, sed illud diver-
sis respectibus ex plurium, puta, quia directum sit unius,
utile vero, vel subalternum jure feudi, vel emphyteusis,
aut perpetuæ locationis, vel similis, sit alterius, An scil. hu-
jusmodi fodinæ in fundo inventæ, ac de tempore conces-
sionis ignotæ, sint unius, vel alterius. Atque verius, ma-
gisque receptum videtur juxta ea, quæ de statuis, lapidi- 24
bus, & thesauris superius dicta sunt, cadere sub dominio
utili, ut in specie de illa terræ, seu arenæ specie, quæ ædi-
ficiis nimium apta est, & quam puteolanam, vulgo dici-
mus, pro certo supponitur per Rotam apud Seraph. *decis.*
1453. *num* 6. *& per tot.* Et de lapidicinis, ac etiam me- 25
tallis, & aliis hujusmodi habetur apud Rosenthal. Barbos.
Fulgin. & alios supra allegatos. Remanente solum actio-
ne domino directo ad quanti interest, fundum ob hu-
jusmodi effossiones, seu fodinas deteriorem fieri, juxta
firmata per Rotam *dicta decision.* 359. *post secundum vo-
lum. cons.* Franc. *in fine*, & hoc quando dominium uti-
le est tale, quod, eo durante, quamdam speciem pro-
prietatis importare videtur, juxta dictos exemplificatos
casus feudatarii, emphyteutæ, livellarii perpetui, condu-
ctoris, & similes.

Aliqua major quæstio cadit in eo utili dominio, magis
subalterno, minusque jus præbente, ac quamdam usuf-
fructus speciem præseferentes, quia nempe jus possessoris,
aliique sub alternum, seu alias limitatum dominium ad so-
los fructus restrictum sit, utpata viri in fundo dotali, pos-
sessoris majoratus, & fideicommissi, & similium, quam
quæstionem omnium latius, ac meo judicio, melius exami-
nat Barbosa *in d. leg. divortio, §. si vir, ff. solut. matrim.* a 26
qua .. sumunt, Gutier. *de titulis, par. 3. cap* 25. Barbar.
de divis. fructuum. par. 1. cap 17. ex n. 22. Castill. *de usu-
fructu dict. cap. .. & cæteri*, apud quos distinguitur, an
agatur de fodina jam extante de tempore, puta, contracti
matrimonii, aut ordinati fideicommissi, aut de reperta
constante matrimonio, aut penes fideicommissarium, vel
alium habentem jus vitalitium, ut primo casu, quoties
agatur de fodinis antiquis, ex quibus per majores singulis
annis certa utilitas percipi consuevit, id, quod percipitur,
dicatur esse in fructu, & pertineat ad habentem tale jus fru-
ctuarium, seu vitalitium; Licet enim fructus vere, &
proprie dicatur ille, qui renascitur, ac singulis annis, vel
temporibus percipitur salva rei substantia, quod ad rem
adaptabile non videtur, dum ita ipsa substantia consumi-
tur, Attamen quoties agitur, ut dict. est de magnis, & in-
exhaustis fodinis, quæ verisimiliter supponuntur perpetuæ,
& indeficientes, tunc earum fructus consistere dicitur in
eo, quod singulis annis ex illa materia venditur, itaut
major, vel minor estratio, uberem, vel sterilem annum con-
stitue-

stituere dicatur, cum adinstar aquæ, quæ extrahitur a pu-
teo, parum extrahendo nihil crescat, & multum extra-
hendo non decrescat, dummodo extractio, seu effossio mo-
derata sit, & juxta antiquum & consuetum usum, cujus
alteratio, vel in excessu, vel in parsimonia, præjudicium
respective causare dicitur fodinæ domino, seu proprieta-
rio, ut latius de hac materia habetur supra in Romana
27 locationis venæ ferri, *disc.* 117. ubi ex supra allegatis,
& aliis habetur, quod propterea super hujusmodi fodinis
census imponi possent, ususfructus constitui &c. in dotem
dari &c.

Aut vero agitur de fodinis repertis de novo, constante
matrimonio, seu penes habentes jus vitalitium, & reso-
lubile, & tunc, aut ex ipsius usu fundus deterior effici-
tur, quia nempe magis expediat superficiem colere, at-
que ex ea consuetum fructum percipere, & tali casu, utili
domino, seu fructuario non conceditur talis fodinæ usus,
vel utilitas; & quatenus ipse suo periculo experimentum
28 facere velit, prohibendus non est ob rationem præsertim
publicæ causæ, seu publicæ utilitatis, ex hujusmodi effos-
sionibus resultantis, id facere, dummodo reficiat proprie-
tario, seu domino, id quod interest fundum non esse effe-
ctum deteriorem, ejusque statum non esse immutatum,
ut de emphyteuta, seu livellario excavante lapides, & sta-
tuas, habetur *d. dec.* 359. *post secundum vol. consil.* Farinac.
in fine. Si vero expediat, idque reddat fundum pretiosio-
rem, unde solum reducatur quæstio, an id, quod exca-
vatur, dicatur fructus pertinens ad habentem, ut supra,
temporale dominium utilitarium, tanquam species fru-
ctus, vel ad dominum directum, tanquam species sortis,
& quæstio videtur potius facti, quam juris, ex singulo-
rum casuum particularibus circumstantiis decidenda, dum
scilicet fodina sit parva, vel superficiaria, longo tempore
verisimiliter non duratura, vel magna, & indeficiens, ut
primo casu, id, quod percipitur, dicatur importare sor-
tem, seu substantiam, in altero autem fructum, ut latius
apud allegatos, præsertim Barbosa ubi supra.

Major igitur dubietas in hoc proposito, an fodinæ in-
ventæ in fundis privatorum sint de Regalibus necne, ita-
ut non ad fundi dominum, sed ad Principem pertineant,
29 consistit in tertia specie superius distincta illorum metal-
lorum, seu lapidum, ac rerum, quæ non sunt in excessu
pretiosæ, & primi ordinis, ut sunt aurum, argentum,
& gemmæ, minusque sunt alterius infimæ speciei, sed
quid medium constituunt, ut sunt alia metalla, auro,
& argento inferiora, & lapides magis qualificati &c. ac
etiam sulphur, alumen, vitriolum, & similia; Et in
hoc, aut adsunt leges, vel consuetudines particulares il-
lius provinciæ, seu Principatus, & cessat omnis quæstio,
quoniam eis deferendum est: Aut his cessantibus, recur-
rendum est ad dispositionem, vel rationem juris commu-
nis; Et tunc, licet non desint adulatores potestatis Princi-
pis, huic deferentes omnia quæ sub sole sunt, & conse-
quenter firmantes esse de Regalibus. Verior tamen magis-
que communis videtur contraria, ut pertineant ad priva-
tos, quodque jus publicum consistat vel in decima quæ per
aliquos fiscos defertur, super quo etiam satis consuetudi-
ni, vel observantiæ deferendum est, ut advertit Rosen-
thal. *cap.* 5. *conclus.* 91. vel privilegio metallariorum, ut
ob publicam utilitatem prohiberi non possint hujusmodi
effossiones facere in fundis privatis invitis dominis, qui-
bus sufficere debet portio eis a jure delata, ut patet ex
superius allegatis de materia agentibus; Quæ tamen ita
summarie, & compendiose insinuantur, potius relative
ad eos, absque eo quod maturum judicium pro veritate
desuper efformetur, dum adhuc occasio non tribuerit id
formiter in foro disputare, ut ex formali disputationis tru-
tina, & judicato, tale judicium efformaretur, exceptis ta-
men fodinis salis terrestris, ut habemus in Calabria, &
in plerisque aliis locis, & præsertim, sunt celebres fodinæ
Poloniæ nuncupatæ *de Vilista*, in quibus cum forte inau-
dito exemplo vivit populus subterraneus, ubi qui ibi gene-
neratur, crescit, & vivit absque eo, quod solis aspectum
unquam videat, tanquam in subterranea Civitate, quo-
niam ut pluries habetur in præcedentibus ad hanc mate-
riam salinarum, ubique hoc minerale sive sit terrestre,
sive sit maritimum, est de Regalibus, ac Principi reserva-
tum. Rarum vero est hoc minerale terrestre, sed frequen-
tius sal fabricatur ex aqua maritima; adeout Sanctus Hi-
larius in homilia ad Euangelium in illius verbis, *Vos estis
sal terræ*, opinatus fuerit nullum sal terræ reperiri.

In specie vero venæ aluminis, quæ potissima causa fuit
hanc informationem, seu relationem petendi, dicebam
inanem pariter laborem esse de hoc agere, quando subsi-
stat illa traditio, quam pro constanti ab initio, quando
Curiam accessi, audivi circa illud jus privativum, quod ex 30
communi Christianorum Principum consensu concessum
fuit Sedi Apostolicæ pro vena, seu fodina aluminis Tul-
pharum, occasione destinationis ejus emolumentorum pro
cruciata contra infideles, cum ita cessaret omnis quæstio
ob præcipuam illam facultatem, quæ alias de jure compe-
teret; Seclusa vero ista circumstantia, in his specialibus
terminis, major quæstio est inter Regnicolas super intel-
lectu illius legis municipalis in Constitutione incipien.
Inter multas, idest super vario illius intellectu, dum Afflict.
dec. 321. supponit illam Constitutionem loqui *de herbis alu-* 31
minis, unde propterea dicit derisos fuisse illos, qui eam
allegarunt, cum alumen non conficiatur ex herba, sed ex
lapidibus coctis; Verum Afflict. in hac parte communiter
reprobatur, quia textus Constitutionis juxta emendatio-
rem litteram contradistincte ponit herbas ab alumine,
atque in casu illorum de Sanazariis, possidentium hanc
venam in montibus Agnani, de quo ipse loquitur, con-
trarium potius fuit decisum, ut per Capyc. *in investitura
feudali*, verbo *feudorum clausulæ*, *vers. alumen fol.* 129. &
pertranseunt Balzaran. *super cap.* 1. *quæ sunt Regalia*, ver-
bo, *argentariæ*, *n.* 3. *fol.* 402. a tergo Botell. *de præstantia
Regis Catholici*, *cap.* 28. *n.* 52. *& seqq.* Montan. *de Regal.*
dicto verbo, *argentariæ*, *num.* 4. *fol.* 261. ubi concludit,
quod in Regno alumen est de Regalibus, sive in publico,
sive in privato loco inveniatur.

De jure autem communi, & cessante lege particulari,
seu municipali, scribentes variant: Alii enim credunt
hanc materiam regulandam esse jure metallorum, ut la-
te Afflict. *dicta decis.* 321. Et alii, quod cum in jure non
reperiatur desuper statutum, cadat sub regula generali
non exceptuatorum, ut quicquid in fundo nascitur, meum
sit, discurrit Montan. *d.* §. *argentariæ*, *n.* 3. ubi *n.* 4. ex
testimonio cujusdam chronistæ agentis de familia Re-
gni, de Tolpha nuncupata, ex qua solum hodie superest 32
satis qualificata Matrona vidua Ducissa Gravinæ, dicit
quod cum quidam nobilis de familia Frangipania, seu
Frangepanæ, esset dominus castri Vulpharum, in cujus
montibus ex cujusdam herbæ inditio hæc vena detecta est
sub Paulo II. quod inter Cameram Apostolicam, & præ-
fatum inferiorem dominum quæstio fuit super dictæ venæ
pertinentia, prætendente Camera, quod tanquam de Re-
galibus ad ipsam spectaret: controversiæ eventus fuit per
concordiam initam, mediante opera, & interpositione
Regis Alphonsi I. per quam dictus Frangipanius, de Tol-
pha nuncupatus, ipsummet feudum, seu locum cessit Ca-
meræ, certa summa recepta, quam investivit in aliqua feo-
da in Regno, ubi Sedem constituit; Super quibus tamen 33
Ego nihil firmabam, & ita discurrendo, etiam integrum
locum veritati relinquebam, Et sic articulus remanet du-
bius, in quo ut dixi non ausus fui proprium judicium in-
terponere, potissimum dum decisiones desuper non habe-
mus, ac quia plurium sæculorum praxis, illaque contro-
versia, quæ enunciata habetur in dicta Massaneo. Castro-
rum *sub tit. de feudis*, *disc.* 54. satis comprobare videntur
dictam traditionem super jure privativo ex Principum con-
sensu Sedi Apostolicæ competente.

Posita vero Regalia, & sic quod agatur de illis fodinis,
quæ de jure communi, vel municipali, aut consuetudina-
rio, sint de Regalibus, cadere solet altera quæstio, An sub
concessione feudi, vel castri, seu loci etiam in allodium,
veniant hujusmodi fodinæ, seu Regalia in eis competens, 34
de qua cæteris collectis habetur apud Rosental. *dicto cap.* 5.
concl. 91. Sixtin. *de Regalib. lib.* 1. *cap.* 5. Motan. *de Reg.
dicto verbo argentariæ*, *num.* 5. Mihi vero ista quæstio
videtur potius facti quam juris, certam generalem de-
terminationem non recipiens, sed ex singulorum ca-
suum particularibus circumstantiis decidenda, inspecta
principaliter formula investituræ, seu concessionis, an
hujusmodi Regalia contineat, vel excipiat, cum tunc in
claris non intrent conjecturæ juxta vulgarem regulam
text. *in l. ille aut ille*, *ff. de leg.* 3. Quatenus vero verba
sint generalia, seu æquivoca, in quibus probabilis dubi-
tandi ratio cadere valeat, an ista comprehendant, necne,
tunc inspicienda videtur qualitas particularis ipsius feudi,
seu castri, an de præterito illius feudatarius, vel Domi-
nus inferior hæc Regalia possederit, ubi vero ista quo-
que circumstantia deficit, recurrendum videtur ad usum
generalem regionis tanquam interpretem, an scilicet feu-
datarii,

datarii, & inferiores domini hæc jure habere soleant necne, atque hoc etiam deficiente, attendenda est qualitas feudi, seu dominii allodialis, an scilicet sit de majoribus, & primi ordinis cum jure Principatus, reservatis solum concedenti alto dominio, ac majori superioritati,
35 vulgo Sovranità nuncupata, vel potius de feudo, vel dominio inferioris ordinis in sola jurisdictione, non autem in totali dominio, & imperio, juxta distinctiones, de quibus pluries *sub tit. de feudis*, præsertim in Civitatis Castell, *disc.* 63. ut primo casu hæc jura veniant, in secundo autem non, atque ita docet praxis præsertim Italiæ. Intelligendo tamen de eo fodinæ jure, in quo jus Regale consistit, Vel scilicet in ipsismet fodinis in totum, ut sunt illæ auri, argenti, & salinarum, &c. Vel in iis quæ sunt de Regalibus, quia in solo publico, ac nullius, Vel in ea decima, quæ juxta unam opinionem competit fisco supremi Principis in fodinis metallorum, & similium, existentibus in fundis privatis, quasi quod Baro, vel feudatarius in territorio feudi, vel castri sibi concessi discretive ad Dominum directum censeatur jura privati, & sic Regalia consistat solum in ea decima, vel alia quota supremo Principi debita; Nimis autem raræ sunt hujusmodi quæstiones in foro, cum vel investiturarum formulæ, vel leges municipales, vel Principatuum, & Provinciarum consuetudines, ut plurimum illas dirimere soleant,

ANNOT. AD DISC. CXLVII.

DE contentis in hoc discursu, agitur incidenter *sub tit. de Dote, disc.* 160. ac etiam *sub tit. de emphyt.* quando scilicet ea, quæ existunt sub solo, spectent ad emphyteutam, vel ad dominum directum, *& sub tit. de Emptione, disc.* 44.

ROMANA,

SEU SALERNITANA REVOCATIONIS DEMANII,

AD PETITIONEM PRINCIPIS NICOLAI LUDOVISII.

Discursus informativus.

De potestate Principis concedendi aliis in feudum, vel allodium subditos, seu vasallos invitos, non obstante privilegio eisdem tributo, ne concedi possint, Et ut vulgo dicitur de potestate revocandi demanium. Qua occasione obiter habetur de hoc jure Regalia potestatis tollend. jus tertii de qua Regalium specie sit, & quibus competat, Et quando revocari possint gratiæ, privilegia, & concessiones officiorum, ac beneficiorum, & similium jurium; Et quid de contractibus, & de potestate tollendi bona privatorum; Et de habilitatione inhabilium in præjudicium juris aliis habilibus, & capacibus quæsiti, vel quærendi, Et generaliter de jure tertio quæsito tollendo, vel non tollendo.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Gratiæ, & privilegia Regis debent infra annum executoriari, aliàs non attenduntur.*
3 *Principi est replicandum, neque de facili procedendum est ad executionem gratiarum, quæ videantur exorbitantes.*
4 *De ratione ubi agitur de Principe absente.*
5 *Quod Princeps possit revocare demanium, hoc est privilegium habendi subditos sub ejus immediata jurisdictione.*
6 *De ratione ob quam id facere potest.*
7 *De eadem conclusione, de qua n. 5.*
8 *Sacrilegium est dubitare de potestate Principis.*
9 *Enumerantur casus, in quibus concessiones factæ locorum demanii effectus sortita sunt, & quæ non.*
10 *An in hac materia dari possit certa regula.*
11 *Enumerantur Doctores tractantes, ac alios colligentes in materia potestatis Principis tollendi jus tertii.*
12 *Clausula, de plenitudine potestatis, est apponi solita.*
13 *Ad quos effectus consideretur defectus potestatis in supremo Principe.*
14 *An potestas tollendi jus tertii resideat solum penes Papam, & Imperatorem, & vel etiam penes alios Principes, & quos.*
15 *Principes infeudati quod non possint qua Imperator in Imperio.*
16 *An Princeps possit concedere ut feudum dividuum erigatur in primogenituram remissive.*
17 *Princeps est solutus legibus, sed debet vivere secundum leges, atque justitiam, ac datam fidem magis servare.*
18 *Quod non possit revocari demanium concessum recepto pretio, & ex causa onerosa, & n. 32.*
19 *In quo Principis potestati in hoc adulari soleat.*
20 *An, & quando Princeps revocet officium alicui concessum.*
21 *Officialis officii venalis non potest privari officio, sed cogi ad vendendum, vel ad exercendum per alium.*
22 *De differentia juris quæsiti, & quærendi, etiam in beneficialibus.*
23 *Principis concessio transfert dominium, & possessionem etiam sine traditione.*
24 *Quid in officiis ante admissionem, an transferat officii præeminentias.*
25 *De distinctione, seu theorica quando princeps tollat, vel revocet id, quod concessit.*
26 *De officiis assequutis, an Princeps ea tollat, vel revocet.*
27 *De ratione dubitandi quod Papa sine causa non possit tollere beneficia de sui natura perpetua.*
28 *Contrarium verius, & quod Papa in hoc sit Dominus absolutus.*
29 *De rationibus hujus assumpti.*
30 *De revocationibus exemptionum, franchitiarum, tractarum, & similium.*
31 *An, & quando Princeps tollat privatis bona per eos possessa, distinguuntur plures casus.*
32 *De conclusione, de qua n. 5. & 18. super revocatione demanii, & de rationibus ut non possit.*
33 *Vasalli possunt se redimere, & habent jus prælationis adversus emptores.*
34 *Quod Princeps revocare possit bona per eum donata, seu alias gratuito concessa si extant, & de rationibus.*
35 *Quid ubi non extant, sed sunt consumpta, an revocet æquivalentiam ex bonis propriis.*
36 *An tollat bona propria privati sub prætextu quod fint illicite quæsita, & an in hoc stetur ejus assertioni.*
37 *An, & quando deneget, vel diminuat in sorte, vel in fructibus jura cum seipso, vel Republica, puta loca montium, vel fiscalia, & similia jura.*
38 *An, & quando tollat bona privatorum pro construendis arcibus, & mœniis, seu alias pro causa publica.*
39 *Licitum an sit demoliri domos pro publico ornatu, & quomodo.*
40 *Quando demolitio ex causa publica sequatur sine prompta refectione pretii.*
41 *De potestate tollendi bona uni, & dandi alteri, præsertim militibus.*
42 *De materia text. in l. bene a Zenone.*
43 *De retractu coactivo ex causa ornatus, vel pro Ecclesiis.*
44 *De restitutione banniti in gratiam, an censeatur facta ad bona, & jura alteri quæsita.*
45 *Et quatenus censeatur ita facta, an obest defectus potestatis tollendi jus tertii.*
46 *Quilibet fiscus confiscat in proprio territorio.*
47 *An restitutio facta per bannientem operetur quoad bona extra ejus territorium.*
48 *An restitutio obstet tertio habenti causam ab ipso restituente.*
49 *De differentia inter restitutum ex mera gratia, & restitutum ex contractu, puta ex capitulationibus pacis.*
50 *De dispensatione, seu habitatione incapacis, puta illegitimi, vel clerici, aut alias inhabilis in præjudicium tertii in successionibus in feudis, fideicommissis, & aliis ante, vel post factum casum.*

51 *Dispen-*

D I S C. CXLVIII.

1 CUm Rex Catholicus Philippus IV. intuitu ingentium meritorum erga ejus Monarchiam Gregor. XV. patrui, vel Cardinalis Ludovici Ludovisii germani fratris Plumbini, & Venusii Principis Nicolai Ludovisii, magis vero intuitu, ac in remunerationem meritorum, & servitiorum ejusdem, quæ, pene inexplicabile est, quam maxima essent, occasione præsertim revolutionum popularium Neapolitanæ Civitatis, totiusque Regni, istum de anno 1649. infeudasset de Principatu Salernitano, illa vero Civitas acriter se opponeret in Regio Collaterali Consilio executioni, seu, ut ibi dicunt, executoriationi Regiarum litterarum in forma privilegii desuper expeditarum, stante altero privilegio per Reges prædecessores, etiam ex causa onerosa, eidem Civitati, ejusque annexis concesso, de illam non concedendo, sed perpetuo conservando sub immediata Regia jurisdictione, & gubernio, quod in eo Regno explicatur sub vocabulo *Demanii*, Prorex autem cum ejus Collaterali Consilio, supersedendo in dicta executione, Regem de hujusmodi oppositione certiorari voluerit, ac successive habita secunda jussione, denuo replicaverit, continuando in supersessoria, Hinc dicto Ludovisio concessionario id satis ægre ferente, ac opinante magnum gravamen sibi inferri, magnamque injustitiam per dictum Collaterale Consilium administrari, talem opinationem etiam nimium confoventibus, nedum aulicis adulatoribus, sed etiam pluribus hujus Romanæ Curiæ doctis, ac primariis Advocatis, & Prælatis, Me autem circa initia susceptæ Advocationis in Curia, ipsoque forte primo anno utpote aliqualem majorem istius materiæ notitiam habente, occasione praxis illorum Tribunalium in adolescentia, in contraria sententia existente, ac opinante, quod in concursu privilegiorum partes executoris essent, supersedendo in executione, Principi replicare, eidemque contendentes remittere pro controversiæ decisione, & an unum, vel alterum privilegium attendere vellet, Injunctum propterea mihi fuit ab eodem concessionario onus efformandi desuper discursum pro sua, aliarumque instructione, ac informatione.

Quare injunctum onus assumendo, priusquam agerem de puncto principali, An scilicet Rex potuerit revocare demanium prædictum, atque non obstante privilegio præfatæ Civitati concesso, illam infeudare, Pro tollenda admiratione concepta de Collaterali, quod renueret parere Regiis mandatis, dictasque literas exequi, Dicebam, id non debere videri novum neque exorbitans; Tum ob illius Regni peculiarem praxim rationabiliter induc-
2 ctam, cum multa per Curiam Regis concedantur, quæ exequi non expediat ob aliquas circumstantias illi Curiæ, ejusque officialibus non adeo bene notas, Unde propterea in eodem Regno prodiit lex registrata inter ejus pragmaticas *sub tit. de privilegiis, pragm.* 1. quod literæ, & concessiones Regiæ infra annum non executoriatæ, nullius roboris, & momenti remaneant; quod etiam commune est alteri Regno Siciliæ ultra, ut præsertim insinuatum habetur in Lucana *sub tit. de jurisdictione, disc.* 92. de pluribus privilegiis Regiis concessis aliquibus militaribus Religionibus, nullam vim habentibus, eo quia in Regno executoriata non sint, & de qua executoriatione, & an illa sufficiat tacita, seu implicita deducta ab observantia, habetur etiam actum in Neapolitana concursus creditorum *sub tit. de feudis, disc.* 106.

Tum etiam quia de ipso jure communi id statutum habemus, ut Magistratus, & officiales, facile esse non debeant ad exequendas Principis, vel alterius Superioris Magistratus gratias, ac provisiones, & jussiones, ubi comperiant esse exorbitantes, ac tertio præjudiciales, sed super-
3 sedendo in executione debent replicare, atque Principem, vel superiorem Magistratum, si est præsens, oretenus, & si est absens, in scriptis bene certiorari de motivis & causis provisionis executionem denegantibus, expectando secundam jussionem, quandoque, ita subjecta materia suadente, iterum replicando, expectare tertiam ad text. *in l. rescripta, C. de precibus Imperatori offerendis leg. finali, C. si contra jus, vel utilitatem publicam, §. deinde auth. de mandatis Principum, §. hoc vere auth. ut nulli judicum, & in Novella* 152. *Justiniani*, Ac etiam in jure canonico *in cap. si quando de rescriptis*, ex quibus, & aliis juribus concordantibus DD. istam desumunt conclusionem ut post alios ab eis allegatos Oldrad. *de rescriptis, tit. de litteris Principum prel.* 6. *num.* 88. Thes. jun. *lib.* 1. *quæst. forens.* 4. Apont. *decis.* 23. Galeot. *respons. fiscal.* 20. *n.* 36. *&* 37. Capyc. Latr. *dec.* 190. *n.* 33 Rugger. *cons.* 24. *num*, 102 ubi *n.* 13. refert Cepollam, & alios invehentes contra Prælatos nimium faciles ad exequenda mandata Papæ, eique non replicantes; Quod ubi præsertim agitur de Principe in alio longe remoto Principatu residente, magnam habet rationem, quia cum illi Consi-
4 liarii, & Officiales non adeo distinctas habeant notitias morum regionis, aliarumque circumstantiarum, de facili decipi possunt, atque induci ad ea, quæ melius informati omnino denegarent; Ideoque dicebam, præfatam renuentiam non debere videri adeo exorbitantem, quodque non in Curia Neapolitana, sed in illa Matriti principaliter insistendum esset pro concessionis effectuatione, ut eventus docuit, dum in Civitate, ibi ejus jura deducente, concessio evanuit, ut in plerisque aliis similibus casibus frequens praxis docuit, infra insinuandis.

Quatenus vero pertinet ad punctum principalem potestatis Regis revocandi demanium, & concedendi in feudum Civitates, & loca, non obstante privilegio eis concesso de non infeudando, sed de retinendo in demanio, hoc est sub immediata ipsius Regis jurisdictione, & gubernio, pro affirmativa adest magistralis traditio Iserniæ 5
in cap. 1. *§. similiter de Capitaneo, qui Curiam vendit, num.* 27. *& in leg. Imperialem, §. Nec Dominus, num.* 48. *&* 49. *de prohibita feudi alienatione* per Feder. ubi quod Rex non obstante promissione facta subditis de tenendo eos in demanio, & aliis non concedendo, publica causa ita exigente, revocare potest privilegium, eosque concedere alicui strenuo, & benemerito militi &c. & per quam Iserniæ auctoritatem, quæ in Regno maxima est, ac sequaces, ita habetur in specie apud Capyc. *dec.* 166. quæ reputatur in materia magistralis; Et in individuo 1
concessionis ejusdem Civitatis Salerni, factæ cuidam Grimaldo cum revocatione privilegii Apont. *cons.* 70. *lib.* 1. *n.* 1. *num.* 25. *& sequent.* Et de alia consimili concessione facta Principi Ostiliani de Civitatibus Bitonti, & Vigillarum, in recompensam Sablonetæ, idem Apont. de more magistraliter *cons.* 15. *lib.* 2. Et de concessione casalis Marcianesii intra districtum Capuanæ Civitatis, Anna senior *alleg.* 50. *n.* 1. *cum seq.* ubi *n.* 4. illam expendit rationem, quod quando Rex concedit alicui Civitati, vel loco privilegium demanii, non abdicat a se dominium, neque illud in ipsum concessionarium trans- 6
fert, sed pro se retinet, & consequenter præclusa sibi esse non debet facultas disponendi, & prosequitur latius, *alleg.* 69. Et generaliter de hujusmodi facultate revocandi demanium, & concedendi, publica causa ita suadente, Ci- 7
vitates, & loca hujusmodi privilegiis non obstantibus, quamvia illa pretio mediante, & ex causa onerosa concessa essent, remanente solum inspectione, an reficiendum esset necne id, quod receptum est plenissime per modum consultationis generalis, deducendo quantum in materia

deduci

deduci potest Galeot. *respons. fiscal.* 23. ubi nimium elaborate expenduntur plures casus, seu similes præsenti controversiæ, quos suo more collectivo refert etiam Riccius *coll.* 3570. Et de rationibus, quæ hincinde in hac materia habentur, ac de motivis pro una, vel altera parte facientibus, habetur plene actum apud Tappiam *in decis.* 5. *supremi Consilii Italiæ*, ubi de concessione Civitatis Ducalis, & apud Capyc. Latr. *dec.* 199. ubi de concessione *Guardiæ Complicati* habentis idem privilegium, cum similibus.

Quamvis autem omnes præmissas auctoritates deducerem pro materiæ notitia, ac alioquin ut supra informatione, insinuando præsertim propositionem deductam per 8 Apont. utroque loco supra citato, & Galeot. *d. respons.* 23. *in princip.* ac frequenter per Fiscales decantari solitam, sacrilegii scilicet speciem esse de Principis potestate dubitare; Observabam tamen, quod spectato effectu, nimium rari erant casus, in quibus hujusmodi concessiones, ac 9 respective demanii revocationes effectum sortitæ essent, frequentiores vero essent illi, in quibus neglecta secunda concessione, firma remanserint demanii privilegia, ut præsertim observabam docere praxim utriusque casus, de quibus agit Apont. *d. cons.* 70. *lib.* 1. *& consil.* 15. *lib.* 2. nam dictæ Civitates Salerni, Bitunti, & Vigiliarum de facto continuant in demanio. Et quamvis contra dictam Civitatem Salerni decisum esse de anno 1573. testetur Anna *dicta alleg.* 50. *in principio*, cujus verba restringuntur apud Tappiam *dicta dec.* 5. *n.* 83. adhuc tamen effectus fuit diversus, unde propterea semper edocemur quantum consulentium auctoritati deferendum sit, & forte idem sequutum fuit in casu Marcianesii, de quo agit Anna *d. alleg.* 50. *& 69.*

Et in casu disputato apud Tappiam *dicta dec.* 6. eventus etiam fuit pro conservando privilegio demanii; Prout in casu disputato apud Capyc. Latr. *dec.* 199. ob votorum nimiam discrepantiam capi non potuit resolutio, quod demanii durationem causavit; atque Ego adducebam exempla Civitatis Ariani infeudatæ Duci Bovini, Civitatis Theatinæ infeudatæ Principi Sancti Boni, seu D. Ferdinando Caracciolo, Casalium Cusentiæ concessorum M. Duci Etruriæ, cum similibus, quoniam concessiones effectum sortitæ non sunt; E converso aliquæ effectum habuerunt, ut fuerunt concessio Civitatis Amalphitanæ strenuo ac celebri militi Octavio Piccolomino, de cujus successione in hoc feudo habetur in Amalphitana *sub tit. de feudis*, *disc.* 18. illa Oppidi Molæ in provincia Barii Michaelis Vaez, illa Ostunii, cujus mentionem facit de Marin. ad Reverter. *dec.* 22. *n.* 3.

Hinc proinde edocemur in hac materia, certam ac determinatam regulam tradi non posse, sed totum pende- 10 re ex temporum, aliarumque contingentiarum opportunitate: non agitur enim cum privato per judicem præcise cogendo, sed cum supremo Principe, cui nemo dicere potest, cur ita facis, & qui neminem habet, qui cogat ad retractandum ea, quæ retractere nolit, ideoque est quæstio voluntatis, numquam recipiens uniformem determinationem.

Licet enim, ut patet ex collectis per Gabriel. *sub tit. de jure tertio quæsito non tollen. conclus.* 1. *cum pluribus se-* 11 *quent.* Gomes. *ad regulam Cancellariæ, de jure tertio quæsito in proœmio*, Tappia *d. decis.* 5. Galeot. *dict. respons.* 23. Capyc. Latr. *consult.* 38. *&* 47. *& decis.* 188 *&* 199. de Marin. in addit. ad Reverter. *dec.* 54. 183. 184. 409. *&* 554. Fagnan. *in cap. consultationibus, de clerico ægrotante*, Adden. *ad dec.* 2. *part.* 3. *recent. &* 666. *part.* 4. *tom.* 3. DD. nimium se involvant in hac materia potestatis Principis, Aliquibus illam simpliciter negantibus in iis, quæ tangunt jus tertii, quasi quod sit lædere jus naturæ, vel gentium, cui Princeps dispensare non potest, Aliis vero distinguentibus inter potestatem ordinariam, & absolutam, sive an dicat facere de plenitudine potestatis necne, Ac aliis distinguentibus, an concurrat necne justa causa publicæ necessitatis, vel utilitatis, cum similibus, quæ scribentes, unum alterum transcribendo, excogitare curarunt juxta opportunitatem, ad quam scribere eis dedit occasio; Attamen quicquid sit de foro interno, de quo forensium non est agere, & ad quem in effectu, agnoscendo difficultatem, se restringit Fagnan. *loco citato*; Quoad ea quæ pertinent ad forum externum, hujusmodi quæstiones, ac distinctiones super positivo defectu potestatis, quando voluntas est contraria, mihi videtur quod contineant leguleicas simplicitates. quoniam distinctio inter potestatem ordinariam, & supremam, & an fiat de plenitudine necne, remanere videtur hodie idealis, cum passim in hujusmodi infeudationibus, vel similibus concessionibus revocatoriis, quasi de stylo, & consueto formulario adjici soleant adeo per antiquiores magnificatæ clau- 12 sulæ, *ex certa scientia & de plenitudine potestatis, &c.* Prout, an adsit necne justa causa, non ab alterius judicio pendet, quam ab illo ejusdem Principis, quo asserente id facere ex justis causis, ejus animum moventibus, atque in hac assertione, & voluntate perseverante, nemo adest qui eum convincat de mendacio, & sic de similibus.

Est bene verum, quod prædictæ distinctiones, fortius vero aliæ, de quibus infra, inter gratuitas, & onerosas concessiones, ac inter grave, seu leve præjudicium in fama, vel bonis exinde resultans, cum aliis per DD. in 13 proposito considerari solitis magni momenti sunt, Tum ad effectum fori interni, in quo Princeps quantumvis supremus, jure cujuscumque privati subditi regulandus, Deum habet superiorem, propriamque conscientiam, quæ ipsum judicet; Tum etiam, ut in iis casibus in quibus de jure dignoscitur adesse defectum potestatis, id deserviat ad probandum justum motivum ipsimet Principi revocandi ea, quæ, vel ad importunas preces, vel ad minus, veras suggestiones, vel calore iracundiæ, seu amoris ardore præter justitiam gesserit; Sive ut juste, & rationabiliter coram successore eadem retractatio petatur, ideoque ista dicatur impotentia interpretativa, resultans ex vi directiva magis, quam coactiva, cum, data suprema potestate absque actuali recognitione Superioris, nemo adsit, qui coactivam exercere valeat, dum coram eodem ejusque Magistratibus ex his agendum est.

Et quamvis plerique aliam adhibeant distinctionem inter Principes omnino supremos, ac omnino independentes, nullam habentes superiorem nisi Deum, ut de jure DD. exemplificare solent in Papa, & in Imperatore, & 14 de facto in illis Regibus, qui prætenduntur ex legitima præscriptione omnimodam exemptionem, ac independentiam ab Imperatore acquisiisse, aliumque pariter non cognoscere superiorem nisi Deum, ut de Regibus Hispaniarum, Galliarum, & similibus plures exemplificant, ex collectis per nostrum eruditum Regnicolam, Borell. *in tract. de præstantia Regis Catholici*, *cap.* 47. secus autem, ubi agitur de Principibus, qui licet habeant supremum Imperium, ac Regalia majora cum potestate condendi, & revocandi leges, ab alio tamen dependentiam habent, eumque in superiorem recognoscunt, saltem cum illo altissimo dominio, & majori superioritate, quæ vulgo *sovranità* nuncupatur, quia nempe ab ipso Regnum, vel Principatum in feudum, vel ex alio titulo recognoscant, quasi quod hoc sit de Regalibus majoribus, nonnisi domino supremo competentibus. Nihilominus ista distinctio remanere videtur hodie congruum pabulum Scholasticorum, & Academicorum pro acuendis ingeniis, de facto autem in foro fabulæ speciem habere, cum hujusmodi Principes, quos absolutos vocamus, quamvis feudatarii Papæ, vel Imperatoris, excepta dicta majoris superioritate continente quid habituale, seu intellectuale, 15 cum fere nulla, vel satis modica actualitate, nisi ea quam vis bellica præbeat, atque extra causam ipsius feudi, ejusque devolutionis, prætendant se Monarcas cum potestate faciendi in proprio Principatu omnia ea, quæ facit Imperator in Imperio, quod intelligitur in universum quoad ipsum jus feudi, non autem quoad concernentia regimen, Imperium, jurisdictionem, & Regalia, ut plene, ac elaborate multis collectis probat doctus J. C. Bellon. jun. *cons.* 14. *per totum*, & reassumit *in ejus tractatu de jure accrescendi*, *cap.* 6. *num.* 42. *cum sequent. & cap.* 7. *num.* 146. *cum seq.* Unde de facili transcribi potest magnus allegationum cumulus, atque ita docet praxis de facto.

Unde propterea in plerisque causis a me disputatis, in quibus cadebat ista quæstio, an hujusmodi Principes tollere possent jus tertii, præsertim in Mutinen. feudi, & in Mantuana feudi *sub tit. de feudis*, *disc.* 9. *&* 10. occasione quæstionis, an Princeps dispensare possit, ut feudum antiquum pacti, & providentiæ, in quo omnes agnati jus quæsitum habere dicuntur, erigi possit in primogeni- 16 turam, per quam dicto juri tertio quæsito derogatur, vel econtra, aliis hujusmodi potestatis defectum excitantibus, ego semper illum negligere consuevi, ubi præsertim in ejusdem Principis Curiis, & Tribunalibus de actus validitate, & efficacia disputari contigerit; Unoque casu quandoque hujusmodi defectum in foro deducere consuevi,

atque

atque a sapientibus viris deductum vidi, quando scilicet devoluto feudo, atque cessato Principatu, de gestis illius Principis disputari occasio dederit coram Domino directo, ut sequutum fuit in provisionibus, & decretis Ducum Ferrariæ, & Urbini coram Papa, & in ejus Curia post jam sequutam devolutionem, ac cessatum Principatum.

Quatenus ergo pertinet ad præfatum potestatis defectum interpretativum, ut scilicet justum motivum præbere debeat eidem Principi, vel successori retractandi ea,
17 quæ gesta sunt regula textus *in d. l. digna vox, C. de legibus cum concord.* ut Princeps quamvis legibus sit solutus, secundum leges tamen vivere debeat, in specialibus terminis nostri revocationis demanii. Vera distinctio videtur, an id ex mera gratia, & privilegio, Civitatibus, & locis concessum sit, vel ex causa onerosa, & correspectiva, accepto pretio, & tamquam per speciem contractus, ut primo casu revocatio sit sustentabilis, cum ita Princeps tollere solum dicatur id, quod est suum, & consequenter revocando liberalitatem, non dicatur lædere justitiam, & jus naturæ, vel gentium. Secus autem in alio casu, quoniam Princeps magis, quam privatus ligatus videtur ad observandum pacta, & contractus, servandamque justitiam, ac datam fidem. Cum enim ejus præcipuæ partes consistant curandi, & invigilandi, quod ejus subditis istas virtutes colant, & servent, hinc proinde ipse debet in eisdem servandis esse illis exemplar, ut advertunt mox allegati; Et præsertim in terminis revocandi demanium concessum ex causa onerosa, quia nempe feudo alteri ex titulo venditionis, pretio median-
18 te, concesso, ipsi vasalli se redemerint, ut fieri non possit, plures colligit de Marin. in addit. *ad dict. decis.* Revert. 409. *num.* 3. *cum sequent.* & non negat doctus fiscalis Galeotta *dicta respons.* 23. ubi admittit, quod tali casu restituendum est acceptum, quod neque de justitia recte procedere videtur ratione claudicationis, quia si rerum pretia diminuta fuissent, ipsæ Communitates jacturam sentirent, ideoque justum non est, quod in casu augmenti cogantur recipere antiquum pretium, cujus etiam restitutio raro, vel unquam practicatur, quoniam fiscales Principi adulantes, sustinere solent propositionem, ut Princeps ex causa publicæ necessitatis, vel utilitatis, uti possit rebus alienis cum obligatione reintegrandi de valo-
19 re, quando commoditas præbuerit ad terminos text. *in l. Lucius Titius, ff. de evict.* atque cum hoc prætextu, constituendo ipsas Civitates creditrices, istæ de facto remaneant sine pecuniis, & sine libertate. Et his stantibus concludebam, certum ac determinatum judicium desuper tradi non posse. Tum quia est quæstio magis voluntatis, ut supra; tum etiam, quia oportebat prius recognoscere privilegia concessa dictæ Civitati ad effectum inspiciendi, an essent ex gratia, vel ex titulo oneroso, & correspectivo, & hæc fuit mea sententia, cui conformis exitit rei eventus.

Occasione autem plurium contingentiarum, sæpius, in forma tamen magis extrajudiciali, & per modum consilii, quam in judicio, disputavi de hac materia potestatis tollendi jus tertii, præsertim circa officia, & beneficia
20 aliaque similia jura. Et quatenus pertinet ad officia dicebam, quod aut agitur de officiis venalibus, quæ Princeps pretio mediante per speciem contractus correspectivi potius, quam per viam gratiæ alteri concedit, ut sunt satis frequentia officia Romanæ Curiæ, de quibus eorumque speciebus plene supra in Neapolitana *disc.* 2. Et tunc, ut advertitur etiam supra in Romana officia de Vaiis *disc.* 14. hæc potestas non intrat nisi in illis casibus, in quibus de jure communi, vel municipali ita statutum sit, vel quod officii qualitas, & natura ita exigat, cum tunc inter Principem vendentem, ac officialem acquirentem sub tali lege, quasi contractus initus videatur, unde contingente casu amissionis officii, non ex voluntate, & facto Principis concedentis, sed ex contractu, seu purificatione implicitæ conditionis, id sequi dicitur; secus autem ubi dicta circumstantia cessante, ex facto voluntario concedentis id sequeretur, quoniam esset violare jus naturæ, vel gentium, seu fidem, quæ inter contrahentes servanda est, etiamsi unus eorum sit Princeps, qui contractus jure privati censetur, ex collectis per Capyc. Latr. *dict. decis.* 188. de Marin. in addit. ad dictam Reverter. *decis.* 54. *num.* 5. & 409. *num.* 3. *cum sequent.* & in terminis officiorum, Reverter. *decis.* 554. cum aliis supra *dict. disc.* 14. Ubi quod in casu delicti, seu inhabilitatis, po-
21 test quidem Princeps privare talem officialem exercitio, illum cogendo ad deputandum substitutum ab ipsomet Principe, vel ejus Magistratibus nominandum, vel approbandum, sive ad vendendum officium, ut advertit Apont. *de potest. Proregis, tit. de elect. officialium*, §. 1. *num.* 1. & 3. non autem ad tollendam proprietatem sine restitutione acceptæ pecuniæ, quoniam esset locupletari de alieno.

Aut vero agitur de aliis officiis, quæ ad justitiam administrandam, aliaque munera exercenda gratis a Principe conceduntur, & tunc; Aut res adhuc est integra, quia 22
nempe provisus officii possessionem, vel administrationem adhuc non susceperit, ita ut revocatio gravem injuriam, seu famæ præjudicium non causet, & plana videtur facultas revocandi, cum agi dicatur de jure quærendo magis, quam quæsito, & quia re integra ad Principis notitiam devenire possunt illæ circumstantiæ, quibus prius habitis provisionem non dedisset, ut frequens praxis docet, tam in officiis, quam etiam in beneficiis, ob notabilem differentiam inter jus quærendum, & jus quæsitum, unde propterea in materia beneficiali habemus receptam distinctionem, de qua in Calaguritana beneficiorum de Bilbao coram Bichio *decis.* 25. & 29. post Zuffum *de legit. process.* & in eadem in sua materia *sub tit. de Beneficiis*, ac etiam in proposito præeminentiarum in Fanen. admissionis ad Consilium *sub tit. de præeminentiis*, *disc.* 38. quod ad effectum privandi jure quæsito ex causa delicti, vel infamiæ, requiritur plena, & concludens probatio, ad effectum vero repellendi ab assequutione, & in ordine ad jus quærendum, sufficit sola inquisitio, vel diffamatio etiam de facto, etiamsi prodierit sententia absolutoria ex defectu probationum, ita ut non sit positive declarativa, seu canonizatoria innocentiæ.

Et licet ubi Princeps jam contulit officium, ita videatur agi de jure quæsito ex regula, quod Principis concessio transfert dominium, & possessionem ipso jure etiam
sine apprehensione, ex deductis per Gabr. *de empt. & vend.* 23
conclus. 9. *num.* 39. Rovit. *decis.* 82. *num.* 5. Rota *dec.* 664. *n.* 18. *part.* 2. *recent.* & *decis.* 81. *num.* 6. *part.* 5. Attamen in officiis annexam habentibus administrationem justitiæ, seu alterius muneris, donec sequatur adeptio possessionis cum præstatione juramenti, aliisque solemnitatibus præcedere debentibus, dici non potest jus formaliter quæsitum, ut habetur in Romana Indulti *sub tit. de Præeminentiis*, *disc.* 28. occasione disputandi, an exemptio- 24
nes, & prærogativæ concessæ Auditoribus Rotæ, competant illi, qui ad dictum officium per motum proprium Pontificium jam assumptus est, sed antequam sedeat in Rota, ad Episcopatum, vel aliud officium assumitur; Ideoque recte intrare videtur distinctio, quæ reputatur magistralis, Baldi, & Castrensis, quos cæteris collectis referunt Rovit. super pragmaticis *in rubr. de revocat. gratiarum*, *n.* 23. Cancer. *lib.* 3. *var. cap.* 31. *n.* 48. de Marin. *lib.* 2. *resolut.* 47. late Galeot. *dict. responso fiscal.* 23. & 27. Capyc. Latr. *dicta decis.* 188. & cæteri de quibus supra, quod scilicet ubi agitur de concessione, quæ remanet in terminis gratiæ, & privilegii, ita ut non participet de contractu ex causa correspectiva, neque res concessa cum- 25
mixta est cum bonis, & juribus concessionarii, qui per revocationem pauperior effici, seu alias ejus statum deteriorare non dicatur, & tunc de plano intrat dicta potestas, per quam non tollitur alienum, sed re integra reassumitur suum. Quod etiam pariter de plano procedit in illis officiis, quæ de sui natura sunt manualia, & absque certi temporis præfinitione ad nutum amovibilia, cum juxta ea, quæ habemus in beneficiis, & capellaniis manualibus, cuilibet inferiori Prælato, vel officiali, quinimo cuilibet privato hujusmodi potestas competat, ut in sua materia *sub tit. de benef.*

Aut vero agitur de officiis jam de facto assequutis, & 26
possessis, & quæ ex eorum natura, vel ex consuetudine sunt perpetua, sive etiam temporalia, cum certi tamen temporis præfinitione, puta quia per biennium, vel triennium sit eorum connaturalis duratio, juxta casum disputatum apud Capyc. Latr. *consult.* 47. Et tunc ob injuriam gravem, quæ amoto resultat, præsertim grave præjudicium famæ, nimis circumspecte procedendum esse advertit Aponte *de potestate Proreg. dicto tit. de elect. officialium in principio*, *n.* 5. dictamque potestatem, cæteris collectis plene negant Fagnan. *in dicto cap. consultationibus, de clerico ægrotante*, Mastrill. *de magistrat. lib.* 1. *cap.* 27. *n.* 16. *cum seq.* Fregos. *de Republica*, *part.* 1. *lib.* 3. *disput.* 5. *n.* 42. *cum seq.* Lattea *dec.* 2. Capyc. Latr. *d. consult.* 47.

Quod

Quod tamen ut supra recipiendum est, vel in ordine ad Præsidem provinciæ, seu majorem Magistratum hanc supremam potestatem exercere volentem pro justo recursu ad Principem, qualis est casus, de quo agit Capyc. Latr. *d. cons.* 47. & de quo juxta mores patrios agere intendit Maltrill. *loco citato*. Vel ad effectum illius deficientis potestatis, quæ percutiat forum internum, sive ut defectus potestatis justum præbeat motivum ipsimet Principi, vel successori retractandi id, quod gestum est, ad quod in substantia se restringit Fagnan. agnoscens in foro substentabilem non esse in supremo Pontifice, non habente aliorum Superiorem, qui corrigat, defectum positivum potestatis quando voluntas perseveret.

Quo vero ad beneficia ecclesiastica, circa quæ dubium
27 illius potestatis destruendi, seu revocandi ea quæ sint de sui natura perpetua, non autem manualia, in alio non cadit quam in Papa; Quidquid sit quoad forum internum, super quo nimium se involvunt Theologi, cum quibus transire solent aliqui Canonistæ ex collectis per Fagnan. *in d. cap. consultationibus, num.* 24. *& seq.* quasi quod inter Pontificem collatorem nomine Ecclesiæ, & ipsum provisum initi dicatur quidam quasi contractus correspectivus, unde propterea concessio non remaneat in simplicibus terminis gratiæ, & privilegii; Ac etiam quia Theologi credunt Papam in beneficialibus esse administratorem, seu distributorem, non autem dominum: Attamen quatenus pertinet ad forum externum, omnino verior, re-
28 ceptaque sententia est Canonistarum, Papam esse in beneficialibus absolutum dominum, atque Beneficia, ubi præsertim non intercedit formale matrimonium spirituale, etiam sine causa tollere, seu revocare posse, ut post Gemin. *in cap. si gratiose de rescriptis in sexto*, Felin. Dec. & alii *in cap. qui in Ecclesiarum de constit.* Gomes. *in reg. de jure quæsito non tollen. q.* 1. Gabr. *eod. tit. conclus.* 1. *num.* 9. & cæteri late collecti per additionatorem *ad dec.* 2. *p.* 3. *rec. n.* 215. *cum seq.* atque ita firmatum fuit per Rotam antiquam apud Molien. *decis.* 4. *de restit. spoliatorum*, quæ reputatur in materia magistralis, & dictum etiam fuit apud Seraph. *decis.* 997. *n.* 7. atque moderno tempore in quadam gravissima causa ita quoque respondit eadem Rota desuper consulta per Alexandrum VII. quamvis decisio desuper edita non sit.

Cujus causæ occasione ego ponderabam, quod ultra dictas auctoritates Canonistarum, & Rotæ, discurrendo etiam per rationes, ita quoque omnino dicendum veniat;
29 quoniam Beneficia esse perpetua, vel manualia, illæque distinctiones, quas in materia beneficiali habemus inter Beneficia sæcularia, & regularia, ut illa sint perpetua, ista vero manualia, sive in ipsismet sæcularibus, quod alia sint perpetua, & alia manualia, non provenit a jure divino, vel naturæ, sed a solo jure positivo canonico, & sic ab eadem potestate Papæ, in quo propterea non videtur quomodo denegari debeat facultas revocandi id, quod ex sua potestate ita statutum est. Et clarius, quia Beneficia præsertim majora, & in quibus hujusmodi quæstio cadere solet, in sui origine erant Monasteria Regularium de sui natura manualia, quæ deinde per eundem Pontificem in formam, seu naturam Beneficiorum sæcularium, pro conservando cum decenti decore ordinem Ecclesiasticum præsertim majorem, clericis sæcularibus conferri consueverunt. Igitur sicuti neganda non est Papæ potestas in privando Regulares dictis Monasteriis, Beneficiis de sui natura, & origine regularibus, & manualibus, illaque conferendi ad formam sæcularium clericis sæcularibus, ita nulla ratio urgere videtur, cur licitum esse non debeat, illa in toto, vel in parte ad priorem naturam reducere; Rationes autem injuriæ, vel gravis præjudicii, quæ exinde resultant in contrarium ponderari solitæ, efficaces quidem videntur ad motivum, ut nimium circumspecte in hoc procedendum sit, sive quod idem, vel successor facilis exinde reddatur ad redintegrationem, non autem ad inducendum defectum positivum potestatis.

Eodemque jure regulandæ videntur illæ concessiones, quæ remanent in terminis gratiæ, & privilegii, ac de
30 juribus ipsius Principis, quæ de facto cum bonis nostris incorporari non dicuntur, juxta dictam distinctionem Baldi, & Castrensis, ut sunt præsertim concessiones exemptionum, & franchitiarum, vel similium jurium, cum Princeps ita tollat quod est suum, potissime vero, ubi justa, & probabilis causa revocandi intercedat, juxta terminos textus *in cap. nuper*, *& cap. suggestum de decimis*; Sive quia quandoque contingat usum gratiæ, & privilegii Reipublicæ præjudicialem esse, ut contingere solet in privilegiis, quæ conceduntur super tractis, seu extractionibus mercium, ex iis quæ habentur in his terminis revocationis tractarum apud Reverter. *dec.* 425. ubi de Marin. in addit. & de eadem materia non admittendi usum concessionis tractarum ex justa causa habetur supra in Ferrarien. *disc.* 133.

Ubi vero agitur de tollendo bona cum nostro patrimonio jam commixta, seu incorporata, ita ut eorum privatio positivam depauperationem, seu diminutionem patrimo- 31
nii causet; Cum scribentes in hoc se involvere videantur, plures casus inter se diversos insimul confundendo, idcirco occasione discurrendi in congressu de materia in quadam gravissima causa, dicebam, plures casus distinguendos esse; Quorum primus est jam dictus revocationis demanii, per quam datur quandoque casus, ut bona, & jura per Communitates jure privato possessa tollantur, & tunc, ut supra distinguendo dictum fuit, quoties non agitur de concessione demanii per viam puræ gratiæ, & privilegii, sed potius per viam contractus ex causa onerosa, 32
& correspectiva, quia nempe Rege ipsam Civitatem, vel locum alteri vendente, Communitas jure illius prælationis, quæ tanquam per speciem protomiseos vassallis, seu Communitati competit, non quidem de jure, ut bene advertitur per Reverter. *dec.* 22. sed ex quodam recepto usu, ut per Camill. de Mendicis, *cons.* 164. Capobl. *de Baron. tom.* 1. *prag.* 8. *part.* 3. *n.* 153. de Marin. ad Rever- 33
ter. *d. dec.* 22. Capyc. Latr. *dec.* 174. *n.* 64. se redemerit mediante solutione pretii restituti novo emptori; sive quod imminente venditione, illam præveniendo se composuerit cum Regia Curia, solvendo illud pretium, quod ab aliis inveniri posset, ut fecerunt pene omnes illæ Civitates, vel Oppida, quæ tunc reperiebantur in statu demanii. Et tunc etiam restituendo pretium, videtur justitiam lædi, atque intrare illum interpretativum seu directivum defectum potestatis supra explicatum, multo magis quando neque pretium restituitur.

Et licet fiscales Regii, vel Regis vices gerentibus adulando, duas in ore habere soleant propositiones, Unam, ut hic defectus potestatis procedat, quando nulla causæ publicæ necessitatis, vel utilitatis concurrat, secus autem ista accedente; Et alterum, quod cum jurisdictio non acquiratur ipsi Communitati, sed remaneat penes ipsum Regem, ita iste concedit quod est suum, quodque Communitati sufficere debet, quod ei non tollantur bona ac redditus feudi, & cum hac distinctione frequenter practicari consuevit hujus contractus violatio, vendendo scilicet solam jurisdictionem, solumque imperium, seu jus baronale, quasi quod ita intret ratio ponderata per Ann. *d. alleg.* 50. *n.* 4.

Attamen utraque ratio fiscalium sensui, & utilitati, non autem justitiæ adaptari videtur; Quatenus enim pertinet ad primam, quando Regia, vel Reipublicæ necessitas, vel magna utilitas urget, illi consulere debent omnes subditi æqualiter per æs, & libram, non autem unus, vel aliqui tantum ad totum onus gravari, Adinstar eorum, quæ in proposito juris prohibendi furnos, & molendina habentur supra in Cornet. *hoc tit. disc.* 144. cum similibus; Ideoque non debent una, vel aliquæ Civitates demaniales tantum ita suo jure, suisque bonis privari, ut occurratur necessitatibus, quibus totum Regnum, seu tota Respublica occurrere debet. Et quoad alteram, quamvis jurisdictio, & imperium non sint penes ipsos vassallos, eorumque Communitatem, sed remaneant penes ipsum Regem, attamen id provenit ratione incompatibilitatis, quia non possunt vassalli esse ipsorummet domini. Non inde tamen sequitur, quod Rex qui habet ex dicta ratione hujusmodi jurisdictionis, & imperii dominium, de illo liberam habeat dispositionem, dum illud ex causa correspectiva tamquam per speciem depositi, seu precarii ex dicta ratione incompatibilitatis habere dicitur sub contractu, & lege non disponendi; Adinstar patientis servitutem in proprio fundo ad favorem alterius, qui per se ipsum, vel etiam per alios talem servitutem exercere possit, quoniam si dominus fundi servientis, pretio mediante, dictam servitutem redimet, solvendo integrum ejus valorem, concedendo tamen illi qui servitutem habebat, ut adhuc ejusdem fundi servientis quamdam protectionem & administrationem habeat, quoniam licet penes redimentem, ratione incompatibilitatis, non remaneat ipsa servitus, non per hoc tamen illa remanere dicitur penes dominum feudi dominantis, ita & taliter, quod aliis

ejus

ejus usum concedere possit, quoniam in contractum deducta est libertas, quæ pro observantia fidei manutenenda est.

Alter casus est, ubi Princeps tollit bona per ipsummet donata, vel concessa adhuc extantia in specie, vel in æquipollenti, quia nempe pretium extet, seu in alios effectus conversum sit. Et tunc, ut in dicta gravi causa dicebam
34 pro revocandi potestate, probabilius respondendum videtur, quoniam irrevocabilitas donationis, vel concessionis inter vivos provenit a mero jure positivo inducente distinctionem inter donationem inter vivos, & causa mortis, ut ista sit revocabilis, illa non, cui juri positivo Princeps derogare potest, dum solum tollit id, quod est suum, non autem id, quod ex propria providentia quis sibi comparavit, juxta communem distinctionem traditam ad intellectum textus *in l. assiduis, C. qui potior in pign.* cum concord. collectis per adden. *ad dec. 666. p. 4. rec. tom. 3.* Fortius autem, ubi, ut in dicta gravi causa verificabatur, mutaretur rerum status, atque cessaret causa donationis, sive justum indignationis ac revocationis motivum concurreret; Si enim etiam inter privatos in jure habemus, quod ex cessante causa, seu implemento, aut ex ingratitudine, donatio quamvia de sui natura irrevocabilis, solvitur, vel revocatur ad text. *in l. fin. Cod. de revoc. donat. & l. prima, C. de donat. quæ sub modo cum concord.* Sive etiam resolvitur ob immutatum rerum statum, quia nempe donator filios suscipiat juxta terminos textus *in l. si unquam, C. de revoc. donat.* Aut quod exeat a Religione, cujus ingressus intuitu donationem fecerit juxta unam opinionem, de qua in sua materia *sub tit. de renunciationibus* cum similibus. Multo magis id concedendum est in Principe, qui, vel derogare potest dicto juri positivo, ex quo irrevocabilitas resultat, vel declarare talem fuisse ejus intentionem, cum in hoc consistere videatur Principis peculiare privilegium, ut non teneatur extrinsecus justificare causam talis declarationis, quæ in casu dubio etiam privatis conceditur, juxta firmata apud Othob. *dec. 119. n. 8. & 195. num.* 18. Romana donationis scutorum 30. millium 9. Aprilis 1660. & 21. Junii 1661. coram Albergato impress. post Bonden. *dec. 77. & 90.* & pluries in sua materia *sub tit. de donation.* ideoque ubi ipsa bona donata, vel concessa in specie, vel in æquipollenti extant, casus videtur planus, ut in dicta gravi causa verificabatur, quod pecuniæ per Principem elargitæ investitæ erant ac extabant.

Difficultas autem cadit, quando bona donata non extant, quia bona fide consumpta sint, alias non con-
35 sumptura, unde propterea data revocatione, seu detecta invalida concessione, donatarius cogeretur diminuere proprium patrimonium, atque ita loco beneficii maleficium pati juxta casum disputatum in Romana, seu Volaterrana spolii *sub tit. de donat.* in quo donatarii Principi coacti fuerunt restituere æquivalentiam bonorum, a Principe eis donatorum, quamvis existentiam non probarent, ex motivo tamen præsumptæ existentiæ in æquipollenti, qua etiam cessante, intrare videtur defectus potestatis, nam esset tollere bona propria.

Tertius est casus, in dicta etiam gravi causa extrajudicialiter examinatus, quando Princeps tollit privato bona propria, quæ sibi suoque fisco applicat ex motivo, quod essent male parta, maleque quæsita occasione alicujus muneris, seu officii, absque eo quod id aliunde justificaretur. Et tunc dicebam intrare defectum potestatis tollendi bona
36 tertii sine causa, non obstante ejusdem Principis assertione, quando præsertim contineat turpitudinem, & delictum. In ea enim quæstione, an Principis assertioni, seu narrativæ super iis, quæ in facto alieno consistunt, deferendum sit necne, communis ac probabilis distinctio est, quod; aut agitur ad effectum tollendi ea, quæ ipsemet ex gratia, & privilegio concessit, puta officia gratuita, beneficia, exemptiones, præeminentias, &c. & tunc illi deferendum sit, quoniam etiam sine talis causæ expressione id facere posset. Aut vero de tollendo jus, vel rem alterius, ut sibi ipsi, suoque fisco applicaret, sub narrativa causæ, qua vera existente, confiscatio de jure intraret, & tunc secus, ut post antiquiores ab eis relatos, Gabriel. *de probat. quæst. 2. num. 23. cum sequent.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 10. num. 55. & seqq.* Mascard. *de probat. concl.* 1228. n. 107. & 124. Farinacc. *de testib. q. 63. n. 174. cum seqq.* Rota apud Mohed. *dec. 16. de restit. spoliat. & dec. 7. de probat.* apud Put. *dec. 124. lib.* 1. apud Seraph. *dec. 965. n. 9. & in aliis* atque ad evidentiam docet ipsa naturalis ratio.

Quartus casus est, ubi Princeps auctoritatem suam interponit in juribus, quæ privatis cum seipso, seu Republica ex contractu, & causa correspectiva competunt, justa casum late examinatum apud Capyc. Latr. *dicta decis.* 188. quia nempe jura, quæ cum ipso Principe, vel Republica habentur, quæ in Urbe ac aliquibus aliis Italiæ Principatibus vocantur *loca montium*, in Regno au- 37
tem Neapolitano dicuntur *fiscalia, seu jura super arrendamentis*, & in Hispania vocantur *los juros del Reii*, quæ Princeps vel solvere deneget, vel diminuat, sive extinguere velit pro minori pretio, quam eorum intrinsecum importet. Et tunc in ordine ad omnimodam denegationem, de justitia id facere non potest, quamvis urgeret publica necessitas. Tum quia raro vel unquam verificatur illa necessitas præcisa, cui alias consuli non possit, justificans hujusmodi subditorum, ac privatorum oppressiones, cum prius reformari debeant inanes sumptus, ac etiam provideri, ne officiales, & ministri tam magnas divitias cum subditorum oppressionibus comparent, atque cum istis divitiis, quas notorium est ex nihilo male partas esse, publicis necessitatibus potius occurri debet. Tum etiam quia ut supra dictum est, publicis necessitatibus omnes subditi pariformiter, & pro modo jurium occurrere, & contribuere debent, non autem aliqui particulares tantum, atque alias videtur injustitia manifesta.

Quo vero ad extinctionem, seu reductionem in sorte, probabilis videtur distinctio, cum qua proceditur apud Capyc. Latr. *dicta dec.* 188. ut scilicet sufficiat supplere possessoribus id, quod vere in acquisitiones hujusmodi jurium erogarunt, absque necessitate supplendi lucrum resultans ex pretii intrinseci diminutione, quæ vulgo *aggio* nuncupatur. Et quoad diminutionem, seu sbassationem fructuum, procedendum videtur cum eadem distinctione, quod scilicet justa causa, seu justum motivum concurrat vel ob diminutionem ipsorum jurium, & effectuum, per quamdam speciem illius diminutionis fructuum census, quæ de jure resultat diminutis fructibus fundi censiti, vel quia de more regionis, & inter privatos, census, & annui redditus effecti sint minores, ex iis, quæ in proposito diminutionis censuum, & reddituum, qui habentur cum Communitatibus, cæteris relatis plene habentur apud Olean *in tract. de cess. jur. tit. 7. q. 3. n. 32.* & Capyc. Latr. *dicta dec.* 188. apud quos concordantes.

Quintus casus est, ubi Princeps tollit bona privatorum ex causa publica, puta, quia oporteat demoliri domos, vel devastare vineas, sylvas, arboreta, & prædia pro mœniis, arcibus, & fortificationibus, sive pro fa- 38
cienda area ad meliorem defensionem, cum similibus, & tunc stante causa publica non negatur hæc potestas, ut per Bal. *in l. item lapilli in addit. num. 2. ff. de rer. divis.* Aponte *de potestate Proreg. tit. de elect. official.* §. 1. *num.* 87. ubi testatur de praxi, sub obligatione tamen refiendi pretium, vel a publico ærario, vel per collectam, seu contributionem, ex deductis per Aponte *loco proxime cit. num.* 31. *cum seq.* & in specie de refectione pretii aliquarum domorum Ecclesiarum, quæ ob mœnia Civitatis demolitæ erant, habetur per Rot. in Barchionen. murorum 24. Novembris 1617. & 16. Martii 1618. Verospio, & 14. Decembris 1618. Ubaldo, ex jam dicta ratione, quod licet accedat causa publica, quæ justificat ipsum actum demolitionis, seu incorporationis bonorum alterius invito domino, non excusat tamen a refectione pretii, quoniam causæ publicæ occurri debet, vel cum ipsius Principatus, & reipublicæ bonis, & effectibus ita per Rempublicam Principi ejus marito assignatis, tanquam dos pro hujus politici matrimonii oneribus supportandis, vel per omnes ejusdem Reipublicæ, seu Principatus subditos, seu eos, quorum necessitatem, vel utilitatem ipse actus percutiat, æqualiter, & pro modo virium, non autem ut damnum sit unius, vel aliquorum tantum, quoniam ita est ostendere justitiam commutativam. Atque ita frequens praxis docet. Quam frequentiorem in Urbe, tanquam pacifico Principatu, habemus circa publicum ornatum, quoniam pro viis dirigendis, seu plateis faciendis, aut alias publico ornatu exigente, 39
privatorum domus in toto, vel in parte demoliuntur, seu reformantur cum refectione pretii per collectam, seu contributionem habentium domos adjacentes ad proportionem majoris, vel minoris adjacentiæ ratione utilitatis, quæ eisdem domibus de hujusmodi projectibus resultare solet, quod Principi licitum esse advertunt in specie Bard. *in d. l. item lapilli, ff. de rer. divis. in addit.* Lanat. *cons.* 4.

quæ

quæ videtur auctoritas in hac materia Magistralis. Quæ tamen praxis reficiendi pretium, ubi agitur de demolitionibus domorum, vel arborum, & prædiorum ex causa belli, & quando illud urget, rara est, cum tunc majoribus urgentibus necessitatibus, cum publico ærario, sive
40 cum subditorum collectis, & contributionibus occurrere oporteat, neque in eo conflictu de facili cogitatur ad ea, quæ leges disponunt, quasi quod armorum strepitus non sinat audiri leges, ideoque dici potest casus fortuitus, quem fortunæ maleficio referre debent ii, quos tangit. Licet enim DD. præsertim Morales, excusantes tali casu Principem, vel Rempublicam, ejusque Magistratus a prompta refectione, ad istam obligent cessante calamitate, & quando ipsius Reipublicæ, vel aliorum vires suppetere potetunt; nimium tamen rari sunt casus, in quibus hæc theorica reducantur ad praxim.

Sextus casus est, ubi Princeps bona uni tollit, ut det alteri, ut fuisse quandoque practicatum, etiam citra necessitatem belli, & remunerationis militum, habetur in
41 Ariminen. Castrorum *sub tit. de feudis, disc.* 45. In jure vero civili hæc potestas absoluta supponitur *tam per text. in l. Lucius Titius, ff. de evictíon.* ubi de potestate dandi militibus bona privatorum, quoniam ita Reipublicæ causa postulet, & cum dictæ causæ presupposito admittunt DD. collecti per Gabriel. *d. tit. de jure quæsito non tollen. concl.* 1. *& seq.* Apont. *de potest. Prorag. tit.* 1. *de præcis. fieri solitis, n.* 26. *& alii*, apud Marin. ad Reverter, *dec.* 183. *num.* 2. *in fin.* idem Reverter. *dec.* 184. *in fine*; quam etiam generaliter, & indefinite, ut daret cuicumque, supponitur per textum *in lib.* 4. *& l. bene a Zenone, Cod. de qua-*
42 *triennali præscript.* ubi quod donatarius Principis tutus est a rei domino, cui solum datur actio refectionis pretii contra fiscum, de quorum tamen jurium intelligentia, & quando locum habeant, necne, habetur particulariter actum in dicta Romana, seu Volaterrana spolii *sub tit. de donat.* quasi quod ita reintegrato domino de pretio, non dicatur illi inferri injuria, vel grave damnum, quod solum consistat in affectione habendi magis rem, quam pretium, super quo Principis potestati condonandum videtur, etiam ex causa publici ornatus juxta dispositionem
43 Constitutionis 22. Gregorii XIII. per quam vicinus alterum invitum cogit ad rei suæ venditionem, & de quo retractu coactivo habetur pluries *sub tit. de servit. ad materiam retractus*. Ubi quod ex dicta causa publici ornatus ille quandoque datur etiam ex dispositione, vel intentione juris communis, quamvis Principis potestas non accedat ad instar, & per assimilationem illius retractus, qui de jure competit Ecclesiis, vel piis, & religiosis domibus pro constructione, ampliatione, vel ornatu, ad terminos textus *in l. si quis sepulchrum, ff. de relig. & sumptibus funerum, ut pluries in dicta sua materia, sub tit. de servitut.* Et de eadem demolitione pro servitio Montis Pietatis, ad effectum illum reducendi in insulam pro meliori depositorum, & pignorum custodia, habetur actum in Romana Salviani, *sub tit. de credit. & in Romana domus, sub tit. de empt. & vend.* pro Monte Pietatis Urbis.

Septimus casus est, ubi factum Principis, vel illius Magistratus, qui a Principe potestatem habet, non est principaliter directum ad tollendum rem, vel jus alterius, ut sibi, vel alteri tribuat, sed est gratiosum, ac principaliter ad benefaciendum uni, ex quo accessorie, & consecutive resultet damnum alterius, etiam in jure quæ-
44 sito, ut frequenter in praxi contingere solet circa gratiosas restitutiones, quæ fiant bannitorum, vel rebellium, quorum bona, vel jura per hujusmodi mortem civilem in alios translata sint, a quibus ita restitutus vendicare velit. Et tunc duplex cadere solet inspectio, una voluntatis, an scilicet Princeps talem civiliter mortuum resuscitando per hujusmodi restitutionem alteri præjudicare velit, ac bannitum restituere etiam ad bona, vel jura jam alteri quæsita, & ista est quæstio facti, potius quam juris, cujus decisio pendet a verbis, & clausulis ipsius restitutionis, aliisque circumstantiis, & adminiculis hujusmodi voluntatem affirmantibus, vel respective negantibus, cum sæpius in hujusmodi restitutionibus adjici soleant clausulæ præservativæ circa bona, & jura fisco incorporata, & alteri quæsita. In dubio autem, & quando fit restitutio simpliciter, ut voluntas sit ambigua, præsumptio est, quod gratia censeatur facta sine tertii præjudicio, & sic non quoad bona tertio quæsita, ut plene antiquioribus relatis supponitur, cessantibus verbis diversam voluntatem probantibus, per Rotam apud Merlin. *dec.* 225. *alias* 449. *par.* 6. *rec. in princ.* & firmant DD. collecti per Marin. ad Reverter. *dec.* 486. *n.* 1. & Capyc. Latr. *consult.* 2. *n.* 38. *& seqq.* ubi allegantur Oddo, Mastrill. Rovit. & cæteri.

Ubi vero voluntas est certa super plenaria restitutione ad statum pristinum, tanquam per speciem postliminii etiam ad bona, & jura alteri quæsita, proindeque reducitur quæstio ad defectum potestatis. Et tunc distinguendum est inter illos tertios, quibus jus quæsitum est ex sola dispositione legis positivæ communis, vel municipalis, aut etiam ex judicio testatoris, ut frequenter contingit in bonis fideicommissariis, ac feudalibus, vel emphyteuticis pacti, & providentiæ, quæ, ob incapacitatem possessoris ex hujusmodi morte civili resultantem, transeunt in alios proxime agnatos, vel vocatos. Et illos tertios, quibus eadem bona, vel jura tanquam publicata, seu ita effecta vacantia, ab ipso Principe, vel altero ad id potestatem habente concessa sint. Primo enim casu plana videtur potestas, quoniam jus tertio quæsitum non provenit a propria providentia, vel causa onerosa, itaut a jure naturæ, vel gentium magis provenire dicatur, sed provenit a solo jure positivo, atque a potestate ejusdem Principis, quam sicuti talis possessor pro se admittit, ita illius quæstionem resecare non potest: ita enim Princeps tollere dicitur quod est suum, non quod alienum, ut antiquioribus relatis Franch. *dec.* 212. Rovit. *dec.* 37. *n.* 9. Odd. *de rest. in integr. part.* 2. *distinct.* 99. *art.* 10. de Marin. *resol.* 46. *n.* 15. *lib.* 2. Rota apud Merlin. *dec.* 125 *alias* 449. *part.* 5. *recent.* atque hoc jure passim vivitur in eodem Principatu, absque difficultate.

Sola enim quæstio cadere solet, ubi agitur de bonis existentibus in diversis ditionibus, seu Principatibus, quoniam licet non levis controversia sit inter Doctores, an confiscatio capiat bona extra territorium confiscantis, & quatenus capiat, ad quem spectent, an ad fiscum Principis bannientis seu condemnantis, vel potius ad quemlibet Dominum territorii, atque plures soleant dari distinctiones, an confiscatio proveniat a jure communi, vel speciali, Attamen hodie communis, & in praxi recepta propositio est, quod quilibet confiscat in suo, quamvis non ex propria, sed ex aliena sententia bonorum publicatio sequatur, ex collectis per Borlighet. *de success. theorem.* 110. *n.* 32. de Marin. *resol.* 35. *lib.* 1. Capyc. Latr. *consult.* 131. *n.* 41. *& seqq.* & latius per Rotam apud Merlin. *d. dec.* 125. *alias* 449. *part.* 5. *recent.* quæ est in materia magistralis, ubi solum dubitatur, quoties contentio est inter Principem, & Baronem, ac inferiorem. Atque ita vidi practicatum in Januen. officiorum, de qua *sub tit. de fideicomm.* ubi de confiscatione facta per Datariam, seu Cameram Apostolicam de officiis ejusdem Datariæ, seu Cancellariæ possessis per eum, cujus bona publicata fuerunt in alio Principatu.

Ideoque intrat quæstio, an factum restitutorium illiusmet Principis, qui per ejus sententiam dictam mortem civilem intulerat, afficiat alios quoad bona per eos confiscata per seipsos possessa, vel aliis concessa, in quo ex eisdem fundamentis deductis per Rotam apud Merlinum *dict. dec.* 125. *alias* 449. *part.* 5. *rec.* verius videtur, statum personæ trahere ad se omnia bona, tanquam accessoria, cum per plenariam restitutionem fingatur, ac si nunquam civiliter mortuus esset, ex regula, quod bona sequuntur personam, & accessorium regulatur a natura, seu statu principalis.

In altero autem casu, quod bona alteri concessa sint ab ipsomet Principe, & tunc: Aut concessio est ex gratia, & causa lucrativa, & pariter pro competentia potestatis respondendum venit, cum nullum præjudicium, nullaque injuria illi tertio inferri dicatur, atque Princeps revocet suum juxta auctoritates, & rationes, de quibus supra, occasione officiorum, & beneficiorum, ac etiam elargitionum ab ipso Principe factarum: Aut concessio est ex causa onerosa, quia nempe idem Princeps, vel ejus fiscus bona confiscata pretio mediante alteri vendiderit juxta casum, de quo in dicta Nullius Baren. melioramentorum *sub tit. de feudis, disc.* 27. Et tunc licet ubi accedit causa publicæ necessitatis, vel utilitatis, etiam non refuso pretio concessio non obstet restituto, ex plene collectis per d. Marin. in addit. ad Rever. *d. decis.* 487. hæc tamen potestas conceditur cum moderatione, ut ipsi Principi, qui restituit, incumbat onus restituendi pretium emptori, eumque conservandi indemnem, dum deducit suum jus contractu, & sic ex jure naturæ, vel gentium magis, quam positivo, ut advertitur per Menoch. Odd. & alios relatos per Marin. *in addit. ad dec.* 487. *in fine*.

Magna

Magna siquidem est differentia inter restitutionem, quæ fiat ex mera gratia Principis, ac illam, quæ fiat ex publica causa, ut ista magis justitiæ contractum, quam gratiæ speciem habere dicatur, ex deductis *d. disc. 27. sub tit. de feud.* ubi de restitutione feudorum facta in vim capitulorum pacis illis feudatario, quia partes hostis Regis sequutus fuerat, quamvis illa essent alteri vendita remanente emptoris actione adversus fiscum, pro restitutione pretii. Sed ubi restitutio sequitur per viam gratiæ, tunc magis circumspecte procedendum est, saltem circa magis strictam interpretationem voluntatis Principis restituentis, quando non est plusquam clara, cum voluntas metienda sit a potestate, ac a regulis justitiæ, & æquitatis.

Octavus casus est, ubi factum Principis, principaliter etiam gratiosum, ac directum, ut uni prosit, alteri vero accessorie, vel consequutive præjudiciale sit in jure quæ-
50 sito, vel quærendo spetato, puta quia existente proxime successuro in feudo clerico, vel alias feudi incapaci, Princeps tali impedimento dispenset, eoque non obstante illum capacem faciat, Sive, quod frequentius contingere solet, natalibus restituat illegitimum, alias feudalis, vel fideicommissariæ successionis incapacem, sive habiliter forensem cum similibus. Et tunc, aut agitur de dispensatione, seu capacitate, quæ concedatur præventive, antequam fiat casus successionis feudi, fideicommissi, vel etiam alterius successionis, & plana est affirmativa. Tum quia cum illud sit impedimentum non proveniens a jure naturæ, vel gentium, sed a jure positivo, non videtur, quid prohibeat re integra dicto juri posse per Principem derogari, ut fere communi omnium ore firmant inferius allegandi in casu fortiori, in quo res non sit integra, & post jus quæsitum.

Tum etiam tunc non est tollere jus tertii, sed tollere vitium, seu impedimentum quod repellebat proximiorem, cui alias successio debita esset, nisi illud impedimentum haberet, & tamquam per remotionem obstaculi, occurrendo præventive, ne impedimentum oriatur. Vel adsit de tempore quo fiat casus, unde propterea non dicitur Princeps tollere jus tertii, sed solum removere illud impedimentum quod ipsemet, seu ejus lex positiva inferebat, ideoque proximior succedit jure suo proximitatis. Ad instar habentis membra ligata, unde contingente casu cursus ad bravium, currere non posset, quamvis illi proximior esset, sed a remotioribus vinceretur. Quoniam si antequam casus contingat, aliquis habens potestatem illa vincula solvat, tunc ita solutus currit jure suo, & tamquam proximior accipit bravium, ac si ab initio in statu libertatis fuisset. Neque per hujusmodi præventivas gratias, per quas occurritur futuro obstaculo tolli dicitur jus tertii, vel novum gravamen inferri, quamvis accessorie, seu consecutive unum, vel alterum exinde sequatur, ut a simili habemus in Patavina Pensionis apud Cellum *dec.*
51 355. & 395. ac in sua materia *sub tit. de pens.* in Ravennaten. & in aliis. Quod si clericus habens pensionem, matrimonium etiam cum bigamia contrahere velit, seu militarem statum assumere, præventive autem obtineat indultum Apostolicum retinendi pensiones dicto statu non obstante, tunc necessariæ non sunt illæ derogationes, vel aliæ formalitates, quæ requiruntur in reservationibus pensionis super Ecclesiis Cathedralibus, vel Metropolitanis cum similibus, atque durant prioris cedulæ, & cautionis præstitæ in statu clericali, quoniam indultum non inducit novam pensionem, novumque & diversum gravamen, sed est eadem pensio, quæ continuat, remoto solum obstaculo, quod ob assumptionem status incompatibilis, illam alias extingui, seu cessare faceret, cum similibus.

Difficultas vero est, ubi agitur de habilitatione, seu dispensatione superventa post factum casum successionis, an scilicet illa retrotrahatur in præjudicium juris tertio quæsiti. Et in hoc DD. nimium scinduntur, ac se involvunt, negando etiam in Principe potestatem, quasi quod esset violare jus naturale, vel gentium tollendo jus jam quæsitum, ex iis quæ habentur hinc inde collecta per Carol. de Graff.
52 *de effect. cleric. effect. 4. n. 167. cum seqq.* Giovagn. *cons.* 17. *lib.* 2. ubi late de Marin. *resol. 46. lib.* 2. ac habetur actum in proposito successionis bastardi legitimati ad fideicommissa aperta ante legitimationem in Bononien. fideicommissi de Nascentoriis sub tit. de fideicommissis,
53 & in decisione in ea causa edita 16. Januarii 1669. coram Carpineo, ex quibus, & aliis apud eos allegatis patet plures adhiberi distinctiones. Primo scilicet, an legitimatio facta sit ab ipso supremo Principe habente potestatem tollendi jus tertii, vel ab inferiore habente hanc legitimandi facultatem ex privilegio. Secundo, an legitimatio sit pura, vel potius cum clausula, *sine præjudicio venientium ab intestato*, expressa vel subintellecta per Constitutionem Pii IV. Tertio, an agatur de successione delata tantum, sed non agnita, vel etiam agnita de jure, non autem de facto, & absque possessione, & incorporatione cum reliquo patrimonio, vel e contra. Et quarto, an legitimatio fiat de consensu explicito, vel implicito ejus, de cujus successione agitur, cum aliis apud eos.

Mihi autem videtur istam quæstionem duplicem habere
inspectionem. Unam voluntatis Principis, vel alterius Su- 54
perioris legitimantis, seu dispensantis, an scilicet voluerit, necne gratiam concedere cum dicta operatione retrotractiva, & in præjudicium tertii, cui jus quæsitum, vel saltem delatum fuit, & an in gratia simpliciter concessa absque hujus voluntatis explicatione id subintelligatur, vel potius oppositum. Et alteram potestatis, quatenus talis voluntas explicita, vel implicita favore habilitati concurrat.

Quidquid autem sit de prima inspectione circa voluntatem, de quo habetur actum in dicta sua materia sub tit. de fideicommissis, præsertim in allegata Bononien. fideicommissi de Nascentoriis. Quatenus pertinet ad alteram potestatis, quæ proprie percutit materiam hujus Regaliæ tollendi jus tertii, quamvis DD. promiscue tractent dictos casus habilitationis clerici succedendi in feudis, ac forensis succedendi in bonis prohibitis, vel bastardi, ut jure legitimationis successiones fideicommissarias, seu alias testatas & intestatas obtineat. Attamen isti casus videntur singulariter, & distincte considerandi, cum plures distinctiones, quæ in proposito adhiberi solent, unis congruant, & aliis non, atque ita evitari posse videtur tanta contrarietas, quodque potius diversæ, quam contrariæ sint auctoritates, quæ desuper pugnare videntur.

Ideoque plures casus distinguendo. Primus est habilitationis clerici sæcularis, vel Regularis ad succedendum in feudis. Alter habilitationis forensium ex statuto inhabilitatorum ad acquirendum bona in loco. Tertius est
habilitationis ejusdem clerici ad succedendum in fideicom- 55
missis, vel aliis hominis dispensationibus clericorum exclusionem continentibus. Quartus legitimationis bastardorum ad effectum fideicommissariæ successionis. Et quintus ejusdem legitimationis ad effectum testatæ, vel intestatæ primæ successionis.

Quatenus pertinet ad primum; omnino plana videtur 56
potestas, quoniam quicquid sit de opinione volentium leges feudales clericorum inhabilitativas tamquam ecclesiasticæ immunitati contrarias habendas esse pro cassis, & irritis. Atque admittendo tamquam omnino veriorem, & receptam contrariam opinionem super talium legum validitate, ex iis, quæ præsertim habentur super hoc articulo in Messanen. Castrorum *sub tit. de feud. disc.* 54. Ratio cui hæc opinio innititur, ut ibi habetur, ac etiam bene ponderat de Marin. *dict. resol. 46. lib.* 2. *n.* 4. & 12. consistit in ipsius Principis, seu infeudantis voluntate, & favore, quod scilicet infeudare noluerit, nisi sæculares ejus subditos, & sic exclusio non provenit ab inhabilitatione resultante ab intrinseca natura, seu qualitate clericatus, minusque ab agnatorum sæcularium favore, sed a voluntate, ac favore ipsius Principis, vel infeudantis, qui etiamsi non sit supremus de jure non habens hanc Regaliam habilitandi inhabiles, ac derogandi legibus, adhuc videtur quod huic proprio favori renunciare valeat, suamque voluntatem declarare, cum non tollat jus alterius, sed solum jus suum remittat, ut ex Carol. de Graf. Genuen. Tappia, & aliis habetur apud Marin. *d. resol. 46. n. 3. cum seqq. & per tot.*

Idem in omnibus pariter de plano dicendum videtur in secundo casu habilitationis forensium, quoniam inhabilitatio non provenit a jure naturæ, vel gentium, minusque a jure positivo communi, aut ex favore, & privilegio
conjunctorum civium, sed a mera voluntate ipsius Prin- 57
cipis, qui voluit in sua ditione ita statuere, ac bonis sibi subjectis talem legem adjicere, unde propterea tollit solum quod est suum, atque nemini injuriam infert, neque alterius privari voluntas resistit restituendo solum rem juris communis dispositioni, ac naturali libertati. Et licet DD. discurrentes de hujusmodi statutis forensium inhabilitativis, an favorabilia, vel odiosa censenda sint, ponderent in eis favorem resultantem civibus ita recompensatis in aliis oneribus, quæ supportant, ex iis, quæ in proposito habentur in sua materia *sub tit. de successionib.* ac etiam

insinuatur supra *hoc tit.* in Urbinaten. collectæ *disc.* 77. occasione agendi de Statuto gravante forenses ad duplicatam collectam; Attamen dicitur hic favor accessorius, & consequutivus, ab ipso Principe ex ejus liberalitate elargitus, ideoque non aptus ad refrænandam ejus potestatem.

Super tertio autem habilitandi clericos, vel alios per testatorem ad fideicommissariam successionem inhabilitatos, aliquę major difficultas cadere potest, cum ita non solum
58 tollatur impedimentum ab ipso Principe ejusque lege illatum, sed etiam derogetur voluntati testatoris, ac legi, quam ille ejus bonis adjicere voluit, & sic in sensu aliquorum est lædere jus naturæ, vel gentium. Sed quamvis in isto casu magis circumspecte procedendum sit, istaque circumstantia sit causa reddendi hujusmodi gratias difficiliores; Nihilominus de potestate pariter illius Principis, qui habeat hanc majorem Regaliam derogandi juri positivo, dubitandum non videtur, ex eadem ratione, ob quam hodie receptum est, eumdem posse fideicommissis, aliisque defunctorum voluntatibus derogare, seu eas commutare, quod scilicet qualitas obligatoria fideicommissorum aliarumque ultimarum voluntatum proveniat magis a Jure positivo, quam a Jure naturæ, vel gentium, ut in proposito
59 Bullæ Baronum pluries ad illam materiam advertitur *sub tit. de feudis*, præsertim in Romana pecuniaria de Palavicinis *disc.* 74. & in Romana contributionis de Cesiis *disc.* 89. Imo non solum in fideicommissis, sed etiam in ipsismet testamentis, ac primis dispositionibus idem dici potest, quoniam antiquorum forte probabilior sententia est has dispositiones, utpote collatas in tempus inhabile, & quando defunctus, utpote annihilatus non est amplius dominus, operativas non esse, cum ita disponat de re non sua, & sic totum provenit a jure positivo. Et quamvis in aliquibus legibus civilibus disponi videatur juri naturæ congruere, ut testantium voluntates suum sortiantur effectum. Attamen id est per modum loquendi, & tamquam per assignationem rationis, ob quam lex positiva ita disposuit, non autem quod vere lex naturæ, vel gentium resistat, cum vere apud Romanos provenerit a legibus 12. tabularum, ad text. *in l. verbis, ff. de verbor. signif. cum concord.*

Super quarto casu legitimationis bastardorum ad effectum succedendi in fideicommissis, & majoratibus, intrat
60 distinctio per DD. tradi solita, num testator hoc personarum genus abborruerit, necne, & an fideicommittentis voluntas assistat, vel resistat, cum similibus, sed hæc omnia in ordine ad regulandam voluntatem legitimationis. Vel scilicet pro benigna, seu rigorosa interpretatione legitimationis simpliciter concessæ, vel ut gratia facilius, aut difficilius concedatur ob duplicitatem obstaculi, legis scilicet, & voluntatis testatoris, non autem in ordine ad potestatem, ex eadem mox insinuata ratione, quod totum provenit a jure positivo, cui Princeps dispensare potest.

Idemque in quinto casu ejusdem legitimationis ad effectum cujuscumque alterius testatæ, vel intestatæ primæ successionis, cum tota difficultas cadat super regulanda
61 Principis voluntate, dum de reliquo ista distinctio legitimorum, & illegitimorum, quodque uni sint capaces, & alii non, a subtilitatibus juris positivis, non autem ab illo, naturæ, vel gentium provenit. Idque admittendo etiam opinionem tamquam veram, quod matrimonium, a quo hæc distinctio per veritatem provenire videtur, sit de jure Divino, & naturali potius quam positivo, quoniam aliud est ipsius matrimonii substantia, aliud vero sunt isti effectus ex jure mere positivo, & civili manantes.

In proposito item hujus Regaliæ majoris derogandi juri tertii, quæri solet etiam per DD. An Princeps possit fa-
62 cere gratiam de delictis, seu ad compositiones admittere absque consensu, seu remissione partis offensæ, quasi quod alias sit tollere jus tertii, ac lædere legem naturæ, vel gentium. In hoc autem, quamvis apud DD. Regnicolas utriusque Siciliæ citra, & ultra magna habeatur difficultas, atque magis communiter sentire videantur, ut cessante causa publica, puta publicæ quietis, quæ alias a delinquentibus, & bannitis grave præjudicium patiatur, id fieri non possit, ut patet ex deductis per Afonte *de potestate Proreg. tit. de provis. fieri fecit.* §. 4. *n.* 6. *cum seq.* Mastrill. *de indulto generali p.* 2. Rovit. *pragm.* 2. *de composit. n.* 3. *& pragm.* 8. *n.* 18. *& pragm.* 2. *de abolit. n.* 76. & alios relatos per Sanfelic. *dec.* 53. Attamen hæc difficultas provenit a duplici circumstantia. Primo scilicet, quod ibi non agitur de hac potestate in ipso supremo Principe, sed ejus Vicario, seu Prorege. Et secundo ob illas Regias pragmaticas, & leges municipales.

In terminis vero generalibus, & juris communis, ac ubi agitur de ipso Principe, probabilis videtur distinctio late post antiquiores tradita per concivem Robertum Marantam *in praxi p.* 4. *dist.* 1. *verb. An sit judicium civile, vel criminale*, cum quo pertransit Sanfelic. *dict. dec.* 53. *in princ. & per tot.* quod scilicet, aut agitur de jure, vel interesse tertii bursali, puta ob damna, & interesse ex delicto resultantia, & tunc sine causa publicæ utilitatis, vel necessitatis hæc potestas saltem ordinaria non de facili admittenda sit, quoniam est lædere justitiam commutativam, ac violare jus naturæ, vel gentium. Aut de jure vindictæ, & punitionis criminalis, & tunc. Aut agitur de compositione, & hæc facilius admittitur, quoniam æquipollet sententiæ condemnatoriæ, ejusque speciem habet Farinac. *q.* 5. *n.* 4. *& per tot.* Spad. *cons.* 120. *n.* 4. *lib.* 1. Rot. in Romana locorum Montium 2. Maii 1667. Bourlemont. §. 2. Aut de gratia, & tunc licet aliqui magis dubitent, adhuc tamen verius est potestatem intrare, quoniam hoc dicitur jus Reipublicæ, non autem partis. Ideoque Princeps dicitur magis, ac principaliter interessatus. Et sic differentia num interveniat causa publica, necne, percutit potestatem circa remissionem juris, seu interesse civilis, & bursalis, quod ob causam publicæ utilitatis, vel necessitatis, & quietis etiam remitti potest, dum & ipsa privatorum bona dari possunt, ut supra. Est bene verum, quod in hac materia certa, & determinata regula tradi non potest, cum totum pendere videatur a regionum, & Principatuum stylis, & moribus, ac temporum, & accidentium contingentiis, & opportunitatibus. Distinctiones autem per Doctores traditæ satis attendendæ veniunt ad regulandam Principis, vel supremi Magistratus voluntatem magis, quam potestatem, eamque faciliorem, vel difficiliorem reddendum, ac regulandum ejus arbitrium a ratione, & principiis juris positivi, & naturalis; reliqua vero ad materiam in casuum occurrentia videri possunt apud allegatos.

ANNOT. AD DISC. CXLVIII.

Super ista facultate tollendi jus tertii, eique præjudicandi, incidenter agitur pluries in omni fere materia, & præsertim in Relatione Curiæ *disc.* 2. occasione agendi de potestate Papæ, *& tit. de fideic.* occasione agendi de derogationibus fideicommissorum, de quibus etiam *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum, eodemque tit. de feud. in annotat. ad disc.* 9. *& in aliis*, circa facultatem immutandi naturam feudi, & in coerigendi primogenituram, *& sub tit. de credito*, occasione agendi de privilegiis, quæ concedi solent in erectionibus montium, tollendo, vel suspendendo hypothecas anteriores, *& sub tit. de legitima*, occasione statutorum tollentium legitimam matri, cum similibus.

Quidquid enim sit de foro interno, de quo ex toties protestatis, meum non est agere. Quatenus pertinet ad forum externum, ea, quæ per Doctores in hoc ponderari solent, circa justam causam publicæ utilitatis, vel necessitatis, percutiunt diversos effectus, unum scilicet monitii ipsorum Principum, eorumque Consiliariorum, ut ab istius facultatis exercitio sine justa causa abstineant. Ad alterum judicibus pro regulando defectu subsequutionis, vel obreptionis, aut intentionis. Et alterum, ut idem Princeps, vel ejus successor, facilior reddatur ad revocandum id, quod ita gestum est, dum his seclusis, in iis, quæ percutiunt jus positivum, vanum hodie videtur in foro, & in Tribunalibus ipsiusmet Principis disputare de potestate.

SANCTI DONINI BONORUM VACANTIUM INTER ECCLESIAM,

SEU EPISCOPUM,

ET CAMERAM DUCALEM PARMÆ.

Votum in casu disputato in Sac. Congregatione Immunitatis.

Moriente clerico absque legitimo successore, cuinam debeatur successio in ejus bonis stabilibus, seu quæ pro stabilibus habentur, ac loco circumscribuntur. An fisco Principis sæcularis, vel potius fisco Ecclesiastico, sive ejus loco Ecclesiæ.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *De* consil. 17. Oldradi *super distinctione inter mobilia, & stabilia circa fiscum.*

3 *De*

3 *De observantia attendenda in hac materia, & de regionibus, in quibus viget pro fisco sæculari.*
4 *In bonis fisco sæculari responsivis, & tributariis illo succedit.*
5 *De responsionibus ad doctrinam* Abb. & ad dec. Rotæ 7. de testam. *in antiquis, & quomodo sint intelligenda jura deferentia Ecclesiæ successionem Clerici.*
6 *Votum proprium cum distinctione inspectionum.*
7 *Quod clerico morienti sine herede indistincte succedat Ecclesia, vel Episcopus, probatur auctoritate.*
8 *Probatur etiam per rationes, & de aliis, qui excludunt fiscum, licet non sint conjuncti remissive.*
9 *Successio intestata dicitur testamentum factum a lege ex præsumpta voluntate morientis.*
10 *In bonis clerici morientis non attenduntur statuta laicalia, sed jus commune.*
11 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
12 *Bona clericorum licet patrimonialia dicuntur ecclesiastica, & exempta ab oneribus laicalibus.*
13 *De alia ratione ob quam præsumitur clericum ab intestato decedentem velle, quod ei succedat Ecclesia.*
14 *Successio fisci in bonis vacantibus est de jure civili, ideo non ligat ecclesiasticos, & de ratione.*
15 *Respondetur ad* Oldrad. consil 17. *& aliis fundamentis fisci sæcularis.*
16 *Dominus directus præfertur fisco in successione, & de quæstione, an Barones, & Domini inferiores habeant hanc Regaliam remissive.*
17 *Declaratur, quando bona censita, vel tributaria cadant sub hac limitatione.*
18 *De consuetudine, de qua supra n. 3.*
19 *De differentia inter casum successionis fisci ob confiscationem ex delicto, & casum successionis in bonis vacantibus.*
20 *Episcopus, vel Ecclesia non succedit ratione territorii, & jure fisci, sed jure privato.*
21 *Quando intret quæstio territorii in hac materia successionis, vel confiscationis.*
22 *De territorio Episcopi remissive.*
23 *Quod Papa habeat fiscum, & territorium in toto mundo.*
24 *Damnatur distinctio inter clericum beneficiatum, & non beneficiatum.*
25 *Reprobatur item distinctio inter bona patrimonialia, & quæsita ratione beneficii, vel clericatus.*

D I S C. CXLIX.

1 CUm de mense Maii 1667. Bernardinus Butterius presbyter originarius villæ Busseti obiisset submersus aqua fluminis Brentæ, nullo condito testamento, absque legitimo successore ab intestato, ipseque possideret aliqua bona stabilia in ejusdem villæ territorio existentia, necnon quosdam census, ac etiam aliqua mobilia, & nomina debitorum, orta est controversia super successione hujusmodi bonorum vacantium, quoad stabilia tamen, & census, inter Episcopum, & Cameram Ducalem. Atque re delata ad Sacram Congregationem immunitatis.

2 Curiales pro Camera Ducali scribentes, curiali vere incomparabili stylo, paucis restringendo ea, quæ nimium fuso calamo juxta eatetum prolixum, ac superfluum stylum deduxerant plures Juristæ, & morales pro eadem Camera respondentes, procedebat cum distinctione tradita per Oldrad. *conf.* 17. quod apud laicos reputatur in materia magistrale, inter bona stabilia, quæ loco circumscribuntur, & mobilia, ac nomina debitorum, quæ non circumscribuntur, sed sequuntur personam, ut in hac ultima specie, clerico nulli particulari Ecclesiæ addicto, succedat Episcopus, sub obligatione juxta unam opinionem distribuendi in pauperes aliosque pios usus pro anima defuncti. In altera vero specie succedere debeat fiscus Principis sæcularis, assignata ratione, quod illa sequi debent dominum territorii, in quo sita sunt, retento præsupposito, quod Episcopus non habeat territorium, seu jus territoriale. Et cum qua distinctione procedunt, agendo in clericis, ac sequendo dictum conf. Oldradi prob. ad Monadh. *in cap. cum secundum de hereticis in 6. n. 8. & 9.* Lopez *in cap. per vestras in rubr. §. 39. n. 9.* Boss. *in pract. crim. tit. de publicat. bonorum n. 64.* Cavalcan. *dec. 15. n. 3. part. 2.* Bajard. ad Clar. §. *fin. quæst. 80. n. 2.* Peregr. *de jur. fisci lib. 1. tit. 2. n. 130. & lib. 4. tit. 3. n. 10.* Et cum qua distinctione relato simpliciter Oldrad. *dicto conf.* 17. procedit etiam, licet indigeste, & articulo non examinato, modernus Corriada *dec. 26. n. 33.*

Magnum etiam fundamentum constituendo in præsup-
posita observantia, quam dicebant verisimilem, stante quod
illa talis alibi esse solet, ut de illa Regnorum Hispaniæ, 3
& Galliæ, Alpharus *de off. fisci gloss. 20. §. 9. de bonis
vacantibus n. 141.* & de illo Hispaniæ, Covarr. *lib. 2.
var. cap. 9. n. 12. & in cap cum in officiis n. 9. de testa-
mentis*. Et de illa Status Veneti, Peregr. *d. lib. 4. tit. 3.
n. 10. in fine*. Fortius vero respectu aliquorum bonorum
stabilium, quæ supponebantur tributaria, seu livellaria
Cameræ, ex gloss *in cap. quia diversitatem, verbo præ-
ter de concess. prabend.* & aliis, de quibus Boss. *dicto tit.* 4
de publicat. bonorum n. 18. & 53. Bursatt. *conf. 43.* Carol.
de Grass. *eff. clerical. 31. n. 7.*

Et ad doctrinam Abbatis *in cap. 1. de successionibus ab
intestato n. 4.* ac auctoritatem Rotæ *dec. 7. de testam. in an-
tiquis*, in quibus credebant consistere totum Episcopi, seu 5
Ecclesiæ fundamentum. Respondebant Abbatem loqui du-
bitative, Rotam vero fundari in aliquibus juribus intel-
ligendis de bonis quæsitis ex beneficiis Ecclesiasticis, seu
alias Ecclesiæ, vel clericatus intuitu, atque super hoc ni-
mium se diffundebant scribentes de partibus præsertim mo-
rales, de quorum numero erat Bordonus auctor consilio-
rum, seu resolutionum moralium, & quorum aliqui im-
modeste loquebantur de auctoritate Rotæ *dict. dec. 7.* Ponde-
rando præsertim textum *in cap. quicumque 12. q. 3. &
cap. 1. de success. ab intestato, ac etiam in l. si quis pres-
byt. C. de Episc. & Cler. & §. interdicimus auth. de Eccl.
titulis*, quod in eis omnibus supponatur clericus alicui
particulari Ecclesiæ, seu Altari addictus, quod dicebant
non verificari in isto de cujus successione agebatur nul-
lum habente ecclesiasticum beneficium, nullique Eccle-
siæ, vel Altari addicto.

Super his autem per unum ex dictæ Sac. Congregatio-
nis Cardinalibus pro veritate consultus. Quoad bona in- 6
differentia, quæ non essent dictæ Cameræ Ducalis feuda-
lia, vel emphyteutica, seu livellaria, aut censita, quo-
ties non legitime, ac servatis servandis non probaretur
consuetudo specialis, fui in voto, quod contra dictam
Cameram respondendum esset. Ad quod clarius, ac me-
thodice probandum tres constituebam inspectiones. Unam
in parte auctoritativa, seu doctrinali, firmando cum au-
ctoritatibus hujusmodi successionis competentiam ad fa-
vorem Ecclesiæ, seu Episcopi in exclusionem fisci sæcu-
laris. Alteram in parte ratiocinativa, seu discursiva, quæ
ex genio, & stylo mihi magis cordi esse solet, idem
scilicet probando per rationes, & principia. Et tertiam
respondendo objectis, seu fundamentis fisci sæcularis.

Quatenus igitur pertinet ad primam, dicebam casum
videri extra controversiam, utpote litteraliter, & expres- 7
se decisum, per text. *in d. l. si quis presbyter 2. Cod. de
Episcop. & Cleric. & §. interdicimus auth. de Eccles. ti-
tulis, & cap. 1. de success. ab intestato*, ubi absque alia
distinctione firmatur, ut decedentibus clericis absque pa-
rentibus, aliisque legitimis successoribus Ecclesia succedat,
& per quæ jura ita firmant ibidem communiter civilistæ
& canonistæ, ut agnoscit idem Peregr. *d. lib 4. tit. 3. n.
10.* & generaliter absque dicta distinctione firmant anti-
quioribus relatis, Carol. de Grass. *d. effect. 31. n. 7.* ubi
solum limitat in bonis feudalibus, seu alias de alieno
directo dominio, Bellet. *disquisit. clerical. tit. de bonis
clericorum §. 14. n. 2. cum seqq.* Fagnan. *in cap. presbyteri
de pœnis n. 8.* ubi pertransit cum dicta auctoritate, Ro-
tæ *dec. 7. de testam. in antiquis*, Barbos. *in collectan. ad
d. textum in l. si quis presbyter*, licet juxta stylum refe-
rat in confuso DD. hinc inde, nihil discurrendo, solum-
que *n. 7.* referendo difficultatem excitatam per Valasc. *al-
leg. 57. par. 2.* an id procedat solum in clericis in sacris,
vel etiam in minoribus ex novissimo jure Concilii Tri-
dentini. Cumque dicta jura, dictæque auctoritates lo-
quantur in specie, & de casu præciso successionis bono-
rum vacantium ex defectu legitimi hæredis, hinc abso-
lutum dicebam fere omnes auctoritates huic parti assiste-
re, cum in contrarium alia non adsit, quæ percutiat eos-
dem terminos præcisos, nisi illa Peregr. *dict. lib. 4. tit.
3. n. 10.* ubi loquitur de proprio judicio sine aliqua au-
ctoritate, vel ratione, aliæ siquidem percutiunt diversum
casum confiscationis ex delicto.

Quo vero ad alteram partem discursivam, seu ratioci-
nativam, clarius id probari dicebam ex pluribus funda-
mentis. Primo, quia si habemus in jure juxta unam

opinionem, ut tutor, vel alius administrator, seu educator in exclusionem fisci succedat pupillo, ac hospitale succedat infirmo ibi morienti. Et magis ad rem, ut militi alicujus cohortis succedant cohortales, sive cohortis nomine Dux, atque alicui de Collegio succedant collegiales, cum similibus, de quibus gloss. *magistralis in l. 1. C. de bon. vacan. lib.* 10. bene Alexan. *conf.* 31. *n.* 3. *circa finem lib.* 3. & cæteris relatis, Borell. *de præstantia Regis Catholici cap.* 14. ubi late agit de hoc jure Regali bonorum vacantium, Multo magis dicendum est Ecclesiam, seu ejus nomine Episcopum succedere Clerico, cum Clericus præsertim in sacris, ut erat iste, dicatur absque dubio miles
8 ecclesiasticæ militiæ adscriptus, & de cohorte, seu Collegio, aut Congregatione alicujus particularis Ecclesiæ, vel saltem de illa diœcesi. Observando potissime, *quod d. gloss. magistralis in l. 1. C. de bon. vacan.* ad probandum, quod Collegium succedat collegiali in exclusionem fisci, allegat in specie d. text. *in l. si quis presbyter, Cod. de Episcop. & Cler.* quem etiam allegat Alexan. *dict. conf.* 31. *num.* 3. *in fin. lib.* 1.

Secundo, quia intestata successio deferri dicitur ad personas per legem vocatas ex præsumpta voluntate morientis, pro quo lex ita testatur, quasi quod negligendo facere testamentum, ac eligendo decedere intestatus, ita
9 testari voluerit juxta successionis ordinem a lege præscriptum. Et ex qua ratione Rota sequitur opinionem, ut in bonis Clerici ab intestato defuncti attendi non debeant
10 statuta laicalia, quamvis de tali successione contendant solum laici statuto subditi, quasi quod præsumatur Clericum voluisse decedere, atque testari potius juxta dispositionem juris communis, cum quo ipse vivebat, quam cum jure statutario, a quo exemptus erat, ut apud Othob. *dec.* 149. in Tudertina successionis 29. Maii 1651. cor. Melzio *dec.* 256. *p.* 11. *rec.* & pluries in aliis enunciatis in sua materia *sub tit. de success. ab intestato*, ac etiam
11 sub altero *de testamentis*; Quicquid enim sit de veritate hujus assumpti, quoties agitur de statutis se conformantibus cum jure antiquo, medio, & novo Romanorum excludente masculos propter fœminas, seu agnatos propter cognatos, solumque deviantibus a jure novissimo Authenticorum, quod est magis Græcorum, quam Romanorum, Italorumque moribus parum adaptatum, unde propterea dicta Rotæ opinio non placet, ex iis, quæ pluries habentur dicto utroque *tit. de success. ab intestato, & de testamentis*. Certum tamen, ac absolutum videtur isto casu, præsumptam Clerici morientis voluntatem assistere magis Ecclesiæ, ac piæ causæ, in quam ejus bona erogari debent, quam fisco Principis sæcularis, ut ad sæculares.

Tertio, quoniam quicquid aliqui civilistæ, vel sæculares dubitaverint, hodie receptissimum, ac extra quæstionem
12 est, etiam bona patrimonialia Clericorum, seu alias, quam Ecclesiæ Clericatus occasione quæsita, excepto casu mercaturæ, sequi conditionem personæ, atque censeri jure bonorum ecclesiasticorum, tam ad effectum fori, quam etiam exemptionis a vectigalibus, aliisque oneribus, quæ non sint fixa, perpetua, & mere realia juxta celebres decisiones in Brundusina gabellæ coram Penia, & in Alben. gabellæ coram Merlino, in Hydruntina coram Celso, & in aliis, de quibus frequenter in materia gabellarum, & vectigalium *hoc eod. tit.* Ideoque cum successio in eisdem bonis normam, seu regulam suscipiat in ipso instanti mortis Clerici, penes quem ita ex legis fictione, donec ad alterius successoris dominium transeant, quodammodo bona continuare dicuntur, consequenter illa jure ecclesiasticorum magis, quam sæcularium regulanda videntur.

Et quarto, quia cum juxta sensum Abbat. *in d. cap.* 1. *de*
13 *success. ab intest. n.* 4. cum quo scribentes magis communiter pertranseunt Episcopus teneatur piis usibus talia bona distribuere, ita resultat, quod erogantur in suffragium animæ morientis, quod etiam resultaret, si ipsi Ecclesiæ acquirantur, & consequenter intrat præsumpta ejusdem morientis voluntas, ita disponendi magis, quam ut bona transeant ad fiscum sæcularem. Et licet hæc præsumptio generaliter militet in quocumque Christiano, quem præsumere debemus sollicitum de salute, ac suffragio ejus animæ, attamen in laicis obstare videtur ratio majoris subjectionis legibus sæcularibus hanc successionem fisco deferentibus, quoties ipsi expresse in contrarium non disponunt.

Item ista successio fisci non provenit a jure divino, naturali, vel gentium, sed a mero jure civili in *l.* 1. *Cod. de*
14 *bon. vacant. lib.* 10. *cum concordan.* Dictum autem jus juxta legalem historiam sæpius enunciatam, præsertim vero magis ex professo in Neapolitana *sub tit. de servitutibus disc.* 1. post ejus casualem inventionem de recenti sequutam obligat. Vel juxta unam opinionem ex decretis Imperatoris Occidentis. Vel juxta aliam probabiliorem, quia usu & moribus communiter est receptum, non est autem obligatorium ecclesiasticorum, nisi quia per sacros Canones in *cap.* 1. *de novi operis nunciat.* & alibi ita statutum sit, ut scilicet, ubi sacri Canones in littera, vel ratione non adversantur, leges civiles attendi debeant etiam in foro ecclesiastico, & inter clericos. Et sic obligat ex approbatione, & auctoritate Papæ, quem dicendum non est approbare voluisse istas leges disponentes de bonis vacantibus ad favorem fisci sæcularis, dum apud sacros Canones in *cap.* 1. *de success. ab intest. cum concord.* Ecclesia supponitur hæres Clerici, potissime dum eodem jure civili ita quoq; statutum est *in d. l. si quis presbyter, & in d. §. interdicimus auth. de Ecclesiasticis tit.* ipsorum etiam canonum ratione, ac verisimili Pontificum contraria voluntate idem clare suadentibus.

Demum quoad tertiam inspectionem respondendi ad fundamenta in contrarium ponderata, quatenus pertinet ad dictam majorem auctoritatem Oldradi *conf.* 17. præsupposito etiam ex abundanti, quod ipse in casu suo bene lo- 15
quatur, adhuc tamen cessat applicatio ad casum ex triplici circumstantia; Primo scilicet, quoniam loquitur de bonis censitis, seu livellaris, quorum directum dominium supponitur spectare ad ipsum fiscum, seu Principem sæcularem, quo casu ipsemet textus *in d. l. si quis presbyter*, clare decidit non intrare successionem in bonis vacantibus, sed illam debitam esse domino directo, tamquam domino, non tamquam fisco, & sic jure reversionis, seu consolidationis, potius quam successionis in bonis vacantibus, juxta ea, quæ late, & ex professo in proposito habentur in Tusculana bonorum vacan- 16
tium *sub tit. de feudis disc.* 72. ubi disputata quæstione, an hujusmodi jus Regale competat, necne Baronibus, seu Dominis inferioribus altum dominium, ac jura supremi imperii non habentibus pro Barone, seu domino loci deciditur, non ratione Regaliæ, sed ratione dominii soli, ideoque in hac facti specie eram in voto, quod ex d. ratione pro Camera Ducali respondendum esset in illis bonis, in quibus verificaretur dictorum scribentium præsuppositum, quod 17
essent dictæ Cameræ redditiria, seu tributaria, dummodo esset redditus, seu tributum, quod redolens speciem canonis, vel census, aut livelli, præseferret dominium directum, & originariam concessionem ipsius Cameræ, juxta terminos dicti textus *in l. si quis presbyt.* Secus autem, si essent tributaria ratione alicujus oneris laicalis per Principem ab antiquo impositi, quod dici posset perpetuum, uniforme, & mere reale, ita ut etiam in clericum transiret juxta distinctionem, de qua in sup. allegatis Brundusina, Alben. & Hydrunt. coram Penia, Merlino, & Celso cum similibus, quia tunc non intrat dicta ratio dominii directi, & consolidationis.

Secundo, quia *Oldradus* loquitur de Regno Franciæ, ubi 18
supponitur talem adesse consuetudinem legitime inductam, ut supra in objectis advertitur, de qua in præsenti non docebatur, ideoque absque necessitate assumendi inspectionem super hujus consuetudinis requisitis, & quando hæc diceretur legitime inducta, necne, cessabat quæstio ex facto, cum darentur aliqui casus absque dubio non concludentes ad perfectam probationem.

Et tertio clarius, quoniam Oldrad. loquitur de confiscatione propter delictum, in quibus etiam terminis, excepto Peregr. *d. lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 10. qui descendit ad hanc speciem, sed est singularis nullam adducens auctoritatem, vel rationem, loquuntur cæteri omnes, qui ex parte Cameræ Ducalis allegabantur, adhibentes dictam distinctionem inter mobilia, & immobilia, quæ respective cohærent territorio, vel personam sequuntur; Maxima vero diffe- 19
rentia est inter unum casum, & alterum, Tum quia in illo successionis in bonis vacantibus habemus favore Ecclesiæ clatam dispositionem utriusque juris canonici, & civilis, ut supra, quæ non habetur in alia specie confiscationis propter delictum; Tum clarius, quoniam Ecclesia, vel ejus nomine Episcopus in isto casu bonorum vacantium ob defectum legitimi successoris, non succedit jure fisci, sed vel ex præsumpta mente morientis, vel ex eadem ratione, ob quam Collegium succedit collegiali, cum similibus, de quibus ex magistrali gloss. *in d. leg.* 1. *C. de bonis vacant. lib.* 10. Alex. *d. conf.* 31. *n.* 3. *in fin. lib.* 1. & latius Borell. *de præstantia Regis Catholici dict. cap.* 14. *a num.* 17. *ad* 42. *cum seqq.*

Hinc proinde in hoc proposito extranea remanet inspectio, an Episcopus habeat, necne fiscum, vel territorium,

rium, dum non jure fisci, seu jure territoriali succedere dicitur, sed tanquam privatus successor privilegiatus excludens fiscum, eodem modo, quo istum excludunt alii quamvis non conjuncti ut supra: Unde in hac parte aliquo æquivoco laborare videtur d. Rotæ decisio 7. *de testam. in antiquis*, dum istos fisci terminos adhibet; Et consequenter, inhærendo nimium laudabili Curiæ stylo abhorrenti superfluas evagationes semper damnabiles, sed stricte immoranti super præciso casu, de quo est quæstio, (licet quandoque moderno tempore ab hoc adeo commendabili
21 stylo deviari soleat) assumendam non censui inspectionem, an Episcopus habeat fiscum vel territorium necne, utpote cadentem in dicto alio casu confiscationis propter delictum, occasione controversiæ inter plures diversos Principes seu Dominos temporales, in quorum respective dominius ille qui bonorum publicationem patitur, illa possideret, juxta originalem quæstionem tractatam per Jacobum de Ravenna, Guglielmum de Cuneo, Cinum, Bartolum, Baldum, & alios *in leg.* 1. *Cod. de summa Trinitate* exemplificantes in eo Bononiensi, qui possideret bona in territorio Mutinensi, vel contra, ut per Alex. *d. consf.* 34. *lib.* 1. *n.* 4. Clar *in praxi criminal.* §. *finali q.* 78. *n.* 27. Rosenthal. *de feud. cap.* 5. *conclus.* 52. *in glos.* Ripoll. *de Regal. cap.* 9. *n.* 20. *cum seqq.* cum aliis apud Merlin. *dec.* 425. quæ videtur in materia magistralis cum aliis de quibus infra *disc.* 160. Et sic supponitur territoriorum diversitas materialis & de facto, vere non cadens in casu quo agatur de clerico ejusdem Civitatis vel loci, in quo
22 Princeps sit dominus territorii in temporalibus, atque Episcopus habeat legem diœcesanam passim in jure explicari solitam cum terminis territorii spiritualis, ex deductis satis frequenter *sub tit. de jurisdictione*, præsertim in Toletana *disc.* 1. cum non implicet dari ejusdem territorii duplex dominium diversis respectibus.

Verum ubi de jure territoriali Episcopi dubitari posset, adhuc respectu clericorum extra controversiam remaneret jus territoriale Papæ in toto mundo cum jure fisci quoad
23 personas Ecclesiasticas, ac etiam quoad sæculares in causis Ecclesiasticis & spiritualibus, cum sola quæstio cadat quoad personas sæculares in rebus & negotiis mere temporalibus, juxta omnino veram & apud Catholicos non controvertendam opinionem, de qua ita ut supra distinguendo agunt, Dec. & Navarr. *in cap. novit. de judic.* Molin. *de just. & jur. tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 29 Restaur. Castald. *de Imper. quæst.* 50. Marta *de jurisd. part.* 1. *cap.* 57. *& seqq.* Diana *tom.* 1. *resol.* 121. & Ceteri plene collecti per *addit. ad dec.* 2. *part.* 3. *rec.* & quam circa annum 1650. solemniter canonizavit, atque omnino tenendam censuit Sacra Congregatio universalis inquisitionis, damnando atque hæreticam declarando propositionem, ex ignorantia forte magis quam studiose & ex malitia, deductam in quadam anonyma scriptura, quod Papæ jurisdictio etiam quoad personas & causas Ecclesiasticas esset in personis absque territorio.

Inepta vero videbatur distinctio, quæ ex parte dictæ Cameræ Ducalis adducebatur inter clericos beneficiatos & non beneficiatos, seu alicui Ecclesiæ addictos vel non,
24 cum textus *in d. leg. si quis presbyter*, ita exemplificative seu demonstrative magis quam taxative loquatur: Ac etiam quia etiam clericus non beneficiatus certæque Ecclesiæ non addictus, adhuc tamen absque dubio adscriptus est ipsi cœlesti seu clericali militiæ, ac dicitur de legione seu cohorte illius Civitatis seu diœcesis, ac de illorum clericorum Collegio: Potissime vero ex jure novissimo Sac. Conc. Trident. per quod decernitur aliquem clericali tonsura initiandum, alicujus Ecclesiæ servitio per Episcopum adscribendum esse, unde propterea istud est unum de requisitis necessariis ad privilegium fori, quando deficiunt ordines sacri vel beneficium Ecclesiasticum, ideoque ad hunc effectum ista circumstantia considerabilis est, pro concursu scilicet requisitorum Concilii in clerico in minoribus. Et sic esse clericum morientem adscriptum vel non adscriptum alicui Ecclesiæ percutit pertinentiam successionis illius Ecclesiæ particularis exclusive ad Episcopum vel Ecclesiam formalem in genere, non autem ut aperiat locum fisco sæculari.

Magisque inepta & vere irridenda mihi videbatur altera distinctio inter bona patrimonialia, & alia Ecclesiæ, seu
25 clericatus intuitu quæsita, quasi quod jura tam civilia, quam canonica superius recensita clerici successionem Ecclesiæ deferentia, de secunda non autem de prima specie disponant ac intelligenda sint; Hoc enim est æquivocum manifestum, quoniam textus *in d. leg. si quis presbyter, C. de Episcopis & clericis* defert Ecclesiæ successionem subsidiariam tanquam in bonis vacantibus in defectum parentum aliorumque proximiorum gradus successibilis, & sic adinstar illius successionis, quæ prælative ad fiscum conceditur Collegio in bonis collegialium cum similibus, dum ut supra ponderatum est, *d. glos. magistralis*, cum qua cæteri pertranseunt, agendo de successione Collegii in bonis collegialium adducit hunc eumdem textum; Hoc autem prorsus vanum est applicari bonis Ecclesiæ vel beneficii intuitu seu occasione quæsitis, cum in istis clericus quamvis habens parentes seu fratres, aliosque legitimos successores in dicto textu recensitos, habeat ipsam Ecclesiam hæredem necessariam, etiam cum prohibitione testandi, seu alias, dum infirmus est disponendi, & in quibus bonis ex Constitutionibus Julii III. aliorumque Pontificum intrat spolium ad commodum Cameræ Apostolicæ, ex iis quæ habentur per Rednan. & alios in particulari tractatu de spoliis clericorum & per Rotam apud Celsum *dec.* 65. & apud Rojas *dec.* 280. & 214. Igitur manifestæ fabulæ species est dictorum jurium dispositionem istis bonis applicare, sed pernecesse intelligenda sunt de bonis patrimonialibus seu alias temporalibus, quorum libera disponendi facultas competat, & quorum intestata successio juxta ordinem juris sit conjunctorum, quatenus adsint, potius quam Ecclesiæ; Unde textus in dicto *cap.* 1. *de success. ab intest.* nihil disponit ad favorem Ecclesiæ, sed solum declarat ut illud jus quod Ecclesia habet succedendi in bonis clericorum etiam privative ad parentes & conjunctos non procedat in patrimonialibus vel alias quam Ecclesiæ & clericatus occasione quæsitis. Atque hanc concludebam mihi videri genuinam veritatem, exceptis tantum bonis feudalibus, emphyteuticis, seu alias livellariis vel responsivis ratione dominii directi ut supra, Adhuc tamen pendet resolutio.

ANNOTAT. AD DISC. CXLIX.

Super ista quæstione disputata in Congregatione Immunitatis sub die 26 Augusti 1669. plenis, & concordibus votis, prodiit resolutio, juxta præmissa ad favorem Ecclesiæ, adeout ministri Cameræ Ducalis acquieverint, (quod sciam;) Et quamvis inter multos scribentes pro Camera, quidam notabilis relatus *in discursu n.* 5. edito isto Regalium volumine, visoque isto discursu, pro defensione (ut ipse dicebat) suæ distinctionis, admodum copiosum, & elaboratum ediderit Responsum impressum, in specie contra hunc discursum, quod per universam fere Italiam distribuit, & præsertim nobis in Curia idem auctor, Quinimo illud cum nimia urbanitate transmisit, nimiumque probabile est, quod illud, quod inter alia ejus opera publicæ luci sit daturus (si hucusque non dedit,) Attamen assumere nolui provinciam ei replicandi, retinendo propositum insinuatum in proœmio hujus Supplementi, quod scilicet, cum meum institutum non fuerit, ad propriam inanem gloriam, vel ostentationem, istos publicæ luci edere labores, minusque proprias mordicus sustinere opiniones, sed solum veritati, & justitiæ inservire, illasque eo, quo fieri potest modo inquirere ad publicam utilitatem, ac posteritatis instructionem; Hinc proinde eidem cum debita urbanitatis correspondentia, respondi, clarum fuisse, ut pro eodem a me desiderato fine, ita melius veritas cribraretur, insinuando tamen, quod si credebat meliorem esse propriam opinionem, curaret illam canonizari ab eadem Congregatione, mediante recessu a resolutis.

Reflectendo autem denuo ad casum, non obstantibus multis ejusdem scribentis ponderationibus, adhuc probabilis, beneque fundata visa est resolutio, cum responsiones in eadem scriptura contentæ non elidant solida fundamenta, quibus resolutio est innixa, præterquam ubi intraret illa ratio, de qua in his terminis habetur *sub tit. de feud. disc.* 72.

Quamvis vero pertineat ad casus incidenter in discursu insinuatos super successione Collegii, vel Congregationis, sive Hospitalis, in exclusionem fisci; Vera, nimiumque probabilis videtur distinctio, pariter insinuata, an scilicet mors in Hospitali proveniat accidentaliter, quia nempe ad illud accesseris infirmus, gratia curationis, vel potius sequuta sit ob continuam moram, & addictionem pro tempore vitæ, ut contingit in Hospitali senium, & mendicantium Urbis sub nomine Sancti Sixti, de quo agitur supra *disc.* 79. 80. & 81. sive sunt Orphano-

notrophia, & similia, Hospitalia, vel Collegia, quæ recipiunt pueros, & puellas orphanas, vel dispersas, cum similibus, cum tune Hospitale dicatur esse loco parentis; Istoque casu intrat successio in exclusionem fisci, non autem conjunctorum; Nullatenus autem in primo modo solum accidentali, qui non inducit mutationem domicilii, justa ea, quæ habentur *sub tit. de Paroch. disc. 23. & 38.* cum isto casu ex quadam consuetudine generali, Hospitale succedere soleat in illis pecuniis, & vestibus, quas secum ferunt.

Eademque distinctio adhibenda videtur in Collegiis, & Congregationibus, quod scilicet ad hunc effectum non sit considerabilia accidentalis adscriptio alicui Collegio, vel Congregationi occasione professionis, vel artis, sive ea causa devotionis, sed quando sit addictio formalis pro toto tempore vitæ, ut (ex. gr.) sunt Presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, vel sunt illæ mulieres, quæ in figura Monialium vivunt in Conservatoriis, juxta casum, de quo *sub tit. de jurisdict. disc. 45. & sub tit. de Regal. disc. 50. & alibi*, sive sunt milites illarum Ecclesiasticarum militiarum, in quibus professio Regularis non emittitur, juxta casum, de quo *tit. de jurisd. disc. 92.* ad quod conferunt, & quæ in proposito militum, vel servientium alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, seu Religioni habentur *sub eod. tit. de jurisd. disc. 4. & 33. cum similib.*

ROMANA HÆREDITATIS DE RIVALDIS PRO MONASTERIO PUELLARUM MENDICANTIUM CUM PAULO LUDOVICO RIVALDO.

Casus disputatus coram Arbitris.

An officium Prælatitium venale acquisitum per filium familias præsumatur quæsitum de pecunia patris, Et quatenus hæc præsumptio, seu etiam probatio intret, An dictum officium, vel pretium in ejus acquisitione erogatum censeatur donatum, itaut veniat, necne in collatione, sive in imputatione.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Officium emptum per filiumfamilias in dubio non præsumitur emptum de pecunia patris.*
3 *Contrarium cum distinctione.*
4 *De acquisitionibus factis per Tutores, Administratores, & Officiales.*
5 *Generaliter de acquisitionibus factis per filiosfamilias.*
6 *An pater emendo officium in persona filii, censeatur illi donasse pretium erogatum.*
7 *De potestate patris volentis hoc pretium imputari filio in legitimam remissive.*
8 *Decreti reservatio super officio quando detur, & quando non.*
9 *De ratione ob quam officium habens annexam prælaturam non imputatur, sed censetur donatum.*
10 *Pretium tituli, seu dignitatis super feudo non venit in collatione cum secundogenitis.*
11 *Donatum filio in causam primogenituræ non imputatur.*
12 *Ista est quæstio voluntatis pro facti qualitate decidenda, & de materia remissive.*

D I S C. CL.

1 CUm Gaspar Rivaldus, ultra filias fœminas tres haberet masculos, nempe Balthassarem, Paulum Ludovicum, & Ascanium, atque hic ultimus Clericus suscepta Prælatura Referendarii utriusque Signaturæ, ipso patre vivente, acquisisset officium venale Regentis Cancellariæ valoris circiter scut. 10. millium, Ad aliquos autem annos sequuta dicti Gasparis morte, adhuc durante magno appaltu Dohanarum Urbis, casus dedisset, quod ad instantiam Cameræ pro residuo census debiti ex causa dicti appaltus, nedum omnia bona stabilia, sed etiam istud officium vendita essent; sequuta demum post mortem Balthassaris etiam illa Ascanii, scripto hærede in notabili asse Monasterio, seu Conservatorio puellarum mendicantium, cujus ipse quodammodo fundator dici potest, Paulus Ludovicus alter frater superstes litem movit, prætendendo, Vel dictum assem esse communem, Vel quod cum dictus Ascanius de bonis paternis in pecunia, & mobilibus consistentibus majorem habuisset partem, illi supplere deberet propriam portionem, juxta ea, quæ desuper acta habentur in hac eadem causa *sub tit. de herede, & hereditate*; Qua vero ex parte Monasterii rei conventi dicebantur, quod ubi etiam constaret ad manus dicti Ascanii de pecuniis, & bonis communibus paternis plus obvenisse, id compensandum erat cum pretio officii, quod in causam communem per Cameram, ut supra distractum fuerat; Hinc proinde coram tribus Prælatis arbitris concorditer electis, coram quibus hujusmodi disputationes habitæ fuerunt, cum exitu de quo *sub dict. tit. de herede & hereditate, &c.* assumpta fuit hæc disputatio, An scilicet hoc officium dicendum esset proprium ipsius Ascanii, vel potius spectaret ad communem paternam hereditatem, itaut nullum jus peculiare competeret ipsi officiali.

In hac igitur disputatione, scribens pro dicto Monasterio tamquam Advocatus pro sustinenda dicta excitata prætensione, duas constituebam inspectiones, Unam, an constaret officium prædictum emptum esse de pecunia paterna, Et secundo, quatenus de hoc constaret, An tale pretium censeretur filio donatum absque eo, quod veniret in collatione, & respective imputatione in propriam portionem hæreditariam, atque utrumque negando.

Quatenus pertinet ad primam, cum in materia habeantur celebres decisiones in Bononien. pretii Clericatus cor. Pirovano, & Vitili *impress. dec. 660. & 679. part. 4. rec. tom. 2.* & coram Merlino *inter suas dec. 272. repet. par. 2. rec. disc. 54.* istas pro certo sciens in contrarium de- 2
ducendas esse, utpote in Curia notorias, potius retorquebam, quoniam non obstante, quod appareret de quietantia pretii soluti per patrem declarantem solvere de propriis pecuniis, plura ponderata fuerunt adminicula, ut advertitur præsertim *d. disc. 679. n. 1. & seqq.* & apud Merlin. *d. dec. 273. alias 34. par. 5. n. 1. & 2.* quoniam nihil in præsenti concurrebat, unde propterea inferebam iuris habitum pro absoluto, solam juris præsumptionem non sufficere militantem in acquisitionibus, quæ fiunt per filiosfamilias, sed alia extrinseca adminicula requiri.

Verum reflectendo ad veritatem ab initio agentibus pro Monasterio libere insinuatam, satis dubitabam de motivo ex facti circumstantiis, cum ageretur de filiofamilias pene adolescente, non industrio, & in quo nulla 3
alia concurrebat causa, unde tam notabilis summæ acquisitio provenire potuerit; Quicquid enim sit de illa possibili acquisitione ex ignoto fortunæ beneficio in tutoribus ad excludendum delictum admissa, per textum in *l. si defunctus, C. arbitrium tutelæ*, cujus dispositionem
4 D. extendunt ad quoscumque administratores, & aliena negotia gerentes, seu officiales, ex plene collectis per Cyriac. *controv. 91. in princ.* & Surd. *dec. 15.* Melius vero id impugnant in officialibus, præsertim justitiæ administrationem habentibus, Aponi. *de potest. Proreg. tit. de elect. official §. 7. n. 6. cum seqq.*

Attamen quatenus pertinet ad acquisitiones factas per filiosfamilias, vera & recepta distinctio est, quod aut agitur de filio industrio, in quo verisimilis causa acquisitionis concurrat, & fortius si non habeat patrem opulentam, & tunc acquisitiones censeantur propriæ, Aut e converso de filio non industrio, minusque alias acquisitionis occasiones habente, cujus pater econtra 5
sit dives, & tunc secus, ut plene antiquioribus allegatis, Becc. *consil. 113. num. 9. & per tot.* Paschal. *de patr. potest. part. 1. cap. 2. num. 24.* Rota *dec. 420. numer. 9. part. 9. recent.* Et in hac secunda parte distinctionis versabamur, dum filius erat satis juvenis, nullas acquisitionis occasiones habens, præsertim summæ tam notabilis, pater vero dives, atque occasiones appaltuum, aliarumque negotiationum pecunia numerata abundans, & sic planum videbatur hujusmodi officii emptionem a patre de propria pecunia factam esse; In dicta vero Bononien. dubitandi rationem præbebant facti circumstantiæ, quod filius haberet bona materna, aliaque adventitia per patrem administrata, cum quibus prætendebatur hujusmodi acquisitionem fieri potuisse, unde propterea dictum fuit, quod pater, seu ejus hæres teneretur dictæ administrationis rationem reddere.

Aliqua magis probabilis dubitandi ratio cadere videba-
tur in secunda inspectione, quod scilicet censeretur dictam 6
pecuniam in hujusmodi officii acquisitione erogatam fuisse animo donandi, dum neglexit pater decreti reservationem

nem ad ejus favorem, neque aliam fecit animi declarationem, juxta communem, & receptam distinctionem, de qua supra pluries, præsertim in Romana hæreditatis *disc.* 1. & admittitur *d. dec.* 660. *n.* 4. *part.* 4. *tom.* 3. ac etiam supponunt aliæ decisiones editæ in eadem causa, in quibus voluntas patris erat expressa, & clara, solaque disputatio restringebatur ad potestatem, ponderando ibi etiam dictæ contrariæ voluntatis non donandi vehemens adminiculum, resultans ab ingenti summa scut. 36. mil. auri stante præsertim numero aliorum filiorum, & quantitate reliqui patrimonii, quæ omnia in præsenti, nedum cessabant, sed potius retorqueri poterant, cum attento statu patris, de tempore, quo id sequutum est, ac numero filiorum, hæc summa dici non posset adeo notabilis, quod hujusmodi inverisimilitudinem induceret.

Aliud enim est, ubi quæstio restringitur ad defectum po-
7 testatis per Nicolaum de Ubaldis, aliosque DD. ponderatæ, stante quod hujusmodi officia sunt de Regalibus, ac obtineri dicuntur magis a Principe, neque sunt in commercio, atque ad hunc effectum intrat distinctio, de qua in allegatis decisionibus, præsertim in illa coram Merlino inter ipsum officium, ejusque pretium, ut non in primo, sed in secundo intret imputatio, clarius vero in ea facti specie, quod filius jam officium vendiderat, & habebat pretium in manibus, onde agebatur potius de imputatione pretii officii amplius non possessi; Aliud vero de regulanda voluntate patris in acquirendo, an scilicet fecerit animo donandi, & non imputandi, stante dicto contrario adminiculo neglectæ reservationis decreti, juxta receptam distinctionem, de qua *d. disc.* 1. *& alibi*.

Istud solum adminiculum per Arbitros reputabatur leve, ac modici momenti, cum reservatio decreti passim, ac de
8 facili concedi soleat in aliis officiis populatibus non habentibus annexam Prælaturam; Secus autem in prælatitiis juxta eorum distinctionem, de qua supra in Neapolitana *disc.* 2. quoniam non debet esse in facultate personæ privatæ deponendi aliquem a Prælatura, ideoque non datur, nisi de raro, & ex favore speciali.

Adhuc tamen dicebam, quod secluso isto adminiculo, urgebat aliud nullæ declarationis factæ in contrarium, atque magis apud me vim faciebat consideratio, tam ad effectum inducendi præsumptam donationem, quam ad al-
9 terum excludendi imputationem, quod ita filius non obtinebat istud officium gratuitum, & ad solam locupletationem, sed cum onere prælaturæ requirentis notabilem sumptum pro illius status decore, & qualitate, in statu privatæ fortunæ non necessarium, ideoque non esset filii, ad prælaturam electi, verisimiliter a patre prædilecti beneficium, sed maleficium, atque ita deterior esset ejus conditio, quam illa aliorum filiorum minus dilectorum; Ad quod deducebam ea, quæ frequenter habentur *sub tit. de feud.* super exemptione filii primogeniti a collatione pretii per patrem erogati in acquisitionem dignitatis, seu tituli super feudo novo, cujus pretium conferendum est, ob di-
10 ctam rationem oneris annexi titulo, seu dignitati majoris sumptus, quam in statu privato; Quod etiam ponderatum habetur in Romana de Spatis *sub tit. de legit. & detract.* ac etiam in Bonon. separationis bonorum de Dondinia *sub eod. tit. vel sub altero de fideic.* super puncto, an donata per patrem filio occasione erectionis primogenituræ in ejus perso-
11 na, censerentur, necne libere donata absque onere imputandi in legitimam, vel e contra, quoniam cessante expressa voluntate imputandi ob dictam rationem, potius præsumptio est pro imputationis exclusione ob majora onera incumbentia ei, qui figuram primogeniti, & capitis domus facturus est, ex ibi deductis; Ideoque in ista causa difficultas restricta fuit magis ad factum, ex cujus circumstantiis prætendebatur constare de voluntate donationis exclusiva; Et revera ista est quæstio voluntatis, ideoque potius facti, quam juris, certam, ac uniformem determinationem non recipiens, sed ex singulorum casuum particularibus circumstantiis pro judicis prudentis arbitrio decidenda; De ista vero materia imputationis officiorum venalium, aliorumque vacabilium in legitimam habetur pluries actum in sua materia *sub tit. de legit. & detract.*

ANNOT. AD DISC. CLI.

SUper hac eadem causa, occasione agendi de puncto collationis, vel imputationis, agitur *sub tit. de herede disc.* 32. Et de eadem materia imputationis, *l.* 1. *de feud. in annot. ad disc.* 19. *& tit. de legit. disc.* 13.15.18.20.23. *&* 24.

& magis ad rem *sub tit. de fideic. disc.* 191. qui est in causa Bonon. separationis bonorum in hoc discursu allegata.

Quamvis autem præsens causa adhuc pendeat coram arbitris, sub aliquo tractatu concordiæ, adhuc tamen ad eam pro veritate reflectendo, persistendum videtur in eodem sensu, quod circa primum punctum, scilic. quod sufficiens probatio accedat, quod pecunia erogata in acquisitionem hujus officii, proveniret a patre, dum ejus magna quantitas, ac etiam status, & quantitas patris, ac ætas, & qualitas filii, ad evidentiam id comprobare videntur; E converso autem, quod dum pater in vita nihil declaravit, nec disposuit, ac etiam ob aliquam subsequutam observantiam fratrum, & cohæredum, adesse censeatur illa donatio, de qua *sup. disc.* 1. 24. *& alibi*.

Præterea, ubi etiam in hoc proposito procedendum esset cum formalitatibus juris civilis, cum quibus Bald. & alii nostri majores processerunt, juxta insinuata *sub tit. de feud. in hoc suppl. disc.* 131. in proposito patris acquirentis pro se, & filiis feudum ex causa onerosa, constituendo scilicet differentiam inter filios in potestate, & extraneos, vel filios sui juris, ob prohibitionem donationis inter Patrem, & filium in potestate, congruerent ea, quæ habentur de extraneis, vel de filiis, qui non sint in potestate, stante Clericatu, ob quem cessat prohibitio juris civilis, dum quidquid in filium Clericum obvenit, sortitur naturam peculii quasi castrensis, ex deductis occasione ususfructus legalis *sub tit. de servit. disc.* 61. & occasione facultatis testandi, *sub tit. de testam. disc.* 34.

Verum, quia (*ut loc. cit. de feud.* advertitur) ista consideratio parum probabilis videtur, quodque totum faciat expressa, vel præsumpta voluntas patris: Hinc proinde ad hanc rei probationem adaptari videntur ea, quæ habentur *d. disc.* 191. *de fideic.* & in aliis locis ibidem citatis, pro regulatione voluntatis, in exclusionem imputationis, & inclusionem donationis, ex causa scilicet correspectiva, & onerosa, quam secum fert status Prælaturæ, qui videtur importare quamdam necessitatem majorum sumptuum, majorisque incommodi, & laboris; Quinimo magis, quam primogenitura, vel feudum, cum titulo, seu dignitate, quoniam hæc dimitti possunt, atque ita eximi a dictis oneribus, quod non est ita practicabile in Prælatura; Vel quia non pendeat a libera voluntate Prælati, ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de benef.* super resignatione beneficii ob quasi contractum, qui iniri dicitur cum Papa in concessione, ac respective susceptione Prælaturæ; Vel quia, ubi contingat illam dimitti extra occasionem mutandi statum in longe melius, sed ex causa, quod in eo statu se substentare non possit, tunc est nimium præjudiciale decori, & existimationi, & per consequens reputatur status necessarius, si non ex necessitate præcisa; attamen ex morali, seu causativa, quæ inesse dicitur in iis, quæ obligant ex ratione convenientiæ, seu decoris, juxta *decis.* 677. Franchi, cum aliis *sub tit. de dote disc.* 78. *&* 79. Et per consequens combinando simul occasionem, & subsequutam observantiam patris non disponendi in contrarium, ita videbatur, quod nimia probabilitas huic parti assisteret.

ROMANA EXHIBITIONIS LIBRORUM PRO CHRISTOPHORO PANZERIO CUM DOHANERIO.

Casus disputatus in Camera.

An & quando gabellarius conservare teneatur libros gabellæ, eosque cujuscumque interessato petenti exhibere; An hujusmodi libri dicantur publici, vel privati, tam ad effectum probandi pro, vel contra tertium, quam etiam ad alium effectum; Et an gabellarius eos lacerando, seu cassando, aut alias alienando, criminaliter puniri possit, seu civiliter ad aliquid teneri.

SUMMARIUM.

1 *DE provisione super abundantia piscium in Urbe:*
2 *Casus controversia.*
3 *Distinctio theorica quando quis exhibere teneatur proprios libros.*
4 *De jure nemo tenetur exhibere proprios libros, vel scripturam.*
5 *Sallis de stylo Curiæ probatis interesse, & existentia:*

D I S C. CLI.

1 INter prudenter, beneque regulatas provisiones civilis regiminis Urbis pro conservanda victualium abundantiæ, quæ vulgo *grassia* dicitur, tollendisque monopolis, ac dardanorum oppressionibus, illa præsertim habetur circa pisces, quorum proinde continua adest copia in quantitate, & qualitate cum omnimoda infimi populi facultate habendi etiam de magis electis supra quamcumque majorem Civitatem incomparabiliter. Quoniam erectum est particulare officium cum banco, ad effectum, ut piscium vectores a piscatoribus missi, illico absque alia mora, & non expectata venditione expediantur, consignando in dicto officio pisces tam circa pondus, quam circa diversas eorum qualitates, ac dominos diligenter ab officiali descriptos, & qui omnes quolibet mane in publico loco ad id destinato cum interventu correspondalium ipsorum piscatorum, qui *Cocciatores* vulgo nuncupantur, exponuntur sub publica hasta, atque ut vulgo dicitur *al cottio* pro statuendo pretio ad favorem piscatorum juxta piscium qualitates, & cum eorumdem piscatorum assecuratione de pretio prædicto, quod remanet in banco ad eorum dispositionem, Quinimo etiam antequam sequatur cottium, illis pecunia indigentibus subministratur. Istud autem officium, quamvis distinctum, annexum tamen esse solet dohanis ob interesse dohanerii pro gabella super eisdem piscibus existente; Cum autem, vel ex privilegio, vel ex consuetudine pisces cum quadam instrumentorum specie capti, atque ab aliis discreti aliquam haberent exemptionem a dohanerio super controversiam, unde propterea desuper orta est lis inter eumdem dohanerium, ac interessatos,
2 inter quos, erat Panzerius, per quos, vel a dohanarum, vel a grasciæ Præside obtenta fuit manutentio cum condemnatione restituendi exactum, Ad cujus liquidationis effectum, insterit Panzerios pro exhibitione librorum dicti cottii, qui vulgo *bastardelli* nuncupantur, ut ex distincta piscium descriptione, tam in quantitate, quam in qualitate, & pretio in singulos dies, & tempora, & cum distinctione piscatorum, seu vectorum dicta liquidatio sequi posset; Prætato autem Dohanerio prætendente ad dictam exhibitionem non teneri, ac asserente eos non habere, utpote laceratos, vel neglectos. Hinc datum fuit dubium in Camera coram Mari, ubi dicta causa exemptionis introducta erat, An dohanerius ad dictam librorum exhibitionem teneretur.

Et assumpta desuper disputatione, scribens pro Panzerio dicebam, quod in hac materia exhibitionis librorum rece-
3 pta distinctio est in genere, quod aut agitur de libris mere privatis, ad quorum confectionem, & custodiam quis non tenetur, utpote ad privatam memoriam, & diligentiam conscriptis, & tentis, Aut de libris publicis, quos ratione officii, aut alias ratione subjectæ materiæ, & pro aliorum interesse quis conficere, & conservare tenetur.

Primo enim casu, in puncto juris, quamvis de ipsorum existentia constaret, non intrat edendi, seu exhibendi obli-
4 gatio, quoniam nemo teneri debet exhibere inimico arma propria contra seipsum, ad text. *in l. qui accusare, C. de edendo*, & est communis traditio DD. tamquam in principio certo, quod absolutum supponitur in proxime allegandis decisionibus; In Curia tamen de stylo fundato in quadam æquitate, concurrentibus duobus requisitis, nempe existentia bene probata de tempore motæ litis, ac inter-
5 esse petentis, intrat dicta obligatio, tam respectu librorum, quam aliorum jurium, cum ea tamen moderatione, quod iste, penes quem dicta existentia probatur de tempore motæ litis, admittitur ad juramentum se amplius non habere, quia laceraverit, seu alias neglexerit, & amiserit; quo casu non probata per petentem actuali existentia, per quam dicta jurata assertio de falsitate, seu mendacio con-
viocatur, illa sufficit, quoniam ubi agitur de libris, & scri- 6
pturis privatis ex debito officii non tenendis, & conservandis semper & quandocumque per eorum dominum, lacerari, comburi, seu alias negligi possunt, ut plene antiquioribus allegatis, probant Farin. & cæteri apud eum scribentes *cons. 43. lib. 1.* & habetur particulariter actum in Romana census vitalitii pro domo professa Societatis Jesu *sub tit. de cred.* Et in his terminis obligationis exhibendi libros, vel alias scripturas ita distinguendo, plene habetur apud Greg. & Add. *dec.* 129. Buratt. & Add. *dec. 278. dec. 237. p. 11. rec. recept.* post Zuff. *de legit. processus dec. 6.* in quibus etiam habetur actum circa qualitatem probationis existentiæ, quod isto casu debeat esse concludens, & perfecta, & non sufficiat præsumpta, cum aliis ad rem facientibus.

Secus autem in altero casu, in quo ex debito officii, seu alias ratione consuetudinis, vel subjectæ materiæ teneatur quis ad confectionem, & conservationem librorum, alia-
rumque scripturarum; tunc enim necessaria non est proba- 7
tio existentiæ ex parte petentis, minusque admittitur amissionis, seu existentiæ assertio, quamvis jurata, sed reste cogi potest, vel ad factum, vel ad quanti petentis interest, ut in proxime allegatis, præsertim *dec. 237. part. 11. alias dec. 6.* post Zuff. cum concord. *ibid.* ac frequenter, quoniam juris theorica generalis, & in abstracto vera est, ac recepta.

Quatenus vero pertinet ad applicationem, cujus tota quæstio esset solet, adhuc non visis juribus alterius partis, pro ratione dubitandi ponderabam in terminis specialibus gabellariorum, & publicanorum, ea, quæ habentur plene disputata apud Thes. *dec.* 171. super quæstione, an gabellarius lacerans, occultans, seu cassans libros hujusmodi, puniri possit criminaliter, atque *n. 6.* proceditur cum dicta distinctione, an libri essent publici de necessitate conficiendi ratione officii, vel essent mere privati ad propriam instructionem, & memoriam, ut hoc secundo casu nulla intret actio criminalis, quinimo neque civilis, cum libri proprii,
ac scripturæ privatæ comburi, lacerari, cessari, seu altera- 8
ri libere possint, Castr. *cons.* 130. *lib.* 1. & cæteri apud Farin. *d. cons. 43. lib. 1.* Rota *dec. 146. par. 4. rec. tom. 2. num. 7. & 8.* Add. ad Greg. *dec. 199. in fin.*

In hac secunda specie privatorum librorum versari dici
poterat, Tum quia nulla lex habetur, quæ Dohanerium ad 9
hujusmodi librorum confectionem, & conservationem obliget, Tum etiam, quia ita suadere videbatur ipsorum librorum forma, & vocabulum, dum non agebatur de libris formiter, ac mercantiliter tentis, sed potius in forma simplicis memorialis, sive diarii, quod vulgo *giornale* dici solet, cui proprie tamquam simplici manuali istud *bastardelli*, vocabulum congruere de communi usu solet.

His tamen non obstantibus, cum sensu etiam veritatis,
contrarium dicebam probabilius, Tum quia gabellarii, & 10
publicani generaliter libros conficere, & custodire tenentur, eosque quibuscumque petentibus exhibere, ex deductis per Peregr. *de jure fisci lib. 7. tit. 3. n. 37.* quoniam etiam in eis tertii interesse adesse videtur ad effectum probandi possessionem exemptionis, & franchitiæ, aliosque effectus frequenter contingibiles; Tum etiam, quia, ut supra in aliis advertitur, præsertim in Romana Bulli aleatum *disc. 75.* vel 80. locatoris, seu domini vectigalis interest libros per Appaltatores fideliter confici, & custodiri, atque in fine appaltus restitui, cum obligatione quandocumque exhibendi, ut ita Princeps, vel Respublica certiorari valeat de vectigalis, vel alterius juris emolumentis, & quomodo in futuris appaltibus se regulare debeat, Ideoque id communi usu receptum esse, advertitur apud Thes. *dict. dec. 171. in princ.* & Genuam *de script. priv. lib. 4. tit. de libris rationum gabellarii n. 21.*

Quinimo cum hujusmodi publicani, & appaltatores quandoque non soleant esse fideles, neque emolumenta in
eorum libris describere, ideirco licite possunt Camerales 11
pro dicto Principis, & Reipublicæ interesse apponere contrascriptorem, ut per Ross. *ae remiss. merced. public. anorum n. 45.* Capyc. Latr. *consult. 40. num. 49.* & habetur supra in Romana, seu Albeo. de talchi *disc. 66.* ubi de hac materia contrascriptoris.

Et licet, ubi non agitur de publicanis administratoribus vectigalium, & gabellarum, sed de appaltatoribus, seu conductoribus, de stricto jure dici valeat eos posse negligere confectionem, vel conservationem librorum, eo quia, sive magna, sive parva sint emolumenta, eorum tantum est interesse, non autem locatoris, aliam non habentis actionem,

nem, nisi ad conventam peosionem; Quinimo locatoris magis interesse videtur dictos libros non confici, ut 12 ita convinci non possit damnum, ex cujus ratione appaltator restaurum, seu defalcum prætendere valeat, ut de hac differentia inter gabellarium appaltatorem, & gabellarium administratorem habetur supra in Romana redditionis rationum *disc.* 86. Nihilominus dicti alii respectus, ratione subjectæ materiæ, id ex recepto usu exigunt, ac præpondetant.

Unde propterea passim receptum habemus, etiam hujusmodi dohanarum, & gabellarum libris per conducto- 13 res, seu appaltatores confectis, tamquam publicis quoad tertios fidem adhiberi, ut cæteris relatis habetur apud Orthob *dec.* 170. *n.* 16. per Rotam *decis.* 223. & 236. *p.* 11. *recent. ubi concordantes.*

Et quamvis apud DD. circa hujusmodi gabellarum libros distinguantur, an confecti sint per conductores, seu 14 appaltatores ad proprium commodum, vel incommodum, cui majus, vel minus emolumentum respective cedat, vel confecti sint per eos, qui nullum proprium interesse habentes sub certa mercede in officium, vel administrationem deputati sunt, qui alicubi *Credentierii* vulgo nuncupantur, quasi quod hoc secundo casu publicorum jure habendi sint, in primo autem potius jure privatorum, ut ita distinguendo cæteris relatis habetur apud Mascard. *de probat. concl.* 837. *per tot.* & 976. *n.* 39. & *seqq.* Thes. *dec.* 171. Gait. *de cred. cap.* 2. *tit.* 2. *num.* 66. Capyc. Latr. *cons.* 66. & 68. Attamen id procedit in ordine ad majorem, vel minorem fidem dictis libris præstandam in præjudicium tertii, secus autem quoad dictam obligationem custodiæ, & exhibitionis.

Verum in hac facti specie omnis penitus difficultas cessare videbatur, quoniam hujusmodi libri principaliter or- 15 dinantur, non pro adnotandis gabellarii, seu dohanerii emolumentis, sed principaliter pro jure; & interesse piscatorum, seu transmittentium pisces, ut ita certificari possent de piscium quantitate, qualitate, & pretio in singula tempora, atque ita etiam certificari de fide corresponsalium, seu tortiatorum, unde in hac parte dohanerius hujusmodi libros conficere dicitur, non tamquam dohanerius, seu gabellarius pro jure gabellæ, sed tamquam officialis, & bancherius ratione dicti publici officii, & respective banchi pro publica ubertate erectis, unde propterea videmur esse in casu indubitabili, non obstante, quod libri non essent formales, ac mercantiliter tenti, sed in forma memorialium, bastardellorum nuncupationem haberent, quoniam dum talis est usus, neque alii libri desuper habeantur, vis non est in vocabulo, vel forma, sed in rei substantia, sive effectu, ob quem illi conficiuntur, ac retinentur; Eoque facilius, quia clara erat inverisimilis laceratio ob ipsius dohanerii interesse, quodque affectaretur occultatio ad eludendam dictam manutentionem, ac refectionem indebite exacti; adhuc tamen disputatio sequuta non est, unde judicium desuper efformari uon potuit.

ANNOT. AD DISC. CLI.

DE contentis in hoc discursu ad materiam librorum, eorumque exhibitionis, habetur actum *sub tit. de jud. disc.* 28. & 30. & *in dec.* 32. & 102. *par.* 10. *rec.*

ROMANA PRÆTENSÆ FRAUDIS PRO ANTONIO MARIA LEONIO CUM DOHANERIO.

Casus disputatus in Camera.

An & quando dicatur constare de contraventione bannimentorum gabellæ, & de fraude, itaut intrent commissum, & aliæ pœnæ, necne.

SUMMARIUM.

1 *DE capitulis, & bannimentis dohanæ, ne merces relinqui possint in circuitu Urbis per decem milliaria.*
2 *Casus controversiæ.*
3 *Quomodo in hac materia fraudatæ gabellæ, seu contrabannorum judicandum sit, & quare Advocati scribant pro una, vel altera sententia.*
4 *De circumstantiis in proposito spectandis.*
5 *Quando qualitas personæ, præsertim quod sit forensis excuset.*
6 *Generaliter quando forenses excusentur a pœnis bannimentorum.*
7 *De regula, ut singula, quæ non prosunt, &c. in hac materia attendenda.*
8 *Ponderantur circumstantiæ excusantes, & e contra.*
9 *Quando circumstantiæ excusantes non attendantur.*
10 *Quod erroneum sit procedere cum regulis, & doctrinis generalibus in hac materia.*
11 *De interpretatione bannimentorum, de quibus num. 1. eorumque ratione.*
12 *Immorandum non est in cortice, & figura verborum, sed attendi debet substantia voluntatis.*

DISC. CLII.

DIsponentibus capitulis, ac bannimentis dohanæ Ur- 1 bis, ne relinqui possent merces in cauponis, vineis, casalibus, aliisque locis Urbis, & prope illam spatio decem milliarium, non facta notificatione Dohanerio, vel ejus deputatis sub pœna commissi, aliisque pœnis, Cum Antonius Maria Leonius mercator Sulmonensis duceret Urbem versus quatuor ballas serici, adhuc tamen indetermi- 2 natus, an mercem in ipsa Urbe venditurus esset, vel traducturus ad portum Centumcellarum, seu Civitatis Vetulæ, pendente determinatione a pretio in Urbe currente; Idcirco ad illam accedendo injunxit vectori, ut eam non ingrederetur, sed ipsum extra muros regredientem expectaret, quare victor muris proximus, ac incertus de domini mora in regrediendo, interim retineret animal onustum, in quadam caupona existente in ipsa via publica, animali exonerato, ac reposito in stabulo, tenebat sericum in atrio, seu cortili publice, & palam circa meridiem, omnium oculis expositum, quod ad vigilum certiorationem per dohanæ deputatorum sub prætextu contraventionis bannimentorum sequestratum fuit, ac successive declaratum cecidisse in commissum, incamerato pretio cum decreto Thesaurarii, unde propteta ex parte dicti Leonii introducta per appellationem causa in Cameta coram Gaetano.

Scribentes pro appellante, cum eodem penes tempore, ac in eodem Tribunali dedisset occasio scribendi pro alio gabellario super incursu pœnæ in Cametin. de qua *disc. seqq.* ad ostendendam compatibilem facultatem scribendi super 3 eodem articulo, modo pro affirmativa, & modo pro negativa, quod ignaro vulgo, ac aliquibus rerum moralium professoribus parum versatis scandalum quandoque parere solet. Dicebam istam materiam esse de illis, quæ potius facti, & applicationis, quam juris esse dicuntur, unde propterea uniformis, ac determinata regula tradi non potest, sed adinstar ultimarum voluntatum, aliarumque conjecturalium materiarum sæpe contingit, quod in casibus, qui nedum similes, sed pene identifici videntur, diversimodo judicandum veniat ex aliquibus alterativis facti circumstantiis; ex quibus determinatio pro judicis prudenti arbitrio pendet.

Ad effectum siquidem inspiciendi, an actus ex quo commissum, seu contraventio deducitur, gestus esset animo fraudandi, necne, sive mercium contractato dici posset repertus in fraganti faciendi contrabandum, plura inspicienda sunt, juxta personarum, locorum, temporum, & mer- 4 cium qualitatem, ut bene antiquioribus relatis habetur apud Farin. *q.* 173. *ex n.* 10. *cum seqq.* Caren. *resol.* 106. *cum duab. seqq.* Mauson. *de contrab. q.* 3. Cyriac. *contr.* 5 ta. Vermigl. *cons.* 267. & *seqq.* ac late ad nauseam, & ultra colligit Giurb. *cons.* 16. ubi in individuo consimilis prætensi commissi, seu fraudis gabellæ, ac extractionis serici.

Spectatur enim qualitas personæ, an scilicet esset bonæ, vel malæ famæ, seu solitus committere fraudes, & contrabanna, beneque conscius hujusmodi bannimentorum, & 5 provisionum, vel e converso vir probus non solitus committere fraudes, seu alias tamquam forensis hujusmodi prohibitionum ignarus. Et hanc excusationis circumstantiam in præsenti concurrere dicebam, dum agebatur de mercatore forensi, quod ponderatur per DD. collectos apud Farin. *d. q.* 173. *n.* 14. & 16. quoniam juxta generalem distinctionem traditam per criminalistas, an & quando ignorantia bannimentorum per forenses allegata illos excuset ab incursu pœnarum in eisdem bannimentis contentarum. 6 Aut agitur de illis, quæ sunt naturaliter, & intrinsece mala, ac ubique prohibita, & non intrat excusatio, solumque prætendi potest, quod allegata ignorantia, quoties illa est probabilis, temperare debeat pœnam ordinariam, si illa in aliis regionibus, præsertim in illa forensis contravenientis pro tali actu, quamvis etiam ibi prohibito, & naturaliter malo, non adeo gravis imposita est. Aut de iis, quæ non sunt naturaliter, & ubique mala, & intret excusatio, ex

late

late deductis per Farin. *in fragm. verb. bannimenta*. Unde cum relinquere merces in aliqua caupona, vel loco prope Civitatem non sit de actibus naturaliter, & intrinsece malis, utpote proveniens a novis bannimentis, & capitulis, hinc inferebam qualitatem personæ, ut in hac facti specie, sufficientem excusationem inducere. Verum reflectendo ad veritatem, advertebam hujusmodi circumstantiam esse quidem alicujus operationis, quando aliæ magis proximæ, & stringentes pro fraudis exclusione concurrerent, sola vero, & de per se nullius esse momenti. Tum quia fere per totam Europam, præsertim vero in Italia generale est hoc vectigal dohanæ, quod in magnis Civitatibus, seu aliis emporiis, ut fraudibus consulatur, fere uniformiter hujusmodi rigorosas prohibitiones habet, Tum etiam, quia in hac facti specie agebatur de mercatore in Urbe negotiari solito, & quia de facili etiam per ipsius Urbis mercatores fraus fieri posset, ita studiose curando merces introduci per forenses, ut in casu quo in fragranti reperirentur, hic excusationis clypeus haberetur.

Aliæ tamen plures in hac facti specie concurrebant circumstantiæ, seu qualitates excusantes, quæ ubi etiam solæ, & de per se insufficientes essent, insimul tamen junctæ bonam fidem ad evidentiam comprobare videbantur, proce-
7 dendo cum vulgari regula, *ut singula, quæ non prosunt, &c.* in omnibus ambiguis, & conjecturalibus perpetuo, ac principaliter attendenda. Primo scilic. qualitas loci, quia in
8 publica caupona existente in via publica. Secundo, modus cum quo merces tenebantur ibi discoopertæ, omnium oculis expositæ contra omnem verisimilitudinem, ubi aliqua adesset sinistra intentio. Tertio ejusdem loci situatio, prope scilic. portam, ubi custodes, & vigiles solent esse adeo prompti, & frequentes. Quarto tempus, quia de meridie. Quinto spontanea confessio veritatis illico facta per vectorem custodibus, seu perquisitoribus. Et sexto, quia per aliquos testes dicta historia justificabatur. Unde faciendo comparationem ad casum, de quo supra in alia Romana fraudatæ gabellæ *disc. 69.* ubi idem Tribunal pro exclusione fraudis, & commissi respondit, dicebam casum videri indubitabilem, cum in proposito per DD. ponderentur circumstantiæ oppositæ circa locum, quia nempe occultum, tempus, quia nocturnum, viam, quia insolitam, & similia, juxta ea, quæ ponderantur *disc. seq.* Atque eatenus in proposito, præsertim contrabandorum pro extractionibus mer-
9 cium, excusare non solet qualitas loci, & temporis, quia nempe de die, & in aliqua caupona, seu sub aliqua publice exposita cappana merces in fragranti reperiantur, quatenus aliud accidens illam moram causaverit, quia nempe ob ingentem pluviam, aut aliud impedimentum ibi extractores morari coacti sint, cum similibus, & sic ista materia vere tota est facti, ex singulorum casuum individuis circumstantiis regulanda, proindeque leguleica simplicitas est, quam tamen frequenter experimur, procedere simpliciter cum doctrinis, & auctoritatibus, quæ desuper pro excusatione, vel incursu habeantur, potissimum vero, ubi agitur de Consulentibus ad cautelam, vel requirentium
10 opportunitatem scribentibus, quoniam illæ quidem per judicantes inspiciendæ, & considerandæ sunt pro illuminando intellectu, beneque regulando eorum arbitrium circa particulares casus, & circumstantias meticodas, non autem in fide Doctoris ita dicentis generaliter judicandi.

Ponderabam demum, etiam cum sensu veritatis, quod non versabamur in casu bannimentorum prohibentium, ne merces in cauponis, vineis, casalibus, aliisque locis
11 relinqui possent, cum illud verbum *relinquere*, justa subjectam materiam, ac spectato fine, seu ratione, ob quam hujusmodi prohibitiones fiunt, percutiat casum, in quo vector, exoneratus mercibus, eisque in loco occulto repositis, alio accessurus discedat, ut deinde de nocte, vel alias occulte, & inopinato, merces non soluta dohana introduci possent. Hoc autem adaptari non poterat ad rem, dum adhuc vector una cum animali in eodem loco morabatur, unde fuit potius exonerare provisionaliter, & ad tempus, causa sublevandi ipsum animal, ne interim expectatione domini jussum, remaneret absque proposito onustum. Et sic etiam in stricta verborum significatione casus non veniebat sub bannimentis disponentibus de illis, qui merces relinquunt, cum id non fuerit reliquere. Et ni-
12 hilominus, ubi etiam verba, inspecto sensu grammaticali convenire possent, dicebam attendi debere propositionem, de qua apud Mantic. *de tacit. lib. 2. tit. 7. n. 1. cum seqq.* Buratt. *dec. 113. n. 7.* Merlin. *decis. 692. n. 46.* Romana fidejussionis 14. Maii 1660. Verospio, & frequenter, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, principaliter spectato fine, seu effectum, ob quem ita statutum est, juxta ea, quæ habentur apud Dunozet. *dec. 417. alias nec. 93. part. 7. rec.* & pluries advertitur, præsertim in materia ultimarum voluntatum *sub tit. de fideicomm.* ac alibi, proposita causa non fuit capta resolutio, quæ pendet.

ANNOT. AD DISC. CLII. & CLIII.

De materia fraudatæ gabellæ, habetur etiam actum supra *disc. 69. 88. & 89.*

CAMERINEN. FRAUDIS PRO GABELLARIIS CUM ANTONIO NEAPOLLIONE, & Sociis Cartariis.

Casus decisus per Cameram contra gabellarios.

De eadem materia discursus præcedentis. An scilicet, & quando constare dicitur de fraude, itaut sit locus commisso, & pœnis fraudatæ gabellæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Repertus in territorio dici non potest repertus in fragranti extractionis, & contrabanni.*
3 *Distinguuntur inspectiones.*
4 *Locus est commisso eo ipso, quod quis repertus est cum mercibus ultra locum gabellæ.*
5 *Gabellarius non tenetur monere transeuntem cum mercibus, ut solvat gabellam.*
6 *Quid disponant capitula gabellæ.*
7 *Expenduntur tractantes de materia extractionis.*
8 *Materia fraudatæ gabellæ est potius facti, quam juris, ex facti qualitate decidenda.*
9 *De circumstantiis redolentibus fraudem.*
10 *De excusatione resultante ab allegata pœnitentia.*

DISC. CLIII.

Imposita moderno tempore gabella super charta, in ejus 1
capitulis, ac bannimentis in *cap. 3.* statutum est, volentes chartas extrahere e charteriis, vel aliis locis, teneri sumere bullettam continentem nomen ejus, qui extracturus est, necnon quantitatem a chartaria, ubi eam accipere debebit, ac locum quo traducturus est, necnon diem, in qua id peracturus est, sub pœna commissi in casu contraventionis. Cumque quidam vector circa secundam horam noctis extra charterias loci Roraci, ac prope portam ejusdem loci per gabellarios, seu eorum deputatos repertus esset cum equo onusto duabus ballis chartæ, quas idem vector dixit de mandato chartariorum deferre ad Civitatem Camerini, nullam habens bullettam, nullaque soluta gabella. Hinc gabellarii crediderunt factum esse casum commissi, atque ita judicavit in partibus judex deputatus. Introducta vero causa per appellationem in Camera coram de Mari, datoque dubio, an constaret de fraude, negativa prodiit resolutio, ex eo fundamento, quod bannimenta *d. cap. 3.* alternative loquantur de extrahentibus a charteriis, vel locis, ibi, *tutti quelli, che vorranno estrarre dalle cartiere, o luoghi, &c.* & consequenter, quod dici non posset dictus vector repertus in fragranti, dum adhuc repertus, erat intus dictum locum Roraci, quamvis extra charterias, cum ita non verificaretur utraque pars alternativa, ex iis, quæ ceteris 2
collectis habentur apud Mauson. *in tract. de contrabannis q. 1.* & Farin. *q. 124. n. 120.* quos scribentes pro excusando commisso allegabant, quod scilicet repertus in Civitate, vel territorio cum mercibus extrahi prohibitis dici non potest repertus in refraganti faciendi extractiones, & contrabanna, dum semper dicere potest, quod non intendebat exire de Civitate, vel territorio, sed volebat accedere ad alium locum intra idem territorium, puta molendinum, &c. sive quod antequam egrederetur statutos terminos pœnitere potuerit, & consequenter, quod dici non valeat consummatum delictum productivum commissi, aliarumq; pœnarum.

Concessa vero adversus hujusmodi resolutionem nova audientia, in hoc statu ex parte gabellariorum assumptus cum sensu etiam veritatis, stantibus facti circumstantiis, 3
dicebam, recedi debere a resolutis, quodque processum videbatur cum alio æquivoco, applicando dictos terminos extractionis fructuum, vel mercium a territorio casu con-
tro-

troversiæ extraneos. Ad id autem probandum duas efformabam inspectiones. Unam particularem, & dividuam super censu bannimentorum gabellæ, quæ sunt ipsius lex. Et alteram super dictis auctoritatibus, vel similibus, tam in proposito extractionis a territorio, quam transitus per locum præfinitum, cum similibus.

Quatenus igitur pertinet ad primam, æquivocum videbatur clarum, quoniam in alio cap. 5. eorumdem bannimentorum ad litteram disponitur gabellam solvendam esse, vel ante, vel in ipso actu levandi cartam a carteriis, & dum ista certa reperta erat extra carterias, dicebam factum esse locum commisso, quod intrare dicitur eo ipso, quod quis repertus est cum mercibus gabellandis, non soluta gabella extra locum præfinitum, ad text. *in leg. 1. & 2. C. de vectig. & comm.* & firmant communiter scribentes plene
4 collecti per Farin. *qu.* 173. *n.* 1. & 17. *ubi num.* 18. advertit, quod id procedit, etiamsi gabellarius vidisset vectorem transeuntem per locum præfinitum cum mercibus, eumque non advertisset, quoniam ad id non tenetur, sed sciens, & prudens id pati potest ad effectum faciendi majus lu-
5 crum ex commisso resultans, ideoque, dum gabella solvenda erat antequam carta levaretur a carteriis, vel eo ipso actu levandi, eo ipso, quod reperta erat extra carterias, fundata videbatur gabellarii intentio.

Neque præmissis obstare advertebam disposita *in d. c.* 3. in quo alternative fit sermo de carteria, vel loco, & super
6 quo loci vocabulo satis insistebant scribentes pro carteriis, quod scil. significaret, Civitatem, Oppidum, vel Castrum, in quo ipsæ carteriæ existunt, quoniam istud capitulum loquitur de actu futuro, ac de bulletta anticipare sumenda tamquam de actu præparatorio pro futura emptione, & respective extractione, dum litteraliter dicitur, quod in ipsa bulletta exprimi debent, tam carteria, in qua ille intendit cartam levare, quam persona, & quantitas levanda, necnon locus, ad quem traduci debet, ac dies, in qua levanda est, & sic semper per verba de futuro, & pro actu faciendo, & consequenter istud capitulum est quid diversum a dicto cap. 5. cum quo recte compatitur, ut gabella, vel ante, vel saltem in ipso actu, quo carta levatur a carteria, solvi debeat.

Merito autem dictum capitulum tertium alternative de carteriis, vel locis loquitur, quoniam non semper, & pernecesse carta emenda est in ipsis carteriis, sed emi potest in aliis repositoriis, seu tabernis, in quibus de licentia gabellariorum, cartarii, vel alii mercatores eam retineant pro commodiori, ac faciliori esitatione, sed semper, sive in carteria, sive in altero loco firmum remanet alterum capitulum, quod illa solvi debet in actu levandi, absque eo quod adversetur dictum alterum capitulum alternative disponens, utpote percutiens aliam actum præparatorium, & de futuro, ut supra.

Hinc proinde ex solo facto extranea dicebam a caso ea, quæ ut supra habentur apud Mauson. & Farinac. *loc. cit.* &
7 plenius per eosdem Mauson. *qu.* 3. & Farin. *d. qu.* 173. *n.* 21. *cum seqq. & in fragm. verb. bannimenta n.* 59. in proposito extractionis frugum, vel mercium a territorio, quoniam in eo casu pro fructibus, vel mercibus, donec in territorio existunt, nulla solvenda est gabella, sed absque alio onere, & prohibitione contrectari possunt, contraventio autem consistit in ipso actu extractionis, qui vere, & proprie dici non potest consummatus, nisi postquam territorii fines egressus est. Atque eatenus repertus in territorio dici potest captus in fragranti, quatenus alia urgeant indicia, quod probent illum esse in itinere, ac in actu extrahendi, neque ad alium actum, seu finem illam mercium, seu frugum asportationem referri posse, quod nil commune habet cum terminis præsentis controversiæ, in qua punctus non est in extractione a territorio, seu Civitate, vel Oppido, sed est in ipsa contrectatione, quæ absque prævia solutione gabellæ fieri non potest.

8 Et nihilominus assumendo secundam inspectionem, ut supra distinctam, quatenus pertinet ad dictos terminos extractionis, vel similes, dicebam idem, quod habetur in Rom. prætensæ fraudis *disc. prec.* istam scil. materiam esse magis facti, quam juris, non uniformiter decidendam cum regulis, & propositionibus generalibus, sed pro judicis prudentis arbitrio juxta singulorum casuum particulares circumstantias, fraudem redolentes, vel respective excludentes, ponderando quantitatem personæ, tempus, locum, & alia similia bene cæteris relatis expensa per Mauson. *d. q.* 3. ubi ita seipsum declarat circa enunciata in præcedenti *qu.* 1. & latius per Farin. *d. qu.* 173. in quo loco attendi debet, dum ibi ex professo agit de materia, non autem *in qu.* 124. *n.* 120. ubi aliud agendo incidenter de hac materia loquitur.

Quibus facti circumstantiis in hac specie consideratis, 9
animus faciendi contrabannum erat evidens, potissimum ex qualitate temporis nocturni, & omnino insoliti, quinimo attenta qualitate loci, & temporis, omnino incongrui, dum erat initio mensis Februarii, & in asperis montibus, in quibus de eo tempore adhuc horrida dicitur sævire hyems, satisque incommodum, & periculosum est iter etiam de die, multo magis de nocte, in qua si vectores aliquando itinerari solent, id duplici casu sequitur, vel quia ob impedimenta habita in via insperato ad præfinitum locum provenire non potuerint, vel anticipando iter de mane, quando ob diurni luminis supervenientiam, congruum, & consuetum est iter anticipare, numquam vero in ipso initio noctis. Et sic quemadmodum accessus per vias incommodas, periculosas, & insolitas maximum est fraudis indicium, quod solum ad commissum sufficere solet, ita pariter, & magis attento hoc tempore, cum aliis circumstantiis, illa præsertim præordinationis habitæ inter vectorem, & cartarios, quod nonnisi de nocte post crepusculum ad cartariam accederet, & sic fraus videbatur palpari manibus.

Præterea, ut apud allegatos patet, eatenus repertos in territorio prope confines cum indiciis denotantibus extractionem excusari solet, quatenus suffragari valeat pœnitentia per eum allegata, quia nempe, repertus sit regrediens, dicendo, quod habuerat quidem animum extrahen- 10
di non obtenta licentia, seu non soluta gabella, sed quod deinde melius cogitando pœnituerat, & regrediebatur, ut ab extractione abstineret, vel ut gabellam solveret, dummodo tamen hujus allegatæ pœnitentiæ probabilia concurrant adminicula. Unde propterea firmum remanet totam esse quæstionem facti magis, quam juris, ut supra, quæ omnia in præsenti cessabant. Quinimo in facto concurrebant circumstantiæ oppositæ dictam pœnitentiam excludentes ob depositionem vectoris dicentis, quod volebat cartam asportare ad Civitatem Camerini, atque in cartariorum illa de audacter sustinebat non posse, nec debere impediri, & sic cessabat omnis excusatio. His tamen non obstantibus, in secunda propositione persistitum fuit in decisis pro excusatione fraudis, & tamen in Romana *disc. prec.* proposita causa circa idem tempus dilata fuit resolutio, quæ fuit in limine, ut caperetur pro inclusione fraudis, quamvis in illa magis, quam in ista incomparabiliter justæ excusationis causæ concurrant, unde propterea quotidie edocemur, causas eorum fata habere, atque frequenter verificari dictum illud, *justitiæ & veritatis semitas quis agnovit!*

FLORENTINA GABELLÆ
PRO MARCHIONE JOANNE BAPTISTA DE MONTE
CUM GABELLARIO.

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

De gabella debita pro successione in hæreditatem alicujus extranei vel remotioris conjuncti. An debeatur pro successione mediata, seu fideicommissaria. Et quæ persona in proposito spectari debeat, an illa fideicommittentis, vel potius illa gravati ultimo morientis, ad interpretationem statuti Florentini excipientis aliquos casus successionis proximiorum.

S U M M A R I U M.

1 *De statuto Florentiæ circa gabellam successionum.*
2 *Facti series.*
3 *Expenditur littera statuti, quod intelligat de successione directa, & immediata, non autem fideicommissaria.*
4 *Intra quantum terminum a die mortis solvi debeat hæc gabella.*
5 *Quod intelligatur de successione immediata, & libera.*
6 *An gabella successionis debeatur, ubi filius succedit patri.*
7 *Ab intestato decedere dicitur, qui condidit testamentum, sed ejus vigore testata hæreditas non aditur.*
8 *Filius institutus in sola legitima dicitur etiam hæres.*
9 *De rationibus ob quas statutum de successionibus immediatis intelligendum sit, & quod attendatur persona gravati ultimo morientis.*

10 *He-*

10 *Heres fideicommisso gravatus interim dicitur verus dominus.*
11 *Fideicommissa antiquitus non erant obligatoria.*
12 *Ubi filius succedit patri, non dicitur successio, sed continuatio.*
13 *An in fideicommissis succedatur gravanti, vel gravato.*
14 *An attendatur proximitas gravantis, vel gravati, & de ratione ob quam attenditur illa gravati.*
15 *De absurdis, si gabella deberetur de successione mediata.*
16 *An valeat argumentum de laudemio ad gabellam, & quando solvatur laudemium in successione.*
17 *Hæc statuta sunt odiosa, & loquentia in uno casu non capiunt alterum.*
18 *In dubio contra gabellam, secus Florentiæ.*

D I S C. CLIV.

1 Disponente statum gabellarum Florentiæ, *tit. 32. de gabella testamentorum, legatorum, donationum causa mortis, seu alterius ultimæ voluntatis, ac etiam successionum ab intestato rubr.* 15. pro hæreditatibus, legatis, ac aliis ex testamento, codicillis, donationibus causa mortis, aliisque ultimis voluntatibus obvenitis, ac etiam ex successionibus ab intestato solvendam esse quamdam ibi taxatam gabellam, a qua excipiuntur parentes, filii, fratres, & sorores, nepotes tam ex filiis, quam ex fratribus, ac patrui, & avi paterni. Cum Marchio Joannes Baptista senior
2 Borbonius de Monte, instituto herede Bartholomæo nepote ex fratre perpetuum fideicommissum cum ordine primogenituræ, seu majoratus in ejusdem Bartholomæi descendentia masculina ordinasset, dict. autem Bartholomæus moriens, relictis quibusdam bonis Joanni Baptistæ filio, hæredem universalem instituisset Joannem Baptistam Andream ex dicto Joanne Baptista filio nepotem tunc infantem, qui tamen factus major, ratam non habendo aditionem dictæ hæreditatis per administratores factam, illam repudiavit, unde propterea in dicto Joanne Baptista filio utraque hæreditas, fideicommissaria scil. dicti Joannis Baptistæ senioris, ac altera Bartholomæi patris consolidata est. Prætendere cœpit gabellarius, quod ab eodem Joanne Baptista solvenda esset præfata gabella pro fideicommissaria hæreditate Joannis Baptistæ senioris patrui magni sub dicta exceptuatione non comprehensi. Quare ex parte rei conventi requisitus ad scribendum in causa ad ejus opportunitatem.

Respondi, etiam cum sensu veritatis, improbabilem videri dicti gabellarii prætensionem, ideoque reo convento debitam esse absolutoriam. Ad quod probandum duas constituebam inspectiones. Unam inspecta littera, seu attentis verbis statuti. Alteram vero ratiocinando, ac attentis regulis, & principiis juris super ejusdem Statuti interpretatione, ubi illud dubium dici posset.

Quatenus ergo pertinet ad primam partem, mihi vide-
3 batur Statutum ad litteram, ac in verbis loqui de immediata, & directa, non autem de mediata, & obliqua, seu fideicommissaria successione, dum in versiculo, *ed occorrendo, che alcun testatore, o donatore, &c.* consideratur casus hæreditatis, & legati, vel alterius dispositionis ad favorem personæ exceptuatæ cum onere substitutionis, vel fideicommissi ad favorem personæ non exceptuatæ, & statuitur ulteriorem substitutum teneri ad gabellam, quoties caducato primo dispositionis gradu per præmorientiam, vel repudiationem primo vocati, secundus gradus efficiatur primus aliud non disponendo in casu, quo prima institutione, vel substitutione effectum sortiente, subsequatur successio obliqua, seu fideicommissaria, quem casum omnino statuentes expressissent, si habuissent in animo id, quod gabellarius prætendebat, dum jam cogitarunt ad dispositionem factam cum onere substitutionis, unde intrat vulgaris regula textus *in leg. unica, §. fin. autem Cod. de caduc. tollend.* de qua frequenter in materia fideicommissaria *sub tit. de fideicomm.* quod quando testator cogitavit casum, & dixit, signum est quod noluit, quando non dixit, quæ regula, prout & omnes aliæ, quas habemus super ambiguarum voluntatum morientium, vel contrahentium interpretatione, procedunt quoque in statutis dubiis interpretandis, cum pariter de ambigua disponentium voluntate agatur.

Eamdemque immediatam, & primam successionem clare considerari observabam in pluribus ejusdem statuti partibus, totoque ejus contextu, dum semper utitur verbis
4 directis, *heredis, & instituere* cum similibus non convenientibus successioni obliquæ, & per fideicommissum. Et clarius, quia statuitur terminus 45. dierum tam in testamentariis, quam in intestatis successionibus, & dispositionibus a die mortis disponentis, seu ab intestato decedentis, quod ad evidentiam ostendit agi solum de casu primæ, & immediatæ successionis, non autem de altero, qui dari potest etiam post unum, vel plura sæcula.

Et in specie, quod istud Statutum intelligendum sit de 5 immediata, & libera successione, non autem de mediata, & cum onere, præsupponit, seu admisit Caball. alias gabellarum acerrimus defensor *cons. 134. n. fin. lib. 2.*

Omnemque difficultatem cessare observabam ex eo, quod in §. *seu vers. Ma tutti quelli, &c.* expresse deciditur casus, ut scilicet alii successive venientes ad antiquas hæreditates, & dispositiones mediantibus personis eorum parentum, cum quorum hæreditatibus dicta antiqua bona commixta sunt, ad aliquam gabellam non teneantur. Et merito, quoniam durum, ac inhumanum videtur, ut qui per parentis, avi, vel fratris successionem bona obtinet, dicatur facere talem acquisitionem, quod pro ea gabellam solvere debeat, cum ita dicatur potius quædam bonorum continuatio jure naturæ, quam nova acquisitio.

Unde propterea plurium sententia est, quod etiam sta- 6
tuto nullum casum exceptuante, atque indefinite de quacumque successione, & hæreditate disponente, adhuc solvi non debeat per filium succedentem patri, ex collectis per Surd. *consil. 461. n. 13. & 14.* Rimin. jun. *cons. 15. numer. 9.* Merlin. *dec. 93. n. 14. & seqq.* Nigr. *de laudem. q. 16. art. 1. n. 17. ubi n. 30. refert tenentes contrarium.*

Pro hujusmodi autem statuti parte evitanda, ut in notula transmissa supponebatur, gabellarii defensores potissimum constituebant in eo, quod non verificaretur illa conjunctio utriusque hæreditatis antiquæ, & recentis in eadem persona, dum Joannes Baptista filius gravati morientis obtinebat solum antiquam fideicommissariam successionem Joannis Baptistæ senioris patrui magni, non autem ultimam Bartholomæi ejus patris, qui Joannem Baptistam Andream nepotem, ut supra, instituerat.

Hoc objectum in quo versabatur unicum gabellarii fundamentum, de plano tolli dicebam ex solo facto, dum ob repudiationem dicti Joannis Baptistæ Andreæ ultimi testamentarii, ita in successione fideicommissi consolidata quoque remanebat recens intestata hæreditas Bartholomæi patris, unde indubitanter verificata remanebat dispositio statutaria, cum de jure intestatus dicatur, non solum ille, qui moritur nullo condito testamento, sed etiam ille, qui cum eo decessit, non adita testamentaria hæreditate, quoniam idem est aliquem nullo condito testamento decessisse ab intestato, ac decessisse condito testamento, sed hæreditatem ejus vigore aditam non esse, juxt. text. literales *in l. intestatus, ff. de verbor. signific. l. 1. ff. de suis, & legit. §. 1.* 7
instit. de hered. quæ ab intest. defer. Angel. *cons. 159. n. 3.* Crass. §. *successio ab intest. qu. 1. n. 1.* Fusar. *de substit. q. 444. n. 4.* Rota in Perusina fideicommissi 13. Martii 1662. Verospio §. 1. Ac etiam, quia d. Bartholomæus Joannem Baptistam filium hæredem instituit in quibusdam bonis pro legitima, quæ cum juxta opinionem dicatur quota hæreditatis, obtineri non potest absque titulo hæreditario, itaut in hac quota, seu virili adhuc dicatur patris hæres, ex de- 8
ductis per Merlin. *de legit. lib. 3. tit. 4. q. 3. n. 4.* Capyc. Latr. *consult. 10. n. 11. cum seqq.* Quicquid enim sit de hoc assumpto ad alios effectus, & ubi alter est universaliter institutus, quod effugiendo superfluas evagationes, examinare neglectum fuit, recte tamen procedere dicebam ad hunc effectum, dum hæc mixtura hæreditatis paternæ cum altera antiqua hæreditate fideicommissaria, non pro præciso, & essentiali requisito, sed potius pro ratione, de qua infra consideranda videtur.

Quo vero ad alteram partem ratiocinativam, omnino attendendam, ubi verba non assisterent, vel expresse non 9
resisterent, plures rationes considerabam, ex quibus statutum loquens de hæreditatibus, & successionibus, aliisque dispositionibus, intelligendum veniat de immediatis, non autem mediatis, & quatenus de mediatis, ut pro regulanda exceptuatione attendi debeat persona gravati ultimo morientis, per cujus mortem successio aperitur, non autem persona gravantis, seu primi testatoris.

Primo ad id probandum ponderabam, quod hæres gra- 10
vatus, juxta veriorem, ac hodie receptam sententiam non dicitur simplex usufructuarius, ut aliqui male crediderunt, sed verus, ac perfectus dominus, cum aliqua tamen ejus dominii moderatione, ut scil. non habeat illam liberam

dispo-

disponendi de bonis suis facultatem, quæ dominio inesse dicitur, ut per Molin. *de primog. lib. 1. cap. 19. num. 4. cum seq.* Duran. *decis.* 155. *alias dec.* 200. *n.* 13. *p.* 5. *rec.* ac habetur pluries in sua materia *sub tit. de fideic.* ac etiam sub altero de feudis ad materiam Bullæ Baronum, ubi ad salvandam dictam Bullam ponderatur, quod fideicommissa antiquitus non erant obligatoria, ita effecta a temporibus Augusti citra, sed continebant simplicem commis-
11 sionem fidei ex sola congruentia servandæ, ad text. *in l. 2. §. post deinde, ff. de origine juris §. 1. ad fin. Instit. de fideic.* Pereg. *de fideic. art. 1. num. 6.* Rot. *decis.* 36. *n.* 44. *p.* 5. *rec. cum aliis in d. tit. de feud.* præsertim in Romana
12 contributionis de Cesiis *disc.* 89. Unde propterea, ubi filius succedit patri fideicommisso gravam, quamvis istud ab ulteriori ascendente, vel transversali ordinatum sit, ita verificari videtur ratio ponderata apud Merlin. *d. dec.* 193. laudata in Arimin. gabellæ 25. Junii 1657. Bevilaqua, quod scil. de patre in filium dicitur potius quædam bonorum continuatio ex ordine naturæ, quam successio;
13 Quoniam licet ex juris subtilitate, & fictione ad alios effectus propositionem habeamus, quod per fideicommissum, gravanti magis quam gravato succedi dicatur, ne scil. successor teneatur habere ratum factum ejus, cui immediate succedit, neque per istum gesta sibi præjudicent; Attamen de facto, ac inspecta naturali veritate per gravati, non autem gravantis mortem successio sibi aperitur, ac bona in eum transeunt, ideoque in proposito, ultimi, non autem primi morientis successio attendi debet.

Secundo, in idem ponderabam ea, quæ habemus in quæstione apud antiquos satis difficili, & involuta, apud modernos autem reddita plana, tam in fideicommissis, quam in feudis, & similibus, super regulanda proximitate, An scilicet attendi debeant persona gravantis, vel
14 illa gravati, ut satis frequenter in sua materia *sub tit. de fideic.* & sub altero de feudis, quod scil. in stricta juris censura ob dictam propositionem, quod fideicommissarius, fideicommittentis potius, quam gravati hæres, & successor dicitur, ipsius gravantis persona pro regulanda proximitate attendi deberet; Et tamen receptum est contrarium, ex plene deductis apud Otthob. *decis.* 21. & in locis citatis; Tum ex ratione majoris certitudinis proximitatis, ejusque facilioris probationis spectata persona ultimi morientis, ac ad evitandos inextricabiles litium labyrinthos post remotissima tempora intrantes super proximioritatis probatione, si persona gravantis attendenda esset; tum etiam ex dicta ratione, quod successio fideicommittentis resultat potius ex juris potentia, & fictione: attenta vero naturali veritate, & de facto, succedi dicitur ultimo morienti per quemdam successionis ordinem necessarium ab ipso non pervertibilem.

Tertio, considerabam inconvenientia exinde resultantia, quod scil. ob grave onus gabellæ de facili vocati ad fideicommissa, & majoratus retraherentur ab illorum a-
15 gnitione, quatenus gabellam de proprio solvere deberent, quia cum eorum jus sit resolubile, dari posset, quod beneficium resolveretur in maleficium, atque successor remaneret in proprio patrimonio damnificatus, si ad breve tempus per ejus mortem fieret casus restitutionis; Et quatenus gabella solvenda esset de ipsis bonis, ita contingente frequenti successionum casu, ipsa bonorum proprietas perpetuæ conservationi destinata paulatim a gabella consumeretur, atque fideicommissi dissipatio sequeretur.

Quarto, ponderabam receptam propositionem, quod una, & eadem res non debet duplici onere gravari, unde cum hæc hæreditas, quæ ita semper est unica jam senserit onus gabellæ, non videtur onus multiplicandum.

Et quinto demum ponderabam ea, quæ habemus in materia laudemii, quæ æquiparari gabellis, eodemque
16 jure censeri, ita ut inter ea intret argumentum æquiparatorum habetur cæteris collectis apud Surd. *decis.* 305. Ganav. *decis.* 4. Nigr. *de laudemio quæst. 5. art. 5. num. 26. & alibi eodem tractat. frequenter.* In laudemio autem communis, & recepta observantia comprobat, quod illud pro successione solvitur in primo ingressu, quando scil. bona ab una linea, vel genere personarum per extinctionem, vel alienationem transeunt in alteram lineam diversam, sed si deinde bona in linea, in quam ingressa sunt, continuare debent in filiis, & descendentibus, illud non solvitur, quoniam licet continuatio sit necessaria ex lege investituræ in forma pacti, & providentiæ, ob quam successor concedenti, vel primo acquirenti succedere dicitur, seu ab eo causam habere, attamen est potius continuatio bonorum de patre in filium, & in eadem linea, seu genere personarum.

Deducebam quoque generalem propositionem super hujusmodi statutorum odio, & exorbitantia, ut per Rom. *consil. 464. in princip.* quodque propterea stricte intelligenda sint, unde si loquuntur de relictis, & dispositis, non capiunt successionem universalem, juxta *consil.* 115.
Fulgos. quod reputatur in materia magistrali, ac esse verissimam, & firmissimam doctrinam dicit Ruin. *consil.* 17
139. *num. 17. cum seqq. lib. 5. num. 17. & seqq.* sequuntur Cephal. *cons.* 13. *num.* 18. Rimin. jun. *cons.* 15. *num.* 63. & habetur in Senen. gabellæ *hoc tit. disc.* 83. Necnon alteram propositionem, de qua apud Cyriac. *controv.* 286. Rot. *decis.* 118. *in fin. part.* 11. & frequenter supra in aliis ad hanc materiam gabellarum, quod sufficiat casum esse dubium, ut in dubio respondendum sit contra gabel-
lam, & pro ejus exclusione. Protestabar tamen hæc de- 18
ducere ad superabundantiam, & per solum argumentum, ut facilius intrarent dicti alii intellectus, non tamen admittendo, quod casus dici posset dubius, stante quod in statutis gabellæ hujus Civitatis, dicta propositio est in oppositum, ut scilicet in dubio judicandum sit pro gabella, & istam credebam esse veritatem.

ANNOT. AD DISC. CLIV.

An debeatur gabella de fideicommissaria, seu mediata successione, videnda sunt, quæ late super consimili statuto scribit Manzius Lucen. *consult.* 18.

TRANEN. GABELLÆ PRO ECCLESIASTICIS BAROLI CUM GABELLARIO, SEU COMMUNITATE.

Casus disputatus in S. Congregatione Immunitatis, & resolutus ut infra.

De gabella farinæ, seu molituræ, An & quando debeatur pro colonos, & laboratores Clericorum, ecclesiasticorum. Et an isti dare possint colonis panem non gabellatum, sive ratione ipsi ecclesiastici ad aliquam gabellam teneantur.

S U M M A R I U M.

1 *Ubi adest gabella farinæ, seu molituræ non potest introduci, seu contractari panis externus.*
2 *Casus controversiæ.*
3 *Quando famuli, & laboratores clericorum non possint comedere panem sine gabella.*
4 *De statu tenutarum Apuliæ, & ratione ob quam comedere panem francum non provenit ab immunitate ecclesiastica.*
5 *Furnus cum jure privativo vendendi panem importat quamdam speciem gabellæ.*
6 *Ad quæ onera laicalia ecclesiastici teneantur.*

D I S C. CLV.

Existente in Oppido Barolitano, juxta fere totius Re- 1
gni generalem usum, gabella farinæ, seu molituræ, per istius Capitula statutum est, neminem in dictum Oppidum ejusque recinctum vinearum duorum milliarium circumcirca introducere posse panem ab extra, seu illum non ingabellatum comedere, aut alias contractare, quod est rationabile, quoniam licet gabella imposita sit molituræ, ac vulgo dicatur gabella farinæ, seu macinatus, attamen quia ejus effectus respicit usum panis, idcirco istius introductio recte prohiberi potest ob præjudicia, & fraudes, quæ alias ipsi gabellæ resultant, ut in specie habetur per Rotam in Avenionen. seu Auracen. Molendini coram Verospio *dec.* 435. *p.* 9. *rec.* Quia vero extra dictum recinctum, tamquam in parte Apuliæ planæ, quæ est majus Italiæ, & forsan Europæ horreum, multæ adsunt magnæ tenutæ seminatoriæ, quæ ibi *massarie* dicuntur, in quibus ars agraria exer-
cetur, atque consuetudo est conducenti bubulcos aliosque 2
famulos, & laboratores, ex variis Regni, & extra partibus confluentes sub salario in pecunia annuorum ducatorum 30. & cum quadam diurna portione panis ex furno, seu vulgo *panettaria* ejusdem domini, seu conductoris tenutæ, quod aliquod præjudicium de facto generat gabellæ dicti adjacentis Oppidi Baroli, eo quia cum ob infelicem illius Regni conditionem, ex bannitorum, & latronum frequentia resultantem, etiam rustici in ipsis Civitatibus, &

Oppi-

Oppidis vivant, plures ex hujusmodi rusticis, & plebeis ita dictarum tenutarum servitio se addicunt, ibique comedunt, unde gabella sentit diminutionem illius majoris emolumenti, quod obtineret, si dicti rustici, & bubulci ejus incolæ non egrederentur, sed intra dictum recinctum commorando, & laborando, illum panem ingabellatum comedere cogerentur, ob quod damnum resarciendum, ab antiquo eadem Communitas indixit quamdam gabellam, vulgo nuncupatam *del pane di fuori*, hoc est ut illi cives, & incolæ ejusdem Oppidi, qui dictam artem agrariam in tenutis propriis, vel conductis exercent, teneantur solvere quamdam summam ad proportionem culturæ, puta ducatorum 10. pro quolibet curru terræ satæ, & ducato-
2 rum quinque pro quolibet curru segetum. Observantia vero antiqua, & immemorabilis, forte ab ipsius gabellæ introductione dedit, quod clerici, & ecclesiastici colentes tenutas proprias vel illas Ecclesiarum dictam gabellam solvere non consueverunt, minusque illi sæculares, qui a gabellis communitativis exempti sunt, ut puta affidati Regiæ dohannæ, & cives Neapolitani ac similes. Nuper vero gabellario prætendente, per ecclesiasticos quoque dictam gabellam solvendam esse, per eum adita fuit S. Congregatio immunitatis, atque cum præsupposito, quod clerici, & ecclesiastici eorum exemptionem ab ista gabella communicare vellent eorum famulis, & laboratoribus, alias gabellæ subjectis, obtinuit declarationem favorabilem, id scilicet non licere, cujus declarationis vigore Ordinarius ipsi gabellario benevolus aliquos ecclesiasticos ad dictæ gabellæ solutionem cogere cœpit. Verum istis recurrentibus ad eandem S. Congregationem, atque me pro eis scribente, dictæ declarationis revocatio sortita esset, nisi aliquod æquivocum, cum quo in hac materia aliqui non bene de hujus gabellæ natura informati procedebant, occasionem dedisset dilationi resolutionis, cum rescripto, quod interim supersederi deberet, quæ tamen provisio hucusque totalis revocationis effectum produxit, ac probabiliter producet in futurum. Quoniam gabellarius recte sciens hanc veritatem, eamque videns detectam, aliud non tentabit, & quando tentaret mihi certa videtur ejus succumbentia.

Scribens igitur pro Ecclesiasticis dicebam, quod ubi ageretur de gabella, pernecesse ab hujusmodi famulis, & la-
3 boratoribus alias solvenda, quia nempe, nisi haberent panem ab ipsis ecclesiasticis tenutarum dominis, cogerentur alias panem ingabellatum comedere, quodque exemptio panis a gabella de facto redundaret in utilitatem ipsius domini tenutæ juxta casum, de quo supra in Veliterna *disc.* 61. Et tunc admittebam, quod justa, & rationabilis esset gabellarii prætensio, quoniam ita non ageretur de Ecclesiasticorum exemptione passiva ab oneribus laicalibus, sed potius de jure activo exigendi ad proprium commodum, & utilitatem illam gabellam, quæ est Principis, seu Civitatis, ut advertitur in dicta Veliterna, ac etiam in specialibus terminis hujus gabellæ farinæ in Nullius Baron. *hoc tit. disc.* 54. esset enim ita locupletari de alieno, quod justum, & rationabile non est, potissime stante, quod, vel ratione antiqui concordati, vel ratione consuetudinis, ut pariter *in d. disc.* 54. advertitur taxata est frumenti quantitas, in qua Ecclesiastici ab ista gabella exempti esse debent, ac etiam quia de jure exemptionem obtinent pro eorum famulis, & colonis proprio ipsorum Ecclesiasticorum sumptu viventibus, non autem laboratorum sub diurno, vel menstruo salario, cujus pars dicitur ille panis, qui eis datur, itaut dicti panis franchitia in effectu sit pars illius diurnæ, vel menstruæ mercedis, quæ alias in pecunia solvenda esset, ut *d. disc.* 61.

Verum non erat ille casus controversiæ, quoniam in hujusmodi tenutis, sive intra, sive extra dicti Oppidi territorium existentibus, tam ecclesiasticorum, quam sæcu-
4 larium adest furnus, seu vulgo *panattaria* pro pane ipsius tenutæ famulis, & laboratoribus necessario, sive tenutarum domini sint Ecclesiastici, sive sæculares absque aliqua differentia, atque uniforme est salarium hujusmodi rusticorum, & laboratorum, non inspecta eorum patria, & an sint de isto Oppido, vel alio, in quo adsit ista gabella farinæ, vel panis, necne, & sic nil refert tenutæ domini, an dicti laboratores sint de uno loco, vel de altero, & an in eorum patria subjaceant, vel non subjaceant hujusmodi oneri, nam non per hoc salarium crescit, vel decrescit, & consequenter non intrat dicta ratio communicationis propriæ exemptionis famulis, & laboratoribus, qui alias non essent exempti.

Sive enim rustici hujus Oppidi habitatores laborarent in tenutis Ecclesiasticorum, sive in illis laicorum, nullum exemptionis privilegium habentium, adhuc pariter panem ibi non gabellatum comederent, idemque resultaret dictæ gabellæ præjudicialis effectus, qui resultare dicitur eo ipso, quod ejus incolæ exeunt a dicto recinctu, atque panem in ipso Oppido explanatum non comedunt, sive in una, sive in altera tenuta, aut loco illum habeant; Et sic est damnum secundarium, & consequutivum, quod ita resultat, non directe, sed indirecte, seu occasionaliter, quod scilicet tali occasione rustici discedunt a proprio domicilio, unde propterea minor panis quantitas ibi consumitur.

Dabam in hoc practicum exemplum Civitatis Albani, aliorumque similium locorum prope Urbem, in quibus Baro, vel Communitas habeat furnum cum jure privativo vendendi panem, quod quamdam speciem vectigalis, seu 5
gabellæ includit, ut advertitur in d. Veliterna *disc.* 61. si enim rustici, & laboratores talis loci ab eo non discederent, ibique comederent, utique major esset panis esitatio, & successive majus domini furni emolumentum, sed non exinde resultat, quod accedentibus dictis rusticis ad colendas vineas Urbis, seu alias ad laborandum in casalibus, & tenutis existentibus in agro Romano, ibique comedentibus, dicatur, quod vinearum, vel casalium domini aliquam exemptionem communicent non exemptis, cum sit damnum accessorium, & consequutivum, quod non habetur in consideratione ad regulam text. *in l. altius, C. de servit. & aqua cum concord.* Nil enim refert domino fundi, an laboratores solvant, necne in eorum patria gabellam, quia si solvunt nil ei minuitur, & si non solvunt nil crescit, atque in hoc est punctus.

Idque solum fuit causa, seu occasio, ut Communitas indiceret istam gabellam mere personalem ejus civibus, & subditis exercentibus artem agrariam, ab eis solvendam, quamvis in eorum tenutis casus daret, quod nullum hujus loci incola ibi laboraret; Ideoque ad gabellam istam, tanquam personalem Ecclesiastici, utpote exempti a potestate illam indicentis, nullatenus tenentur, cum solum teneantur ad 6
mere reales cum requisitis, de quibus apud celebres decisiones Brundusina coram Penia *inter suas dec.* 1079. & Alban. cor. Merlino *inter suas dec.* 902. alias 339. *p.* 6. *rec.* Hydruntina coram Celso *inter suas dec.* 249. cum aliis ad satietatem *dec.* 41 a *p.* 9. *rec.* ibique Addit. & frequenter supra in aliis *hoc tit.* Accedente potissimum observantia, quæ tamquam optima interpres nimirum dirimebat difficultatem, si quæ cadere potuisset, ac etiam quod laici ex Regio privilegio exempti a gabellis communitativis, neque solvunt talem gabellam: Ergo multo minus Ecclesiastici.

ANNOT. AD DISC. CLV.

AD hanc materiam videnda sunt ea, quæ habentur in annot. *disc.* 54.

NEPESINA GABELLÆ PASSUS PRO COMMUNITATE CIVITATIS NEPESINÆ CUM COMMUNITATE OPPIDI CAPRAROLÆ.

Casus disputatus in Congregatione boni regiminis.

De gabella passus, seu pedagii exigenda a transeuntibus per territorium ob onus refectionis pontium, & viarum; Et de concordia inter duas Communitates, seu populos super reciproca exemptione a gabellis, quando valeat, & quæ ad ejus validitatem requirantur. Et an rescindatur, si tractu temporis efficiatur nimium læsiva, & præjudicialis.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De gabellæ exactione concessa per viam gratiæ, & privilegii, vel per viam justitiæ, & de differentia.*
4 *Pontium, & viarum refectio facienda est per collectam inter habentes usum.*
5 *Pedagia quæ sint, & qua ratione exigantur.*
6 *Concordia extinguit omnia jura, & actiones.*
7 *De requisitis in concordiis, & aliis actibus concernentibus perpetuum præjudicium, qui fiant per Communitates.*

8 An

8 *An in concordiis inter duas Communitates, vel inter duos æque privilegiatos requirantur solemnitates.*
9 *Solemnitates requisita in alienatione bonorum Ecclesiæ requiruntur etiam inter duas Ecclesias.*
10 *De præsumptione solemnitatum ex lapsu longissimi temporis.*
11 *Non sufficit tempus, nisi concurrat observantia cum requisitis.*
12 *Hæc præsumptio non supplet defectum causæ, declaratur.*

D I S C. CLVI.

1 OB copiam novem pontium existentium in territorio Civitatis Nepesinæ quotidiano sumptu refectionis indigentium, per Summos Pontifices Leonem X. Clement. VIII. Paulum III. & Sixtum V. dictæ Civitatis communitati concessa, & respective ampliata fuit facultas exigendi quoddam pedagium, seu gabellam passus a transeuntibus per territorium prædictum, etiam cum mercibus concernentibus grasciam; Cumque de anno 1612. inter Magistratum hujus communitatis, & illum alterius communitatis Oppidi *Caprarolæ* inita esset concordia super reciproca exemptione a gabellis in utroque territorio respective existentibus, atque rei eventus doceret id huic communitati esse nimis præjudiciale, ob magnam inæqualitatem, cum supponeretur gabellam, seclusa dicta concordia per Cives, & incolas Nepesinos solvendam dictæ communitati Caprarolæ vix importare annua scuta decem; Econverso autem illam gabellam solvendam per dictos
2 oppidanos importare scuta circiter 150. Hinc proinde introducta causa in Congregatione boni regiminis, ob aliquas dilationes dictæ Communitatis Caprarolæ ad resolutionem, hucusque deventum non est.

Scribens autem pro communitate Nepesina, fundatam dicebam ejus intentionem in facultate exigendi hoc pedagium sibi concessa per Pontificia indulta, quæ non stricte intelligenda sunt, ut regulariter faciendum est in materia
3 onerum, & gabellarum, quando continent privilegium, & gratiam inductivam servitutis, ac restrictionem naturalis libertatis, sed large, & favorabiliter, cum potius ex justitia, quam ex gratia hæc facultas concessa sit, & tanquam per sententiam, seu declarationem ejus, quod est de jure, utpote concessam per Principem, potius tanquam supremum Magistratum justitiam administrantem, quam uti Principem tollentem jus tertii, quoniam cum hæc facultas concessa sit correspective ad onus refectionis tot pontium deservientium pro usu adjacentium populorum, intrat de jure onus refectionis per collectam ex re-
4 gula, secundum naturam &c. ad text. *in l. 2. C. de immun. nemini concedenda*, ubi Bart. & cæteri, de quibus per Riminald. seniorem *cons.* 31. quod reputatur in materia magistrale, sequuntur cæteri apud Peregr. *cons.* 102. *num.* 7. *lib.* 1. Sola *ad consuet. Sabaudiæ de reparat.* gloss. viam *num.* 12. Cohell. *ad Bullam boni regiminis c.* 28. *num.* 50. *& seq.* & cæteri de quibus in proposito contributionis pro refectione viarum supra in duplici Reatina *hoc tit. disc.* 139. *&* 141. Et de pedagio exigi solito pro transitu per aliquem pontem habetur pariter supra Nazarena pedagii *disc.* 131. ubi quod hujusmodi gabellæ passuum non sunt vere, & proprie gabellæ indictæ tanquam onera suppor-
5 tanda per populos ad beneficium Principis, vel Reipublicæ, sed tanquam commodior contributio ex lege justitiæ facienda per transeuntes pro refectione pontium, & viarum, ex quibus commodum reportant, juxta traditionem Abbatis *in c. innovamus num.* 6. *de censibus*, *& cap. super quibusdam de verbor. signif. cum concord.* per Botell. *de præstantia Regis Catholici cap.* 11. *num.* 43. *&* 44. & in aliis locis ut supra. Ideoque per alteram partem non controvertebatur.

Quare unica dubitandi ratio consistebat in dicta con-
6 cordia, quæ juxta vulgares quotidianas propositiones habet vim rei judicatæ, omniaque jura, & actiones extinguit, neque in alia superest judicis officium, nisi in ipsius concordiæ executione.

Non negabam dictam propositionem utpote veram, & irrefragabilem, quoties ageretur de concordia valida, & servatis servandis inita. Dicebam vero punctum esse in dicto requisito, cum quo præsupposito, & non alias eadem propositio locum habet, cum supponeretur dictam conventionem initam esse inter solos utriusque communitatis Magistratus, seu alios deputatos, quibus hæc facultas non competebat, quoniam in concernentibus graviora negotia, & perpetuum communitatis præjudicium nulla potestas est penes solum magistratum, cui demandata tan-
7 tum censentur concernentia currentem administrationem, in hujusmodi vero actibus plures requiruntur solemnitates deductæ per DD. ad materiam text. *in l. fin. C. de vendit. rerum Civitatis lib.* 11. de quibus Cachetan. *dec.* 39. Surd. *cons.* 28. *n.* 87. *& seqq. & consil.* 65. *n.* 17. Menoch. *cons.* 80. *num.* 22. *cum seqq.* Rota *dec.* 447. *p.* 5. *rec.* apud Celsum *decis.* 383. *n.* 2. *cum seqq.* Adden. ad Buratt. *dec.* 690. Præsertim, ut actus fiat a toto populo, vel illo majori consilio, quod populum repræsentat, ac etiam cum auctoritate superioris, & ex causa necessaria, vel utili; Quæ omnia requisita deerant, dum nulla accedat superioris auctoritas, fortius requisita in Statu Ecclesiastico, ubi juris communia dispositioni accedunt Apostolicæ Constitutiones, præsertim undecima Pauli V. deficiebat consensus populi, & quod magis deerat justa causa necessitatis, vel utilitatis, quinimo constabat de evidenti damno, & inæqualitate.

Et quamvis ageretur cum altera communitate, in hoc pariter privilegiata, attamen id non tollit necessitatem hujusmodi solemnitatum, quoniam regula, quod inter privilegiatos privilegia conquassantur, & magis communis, magisque hodie recepta sententia locum non habet, ubi unus contendit de lucro, alter de damno, sive unus
8 de majori damno, ut in proposito contractuum initorum inter duas mulieres, vel inter duos minores, sive inter minores, & mulieres cum similibus, plene Lucas *ad statut. Urb. gloss.* 7. Greg. *decis.* 164. ubi Adden. Buratt. & Add. *dec.* 480. *dec.* 98. *num.* 2. *cum seqq. p.* 11. *rec.* Et habemus etiam receptum in terminis *Extrav. Ambitiosæ de reb. Ec-
9 clesi. non alien.* ut ejus dispositio pariformiter procedat in alienationibus, aliisque contractibus inter duas Ecclesias, quinimo inter duas Capellas ejusdem Ecclesiæ, quia discooperiendum non est unum altare, ut alterum cooperiatur, de Marin. *resol.* 6. *n.* 14. *lib.* 1. Rota *decis.* 561. *n.* 7. *part.* 5. *rec. dec.* 191. *num.* 11. *part.* 7. *decis.* 336. *n.* 9. *part.* 10. *rec.* & sæpissime.

Scribentes in contrarium magnam vim constituebant in hujusmodi solemnitatum præsumpta interventu resultante a longissimi temporis observantia, ex deductis per Gabr.
10 *de præsumpt. concl.* 1. cum aliis, de quibus infra, & est de jure passim receptum etiam in alienationibus bonorum Ecclesiæ, non obstante satis vehementi resistentia juris resultante *a d. Extrav. Ambitiosæ*, quamvis hodie per Constitutionem Urbani VIII. in bonis, & juribus Ecclesiæ istud beneplacitum præsumptum, ubi non adest centenaria, sublatum sit, ut pluries *sub tit. de alienationib.* Verum hoc fundamentum nullius momenti videbatur ex duplici responsione. Primo, quia ad effectum inducendi dictam præsumptionem, non sufficit solus lapsus temporis longissimi, sed etiam accedere debet observantia, quæ requiritur certa, univoca, continuata, & pacifica per totum dictum tempus, Coccin. *dec.* 301. *n.* 4. Otthob. *dec.* 159. *n.* 11. 12. *&* 220. *n. penult. & finali*, *decis.* 188. *n.* 11. *& seqq. part.* 6. *recent.* cum aliis per Adden. ad Gregor. *decis.* 355. & ad Buratt. *dec.* 45. cujus observantiæ numquam interruptæ requisitum supponebatur deficere.

Et secundo, quia non potest plus operari fictio, quam veritas, neque majoris momenti est solemnitas præsumpta, quam vera, ideoque ubi etiam vere, & de facto aliæ solemnitates accessissent circa consensum totius populi, &
11 auctoritatem Superioris, adhuc insuperabilis remanebat defectus causæ, quem receptum est per beneplacitum Apostolicum, seu aliam solemnitatem non suppleri, ex deductis per Greg. *decis.* 113. *num.* 8. ubi Adden. *n.* 11. Cavaler. *dec.* 215. *n.* 2. *& passim*, licet longissima observantia inducat etiam præscriptionem utilitatis.

Præterea, ubi etiam ista concordia tunc valide, ac etiam æqualiter inita esset, ita ut eo tempore alterutro subsecutabilis esset, adhuc tamen cum tractu temporis redacta esset ad magnam inæqualitatem, & injustitiam, ut supra dicebam locum esse ejus rescissioni; Licet enim regula sit, ut in contractibus attendi debeat tempus, in quo illi fiunt, non curato subsequenti accidentali eventu, qui æque poterat se habere ad lucrum, & damnum, ad communiter notata *in l. præses, & l. de fideicommisso, Cod. de transact.* Attamen in iis, quæ habent tractum successivum, si tractu temporis contractus reducatur ad iniquitatem, ac magnam læsionem, seu inæqualitatem, adhuc læsio attenditur,
12 Natt. *cons.* 304. *& cons.* 548. *num.* 36. Thes. *dec.* 226. Capyc. Latr. *dec.* 18. Theodor. *alleg.* 23. Rota apud Marcin. Andr. *decis.* 48. *n.* 14. *& dec.* 70. *n.* 3. *&* 4. Rota in Calagurritana deci-

decimarum Sancti Ascentii 7. Februarii 1659. coram Cerro. Et de qua conclusione ejusque declarationibus habetur particulariter actum in dicta Calaguritana *sub tit. de decim.*

ANNOT. AD DISC. CLVI.

DE hac gabella passus, seu pedagii, ultra hic relatos, late agit Moles *in dec.* §. 14. Et an ista debeatur de cadavere, habetur infra *disc.* 166.

Et de requisitis in concordiis, quæ fiant per communitates, habetur in specie duarum communitatum, actum *sub tit. de alien. & contr. prohib. disc.* 24.

I M O L E N.
SOCIETATIS VECTIGALIUM PRO ALEXANDRO, ET ANNIBALE DE HECTORIS CUM JOSEPHO QUAINO, ET CAROLO RUSCONO.

Casus disputatus coram Thesaurario.

Quomodo computari debeat annus in illis appaltibus vectigalium, quæ uniformem fructum in omnibus anni partibus non reddunt, ut est appaltus gabellæ carnis, quæ est infructifera de tempore quadragesimali, cum similibus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *In quibus consistere dicatur appaltus vectigalium, & gabellarum.*
3 *Gabellæ regulariter sunt fructus civiles.*
4 *Quando regulentur jure fructuum naturalium, seu industrialium more prædiorum rusticorum.*
5 *Quomodo sit regulandus annus pro distributione fructuum, & pensionis.*
6 *Annus quiescens, vel præparatorius, adhuc dicitur producere fructum.*
7 *Emolumenta initiata, seu præparata tempore durantis societatis veniunt in commune, etiam si percipiantur post illam dissolutam.*
8 *Annus insolitus, & majoris utilitatis, ut est in dohanis, annus Jubilæi, vel sedis vacantis quomodo sit regulandus.*

D I S C. CLVII.

1 SUscepto per fratres de Hectoris a Thesaurariis Romandiolæ subappaltu gabellarum carnis, & macinatus Civitatis Imolæ, atque admissis ad dicti subappaltus societatem, vel participationem, Quaino, & Ruscono sub quibusdam legibus, & conditionibus, ob quarum non implementum ex facto, & culpa dictorum admissorum, cum judiciali etiam auctoritate dicta societas, seu participatio dissoluta fuit ad aliquos menses ante Dominicam Palmarum, a cujus tempore regulari solet gabella carnis, atque in redditione, vel respective solidatione computorum inter dictos socios pro tempore, quo societas duravit, dictis de Hectoris, qui negotium administrarunt ponentibus in rationibus quidquid debitum esset, & respective solutum pro pensione, seu censu appaltus usque ad dictam diem Dominicæ Palmarum; Prætendere cœperunt dicti alii socii, seu participes, ipsos non teneri ad prædictæ pensionis contributionem, nisi pro solo tempore durantis societatis, non autem post illam dissolutam, quando præsertim cadebat tempus quadragesimale; Unde assumpta coram Thesaurario generali disputatione super hoc puncto, qui erat juris, cum plures alii essent potius facti, Scribens pro dictis de Hectoris, cum sensu etiam veritatis, dicebam injustam esse hujusmodi prætensionem, dictumque tempus quadragesimale in calculo ponendum esse in damnum omnium sociorum pro regulanda pensione in singulos annos distributa, quamvis dictum tempus caderet post dissolutam societatem.

2 Cum enim substantia hujusmodi appaltuum consistere dicatur in ipso jure exigendi vectigalia, seu gerendi ea, ex quibus appaltuum emolumenta resultant, itaut ipsum jus exigendi, seu privative vendendi, aut aliud gerendi stet loco fundi, cujus fructus, & proventus locati sunt, juxta celebre *consil.* 156. Soccini *libr.* 2. cum aliis collectis per Larream *in decis.* 17. *cum seqq.* ac satis frequenter habetur supra ad materiam hujusmodi appaltuum, tam vectigalium, quam salinarum.

Hinc proinde licet frequentius jure, & apud DD. ad materiam textus *in l. divortio*, §. *quod in anno*, *ff. soluto matrim.* ubi est sedes materiæ circa repartitionem fructuum
inter plures illorum partecipes, & unde desumunt bene- 3
ficialistæ in frequentibus quæstionibus, quæ habentur
inter prædecessorem, & successorem in beneficio, sive inter hæredes prædecessoris, & Ecclesiam, vel Cameram Apostolicam, gabellæ enumerari soleant inter fructus civiles, adinstar prædiorum urbanorum, in omnibus anni partibus, singulisque diebus, & horis pariformiter currentes, & percipi solitos, eo modo quo fructus censuum, aliarumque præstationum enumerantur, unde propterea attenditur sola arimetica computatio, seu proportio mensium, vel dierum anni solaris, seu naturalium.

Attamen id non procedere dicebam in illis vectigalibus,
& gabellis, quæ in una parte anni fructant plus, & in al- 4
tera minus, ut proprie est ista gabella carnis, quæ de tempore quadragesimali est fere omnino inutilis, & infructifera ob prohibitum carnium usum, ac etiam est gabella piscium, quæ de eodem tempore quadragesimali longe majorem reddit fructum, quam in reliquis anni partibus, seu temporibus, ut supra *disc.* 134. ac etiam exemplificari potest in dohanis, seu vectigalibus, quæ exiguntur pro introductionibus, seu venditionibus mercium, quo tempore aliquarum nundinarum juxta regionum mores, ac mercium qualitates, vel fructant plus ratione majoris introductionis, & venditionis, juxta casum disputatum per Camill. de Medic. *cons.* 23. ubi de defalco prætenso per appaltatores dohanarum ob prohibitas nundinas Salerni, ex quibus magnum emolumentorum percipi solebat, vel respective fructant minus ob franchitias, quæ in nundinis habentur, unde eo tempore gabella remanet infructifera cum similibus.

His enim casibus procedendum non est cum regula aritmeticæ proportionis, cum qua proceditur in prædiis urbanis habitationi, seu quotidiano uniformi usui destinatis, sed proceditur cum regula, quæ habetur in prædiis rusticis, quæ magis in uno, quam in altero anno, sive magis in una, quam in altera anni parte fructare solent, Tunc enim non proceditur cum dicta aritmetica proportione anni solaris, sed an-
nus constituitur ex toto eo tempore, in quo integer fructus, 5
seu integra recollecta percipitur, facta peræquatione omnium temporum plus, & minus fructantium, ex quibus omnibus annus constituitur, ac regulandus est, etiamsi triennium, vel decennium ad id requiratur, cum tale spatium pro uno anno habeatur; Et econtra si quolibet semestre dicta integra perceptio fiat, ab eo anno constituatur juxta receptissimam magistralem theoricam Bartoli *in leg. item quæritur*, §. *qui impleto*, *ff. locati*, ubi cæteri communiter, ac etiam *in d. l. divortio*, §. *quod in anno*, *ff. solut. matrim.* ubi post Bart. Castr. & alios, late Petrus Barb. quos omnes juxta subjectæ materiæ qualitatem reassumunt, Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 85. Mantic. *de tacit. lib.* 5. *tit.* 3. & late Barbat. in ejus tractatu de divisione fructuum, ac etiam Rota *decis.* 219. *n.* 7. *part.* 10. *rec.*

Unde exemplificant DD. præsertim *in d. leg. divortio*, §.
quod in anno, in terris, quæ ad frugum recollectionem 6
coluntur, quod si in uno anno oporteat facere segetes, ac relinquere terram otiosam, & quiescentem, in altera vero seritur, & percipitur fructus, annus constituitur ex integre biennio, nam annus quiescens, seu otiosus æque concurrere dicitur ad fructuum perceptionem tamquam eorum præparatorius; Et econverso *in d. l. item quæritur*, §. *qui impleto*, advertitur in prædiis urbanis, quod in una hebdomada, vel anni parte domus majorem fructum, vel
commodum præbeat, puta quia sit prope nundinas, &c. re- 7
gulatur jure prædii rustici cum similibus; Ideoque in hac facti specie dicebam, quod vel integra pensio totius anni repartienda est in illis solis mensibus, in quibus usus carnium habetur, vel etiam tempus quadragesimale reponendum est in calculo, quamvis illud caderet post dissolutam societatem, pro qua regulanda attendenda est proportio fructuum, seu emolumentorum.

Quoniam emolumenta præparata de tempore durantis societatis veniunt sub negotio sociali, quamvis eorum actualis perceptio sequeretur post societatem dissolutam juxta celebrem decisionem in Romana Accomandiæ cor. Pirovano *dec.* 554. *p.* 1. *rec.* cum aliis collectis per Buratt. *dec.* 465. *num.* 1. Unde propterea habetur supra in Ro-
mana defalchi *disc.* 65. *circa finem*, quod annus Jubilæi, 8
vel Sedis vacantis verisimiliter prævisæ tamquam extra-
ordi-

ordinarius, & insolitæ utilitatis productivus regolandus non est jure aliorum annorum, & cum sola proportione aritmetica, sed est repartiendus in omnibus annis appaltus, cum similibus.

ANNOT. AD DISC. CLVII.

SUper contentis in hoc discursu super modo computandi annum pro Divisione fructuum, conferunt ea, quæ habentur *sub tit. de Pension. dis. 24. & seqq. sub tit. de Dote, disc. 160.*

IMOLEN.
SEU FAVENTINA DATII
PRO COMMUNITATE IMOLÆ,
CUM COMMUNITATE FAVENTIÆ.

Casus disputatus in Congregatione Boni Regiminis, & resolutus pro Communitate Faventiæ.

SI Civitas subdita habeat jus exigendi aliquod datium pro omnibus rebus & mercibus transeuntibus per ejus territorium, An exigere possit datium prædictum pro transitu illius salis, quem Civitates & loca recipiunt de necessitate a salaria Principis, cum prohibitione habendi aliunde, & cum onere solvendi cariori pretio, sub quo vectigal Principi solvi dicitur.

SUMMARIUM

1 *FActi series.*
2 *De antiquo Statu Faventiæ.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *Observantia 30. annorum in non solvendo gabellam inducit præscriptionem exemptionis in futurum.*
5 *An procedat in gabellis Cameralibus, & de ratione differentiæ.*
6 *De ratione ob quam vectigal exigi solitum pro mercibus & bonis, quæ transeunt per territorium non debet solvi pro sale, & de ratione differentiæ.*

DISC. CLVIII.

1 CUm ab antiquo Civitas Faventiæ, incertum est ex quo titulo, probabilius autem de facto, & auctoritate propria, quando juxta illorum temporum conditionem fere omnes hujus regionis Civitates per quamdam speciem Reipublicæ, vel sub proprio Domino, vel Tyranno regebantur, exigere solita esset quoddam vectigal de omnibus bonis, & mercibus per ejus territorium transeuntibus, & præsertim pro sale, qui per alias adjacentes Civitates, & loca emi solebat a Camera in salinis Cerviæ, de quo vectigali mentionem faciunt Dynus & Bart. *in l. locatio alias licitatio 9. §. mercatores, ff. de publican.* Atque sub Julio III. dicta Faventina Civitas, quæ prius vivebat sub proprio Domino, seu Tyranno, ut patet ex deductis per Tuscul. verbo *Faventina Civitatis, concl. 84.* se de-
2 disset immediate superioritati, ac regimini Papæ, idem Julius confirmavit omnia ejus jura & privilegia, illud præsertim exigendi hoc vectigal, quod successive confirmavit Paulus IV. Cumque moderno tempore ab annis 30. & ultra supponeretur, per Civitatem Imolæ, ejusque cives incolas, & districtuales illud datium solutum non fuisse pro eo sale, qui pro ejusdem Civitatis, suique districtus usu per hoc territorium asportatur a dictis salinis Cerviensibus, nuper vero ad hujusmodi exactionem de facto procederetur; Hinc orta controversia, & introducta causa in Congregatione boni Regiminis prodiit resolutio Faventiæ communitati favorabilis, concessaque
3 nova audientia, in qua solum Ego scripsi, persistitum fuit in decisis, incertum est ex quibus fundamentis; Quantum tamen desumi potuit, ex eo potissimum, ac principaliter generalis observantiæ, quod scilicet omnes aliæ communitates idem vectigal solverent, potissime quia hoc Tribunal communitatum bono regimini ac levamini deputatum, quandoque cum legibus prudentialibus, seu quadam non scripta æquitate procedere solet, aliqualiter egrediendo rigorosos juris cancellos juxta singulorum casuum particulares contingentias, unde propterea non de facili judicium ex hujusmodi determinationibus super legali veritate efformari potest.

In hac igitur disputatione per alios scribentes pro hac parte principale fundamentum constituebatur in exemptionis præscriptione resultante a tricennali observantia;
cum in hac vectigalium & gabellarum materia illud favore libertatis peculiare videatur, quod etiam sine solitis requisitis præscriptionis, solum observantia temporis longissimi inducat exemptionem & præscriptionem etiam in futurum, ut apud Eugen. *cons. 62. num. 25. & sequ. lib. 1.* Surd. *cons. 234. n. 10.* Capyc. Latr. *consult. 68. n. 4. cum sequ.* Farinac. *q. 173. n. 101.* Cohell. *ad Bullam boni Regiminis, c. 30. n. 230. cum seq. & in aliis hoc eod. tit.* 4

Adversus hoc fundamentum duo objiciebantur. Primo, quod ista conclusio de facto in statu Ecclesiastico non videatur usu recepta, Et secundo, quod revera non adesset hæc pacifica observantia tricennalis ob aliquas interruptionis, quæ per alteram partem prætendebantur; De hoc autem secundo, utpote in nudo facto consistente, quæstio fuit inter causæ patronos, cum in iis quæ facti sunt, Advocati in Curia nullas partes gerere soleant; Quatenus vero pertinet ad primum motivum, observabam respondendo, illud continere aliquod æquivocum circa applicationem, quoniam in gabellis, & vectigalibus cameralibus non de facili ad praxim reduci potest dicta præscriptio resultans a non solutione per tempus longissimum, ut alibi *hoc eod. tit.* etiam advertitur, vel ob decretum irritans contentum in Constitutionibus, seu chirographis editis super hujusmodi onerum impositione, per 5
quod juxta receptam & quotidianam propositionem inficitur quæcumque possessio, sine qua dari non potest præscriptio, & consequenter non solum illa tollitur, sed impeditur, ne unquam oriatur; tum etiam ob superventas Constitutiones revocatorias, de quibus Sabinen. exemptionis, *disc. 47.* & in aliis, per quas, quæcumque exemptiones & franchitiæ etiam per expressa privilegia quæsita revocata fuerunt, firmis solum remanentibus illis, quæ competunt ex causa vere onerosa, & correspectiva judicata in plena Camera, quę non procedunt in gabellis communitativis, de quibus Constitutiones non loquuntur. Ideoque juris dispositio incorrecta remanet, sed de hoc parum actum fuit, cum factum dictæ pacificæ observantiæ non bene assisteret.

Cæterum ego observabam opus non esse assumere hujusmodi inspectionem super formali præscriptione gabellæ seu vectigalis, alias certi, neque capere dictam observantiam tanquam formiter præscriptivam, unde propterea allegant incumbat onus illam bene concludendi, sed illam capere tanquam interpretativam casus dubii, ad quem 6
effectum, non requiritur certum & determinatum tempus, sed sufficit ita quandoque servatum fuisse juxta receptissimam atque in foro quotidianam distinctionem.

Quod autem hoc vectigal pro transitu salis debitum non esset, vel saltem id esset probabiliter dubium, observabam quod tam antiquo tempore, quo loquuntur Dinus, & Bart. quam etiam in modernioribus dictarum Apostolicarum confirmationum Julii II. & Pauli IV. quamvis Camera Apostolica esset domina, vel omnium, vel aliquarum salinarum Cerviæ, attamen adhuc pro ista provincia & aliquibus aliis partibus Status Ecclesiastici introducta non erat præcisa necessitas communitatum & populorum capiendi hunc salem cum rigorosis pœnalibus prohibitionibus se providendi aliunde, cum id provenerit a temporibus Gregorii XIII. citra in ejus Constitutione 19. cujus mentionem facit Barbosa *in l. divortio, §. si vir, n. 29. in fin. ff. solut. matr.* unde communitates, & populi facultatem habebant se providendi aliunde, quinimo quibuslibet negotiatoribus, seu aliis dabatur facultas ad industriam emere & introducere salem adinstar cujuscumque alterius mercis, seu victualis, & consequenter ille cadebat sub genere mercium, ac aliarum rerum indifferentium, pro quibus non negabatur potestas exigendi hoc vectigal.

Secus autem a dicto tempore citra ob superventam immutationem status rerum circa hanc speciem, Tum quia ita illa effecta est de Regalibus, ob implicitum vectigal quod in ipso jure privativo vendendi inesse dicitur ratione alterationis pretii extrinseci exinde resultantis juxta celebre *consil.* Soccin. 156. *lib.* 2. & habetur supra satis frequenter ad hanc salis & salinarum materiam, ideoque intrare videtur privilegium fisci super exemptione a quibuscumque vectigalibus. Tum etiam quia populi ita per hoc novum vectigal gravati circa rem, quam pro certo, determinato ac inalterabili pretio solvere coguntur, cum prohibitione se providendi aliunde, suamque industriam adhibendi, ut antea poterant, gra-

vandi non videntur duplici ordine, cum istud non sit vectigal quod specialiter impositum esset super sale, sed sit generale super omnibus mercibus, & rebus, sub quo genere antiquitus merito comprehendebatur etiam hæc species quæ emi & traduci solebat cum industria & jure aliarum mercium, quod in præsenti ob dictam status rei immutationem dici non poterit; Verum id reputatum fuit Advocatorum acumen & ratiocinium; mihi vero videbatur motivum satis probabile & judicium, sed contraria observantia aliarum Civitatum, & locorum adjacentia magnum præstitit obstaculum.

ANNOT. AD DISC. CLVII. & CLIX.

AD hanc materiam salis, & defalchi videnda sunt ea, quæ habentur supra in suis respective sedibus, nempe *disc.65. & seq. & 105. cum seqq.*

FERRARIEN. DEFALCHI, PRO CAMILLO CARNESECHIO ET SOCIIS, CUM CAMERA,

Casus disputatus in Congregatione Camerali.

An diminuto solito pretio salis in una provincia, possit Appaltator Salariæ alterius provinciæ ejusdem Principatus dicere se damnificatum ex facto locatoris, atque ita petere refectionem damnorum, vel remissionem pensionis; Et generaliter, An & quando damna provenientia Appaltatoribus vectigalium aliorumque jurium Regalium ex augmentis, vel diminutionibus eorumdem vectigalium, sive ex aliis provisionibus refici debeant necne; Et de differentia inter casum, quo innovatio sit causa proxima & immediata damni, vel sit occasio, seu causa remota.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De theorica Bartoli, an, & quando damnum appaltatori resultans e facto locatoris sit reficiendum.*
3 *De damno ob extinctionem, vel diminutionem gabella appaltata.*
4 *De damno resultante ab edictis, & bannimentis prohibentibus commercium, seu alias rerum statum alternantibus.*
5 *De specialibus terminis damni dati in appaltu salaria.*
6 *Non attenditur, an locator sit in culpa, necne, sed spectatur quod appaltator sentiat ex ejus facto damnum.*
7 *Declaratur juxta sensum Larrea quando hac procedant.*
8 *De materia damni resultant is ex casibus mere fortuitis.*
9 *Et econtra de damno ex facto locatoris voluntario juxta exempla de quibus, n. 3. 4. & 5.*
10 *De distinctione, an factum locatoris sit culposum, necne, & de effectibus exinde resultantibus.*
11 *De difficultate que habetur adversus decision. 285. post Pacificum, & quando appaltator efficiatur administrator gabella.*
12 *De damno resultante Appaltatoribus gabellarum, & vectigalium ex bannimentis, & provisionibus pro causa publica belli divini, vel humani, aut simili.*
13 *De aliis casibus disputatis cadentibus sub eadem inspectione, de qua num. praced.*
14 *Quid ubi Appaltatori impediuntur tracta ob causam publica annona.*
15 *Quid in casu belli activi, an intret culpa Principis, & de damno ab inimicis.*
16 *Quando provisiones de quibus, num. 12. & seqq. causent remissionem pensionis.*
17 *Quando diminuitur pretium salis dicitur extingui gabella in parte, & deficere substantia rei.*
18 *An gesta per Principem, vel ejus Officiales in una provincia dicantur importare factum prajudiciale in altera.*
19 *Casus omnino insoliti non veniunt sub pactis, & renunciationibus, seu regulis generalibus.*
20 *De remissione competente ex deficiente prasupposito, sub quo appaltus initus est, juxta conf. 402. Antharani.*

D I S C. CLIX.

CUm in appaltu generali effectuum cameralium Civi- 1
tatis & status Ferrariæ comprehendatur salaria 7.
mill. rubrorum salis Cerviæ, quos Camera Appaltatori
singulis non concedit cum jure privato vendendi, ac
obligatione impediendi quamcumque aliam dictæ materiæ
contractationem; Durante vero appaltu de anno 1658.
ad novennium suscepto per Carnesecchium & & socios,
hoc est de anno 1662. per Alexandrum VII. suppressa essent augmenta sub Urbano VIII. imposita super sal pro
toto Statu, excepto præfato Ferrariæ ipsorum loca alia
onera imponendo, unde propterea consuetum pretium
salis notabiliter diminutum est, & consequenter ejusdem
Status Ferrariensis populi ob magnam differentiam pretii
majoris, pro quo sal a proprio Appaltatore vendebatur,
curarunt clandestine, atque, ut vulgo dicitur, cum contrabannis, se providere a salariis Cerviæ, quod causavit
Appaltatoribus damnum scutorum 20. mil. ab impeditam
conflictæ quantitatis salis esitationem in reliquo tempore
appaltus; Hinc dicto appaltu terminato, ac præsentatis
juxta solitum computis in Congregatione camerali pro
soliditate computorum, cum inter alias partitas bonificandas adesset ista adeo notabilis, cui acriter se opponebant Camerales.

Assumpta desuper disputatione, scribentes pro Appaltatoribus, insistebant in magistrali theorica Bartoli *in l.*
si uno, §. item cum quidam, ff. locati, & in q. 4. quæ incipit 2
Publicanus, ubi distinguitur, quod aut locator voluntarie seu alias culpose impedit Appaltatorem in perceptione emolumentorum appaltus, seu alias istius consuetum
statum alterat, puta augendo, vel minuendo, seu supprimendo gabellas, aut prohibendo commercium cum similibus, sive non prohibendo eum, quem prohibere potest
damnum Appaltatori inferentem, & tunc quia dicitur
violare legem contractus, ac non præstare illam patientiam, ad quam locator ex natura hujus contractus tenetur, non solum locus est remissioni pensionis pro rata damni tale quale sit, non curato, an ascendat ad terminos
intolerabilitatis necne, ut requiritur in casu damni accidentalis juxta terminos textus *in leg. licet, Cod. locati, &*
cap. potuit, & cap. propter sterilitatem extra eosdem, sed
etiam reficiendum est totum damnum, etiam illud lucri
amissi; Aut tale factum non est culposum, & tunc non
intrat hæc obligatio refectionis damni, sed bene locus est
remissioni pensionis ad proportionem damni quale sit absque necessitate probandi, seu liquidandi intolerabilitatem,
ut ita distinguendo ac sequendo præfatam theoricam, in
specialibus terminis hujusmodi appaltuum alterationem
recipientium ob augmentum, sive diminutionem, aut 3
extinctionem gabellarum, cæteris relatis Eugen. *cons.* 50.
l. 1. Marcian. sen. *cons.* 7. Anna, *alleg.* 21. Bursat. *consil.*
309. Rota in Romana appaltus coram Justo, *dec.* 285. post
Paris de Salviano; Et pluries habetur supra *hoc tit.* præsertim in Fulginat. *disc.* 107. Et in terminis prohibitionis 4
consueti commercii, unde propterea ob diminutas merces
diminuantur dohanæ late Menoc. *cons.* 671. quod est in
materia celebre; Et de prohibitione consuetarum nundinarum, Camil. de Medic. *consil.* 23. & 141. cum aliis collectis per Amat. *resol.* 18. *per tot. præsertim, n. penult. & finali*, Castill. *lib.* 3. *contr. c.* 3. *n.* 4. *cum seq.* Cyriac. *contr.* 233. *nu.*
12. *cum seq* Censal. *dec. Lucen.* 14.

Et in magis punctualibus terminis appaltus salariæ Au-
charan. *cons.* 414. & Socin. *cons.* 156. *lib.* 2. ubi de salaria 5
Marchiæ. Et de alio contractu istorum salium Cerviæ,
in quo non servabantur consuetæ franchitiæ, Gozadin.
cons. 20. Eainde inferendo, quod de rigore totum damnum etiam illud lucri amissi reficiendum esset, cum hæc
alteratio fuerit mere voluntaria, & consequenter culposa; Et quando super hoc aliqua subesset difficultas, il-
lam tamen cessare dicebant circa remissionem pensionis, 6
ad quem effectum sufficit, quod Appaltator de facto passus fuerit damnum, non curato, an factum locatoris ex
justa, vel injusta causa provenerit, & an esset culposum
necne, quoniam quod Appaltatorem nihil refert locatorem non esse in culpa, si ipse ex ejus facto remanet damnificatus, ut præsertim advertunt Amat. & Castill. ubi supra, & Censal. *d. dec. Lucen.* 14. *n.* 47. *cum sequent.* ubi ita
conciliare curat contrarias auctoritates respondendo præsertim ad Larream *alleg.* 17. *& sequent.* & alias auctoritates, quæ fiscalibus assistunt. Econverso autem Camerales reassumendo ea, quæ plene in materia deducuntur

per

per Larream qui est hodie fiscalium Achilles & magister, ac etiam per Aliogr. jun. *in voto, seu dec. post ejus controversias*, ubi late in materia se diffundit. Dicebant præmissa procedere, ubi Princeps, vel ejus Officiales causa lucri, seu ex alio facto mere voluntario id agunt, secus autem, ubi causa publica impellente aliquid ordinant, non directe & immediate ad diminuendum ipsum appaltum, & damnificandum Appaltatorem, sed ad alium finem, ex quo accidentaliter & consequutive tale damnum resultet, cum tunc factum Principis, seu ejus Officialium & Magistratuum vere & proprie non contineat violationem legis contractus, minusque sit proxima & immediata causa damni, sed solum sit causa remota, seu occasio, & tanquam species casus fortuiti, qualem continere dicitur factum Principis, & consequenter quod materia regulari deberet juxta dictos terminos dd. jurium *in leg. licet, Cod. locati, cap. potuit, & cap. propter sterilitatem extra eodem*, ut scilicet damnum a casu fortuito contingens debeat esse intollerabile, ut sit remissione dignum, cadente solum quæstione inter DD.
5 super dicta qualitate intolerabilitatis, quæ tamen quæstio in præsenti cessabat ex partium conventione, dum in capitulis appaltus statutum erat damnum dici intollerabile, ubi esset in quarta parte, regulando quemlibet annuo de per se, atque ita tollendo solitas quæstiones super compensatione unius anni cum altero, & peræquatione omnium annorum totiusque temporis appaltus; Et hunc dicebant esse casum controversiæ, dum Papa principaliter pro levamine, seu commoditate aliorum populorum extinxerat, seu commutaverat hoc onus, nihil innovando in ipso Statu Ferrariæ, pro quo factus fuerat appaltus, qui proinde directe nullam receperat alterationem, ita sequutam accidentaliter, seu occasionaliter unde proposita causa, Congregatio sequendo sensum Cameralium, censuit admittendam non esse hujus partitæ bonificationem.

Concessa vero de mora nova audientia, ego in hoc statu ad causæ defensionem assumptus, aliisque doctis defensoribus adjunctus in congressu juxta laudabilem stylum pro causæ bona directione habito, excitavi contra clientes difficultates, de quibus infra, & agnoscendo quod procedendo ita per dicta generalia, causa esset periculosa, fui in sensu, quod quædam media via tenenda esset, curando scilicet constituere quendam casum mixtum, cui obstare non deberent Cameralium oppositiones; Aliisque in meam sententiam devenientibus, ego ex aliorum commissione sub nomine omnium, scribendo in forma restrictus; Dicebam, quod cum in hac materia ob plurium casuum diversitatem, nimium diversa juris dispositio resultet, hinc proinde ad veritatem eruendam, ac tollenda æquivoca industria per aliquos modernos, ut frequenter in aliis materiis, ob casuum confusionem illorum distinctio necessaria est, ut ita congrue activa passivis applicentur.

Primus igitur casus est, ubi damnum Appaltatoris provenit a mere fortuito accidenti, nullum locatoris, vel ejus officialium admixtum factum habente, utpote ex sterilitate, imbribus, locustis, inundatione, & peste,
8 aut aliis casibus, Cœli, vel naturæ vitio, vel etiam facto tertii, quem locator prohibere non potest, atque iste dicitur casus mere fortuitus, in quo vere & proprie intrant dicti termini textus *in cap. potuit, & cap. propter sterilitatem extra locati, & leg. licet, Cod. eod.* regulandus cum terminis generalibus, de quibus frequenter supra, ac etiam *sub tit. de locatione*. An scilicet accidens percutiat damnum in substantia, vel in fructibus, ut primo casu intret refectio damni, seu restaurum ad portionem, tale quale ipsum damnum sit, in altero autem debeat esse intolerabile, & super cujus intolerabilitatis qualitate instant quæstiones, cadentes etiam, an illud potuerit prævideri necne, sive an fuerit renunciatum, & an renunciatio capiat casus omnino insolitos & incogitatos, & an ubertas, seu utilitas unius anni compenset damnum alterius cum similibus, de quibus in præsenti agere extraneum erat, dum conventio partium in capitulis appaltus super his omnibus providerit, sed non judicabatur expediens procedere per hanc viam ob nimias difficultates cadere solitas super liquidatione damni singulis annis, & an illud esset in quarta necne.

9 Alter est casus oppositus, ubi cessante quacumque necessaria, vel publica causa, damnum Appaltatoris, seu alteratio consueti status appaltus provenit a facto mere voluntario locatoris, vel ejus officialium, ac eorum quos prohibere potest, itaut non prohibendo dicatur esse in culpa, qualis supponitur casus positus per Socc. *d. cons. 156. lib. 2.* quod scil. officiales Camerales non prohiberent illos, qui de facto vendebant salem in aliquibus locis provinciæ Marchiæ ex prætensa concessione Pontificis, unde non præstabatur debita patientia circa jus privativum, in quo substantia appaltus consistit; Idemque, vel similis est casus positus per Aochar. *cons. 414.* quod scil. locator salariæ Imolæ cum ejus districtu non cogeret aliquos, seu non prohiberet aliquos districtuales de facto sibi usurpantes libertatem introducendi salem aliunde; Ac etiam per Gozzad. *d. cons. 20.* quod officiales Camerales non prohiberent gabellarios exigentes gabellas & pedagia ab emptoribus salium Cerviæ, quibus franchitia expresse promissa erat.

Atque sub eodem casu venit ille extinctionis alicujus gabellæ in appaltu comprehensæ, seu augmenti ejusdem gabellæ appaltatæ, itaut factum innovativum locatoris, vel ejus officialium directe feriat consuetum statum appaltus, ac damnum Appaltatoris juxta casum, de quo agunt Bursatt. *d. cons. 309.* ubi de extinctione gabellæ, de quo etiam Rot. *d. dec. 285. post Pacif.* Et de gabellæ augmento, quinimo augmenti fama & rumore, Eugen. *d. cons. 50.* Marcian. *d. cons. 7.* Anna *alleg. 21. & similes*. Et tunc intret inspectio, seu distinctio, an id ex justa & rationabili causa cujuscumque culpæ & violationis fidei exclusiva sequatur, vel econverso, ut 10
hoc secundo casu culposo intret omnimoda refectio damni etiam ratione lucri amissi, in primo autem intret solum remissio pensionis pro rata damni tale quale sit, non curato, an sit intolerabile necne, quoniam justum non est nec rationabile, ut locator percipiat pensionem ex re, quam ita non præstat, seu præstat diminutam, atque a consueto statu alteratam, nam esset locupletari cum aliena jactura resultante ab ipsius facto, non curato an ex justa, vel injusta causa id sequatur quoniam justitia causæ sufficere quidem debet ad illum præservandum a damno, quod alias resultaret ex obligatione reficiendi conductori omnia damna & interesse ut supra, non autem ut ipse faciat lucrum cum damno alterius, ut in ordine ad remissionem pensionis admittit idem fiscalis Larrea, *alleg. 20.*

Stante autem hac distinctione, mihi non omnino placere 11
consuevit *d. decisio* Rotæ in Romana appaltus coram Justo 285. post Pacif. quatenus decernatur ad favorem Appaltatoris ob extinctionem gabellæ appaltatæ totale interesse, etiam illud lucri amissi, quoniam hujusmodi provisiones, seu alterationes circa gabellarum augmenta, diminutiones vel extinctiones fieri non solent, nisi ex justa causa publicæ necessitatis, vel utilitatis, ideoque solum consulendum est, ut ipse appaltator remaneat a quocumque damno præservatus, illum efficiendo simplicem administratorem obligatum ad redditionem rationum, juxta casum, de quo supra in Romana redditionis rationum, *disc. 86.*

Tertius casus est, ubi alteratio appaltus, vel directe & immediate, vel indirecte & causative provenit a facto ipsius Principis locantis jus Regale, vel vectigal, ex alio tamen motivo publicam causam concernente, & de quo pro- 12
prie agunt Menoch. *d. cons. 671.* ubi de prohibitione facta per Regem Catholicum, ejusque Magistratus, ne naves Olandensium, Zelandensium, aliarumque inimicarum nationum suorum Regnorum portus appellerent, ibique commercium haberent, quod notabile causavit damnum appaltatoribus vectigalium, & dohanarum; & Camillt de Medic. *d. consil. 25. & 141.* ubi de prohibitione facta per Proregem ne fierent nundinæ Salerni ob suspicionem pestis, quod Appaltatori dohanarum nimium præjudicavit, & de quibus vel similibus casibus principaliter agit Larrea *d. allegat. 17. cum pluribus seqq.* Et tunc quicquid dicant Menoch. Medic. & alii consulentes, ad pecuniam, seu causæ opportunitatem potius quam ad veritatem scribentes, omnino videtur id quod sustinet Larrea, qui tamen juxta illum doctum quidem, sed prolixum & non omnino distinctum stylum, aliqualiter casus confundit, ut non intret dicta distinctio, seu theorica Bartoli, de qua in secundo casu proxime præcedenti, sed potius iste dicatur casus fortuitus veniens sub primo, ut supra exemplificato, quoniam licite apparenter, seu naturaliter, & de facto præjudicialis innovatio proveniat a facto ipsius Principis, qui poterat non facere, vel ejus Magistratuum & Officialium, quos poterat prohibere, Attamen videtur factum potius necessarium quam voluntarium, ita status, vel publicæ salutis necessitate impellente ad majora mala evitanda, adeout delinqueret in officio, seu munere Princeps, vel ejus Magistratus id omittendo, vel differendo.

Idemque videtur casus, de quo agunt Cravet. *conf.* 95. & Venturin. *conf.* 15. ubi scilicet ad tollendos abusus, aut alias
13 bono Reipublicæ regimine ita exigente, aliquæ fiunt provisiones, seu prohibitiones, ob quas emolumenta appaltus notabiliter minuantur, quoniam Princeps, vel Magistratus non minuit ipsa emolumenta, vel jus, cujus ratione ipsa percipiuntur, sed tollit illam occasionem, ex qua eorum major obventio obveniebat juxta casum, quem disputavi in Congregatione Camerali in una Perusina pro Angelo Margaritonio Appaltatore Societatiæ Provinciæ Umbriæ, aliqua emolumenta percipere ex licentiis deferendi arma ob superventam rigorosam prohibitionem Sacræ Consultæ factam illi Gubernatori ob plura inconvenientia exinde resultantia, quod ab hujusmodi licentiarum concessione, vel renovatione abstineret; Ac etiam est casus, de quo in Romana affictus officii *sub tit. de locato, disc.* 3. ubi de prohibitione facta Notario Riparum, ne se ingereret in causis per Urbem, ut ab aliquo tempore de facto facere consueverat, sed se contineret inter eas causas Ripales, quæ solum sibi de jure competunt, unde propterea emolumenta officii notabilem diminutionem passa sunt.

14 Ac etiam exemplificari potest in casu de quo supra in Ferrarien tractatuum, *disc.* 133. quod scilicet ratione insperatæ sterilitatis & penuriæ frumenti, aliarumque frugum, idem Princeps, vel ejus Magistratus prohibere cogatur pro publica causa tractas, & incertas, quæ alias Appaltatoribus, seu Thesaurariis ex pacto competunt; unde resultat amissio, seu diminutio emolumentorum, seu utilium exinde provenientium, quoniam ubi id non sequitur ex causa mere voluntaria, sed ea necessaria saltem necessitate morali, tunc id recensendum est inter casus fortuitos, qui per Appaltatorem, quando Appaltum suscipit, prævideri possunt, vel debent, ita emendo futuram incertam aleam potius quam inter impedimenta voluntaria, quæ ab ipso locatore præstentur, dum ex hujusmodi provisionibus multa alia damna & præjudicia tam ipsi Principi, quam ejus populis resultare solent, ideoque ad eas nonnisi necessitate impellente devenitur, & sic vere non intrat dicta theorica Bartoli.

Adeoque, vel Consulentes ad clientis opportunitatem ingenium acuendo, vel aliqui leguli in stylo mere pragmatico hujusmodi Consulentium auctoritati innitentes cum solito irridibili usu inspiciendi solum, an ille Doctor dicat, unde frequenter in ore judicum audiri solet, *lo dice*, non reflectendo quomodo, vel quare, crediderunt di-
15 ctam Bartoli theoricam in quocumque locatoris facto intrare, quod etiam in casu belli idem dicendum esset, quasi quod bellum activum ea parte ipsius Principis motum, dicatur ejus factum voluntarium, quod poterat non facere, justa motiva præsertim supra in Romana defalchi, *disc.* 65. atque bellum passivum per alios contra ipsum locatorem motum adhuc ejus facto & culpæ referendum esse tanquam damnum illatum ab ejus inimicis justa motivata præsertim supra in Romana, seu Massanen. ferracii, *dis.* 118. & in aliis; Verum ut ibidem advertitur, id fabulæ speciem potius habet, cum hujusmodi contingentiæ, vel necessariæ, vel casuales omnino dicendæ sunt. Atque eatenus observabam dictam theoricam intrare, seu alias ea æquitativo judicis officio damnum quale quale sit resifici debere, quatenus de tempore facti novi appaltus jam urgeret causa exigens hujusmodi provisiones verisimiliter in animo habitas & præparatas, cum tunc species doli & deceptionis esset, reportando lucrum de alieno, ac faciendo appaltum pro consueta pensione congrua tempori pacifico & non accidentali cum similibus; Unde propterea quæstio videtur potius facti quam juris ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda.

Applicando igitur ad rem, Dicebam scribens in causa
16 tanquam Advocatus, quod versabamur in secundo potius quam in tertio casu, ac propterea recte intrabat dicta theorica Bartoli saltem in secunda parte facti voluntarii non culposi, excusantis quidem a refectione damni extrinseci, sed prohibentis exactionem census, seu pensionis, quoniam ubi etiam admittendum esset id ex justa causa, justoque motivo majoris levaminis populorum actum esse, attamen certum est, quod nulla præcisa, vel moralis necessitas tunc impellebat, ac poterat non fieri, vel differri ad tempus terminati appaltus, & consequenter, quod dictæ remissioni locus esset.

17 Et quidem ubi talis innovatio sequuta esset in ipso Statu, seu provincia, pro qua factus erat appaltus, motivum intrabat de plano, quoniam ita fuisset non præstare patientiam, seu immutare consuetum rei locatæ statum. Potissime ratione subjectæ materiæ, dum ut pluries advertitur in præcedentibus ad istam salis & salinarum materiam, ipsa species, seu materia salis nullum fere, vel satis modicum habet intrinsecum valorem, qui totus est intrinsecus consistens in privativo jure vendendi pro pretio alterato, cum quo exigi dicitur a populis collecta, seu gabella ita insensibiliter occasione necessarii usus salis victualis, & consequenter si pretium diminuitur, dicitur extingui, seu supprimi in parte ipsa gabella, seu ipsum vectigal, unde dicitur deficere in parte substantia rei, atque percipi pensio ex re, quæ non præstatur.

Verum difficultas non levis consistebat in eo, quod talis provisio sequuta non esset in ipsa provincia, seu statu, ubi proinde appaltus nullam receperat alterationem, atque jus privativum Appaltatoris vendendi salem pro consueto
alterato pretio integrum & intactum remanebat; Et licet 18
diminutio pretii ejusdem materiæ in provincia adjacenti esset causa, quod populi allecti ab eo inferiori pretio curarent facere contrabanna, & fraudare Appaltatorem, attamen id erat merum accidens, quod absque dubio venire non poterat sub dicto casu facti voluntarii juxta præfatam Bartoli theoricam, cum in dicta diversa provincia idem Princeps locator repræsentetur diversus homo juxta distinctiones, de quibus præsertim in Pampilonen. decimarum de Taffalla *sub tit. de Praemin. disc.* 29. ac etiam in Massanen. affictus *sub tit. de Jurisd. disc.* 90. Ideoque gesta in uno Principatu non connectuntur cum gestis in altero; Ad instar dominus duorum prædiorum, quorum unum locat, alterum per seipsum colit, & administrat, quoniam si irruentibus locustis, locator prædium ab ipso cultum diligenter expurgare curat, aut alias facere provisiones, unde resultet, quod locustæ irruant in alterum prædium locatum, quoties id studiose, & ad effectum nocendi non fiat, utique dici non potest damnum sequutum facto locatoris, qui in alio prædio repræsentatur tanquam diversus homo, solumque dici poterit casus fortuitus, atque appaltatori replicari potest, quod debebat fines custodire, aliasque diligentias adhibere, potissime quia hujusmodi contraventiones, seu contrabanna ratione commissi, aliarumque pœnarum causare possunt majorem Appaltatoris seu gabellarii utilitatem; Ac etiam exemplificari posset in Principe, seu ejus Magistratu rigorose expellente ab una provincia, vel præsidatu bannitos & latrones, aliosque facinorosos homines, qui se recipiendo in altera ejusdem Principis adjacenti provincia, in qua plura mala causans illorum vectigalium & gabellarum appaltatoribus, non inde tamen dici poterit istud esse damnum proveniens ex facto ipsius locatoris, cum similibus; Solumque ad summum dici poterit istum esse casum insolitum, ac verisi- 19
militer non cogitatum, ideoque non cadentem sub solitis renunciationibus juris petendi defalcum, & susceptionibus casuum, juxta ea, quæ in casu magnæ & insolitæ irruentiæ bannitorum habentur per Rot. apud Millin. *dec.* 139. & 143. *cum similib.*

Considerabam, prout etiam scribendo in causa deducebam, quod iste dicendus esset casus *mixtus*, in quo licet
nullum interveniret factum locationis, adhuc ob immuta- 20
tum rerum statum, intraret promissio pensionis ad ratam damni tanquam ex cessante supposito, cum quo pro tanta pensione susceptus fuit appaltus alias non suscipiendus, juxta casum de quo agit Anchar. celebri *consil.* 408. ubi de Appaltatore vectigalium Pistorii de tempore, quo in ea Civitate residebat Alexander III. cum ejus Curia, unde propterea illorum vectigalium appaltus factus erat pro pensione longe majori & ultra solitum, ut Papa ejusque Curia discedente, quamvis dici posset casus absque aliquo facto Civitatis locatricis tunc pro Republica se gerentis, atque ægreferentis talem discessum, quem utique si potuisset potius prohibere curasset, locus esset remissioni tanquam ex cessante voluntate ob cessationem præsuppositi, cum quo rebus in eo statu permanentibus initus erat appaltus pro tanta pensione.

Quod etiam ponderatur in d. Romana affictus officii *sub tit. de locato, disc.* 3. ubi de *conf.* 95. Craveta, quod in proposito circumferri solet, atque isti termini magis proxime ad rem facere videbantur; Et ex isto casu tanquam mixto vere, & proprie sub nullo ex supra exemplificatis casibus cadente, credebam etiam pro veritate pro judicis arbitrio remissioni locum esse debere, cum casus nullo pacto prævideri potuerit, eo modo quo prævideri

videri solent, & debent casus, belli divini, vel humani, sterilitatis, & similes, utpote contingere soliti, juxta ea quæ in proposito alterius omnino insoliti casus dispensationis usus ciborum paschalium de tempore quadragesimali habentur supra in Romana pischeriarum, *disc.* 134. Potissime quia pro locis præsertim apertis pene impossibile erat ob provinciæ adjacentiam impedire dictam salis introductionem, & contractationem, Ac etiam quia ob ejusdem materiæ identitatem non poterant contrabanna convinci, cum reperti cum sale dicere possent illum emisse in repositoriis ipsius Appaltatoris. Quod etiam agnitum fuit per eosdem Camerales, de quorum consilio Clemens IX. successor eamdem augmentorum extinctionem pro hoc Statu quoque fecit, commutando istud Camerale emolumentum cum aliis oneribus, eodem modo, quo in reliquo Statu ut supra sequutum fuerat, unde clarius intrare debet dictum arbitrium tanquam in casu non cogitato.

ROMANA
ET FIRMANA CONFISCATIONIS DE DIVERSIS CAUSIS IN DIVERSIS TRIBUNALIBUS,
PRO DIVERSIS PERSONIS
CUM CAMERA ET DATARIA APOSTOLICA.

Et resolutus, ut infra.

De pluribus ad materiam confiscationis, seu publicationis bonorum, Primo, nempe an valeant privationes, vel substitutiones factæ delinquentibus in exclusionem Fisci; Secundo, an hujusmodi substitutiones, vel privationes capiant legitimam, tam in ordine ad voluntatem, quam in ordine ad potestatem; Tertio, an & quando numerum filiorum cessare faciat confiscationem; Quarto, de inhabilitatione, seu incapacitate filiorum rei læsæ Majestatis; Et quinto, an & quando restitutus in gratiam recuperet bona confiscata, translata in tertium: Et incidenter de aliis fisci pœnalis, seu confiscatoris materiam concernentibus.

SUMMARIUM

1 *De uno casu controversiæ.*
2 *Quilibet fiscus confiscat in suo, & de materia remissive.*
3 *An valeat dispositio exclusiva fisci.*
4 *Distinguendi sunt casus.*
5 *Non valet ubi respicit casus delicti ipsius disponentis.*
6 *An sub generica prohibitione alienationis veniat confiscatio.*
7 *Quid ubi testator expresse disponit de casu confiscationis, quod valeat.*
8 *Quando sit necessaria expressio justa causa, ob quam fiat dicta dispositio.*
9 *Examinantur tenentes contrarium.*
10 *Referuntur desiderantes dictam cautelam, & quando causa expressio requiratur.*
11 *In officiis vacabilibus, ac etiam in mobilibus possunt ordinari fideicommissa.*
12 *De fideicommisso hebræorum.*
13 *A fideicommisso in casu delicti non infertur ad casum mortis.*
14 *An exheredatio, seu privatio in casu delicti capiat legitimam, quæ veniat sub fideicommisso, distinguuntur casus.*
15 *De quæstione generali, an indefinita prohibitio alienationis capiat legitimam, ne cadat sub confiscatione.*
16 *De casu speciali in quo prohibitio in casu delicti facta sit etiam super legitima ut valeat.*
17 *De rationibus ob quas valeat hæc dispositio etiam super legitima.*
18 *Expenduntur fundamenta Ciriaci contrarium tenentis, & refelluntur.*
19 *Ad materiam text. in leg. Marcellus, ff. de Trebell. quando scilicet hæres gravatus censeatur elegisse bona in causam legitimæ & aliarum detractionum.*
20 *Possidens bona propria & fideicommissaria pro communi si unam rem in totum alienat censetur eam elegisse in portionem propriam liberam.*
21 *Translatio decreti in officiis, vel insestatis locorum montium in heredem non importat alienationem.*
22 *Ad materiam text. in l. quisquis, Cod. ad l. Jul. Majest. super incapacitate filiorum rei læsæ Majestatis, & quando non procedat.*
23 *De causa alterius controversia.*
24 *Fisco pro pœnis pecuniariis competit hypotheca legalis a die condemnationis.*
25 *An fiscus ex filio jure hypotheca vendat rem cum alio communem.*
26 *Non sunt assumendæ quæstiones juris, ubi causa sopiri potest cum facto, atque alias est imprudens consilium Advocatorum.*
27 *Filio nullum jus competit etiam pro legitima in bonis patris viventis.*
28 *Neque fiscus aliquod jus habet in bonis patris ex persona filii delinquentis.*
29 *Fallit in Urbe & Statu Ecclesiastico ob Constitutiones Apostolicas, & de dictarum Constitutionum moderatione.*
30 *Judæi dicuntur cives Romani, & veniunt sub legibus & statutis, quæ loquuntur de civibus.*
31 *Lex revocata attenditur pro interpretatione, & tanquam doctrina magistralis.*
32 *Generaliter Judæi dicuntur cives & veniunt sub legibus & statutis cum ampliationibus, & aliquibus casibus specialibus.*
33 *Etiam ubi ex jure municipali fiscus petere potest legitimam ex persona filii delinquentis in bonis patris viventis, cessat ubi ille habet filios.*
34 *De alio casu controversiæ, an bannitus restitutus in gratiam recuperet bona translata in tertium.*
35 *Quod restitutus recuperet bona, & jura in tertium translata, & n. 37.*
36 *De differentia inter verbum restituere, & verbum indulgere.*
37 *Datur distinctio plurium casuum, & quando bona in tertium translata veniant, & quando non.*
38 *Quod restitutio non operetur contra tertium ferentem causam onerosam, & quando etiam contra illam.*
39 *Respondetur ad decisionem Cavalerii, & alia contrarias.*
40 *De aliis fundamentis ex quibus restitutio non operatur contra tertium titulo oneroso.*

DISC. CLX.

Cum in alio diversu Principatu, vel ex inimicorum machinationibus, vel probabilius, ex suspicione con- 1
cepta ex quibusdam actibus præparatoriis privatæ vindictæ magis, quam publicæ offensæ reſcibilibus, quidam nobilis in contumaciam reus læsæ Majestatis cum publicatione bonorum damnatus esset, ipseque in Urbe quamplura possideret Dataria, & Cancellariæ Apostolicæ officia venalia vacabilia provenientia ex hæreditate patris, qui fideicommissum ad favorem filiorum, & descendentium ordinavit; Hinc Camera, seu Dataria, sequendo opinionem, quæ de facto frequentius ubique recepta videtur plene enunciata per Rotam apud Merlin. *dec.* 125. *alias* 449. *part.* 5. *rec.* ut quilibet fiscus capiat in suo, de quo aliquid incidenter supra in Sancti Domini, *disc.* 149. dicta officia tanquam sub dicta bonorum publicatione venientia confiscavit, sibique applicavit; Cumque filii dicti condemnati ex persona propria venientes jure aviti fideicommissi, 2
officia prædicta, seu eorum pretium ex venditione retractum vindicare vellent, acriter autem se oponerent tam Camerales, quam Datariæ officiales, assumpta proinde desuper disputatione coram Datario, qui tunc erat Cardinalis Corradus, prius eximius Rotæ Auditor, ac elaboratissimus J.C. ut ejus decisiones ostendunt, ultra aliquas oppositiones circa dicti fideicommissi subsistentiam, quæ vere probabile fundamentum non habebant; De tribus potissimum Camerales, ac Officiales prædicti adversus actorum petitionem opponebant; Primo scilicet de dispositione, seu ratione textus *in l. filiisfam. § divi secunde, ff. de legatis secunde*, & de doctrina Bart. *in l. post contract. n. 9. ff. de donat.* super invaliditate hujusmodi privationum, seu substitutionum, quæ fiunt delinquentibus in fraudem fisci, quodq; 3
propterea pro non scriptis haberi debeant; Secundo quod in omnem eventum hujusmodi officia, utpote translata in personam dicti delinquentis primi hæredis, per ipsum electa censerentur in ejus legitimam sub tali substitutione non cadentem, ideoque tanquam bona libera ipsius delin-

quentis recte caderent sub dicta publicatione, neque jus actoribus competeret; Et tertio opponebatur de eorumdem actorum incapacitate inducta per text. *in l. quisquis Cod. ad l. Juliam Majestatis*; Pluribusque actibus disputationibus desuper habitis honesta concordia demum controversiæ finem dedit.

4 In his igitur disputationibus; Quatenus pertinet ad primam oppositionem super invaliditate dispositionis in testamento contentæ circa privationem, & respective substitutionem factam delinquentibus pro excludenda bonorum confiscatione, cum per oppositores cum magno allegationum apparatu plura circumferrentur, diversos terminos, seu casus percutientia; Hinc proinde scribens Ego pro actoribus, ad eruendam veritatem, tollendaque æquivoca, quæ de facili resultare solent, ex congerie doctrinarum, & auctoritatum, quæ diversos casus, seu terminos percutiunt, eisdemque doctrinis, quæ invicem pugnare videntur de facili conciliandis, dicebam etiam cum sensu veritatis, procedendum esse cum plurium inter se diversorum casuum distinctione.

5 Quorum primus est, ubi confiscationis prohibitio respicit personam ipsiusmet disponentis, ac bonorum liberi dominii, quia nempe in eventum in quem contingeret ex ejus delicto bona publicari, ipse perventive de eis sub tali conditione ad alterius favorem disponeret, & hic est casus, de quo proprie agit Bart. *in d. l. post contractum*, atque bene intrat dispositio, vel ratio textus *in d. l. filiusfam. §. divi 2. ff. de legat. 2.* super hujusmodi dispositionis invaliditate, licet juxta generalem naturam omnium regularum, seu propositionum legalium, ista quoque ab aliquibus disputationibus, seu declarationibus exempta non sit, negligebam tamen id examinare, utpote extra casum controversiæ, juxta semper repetibilem commendationem styli Curiæ Romanæ abhorrendi superfluas evagationes in iis, quæ controversiæ præcisum punctum non percutiunt.

Alter casus est, ubi testator simpliciter, ac generice bonorum alienationem prohibet, ad confiscationis tamen speciem non descendit; Et tunc super intellectu ejusdem textus vere, & proprie de isto casu agentis intrat quæ-
6 stio inter DD. An hujusmodi prohibitio capiat fiscum creditorem, seu confiscantem ex delicto, atque de hoc agunt Ruin. *in eodem §. divi, n. 43.* Ripa *num. 52.* Jason. *in secunda lectura, n. 19.* late Alexan. *cons. 23. lib. 1.* Alciat. *consil. 208. lib. 9.* Boss. *in praxi crimin. titul. de publicat. bonorum, n. 30. cum seqq.* Clar. *in praxi criminal. §. finali, quæst. 78. num. 10.* Peregrin. *de jure fisci, lib. 5. tit. 1. nu. 98 cum seqq.* Farinacc. *quæst. 25 num. 22.* Gabriel. *consil. 123. num. 12. lib. 1. & cæteri*; Sed qualis esset probabilior sententia, seu quomodo una, vel altera opinio intelligenda veniret, pariter ex dicta ratione evitandi superfluas evagationes, examinare neglexi, insinuando solum dictas authoritates, ad effectum ostendendi, eas juxta modernum abusum cum aliis cumulatas, a casu nostræ quæstionis extraneas esse, ideoque separandas, nullamque de eis habendam esse rationem.

7 Tertius vero est casus cadens sub controversia, ubi scilicet testator, generica prohibitione alienationis non contentus, descendit ad speciem exhæredando, seu privando in casu confiscationis delinquentem, ac vocando alios; Et tunc licet doctus Peregrin. *de jure fisci, d. lib. 5. tit. 1. num. 100 cum seq.* quæstionem ad partem examinando, pluribus deductis auctoritatibus pro validitate dispositionis, plura etiam argumenta ab ejus ingenio parta per modum motivandi in contrarium pro validitate alleget. Nihilominus dicebam, quod ubi alia extrinseca fraudis adminicula non concurrunt, & in quibus terminis loquitur Ripa *in d. §. divi, num. 52.* quem Fiscales communiter allegare solent, omnino verius est talem dispositionem subsistere, neque in dubio intrare fraudis præsumptionem, quamvis simpliciter ac indefinite talis dispositio concepta esset absque assigna-
8 tione alterius causæ sive rationis, puta conservandi bona in familia, vel agnatione, cum similibus, ut explicite firmant Ruin. *consil. 25. num. 10. volum. 5.* Tobias Nonius, *cons. 97. n. 1. & seq.* Odd. *cons. 53. num. 13.* Farinacc. *d. quæst. 25. nu. 26.* Marzar. *de fideicommiss. part. 2. quæst. 47. vers.* sed idem Alciatus Guazzin. *de confiscat. bonorum, conclus. 17. in 4. cautela, n. 8.* Et tanquam absolutum firmant Soccin. jun. *cons. 49. post num. 2. lib. 3.* Tobias, *d. cons. 97. nu. 1.* Rolan. *cons. 98. nu. 26. vol. 2.* Ruin. *cons. 129. num. 4. volum. 2.* Odd. *d. cons. 53. nu. 9.* Gab. *d. cons. 123. n. 12. & cons. 146. num. 38. lib. 1.* Menoch. *cons. 91. num. 6.* Vermigliol. *cons. 47. num. 1.* Marzar. *de fideicomm. d. q. 47.* Boss. *loc. cit.* bene Gomez, *ad leges Tauri, leg. 40. num. 91.* Guazzin. *de confiscat. conclus. 13. limit. 17. nu. 22. conclus. 17. nu. 7. & 8.* Farinac. *d. q. 25. num. 23. & sequent.* Bajard. *ad Clarum, dicto §. fin. q. 78. num. 38.* & Rota *decis. 627. n. 7. par. 4. rec. tom. 2.*

E converso autem non facile invenire possum Doctores 9 contrarium firmantes; Licet enim in contrarium allegaretur Bart. *in d. l. post contractum, n. 9. de donat.* Attamen, ut supra dictum est, iste loquitur de confiscatione evenienti in ipsomet qui posuit, & sic extra casum nostrum, Ripa vero tanquam fisci Achilles allegatus *in dict. §. Divi, nu. 52.* loquitur (sunt verba præcisa) *quando constaret, quod testator in fraudem fisci prohibitionem fecisset*, & sic aperte supponit, quod de fraude debeat constare, Gabr. *lib. 7. de criminibus, concl. 24 num. 7.* pertransit simpliciter per Bart. ubi sup. Alciat. vero *d. cons. 208.* Alban. *consil. 1.* & alii non percutiunt terminos nostros, sed loquuntur de secundo casu, quando scilicet disputatur, an sub generali prohibitione alienationis veniat confiscatio; Decisio autem Senatus Veneti relata per Peregr. non meretur attendi, quoniam ille Senatus profitetur inobservantiam juris communis Romanorum, atque absonum est dicere, quod in Urbe nos Venetus receptissimis Doctorum traditionibus, ac juris regulis prævalere deberet, unde propterea Guazzin. *conclus. 13. limit. 17. n. 19.* observat id procedere de particulari consuetudine illius Senatus, quam tamen consuetudinem adhuc in casu expresse provisionis cessare dicit.

Et licet Marzar *d. q. 47.* & Catell. Cott. *in suis memorabilibus verb. Testamentum*, tradant pro tutiori cautela, ut testator in hujusmodi confiscationis prohibitione adjiciat causam conservationis bonorum in familia, vel criminum perhorrescentiæ; Hoc tamen est nodum consilium, ac major cautela ad penitus tollendas omnes fiscalium tergiversationes, 10 sed non per hoc aliquis firmat, ut hujusmodi causæ expressione cessante, corruere debeat dispositio.

Causæ siquidem expressio ad prohibitionem salvandam requiri videtur, ubi agitur de simplici, & generica alienationis prohibitione, quasi quod nullius causæ vestimentum habens in consilium resolvatur, atque mutulus remaneat, & isti vere, & proprie sunt termini text. *in § Divi*, ad quod reflectendum est, quoniam aliqui terminos confundendo capiunt secundum casum pro tertio, cum in secundo causæ expressio desiderari videatur, in tertio autem nullo modo dispositionis nullitas prætendi possit, nisi in duobus casibus. Vel ubi scilicet dispositio tendit ad præservandam confiscationem pro delicto ejusdem disponentis eventuram juxta distinctionem, quam post Farinacc. *d. quæst. 25. n. 26.* & alios per eum allegatos absolutam refert Guazzin. *dict. concl. 17. num. 7. & 8.* Vel ubi vere de fraude constaret, in cujus terminis loquitur Ripa; Sed positiva fraudis probatione cessante, conclusio videtur indubitata pro validitate, itaut neque disputatione digna hodie videatur, cum solum quæstio vere, & proprie cadat in secundo casu, ubi scilicet agitur de simplici, & generica alienationis prohibitione, non autem ubi de specifica, & individua provisione in casu delicti, & confiscationis, ut in specie Gomez *ad leges Tauri, d. l. 40. nu. 91.* ubi docte agit de quæstione, aut in bonis fideicommissariis, vel majoratibus intret confiscatio, atque referendo aliquorum sententiam volentium, ut saltem in crimine læsæ Majestatis aliisque atrocissimis intrare debeat, ipse tamen nervose etiam in his atrocissimis contrarium sustinet, sed semper, ubi agitur de simplici fideicommisso, seu de generica prohibitione. Ubi vero concurrit provisio specialis testatoris in casu confiscationis cum privatione delinquentis, tunc id supponit absolutum, & sic semper verum erit quæstionem esse in secundo casu, non autem in tertio.

Et si bene consideretur text. *in dict. §. Divi*, manifeste constabit illum non probare id, ad quod eum induxerunt Ripa ubi supra & aliqui quoniam textus in hac parte non loquitur dispositive, sed potius illative tanquam de effectu resultante a prohibitione sine causa adjecta, quasi quod illa nulla existente, de consequenti resultet, ut neque creditoribus, neque fisco ita fraus fiat, æquiparat enim text. creditores, & fiscum, & tamen vanum est dicere testatorem non posse prohibere, quin ejus bona per hæredis creditores occupari, vel distrahi valeant; & si replicetur text. loqui de creditoribus testatoris, prout finalia verba probant, nulla tamen videtur subesse ratio, cur pariformiter non intelligat de fisco jus habente in bonis ejusdem testatoris cum eodem orationis contextu, de utraque pariter disponatur.

Quo vero ad secundam oppositionem, quamvis etiam per Cameralem diceretur fideicommissariam dispo-

tio-

tionem verificabilem non esse in ejusmodi officiis, quæ
utpote vacabilia incapacia sunt illius perpetuæ conserva-
tionis, pro qua fideicommissa ordinati solent? Attamen
11 motivum ab initio etiam per Datarium neglectum fuit,
utpote nulli juridico innixum fundamento; Tum quia
prohibitum non est, etiam animalia aliaque mobilia
tempore peritura, & perpetuæ conservationi non apta,
sub fideicommissariis dispositionibus venire, ex collectis
per Fusar. *de substitut.* *q.*624. & habetur actum in sua ma-
teria *sub tit. de fideicommissis*, præsertim in Ausculana, su-
per qua prodierunt duę decisiones coram Celso *inter suas*
dec. 308. *&* 344. Et comprobatur etiam ex decisione 258.
Orthoboni, ubi de fideicommisso in solo casu delicti, vel
alienationis ordinato per hebræum, non verificabili, nisi
12 in pecunia, & bonis mobilibus ob incapacitatem hebræo-
rum possidenti stabilia? Et quæ decisio est notabilis, &
magistralis super conclusione, quod a fideicommisso ordi-
nato in casu delicti, & confiscationis non infertur ad fi-
deicommissum purum, restitutorium non casu mortis, so-
lumque talis dispositio, seu ratio illi assignata attendi, &
13 deservire solet pro una ex conjecturis tale fideicommis-
sum restitutorium suadentibus, ut pluries in dicta sua ma-
teria *sub titulo de fideicomissis*, Tum etiam quia cum ces-
sante motivo gravis ætatis, vel infirmæ valetudinis, pas-
sim concedatur assensus super hujusmodi officiorum alie-
natione, ita resultare potest perpetuitas mediante eroga-
tione pretii in bona stabilia, & sic revera motivum vide-
batur discursu indignum.

Quare istud secundum objectum duas habebat partes,
Unam scilicet, an dicta exhæredatio, & respective sub-
stitutio in casu delicti caperet etiam legitimam, quamvis
ejus mentio specialis non haberetur; Et alteram, quatenus
legitima non veniret, sed tanquam de bonis liberis delin-
quentis, subjaceret confiscationi, An ob translationem
dd. officiorum in personam, seu faciem ipsius hæredis
censeatur exinde tanquam per speciem implicitæ aliena-
tionis facta in illis electio suæ legitimæ, juxta terminos
textus *in l. Marcellus*, *ff. ad Trebell.* cum concord. deductis
per Adden. ad Gregor. *dec.* 580. & frequenter *sub tit. de*
fideicommissis, & sub altero *de detractionibus*.

Quod primum, scribentes pro Dataria totum funda-
14 mentum constituebant in authoritate Cyriaci *controv.*
148. ubi probare conatur hujusmodi dispositiones, seu pro-
hibitiones, ex defectu voluntatis, & potestatis, non ca-
pere legitimam a quibuscumque vinculis, oneribus, &
conditionibus exemptam ad vulgatem textum *in l. quoniam*
in prioribus, *C. de inoff. testam.* cum alius generalibus per
eum deductis; Respondebam tamen istum Authorem, ex
doctoribus quidem modernis, quos habemus in hoc loco,
ut forte requirenti morem gereret, non bene digesta ma-
teria id ita simpliciter asserere; Pro elucidanda vero veri-
tate insinuabam adhuc procedendum esse cum terminorum,
seu casuum distinctione, ut in præcedenti objecto, ut
præ cæteris bene distinguit Farinac. *q.* 173. *nu.* 9. *& seqq.*
ubi egregie materiam tractat.

Aliud enim est agere de quæstione, an generalis, & in-
15 definita prohibitio alienationis facta filio cum alterius
substitutione in casu contraventionis capiat, necne confi-
scationem, etiam respectu legitimæ juxta quæstionem,
quæ antesignanos habet pro utraque sententia, Castrens.
& Aretin. bene examinatam per Beroum, *q.* 87. Boss. *dicto*
tit. de publicat. bonorum, *n.* 41. & alios, de quibus proxime;
Talique casu intrat distinctio, an admixtus sit favor ter-
tii, vel solum, ac principaliter prohibitio concernat fa-
vorem ipsius prohibiti, cujus potersit liberam legitimę ad-
ministrationem, ac dispositionem non habere, puta quia
percutiat solum tempus minoris ætatis, sive quod agatur
de filio prodigo, aut alias imprudente, & de hoc agunt
Rimin. jun. *consil.* 50. Berous, & Bossius ubi supra, Rolan.
consil. 98. *n.* 29. *& seqq. lib.* 2. Dec. Ruin. Tobias, & cæteri
relati per Farinac. *q.* 25. *n.* 47 sed opus non erat istum casum
formiter examinare, cum in eo non versaremur.

Aut vero, juxta casum quæstionis agitur in specie, an
16 expressa exhæredatio, seu privatio in casu delicti, cum al-
terius substitutione comprehendat legitimam absque dicta
distinctione ætatis, vel imbecillitatis ingenii; Et tunc etiam
cum sensu veritatis, quicquid dicat Cyriac. ubi sup. &
Rim. jun. procedens cum dicta distinctione dicto *consil.* 50.
Dicebam veriorem esse affirmativam, ut in specie repro-
bando dictam distinctionem firmant Gratian. *discept.* 903.
n. 15. Mastrill. *dec.* 181. *n.* 22. *cum seqq.* & generaliter cę-
teris relatis, Surd. *consil.* 570. *per totum*, Vermigliol. *consil.*
57. *n.* 2. Fusar. *quæst.* 296. *n.* 112. Farinac. *dicta* *q.* 173. *a*
n. 7. *ad* 10. Merlin. *de legitima*, *lib.* 3. *titul.* 1. *q.* 32. *n.* 5. *vers.*
limitatur sexto, & hanc etiam firmat Rota, *dec.* 635. *nu.* 6.
par. 4. *recent. tom.* 3.

Duplicem rationem assignant DD. Unam quod talis
prohibitio continet potius favorem, quam odium, & grava-
men ipsius prohibiti, quoties præsertim, juxta frequentio- 17
rem, ac fere generalem formulam, continet gravamen sub-
stituti restituendi bona eidem filio in gratiam reintegrato,
cum ita sibi remaneat spes recuperandi bona, quod a fre-
quenter contingentibus non verificatur ubi fisco incorpo-
rantur, ut bene præ cæteris advertit Mastrill. *d. dec.* 181.
n. 27. Et alteram, quod etiam pro gravibus delictis, & sic
ultra 14. causas in jure enumeratas licitum est filium ex-
hæredare; Unde propterea tam attentis authoritatibus,
quam rationibus hæc opinio firma esse videtur; Si quidem
quoad authoritates, aliæ non adducebantur, nisi illa Cy-
riaci, qui neminem allegat, nisi Bossium ubi supra *nu.* 3.
principale fundamentum constituit in statuto Mediolani;
Et quoad rationes, seu fundamenta, in quibus idem Cy-
riac. se fundat, scilicet in dispositione textus *in d. l. filius*
familias, *§. Divi*, *il* 2. *ff. de legatis primo*, & in regula ge-
nerali, *quod semel hæres non potest desinere esse hæres*, non per- 18
cutiunt terminos speciales legitimæ, sed complectuntur
universam hæreditatem, cujus respectu certum est, quod
secunda ratio, seu regula generalis, etiam cessante delicto
non intrat, & quoad alteram jam supra probatum est, dis-
positionem textus *in d. §. Divi* non percutere casum.

Hinc proinde superflua remanebat altera inspectio, An
scilicet officia prædicta per immutationem decreti ad fa-
vorem, seu in faciem ipsius hæredis censerentur electa in
causam legitimæ, quoniam etiamsi id sequutum esset, effe-
ctus erat idem, dum etiam legitima, ut supra cadit sub
dispositione; Verum ubi de hoc agendum esset, adhuc
etiam cum sensu veritatis, dicebam hujusmodi electionem
non intrare; Ut enim ad intellectum textus *in l. Mar-*
cellus, *ff. ad Trebell.* habetur pluries *sub tit. de fideicommis-*
sis, & sub altero *de detractionibus* (cum materia sit quoti-
diana) de jure legitima dicitur portio, seu quota reliquę 19
hæreditatis juxta unam opinionem, vel bonorum juxta
alteram, quæ debetur ex singulis quibusque corporibus,
seu bonis pro rata; Est bene verum, quod hærede grava-
to, cui legitima competit, aliqua bona alienatione in to-
tum, substinetur alienatio ex præsumpta electione in cau-
sam legitimæ aliarumque detractionum, quoties aliena-
tio non sit in fraudem, & supplantationem fideicommissi,
quia nempe de melioribus, sed id contra dictam regulam
detrahendi legitimam ex singulis corporibus pro rata, re-
ceptum est ex duplici ratione, vel scilicet cujusdam æqui-
tatis fundatæ in ratione commercii, & quia non congruit
cum præfato legali rigore facere omnium corporum, seu
bonorum scissuram, Et altera, quia ad excludendum de-
lictum, quod alias in hærede gravato adesset, alienando
pro reliquo omne id, quod in re alienata non est suum, id-
circo lex ita occultat quamdam divisionem, cujus jure gra-
vatus illam rem quam alienat, elegisse censetur pro illo ju-
re legitimæ aliarumque detractionum, quod super illis cor-
poribus, & bonis pro rata haberet.

Quod etiam habemus in eo hærede gravato, qui bona
pro communi cum fideicommittente possideret, quoniam
& aliquod corpus in totum alienat, pro substinendo actu, 20
& ad excludendum delictum, lex fingit, seu occultat di-
ctam divisionem, ut censeatur totam illam rem elegisse in
portionem suam, & totam aliam assignasse fideicommisso,
ut per Honded. *cons.* 58. *lib.* 1. Rotam *dec.* 429. *p.* 4. *divers.*
cum aliis cum Fusar. *de substitut. quæst.* 718. *num.* 68. & habe-
tur pluries *sub tit. de fideicommissis*, præsertim in Eugubi-
na fideicommissi de Benamatis. Unde propterea receptum
pariter est, ut dicta electio, seu occulta divisio ad terminos
dicti textus *in l. Marcellus* intret solum in veris alienatio-
nibus, quæ fiunt per formalem translationem dominii, vel
saltem juxta unam opinionem per impositionem census, res-
pectu tamen fundi censiti tantum, non autem per aliena-
tionem generalem, & improprium, quæ sine translatione
dominii, vel alterius juris, inesse dicitur sub hypotheca ge-
nerali, vel speciali.

Quibus ita stantibus, applicando ad rem, intrare non
poterant termini dicti textus *in leg. Marcellus*, quoniam
officia non residebant in persona testatoris, minusque
translata fuerant in illam hæredis gravati, cum alias, uno
vel altero modo eorum vacatio sequuta esset, sed re-
sidebant in alia persona fiduciaria, cum reservatione

tamen libera decreti ad favorem domini pecuniæ, ad cujus commodum, & incommodum illorum emptio facta erat, juxta distinctionem, de qua supra *disc.* 1. & aliis *hoc eod. tit.* frequenter, unde propterea dictus hæres gravatus,
21 curando decretum alias reservatum ad favorem defuncti transferri in ejus personam, nihil gessit illicitum, sed potius fecit actum necessarium, ut ita quando opus esset, dictum decretum exercere posset, alias non exercibile. Eo modo, quo circa aliquem alienationis actum, loca montium hæreditariæ, aliaque jura transferuntur a persona defuncti ad illam hæredis, atque novæ litteræ patentes pro exactione fructuum aliisque effectibus expediuntur.

Demum quoad tertium objectum incapacitatis, seu in-
22 habilitationis filiorum, per text. *in l. quisquis, C. ad l. Juliam Majestatis*, ultra motivum, quod dicta lex non esset in usu, unde propterea etiam legitima filiis debita esset, ex deductis per Menoch. *cons.* 805. & 808. Farinacc. *qu.* 116. *n.* 92. *cum seqq.* Merlin. *de legat. lib.* 3. *tit.* 1. q. 30. qui alios cumulant, Seraphin. *dec.* 803. duobus aliis fundamentis illud de plano cessabat; Primo, quia ut apud allegatos dicta lex non capit filios ante delictum procreatos; Et secundo, quia procedit ubi de crimine læsæ Majestatis constat per veras, & legitimas probationes, ex quibus fer. fer. ad condemnationem processum est, secus autem ubi ex æquivocis indiciis cum solo processu contumaciali, ut in præsenti processum est.

23 In proposito item hujus Regaliæ confiscationis bonorum, in Romana nullitatis executionis pro Josepho Toscano hebræo cum fisco circa professionis initia, disputata coram Gubernatore Urbis, cum fiscus prætenderet scuta 12. m. ad quæ Elias dicti Josephi filius pro quodam delicto condemnatus fuerat, atque de facto processisset ad executionem super pignoribus, & nominibus debitorum spectantibus ad bancum dicti Josephi, isto petente revocari dictam executionem, utpote in bonis alterius, quam debitoris, assumpta fuit disputatio potius facti, quam juris; An filius ex eo, quod jure domini promiscue cum patre dictum bancum exercebat, & administrabat dicendus esset condominus: dictoque condominio posito, fiscales inferebant, quod etiam pro pœnis pecuniariis per judicem criminalem arbitrariis fiscus habeat tacitam, seu legalem hypothecam in bonis rei damnati, saltem a die latæ sententiæ, cum
24 ex tunc reus quasi contrahere dicatur cum fisco, ex deductis per Farinac. *quæst.* 25. *num.* 193. Peregr. *de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 182. & *lib.* 6. *num.* 12. Constan. *in l. prima nu.* 107 *C. de pœnis, fiscal. lib.* 10. Alphab. *de jure fisci, gl.* 34. §. 5. *n.* 123. *cum seqq.* Merlin. *de pignor. lib.* 3. *tit.* 3. *q.* 88. *n.* 17. & *seqq.*

Et exinde inferebant licite posse exequi bona commu-
25 nia, taque vendere ex privilegio, de quo *in leg. unic. Cod. de vendit. bonorum cum privato commun. lib.* 10. licet enim textus loquatur de communione in dominio, attamen idem ex rationis identitate dicendum esse, ubi jus in re commune competit fisco ex sola ratione hypothecæ ex Bal. *in eadem leg. unic. num.* 7. & aliis de quibus Duenn. *regul.* 375. *n.* 3. Constan. *in eadem leg. unic. n.* 52. cujus contrarium, licet parum, digeste dicit Merlin. *de pign. lib.* 2. *q.* 46. *n.* 18.

26 Verum quidquid sit de prædictorum assumptorum veritate, noluimus ego, & cæteri in ista causa in effectu civili, quamvis in criminalibus tractata, scribentes pro parte assumere hujusmodi quæstionum disputationem, principaliter ac solum insistendo super negatione in facto dicti præsuppositi condominii filii in bonis patris, cum semper imprudens consilium sit Advocatorum, & patrocinantium, generaliter in quibuscumque causis, fortius vero cum fisco ubique duro, & potenti adversario, se trahi facere per fiscales ad disputandos articulos juris ut plurimum dubios, & periculosos, ob tantam scribentium, & opinionum varietatem, dum quæstio moveri potest ex facto, ut in præsenti sequutum fuit, dum cum solo facto dicta prætensio superata fuit, quamvis juxta frequentiorem hujusmodi causarum exitum oportuerit, ex aliis etiam motivis, mediante quadam concordia, seu compositione, controversiam terminare.

1 Convaluit proinde fiscus ad aliam prætensionem, quod in omnem eventum potuisset pro dicta pœna exequutionem facere contra patrem, & ejus bonis pro legitima filio debita, Licet enim in puncto juris communis, quicquid aliqui dixerint, omnino verius sit, filium in bonis patris viventis nullum jus formale habere, etiam ratione legitimæ, cujus jus quoque incertum ac eventuale est, quia ipsa filius præmori potest, vel quia ob ipsius patris indigentias, aliaque infortunia, cogi potest omnia ejus bona consumere, & alienare, itaut de tempore mortis nihil 27
supersit, ut generaliter de non jure filii in bonis patris viventis ad alios effectus ex text. *in leg. pr.* §. *si impuberi, ff. de collat. bon.* & *l. post emancipationem*, §. 1. *ff. de legat.* firmant DD. de quibus Mantic. *dec.* 289. *n.* 1. Rot. *dec.* 355. *p.* 6. *recent. n.* 3. *cum seqq. dec.* 176. *n.* 6. & 7. *par.* 7. & *sæpius*; Et
in specie de non jure fisci pro pœnis, vel mulctis filii delin- 28
quentis in bonis patris viventis, plures colligunt Merlin. *de legitima, lib.* 3. *tit.* 1. *q.* 33. *par.* 1. & *seqq.* & Giurba *ad consuet. Messanen. par.* 1. *cap.* 4. *glos.* 5. *n.* 18. & 19.

Attamen dicebant fiscales, quod in Urbe, & Statu Ec-
clesiastico, hæc difficultas cessabat, dum contrarium ex- 29
presse statutum est per jus municipale, contentum in Constitutionibus Sixti IV. & Pii V. ad compescenda delicta, ita disponentibus, ut fiscus pro delictis filii capere possit legitimam etiam a patre vivente.

Pro hujusmodi objecto evitando, adducebatur Consti- 30
tutio 2. Innoc. IX. dictarum Constitutionum Sixti, & Pii moderatoria quoad Cives Romanos; Quodque leges editæ pro civibus, & populo suffragentur etiam Judæis, probatur cum Constitut. 48. Pii IV. §. 5. ubi expresse disponitur Judæos comprehendi sub statutis, & decretis generalibus Urbis.

Et quamvis per fiscales replicaretur de Constitutione 31
Pii V. moderatoria dict. Constitutionis Pii IV. Attamen facilis erat responsio, quod dicta Constitutio quamvis moderata, adhuc attendenda veniret tanquam doctrina magistralis in articulo juris dubio, cum Constitutio moderatoria tolleret solum exorbitantias, & privilegia, non autem hunc effectum declarandi, seu interpretandi id, quod est de jure, ut in specie de lege, vel Constitutione moderata ad hunc effectum attendenda, Aldoren. Mascard. *de statutorum interpret. concl.* 2. Salgad. *in labyrint. p.* 2. *cap.* 29. *nu.* 44. & *seqq.* apud quos & cæteri, ac etiam quia moderatio restringitur ad ea, quæ adversantur Constitutioni Pauli IV. non in aliis.

De jure autem, quicquid plures dixerint, distinguendo 32
inter leges, & statuta continentia rigorem, vel æquitatem, verius est, exceptis iis, quæ concernunt forum spiritualem, seu internum, hebræos dici in omnibus cives, tam in odiosis, & onerosis, quam etiam in favorabilibus, & privilegiativis, ideoque sub legibus, & statutis, & consuetudinibus, aut indultis comprehendi, ut plene Alex. *cons.* 75. *lib.* 5. *n.* 5. & *seqq.* & *cons.* 99. *n.* 3. & *seqq. lib.* 6. & cæteri collecti per Rotam *dec.* 269. *p.* 4. *rec. tom.* 2. ubi in specie, quod judæi comprehenduntur sub legibus, vel statutis, ex æquitate cogentibus creditorem ad subministranda alimenta debitori carcerato, atque occasione juris congrui, seu prothomiseos fundati in æquitate, habetur deductum in Senen. juris congrui *sub tit. de servitutibus ad materiam retractus, disc.* 70. Et in specialibus terminis confiscationis bonorum, quod judæi gaudeant beneficio authenticæ, bona damnatorum Marquard. de Judæis, *p.* 2. *cap.* 1. *nu.* 6. ubi ex *n.* 1. de dicta regula generali, Farinac. *in fragm. verbo judæi, n.* 635. ubi pariter ex *n.* 21. de dicta regula, seu conclusione generali; Quod fortius procedere dicebam, etiam cum sensu veritatis, in hac facti specie, dum non agebatur ad effectum gaudendi aliquo privilegio, seu favore alteri præjudiciali, atque a juris communis dispositione exorbitanti, quo etiam casu verius est judæos sub legibus comprehendi, ut occasione juris congrui habetur in dicta Senen. sed effectum moderandi dictas rigorosas, & exorbitantes leges, tribuentes fisco pro delicto filii bona patris, unde dicta lex moderatoria continere non dicitur privilegium, vel exorbitantiam, sed reversionem ad jus commune, ut in specie advertitur per Alexan. *dict. cons.* 75. *n.* 5. & *seqq. lib.* 5. & est generalis recepta propositio, ut statuta, seu leges municipales non veniant sub consueta regula strictæ interpretationis, & odibilitatis, quando per eam moderatis aliis legibus exorbitantibus fit reversio ad juris communis dispositionem.

Et ulterius dicebam, omnem quæstionem cessare etiam
attentis dictis Constitutionibus Sixti, & Pii, ac seclusa 33
Constitutione moderatoria Innocentii, cum verius magisque communiter receptum sit, hujusmodi leges intelligendas esse, quando filius delinquens non habeat filios, quibus extantibus, istis potius quam fisco legitima debita est; Tum quia rationabilius est, filium potius quam fiscum succedere: Tum etiam quia talis lex triplicem contineret exorbitantiam; Unam generalem dandi jus legitimæ

in

in bonis patris viventis, Alteram privandi filios propter fiscum; Et tertiam ita cogendi patrem ad duplicatam legitimam, dum alteram nepotibus dare cogi posset, ut firmant Bald. *in l. si qua pena, num. 5. ff. de his qui sunt sui; vel alienis juris*, & alii communiter, de quibus Tobias Nonius *cons. 95. n. 2. & 10.* Farinac. *in prax. crim. q. 24. n. 172. & cons. 52. n. 1. lib. 1.* Merlin. *de legit. lib. 3. tit. 1. quæst. 36.* Surd. *dec. 167.* ubi Hodiern. in addit. *& dec. 414.* ubi refert ita decisum; Atque hanc opinionem habuit pro absoluto Rota in Spoletana legitimæ ultima Maji 1596. coram Blanchetto *impress. post. d. cons. 52.* Farinac.

In eadem quoque materia confiscationis bonorum in una 34 Firmana pro Francisca Brancadora, cum hæredibus Petri Montani consultus fui pro veritate super articulo; An bannitus, qui bonorum confiscationem passus est, restitutus in gratiam recuperet bona, & jura in tertium translata, & quando cum istius præjudicio hujusmodi gratiæ restitutoriæ factæ censeantur; Cum enim ob excidium cum morte Gubernatoris in Civitate Firmana sequutum de ann. 1648. Petrus Montanus, qui una cum pluribus aliis civibus, prudentius, quam Peccoranus, & alii, se absentavit, ac posuit in tuto, in contumaciam ad formam Constitut. 7. Sixti V. condemnatus esset in pœnam ultimi supplicii, & confiscationis bonorum, tali vero executioni, & venditioni se opponeret Francisca Brancadora uxor creditrix pro ejus dotibus, & lucris, ac etiam interessata, ut dissolverentur alia debita in quorum aliquibus ipsa quoque obligata erat; Hinc deventum est ad compositionem d. banniti conjunctis prius a fisco oblatam, atque ab eis neglectam, ut retento per fiscum pretio retractu ex venditione mobilium, atque eidem solutis aliis scut. 200. Francisca obtineret omnia stabilia, ita ubi vendita, vel cessa cum onere dissolvendi totus æs alienum, etiam illud suarum dotium; Cumque de anno 1666. idem Petrus mediante compositione scut. 1606. cum fisco, restitutus fuisset in gratiam, atque brevi tempore ejus mors sequuta esset; Hinc inter ipsius hæredes, ac dictam Franciscam orta est controversia super dd. bonorum stabilium vendicatione, seu pertinentia; Quare desuper ex parte d. Franciscæ pro veritate consultus.

Respondi primo aspectu, contra ipsam pro hæredibus re-35 spondendum videri ex punctualiter firmatis per Rot. apud Cavaler. *dec. 255. repetit. dec. 465. p. 2. rec.* ubi in individuo resolvitur pro hæredibus banniti restituti contra uxorem fisci cessionariam, assignata ratione, quod restitutus recuperat omnia, sive in fiscum, sive in tertium translata, cum per quamdam speciem postliminii, ita reponatur in eo statu, in quo erat præambula hora banni, cum hic sit effectus restitutionis, ita differentis a simplici gratia seu indulgentia tollente solum pœnas corporales, non autem causante d. restitutionem, ut sequendo *dec.* Seraph. 965. & 36 998. *& decis. 714. 715. p. 4. rec. tom. 2.* plene habetur apud Merlin. *dec. 125. n. 1. & seqq. repetita dec. 449. p. 5. rec.* & de qua distinctione inter verbum *restituere*, & verbum *indulgere*, habetur apud Franch. *dec. 213.* Rovit. *dec. 77.* Capyc. Latr. *consult. 2. n. 27. cum seqq.* apud quos cæteri.

His tamen non obstantibus, contrarium in hac facti specie ex ejus circumstantiis credidi probabilius; Quidquid enim sit de quæstione in genere, seu in abstracto, an restitutus in gratiam recuperet bona, & jura in tertium translata, super qua scribentes nimis variarunt ex deductis per Odd. *de restit. in integr. p. 2. q. 99. art. 6. n. 40. cum seqq. & art. 10. nu. 84. cum seqq.* Farinac. *q. 6. n. 37. cum seqq.* & Mastrill. *in comment. indult. c. 20.* Vera, & rationabilis, atque in praxi recepta videtur distinctio, quod, aut agitur de bonorum, 37 vel jurium obventione ex delicto, vel banno resultante ad favorem tertii ex legis ministerio, seu ex dispositione hominis, ut frequenter contingit in fideicommissis, quæ in casu delicti ordinantur, & tunc ubi agitur de restitutione plenaria, verius est illam suffragari, etiam quoad bona, & jura in tertium translata, & in his terminis loquuntur, Seraph. *in d. dec. 995. & 998.* Greg. *dec. 114. n. 7. d. dec. 714. & 715. p. 4. rec. tom. 3.* Franch. *dec. 213. n. 40. cum seqq.*

Aut vero agitur de bonis, quæ tamquam fisco incorporata, seu delata, per istum tertio conceduntur, & tunc, aut agitur de alienatione, seu concessione facta per viam gratiæ, ita ut tertius contendat magis de lucro, quam de damno, & pariter probabilior videtur opinio, quæ restituto assistit, cum hujusmodi gratiæ, seu concessiones istam conditionem implicite continere videantur, pro jure scilicet fisci, eoque durante, & nisi Princeps restituat, ex deductis apud Farinac. & Odd. ubi supra.

Aut vero, ut in præsenti bona, & jura in tertium translata sunt per contractum onerosum, & correspectivum, & tamquam per speciem emptionis, & venditionis hujus hereditatis, seu universitatis bonorum, in cujus pretii partem 38 fiscus recepit pretium mobilium, & scut. 200. per emptricem soluta, reliquum vero pretium assignatum est æris alieni dissolutioni, & tunc secus, ubi restitutio est mere voluntaria, & absque causa concernente publicam necessitatem, vel utilitatem, secus autem ubi esset ex d. causa, ut ponderatur apud Farinac. *d. q. 6. num. 33.* & habetur in Nullius Baren. melioramentorum *sub tit. de feud. disc. 27.* ubi de restitutione concessa in capitulis pacis, & pro publica pace, & quiete, de quo etiam apud Menoch. *cons. 103.* ubi late cum similibus, Ubi enim agitur de gratia mere voluntaria, & sine causa, tunc intrare videntur ea, quæ deducta habentur supra *disc. 148.* de defectu potestatis, vel saltem non præsumendæ voluntatis Principis tollendi jus tertii foventis causam onerosam, atque violandi jus gentium super iis, quæ Princeps gessit per contractum correspectivum, & ad limites justitiæ commutativæ magis quam distributivæ, cum tunc jure privati potius, quam Principis censeri debeat, unde etiam in casu, quo id agat ex justa causa publicæ utilitatis, vel necessitatis tenetur reintegrare illum qui fovet causam onerosam, *ut d. disc. 148.*

Si enim hoc medio tempore contigisset bona cessa in toto, vel in parte evinci, seu gravius æs alienum detegi, ipsius cessionariæ periculum fuisset, dum expresse fiscus caverat nolle teneri de evictione, ejusque pariter periculum cum jactura dotium, ac ejus, quod de proprio solutum erat fisco, & creditoribus, fuisset, si bona in toto, vel in parte 39 periissent, neque restitutus cogi potuisset bona accipere, & damna reficere; Ideoque nulla justitiæ, vel æquitatis ratio suadet, ut restitutus solum commodum absque incommodo, vel periculo, habere debeat, & econtra fisci cessionarius debeat subjacere dictis periculis absque commodo; Et quoad decisionem Cavalerii, talem resolutionem probabiliter suadere potuerunt facti circumstantiæ; Tum quia fiscus ibi nullum gessit contractum venditionis, vel cessionis, sed solum se opponentibus uxore, & filia banniti, ac prætendentibus omnia bona a dotibus, aliisque earum juribus absorberi, declaratum fuit nihil pro fisco extare, unde fiscus habuit se mere negative, quod nullum jus oppositoribus tribuere potuit; Tum etiam ob contrariam observantiam, dum restitutus per notabile tempus bona possederat, & administraverat, eoque defuncto contra ipsius hæredes bona possidentes agebat hæres dictarum mulierum, & sic casus erat conversus, seu oppositus.

Et ulterius in hac facti specie, neque verificabatur requisitum omnimodæ, & plenariæ restitutionis, cum aliqua 40 essent exceptuata, atque restitutio non contineret solitam amplitudinem verborum, ut ponderatur apud Franc. *dict. dec. 213. n. 42. & 50.*

Ac etiam, quia constabat evidenter fiscum, seu Principem numquam in animo habuisse istam restitutionem concedendi cum ejus damno, & præjudicio, dum ultra ea, quæ habuerat, voluit etiam alia scut. 1600. *sub tit. compositionis pro d. restit. concedenda*; Et tamen ita sine dubio tenebatur erga cessionariam ad evictionem, seu interesse, etiamsi expresse protestatus esset nolle teneri, quia hæc protestatio non suffragatur quoad ea, quæ ab ipsius cedentis facto voluntario pendet, juxta deducta apud Merlin. *dec. 874. n. 4. cum seqq.* & concurrunt, quæ habentur apud Celsum *dec. 78. n. 5. & per tot.*

ANNOT. AD DISC. CXL.

AD materiam confiscationis conferunt ea, quæ habentur infra in Romana Incamerationis, *disc. 161.* & supra *disc. 123.*

ROMANA INCAMERATIONIS, PRO CORNELIO FRANGIPANIO, CUM CAMERA APOSTOLICA.

Casus resolutus, ut infra.

An Confiscatio intret in bonis subjectis fideicommisso, & quando.

Et de propositione, quod quilibet confiscat in suo territorio quando & quomodo procedat.

Et de probatione delicti ad hunc effectum confiscationis, an sufficiat sententia sine aliis.

Cum

Cum discursus ob motivorum pluralitatem, pluriumque articulorum examen sit prolixus, idcirco post facti seriem, pro majori commoditate dividitur in tres articulos.

Primo nempe, An, & quando quilibet confiscare possit bona in ejus territorio existentia, pro delicto extra idem territorium patrato, a n. 5. ad 41.

Secundo, An stante fideicommisso intret, necne confiscatio, a n. 42. ad 63.

Tertio, An sola sententia sine actis probet ad hunc effectum confiscationis, a n. 64. ad finem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De resolutionibus, & statu causæ.*
3 *De punctis, vel inspectionibus causæ.*
4 *Quod sit insistendum prius in facto, quam in articulis juris.*

A R T I C U L U S I.

5 *De conclusione, quod quilibet confiscat in suo, & de theorica, seu distinctione Bartoli.*
6 *Damnatur stylus cumulandi doctrinas in confuso, non distinguendo diversos casus, in quibus loquuntur.*
7 *De confiscatione, quæ contingat in una Provincia, seu Civitate, an acquirat bona in alia Provincia, vel Civitate ejusdem Principatus.*
8 *De distinctione fiscorum in Stato Ecclesiastico.*
9 *Quare isto casu confiscantur bona extra territorium.*
10 *De divisione fisci inter plures Civitates.*
11 *De historia introductionis regalium.*
12 *De distinctione juris communis, & paticularis in eodem Principatu.*
13 *Doctores sunt intelligendi juxta auctoritates, quas allegant.*
14 *De pluribus bursis fiscalibus minoribus Baronum, & Domicellorum in eadem Provincia, an adsit bursa Principis.*
15 *De fisco feodorum regalium, seu Principatuum subordinatorum alteri Principi majori Domino directo.*
16 *De pluribus Principatibus, & Regnis cum fiscis distinctis, possessis ab eodem Principe.*
17 *De confiscatione hereditaria, vel successoria sine delicto, ob defectum legitimi hæredis.*
18 *De confusione ob læsam Majestatem divinam.*
19 *De casu præciso quæstionis super confiscatione ex crimine læsæ Majestatis humanæ in bonis ex Principato.*
20 *De distinctione Peregrini, & istius Doctoris laudibus.*
21 *De eadem distinctione, & de Auctoribus illam repetentibus.*
22 *De illis, qui adducuntur in contrarium, qui declarantur.*
23 *De bona consideratione, vel monitione circa modum attendendi doctrinas, eisque deferendi.*
24 *De aliquibus animadversionibus modernorum, ad quas antiquiores non cogitarunt.*
25 *De rationibus comprobantibus idem, de quo supra num. 20. & 21.*
26 *Quod Jus civile dicatur improprie commune, sed in quolibet Principatu sit illius jus particulare respective, & de historia legali.*
27 *De Extravaganti Friderici II. Imperatoris super punitione rebellium, & criminis læsæ Majestatis.*
28 *Quare jus civile dicatur jus commune.*
29 *De distinctione inter condemnationem contumacialem contra absentem, & veram contra præsentem effectum sortitam.*
30 *An hodie dentur servi pœnæ, & quando.*
31 *An, & quando unus, & idem sit eodem tempore servus, & liber, vel testabilis, & intestabilis.*
32 *Quilibet Princeps est Imperator in suo Principatu, & quot sunt Principatus, tot sunt Imperia, vel tot sunt Mundi.*
33 *De rationibus, ob quas ad hunc effectum reputetur, tamquam unus, & idem Principatus, sive quod intret confiscatio in bonis alterius Principatus.*
34 *Imperium, & Regnum Hungariæ sunt inter se diversa.*
35 *Qui proprie dicantur confœderati, & an confœderatio attendatur ad hunc effectum.*
36 *An Regnum Hungariæ sit de juribus Sedis Apostolicæ.*
37 *De amicitia, & confœderatione cum infidelibus, quando sapiat hæresim, vel apostasiam.*
38 *De causis fidei, ad quem pertineat cognoscere.*
39 *Concluditur super assumpto, quod quilibet confiscat in suo.*
40 *De observantia super eodem.*
41 *De absurdis, & inconvenientibus, quæ alias resultarent.*

A R T I C U L U S II.

42 *Confiscatio etiam ex crimine læsæ Majestatis, non intrat in fideicommissis.*
43 *De limitatione in Majoratibus Hispaniæ.*
44 *De motivo resolutionis pro confiscatione, non obstante fideicommisso, & examinatur resolutio.*
45 *In Hispania non habetur usus feudorum, sed majoratuum.*
46 *De diversis speciebus dd. majoratuum, & n. 51.*
47 *De prohibitione alienationis magis dicta, ac etiam confiscationis in eis.*
48 *De origine, vel causa introductionis confiscationis in eis.*
49 *De ratione dictæ introductionis.*
50 *In qua specie majoratuum ista introductio procedat.*
51 *De alia distinctione plurium specierum majoratuum.*
52 *In quibus speciebus d. introductio procedat, & de rationibus differentiæ.*
53 *Datur simile in fundationibus beneficiorum de jurepatronatus.*
54 *De rationibus, ob quas assumptum, de quo num. 43. non applicatur.*
55 *Quando leges locales attendi debeant in alio loco.*
56 *Clausula præservativa* sine præjudicio, *nihil dat, nec tollit, sed solum conservat id, quod jam inest.*
57 *De eadem clausula solum præservante, & conservante id, quod obtinetur.*
58 *De interpretatione voluntatis adjicientis clausulam præservativam confiscationis quomodo intelligi debeat.*
59 *De simili in materia licentia concessa super alienatione jurispatronatus.*
60 *Consideratur, an clausula adjecta sit in illa gratia specialis, vel sit generalis.*
61 *De conclusione, quod licentia, vel assensus habet vim novæ investituræ, & de effectibus præjudicialibus concedenti, quando pure concedatur.*
62 *De declaratione ejusdem præservativæ confiscationis ex causa de futuro, & quando verificetur.*
63 *An præservativa importet conditionem resolutivam.*

A R T I C U L U S III.

64 *Sententia non probat, neque exequutionem meretur, si non justificatur ex actis.*
65 *De distinctione diversarum specierum exequatorum.*
66 *De eadem conclusione, de qua n. 64. in criminalibus.*
67 *Declaratur eadem conclusio ad effectum exequendi, non autem ad effectum probandi, ut ad hunc effectum sufficiat.*
68 *De alia declaratione dictæ conclusionis, ubi acta haberi non possunt.*
69 *De declaratione, de qua n. 67. quomodo, & quando procedat.*
70 *De ponderatione circa præjudicium principalis condemnati, vel tertii.*
71 *De aliis ponderationibus, ut sententia sine justificationibus non probet, neque attendatur.*
72 *De alia declaratione, de qua n. 68.*
73 *De consil. 27. Spadæ.*
74 *De differentia inter casum criminis læsæ Majestatis humanæ, vel divinæ.*
75 *Conclusio in causa.*
76 *De aliis punctis disputatis remissive.*

D I S C. CLXI.

CUpiens Marius, ultimus de antiqua, & præclara Frangipaniorum Romana familia, istam conservare 1
in eadem urbem per veritatem, seu per fictionem respective; Hinc in testamento condito de anno 1638. in Castro Nemi, & aliquibus Tenutis, seu Casalibus notabilis valoris, ac etiam in Palatio Urbis, aliisque bonis, perpetuam ordinavit primogenituram masculinam, ad quam primo vocavit Marchiones Frangipanios de Croatia; Secundo Comites Frangipanios de Provincia fori Julii; Tertio familiam Fischiam Januensem, & demum, cum quodam ordine inter eas Romanas familias nobiles de Astallis, & Maximis; Cumque morti proximus de anno 1654. ob Constitutionem medio tempore magis rigorosam editam ab Innocentio X. super incapacitate forensium, suspicaretur de prædictæ dispositionis invaliditate respectu dictarum familia-

rum

rum forensium, hinc alterum condidit testamentum, in quo instituto hærede libere Cardinali Antonio Barberino, eumdem rogavit, ut quatenus ei placeret, de bonis disponeret eodem modo, quo ipse fecerat in d. priori testamento; Quare Cardinalis, ut fidem ab amico in eo habitam, exactissimè impleret, indultum obtinuit ab Alexandro VII. super prædictorum forensium habilitatione, & capacitate, non obstantibus Apostolicis Constitutionibus, pro quarum tamen remotione, tantum illud concedere Pontifex professus est, adjecta clausula præservativa, quæ generaliter apponi solet, in omnibus hujusmodi indultis, & licentiis alienandi, præsertim Castra, & bona jurisdictionalia, ut scilicet concessum intelligatur sine aliquo præjudicio jurium Cameræ, in casu devolutionis, caducitatis, vel confiscationis, & aliis quibusvis tam de præsenti, quam de præterito, & de futuro, & absque aliqua alteratione investiturarum, & concessionum, adeout ad præfatum solum effectum remotionis obstaculi Constitutionum, hujusmodi licentia concessa censeretur, juxta verba plenius registrata in voto desuper edito per *Judicem primæ instantiæ*, jam impresso inter decisiones Rotæ *part. 14. decis. ultima*, dictæque licentiæ vigore, donationem fecit eisdem familiis, cum eisdem vinculis, dispositionibus, & ordinationibus contentis in præfato testamento Marii ejus auctoris de anno 1638. absque aliqua immutatione, præterquam illa contenta in posteriori testamento anni 1654. ordinis per prius, & per posterius inter d. familias Romanas de Astallis, & de Maximis.

Cumque pro consueta punitione eorum, qui ex spiritu ambitionis, vel avaritiæ, post mortem vivere volunt, atque hujus Mundi bona caduca, efficere cupiunt perpetua, cum infelici electione ab initio, successionem obtinuisset Marchio Franciscus Frangipanius de Croatia, qui spreto Testatoris desiderio, ac præcepto, cum licentia Apostolica sub variis prætextibus obtenta, in illis partibus moram trahendo de crimine læsæ Majestatis, in persona Regis Hungariæ proprii Domini naturalis, qui etiam ex electione est Imperator, capite plexus fuisset, unde propterea nullo alio de illa familia superstite, successio aperta fuit ad favorem Comitis Cornelii de alia familia Frangipania fori Julii; Hinc contra istum Cameræ Commissarius cor. Thesaurario Generali cum speciali commissione, seu delegatione Clementis X. judicium instituit super prædictorum bonorum confiscatione, atque admissis ad causam illis de Astallis pariter vocatis, ut supra, ac etiam illis de Mattheis prætendentibus se vocatos ad quoddam antiquum fideicommissum ordinatum a Majoribus d. Marii, prodiit sententia ad favorem ejusdem Comitis Frangipanii in Palatio Urbis,
2 cum omnibus mobilibus, alisque bonis, etiam stabilibus existentibus intra ambitum 4. milliarium, quorum forenses sunt capaces ad præscriptum d. Constitutionis Innocentii. ad favorem autem Cameræ, pro confiscatione in præfato Castro Nemi, alisque bonis ultra dictum ambitum 4. milliarium, atque doctus quidem, & ingeniosus Judex, qui ad purpuram postmodum evectus fuit pro ejus consuetudine, de qua etiam supra *disc. 71.* cujus causæ votum est registratum inter decisiones Rotæ, *part. 11. decis. 414.* copiosum, & elaboratum, multisque auctoritatibus referrum, edidit votum, ut supra registratum, *dec. fin. part. 14. rec.* in quo etiam verba præcisa testamentorum, & donationum registrantur, in gradu vero appellationis deputata fuit sub eodem Clemente Congregatio particularis octo Prælatorum, qui pro majori parte fuerunt in voto pro infirmatione sententiæ, sed non prodiit resolutio, eo quia ad formam commissionis, illa dici non poterat conclusa, peneque dissoluta d. Congregatione, ob promotionem, ac respective mortem aliquorum, visum est Innocentio XI. successori, observari debere ordinem bene regulatum, ut causæ appellationis a Thesaurario cognoscantur in Tribunali Cameræ, cui proinde causa commissa fuit, atque in hoc statu pendet adhuc indecisa, dum hæc sunt sub Prælato.

Ultra igitur prætensiones, & motiva prædictorum de
3 Astallis, & de Mattheis, super quibus Ego non scripsi; Quatenus pertinet ad controversiam cum Camera super confiscatione, an illa intraret, necne, Tres erant puncti; Primo nempè, in quo consistebat judicii fundamentum, an scilic. sufficienter constaret de d. præsupposito crimine læsæ Majestatis, ob quod confiscatio prætendebatur juxta dispositionem text. *in l. quisquis, Cod. ad leg. Jul. Majestat. & in Auth. bona damnatorum, C. de bon. prescript.* dum ex parte Cameralium dabatur solummodo quædam copia impressa, sed non authentica sententiæ, cum aliquibus justificationibus, super illius exequutione in persona dicti Marchionis, cum ejus capitis obtruncatione; Secundo, posita sufficienti justificatione delicti patrati in Regno Hungariæ, an locus esset præfatæ confiscationi hujusmodi bonorum existentium in hoc diverso Principatu Status Ecclesiastici, quamvis essent libera, nullique fideicommissi vinculo obnoxia, Et tertio posito etiam, quod in bonis liberis delinquentis confiscatio intraret, quid dicendum esset stante arctissimo fideicommisso ordinato, non solum in casu mortis, sed etiam expressè in casu delicti, etiam utriusque læsæ Majestatis, & humanæ?

Quamvis autem bonus ordo exigeret, ut de primo puncto
4 esset prius agendum cum in eo consistat judicii fundamentum, quoniam non constito sufficienter de delicto, inanes remanent labores, super aliorum duorum disputatione; Itaque ordo adhiberetur in causæ defensione presertim coram d. Congregatione deputata, dum semper erroneum est, assumere inspectiones juris, quoties ex solo facto, quæstio dirimi potest; Nihilominus in hujusmodi adnotationibus, quæ ad publicam utilitatem, pro aliorum casuum decisionibus æternitati dicantur, diversus adhibetur ordo, examinando scilicet prius secundum, & tertium punctum utpote magis generales, ac altioris indaginis, de primo autem breviori in fine agitur.

ARTICULUS I.

An intret confiscatio in bonis extra territorium, ut quilibet confiscare possit in suo.

5 QUatenus itaque pertinet ad secundum punctum super assumpto, quod per ora forensium communiter volitare solet, atque a me quoque, incidenter tamen, & articulo non discusso, insinuatur supra *hoc eodem tit. disc. 148. n. 46. & disc. 149. n. 21.* ut etiam advertitur *in d. vot. n. 11. & seqq.* Communis est traditio illorum, qui scripserunt post Bartolum, qui plene deducuntur in eodem voto, quos propterea superfluum est transcribere, cum ibi commode videri valeant, insequendo traditionem, seu distinctionem ejusdem Bart. *in l. 1. C. de Summa Trinit. n. 50. 51.* ubi explicando, seu conciliando dicta antiquiorum, super hoc articulo, distinctionem adhibet, quod aut confiscatio a judice diversi territorii provenit ea illius loci, vel territorii lege particulari, & tunc Judex, vel Dominus alterius territorii non confiscat bona in suo existentia; Aut provenit ex dispositione juris, quod in utroque loco, vel territorio vigeat, & sit commune, & tunc intret; Et per consequens, cum pro crimine læsæ Majestatis intret confiscatio, ea dispositione juris communis, ut in supra allegatis juribus; Hinc scribentes pro Camera inferebant planum esse, quod huic confiscationi locus esset, ut advertitur *in eod. voto d. n. 11. & seqq.* ubi recensentur ea, quæ per multos scribentes in Curia, & extra, pro Camera deducebantur, inter quos fuit Pratus, qui responsum desuper editum registravit in 3. *tomo suarum discept. cap. finali*, atque cum hac distinctione pertranseunt omnes cumulative in eod. Voto, & late præ cæteris prosequitur Bellon. Jun *de jur. accresc. c. 10. q. 3.* & in tot quos moderniores Criminalistæ in Magistrum agnoscere solent, & merito doctum Bossium *in praxi tit. de bonorum publicatione n. 62.* quod Theoricam reassumit.

6 Quia vero per scribentes in contrarium, auctoritates desuper pro consueto vero damnabili pragmaticorum more in confuso cumulabantur, quasi quod tamquam per speciem electionis, vel præsentationis, aut alterius actus Comitialis tota vis esset in numero majori aritmetico scriptorum, multaque etiam inculcabantur adversus distinctionem Peregrini, sequacium, in qua ego etiam in sensu veritatis insistebam, ut patet ex relans in eodem voto, *n. 16. & seqq.* Hinc ad eruendam veritatem, & equivoca tollenda, adhibebam consuetum stylum, qui ea frequenter insinuatis mihi videtur sacra anchora, seu saluberrima medicina omnium controversiarum forensium, distinguendi scilicet plures casus, inter se diversos, de quibus agunt DD. ut ita eorum auctoritates congrue applicari valeant, atque evitentur æquivoca.

7 Distinguendo itaque plures casus; Primus est proprius, ac præcisus, quem ponit Bart. hujus Theoricæ auctor, & Magister, ubi scilicet agatur de uno, & eodem Principatu diviso in Provincias, vel gubernia, in quorum quolibet adsit particularis, ac separata bursa fiscalis, ut ex quadam antiqua consuetudine, praxis docet in hoc Principatu Status Ecclesiastici, quod scilicet, quamvis universus status immedia-

diatus idest, non infeudatus, cum feudo vere regali, redo-
lente Principatum absolutum, sit unus tantum Principatus
sub uno Principe, qualis est Papa, qui in hac parte tempo-
rali unam tantum personam repræsentat, quamvis diversam
ab aliis personis spiritualibus Papæ; ut Episcopi urbis,
juxta distinctiones, *sub tit. de praemin. disc. 1. sub. tit. de re-
gular. disc.* 32. & in relat. Curiæ, *disc. 2. & alibi*, & quam-
vis in Curia habeat Magistratus, & Officiales fiscales ge-
nerales, qui fiscum administrant, ut (ex. gr.) sunt Came-
rarius, & Thesaurarius, ipsumque Tribunal Cameræ,
cum Advocato, & Commissario Cameræ, ac Ratiocinato-
8 ribus; Attamen bursæ, vel exactiones sunt separatæ, etiam
quoad pœnas, & confiscationes, quæ annectuntur appalu-
bus, vel Thesaurariis diversarum Provinciarum, ut docet
praxis Thesaurariæ Marchiæ, contradistinctæ a Thesaura-
riis Umbriæ, Patrimonii Æmiliæ, Status Urbini, Ferra-
riæ, Bononiæ, Status Avenion, & Urbis, adeout frequen-
ter audiantur quæstiones super pertinentia ejusdem pœnæ,
vel incamerationis inter Thesaurarios, vel fiscos hujusmo-
di diversarum Provinciarum, quia nempe delictum sit
commissum in una Provincia, condemnatio vero sequatur
in Urbe, vel in altera Provincia, ut patet ex casu, de quo
supra in Perusina, *disc.* 114. Atque de isto casu proprie agit
Bart. ubi supra, dum ponit exemplum in sententia confisca-
tionis lata per Præsidem, seu Judicem Marchiæ Anconita-
næ, an capiat bona delinquentis existentia in Ducatu Ro-
mano, & sic de duabus Provinciis, ejusdem Pontificii Prin-
cipatus, seu Status Ecclesiastici.

Quamvis etenim sub Gothorum, & Longobardorum,
vel respective Græcorum dominiis, Ducatus Romanus,
juxta temporum contingentias esset diversus a Ducatu Spo-
letano, & a Marchia Anconitana; Attamen de tempori-
bus Bartoli non aderat hæc distinctio, sed ambæ istæ Pro-
vinciæ, vel partes erant de eodem Statu Ecclesiastico, ac
propterea isto casu Bartolus recte, ac fundate loquitur, mo-
tus ex dispositione text. *in l. 3. C. de bon. vacant. l.* 10. cum
quo omnes transeunt, quoniam, ut bene advertit Alberic.
9 de Rosat. *de statut. p. 3. q. 2. n. 9.* quemadmodum tempore
Imperii Romani, de quo præfatus Textus loquitur, diver-
sæ erant Provinciæ sub Præsidibus, vel Proconsulibus, qua-
rum quælibet habebat proprium fiscum distinctum, adeout
unus cum altero non connecteret, neque se ingereret in
bonis existentibus in proprio territorio, vel in propria Pro-
vincia, Nihilominus unum, & idem erat Imperium, ac
Territorium, atque unus, & idem erat Imperator, vel
Princeps, & per consequens erat unus, & idem fiscus habi-
tualis, quamvis ejus exercitium, vel administratio, seu frui-
tio, ex concessione expressa, vel implicita Imperatoris, per-
tineret ad diversos Præsides, vel ad diversas Civitates.

10 Juxta exemplum positum quoque ab Alberico de Rosa-
tis, ubi supra, & de quo disputant antiqui scriptores ante
Bart. relati per eundem Albericum, & per Jo: Andr. *in ad-
dit. ad speculat. p. 3. de accusat. §. 6. in addit. magn. vers.
Nicolaus de Mattarellis, &c.* & Ancharan. *in cap. cum se-
cundum leges de heretic. n.* 6. quos referunt Barbat. *cons.* 70.
n. 41. lib. 4. Nell. *de bannit. part. 1. secundi tempor. n.* 17.
exemplificando scilicet in Civitatibus Italiæ, & præsertim
Lombardiæ, pro illo jure fisci, aliorumque Regalium, quod
11 diversis Civitatibus, ex concessione Imperatoris in pace
Constantiæ, competebat juxta regalium historiam recensi-
tam, supra in Annot. *ad disc.* 1.

Ita namque revera unus est fiscus habitualis, quamvis
plures sint ejusdem fisci bursæ, & administrationes, juxta
exemplum ab eodem Alberico, aliisque Doctoribus tradi
solitum de uno pupillo habente plura, ac diversa patrimo-
nia, in diversis Civitatibus, vel Provinciis, sub diversis
tutoribus, quoniam licet administrationes sint inter se di-
stinctæ, attamen revera, una est persona pupilli; Unum-
que est patrimonium habituale; Istumque casum propriè
percutiunt omnes illi DD. qui simpliciter sequuntur prædi-
ctam distinctionem Bartoli.

Istoque casu, quo agatur de uno, eodemque Principatu
12 verificatur etiam distinctio juris particularis, & juris com-
munis, quamvis istud posterius esset quoque particulare;
Puta (exemplificando etiam in hoc Principatu Status Ec-
clesiastici,) quod Legatio Bononiæ, Ferrariæ, Æmiliæ, &
Status Urbini, ac Provinciæ Marchiæ habebant suas Con-
stitutiones particulares, quæ non vigent in urbe, vel in aliis
Provinciis, adsit vero jus particulare istius Principatus,
quod dicitur omnibus ejus Provinciis commune, ut sunt
Constitutiones Apostolicæ editæ super hoc Principatu tem-
porali, sive sunt bannimenta generalia Status Ecclesiastici,
pro iis Provinciis, & Partibus, quæ non sunt exceptuatæ,
Quoniam si confiscatio provenit (ex. grat.) in Provincia
Marchiæ, in vim Constitutionis Ægidianæ, vel Carpen-
sis, vel Civitate Bononiæ, ex vi Constitutionis Justi-
nianæ, sive ex decretis Ducalibus Ferrariæ, vel Urbini,
tunc non capiet bona aliarum Provinciarum ejusdem Sta-
tus Ecclesiastici, secus autem si in vim alicujus Constitu-
tionis Apostolicæ, sive in vim bannimentorum generalium,
quæ locum delicti, & condemnationis æque complectan-
tur, præscribendo etiam a jure magis communi civili, &
Canonico, istoque casu quæstio vere, & proprie non cadit
super existentia confiscationis in genere respectu delin-
quentis, qui in universo Principatu reputatur unus, & idem
delinquens, & servus pœnæ, ac si esset unum, & idem terri-
torium, sed cadit inter ipsas diversas bursas fiscales, eo quia
administrator, vel utilitarius bursæ fiscalis, loci patrati de-
licti, vel condemnationis, prætenderet confiscare omnia 1
bona, etiam existentia in aliis Provinciis, & territoriis, at-
que isto casu recepta est d. propositio, quod quilibet confis-
cat in suo, cum sit proprie ille, de quo loquitur Bart. atque
loquuntur omnes alii, qui illum simpliciter referunt, & se-
quuntur, qui ita sunt intelligendi, & applicandi, ex rece-
ptissima propositione, quod DD. sunt intelligendi, juxta au-
ctoritates, quas allegant, ex relatis *disc. 35. de judic.* & alibi.

Alter casus est præcedenti nimium similis (cum modica
differentia,) ubi scilicet quæstio pariter sit in eodem Princi- 1.
patu, quinimo in eadem Provincia, in qua unica tantum
sit bursa fiscalis ipsius Principis, adsint tamen de consuetu-
dine, vel privilegio aliæ bursæ fiscales inferiores, & subor-
dinatæ, nempe quia in eod. Principatu, seu in eadem unius
parte, vel Provincia adsit fiscus Principis, & adsint Baro-
nes, vel Domicelli, qui ex privilegio, vel consuetudine, ha-
beant quoque in eorum feudo, vel dominio jura fisci, & confi-
scationis, unde propterea intret eadem quæstio, an unus
confiscare valeat in alieno, vel potius quilibet confiscare de-
beat in suo, & de isto casu late agitur per Rot. apud Merlin.
dec. 125. repetit. disc. 449. par. 5. rec. & de Marin. *res. 35. lib.*
1. & cum cujus Rotalis Decisionis auctoritate; Ego obi-
ter aliud agendo, & non gustata articulo pertransii, *locis
citatis*, super dicta propositione, quod quilibet confiscat
in suo unde propterea semper, ac in dies magis edoce-
mur, ac monemur, quam magnus error sit in sola litte-
ra, cæcave fide deferre Doctoribus obiter loquentibus, ar-
ticulo non discusso, eosque in calculo ponere.

Tertius est casus, quando Principatus sint quidem distin- 1
cti, adeout quilibet habeat suum fiscum habitualem, & ge-
neralem, sed unus Principatus habeat ab alio dependentiam,
ut sunt illi Principatus sæpius enunciati, *sub tit. de feudis*,
& alibi qui constituuntur ex feudis regalibus, & veræ digni-
tatis, ut (ex. grat.) sunt in Italia feuda Ecclesiæ Romanæ,
Regni Neapolitani, & Ducatuum Parmæ, & Placentiæ,
& feuda Imperialia Ducatuum Mediolani, Mantuæ, Rhe-
gii, Mutinæ, & Senarum, & alia plura inferioris Spheræ,
atque est feudum Insulæ Melevitanæ, quia est membrum
Regni Siciliæ citra, cum similibus; Istoque casu dignosci-
tur consueta varietas opinionum, ut patet ex relatis per Bel-
lon. jun. *d.c. 10. p.* 3. Atque casus decidendus videtur cum di-
stinctione, an læsio Majestatis unius, sit talis qualitatis,
quod influat in præjudicium, ac læsionem Majestatis alte-
rius, ut isto casu intret opinio affirmativa, secus autem ubi
id non verificetur, cum tunc verius sit oppositum, juxta
eam observantiam, quæ ponderatur infra *n. 40. & 41.* id-
que mature examinare neglectum fuit, utpote extra casum
quæstionis, solumque insinuatur ad eumdem effectum, de
quo supra in aliis, segregandi scilicet auctoritates, quæ
istum casum percutiant.

Quartus casus est, ubi agatur de diversis Regnis, vel
Principatibus, quæ tamen ex diversis titulis possideantur
ab uno, eodemque Principe, cujus unica persona materialis
repræsentet plures diversas personas formales, juxta illam
fictionem, de qua in his terminis Regnorum, & Principa-
tuum habetur, *tit. de praem. disc. 29. & alibi pluries*; Ut
(ex. gr.) docet praxis, de qua cod. *disc.* 29. in Rege Hispa-
niarum possidente ibi enunciata Regna, & Principatus, in-
ter se diversa, cum omnimoda independentia, Et tunc si
confiscatio proveniat ab aliquo crimine privato indifferenti,
dicendum venit idem, quod infra in ultimo casu, ut confis-
catio non cadat in bonis extra territorium; Si vero pro-
veniat ex isto crimine læsæ Majestatis humanæ, & tunc in-
trat distinctio, an ea sit circa ipsam individuam personam
materialem Principis, adeout quoad ipsam omnia Regna,
& dominia ita constituant unum, & idem corpus, ut isto
casu

casu intret confiscatio in universa ejus ditione; Ad instar eorum, quæ habemus in pluribus Ecclesiis, vel Diœcesibus, æque principaliter unitis, quod licet ad alios effectus habeantur pro omnino distinctis, ac diversis, ex deductis, *sub tit. de praeminen. disc. 7. & sub tit. de benefic. disc. 15. & alibi pluries*; Attamen quoad personam Episcopi, omnes habentur pro unica; Si vero idem crimen non percutiat directe, & immediate personam Principis, percutiat autem illum statum, sive illud dominium tantum pro illius amissione, seu mutatione, & licet in hujusmodi causis, nullam, vel modicam partem habere videantur legales propositiones, vel auctoritates, cum alia lex politica, vel ratio status, illas regulet, ex insinuatis *sub tit. de dote disc. 146. & alibi*; Attamen adhuc juridice dici posse videtur idem, quod proxime supra, dum lædi dicitur ipsa Corona, sive ipsa Monarchia, de cujus scissura, vel deturpatione agitur; Secus autem, ubi idem crimen proveniat, ob offensionem personæ alicujus supremi Magistratus, ex odio, & causa privata, non autem ex causa status, juxta casum, qui de recenti contingit in homicidio Proregis Regni Sardineæ, cum similibus, cum tunc de stricta juris censura, dicendum videatur idem, quod infra in ultimo casu; Adhuc tamen ex eadem lege, vel ratione status de facto servari consuevit contrarium, quasi quod ita dicatur læsa, vel saltem spreta eadem Majestas ipsius Principis Coronæ.

17 Quintus est casus, ubi agatur de Regnis, & dominiis tam formaliter; quam materialiter divisis, & independentibus, cum proprio ac discreto Principe; Agatur tamen de altera specie confiscationis minus odibilis, & non pœnalis, sed hæreditariæ, vel successoriæ, bonorum scil. vacantium, ob defectum legitimi hæredis, juxta quæstionem disputatam supra *disc.* 149. & tunc recte intrat d. propositio, quod quilibet confiscat in suo, juxta terminos d. text. *in l. 3. Cod. de bon. vacant. lib.* 10. dum isto casu, quæstio non est inter fiscum, & legitimum, vel testamentarium hæredem morientis, super substantia confiscationis, & an illa intret, necne, sed ea ubique intrante, ob defectum hæredis, quæstio solum est inter plures fiscos de pertinentia, quia nempe ille fiscus, in cujus territorio vivebat, ac obiit persona, prætendat gerere figuram, vel personam hæredis universalis, repræsentantis ipsam personam defuncti, quam bona sequi debent, atque adhiberi solet distinctio inter bona, quæ circumscribantur, vel non circumscribantur loco, ex deductis *d. disc.* 149. *Sot eod. tit.* Sed quidquid sit de isto casu, ille extraneus erat a nostra quæstione, & per consequens intrat idem, quod in aliis præcedentibus, quod scil. auctoritates illum percutientes, extraneæ remaneant, atque segregari mereantur.

Sextus est casus illius confiscationis, quæ ex utroque 18 jure civili, & canonico, proveniat ob crimen læsæ Majestatis divinæ, ratione hæresis, vel Apostasiæ a fide; Et tunc pariter intrat idem, quod in casu proxime præcedenti, quod scilicet in Universo Orbe Catholico, nulla cadit quæstio super substantia confiscationis omnium bonorum, ubicumque sita sint, dum ubique idem delinquens est æqualiter criminosus, atque ubicumque reperiatur absque distinctione principatuum, & territoriorum, est pariformiter punibilis, dum quoad Deum, cujus Majestas læsa est, totus Mundus est unus principatus, unumque territorium, unde propterea cadit solum eadem quæstio pertinentiæ, inter plures fiscos in eodem Territorio, vel Principatu existentes, & præsertim inter fiscum Ecclesiasticum, & secularem, juxta quæstionem disputatam per Fagnan. *in cap. vergente de heretic. num. 3. & seqq. & num.* 16. super quo locus relinquitur veritati, sive observantiæ, utpote extra opportunitatem quæstionis; Et per consequens intrat idem, quod supra dictum est, ut scilicet omnes auctoritates, quæ percutiunt istam speciem confiscationis, segregari quoque mereantur, tamquam penitus extraneæ, diversamque rationem habentes.

19 Septimus demum est casus præcisus nostræ quæstionis, ubi scilicet agatur de confiscatione ex crimine læsæ Majestatis humanæ unius Principis, bona vero sint in alio Principatu diverso, & independenti, ut in præsenti, quod læsa fuisset Majestas Regis Hungariæ, naturalis, seu originarii Domini delinquentis, bona vero essent in Urbe, ejusque districtu de dominio Papæ.

20 Ad hanc autem distinctionem nemo descendit ex antiquioribus scribentibus post Bart. dum omnes processerunt pro consueto Legistarum more, cum d. theorica, seu distinctione in genere, non descendendo ad hanc speciem; Ad eam vero omnium primus descendit, Peregrin. *de jure fisci lib. 5. tit. 2. num. 138. vers. sed his subsistendum*; Hic etenim magnus, & profundus Jurisconsultus in omnibus materiis, exceptis beneficialibus, aliisque spiritualibus (quarum conjunctio cum prophanis, peculiaris, ac singularis est professorum Rom. Curiæ, ex rationibus insinuatis in relatione Curiæ *disc.* 146.) ut ostendunt ejus opera in consiliis, & in decisionibus, ac etiam in tot aliis tractatibus, illo præsertim fideicommissorum, ex peculiari munere Advocati fiscalis illius Provinciæ, erat in his materiis fiscalibus versatissimus, ut docet dictus ejus tractatus *de jure fisci*, qui apud omnes fiscales adhibendo illum modum loquendi, qui adhiberi solet per Legistas, habetur tamquam liber Evangelii, ac propterea est minister fiscalis, qui loquitur contra fiscum, quod est nimium claræ veritatis argumentum, ipseque firmat, quod confiscatio non intrat in bonis extra territorium, vel principatum, non solum ob defectum jurisdictionis, sed etiam ex alia magis convincenti ratione, quod scilicet extra principatum illius, cujus Majestas læsa est, ille delinquens est homo integer, suum habens hæredem, cum aliis motivis, & considerationibus apud eum de facili videndis.

Eandem distinctionem latius reassumit, ac more fundatissimi Doctoris expendit Bellon. jun. *d. cap. 10. q. 3. n. 69. & seqq.* & sequuntur quotquot DD. postmodum scripserunt 21 usque ad hæc tempora nemine contradicente; Quamvis enim in dicto voto deducatur Modernus Antonell. de Loc. Legal. *lib. 3. c. fin. qu. 1. n. 1. & seqq.* Nihilominus commendando quidem labores istius Scriptoris, qui in sua inferiori collectoria Sphera, Reipublicæ quoque proficuus est recensendus, ut etiam sunt alii Collectores; Attamen in hoc proposito recenseri non meretur inter DD. dum articulum non examinat, sed collectorio more ita incidenter loquitur, procedendo cum antiquorum traditionibus, atque ad has distinctiones non reflectendo, eodem modo, quo dici potest de me ipso, supra *disc. 148. n. 46. & 149. n. 21.* quod scilicet incidenter aliud agendo, non discusso particulariter articulo, id insinuatur, procedendo cum *d. decis.* 125. Merlin. *repetit. dec. 149. par. 5. recent.* quæ bene examinata percutit secundum casum supradistinctum, omnino diversum.

Præfatam vero Peregrini magistralem distinctionem, ac theoricam, ultra Bellonum, qui late, & ex professo illam examinat, & firmat, sequuntur etiam Alfar. *de offic. fiscal. gloss. 20. n.* 19. Montan. *de Regal. tit. bona contrahent. incer. nupt. num.* 16. Guazzin. *de confiscat. limit. 13. conf. 16. n.* 13. ubi etiam amicus meus doctus hujus curiæ Advocatus Massinius *in addit. q. 43. n.* 19. Bottiglier. *de success. ab intest. theorem. 110. n. 3. vers. alii tamen*, Noguerol. *allegat. 12. n. 53. & seqq.* & alii absque contradicente, qui more Doctoris, istam distinctionem, ejusque rationes, & fundamenta expendat. Unde propterea, loquendo etiam pro abhorrito, parumque commeodabili stylo mere pragmatico, procedendi cum solis auctoritatibus, duæ intrant propositiones, quæ per ora pragmaticorum volitare solent; Primo nempe, quod Doctoribus distinguentibus magis deferendum est, illique majoris recensentur auctoritatis, quam simpliciter, & in abstracto loquentes, istudque est assumptum verissimum a Judicibus præ oculis semper habendum; Et secundo, quod auctoritates punctuales sine contradictore, ubi præsertim sint plures gravium doctorum, & quod magis est, bonis rationibus munitæ, haberi debent, tamquam pro casu legis, ex relatis super utroque assumpto, *disc. 35. de judic.* & alibi pluries.

Adversus hanc distinctionem scribentes in contrarium 22 prætendebant adesse specialem auctoritatem, recensitam quoque in eodem voto, quæ percutiat casum præcisum confiscationis factæ in terris Imperii, ut capiant etiam bona in terris Ecclesiæ, istaque est doctrina Butrii *in cap. postulasti num. 9. de foro competent.* eamque nimium magnificabant, atque magnum apud aliquos plausum habuisset (quoniam ea, quæ speramus, & cupimus facile credimus:) Verum dicebam; quod ista doctrina (ut aliqui ex nostris, pro eorum loquendi usu dicere solent) ad rem nostram non valens, nec quidem unum obulum; Tum quia, ubi doctrinam pragmatico more attendere velimus ad litteram, stante quod loquitur de sententia confiscationis in terris Imperii, non adaptatur ad rem, quorum licet casus accidentaliter præbeat, quod iste Rex Hungariæ reperiretur etiam ex electione Imperator eo modo, quo Imperium habere consueverunt Carolus Magnus, & Ludovicus Pius, qui erant etiam Reges Francorum, ac etiam Duces Bavariæ, & Reges utriusque Siciliæ, aliique Principes, attamen nil commune habet Imperium cum Regno prædicto, juxta eam-

eamdem distinctionem, de qua *d. disc. 29. de praeminent. disc. 90. de jurisdict. & alibi*.

Tum etiam quia Butr. more repetentis, loquentis in scholis, ad instruendos scholares, atque more Scholasticorum in abstracto examinat eamdem theoricam; seu distinctionem Bartol. promiscue loquendo de utraque Læsa Majestate, non reflectit ad notabilem differentiam, inter unam, & alteram speciem, quod una scilicet est universalis in toto Orbe, absque distinctione principatuum, & territoriorum. Alterà vero est particularis unius Principis, seu principatus, sed pertransit cum eadem theorica, seu distinctione, quam tamen cum æqoivoco, & malè exemplificat diverso modo ab illo, quem, ut supra exemplificavit Bartol. qui revera loquitur de diversis bursis unius fisci, vel unius principatus. Unde merito Bellon. & Montan. & tot alii, qui ut supra post Peregrin. scripserunt, illumque sequuntur, nullam de hac auctoritate mentionem, vel rationem habent.

Deducebant quoque iidem scribentes plures alias auctoritates in idem, nempe Imol. *cons. 35. num. 21. & seqq.* Ubi de confiscatione in Civitate Venetiarum, pro crimine in Marchionatu Ferrarien. Alexand. *cons. 31. num. 2. & seqq. lib. 1.* ubi de Mutina, & Bononia, Isernia *tit. quæ sint Regalia n. 45.* cum qua tamquam relatore aliud agendo pertransit obiter Capyc. Latr. *consult. 131. num 21. & seqq.* ubi de confiscatione bonorum in Gallia, pro crimine patrato in Insula Siciliæ, Cassan. *ad consuet. Burgund. in rubr. 2.* ubi pariter de diversis principatibus; Et mihi objiciebant proprios locos, de quibus supra, nempe *disc. 148. & 160.* ubi de confiscatione bonorum in Urbe pro condemnatione sequuta in Civitate Januen.

Sed pariter istas auctoritates nil ad rem facere dicebam, quoniam in casu Imolæ, juxta facti seriem ab eo enarratam, agitur de prætensione, quam Marchio Ferrariæ deducebat in Senatu Veneto contra reum, qui ad eam Civitatem confugerat, pro traditione personæ in vim capitulationum, principaliter vero instabat pro consignatione pecuniarum, aliorumque mobilium, ibi existentium, penes eamdem personam, quam sequi deberent, dum supponebatur, quod essent bona propria ejusdem Marchionis sibi furto ablata per delinquentem; Et sic erat quæstio privata, de cujus decisione non constat, neque fiscus Venetus hanc prætensionem habebat, unde propterea hæc auctoritas potius retorquetur: Alexand. *cons. 31.* loquitur de casu supra exemplificato successionis in bonis vacantibus, habente diversam rationem, dum non agebatur de confiscatione odibili, & pœnali, sed de altera favorabili, & successoria, in qua longe diversa ratio viget, ut supra; Et ulterius, attentis temporibus Alexandri, quando adhuc non prodierat apud Historicos celebre laudum Caroli V. quod prolatum fuit sub Clemente Septimo, apud DD. subditos Papæ; qualis erat Alexander, pro constanti supponebatur, quod Mutina esset de eodem Statu Ecclesiastico, de quo erat Bononia, ideoque intraret etiam doctrina Bart.

Isernia loquitur de confiscatione, ex crimine hæresis, atque optime de more, tamquam profundus Doctor ponderat rationem superius assignatam, quod scilicet istud est crimen universale in toto Mundo, absque distinctione territoriorum, & principatuum, ideoque delinquens potest ubique puniri in persona; Deinde vero agit de prætensione Regis Galliarum, ex quadam consuetudine, vel lege particulari Regionis, confiscandi bona in ejus dominio existentia homicidiarum, ubicumque homicidium commissum esset, & sic extra casum quæstionis, neque Capyc. Latr. istam quæstionem disputat, sed aliud agendo, obiter dictam Iserniæ auctoritatem refert, & Cassan. loquitur de pluribus principatibus, vel dominiis in eadem Gallia, & ejusdem Regis.

De meipso jam dixi, quod obiter, non examinato articulo, loquutus fui, transeundo cum *decis. 125.* Merlini, quæ ut supra percutit casum longe diversum, Et quatenus pertinet ad confiscationem sequutam in Civitate Januæ, per quam Officiales Datariæ prætendebant effecta esse propria quædam officia venalia, possessa per condemnatum; Ultra peculiarem rationem, quod agebatur de officiis ejusdem datariæ, quæ vacationem ob mortem criminosam prætendebat, tamquam per speciem expirationis concessionis, revera de hoc articulo nullo pacto disputatum fuit, sed solum de altero fideicommissi, & legitimæ respectivè, ex deductis præsertim supra *disc. 160. num. 1. cum pluribus seqq.*

Cum etenim de Curiæ stylo enunciato in ejusdem Curiæ relatione *disc. 146.* & alibi, causarum Patroni incipiant, & prosequantur judicia, deindeque in limine recurrant ad operam Advocatorum, super illis punctis, ad quos eis videatur difficultatem a Judice restringi, ac propterea in informatione facti, agetetur solum de dicto puncto fideicommissi, & legitimæ respectivè, non advertendo ad hunc articulum, an intraret, necne confiscatio; Hinc proinde scripsi super iis, super quibus fui requisitus, atque neque Ego ad id adverti, cum materia tamquam nimium rara, tunc mihi revera esset nova; istaque experientia, quam frequenter in meis laboribus agnosco, magis me docuit, sive confirmavit in sensu geniali, parum deferendi DD. auctoritatibus in sola littera, non expendendo, an ex professo, & mature examinato articulo, vel potius incidenter, seu collectorio more loquantur; Ac etiam non ponderando eorum rationes, & fundamenta, aliasve facti circumstantias, Et cum altera ponderatione, an essent doctrinæ venales, ad causæ opportunitatem, cum aliis ponderationibus, de quibus *disc. 35. de judic.* ubi de modo attendendi auctoritates.

Quamplures vero aliæ auctoritates Citramontanorum, & Ultramontanorum, quæ collectorio more deducebantur per scribentes, relatæ etiam *in d. voto n. 12.* vel percutiunt dictum diversum casum, ex causa hæresis, ut præsertim est casus, de quo agit Spada *cons. 27. lib. 1.* vel quod sunt Doctores generaliter loquentes, juxta theoricam, seu distinctionem Bartoli, non reflectendo ad dictam distinctionem, ad quam revera primus omnium cogitavit, Peregr. ubi supra.

Ac propterea, cum deinde per sæculum, & ultra postquam hic Auctor scripsit, alii scribentes etiam graves concorditer hanc sententiam, utpote bene fundatam sequuti sint, absque eo, quod antiquiores ad id cogitaverint, juxta plures consimiles modernorum distinctiones, & observationes, ad quas antiquiores non cogitarunt, ut præsertim in questione, de qua *sub tit. de Credito, disc. 31. & sub tit. de Testament. disc. 42 43. & tit. de Dote disc. 95. & 96.* cum plerisque aliisque aliis similibus; Idcirco examinando punctum per auctoritates, pro non confiscatione, veritas omnino assistere videtur.

Clarius vero, eamdem veritatem, huic opinioni in exclusionem confiscationis bonorum extra illum principatum 2
assistere dicebam, ponderatis rationibus. Illa præsertim, quod si iste reus, postquam jam inquisitus, & condemnatus erat, in ipso actu, quo ducebatur ad supplicium, amicorum ope, e manibus Justitiæ aufugisset, atque ad Urbem accessisset, utique hic capite plecti non potuisset, neque alias puniri. Et per consequens non videtur, quomodo ejus bona possent confiscari, dum ipse integer, ac ingenuus homo, in hoc principatu dominii, & possessionis, & commercii capax erat, atque liberam testandi, & disponendi facultatem habebat, cum aliis rationibus late expensis per Bellon. jun. *ubi supra*.

Advertebam quoque, quod neque verificaretur distinctio Bartoli, super condemnatione, quæ sequatur ex jure communi, vel jure particulari respectivè, dum clarum æquivocum est dicere, quod idem jus civile contentum *in dict. leg. quisquis, & in Authent. bona damnatorum*, æque vigeat in Urbe, & Statu Ecclesiastico, ac in dicto Regno Hungariæ, ex ejusdem Legislatoris auctoritate, eo modo, quo de tempore, quo dictæ leges conditæ fuerunt, ex Imperiali auctoritate vigebant in toto illo Mundo, qui tunc subjacebat Imperio Romano. Id enim pro meo judicio, continet unam ex consuetis nostrorum leguleicis simplicitatibus, dum etiam jus civile Romanorum contentum in Digestis, & in Codice, & quod ad differentiam statutorum, aliarumque legum, & pragmaticarum, mere localium, dicimus commune, revera est particulare cujuslibet principatus, ex proprii Principis, vel Domini particulari, & discreta auctoritate, non autem ex illa auctoritate antiqui Legislatoris, quæ utrique Principatui, vel Provinciæ communis esset, ut erat de tempore Imperii Romani. Atque in hoc versatur æquivocum.

Ad id autem comprobandum, reassumebam toties insinuatam, & inculcatam historiam legalem, quam tamen semper opportune, ac utiliter repetere congruit, & de qua plenius, magisque distinctè *sub titul. de servitutibus* 2
disc. 1. & in ejus annotationibus, ubi de pluribus æquivocis Germanorum, a quibus, cum eisdem æquivocis totum mutabant aliqui ex scribentibus pro Camera. Ex ibi etenim deductis, quorum repetitio omittitur, dum commode

mode citata loco videri possunt, patet quod leges Romanorum, quæ continentur in corpore juris civilis, nempe, in Digestis, in Codice, in Authenticis, & in Institutionibus, in quolibet principatu, in quo receptæ sint, ac serventur, habent vim legum, non ex auctoritate Justiniani, sed ex implicita, vel explicita ordinatione illius Principis, & ex usu populorum, dum aliqui Principes, vel Populi illas non receperunt, neque servant, ut præsertim in Italia docet praxis in Civitate Venetiarum, & sic ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de dote disc.* 102. *cum pluribus seqq. & sub tit. de Credito disc.* 116. de paciscentibus, ut servari cum eis debeat aliqua lex, vel consuetudo, a qua sint exempti, sive juxta ea, quæ habentur *sub tit. de Testam.* & sub altero de fideicommissis, de ordinante fideicommissum, vel aliam dispositionem relative ad testamentum alicujus ejus majoris, vel alterius, cum similibus; Quamvis etenim Germani id referant auctoritati Imperiali, non quidem illi Justiniani Imperatoris Constantinopolitani, qui dictas leges compilavit, in prædicta, quam habemus forma, easque ubique servari mandavit, sed alterius Imperatoris, Germaniæ, nempe Lotharii; Attamen ut eadem *disc.* 1. *de servit.* advertitur, id recte procedit in illis partibus, quæ præfato Imperio subjacent immediate, vel saltem mediate; In illis autem, quæ Imperatorem non recognoscunt, id manifeste fabulæ speciem redolet.

Atque ad id clarius, ac ad evidentiam probandum in individuo *d. l. quisquis ad leg. Jul. Majest. & Authent. bona damnatorum, sive in corpore unde sumitur*, Ponderabam, quod idem Fridericus Imperator, qui occasione pacis Constantiæ, Cum Civitatibus Lombardiæ, introduxit usum regalium, juxta historiam recensitam *d. disc.* 2. *de feudis*, & reassumptam supra *in annotatione ad disc.* 1. *sive ad hujus tit. de Regalibus rubricam*; Et quæ conventio dedit ansam quæstioni inter antiquiores disputatæ, cum nimia varietate opinionum relatarum per Anchar, & Jo. Andr. & alios de quibus supra, quas conciliare curavit Bartol. cum superius examinata distinctione, quæ hodie recepta videtur pro lege; dictus inquam Imperator Fridericus legem, seu Constitutionem particularem edidit in specie super isto crimine læsæ Majestatis humanæ, ut patet *in Extravag. qui sint rebelles* inserta in aliquibus voluminibus Authenticorum, in quibus etiam sunt insertæ leges feudales, aliæque extravagantes similes, præscribendu modum punitionis istius criminis, nulla prædictarum legum civilium habita mentione, quam facere cœperunt postea Doctores, & præsertim Baldus *in Commentariis ejusdem extravagantis*; Ergo fabulosum est dicere, quod jus contentum, *in d. l. quisquis, & in auth. bona damnatorum*, dicatur jus omnibus populis, & principatibus commune, perinde ac si esset divinum, vel naturale; Quoniam, ut præmissum est, totum prædictum jus civile dicimus commune per modum
28 loquendi, ad differentiam statutorum localium, sive etiam ad differentiam Constitutionum, & Pragmaticarum particularium cujuslibet principatus, ex eo quod dictarum legum usus, esset pluribus Regnis, & principatibus communis, idest, quod in eo convenirent, atque uniformem haberent usum, sed in quolibet ex proprii Principis auctoritate, vel permissione.

Ad evitandum autem fortissimum, ac insolubile argumentum Peregrin. latius reassumptum per Bellon. Jun. ubi supra, cum quibus alii communiter pertranseunt, quod sci-
29 licet hodie non dentur servi pœnæ, ex dispositione textus *in Auth. sed hodie, C. de donat. inter vir. & uxor.* quodque iste reus extra illum principatum esset homo ingenuus, & integer, retinens tam libertatem in persona, quam etiam capacitatem dominii, & possessionis bonorum, cum eorum libera dispositione: scribentes pro Camera insistebant super distinctione originaliter tradita per Bald. *in eadem l.* 1. *Cod. de Summa Trinit. n.* 100. ut scilicet id procedat in illa confiscatione, quæ sequatur per condemnationem fictam, seu contumacialem, contra bannitum, cum tunc intret defectus jurisdictionis, vel juris territorialis, quodque sententia suum territorium non egrediatur, juxta primam rationem Peregrini. Secus autem ubi agatur de condemnatione vera, contra præsentem, contra quem de facto executioni demandata sit per capitis truncationem, seu aliam speciem mortis, cum tunc confiscatio bonorum existentium extra principatum, vel territorium, non proveniat ex ratione jurisdictionis ejus, qui sententiam condemnatoriam protulit, ejusdemque sententiæ vigore, sed in ratione bonorum vacantium, ob incapacitatem Domini, & possessoris, qui ita effectus est servus pœnæ, ubique ob rationem consideratam a Bartolo, & aliis, quod una, & eadem persona individua non potest eodem tempore esse diversæ naturæ, ut sit libera, & serva, ut de prædicta distinctione habetur in eodem *voto n.* 14.

Et hinc plerique inferunt, quid dispositio *d. auth. sed hodie*, intelligenda veniat in iis damnatis, qui naturaliter 30
non moriuntur, sed adhuc vivunt, ut sunt damnati in metallum, vel deportati in Insulam, sive damnati ad triremes, &c. secus autem ubi agitur de damnatis ad mortem, dum istorum respectu, jura antiqua remanent incorrecta, multas in id allegando auctoritates, quæ habentur etiam relatæ *in d. voto n.* 27. *& seqq.*

Verum, & id continet equivocum, quod aliis de quibus supra, est clarius; Siquidem ista quæstio super dispositione *d. auth. sed hodie*, & an hodie verificetur antiqua vera servitus pœnæ, nec ne, procedebat intra limites Romani Imperii; Et nihilominus, etiam intra eos verius est, magisque communiter receptum, ut etiam in damnatis ad mortem, cum subsequuta exequutione, non detur hæc servitus, dum intestabilitas, ubi intrat confiscatio bonorum, provenit potius a defectu materiæ, quoniam stante generali confiscatione, nil remanet, de quo testari, & disponere; secus autem extra dictum Imperium, extra quod Romani, illas partes appellabant partes hostium, quo-
niam juxta ea, quæ habemus in eisdem legibus in materia 31
servorum, & ingenuorum, sive in materia legis Corneliæ, & postliminii, passim datur iste concursus libertatis, & servitutis in eadem persona, pro diversitate respectuum, seu locorum, quod scilicet ille, qui reveta apud hostes erat in servitute, apud nos habebatur pro libero, & e converso, cum illis tamen fictionibus, quæ quandam superstitionem redolebant; Atque etiam hodie docet notoria praxis inter Christianos, & Turcas, inter quos, utpote sequaces diversæ fidei, & Religionis, datur usus veræ servitutis, quoniam illi infideles, qui apud nos sunt servi, in imperio Turcarum sunt ingenui, & liberi, & e converso, nostri qui sunt infidelium servi, apud nos habentur pro ingenuis, & liberis, ut bene in specie id advertit Alberic. de Rosat. *de statut. d. par.* 3. *q.* 2. *n.* 9.

Hinc merito dicta consideratio Bartol. in specie reprobatur, & quodammodo irridetur apud Paul. de Castr. *cons.* 319. *n.* 4. *lib.* 1. quem sequuntur alii plene reassumpti per Bellan. jun. ubi supra, quoniam concursus incomparibilis diversarum personarum, vel qualitatum, intelligitur eodem respectu, seu ad eumdem effectum, & in eodem loco respective, ut passim videmus in casibus, de quibus *sub tit. de Dote, disc.* 102. *cum seqq. & præsertim* 106. *& in decisionibus ibi relatis*, quod eadem persona in uno loco, ac respectu bonorum in eo existentium, est testabilis, & in altero est intestabilis; Atque de facto etiam docet praxis in Religiosis professis, qui in partibus Catholicorum assimilantur servis eorumque jure censentur, ideoque sunt omnino intestabiles, & incapaces dominii, & possessionis, ex deductis *sub tit. de test. disc.* 9. *&* 35. *& seq.* & tamen si apostatentur, atque transeant ad partes hæreticorum, vel infidelium, sive schismaticorum, apud eos habentur tanquam liberi, & testabiles, tanquam in Orbe, vel in Imperio.

Hic autem hodie est generaliter casus in singulis quibusque Principatibus divisis, ac independentibus, quoniam cum
theorice, & practice receptissimum, atque absolutum sit, 32
quod quilibet Princeps supremus dicitur Imperator, & Monarcha in suo Principatu, ibique tanta sit ajus potestas, quanta erat illa Imperatoris in Imperio Romano; Hinc proinde sequitur, quod tot sunt Imperia, vel tot sunt mundi inter se diversi, quot sunt Principatus; Et per consequens non datur verificatio distinctionis Bartoli super jure communi.

Deducebant iidem scribentes pro Camera, ad evitan-
dum hoc vere insolubile argumentum, quod resultat a di- 33
versitate Principatuum, tres, pro meo judicio, claras levitates, quas mirandum videtur, quod judiciosus, ac nimium perspicacis ingenii Judex primæ instantiæ deduxerit in præfato voto *ex n.* 33. *ad* 38. Primo nempe quod Papa, & Imperator sunt inter se confœderati; Secundo, quod hoc Regnum Hungariæ dicatur de juribus Beati Petri, & Ecclesiæ Romanæ, utpote ab ea receptum a S. Stephano, qui ut ejus S. Legenda testatur, Regium, & Christianum nomen invexit; Et tertio, quod cum istud crimen læsæ Majestatis proprii Regis complicaret confœderationem cum Imperatore, seu Tyranno Turcarum, ita adesse diceretur alterum crimen læsæ Majestatis divinæ, quod indubitanter ex jam admissis supra, est ubique punibile, ideoque complectatur omnia bona ubicumque existentia.

Super

Super istis motivis dicebam (etiam in sensu veritatis) quod essent levia, discursu indigna, illa etenim singulariter examinando; quatenus pertinet ad primum motivum confœderationis, duas dabam responsiones; Primo nempe, quod Imperium nil commune habet cum Regno Hungariæ, unde propterea acta Concilii Tridentini docent,
34 quod Ferdinandus Primus Caroli V. germanus frater, & hodierni Imperatoris atavus, diversos ad Concilium misit Oratores, alios scilicet nomine Imperii, & tamquam Imperator, & alios tamquam Rex Hungariæ, cum diversis locis, & tractatibus, unde propterea inter hunc Oratorem Regis Hungariæ, & Oratorem Regni Lusitaniæ habitæ fuerunt controversiæ præcedentiæ, de quibus apud Card. Pallavicin. *in histor. Concil. tom. 2. lib. 15. cap. 20. & 21.* Ideoque posita etiam confœderatione cum Imperatore, nihil ad rem.

Et secundo, quoniam, ut sæpius advertitur, præsertim *sub tit. de praemin. disc. 1. & in miscellan. Eccles. disc. 1. & in rel. Cur. disc. 3. & alibi:* In Papa plures, ac discretæ personæ materiales considerantur, & præsertim duæ in ratione magis publica; Una scilic. Papæ, idest Episcopi Ecclesiæ universalis, & Vicarii Christi, & altera Principis temporalis Status Ecclesiastici, tam mediati, quam immediati in Italia, & in Gallia, ideoque duplicem habet fiscum, unum scilic. Pontificium, ad quem pertinent spolia Clericorum, decimæ Papales, emolumenta Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, aliaque jura pertinentia ad Pontificatum, seu ad Principatum spiritualem, inter quæ juxta unam opinionem supra recensitam, pertinent etiam confiscationes, quæ ubique locorum fiant de bonis hæreticorum, seu alias ex causa criminis læsæ Majestatis divinæ, ubi contraria consuetudo aliud non suadeat: Et alterum fiscum laicalem in spectantibus ad d. Principatum temporalem.

35 Illa itaque consideratio, quæ generaliter supponenda est, & esse debet inter Papam, & omnes Reges, ac Principes Catholicos, magis vero, ac peculiariter cum Imperatore, ob juramentum, quod ipse præstat, quando recipit a Papa coronam, vel confirmationem suæ electionis, respicit primam personam Papæ uti Papæ, pro conservatione, defensione, & propagatione Catholicæ fidei, & Ecclesiæ Romanæ adversus infideles, & hæreticos, ac schismaticos, aliosque ejusdem Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ infensos, juxta illam speciem confœderationis, & defensionis, quæ legitur inter Imperatorem Henricum Primum, cognomento Pium, quem Ecclesia in Cathalogo Sanctorum descriptum habet adversus Græcos, in Apulia molestias inferentes Beneventanis, cum similibus; Et quæ confœderatio, ut præmissum est, præsupponenda quoque venit, atque adesse debet inter Papam, & omnes alios Principes Catholicos; Verum id nil commune habet, cum cujuslibet istorum Principatibus, & finibus temporalibus, quorum respectu, ex præmissis, tot sunt mundi diversi, quot sunt Principatus, Neque ea illa generica, & remota confœderatione, quæ inesse dicitur in amicitia inter Principes, resultare dicitur communio, vel confusio principatuum, sive quod ille, qui lædit Majestatem unius, efficiatur quoque reus majestatis alterius.

In cæteroim quæstione, an amicus inimici Domini, ipsum Dominum offendat, atque ob id felloniam, seu rebellionem contrahat; Et econverso, an idem effectus sequatur ob inimicitiam, seu offensionem illius, qui sit amicus, & confœderatus Domini, procedit in feudatariis, ob formam juramenti fidelitatis, quando tamen amicitia, vel confœderatio influit ad conservationem principatus ipsius Domini, cæteris, quæ obiter insinuantur supra *disc. 118. & tit. de feud. disc. 58.* sive generaliter, respectu quorumcumque subditorum, in illa confœderatione omnimoda, quæ per speciem unionis, vel societatis, fiat inter plures Respublicas, vel Civitates, quæ ita collegiativo quodam more, tamquam tot membra, æqualiter concurrant ad efformandum unum corpus politicum, sive unum principatum, cujus unus, & idem sit fiscus habitualis, diviso solum exercitio, seu commoditate, juxta insinuatum exemplum, quo Juristæ utuntur, confœderationis Civitatum Lombardiæ adversus d. Imperatorem Fridericum pro conservatione pacis Constantiæ, ex insinuatis *d. disc. 2. de feud.* ac etiam supra *hoc tit. disc. 51. & in annot. ad disc. 1.* Atque nostris temporibus docet praxis in Civitatibus, vel Provinciis confœderatis Hollandiæ, sive in Civitatibus, & Provinciis, vulgo Cantoni, Constituentibus unam Rempublicam, cum similibus; Ac propterea, cum ista confiscatio prætenderetur per fiscum sæcularem principatus temporalis, in quo Papa non consideratur, tamquam Papam, sed tamquam Princeps temporalis, non videtur ad quod propositum ista confœderatio remaneat considerabilis.

Quo vero ad alterum fundamentum, quod Regnum Hungariæ sit de juribus S. Petri, & Sedis Apostolicæ, 36
a qua Sanctus Stephanus primus Rex Christianus titulum regium accepit, seque, & regnum Sanctæ Sedi submisit; Advertebam, quod inanis videbatur labor leguleicus aliquorum ex dictis scribentibus pro Camera, qui curarunt id expiscari a quibusdam ultramontanis Scriptoribus, relatis etiam *in voto n. 35.* dum id legitur in Breviario Romano in lectionibus, in die commemorationis ejusdem Sancti, ideoque magis authenticum testimonium desiderari non poterat.

Dicebam tamen, quod ista est quædam dependentia, quam omnia Regna habere debent a Summo Pontifice, tamquam Christi Vicario, juxta illam Pontificis potestatem habitualem in toto Orbe, de qua *in Relat. curiæ disc. 2.* magis particulariter agitur per illos, qui Regnum, vel Principatum assequuti sunt ex concessione Sedis Apostolicæ, & Papæ uti Papæ, & Christi Vicarii, ex motivo fidei, & Religionis, ad reprimendos infideles, vel hæreticos, aut schismaticos, juxta tot concessiones, & recognitiones respective, quæ leguntur in Annalibus, & historiis Ecclesiasticis, & quarum aliquæ referuntur *d. disc. 2. in Relat. Curiæ;* sed quoties non est formalis recognitio in feudum per omnes successores continuata, atque per tot sæcula intermissa, ut est illa Regni Neapolitani; tunc nullatenus inferri potest, quod tale Regnum dici valet membrum status temporalis immediati, vel mediati, ad hunc effectum confiscationis, quo prætendatur, non in ratione Pontificia, sed in ratione Principatus merè temporalis, ut supra, potissime quia S. Stephanus non obtinuit a Papa Regni dominium, quod jam cum inferiori titulo obtinuerat, sed titulum, & nomen regium.

Ponderabam quoque in idem, ea, quæ apud Chronistas habentur de gestis sub Pontificatu Pauli IV. circa receptionem juramenti, & obedientiæ a Ferdinando I. Imperatore electo per celebrem dimissionem Imperii, aliorumque Regnorum, factam per Carolum V. ejus germanum fratrem, quod scilicet, cum Ferdinandus potius ad effugiendum odium, & inimicitiam Principum, & Civitatum Protestantium Germaniæ, quam ex defectu suæ magnæ pietatis, & religionis, aliquam haberet repugnantiam præstandi juramentum, & obbedientiam in forma consueta, Idcirco cogitatum fuit, an hujusmodi actus ab eodem Ferdinando gerendus esset, tanquam a Regis Hungariæ, ratione dictæ subjectionis S. Stephani; Atque ex utraque parte, Pontificis, & Imperatoris, agnitum fuit, quod id continerет quandam improportionem, ideoque practicatum non fuit, sed quidquid sit de hoc, atque integrum locum veritate desuper delinquendo, firmum remanet, quod ista est subjectio Papæ, uti Papæ, ratione Pontificiæ dignitatis, non autem ratione principatus temporalis Status Ecclesiastici, ut etiam legitur de Regnis Angliæ, & Lusitaniæ, aliisque similibus; Atque hinc patet, quam magnæ fiant simplicitates eorum, qui puro leguleico pragmatico more, auctoritates attendunt in sola litera, non reflectendo ad debitas distinctiones, ideoque omnia involvunt, atque mundum replent confusionibus.

Demum quoad tertium motivum confœderationis cum 37
hostibus fidei, tres dabam responsiones; Primam scilicet in facto ea defectu probationis, cum de hoc nulla datetur justificatio ea deductis infra in ultimo puncto.

Secundo, quia hæresis speciem redolet illa confœderatio, vel amicitia infidelium, ob quam opes, & auxilium eis præstetur cum militibus, vel cum navibus, sive cum pecuniis, & victualibus, armis, & instrumentis bellicis, & aliis, ut infideles potentiores efficiantur adversus fideles, eosque opprimere valeant; secus autem (sicuti in præsenti) si intendant Barones, & Magnates alicujus principatus, se subtrahere a dominio, & ab obedientia proprii Principis, atque vindicare libertatem, seu aliud dominium, ac se efficere supremos, ex hoc solo fine dominii temporalis, absque aliqua alteratione, vel præjudicio fidei, & Religionis; Sed quia timent majorem potentiam proprii Principis, cui cum eorum solis juribus resistere non possint, confugiant ad protectionem alterius Principis magis potentis, pro defensione, ac protectione sine alteratione aliqua religionis, juxta illas confœderationes, quas Judas, & Jonata Machabæi fecerunt cum Gentilibus Romanis, ut tuti possent excussionem a jugo servitutis Græcorum

rum, cum similibus; Atque docet hodierna praxis plurium Catholicorum Principum, & Catholicarum Reipumpublicarum, quod curant obtinere, & conservare amicitiam hujus Imperii Turcarum; Quinimo respective, aliquod tributum ei solvunt, tamquam Principi magnæ potentiæ temporalis, tam ad evitandam ejus oppressionem, quam etiam ad protectionem, & defensionem adversus alios, qui eos opprimere vellent; Et hic est casus.

38 Et tertio clarius, quoniam si confiscatio prætendebatur ex diverso crimine læsæ Majestatis Divinæ, ita duplex manifestus error dignoscebatur, nullo modo in ipsamet Curia, in faciem Papæ, & Sacræ Congregationis universalis Inquisitionis præsupponendus; Primo nempe, quod confiscatio fieret vigore sententiæ laicalis Consilii status Imperialis, & sic Judicis laici, qui est omnino incompetens in causis fidei; Et secundo, quod confiscatio fieret per Thesaurarium Judicem primæ instantiæ, potius sæcularem, quam pure Ecclesiasticum, & in causis prophanis ad Cameram, seu fiscum spectantibus, vel etiam in illis, quæ spectant ad fiscum Ecclesiasticum, sed ex causa prophana, ut sunt spolia Clericorum, & similia; secus autem in causis fidei, quarum cognitionem, & competentiam privativam habet dicta Sacra Congregatio Universalis, ex deductis *disc. 14. in Relatione Curiæ*, adeout sint incompetentes etiam illi Judices, & Magistratus, qui sint mere spirituales, & Ecclesiastici, ut sunt Tribunalia, Rotæ, & Vicarii Urbis, ac etiam ipsæmet aliæ Sac. Congregationes Cardinalitiæ.

Ex his omnibus itaque, etiam reflectendo ad solam ve-
39 ritatem, concludendo, firmum, & constans remanere videtur, quod d. propositio, quæ per ora vulgi tam legalis, quam non legalis volitat, quod quilibet confiscat in suo, est vera in suis respective casibus, superius distinctis, non autem in isto, quodque ista est erronea opinatio, seu traditio vulgi, non distinguentis casus, & circumstantias, ad instar plurium aliarum consimilium vulgarium traditionum, & opinionum, quæ ad trutinam deductæ, nullum penitus fundamentum, ut præsertim est illa communis opinatio, quæ ubique per fiscales, sive per publicanos, & gabellarios habetur de gabella solvenda pro cadaveribus, ut advertitur *hoc tit. disc. 166.*

Atque hinc manat alter error præsuppositæ observantiæ,
40 quoniam stante dicta traditione, seu opinatione vulgi, ac etiam stante, quod hujusmodi casus sunt nimium rari in praxi, quando illi contingunt; Hinc proinde fiscales, huic traditioni innixi, id attentare solent, & quandoque de facto assequuntur, quando boni defensores non inveniantur, eodem modo, quo ubique, ac in dies faciunt publicani, ac Dohanerii, & gabellarii, quamvis illicite agant, ut habetur *in d. alio voto impresso part. 12. recent. dec. 414. & supra disc. 71.*

Ex deductis autem apud Spadam *dict. cons. 27. lib. 1.* in quo Camerales magnum constituebant fundamentum, ad aliquam observantiam inferri non potest ex pluribus; Primo nempe, quoniam in eo casu agitur quoque de crimine læsæ majestatis divinæ, pro quo, firmum est intrare confiscationem ubique; Secundo, quia est auctoritas Advocati fiscalis scribentis pro Camera ad causæ opportunitatem, eodem modo, quo in illa causa faciebant scribentes pro eadem camera, ideoque est auctoritas suspecta, non docto de decisione, *ut in disc. 35. de judiciis num. 76.* & alibi pluries. Tertio quia, ubi etiam de decisione doceretur, adhuc esset casus unicus, qui non facit stilum; Et quarto fortius, quoniam ille erat casus diversus, in quo non disputabatur inter fiscum & hæredes delinquentes, super bonis stabilibus, quæ loco circumscribantur, unde propterea intraret præsens quæstio (ad quam ne quidem cogitatum fuit,) sed erat quæstio inter duos fiscos super pertinentia potius, quam super existentia, vel substantia confiscationis, quæ non erat in controversia; Cumque tunc adhuc decisus non esset articulus, an loca montium circumscribantur loco, vel potius tamquam jura incorporalia, haberent speciem nominum debitorum, ut sequerentur personam; Idcirco juxta hanc secundam partem prætendebatur per fiscum Regis Galliæ, quod sequerentur personam; Idemque erat casus, qui in Curia circumfertur sub eodem Paulo IV. & circa eadem tempora (etiam per traditionem, absque eo, quod constet de sententia) in locis montium, & juribus, quæ in Urbe possidebat alter Gallus Marescialus Conginus.

Econverso historiæ, in tot motibus Italiæ, aliarumque provinciarum, docent contrarium, & præsertim in tot notoriis motibus rebellionum, & factionum cum proscriptionibus bonorum, in antiquis Rebus publicis, Januensi, Florentina, Senensi, Pisana, &c. quod rebelles se confovebant in Statu Ecclesiastico, in quo bona habebant, & in aliis principatibus adjacentibus, absque eo, quod id umquam practicatum legatur; Quinimo in casu fortiori Baronum Status Ecclesiastici possidentium feuda, & bona in Regno Neapolitano, qui Papæ rebelles in eo Regno se conferebant; Et econverso Barones Regni in Urbe, & Statu Ecclesiastico; Et tamen isto casu aliqua cadit major dubitandi ratio, juxta tertium casum supra distinctum.

Prout omnium sensatorum, & politicorum judicio, pru-
dens consilium reputatur id, quod in praxi frequenter ser- 41
vatum habetur, ut nobiles, & magnates, vel divites unius principatus, bona acquirere curent in aliis principatibus, ad hoc, ut hujusmodi infortuniis contingentibus, habeant ubi se confovere valeant, quod utique ita practicabile non esset, unde persequutio proprii principis quandoque injusta, causaret omnimodam denudationem bonorum per totum mundum, quodque persona in aliis principatibus esset tuta, & impunibilis, & tamen quod pati deberet confiscationem bonorum, quo nil absurdius.

Quare id, quod ex omnium sensatorum judicio reputatur prudens consilium habendi bona sparsa in diversis principatibus, ita remaneret consilium imprudens, & perniciosum, præsertim vero in Baronibus Romanis, in quibus, juxta hodiernum rerum statum, cessatis jam Dei gratia, antiquis factionariis divisionibus Guelforum, & Gibellinorum, utpote in principatu electivo, & pacifico, non de facili datur casus hujus criminis rebellionis formalis, ac læsæ majestatis veræ, quæ per Doctores dicitur in primo capite, quoniam cum eorum plerique, feuda aliaque bona possideant in diversis aliis principatibus adjacentibus, ita de facili, (quod Deus avertat) dari posset casus, quod contingente aliquo bello in eo principatu inter duos de ejus pertinentia contendentes, ipsisque sequentibus illas partes, quas ratio exigat, cum sinistro fortunæ eventu, unde propterea ab altera parte victrice rebelles declararentur, & tamquam tales, eorum feuda, & bona confiscarentur, & pluries in Italia contigisse testantur historiæ, ita possent etiam spoliari Castris, & bonis, quæ possident in Urbe, & Statu Ecclesiastico, & in aliis principatibus; Idemque in Januensibus, & aliis industribus nationibus, quæ coguntur habere feuda, & bona allodialia in diversis regionibus, & principatibus, quoniam ob aliquam contingentiam, de quo supra in uno principatu, remanerent omnino denudati, quod utique repugnat usui communi, cuidam humano discursui, ac etiam libertati commercii, adeout istud assumptum videatur in Republica perniciosum, & præjudiciale; Ideoque consulendum veniret d. Baronibus Romanis, nimium divitibus in hoc principatu, ut omnino se spoliarent feudis, & bonis, quæ possident in illis principatibus, in quibus periculum hujusmodi contingentiarum subesse potest, multæque aliæ resultarent inconvenientiæ, & absurda contraria rationi naturali, ac etiam legis dispositioni, & intentioni.

De secundo Articulo.

An posito, quod intraret confiscatio in bonis liberis delinquentis, illa intrare possit in bonis subjectis fideicommisso.

STantibus jam firmatis in articulo præcedenti, ut etiam in bonis liberis ipsius Marchionis delinquentis, existentibus in hoc principatu, non intraret confiscatio, inanis utique labor videtur agere de hoc secundo; Verum ubi in antecedenti aliqua subesset ratio dubitandi (quod revera
non creditur;) Adhuc tamen eamdem scientiam, & vo- 42
tum respective agnoscunt certum, hodieque extra controversiam receptum est, ut in bonis fideicommisso subjectis, non intret confiscatio, etiam ex his majoribus criminibus utriusque læsæ majestatis divinæ, & humanæ, quamvis ad speciem deducta non essent, multo vero magis, ubi specialis, ac individua dispositio desuper adest, ex relatis supra *disc. 160. & in aliis*, ultra quos ibi relatos plura cumulant Vermigliol. *cons. 51. & 57.* Spada *cons. 32. 46. & 57. lib. 1.* late Ruyas *de incompatibilit. part. 3. cap. 2. num. 8. & seqq.* apud quos, & alios id firmatur etiam respectu bonorum existentium in ipsomet principatu ejus, cujus majestas læsa fuit.

Clarius vero, ac extra omnem difficultatem in fideicommisso extranei, quod per delictum, & mortem posses-

foris apertum sit ad favorem alterius substituti, etiam extranei, qui non sit de liberis, & descendentibus ipsius delinquentibus, dum in eis intrare non potest illa incapacitas, quæ respectu filiorum, & descendentium resultat ab eadem *l. quisquis, C. ad l. Jul. majestat.* de qua *d. disc. 160. hoc eod. tit.* quidquid enim sit de ista incapacitate, cessat hæc difficultas in radice, ubi substitutus est extraneus.

Non negabantur hæc per scribentes pro Camera, & admittuntur in voto, sed insistebatur in eo, quod Castrum jurisdictionale Nemi, ac etiam Casalia, aliave bona existentia extra ambitum quatuor milliuum Urbis ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum, essent prohibita transferri, inferentes, qualis erat dictus Marchio Frangipanius de Croatia, ac etiam isti Frangipani, & Fisci, unde propterea sine Apostolica licentia non poterat super eis ipsorum favore ordinari per Cardinalem istud fideicommissum; Cumque licentia desuper concessa contineret expressam præservationem confiscationum, etiam ex causa de futuro. Hinc inferebant, quod fideicommisso non obstante de consensu ipsius ordinatoris adjecta fuisset ista lex, sive
43 conditio, subjacere bona confiscationi, totum fundamentum constituendo ex auctoritatibus Hispanorum, loquentium de illis Majoratibus, nempe Molinæ *de primogenit. lib. 3. c. 12. n. 56. & seqq. & lib. 4. c. fin. n. 63.* Gomez *ad l. 4. Tauri n. 61. vers. pulchrion,* Lopez *lib. 6. verb. quæ non pudisse, q. 2. tit. 11. p. 6.* Mieres *de majorat. p. 4. q. 23.* Sanchez *ad præcept. decalog. lib. 2. c. 18. n. 41. & seqq.* Molin. Jesuita *de justit. & jur. tom. 3. disp. 657. n. 2. & disp. 582. n. 1.* Castropalao *oper. moral. tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 5. n. 12.* Gutier. *lib. 2. pract. q. 66.* Angel. *de meliorat. ad l. 11 gloss. 2. n. 7. ad 13.* Royas *de incompatib. p. 10. n. 3. c. 2. n. 13.* atque ex hoc motivo, Judex protulit sententiam pro Camera super confiscatione scilicet prædictorum bonorum prohibitorum, pro quibus necessaria erat licentia Apostolica ultra
44 ambitum quatuor milliarium, non autem pro aliis infra eumdem ambitum.

Verum, retento eodem sensu veritatis resolutio non placuit, eaque parum probabilis, atque revocatione digna visa est, ex fallacia d. motivi in applicatione; Siquidem auctoritates loquuntur in majoratibus Hispaniarum, ex illis legibus, & stylis particularibus, ex quibus non bene infertur ad determinationem causarum in Italia, ubi vivimus cum regulis juris communis, ut etiam advertitur *tit. de fideicomm. disc. 7.* & in aliis.

Ad id autem probandum, reassumendo (ut decet) materiam per ejus principia; Advertebant, quod in Hispania non habetur usus illorum feudorum, quæ juxta leges,
45 vel consuetudines feudales regulanda sunt, & quorum usum habemus in Italia, & in Germania, juxta illas diversas species, de quibus pluries in sua sede *sub tit. de feud.* Sed etiam illa publica, baronalia, & magnatitia dominia, quæ per illos nobiles, & divites titulatos, & Barones, etiam magnæ potentiæ obtinentur, Civitatum, Oppidorum, & Villarum, ac etiam jurium regalium, quinimo etiam spiritualium, ex concessionibus Apostolicis scilicet participandi de decimis spiritualibus, ut in sua sede *sub tit. de decimis.* etiam cum titulis, & dignitatibus Ducum, Marchionum, & Comitum, non autem Principum (cum iste sit titulus singularis filii primogeniti Regis, qui futurus est Regnorum successor) obtinentur in natura allodii sub legibus illorum majoratuum, quorum mentio pluries habetur *d. tit. de fideicomm. præsertim disc. 1. 7. 13. 16. & 170. & alibi.*

Illi vero majoratus sunt de duplici specie; Una scilicet qualificatorum, qualia sunt præmissa redolentia baronalem,
46 seu magnatitiam qualitatem, ad instar nostrorum feudorum, cum titulis, & dignitatibus, aliisque præeminentiis, ex concessionibus, & privilegiis Regis, & qui faciunt ibi illam figuram, quam apud nos faciunt feuda nobilia dignitatis veræ, vel abusive in forma individua juris Francorum, Et altera majoratuum simplicium, seu non qualificatorum, quales sunt illi, qui sine privilegio regio, ex sola privata dispositione domini, & possessoris bonorum indifferentium, ac juris privati eriguntur, eodem modo, quo in Italia primogenituras, & majoratus ordinamus, ut etiam advertitur *dict. tit. de fideicom. disc. 201. & seqq.* Cum itaque illa bona, tam publica, quam privata, quæ hujusmodi majoratibus obnoxia sunt, strictiorem habeant
47 alienandi prohibitionem, quam habeant illa subjecta nostris fideicommissis, & majoratibus, imo magis, quam ipsamet feuda, ex iis, quæ habentur *tit. de feud. disc. 49. d. disc. 7. de fideic.* & alibi pluries, præsertim *disc. 173. & seq. eod. tit. de fideic.* occasione agendi de transactione facta per gravatum, an præjudicet successoribus vocatis, ac etiam *disc. 145. de Dote,* occasione agendi de dispositione *Auth. res quæ,* & alibi pluries; Ac propterea eo minus, juxta antiquas leges, & stylos, qui etiam hodie in viridi observantia respective existunt, ut infra, ob possessorum crimina 48
etiam majora utriusque læsæ majestatis divinæ, & humanæ, non subjacebant confiscationibus; Hinc proinde, illi præsertim magnates primi ordinis, qui de sanguine regio essent, atque jus in aliquibus ex illis Regnis, vel Provinciis habere prætendunt, ipsamque prætensionem cum protestationibus, & supplicibus libellis, aliisque actibus vivam conservant, de facili contra Regem caput erigebant, dum ita cessabat ille timor confiscationis omnium bonorum, & honorum, qui magis coercere solet ab isto crimine perduellionis, seu læsæ majestatis humanæ, quod magnatibus, & potentibus magis connaturale, ubique esse solet, tamquam effectus spirituum elatorum.

Quare, ut huic malo occurreretur, occasione illorum motuum Baronum, & Magnatum Coronæ Castellæ, & Legionis, de qua *d. disc. 29. de præemin.* qui adversus dominationem Caroli V. & Joannæ ejus matris sequuti fuerunt; & in quorum compositione tanto felix, & celeber fuit Adrianus Sextus ejusdem Caroli magister in statu Cardinalitio, quanto infelix fuit in regimine Summi Pontificatus: ad hanc licentiam in futurum reprimendam, seu coercendam, edita fuit pragmatica per extensum registrata apud Molin. *de primogen. loco supra cit.* per quam statuitur, ut hujusmodi majoratibus non obstantibus, ex prædictis criminibus utriusque majestatis divinæ, & humanæ, & ex quibusdam aliis delictis ibi expressis, bona quæ subjacerent majoratibus qualificatis, cum regia scilicet auctoritate erectis, confiscationi subjacerent; Atque exinde stylus in dicta Corona Castellæ, & Legionis inoleyit, forsan ad aliam Coronam Aragoniæ extensus, quod in regiis privilegiis, & concessionibus, quæ in futurum in novis erectionibus conceduntur ad formam ejusdem pragmaticæ, id adjiciatur pro lege, & conditione dispositiva, ut scilicet ea bona in casu præmissorum criminum, confiscationi subjacere deberent, ipsoque jure confiscata intelligantur.

Rationem hujus novæ legis assignant supra allegati, alii Hispani auctores, ob quam contra juris dispositionem 49
ille majoratus possessor, qui successoribus independentibus per expressam alienationem, vel dispositionem præjudicare non potest, ita per delictum præjudicet, quandoque innocens successor luat pœnas ex crimine prædecessoris, quem in auctorem non agnoscit; Quod scilicet, id provenire dicitur ex voluntate ipsius primi domini, & ordinatoris majoratus, qui per quamdam implicitam donationem, ex tunc subsista conditione criminis per aliquem successorem patrandi, ea bona Regi, vel ejus fisco donare voluit ex quadam donatione causativa, seu correspectiva ad concessionem dignitatum, & honorum, aliarumque præeminentiarum, exinde resultantium; Ad instar illius implicitæ donationis, quæ infeudatio dicitur, quando quis rem suam liberam, & allodialem ab alio recognoscit in feudum, ad effectum obtinendi dignitatem, vel jurisdictionem, aut protectionem, juxta casus, de quibus *sub tit. de feud. disc. 54. 56. & 63.* & in aliis.

Hinc ipsimet Doctores Hispani superius recensiti, qui dictam propositionem super confiscatione firmant, bene advertunt, ut id solum procedat in dictis majoratibus qualificatis, in quibus urgeat præfata ratio correspectivæ concessionis Regiæ, habentis in ventre illam legem, 50
seu conditionem, sub qua quidam quasi contractus inter Regem concedentem, & inter erectorem concessionatum initus videtur; Secus autem ubi agatur de simplicibus, & non qualificatis majoratibus, qui sine hoc regio privilegio, ex sola privata dispositione domini bonorum ordinentur, juxta nostros majoratus, & primogenituras Italiæ; sive quod si regium privilegium accedat, illud sit ad alium finem, seu effectum, tollendi scilicet illarum legum obstaculum, & præsertim *l. 27. tauri* super prohibitione, quam parentes habent servandi inter liberos notabilem inæqualitatem, atque (ut Hispani dicunt) inter eos meliorandi, adeout sit privilegium habilitativum personæ inhabilis, tollendo solum obstaculum, quod alias super potestate habebatur, absque eo, quod Rex det aliquid de suo.

Hinc, ut præ cæteris supra recensitis, bene præsertim advertit Sanchez *ad præcept. decalog. loc. cit.* Quatuor ibi 51
con-

constituuntur majoratuum species; Primo eorum, qui sunt vere, ac directe Regii, consistentes in illis Civitatibus, Oppidis, Villis, & bonis, quæ in remunerationem serviciorum, vel ex benevolentiæ motivo per Regem in forma nostrorum feudorum, pacti, & providentiæ juris Francorum, concedantur alicui, ejusque descendentibus, in natura majoratus. Secundo, eorum, qui consistunt in illis Civitatibus, Oppidis, Villis, & bonis, quæ per aliquem jure liberi allodii possideantur, in eis vero cum regio privilegio erigatur majoratus qualificatus, ut supra, cum dignitate, & jurisdictione majoris, aliisque honoribus, & præeminentiis; Tertio in illis majoratibus, quæ sine aliquo privilegio, ex sola privata dispositione ordinentur in dictis bonis qualificatis, vel non qualificatis; Et quarto in illis, qui etiam non qualificati, sed simplices, sine dignitate, aliisque præeminentiis, quibus potiuntur duæ primæ species, pariter eriguntur ex privata dispositione, cum mixtura tamen privilegii regii, super habilitatione illius, qui alias ex illis legibus inhabilis esset, propter obstaculum, seu prohibitionem dictarum legum de non meliorando, ita eis dispensando.

Istaque distinctione sic firmata, concorditer stantiunt,
52 ut tam confiscatio, quæ resultat a præfata regia pragmatica, quam altera, quæ oritur a dicta clausula, seu conditione, adjici solita in regio privilegio, procedant in prima, & secunda specie, non autem in tertia, & quarta; In prima scilicet, quoniam dum agatur de directa concessione facta per Regem de bonis suis, quæ poterat non concedere, hinc sequitur, ut justum, & rationabile sit, servari debere illam legem, quam concedens rei suæ adjecit, atque concessionarius acceptavit; Eodem modo, quo habemus in concessionibus feudorum, etiam in forma pacti, & providentiæ, ut per felloniam, vel deficientiam a præstatione servitii personalis, vel realis possessoris, fiat locus devolutioni, vel caducitati in præjudicium successorum, quamvis independentium, ex deductis *disc. 5. de feud. & alibi*; Eandemque rationem habeat secunda species ob dictam scil. implicitam, præambulam bonorum donationem factam per erectorem Regi, a quo denuo eadem bona correspective ad præeminentias, & dignitates sub tali lege obtineri dicuntur, juxta dictum exemplum agnitionis rei suæ in feudum ab alio, ut supra.

Atque ad id comprobandum aliud exemplum dari potest
53 erectionis beneficiorum de jurepatronatus laicali, quoniam si (ex. gr.) aliquis privatus suo ære, de explicito, vel implicito consensu ordinarii, ex integro fundat, & dotat Ecclesiam, in ea, ejusque rectoriæ, quæ remaneat in terminis simplicis, & non qualificati beneficii, acquirit juspatronatus, & præsentandi, etiam cum exemptione a reservationibus, & affectionibus Apostolicis, ex deductis in sua materia *sub tit. de jurepatr. disc. 10. & 65.* Sed si idem fundator cupiat erigere beneficium qualificatum cum aliqua dignitate, & prælatura jurisdictionali, aliisque præeminentiis juxta casum (ex. gr.) de quo *sub tit. de jurisdict. disc. 8.* unde propterea desuper obtineat Apostolicum privilegium, sine quo id sequi non potest; Tunc si in tali privilegio Papa adjiciat legem, seu clausulam, ut illud beneficium in certis casibus subjacere debeat Apostolicis reservationibus, sive quod ex aliquo facto culpuso possessoris beneficii, vel jurepatronatus, Ecclesia fiat libera, tali casu, id sequi dicitur jure contractus correspectivi, & ea voluntate ipsius fundatoris, ideoque successores conqueri non possunt; secus autem in aliis duabus posterioribus speciebus, in quibus dicta lex, seu correspectiva conventio non concurrit, minusque eam urget, quia Rex nil concedit.

His itaque sic stantibus, atque applicando ad rem nostram, omnes prædictæ rationes, vel circumstantiæ, quæ considerantur in duabus primis speciebus, in hac facti specie cessabant, ideoque præfatum Hispanorum assumptum omnino extraneum erat a casu, quantum distat nox a die, vel Cœlum a terra, sive oriens ab occidente, ex multis diversitatibus, quarum una sufficeret, multo magis, ad evidentiam eis simul junctis.

Primo nempe, quod in majoratibus Hispaniæ, de qui-
54 bus solum, ac limitate loquuntur præfati auctores Hispani, id procedit ex prædicta regia pragmatica, & sic ex lege particulari illorum Regnorum, quorum fines non egreditur; Eatenus etenim leges particulares alicujus Civitatis, vel principatus in alia Civitate, vel principatu attenduntur, quatenus deserviant pro interpretatione legis communis, vel particularis nimium dubiæ, vel quod sit casus omnino novus a lege communi, vel particulari regionis non decisus, unde propterea congruat recurrere ad legem proximæ Provinciæ, vel principatus, ex iis, quæ habentur *sub tit. de Servit. disc. 2. n. 19. & d. disc. 35. de judic.* & alibi pluries; Sed ubi habemus legem claram, ut in præsenti, quod scilicet ex delicto possessoris fideicommissi, vel primogenituræ confiscari non possunt bona eidem fideicommisso, vel primogenituræ subjecta, tunc prorsus improprium est, ut ad correctionem hujus regulæ legalis, attendere debeamus leges, & stylos particulares & exorbitantes a jure communi.

Ideoque meus intellectus percipere non poterat, quare 55
in Italia in antecedenti articulo sperni deberet distinctio, seu consideratio gravissimi Doctoris Itali Peregrini, & quæ a tot gravibus Doctoribus etiam Italis, per sæculum absque contradictore admissa est, solidisque juris communis rationibus, & fundamentis innixa, ut supra; Et quod adhærendum esset in materia correctoria odiosa, & exorbitanti traditionibus modernorum Hispanorum, qui pro magna parte sunt morales potius, quam juristæ, atque loquuntur circa leges particulares, & stylos Hispaniæ.

Secundo clarius ob aliam majorem diversitatem, tam rationis, quam etiam circumstantiarum facti, quoniam in casu, de quo loquuntur Hispani, facultas confiscandi, quinimo confiscatio, ipso jure sequenda in regio privilegio adjicitur per viam expressæ, & dispositivæ conventio- 56
nis, tanquam per speciem pacti; In præsenti autem adjecta fuit solum clausula *sine præjudicio*, quæ nihil dat, vel tollit, sed solum conservat, seu præservat id, quod jam existat, vel competat, ex deductis per Aponte *cons. 3. n. 1. ad 14. lib. 1.* cum aliis *sub tit. de feud. disc. 1.* & frequenter; Ideoque magna differentia est, inter dispositivam conventionem, & simplicem præservativam.

Tertio in idem, quoniam (ut dictum est) in casu d. privilegii super erectione dicti majoratus qualificati, Rex dat de suo, idest, juxta primam speciem dat ipsum Castra, & loca, aliaque bona directe, & immediate; Et
juxta secundam dat etiam de suo, idest dignitatem, nobilitatem, prærogativas, & præeminentias, aliave privile- 57
gia; In præsenti autem Papa nihil penitus dat de suo, sed solum removet quoddam impedimentum accidentale; Unde propterea, procedendo etiam cum eisdem auctoritatibus Hispanorum, vere, & proprie intrat quarta species supra distincta, ubi scilicet fiat erectio majoratus non qualificati in bonis liberis, ex privata dispositione, absque privilegio qualificante, accedat autem licentia dispensativa, seu remotiva obstaculi accidentalis, quod resultat ex legibus particularibus prohibentibus inæqualitatem, seu meliorationem inter liberos; Et hic videtur casus præcisus quoniam nil dando de novo, solum occurrit pœnalibus, ac præjudicialibus effectibus, qui resultare possunt a lege impeditiva, seu prohibitiva, quatenus ei non occurratur, ejusque dispensatio non obtineatur, & sic potius per speciem præservativæ juris proprii, ne amittatur, quam per assequutionem novi juris; Ad instar illorum indultorum, quæ obtineantur pro retentione pensionis Ecclesiasticæ non obstante assumptione status incompatibilis, puta matrimonii, vel professionis in Religione, vel Episcopatus, seu alias incompatibilis, ex deductis pluries *sub tit. de pensionibus*, cum similibus.

Et quatenus quia, retentis etiam dictis fortioribus terminis conditionis, vel clausulæ dispositivæ adjici solitæ in privilegia majoratuum qualificatorum Hispaniæ, adeout inesse dicatur dict. contractus, vel quasi, inter Principem concedentem, & subditum recipientem; Attamen, 58
ex verisimili utriusque voluntate, ita conventum videtur, pro eo casu considerato, & volito per concedentem, & laudato per concessionarium, spectato fine, seu ratione, ob quam ista introductio sequuta fuit, pro fide leali, et servanda erga ipsummet Principem benefactorem, ne alias ingratitudo mixta cum perduellione committatur, & ne pro casu illius criminis, quod committatur, læsionis majestatem ipsius met Principis, vel Regis proprii, qui gratiam, seu privilegium concedit, & qui propterea acquirere, vel præservare sibi voluit jus confiscandi bona in suo territorio existentia, super quibus ipse privilegium, & præeminentias concedat; Non autem, ut subditus esse voluerit de fidelitate servanda diverso Principi, qui dum ipso concedente considerato tanquam Principe sæculari, ut supra, nullam connexionem habeat; Ideoque clausula apposita in privilegiis concedi solitis super his majoratibus Hispaniæ, percutit læsionem majestatis ipsiusmet

Regis concedentis, non autem læsionem Regis Galliæ, vel Poloniæ, &c. ut est clarus sensus omnium Hispanorum, de quibus supra, ac aliorum; Ac propterea ad rem conferre videntur ea, quæ circa verisimilem voluntatem, utriusque contrahentis, seu renuncianus, & renunciatarii ad theoricam Bart. *in l. Qui Romæ, §. duo fratres, ff. de verborum obligat. & in leg. Gallus, ff. de liber. & posthum.* habentur *sub tit. de renunt. disc. 5. & 6.* cum similibus.

Item circa dictam tertiam differentiam, ad rem adaptabile videtur idem practicum exemplum superius traditum in materia Jurispatronatus, quod scilicet, si ob aliquam prærogativam, & dignitatem, quæ alias de jure fundatori non competeret, Papa in privilegio desuper concesso,
59 dispositive aliquid sibi reservat sub certa conditione, tunc verificari videtur, etiam ex parte Papæ concedentis acquisitio ejus, quod alias sibi non competebat correspective ad id, quod de suo concedit, ut superius dictum est; Sed si ille, qui jam habet juspatronatus, ex fundatione, & dotatione legitime quæsitum, vellit illud, cum aliquo titulo particulari transferre in alterum, tunc patronum, quod tamen facere non potest sine consensu Ordinarii, vel Papæ ex deductis in sua materia *sub titul. de Jurepatr.* unde propterea Patronus pro validitate dispositionis, & ad evitanda præjudicia alias resultantia, ab uno, vel ab altero, obtineat consensum, seu licentiam, in qua apponatur clausula præservativa amplissime extensa quorumcumque jurium, tam Ecclesiæ, quam ipsius concedentis, etiam reservationum, & affectionum, tunc utique ista præservativa nihil dat de novo, neque tollit, vel minuit jus patroni, sed solum conservat ea jura, quæ competerent, & quatenus competant, ne per hujusmodi licentias, seu consensus præstationem præjudicatum censeatur, & per consequens prætendi non poterit, quod per hujusmodi præservativam intret reservatio, vel affectio, quæ alias non intraret.

Considerando potissime, quod ista clausula non est particularis in ista licentia, sive in isto licentiarum genere tantum, juxta dictum casum privilegiorum Hispaniæ,
60 in majoratuum qualificatorum erectionibus, sed generaliter adjici solet in omnibus indultis, & licentiis, quæ conceduntur super alienationibus, vel hypothecis, ac censuum impositionibus, aliisque actibus, super bonis jurisdictionalibus, aliisque prohibitis, ad solum effectum præservandi præjudicia, quæ alias resultarent cum tertio, ex licentia, vel assensu simpliciter concesso, ideoque inferri non potest ad hanc specialitatem, vel ad hunc effectum exorbitantem, cum alios producat effectus, in quibus verificatur.

Cum etenim, ex communi sensu feudistarum, propositionem habeamus receptam, de qua *sub tit. de feudis* plures, quod scilicet assensus habet vim novæ investituræ,
61 quodque tertius, cujus favore fit alienatio, vel alter actus principaliter sequi dicitur fidem ipsius Principis, vel Domini concedentis assensum, a quo suum jus mettit dictum per occultam extinctionem primævi juris alienantis, & efformationem novi juris in eo, cui alienatio fiat; Quod etiam frequentius habetur deductum hoc eodem titulo in materia resignationis officiorum, & locorum Montium; Hinc sequitur, quod hujusmodi assensu accedente favore creditoris, illius jus, & hypotheca durant, etiam post devolutionem feudi, contra ipsummet Dominum, unde propterea non intrat regula text. *in leg. lex vectigali, ff. de pignor.* quod resoluto jure datoris, resolvitur jus accipientis, ex deductis *disc. 1. de feud.* & alibi pluries; Vel si de tempore concessionis assensus, jus devolutionis, vel caducitatis jam competeret, non posset illam Dominus opponere tertio, cujus favore actus sequutus est, cum iste dicere valeat se fuisse sequutum, potius fidem ipsius Domini, qui assensum præstitit, quam illam alterius contrahentis, cum quo alias non contraxisset.

62 Ad hunc igitur effectum, evitandi scil. hujusmodi præjudiciales effectus, qui resultare solent ex assensu, vel licentia simpliciter concessa, prodiit ista cautela adjiciendi hujusmodi clausulam præservativam, ex deductis *d. disc. 1. de feudis*, & alibi pluries, & in voto *n. 167.* & per consequens ad hunc alium exorbitantem, & inverisimilem effectum non est trahenda.

Magna vis constituebatur per scribentes in contrarium, ac etiam per Judicem, ut patet ex deductis in voto, in eo, quod præfata clausula præservativa, non solum contineret casum devolutionis, vel caducitatis, qui sequi solet de natura rei, in feudis, & bonis jurisdictionalibus, quæ per Apostolicas Constitutiones, feudali servituti in aliquibus subjugata videntur, sed deducta etiam fuit ad speciem ipsa confiscatio, tam ex causa de præterito, & de præsenti, quod verificari posset in crimine ipsius Cardinalis donatoris, vel Marii ejus actoris, aliorumque majorum; quam etiam ex causa de futuro, quæ non est verificabilis, nisi in successoribus, juxta istum casum præcisum, Verum istud pariter videbatur leve fundamentum, ex eadem ponderatione, de qua supra, quod scil. momentum esset considerabile, quando ista clausula esset specialis, adjecta huic gratiæ, seu licentiæ vel huic generi licentiarum tantum; Secus autem dum est formularium generale, adjici solitum in omnibus, & quibuscumque licentiis, etiam occasione contrahendi debita, & hypothecandi bona jurisdictionalia, & alia prohibita, dum isto casu, recte verificabilis est præservativa confiscationis, etiam de futuro, ut scil. illa contingente, Camera prætendere posset obtinere bona libera, perinde, ac si licentia concessa non esset, ita singula singulis congrue referendo, pro illis scilicet casibus, in quibus præservativæ sint verificabiles; Ac etiam dicebam, quod verificabilis esset casus confiscationis, ex causa de futuro, & ex delicto successorum pro tempore, juxta illam scilicet confiscationem, quæ fideicommisso non obstante intrat durante vita, vel jure possessionis, ex causa receptationis bannitorum ad præscriptum Constitutionis Sixti V. cum similibus, de quibus supra *disc. 160.* non autem, ut destruatur etiam fideicommissum restitutorium in casu mortis.

Atque ad hunc effectum observabam cadere punctum, 63
super quo *in voto n. 101.* magnus fit allegationum cumulus, an scil. hujusmodi clausula præservativa, conditionem resolutivam, quoad omnes, vel quoad illum tantum, qui contraveniat, juxta quæstionem disputatam a Rovito *cons. 1. lib. 1.* quod etiam expenditur *in d. voto n. 126.* quod scil. ista licentia habeatur pro non concessa, ne concedenti resultent præjudicia, quæ alias resultarent in juribus sibi competentibus, non autem, ut exinde acquiratur novum jus, quod alias non haberetur, atque in hoc consistit punctus.

Ita etenim sequeretur, quod cum nimia facilitate introduci posset confiscatio in omnibus bonis jurisdictionalibus, & aliis, non obstantibus fideicommissis, aliisque prohibitionibus, quoniam in dies contingit, ut concedantur hujusmodi licentiæ qualificatæ a prædicta clausula, occasione imponendi census, & contrahendi debita, seu faciendi alias alienationes, & contractus, dum generaliter in omnibus eadem præservativa ab annis circiter quadraginta citra apponitur pro formulario: confiscationes autem in hoc principatu sunt frequentes pene pro omnibus delictis, etiam privatis, ideoque in vim alicujus ex hujusmodi licentiis, omnia fideicommissa destructa remanerent.

De tertio Articulo.

An sola sententia super condemnatione delinquentis, & confiscatione bonorum, probet delictum sine actis, ad effectum faciendi confiscationem in alio territorio, vel principatu.

SUper isto demum tertio puncto, seu articulo, qui juxta ordinem initio præmissum, quoad hujus particularis causæ decisionem, deberet esse primus, utpote eradicati- 64
vus occasionis assumendi aliorum articulorum disputationes; Dicebam, quod certa juris regula est, ut sola sententia, quæ non justificetur ex actis nil probet, neque exequutionem mereatur, ut aliis relatis *dec. 336. post 2. vol. consil.* Farin. apud Burat. *dec. 76. n. 2. & 3. & dec. 94. num. 1.* cum aliis, de quibus *tit. de jud. disc. 36.* & non negant alii, qui in oppositum deducebantur, de quibus infra.

Multo vero magis, ubi non agitur de exequutione sententiæ facienda ab eodem Judice, vel Tribunali, a quo lata est, ut est casus, de quo agit Grammatic. *disc. 24.* sive de
exequutione facienda per exequutores nudi facti, ut sunt 65
Barricelli, birruarii, & lictores, aliive similes inferiores Ministri, ad quos non pertinet inquirere de validitate, & justitia sententiæ exequendæ, sed juxta distinctionem, de qua *in tit. de jud. disc. 40. & tit. de feud. disc. 77.* agitur de exequutore juris, idest de alio Judice, vel Tribunali, præsertim, diversi territorii, vel principatus; Tunc etenim Judex unius principatus, vel territorii, numquam exequi debet sententiam alterius Judicis diversi territorii, vel principatus absque causæ cognitione, & non visis actis, & justificationibus, Quinimo id tenendum inter Judices ejusdem Civitatis, vel territorii ex deductis *d. disc. 77. de feud. & disc. 40. de jud. & disc. 22. Miscell. Eccl. lib. 14.*

It

Et in specie in criminalibus, etiamsi adsit explicita con- 66 fessione, vel acceptatione condemnati, adhuc sine justificatione sententiæ, vel delicti, ad exequutionem non est procedendum, Farinac. *qu. 11. post n. 61. vers. limita rursus*, ubi concordantes.

Non negabant Camerales conclusionem, insistebant vero in pluribus ejus limitationibus, totum in his terminis desumentes ex Advocato fiscali, Spada *d. cons. 27. libr. 1.* ubi procedit in multis *cum d. decis. 24.* Grammatici; Primo 67 scilicet, ac principaliter, quod ista conclusio procedit, ubi agitur ad effectum exequendi sententiam, in iis, quæ in ipsa continentur, de quo in præsenti non agebatur, secus autem ad effectum probandi; Siquidem sententia nullam facit mentionem confiscationis illorum bonorum, quæ essent extra territorium, seu principatum ejus, cujus Majestas læsa supponitur, ideoque ea deducebatur ad alium diversum effectum probationis criminis, quo posito, non ex ipsa sententia, sed ex dispositione juris intret confiscatio: Potissime ubi sententia transitum fecit in judicatum; Ac etiam quia factum erat notorium.

Et secundo, ut necessaria non sit productio illorum acto- 68 rum, quæ haberi non possunt, neque dati solent, totum desumendo *ex d. cons. 27.* Spadæ *lib. 1.* alias auctoritates magis remoras pro ornatu deducendo, inter quas specialis vel proxima esse videtur *decis. 123. n. 10. post 2. volum. consil.* Farinac. *ut in eod. voto n. 40. cum seqq.*

Verum, eodem sensu veritatis quoque retento, dicebam, quod neque istæ responsiones substentiam habebant; Illas etenim expendendo, quatenus pertinet ad primum, 69 advertebam, quod ita non est arguere a majori ad minus, sed potius a minori ad majus, quod utique non datur; Minus etenim est exequi id, quod jam est judicatum, quam probare factum, pro quo alter Judex prius judicare, & postea judicatum exequi debeat, quoniam primo casu sententia operatur unum tantum effectum exequutionis ejus, quod jam est judicatum, in altero autem operatur duos effectus; Unum scilicet probationis adeo concludentis delicti, ut Judex alterius Territorii, cum hac sola probatione ad condemnationem procedere valeat; Et alterum exequutionis ejusdem condemnationis, ideoque in isto secundo casu agitur quoque de exequutione, ut in primo; Sed accedit aliud multo majus, idest, quod sententia stet loco processus ita omnino legitimati, & completi, in novo, ac diverso judicio, ita compilato, antequam incipiat sine citationibus, & sine actis, sed solum præsuppositive, quo nil absurdius.

Conclusio etenim, de qua supra, ut sententia sufficiat ad probationem, fraternizat cum altera, de qua *d. disc. 36. de judic. & alibi*, ut scilicet sufficiat etiam excipiendo, cum eadem tamen limitatione, seu declaratione, quæ in hac secunda intrat, nisi scilicet exceptio esset talis, quod redoleret exequutionem implicitam, ac determinationem negotii principalis; Ideoque conclusio circa probationem, intelligenda venit super aliquo incidenti, puta quod percutiat legitimationem personæ, vel statum personæ, super filiatione, vel descendentia, aut nobilitate, vel civica qualitate, sive puritate sanguinis, cum similibus, ad effectum excipiendi aliquod jus in diverso judicio, in quo alias obstare posset defectus illius qualitatis, quæ ita per sententiam, quæ transitum fecit in rem judicatam, canonizata fuit; Dummodo tamen in ea non consistat substantia, vel principale fundamentum actionis, vel judicii, quoniam isto casu id continet assumptum omnino falsum.

Ubi enim quis vellet adversus alium in diverso loco experiri aliquam chimericam prætensionem, ita posset in alio loco, coram Judice nimium benevolo, vel iniquo, colludendo cum aliquo figurato oppositore, reportare sententiam, atque cum ea tantum, nullatenus justificata, suam chimeram, exinde resultantem actionem probare, atque probatione posita experiri, quod repugnat omnibus Principiis.

Ut puta, vult aliquis tamquam hæres creditoris pulsare debitorem hæreditarium in alio foro, vel territorio existentem, in vim obligationis justificatæ cum publico instrumento, sibi vero obstet exceptio legitimationis personæ, an scilicet sit hæres, necne, & tunc sententia Judicis, quem, innotescat in altero loco, esse competentem, per quam ille declaratur hæres, & legitimus successor, admitti solet ad probationem hujus qualitatis, absque alia justificatione actorum, quoties suspicio, vel adminiculum contrarium non deducatur.

Sed si coram Judice alterius territorii, vel principatus, agatur principaliter de canonizatione, ac pertinentia tituli hæreditarii, ad effectum obtinendi bona defuncti, in eo territorio existentia adversus possessorem, qui de directo neget illam qualitatem, qua non justificata, bona ad ipsum possessorem pertineant, puta, quia ille sit legitimus hæres ab intestato; Actor autem, qui se fundat in sententia, veniat ex asserto testamento; Et tunc prorsus vanum esset asserere, quod sola sententia sine actis probaret testamentum contra tertium in diverso judicio, quod agatur in diverso territorio, vel principatu, vel quod probaret totum id, quod est fundamentum intentionis actoris, & hic est casus.

Multo vero magis, ac citra principium dubitandi, quoties hoc diversum judicium non sit contra eumdem principalem condemnatum, qui faciendo transitum in rem judi- 70 catam, condemnationem acceptasse videatur, sive contra ejus hæredem, cui obstet factum proprii actoris, juxta vulgarem regulam text. *in l. cum a matre, C. de rei vendic.* cum quibus terminis, vel cum quo præsupposito procedit Spada *d. cons. 27.* Sed agitur contra tertium omnino independentem, cui expressum, & quantumvis positivum factum prædecessoris præjudicare non potuit, ob duplicem legis, & hominis strictissimam prohibitionem, dum isto casu regula est, quod sententia inter alios lata, aliis non præjudicat, ad vulgarem text. *in leg. sæpe, ff. de re judic. & passim, ut d. disc. 36. de judic.* & alibi frequenter.

Ac propterea dicebam, quod punctus non consistebat in eo, an dictus Marchio Franciscus hujusmodi bonorum, & fideicommissi possessor, fuerit necne inquisitus de crimine læsæ Majestatis, ob præsuppositam conjurationem contra 71 personam, vel statum proprii Principis naturalis, & an pro tali inquisitione passus fuerit condemnationem, in sententia contentam, etiam cum ejus exequutione, dum istud factum, ut nudi facti est, non controvertebatur, utpote certum, & notorium, atque ad hunc effectum suffragatur notorietas, quæ relevat ab onere formalis justificationis; Sed dicebam, quod punctus erat, an esset verum id, de quo idem Marchio imputatus, & condemnatus fuit, dum condemnatio provenire potuit ex injuria, vel Iniquitate Judicis, sive ex imposturis, & machinationibus, ipso negligente se bene defendere, ac imposturas, & machinationes justificare, & testes repulsare, quod ibi fieri non potuerit ob indignationem proprii Principis, vel ob adulationem, seu malitiam Consiliariorum, & Judicum, etiam ubi Princeps optimam habeat intentionem, quod in alio principatu, vel in eodem sub diverso Principe, vel sub eodem non irato, mutatis ministris, sequi potest, ac fuit, ut in tot casibus antiquis, & modernis decent historiæ.

Sive quod (excludendo iniquitatem in Judicibus, vel oppressionem in pristino Principe) id provenire potuerit ex falsis testibus, qui postea detegantur tales; Aut quod, non existentibus concludentibus probationibus; sed solum indiciis sufficientibus, ad constituendum reum, & ad tormenta, ipse, vel metu tormentorum comminatorum, vel ex levitate, & imprudentia, aut ex imperfectione judicii (cui notorium est in Urbe illum subjectum esse, adeout pro pene stulto reputaretur) aliquam fecerit confessionem illius criminis, de quo innocens esset, vel saltem non ita culposus, ut hujusmodi pœnis locus fieret; Et per consequens, si contra ipsummet reum confessum, & condemnatum non attenditur coram alio Judice, præsertim diversi principatus, sola sententia sine actis, ex deductis apud Farinac. *d. q. 11. n. 61.* multo minus contra tertium, cui confessiones, vel negligentia in se defendendo, sine dubio præjudicare non possunt, neque tollere jus defensionis.

Quo vero ad alteram limitationem, quod scil. ob qualitatem delicti, acta haberi non valeant; Ponderabam in 72 primis, quod in casu Spadæ *d. cons. 27.* supponitur, quod impedimentum actorum proveniret ab ipsamet parte, quodque propterea in odium impedientis, habenda essent pro extantibus, ex iis, quæ habentur *sub tit. de judic. disc. 37.* in his terminis transportationis actorum, ac etiam *eod. tit. disc. 9.* in proposito impedientis, ne citari valeat, ut haberi debeat pro citato, cum similibus; Secus autem in præsenti quod nullum penitus accedebat impedimentum, ex parte rei conventi; Et quod magis est, non legebatur, quod Camera actrix debitas fecisset diligentias, ad quas saltem sine dubio tenebatur, ut dici posset in actis justificatum, quod acta justificativa haberi non possent.

Et nihilominus, quando etiam id justificatum esset, adhuc tamen, cessante culposo, & affectato impedimento alterius Partis, id referendum veniret casui, de quo Camera

actrix conqueratur, dum reo sufficit vincere per non jus actoris, eumque repellere, ex defectu probationis suæ intentionis, non curando, an a casu, vel ab alio accidenti proveniat probationum impotentia, ex deductis, *disc.* 2. *& 22. de judiciis*.

Præterea, circa d. auctoritatem Spadæ *conf.* 27. Ultra
73 responsionem superius datam, quod scil. est scriptura Advocati fiscalis, ex officio scribentis ad causæ opportunitatem, quodque non constat quid decisum sit, unde propterea remanet auctoritas minus legitima, cui deferendum non venit; Potissime dum more scribentis, pro Cliente, non autem ad veritatem, admittit omnino reprobum assumptum, ut sententia Judicis laici attendenda veniret in causa hæresis.

Advertebam quod, quando agatur de causa fidei, in
74 qua prodierit sententia condemnatoria alicujus inquisitoris, vel alterius Ecclesiastici Judicis competentis, tunc ad effectum exequutionis, in altero loco contra eumdem condemnatum, vel ejus hæredem, non adeo necessaria reputatur actorum justificatio, non solum ex d. ratione, quæ non adeo urget in isto crimine prophano, ob stylum scil. Inquisitionis non publicandi acta; Sed etiam ob magnam præsumptionem, quæ assistit, quoniam inquisitores Ecclesiastici, procedunt cum magna circumspectione, ac præsupponendi sunt viri religiosi, & probatissimi; Ac etiam frequenter, prævia participatione negotii Sacræ Congregationis, ejusque oraculo expectato; Et (quod magis est) quoniam, ut supra dictum est, in isto crimine non datur discretio Judicum, & territoriorum, vel principatuum, sed unus est forus Ecclesiasticus in toto mundo; Locales autem Inquisitores sunt tot Judices, & ministri ejusdem Tribunalis.

Concludendo itaque; Ad convincendum, quod ista prætensa confiscatio non intraret, sufficeret, quod unum
75 ex his tribus fundamentis, vel punctis, juxta præmissa subsisteret, vel quia sententia sine actis non probaret crimen, vel quia non detur confiscatio bonorum diversi principatus indifferenter, vel quia obstaret fideicommissum, dum unum solum etiam motivorum sufficit; Multo vero magis, dum omnia firma esse videntur.

Super aliis autem in eodem voto contentis, concernentibus jus familiæ Astalliæ, in exclusionem hujus familiæ
76 Frangipaniæ, sive jus illorum de Manhæiis, ex fideicommisso; Ego, ex aliquibus justis motivis, non scripsi; Potissime quia, quoad jura familiæ Astalliæ, judicabam non necessarium, dum constanter credebam, quod ista confiscatio non intraret.

ROMANA QUINDENNIORUM,
PRO CAPITULO SANCTI EUSTACHII, ET HOSPITALE S. SPIRITUS, ALIISQUE LOCIS PIIS,
CUM DATARIA,

Casus pendet.

An pro officiis venalibus, quæ ex concessionib. Apostolicis, possidentur per Ecclesias, & pia loca, aliasque similes manus mortuas, debeantur quindennia, eo modo, quo debentur pro beneficiis unitis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De introductione quindenniorum in beneficiis unitis.*
3 *De ratione, ob quam non procedant in officiis venalibus.*
4 *Quando, neque in beneficiis quindennia debeantur.*
5 *De aliis quindenniis in materia emphyteutica.*
6 *An bene isti termini parificentur.*
7 *Quando paritas intret.*
8 *De alia diversitate inter beneficia, & officia.*
9 *An temporis lapsus obstet in hac materia quindenniorum.*
10 *De observantia interpretativa.*

D I S C. CLXII.

1 AB antiquo tempore ann. 134. & 112. respective, præfatis Capitulo, & Hospitali, ex concessionibus Apostolicis possidentibus duos secretariatus Apostolicos, aliisque piis locis pariter ab antiquo supra centesimum possidentibus consimilia, vel alia officia venalia; Per Datariæ officiales excitata fuit prætensio super solutione quindenniorum, ad instar beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ penes Ecclesias, vel Monasteria, & Collegia, aliasve manus mortuas unita sint; Quare ex parte priorum locorum desuper consultus, cum præsupposito observantiæ, quod scilicet nunquam hujusmodi quindennia soluta fuerint, etiam cum aliquo sensu veritatis, non tamen omnino maturo, ob non visa jura, seu fundamenta dictorum officialium; Respondi, improbabilem videri hujusmodi prætensionem.

Introductio etenim quindenniorum, juxta ea, quæ in hac materia habentur deducta, *sub tit. de benef. disc.* 89. illum habet rationem, quod cum annatistæ, aliique Officiales Cancellariæ, annatarum, aliorumque emolumentorum, quæ per noviter provisos de beneficiis solvuntur pro expeditione litterarum, participationem habeant ex causa dupliciter onerosa; Et secundo, quod pretio mediante, hujusmodi officia obtinentur, juxta ea, quæ habentur supra *disc.* 2. Hinc proinde injustum esset, quod per gratias unionum, quæ fiunt de beneficiis penes manus mortuas, ita hujusmodi officialibus præjudicetur. 2

Illa quoque consideratione accedente, quæ habetur in ead. *disc.* 89. *de benef.* circa solutionem ipsarum annatarum, quod scilicet, cum provisi de beneficiis, vel commendis, totum obtineant ex gratia, & liberalitate Papæ, causam mere lucrativam idcirco foventes, conqueri non possunt, 3
quod eorum benefactori, & elargitori, aliquam præbeant participationem illorum fructuum, quos ex gratia obtinent, & quæ concedens poterat eis non concedere.

Hujusmodi vero rationes non intrant in hac facti specie, dum hæc officia per istas Ecclesias, vel pia loca obtinentur, ex causa mere onerosa, & correspectiva, loco quorumdam casalium, & bonorum; Et per consequens nulla justitiæ ratio exigit, quod cum ipsemet Papa, non tamquam Princeps benefactor, sed tamquam privatus venditor ex privato contractu correspectivo, hujusmodi concessionem fecerit, atque rem tamquam liberam pleno jure vendiderit, posset servitutem ad sui, vel suorum officialium favorem imponere, vel prætendere, dum ita esset obtinere duplex ejusdem rei pretium, seu emolumentum.

Atque si etiam in beneficiis unitis Hospitalibus, quæ actu hospitalitatem exerceant, vel aliis locis piis, quæ in opera pietatis integrum redditum erogent, adeout non agatur de commodo, & utilitate possessorum, quindennia non 4
debentur, ex deductis apud Vermiglior. *conf.* 476. *& seqq.* (Quod tamen respectu unionum, quæ factæ sint, puerorum & Adolescentum Collegiis, moderno tempore per Congregationem particulariter deputatam sub Clemente X. in exequutionem suæ Constitutionis, vel Motus proprii admissum non fuit, ut in annot. *ad d. decis.* 89. *de benef.*) Multo magis non est solvendum in isto casu, in quo agitur de causa vere onerosa, & correspectiva cum ipsomet Principe, qui istud onus, vel emolumentum in effectu exigit mediantibus ejus officialibus, adeout transitus ad manum mortuam, non proveniat a facto tertii, quo casu dicere potest, quod id sibi præjudicare non debeat, sed agitur de directa, & immediata concessione facta illi manui, quam ipse concedens recte sciebat esse mortuam.

Ad quod comprobandum deducebam ea, quæ habentur 5
sub tit. de Emphyt. disc. 50. super illis quindenniis, quæ ad instar præsentium, solvi debent Domino directo, qui patiatur, ut bona emphyteutica remaneant penes manum mortuam, quoniam id locum habere debet, quando Dominus directus emphyteuticam concessionem fecit privatæ personæ, bona vero, ex facto emphyteutæ transierint ad manum mortuam, unde propterea Dominus pati non debet hoc damnum ex facto alieno, sive quia potest alias id prohibere: Secus autem ubi ab initio directe, ac immediate ipse talem concessionem faciat, ut scribendo in eodem casu, de quo *dict. disc.* 50. comprobat etiam Caponius *controv.* 31.

Est bene verum, quod *ut eod. tit. de Emphyt. d. disc.* 50. *in fine* advertitur, ut bene isti termini emphyteutici veri- 6
ficentur in istis beneficialibus, ob nimium diversam rationem, circa regulationem temporis, quoniam beneficia Ecclesiastica sunt personalia, & vitalitia, unde pernecesse faciendæ sunt novæ provisiones, pro quibus solvi debent annatæ, aliaque emolumenta, ideoque merito, ad tollendam confusionem, quæ oriri posset, ex illa verisimili taxa vitæ hominis, quam facit textus *in leg. hereditatum, ff. ad leg. falcid.* inducta est hæc taxa uniformis, compensando vitam brevem, cum longæva beneficiatorum. Id autem adaptabile non est ad rem, quoniam dari potest, ut bona emphyteutica numquam vendantur, seu alias transferantur ad extraneos obligatos ad solutionem laudemii,

sed

sed per sæcula continuent in concessionarii posterioritate, & descendentia; ideoque ratio non est æqualis.

Hinc proinde sequitur, quod ista moderna introductio, quæ in materia emphyteutica facta est ad instar, bene procedat in substantia, sive in genere, male autem in modo, sive in taxa temporis, ut advertitur *d. disc.* 50. *de emphyt. in fine*.

Tunc autem similitudo recte intraret, quando ageretur de illo laudemio, quod per quemlibet novum successorem, etiam si esset de filiis, & descendentibus, in investitura
7 comprehensis solvendum esset, juxta ponderationes, quæ in materia feudali habentur, *sub tit. de feud. disc.* 59. Non autem in eo laudemio, quod solum solvendum est per emptorem, vel alium extraneum successurem, in investitura non comprehensum; Id etenim continere videtur clarum æquivocum, atque unum ex consuetis leguleicis simplicitatibus, quæ a ratione penitus aberrant.

Ponderabam quoque in hoc proposito, aliam diversita-
8 tem rationis inter officia, & beneficia, quod scil. in istis Papa egerit personam Papæ, & Principis spiritualis; In illis vero potius diversam personam Principis temporalis, contractantis rem mere temporalem, juxta ponderationes, de quibus supra *disc.* 2. unde propterea non bene de uno ad aliud infertur, ob rationis diversitatem, quæ etiam ponderatur supra *disc.* 6. in proposito regulæ de viginti, sive de infirmis resignantibus.

Nimium quoque considerabilem esse dicebam diuturnam observantiam supra centesimum; Quamvis etenim per d.
9 Congregationem particularem, diuturna observantia attenta non fuerit, ob decretum irritans, contentum in Apostolicis Constitutionibus, & ob aliam rationem, quod negligentia illorum officialium, qui hujusmodi quindenniorum exactioni, & administrationi præpositi sunt, præjudicium inferri non debet; Attamen id provenit, quia in illis casibus, non accedebat centenaria completa, secus autem ista accedente; Non quidem in ratione præscriptionis; sed in altera meliori, ratione facultatis allegandi quemcumque titulum meliorem, ex iis, quæ in hoc proposito habentur deducta, *sub tit. de alien. & contr. probib. disc.* 3. ideoque allegari posse dicebam specialem conventionem correspectivam, & sie non cadentem sub generalibus derogatoriis contentis in Constitutionibus Apostolicis, juxta ea, quæ habentur supra *disc.* 47. & in aliis circa Constitutiones revocatorias franchitiarum, & exemptionum non capientes illas exemptiones, quæ concessæ sunt ex causa onerosa, & correspectiva.

Ac demum quia, cum ex præmissis saltem dubitabile sit an Apostolicæ Constitutiones, quæ de hujusmodi quinden-
10 niis agunt, atque sunt editæ super unionibus beneficiorum, complectantur necne hujusmodi officia, juxta ea, quæ habentur supra *d. disc.* 6. ad materiam regulæ de viginti, sive de infirmis resignantibus. Ita hæc diuturna observantia attendenda veniret, potius in ratione interpretativa, cui non obstat decretum irritans, nec clausulæ derogatoriæ, procedentes in illa observantia, quæ deduceretur tamquam præscriptiva, qualis datur in casu claro, in quo non intrant termini interpretationis. Ideoque ex his omnibus credebam, probabilitatem huic parti assistere. Casus autem adhuc pendet indecisus.

ROMANA LOCORUM MONTIUM DE JUSTINIANIS,

PRO HÆREDIBUS LUCÆ JUSTINIANI, CUM BARONE PATRIARCHA, ET ALIIS.

Casus varie decisus per Rotam.

De libertate locorum Montium penes novum emptorem, an procedat etiam a dominio tertii, qui indebite fuerit eis spoliatus per subhastationem, seu alias cum Judicis auctoritate, vel potius libertas intelligatur de libertate ab hypothecis, aliisque vinculis adjectis per eorum Dominum, & possessorem.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series cum resolutionibus.*
2 *Montium super auctoritate consulentium, & quæ quæ proprie dicantur consilia.*
3 *De errore procedendi cum generalitatibus, non bene distinguendo.*
4 *De possessore ex directo Judicis facto.*
5 *De possessore sequente principaliter fidem venditoris.*
6 *De libertate locorum Montium ab hypothecis venditoris, qui esset Dominus.*
7 *De acquirente loca Montium ex causa lucrativa.*
8 *De casu præciso quæstionis emptionis locorum Montium per organum Secretarii a non Domino.*
9 *Ubi non habetur decisio particularis, oportet procedere cum similibus.*
10 *Loca Montium exæquata sunt officiis venalibus.*
11 *De exteris loquentibus de materia.*
12 *De ratione libertatis locorum Montium.*
13 *De praxi aliorum locorum in materia.*
14 *Assimilantur territorii feudales.*
15 *Quod sit in hoc reflectendum ad bonam, vel malam fidem, & quomodo ista probetur.*
16 *Quod sit procedendum rigorose cum Secretario.*
17 *De alio casu simili.*
18 *De inconvenientium ratione.*
19 *An in resignatione, vel alia alienatione locorum Montium per minores, vel mulieres, requirantur solemnitates statutariæ.*

D I S C. CLXIII.

CUm Alcides, Scrinium, seu Armarium (ut suppo- 1
nebatur) per ipsum emptum pretio scut. 1700. cum jure redimendi vendidisset pro scut. 400. Vincentio Justiniano, in Curia prælato, atque hujus defuncti heres Lucas, illud transtulerit ad Civitatem Januæ patriam; Eodem Luca quoque defuncto, ad plures annos post mortem, contra ipsum tamquam adhuc viventem, Alcides judicium instituit cor. A.C. cum citationibus per edicta in confinibus Status Ecclesiastici, juxta stylum enunciatum, *sub tit. de jud. disc.* 8. contra eos, qui morantur in locis, in quibus non sit liber, & tutus accessus, pro citationum exequutione, obtentaque condemnatione, ac successive mandato exequutivo contra hæreditatem Vincentii, pro scut. 1300. pro residuali pretio dict. scut. 1700. ac etiam exequatur in persona, & bonis propriis Lucæ hæredis, processum fuit ad subhastationem tresdecim locorum Montium hæreditariorum ejusdem Lucæ, de quo etiam habetur, *sub tit. de fideic. disc.* 153. Eisque deliberatis Ludovico majori oblatori, iste una, vel pluribus diebus proxime sequentibus, in cujus faciem, vel personam de mandato Judicis dicta loca translata fuerunt, ea resignavit Baroni Patriarchæ, & aliis; Quare de his habita notitia per hæredes Lucæ, occasione eis denegatæ consuetæ solutionis fructuum, judicium instituerunt contra possessores pro dd. locorum recuperatione, introductaque causa in Rota coram Ottalora, & dato dubio, an subhastatio substineatur sub die 14. Decembr. 1665. negativa prodiit resolutio, quæ habetur impressa, *par.* 14. *rec. decis.* 381. in cujus fine respondendo privilegio libertatis locorum Montium, de quo agitur etiam *supra disc.* 26. *cum plurib. seqq.* firmatur id procedere in venditionibus, vel resignationibus privatis, & conventionalibus, non autem in alienationibus sequutis judiciali auctoritate, ut etiam advertitur supra locis citat. Obtenta vero per tertios possessores nova audientia, & reproposita causa cor. Taja, subrogato in locum Ottaloræ ad præsidatum Granaten. interim assumpti: Aliis pro hac parte in causa scribentibus, dilata fuit resolutio, ob difficultates adversus decisionem habitas; Cumque in hoc statu præfatis aliis defensoribus Ego adjunctus essem, atque difficultates promovissem, tunc justa laudabilem Curiæ stylum habitus fuit congressus, in quo mea sententia fuit, quod resolutio, respectu possessorum, non esset substentabilis, nisi quatenus in facto eorum mala fides justificaretur, quodque probabilius competeret aliqua actio contra Secretarium, qui adeo celeriter, non absque aliqua suspicione dictam resignationem admisit, ideoque eram in voto, ut idem Secretarius, vel ejus hæres ad causam quoque evocandus esset, edito desuper discursu super promotis difficultatibus; Sed quoniam antiquis defensoribus, concorditer visum est disputationem in eo statu prosequi, quodque decisionis supradictum fundamentum esset substentabile, utpote munitum tot decisionibus, & auctoritatibus, in eadem decisione recensitis, idcirco cedendo, (ut decet) voto majoris partis, scripsi quoque ad causæ opportunitatem tamquam Advocatus, sed resolutio prodiit 22. Junii 1671. juxta votum, confirmando scilicet decisionem contra Ludovicum deliberatarium, cum nullitas judicii esset indubitata; Illam autem revocando quoad emptores, ac tertios possessores,

ob libertatem locorum Montium, & ex eifdem fundamentis jam a me prævifis, & excitatis, unde propterea, mihi quamvis in contrarium forfan acrius, magifque elaborate fcribenti, refolutio probabilis, beneque fundata vifa eft.

Atque hic moneri debemus, de eo, quod adeo frequenter infinuatum eft, quantum fcilicet deferendum veniat illis confulentibus, (qui damnabiliter quidem publicæ lu-
2 ci proferunt fub nomine confiliorum, illas informationes, quas more Advocati, conductivo more occafio dedit facere ad caufæ, & clientis opportunitatem, cum vere, & proprie illa dici debeant confilia, quorum auctoritati deferendum eft, quæ data fint ad veritatem, illam fcire cupienti, five in figura Affefforis data illiterato Judici, per modum voti confultivi, ad effectum fententiandi, non autem more fimplicis Advocati frequenter fcribendo, etiam contra proprium fenfum.

Quatenus itaque pertinet ad hunc punctum libertatis locorum Montium penes tertios emptores; Reaffumendo a me fcripta fuper hujufmodi materia in hoc volumine jam
3 edito, & cum quibus, pene in omnibus procefferunt fcribentes in contrarium, ac etiam Rota, ut patet ex ultima decifione defuper edita coram Taja, dicebam id, quod frequens mea eft confuetudo dicendi, clarum fcilicet effe errorem, in hac materia procedere cum folis generalitatibus, five auctoritates, & decifiones editas occafione aliorum cafuum, quibufcumque aliis indefinite applicare; cum vera, & germana, bene judicandi, & confulendi forma fit, reflectere ad diftinctiones cafuum, eorumque fingularium particulares, ac individuas circumftantias, ex quibus metienda eft congrua doctrinarum, & legum applicatio, dum applicandum non eft factum legi, fed lex applicanda eft facto; Ifteque adeo clarus, fed nimium frequens, & communis error donec corrigatur, magis, ac magis femper replebit mundum æquivocis, & confufionibus.

Quare plus cafus defuper diftinguendo; Primus eft, ubi agitur de illo poffeffore, qui directe, ac immediate obtinuit loca Montium fibi deliberari a Judice, feu alias ab eo in poffeffionem immitti, nulliter, vel injufte, adeout controverfia fit inter primum poffefforem fpoliatum, &
4 fecundum poffefforem a Judice immiffum; Et tunc, fi actus eft nullus, vel injuftus, priori poffeffori competit manutentio, vel reintegratio, five aliud remedium rei perfequutorium, quoniam admixta non eft auctoritas publica, neque intrat ratio peculiaris, quæ refultat ex hujufmodi jurium natura; Et in his terminis loquuntur, *decif* 284. *part.* 5. *rec dec.* 70. *part.* 7. cor. Dunozet. *decif.* 642. *repert.* apud Pofthum. *de fubhaft. dec.* 211. *& dec.* 407. *in fin. part.* 12. *rec.*

Secundus cafus eft, ubi quis ex privata conventione, emit loca Montium ab intrufivo poffeffor, qui vere Dominus non effet, atque venditio, feu refignatio admitti-
5 tur per Secretarium, fed id provenit ex privata conventione, inter emptorem, & venditorem, adeout emptor fequatur principaliter fidem privatam poffefforis, & de ifto cafu loquitur, *decif.* 650. Cavalerii, in cujus cafu aderat mala fides pofitiva, ob inhibitionem factam emptori, ac denunciatam litem, unde fcire debuit, ac potuit, eum non effe Dominum, neque pariter adaptatur ratio hujus libertatis, de qua infra.

Tertius cafus eft, ubi quis emit ex privata etiam conventione a vero Domino, admiffa per Secretarium, qui emptorem libere defcribat in libris publicis, quæftio autem
6 fit cum creditoribus venditoris, prætendentibus loca Montium effe eis hypothecata, Et tunc refignatarius eft tutus ab hypothecis, aliifque vinculis, præterquam defcriptis in litteris patentibus, vel ex natura hujufmodi jurium, ut verius eft, vel ratione commercii, ut firmant Gratian. *difcept.* 730. *num* 48. Cenc. *de cenf. quæft.* 29. *num.* 13. Merlin. *de pign. lib.* 2. *q.* 14. *num* 28. *&* 29. *num.* 13. Rot. *decif.* 14. *in fin.* poft Fenzon. apud Merlin. *dec.* 533. *repert. dec.* 79. *n.* 20. *part.* 9. *rec.* Romana locorum Montium 29. Novembr. 1660. coram Bevilacqua, edita in cafu, de quo fupra *difc.* 27. Et fic cum præfuppofito, quod emptor fciat a quo emat, unde dici valeat, quod ejus fidem privatam fequatur, dum acquifitio provenit a privata conventione inter eos, licet a publico officiali ad id per Papam deputato (qualis eft Secretarius) auctorizata fit, atque de hoc etiam loquitur Conftitutio 154. Urbani Octavi, cujus mentionem facit in d. decifione cor. Bevilacqua; Illaque non continet rem novam, dum etiam antea idem procedebat, fed prodiit ad majorem declarationem, ac etiam ad probationem, de qua infra.

Quartus eft cafus, quando tertius, ex caufa lucrativa,
puta legati, obtinet loca Montium a defuncto poffeffa, fi- 7
ve obtinet pecuniam, quam directe inveftit in loca Montium, quæ uno, vel altero modo in fui faciem inteftentur, deindeque detegantur creditores hæreditarii, quibus in fubfidium de jure competat vocatio pecuniæ folutæ, & tunc iftud privilegium non fuffragatur, fed datur etiam actio fubfidiaria, & de hoc agitur in Romana lucri Dotis coram DD. Ghislerio, & Albergato, *decif.* 43. *num.* 40. *par.* 10. *& dec.* 25. *num.* 5. *& feqq. part.* 11. *rec.* in cafu, de quo agitur a me *in tit. de Dote difc.* 129. & juxta cafum, de quo fupra *difc.* 29.

Quintus demum cafus eft nofter, ubi juxta communem frequentiorem ufum quis, five Civis, five exterus, ac
five præfens, five abfens, fed ignarus quifnam habet lo- 8
ca Montium venalia, confignet proxenetæ ordinem directum publico Banco, ut folvat pecuniam in genere ei, quem Secretarius eidem Bancherio refteur libere ad fui favorem refignaffe tot loca Montium, adeo ut emptor fit omnino incertus de perfona vendentis, fed fequatur principaliter, ac omnino folam fidem Secretarii, tamquam publici officialis, per Papam ad id deputati, talemque refignationem faciat ille, qui nulliter, vel injufte a manu Judicis obtinuerit, atque de Judicis mandato, Secretarius eum defcripferit in libro publico.

In ifto cafu individuo, ac præcifo nullam habemus auctoritatem, vel decifionem, quæ loquatur de locis Montium Urbis, ideoque oportet examinare cafum, cum doctrinis Doctorum, agentium de confimilibus juribus, quæ
habentur cum Principe, feu Republica, ut funt jura Re- 9
gia Hifpaniarum, fifcalia, vel jura fuper arrendamentis Regnorum utriufque Siciliæ, & loca Montium Venetiarum, Januæ, & Florentiæ, aliarumque Civitatum Italiæ, five juxta terminos officiorum vacabilium, cum quibus, ac etiam cum terminis refignationis beneficiorum, procedunt inferius allegandi loquentes de præfatis aliorum Civitatum locis Montium, ac juribus hujufmodi.

Quodque ifta loca Montium, vel jura exæquata fint offi- 10
ciis venalibus, eorumque jure regulanda veniant, expreffe, ac litteraliter difponitur per d. Conftitutionem 154. Urbani VIII. fæpius enunciatam.

Agit vero pro cæteris de his locis Montium, vel juribus
Larrea *allegat.* 22. *ex num.* 19. *& feqq.* occafione tractandi, 11
de refolutione hypothecarum a poffeffore contractarum, atque adhibet eofdem terminos officiorum venalium, quæ tractantur cum terminis beneficialibus, vel cum terminis feudorum, & de eifdem juribus, Salgad. *in labyr. part.* 2. *c.* 27. *num.* 39. *ubi per tot.* agit de officiis, ac etiam *part.* 1. *c.* 35. *per tot.* ubi cæteri.

Ex deductis autem per dictos Auctores, conftat de vera ratione libertatis hujufmodi jurium penes tertium, in quem
cum publica Principis, vel ejus officialis auctoritate tranf- 12
feruntur, quod fcilicet illud dicitur quoddam debitum cum Principe, tamquam fpecies cenfus redimibili, unde quando quis refignat officium, vel jus fuum in manu officialis repræfentantis ipfum Principem, tunc dictum jus, vel officium extinguitur, & annihilatur, deindeque Princeps per actum occultum, novum jus ex integro efformat, & concedit refignatario, qui fequitur fidem publicam ipfius Principis, quem in ejus directum, ac immediatum auctorem agnofcit, ut pluries advertitur fupra *difc.* 26. *& fequentibus.*

Igitur ille, qui cum bona fide, ignarus, an refignatarius fit Gallus, Hifpanus vel Germanus, feu Indus, cum aliquo privato non contrahit, neque privatam fidem vult fequi, fed directe fequitur folam fidem publicam Principis, non poteft, nec debet remanere clufus, fed habet in debitorem ipfum Principem, cum vere, ac proprie loca Montium aliud non fint, nifi debitum Principis fuper ejus redditibus, tamquam per fpeciem cenfus, ut fupra.

An autem Princeps, vel officialis, bene, vel male agat in extinguendo, vel fupprimendo jus antiqui creditoris, & an fuum debitum extinguat cum legitimo, vel cum illegitimo creditore, ipfi videant, hoc unum eft tamen, quod novus acquirens recte dicere poteft, fe contraxiffe cum Principe, cumque habere in fuum debitorem, quem recte fcit habere poteftatem id, quod uni conceffit, ei auferre, ac alteri dare, dum etiam bona aliena donare, vel concedere poteft, atque Domino non remanet aliud jus, nifi agendi contra ipfum Principem, pro reintegratione

tione valoris, ad textum *in l. bene a Zenone, C. de quadrien. præscript.* cum ibi communiter notatis, de quibus *tit. de Donat. disc.* 43. *& supra hoc tit disc.* 148.

Igitur, aut priori possessori injuste spoliato competit actio contra spoliatorem, vel contra Judicem, vel contra Principem, ejusque Cameram, aut contra officialem, suum officium male explentem, & utitur jure suo; Aut hoc etiam remedio est destitutus, & erit casus fortuitus, qui est sequela dominii.

Talis est praxis inconcussa totius Europæ, in hujusmodi juribus publicis, seu regalibus super gabellis, vel juribus cum Principe, vel Republica; Ideoque dum in Cu-
13 ria non haberemus in his terminis casum decisum, recurrendum est ad observantiam generalem adjacentium aliorum principatuum, ex deductis *tit. de servit. disc.* 2. *num.* 19. *& sæpius*.

Sed vere habemus illum decisum per dictam Constitutionem 154. Urbani VIII. quæ expresse exæquat loca Montium officiis, non quidem in ratione privilegiativa, sed declarativa, quia vere eadem est ratio.

Multa enim in hujusmodi juribus differentibus, atque in libero commercio non existentibus habentur peculiaria, quæ exorbitant a regulis generalibus juris communis, ut videtur in feudis, & juribus regalibus, quod ex veriori sententia, ubi Principis auctoritas non accedat, in eis
14 non intrat titulus de separatione bonorum, unde creditores hæredis cum assensu, vincunt creditores defuncti sine assensu, ut *titul. de feud. disc.* 78. *& tit. de credito disc.* 13. *&* 151. Ac etiam non intrat titulus *plus valere, quod agitur, &c. & tit. de feud. disc.* 24. *& in aliis*; Unde propterea si hæc bona emantur de pecunia aliena, cum pacto expresso, ut acquirantur domino pecuniæ, quodque nomen acquirentis sit simulatum; Attamen si super hoc pacto non adsit assensus Principis, id non attenditur, sed dicitur officialis, vel feudatarius, sive possessor jurium regalium, ille in cujus faciem in libris cantat, ut *dec.* 100. *par. 9. rec.* cum similibus, de quibus *d. disc.* 24. *& in aliis de feud.* ideoque regulæ generales, quas habemus in differentibus, ac existentibus in commercio, nullatenus congruunt hujusmodi bonis, ac juribus.

Hinc proinde advertebam, quod causæ defensio consisteret potius in facto, quam in jure, an scilicet ex facti cir-
15 cumstantiis desumi posset collusio, vel mala fides emptorum, qui recte scientes, quomodo in resignantem loca montium obvenissent, ita resignantis potius fidem sequuti essent, juxta secundum casum, de quo supra *num.* 5. sed si cessante hujusmodi circumstantia, processum per eos esset cum bona fide, juxta modum recensitum supra in quinto casu *num.* 8. & tunc omnino probabilius pro emptoribus responderi deberet, dum alias esset mundum revolvere, atque istud commercium impedire, ad quod considerabam etiam a simili ponderationes, de quibus supra *disc.* 129. Ad id autem arguendum advertebam inspiciendum esse, præsertim ad pretium, pro quo emptio facta esset, quoniam si fuisset in summa justa, & communiter currenti, & tunc magnum resultabat bonæ fidei argumentum, sicuti econverso malæ, in casu pretii diminuti, & insoliti, quod reputatur pars periculi ex deductis supra *disc.* 30. *& seqq.* Et per consequens est quæstio potius facti, quam juris ex singulorum casuum circumstantiis decidenda.

16 Putabam tamen de collusione, & mala fide nimium suspectum videri Secretarium, qui erat in hoc munere vir nimium peritus, & diligens, verisimiliter non admissurus adeo de recenti in ignoto, vel parum idoneo deliberatario, talem resignationem liberam, absque ejus corruptela, & notabili emolumento; experientia docente in hujusmodi Secretariis, & officialibus illa miracula, quæ alibi cernuntur in Judicibus, & Magistratibus, quod scilicet officio vix præbente emolumentum sufficiens ad substentationem, intra breve tempus, notabiles parantur divitiæ, ideoque cum eis nimium rigorose procedendum videtur, adjiciendo præsertim legem, ne hujusmodi deliberatariorum, vel hæredum, & successorum resignationes admitti debeant, nisi post notabile temporis intervallum unius, vel plurium annorum, cum ita etiam posset quis falsis probationibus se probare hæredem alicujus, qui adhuc vivat, velet jam defuncti, qui alium hæredem revera reliquerit, atque sequuta intestatione, posset hujusmodi resignationem facere, absque eo quod domino consultum remaneat.

Idem consultus pro veritate, respondi, in alio casu, in quo loca montium habebat in corpore litterarum, vin-
culum fructuum ad commodum alterius, ejus vita du- 17
rante, dum proprietarius cum falsis testibus deponentibus de morte reservatarii, obtinuit cum decreto Thesaurarii, vel ejus Auditoris deleri vinculum, atque ita resignationem liberam fecit, absque eo, quod reservatario consultum remaneret ob absentiam, vel inopiam resignantis, & ob assecurationem resignatarii bonæ fidei, ut supra; Istque est unus ex perniciosis effectibus, qui resultant ab usu propinarum, de quo *tit. de Judic. disc.* 39. quoniam aviditas proprii emolumenti pronos, ac faciles reddit Judices ad faciendum id, quod alias non facerent, vel nonnisi cum majori circumspectione, & maturitate.

Et quamvis ob hujusmodi libertatem, & emptorum
assecurationem, plura resultare possint inconvenientia, 18
& fraudes, præsertim in supplantatione absentium, vel hæreditatum jacentium, seu fideicommissariarum; Nihilominus ex duobus malis, vel inconvenientibus, oportet eligere minus, dum magis præjudicialia Reipublicæ, & libero commercio essent alia inconvenientia contra resignatarios bonæ fidei, ac propterea, ut primis inconvenientibus occurratur, dandæ videntur opportunæ provisiones, & ordines secretariis, atque cum eis rigorose procedendum ad reficiendum de proprio, quando eorum officium non bene exercent.

Ex eadem vero superius insinuata distinctione inter illam venditionem, vel aliam alienationem, quæ fiat inter partes ex privata conventione, vel etiam subhasta ex auctoritate judicis, cujus factum dicitur etiam factum partis,
& illam quæ fiat mediante resignatione in manibus secreta- 19
rii, frequenter consultus etiam pro veritate respondere consuevi, resultare decisionem quæstionis, de qua habetur actum *sub tit. de alien. & contract. prohib. disc.* 12. an scilicet in alienationibus locorum montium, quæ fiant per minores, vel mulieres, requirantur solemnitates statutorum 113. & 151. Urbis, ut primo casu requiratur, non autem posteriori, quodque in hoc sensu, vel cum dicta distinctione, & cum præsupposito, quod ageretur de prima parte, intelligenda est *decis.* 679. *Seraph. & dec.* 50. *p.* 13. *rec.* in quibus id firmatur, cum aliæ desuper allegari solitæ, loquantur obiter, vel ad alios effectus.

Ubi etiam agitur de secunda parte, intrat ratio superius assignata, quod scilicet primus possessor, qui alienat, vere non transfert suum jus in eum, cui fit alienatio, sed potius illud refutat, & extinguit in manu Principis, qui novum jus ex integro obfirmat favore resignatarii agnoscentis in ejus actore ipsum principem, cujus publicam fidem, non autem privatam primi possessoris sequi dicitur.

Ita etiam suadente ratione libertatis commercii, ob cujus conservationem multa permittuntur, quæ alias permittenda non sunt, ut ex. gr. non egrediendo hos terminos solemnitatum statutariarum, habetur, *eod. tit. de alien. & contract. prohib. disc.* 34. in muliere, vel minore exercente mercaturam; Ac etiam recepta praxis docet in locationibus, & conductionibus domorum, vel in emptionibus, & venditionibus victualium, & rerum deservientium ad usum vestium, vel domus cum similibus, quoniam licet agatur de contractibus, absque dubio cadentibus sub statuto 151. attamen ratione subjectæ materiæ, & libertatis commercii non sunt in usu.

Omnemque difficultatem tollit observantia, quæ in omnibus dicitur optima interpres, quoniam cum ab anno 1580. prodierit *d. dec.* 679. *Seraph.* Attamen in hoc intermedio spatio pene integri sæculi, observantia docuit, & docuit contrarium, quoniam Secretarius, & Thesaurarius respective passim admittunt resignationes sine his solemnitatibus; quinimo ubi partes vellent eas servare, dicti officiales id non admitterent, respondendo, quod eorum sufficere debet auctoritas, non indigens illa alterius Judicis in hoc inferioris, & incompetentis, in aliis Civitatibus, vel Principatibus, præsertim in Veneta, & Januensi, adeo exacte id servatur, ut etiam Capuccini, aliique professi incapaces in communi, & in particulari continuant descripti, & reputantur domini cum libera dispositione, ut insinuatur incidenter *sub tit. de testam. disc.* 36. *& alibi*.

RO-

ROMANA EVICTIONIS LOCORUM MONTIUM, PRO MARCO PAULO TYERI, CUM GASPARE ALVERO.

Casus disputatus coram A.C. resolutus pro Tyeri.

Vendens loca montium vinculata, an, & quando teneatur ad evictionem, vel ad pretii restitutionem ad factum casum vinculi, si ex facto ipsius venditoris id processit.

S U M M A R I U M

1 *Facti series*

2 *Sciens vitium rei non agit de evictione, neque ad restitutionem pretii.*

3 *Declaratur quando id procedat, & quando etiam praestetur evictio de natura rei.*

4 *In omni conventione nunquam venit dolus, vel factum proprium culposum.*

5 *Venditor tenetur de vitiis sibi cognitis.*

6 *Quando cessionarius pensionis praestet evictionem, vel restituat pretium acceptum.*

7 *Dotis restitutio principaliter spectat ad virum, & fideicommissum est species fidejussoris.*

8 *Declaratur quando idem venditor locorum montium vinculatorum exerceat casum vinculi.*

9 *De differentia inter dotem constituendam, & restituendam.*

D I S C. CLXIV.

1 Retenta facti serie, de qua supra *disc.* 37. super venditione locorum montium provenientium ex pretio Casalis subjecti fideicommisso, cum ejusdem fideicommissi vinculo translato in pretium; Cum uxor Gasparis venditoris, pro assecuratione suarum dotium, & lucri, ob vergentiam viri ad inopiam, ex beneficio *Auth. res quae, C. com. de legat.* loca montium ab emptoribus vendicasset, ut insinuatur *in ead. disc.* 37. *in fine*: Hinc ad aliquod tempus, exorta spe, quod molestiae inferendae eidem Gaspari, inopia non obstante, parare possent emptoribus aliquam recuperationem pretii, saltem in parte, praesertim praefatus Tyeri utriusque Signaturae Praelatus, unus ex emptoribus, judicium contra venditorem instituit pro evictione, seu restitutione pretii, atque post aliquas disputationes, obtinuit mandatum a Signatura quoque canonizatum.

In disputationibus desuper habitis, scribentes pro Gaspare reo convento, vim constituebant in disputatione textus *in l. si fundum sciens, C. de evict.* cum concordantibus plene deductis per Rot. *dec.* 453. 557. *&* 469. *part.* 9. *rec.* Ac etiam habetur *sub tit. de feud. disc.* 44. *& sub tit. de empt.*
2 *& vend. disc.* 10. 11. *&* 17. & saepius in his terminis *sup. disc.* 31. quod scilicet cum venditor expresse denunciaverit emptori hoc vinculum fideicommissi, expressum quoque in litteris patentibus, adeout emptor illius certam habuerit scientiam, ipseque venditor professus sit vendere eadem loca, talia qualia, & pro jure sibi competente, cum declaratione nolle teneri nisi de facto proprio, ita de plano intrare dicebant praefati textus regularem, eximentem non solum a praestatione evictionis, sed etiam a deductione pretii; Quamvis etenim plurium sententia sit, ut praefati textus dispositio procedat solum respectu evictionis, non autem respectu restitutionis pretii, a qua venditor excusari non debeat, ob inconveniens locupletationis de alieno; Contrarium tamen, praesertim in Rota, & Curia est receptum, quando diversa conventio explicita non accedat, vel facti circumstantiae eam implicite non inducant, juxta considerationes, de quibus supra in his terminis *d. disc.* 31. Et merito quidem, quoniam ita in contractum censetur deducta illa spes, vel incerta alea, seu eventualitas, Eodem modo, quo docet quotidiana praxis in venditione, seu cessione commoditatis; Idque argui dicebant ex quantitate pretii, quoniam cum pretium intrinsecum locorum montium esset scutorum centum ultra consuetum augmentum extrinsecum, ista venditio facta erat ad rationem scutorum 25. quodque propterea intraret alia juris regula, de qua etiam locis citatis, & praesertim *d. disc.* 44. *de feud.* super exemptione venditoris a praestatione illius evictionis, quae sequatur de natura rei.

His tamen non obstantibus (etiam cum sensu veritatis) contrarium dicebam verius, scribendo pro actore, pro quo justa prodiit resolutio; Admittebam siquidem dictas theoricas, tanquam veras in genere; Dicebam tamen, eas procedere, quando a casu, seu alias citra factum, & culpam 3
ipsius venditoris, bona vendita avocarentur ab emptore, puta quia per ipsius venditoris mortem, factus esset locus fideicommisso ad favorem alterius vocati, vel quod ex ignotis juribus, quae alias quam ex facto proprio ipsius venditoris, tertio competant super casali vendito, daretur eidem tertio actio super locis montium, tanquam in pretio subrogato; Secus autem, dum molestiae veniebant ex ejus facto proprio, quod nunquam censetur exceptuatum, dum id ab omni justitia, & aequitate prorsus est alienum, ut caeteris relatis plene habetur apud Merlin. *dec.* 874. *num.* 5. 4
& seq. dec. 18. *nu. fin. per.* 11 *rec. & passim*, semper enim in omni contractu, omnique conventione, quantumvis ampla, exceptus censetur dolus, sive aliud factum proprium in quo dolus inesse potest, ut in proxime allegatis, & apud Cels. *dec.* 78. *n.* 6. *cum seqq.* Greg. & add. *dec.* 119. Unde propterea licet venditor, quando protestatus est vendere rem pro tali quali, &c. atque ut vulgo dicitur *come un sacco d'ossa*, ad aliud non teneatur, adhuc tamen tenetur pro vitiis, & defectibus latentibus sibi cognitis, quae non 5
sufficit exprimere sub involucro generali verborum ex deductis apud Surd. *dec.* 146. *nu.* 4. Gregor. & adden. *d. dec.* 119. *& sub tit. de empt. & vend. disc* 9.

Atque ad id bene conferre dicebam ea, quae habentur *d.* 6
disc. 69. *de Pensionibus*, quod scilicet cessata commoditate pensionis, si ista cessat per mortem naturalem cedentis, vel per insufficientiam beneficii, aut per alium casum, tunc cedens ad nihil tenetur; sed si cessat ob delictum ipsius cedentis, aut ob aliud ejus factum voluntarium, puta quia per matrimonium, vel per militiam, vel per professionem in Religione; aut per dimissionem Clericatus, diversum statum assumat, tunc intrat evictio, cum similibus.

In his autem terminis versari dicebam, quoniam licet emptoribus innotesceret vinculum fideicommissi, quo posito de consequenti intrabat actio praedicta uxoris in vim *Auth. res quae*; Attamen id principaliter provenit ex debito, & facto ipsius venditoris, quoniam nisi dotem uxoris, aliaque ejus bona dissipasset, utique iste casus non daretur. Ubi enim agitur de dote restituenda per ipsum virum, tunc id referri non potest casui, sed totum provenit ex facto, & 7
culpa ipsius viri, dum ipse est principalis debitor, fideicommissum autem dicitur quidam legalis fidejussor ejusdem viri, adeout etiam sine cessione subintret in jus mulieris, cui dos restituta est, ejusque actiones exercere valeat pro reintegratione, juxta firmata apud Coccin. *dec.* 1681. cum aliis, de quibus *sub tit. de dote, disc.* 145. *n.* 56.

Neque ad rem facere dicebam, *dec.* 7. *&* 57. coram Ninot in hoc proposito expensas etiam supra, *dict. disc.* 31. quo- 8
niam earum casus est diversus, quod scilicet idem venditor, tanquam tertius, vendicabat loca montium cadentia sub portione alterius venditoris ejus fratris, per cujus mortem jus emptoris expiraverat ideoque evictio proveniebat de natura rei, & a casu, non autem a facto culposo, seu alias voluntario ipsius venditoris, quale dicitur illud, quod ab ejus creditoribus provenit, dum ita haec venditio redoleret speciem furti, vel truffae, si ille venditor, qui scit se obaeratum esse bonaque vendita obnoxia ejus creditoribus, a quibus ad horam illa vendicari possunt, etiam a pretii restitutione excusaretur, ac propterea excusatio restringenda est ad solum casum.

Ex casu autem, provenire diceretur, quando filiae, & 9
descendentes ipsius venditoris ex eodem beneficio *Auth. res quae*, peterent dotem sibi constitui ex bonis fideicommissi, quoniam dici non potest culposum, quod natura ei foecunditatem dederit procreandi filios, minusque dici potest culpa directa ad casum, quod ipse pariter se inopem fecerit, unde propterea ejus filiabus apertum sit praefatum subordinarium beneficium; Ideoque ut advertitur *eod. disc.* 145. *& in aliis pluries eod. tit.* magna dignoscitur differentia inter casum dotis restituendae, & illum dotis constituendae.

INTERAMNEN. JURIS COLLECTANDI, PRO CIVITATE INTERAMNAE, CUM CASTRO PAPINIAE.

Casus pendet a Camera.

An, & quando Castra subjecta Civitati, dicantur de ejus Comitatu, vel territorio, ut propterea constituant unum corpus, atque participare debeant de juri-

juribus, & proventibus Civitatis pro supportatio-
ne eorum, vel econverso an debeant Castra con-
tribuere in oneribus majoribus, quæ supportentur
per ipsam Civitatem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Comitatenses dicuntur Cives in omnibus.*
3 *De eodem, & qualis dicatur proprie districtus, vel Comitatus.*
4 *De unico territorio constitute ex tota Diœcesi.*
5 *Dismembratio jurisdictionis non tollit unitatem territorii.*
6 *De distinctione inter districtum, & agrum.*
7 *De alia distinctione inter Comitatum, vel Districtum improprium; & generalem, & proprium, & particularem.*
8 *An Civitas possit acquirere id, quod sit de ejus Comitatu.*
9 *Stant simul, quod Civitas sit de dominio unius, & Castra sint de dominio alterius.*
10 *De eodem, de quo n. 5.*
11 *De monito, quod causarum decisiones pendent a circumstantiis facti.*

D I S C. CLXV.

1 DE anno 1525. Civitas Interamnæ emit a quibusdam
Domicellis Castrum ibi proximum Papiniæ; cumque
postmodum sub Paulo III. & Paulo IV. impositum esset sub-
sidium triennale, a quo proveniunt onera Cameralia, at-
que pen istius rigorosa exactione Civitas cavalcatas ad præ-
fatum Castrum transmisisset, adeout Pius V. jurisdictio-
nem illi abstulerit, quam Gregor. XIII. successor reintegra-
vit, hinc penes continuæ sequutæ fuerunt controversiæ in-
ter Civitatem, & Castrum, & præsertim super modo con-
tribuendi in solutione dictorum onerum Cameralium, at-
que per Sacr. Congregationem boni Regiminis, resolu-
tum fuit, Castrum teneri contribuere pro octava parte, sed
reassumpta causa in Camera, ubi prius introducta erat, ex-
citata fuit per idem Castrum prætensio, quod onera prius
impleri deberent cum proventibus gabellarum respicien-
tium totum Comitatum, quodque propterea ad id, quod
opus esset pro suppletione, concurrere deberet in dicta octava
parte; Datoque desuper dubio coram Bichio *An, & qui
proventus proveniant ex gabellis respicientibus totum Comi-
tatum*, sub die 19. Junii 1673. prodiit resolutio utrique
parti respective favorabilis, quod scil. Castro prætendente
omnes gabellas in notula deductas venire, Civitate autem
nullas, dictum fuit venire quasdam, & non alias.

In disputatione autem desuper habita, scribentes pro Ca-
2 stro, ejusque Communitate, cum præsupposito, quod illud
esset de Comitatu, dicebant ejus intentionem fundatam es-
se in juris regula, quod Comitatenses dicuntur cives, om-
nibusque privilegiis, & favoribus civium potiri debent, eo-
dem modo, quo subjaceant oneribus, dum Civitas, &
Comitatus formant unum, & idem corpus, ut definit Bald.
cons. 419. *n.* 1. *l.* 1. Aret. *cons.* 67. *n.* 4. Hieron. de Mont. *de fi-
nib. c.* 7. *n.* 3. *&* 5. Cravett. *in terminis onerum, cons.* 972. Ga-
lent. *l.* 2. *contr.* 20. *cum conc.* relatis per modern. de Luca ad
Franch. *dec.* 316. *n.* 7. Rot. *dec.* 400. *p.* 9. *rec. & dec.* 199 *p.* 12.
atque super hoc assumpto immorabantur, illud exornando
de more scriptorum cum aliis generalitatibus; Reliqua enim
consistebant potius in facto, super natura, seu qualitate ga-
bellarum, dum scribentes pro Civitate nimium insistebant
in d. qualitate, & quænam essent illæ gabellæ, quæ in Ci-
vitate solvebantur ab antiquo, priusquam istius Castri ac-
quisitio sequuta esset, & quænam posteriores, quasi quod de
antiquis priusquam idem Castrum requireretur, atque efficе-
retur de hoc corpore, non deberet participare, sed solum de
aliis postea impositis: scribens ego pro Civitate, in hac ul-
tima disputatione, adhibendo stylum Advocatorum Urbis,
curabam exornare, sive in jure probare ea, quæ in facto
deducebantur cum solitis generalitatibus.

Reflectendo autem ad veritatem, mihi videbatur, quod
revera quæstio esset potius facti, & applicationis, quam
juris; Admittebam siquidem, tanquam veram dictam ju-
ris propositionem pluries supra insinuatam, & præsertim
disc. 72. *&* 94. *& sub tit. de praemin.* agendo de civilitate,
3 quod scilicet Civitas, & Comitatus constituunt unum ter-
ritorium, atque unum, & idem corpus politicum, seu com-
munitativum, eodem modo, quo plura membra unum
constituunt corpus humanum, quasi quod Civitas sit ca-
put, & venter, seu reliqua majoris pars corporis, Castra
vero, seu Villæ sint brachia, & manus, & crura, & pe- 4
des; Sive juxta exemplum finium spiritualium unius Diœ-
cesis, quoniam licet intra ejus fines, ultra locum residentiæ
Episcopi, & situationis materialis Ecclesiæ Cathedralis,
quamplura existunt Oppida, Castra, & loca inter se omni-
no distincta, ac etiam sub diversis Provinciis, vel dominis
temporalibus, omnia tamen constituunt unum, & idem
corpus, sive unum, & idem territorium spirituale; Vel
eo modo, quo sequitur quando Civitas, vel alter locus di-
visus sit per quarteria, aut per pagos, & Villas, juxta ali-
quarum Regionum usum insinuatum *sub tit. de Jur. disc.* 24.

Idque verum non obstante, quod singula Castra, seu
Villæ, & loca intra ambitum districtus, seu Comitatus,
habeant inter se fines destitutos, & quandam speciem ter-
ritorii contradistincti, etiam ab illo Civitatis, & cum Con- 5
stitutionem propriarum subalternarum communitatum,
quoniam id non tollit unitatem territorii, seu corporis in
universum, sed solum continet quandam divisionem sub-
alternam respectu usus, & commoditatis, ad tollendas con-
fusiones, pro pascuis, & pro cultura prædiorum, & pro
aliis effectibus, eo modo quod si pro aliquo magno Ovili divi-
so in plures turmas, vel greges, destinatum sit prædium,
seu tenuta, ut ad tollendas contentiones inter Pistores,
singulis turmis, vel gregibus, aut branchis distribuantur
partes, vel fines ejusdem tenutæ, seu prædii, quoniam id
non tollit unitatem tam ovilis, quam prædii; Unde pro-
pterea, ut in ejusdem *disc.* 72. *&* 94. advertitur, pro ista
contra distinctione, recinctus proprius Civitatis, contra- 6
distinctus a finibus singulorum locorum Comitatus, appel-
lari solet, sub vocabulo agi, potius quam territorii, ac
etiam advertitur infra in Fanen. Molendini, *disc.* 167.

His itaque constitutis, adeout in iis, quæ juris sunt,
nulla adesset discordantia inter scribentes hinc inde in ge-
nere, sive in abstracto; Disputatio restringebatur ad fa-
ctum, sive ad applicationem, juxta pene generalem ho-
diernam naturam omnium quæstionum forensium, an sci-
licet istud Castrum dicendum esset de illa specie Comita-
tus, de qua superius allegati, & alii DD. loquuntur, quod
scilicet unpariter idem territorium constitutivum ejusdem
corporis, vel potius esset de illo Comitatu improprio, qui
redolet solum jurisdictionem, vel superioritatem, aut do- 7
minium accidentale, ut quoddam jus metropolyticum, jux-
ta exemplum antiquæ Romæ, quæ juxta seriem, de qua
decis. 32. *de praem. in fin.* & alibi pluries, vi bellica effecta est
domina magnæ partis Orbis, adeout diceretur caput, &
Metropolis mundi, ideoque omnes Civitates, & Provin-
ciæ dicerentur de ejus imperio, & territorio, seu Comi-
tatu in universum, ratione scilicet jurisdictionis, vel juris
terendi; Et tamen non inde inferri poterat ad verum Co-
mitatum, vel territorium, dum habebat suum districtum par-
ticularem centum milliarium, qui nunc est quadraginta.

Sive, quod, juxta hodiernam praxim, Præfectura, vel
Præsidatus Civitatis, complectatur sub se gubernium, &
administrationem quamplurium Civitatum, Oppidorum,
vel locorum adjacentium, quæ ita quamdam speciem Co-
mitatus præseferre videantur, sed iste est Comitatus im-
proprius ratione jurisdictionis, & juris Metropolitici, non
autem vere constitutivus unius corporis, & territorii, ut
(ex. gr.) docet praxis Civitatis Perusii, cum similibus,
quod scil. alia sunt Castra Comitatus, idest districtus,
vel territorii particularia ipsius Civitatis, & alia sunt Ca-
stra, & loca existentia sub eo gubernio.

Applicando itaque ad rem, punctus videtur, an istud Ca-
strum esset ex una, vel altera specie, atque scribendo more
Advocati, dicebam, quod esset solum de Comitatu impro-
prio, idest jurisdictionali, quoniam cum ante prædictum an-
num 1525. esset de diverso dominio, diversumque corpus 8
constitueret, dum ex titulo particulari emptionis obvenit in
hanc Civitatem, tanquam penes extraneum, ac privatum
emptorem, hinc proinde dicebam, ita claram resultare
probationem, quod non esset de ejus territorio, & perti-
nentiis, sed quod esset quid distinctum, ex juris certo prin-
cipio, quod nemo emit, vel acquirit rem suam, quodque
res mea non potest denuo effici mea, unde propterea nova
acquisitio probat, quod prius res non esset sua.

Verum id non videbatur argumentum, quod conclude- 9
ret, quoniam, aliud est jus territoriale pro civicis prærogati-
vis, ac oneribus respective, & aliud est jus territoriale,
pro exercitio jurisdictionis, ut docet nimium frequens,
ac notoria praxis, præsertim in Regno Neapolitano, pro
cujus

cujus misera conditione, omnia pene loca sunt infeudata,
ut insinuatur *d. disc. 32. de praem. & alibi pluries*, quo-
niam frequenter datur casus, quod Civitas sit unius Do-
mini, vel sit demanialis, & Castra, quæ ibi Casalia di-
cuntur, sint diversorum Baronum, ut de aliquibus Casa-
libus ipsiusmet Regiæ Civitatis Neapolis, habetur apud
10 Franc. *dec. 129.* Gizzar. *dec. 24.* ubi add. Galeott. *lib. 2.*
contr. 20. Rovit. *dec. 11.* & alios, apud quos disputatur
quæstio, an concessio alicujus Castri, seu Casalis in feu-
dum, importet quandam implicitam dismembrationem
territorii ad alios effectus jurisdictionales, illum præsertim,
an prohibitio, quæ fit bannitis, quibus conceditur salvus-
conductus sub lege de non conversando in loco delicti, ne-
que in dicta Regia Civitate residentiali Principis, ejusque
territorio, complectatur hujusmodi Casalia infeudata, sed
hoc non tollit alios effectus civicos, neque unitatem ter-
ritorii communitativi, ad alios effectus communitativos,
tam favorabiles, quam onerosos, ideoque possunt simul
stare; quod istud Castrum esset de eodem Comitatu, &
territorio, sed quod ex Apostolica concessione, sive ex
antiqua usurpatione, aliquis Domicellus haberet ejus do-
minium jurisdictionale, seu Baronale, quod Civitas ac-
quirere potuit, tanquam per restitutionem antiqui status,
atque per quandam speciem recuperationis; Secus autem
ubi ista circumstantia cessante, fuisset omnino nova acqui-
sitio, quodque illud esset extra suum ambitum, seu co-
mitatum proprium, quoniam tunc Civitas consideratur
potius in ratione Baronis, vel domicelli, ita administran-
tis hanc subditam communitatem, atque pro meliori admi-
nistratione, jure cujusdam communionis exigendo, &
respective solvendo ejus onera, dum isto casu contributio
sine dubio facienda esset ad limites ejus jurium, & bo-
norum absque participatione jurium Civitatis.

Hinc itaque edocemur, quod causarum decisio non pen-
det a generalitatibus juris, vel a formalitate verborum,
sed semper a circumstantiis facti, ex quibus pendet appli-
11 catio legum, & conclusionum, quoniam ista verba, *Co-
mitatus*, *Districtus*, *Territorium*, & similia sunt æqui-
voca, eaque promiscue sive improprie adhiberi solent,
ut præsertim advertitur supra *disc. 72.* & infra in Fanen.
disc. 167. & alibi pluries, Ideoque tota vis est in applica-
tione desumenda ex circumstantiis facti, sive ex effectibus,
ad quos de hoc agitur, semperque error est immorari in
solis generalitatibus, vel in formalitate verborum, & sic
quod videndum esset, an revera ab antiquo istud Castrum
esset de hujus Civitatis Comitatu, seu territorio proprio,
ut cum ipsa Civitate, aliisque Castris, unum constitueret
corpus, necne.

R O M A N A

G A B E L L Æ C A D A V E R I S.

Discursus pro veritate.

An debeatur Gabella, seu aliud vectigal pro extra-
ctione, vel introductione, sive transitu cadaveris.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Reprobatur traditio super solutione gabellæ pro
cadavere.*
3 *De auctoritatibus id reprobantibus.*
4 *De errore aliquorum, super legibus, quæ in id allegantur.*
5 *An, & quando juxta leges civiles cadaveris trans-
latio fieri possit.*
6 *Quod cadaveribus impedimenta præstari non debeant.*
7 *De rationibus, ob quas gabella solvi non debeat pro
cadaveribus.*
8 *An gabella pro animalibus debeatur, si ea sunt mortua.*
9 *De rationibus, ob quas fiant funera, & exequiæ.*
10 *Quare apud Gentiles aliquid solvebatur pro sepulchro.*
11 *Et quare hodie Parochis, & Clericis solvuntur emo-
lumenta, pro sepultura, & funeribus.*
12 *Damnatus quidam abusus circa hoc.*
13 *Unde proveniat opinio, vel traditio, de qua n. 2.*
14 *De exitu controversiæ, aliaque decisione.*

D I S C. CLXVI.

1 SEquuta immatura morte, nunquam satis laudati Car-
dinalis Giberti Borromæi, in Oppido Neptuni, ad
quod pro maritimi aeris salubritate, opportuno tempore
se contulerat, ita expertus Lirici Poetæ dictum, quod in
medio Tiberi, quandoque Sardinia est, Ejusque cadavere
diligenter ad Urbem translato, duplex excitata fuit præ-
tensio super ejusdem cadaveris vectigali, vel dohana; Ap-
paltatoris scilicet dohanæ, aliorumque jurium Camera-
rium Neptuni, pro extractione, & Dohanerii Urbis pro
ejus introductione in Urbem; Cumque id pene totius Cu-
riæ excitasset curiositatem, ac etiam ejusdem Cardinalis
hæredes, veritatem inquirere curaverint; Hinc proinde,
quæstione ad forum adhuc non deducta a pluribus meum
judicium pro veritate desuper expetitum fuit.

Respondi itaque, quod licet fere per universum Orbem
nostri commercii, ista vigere videatur opinio, sive publicano-
tum prætensio, ut pro cadaveribus de loco ad locum eve-
hendis, quod in illis Principum, & magnatum, aliorumque 2
potentium, frequentius, quam hominum privatæ fortunæ
contingeret solet, vectigal, seu passaggium debeatur; Nihilo-
minus, vana est opinio, nullo juris, vel rationis fundamento
innixa, sive auctoritates legales, sive rationes attendamus.

Auctoritatibus etenim attentis, ita inter alios firmant 3
Flor. *in l. ne corpora, ff. de Relig. & sumpt. fun.* Ferret. *de Ga-
bell. n. 96.* Cujac. *lib. 2. observ. c. 21.* Faber. *in l. funeris 37. ff.
eod. tit. in fin.* Lara *de Anniv. & Capell. lib. 1. c. 25. præser-
tim, n. 44.* Molles *in dec. §. 14. q. 4. in princ.* Irandius *de pro-
test. in appar. n. 100. cum seqq.* apud quos concordantes.

Omnes autem in id allegare solent text. *in l. fin. C. de
Relig. & sumpt. funer.* per quem asserunt correctam juris
antiqui dispositionem; Verum iste videtur quidam com- 4
munis error, qui derivat a consueto legistarum vitio, quod
scilicet unus alterum inconsiderate transcribat, tum quia
ille text. de hoc non agit, tum etiam quia nulla adest
antiquior lex, quæ ita disponat.

Ad rem potius facere videntur text. *in l. 1. & l. si necdum
10. & l. penul. Cod. eod. tit.* dum in earum prima disponitur
ex jacta, vel necessaria causa, permittendam esse transla- 5
tionem cadaveris de loco ad locum, quæ permittitur etiam
in l. si nec dum, ubi econverso prohibetur; quoties perpetuæ
sepulturæ corpus traditum est; Unde propterea mos inole-
vit (quando id animo habeatur,) corpus sepeliendi provi-
sionaliter, atque ut vulgo dicitur in forma depositi, text.
autem *in l. penul.* hanc translationem quodammodo de Re-
galibus constituit, dum eam sine Augusti licentia fieri pro-
hibet, nulla facta mentione alicujus solutionis vectigalis,
vel alterius oneris.

Magis vero id probare videtur text. *in d. l. ne corpora, ff.
eod. tit. de Relig. & sumpt. fun.* per quod generaliter disponi-
tur, ne ossa, aut corpora mortuorum detineantur, aut ve- 6
xarentur, neve prohiberentur, quo minus via publica trans-
ferrentur, quod proprie quæstionem decidere videtur, dum
ita præsupponitur impedimentum, quod a vectigalium, &
pedagiorum exactoribus forte in viis publicis præstabatur;
Atque hinc Doctores communiter inferunt, ut corpora
mortuorum, pro ære alieno, sive ex alia causa detineri
non valeant, vel sequestrari, aut alias impediri, quo mi-
nus sepulturæ tradantur.

Idem dicendum venit, attenta ratione, cui pro genio
semper dignior locus tribuitur; Ex duplici etenim causa,
vectigal, seu aliud onus solvi debet, vel respective exigi 7
potest; Primo, scilicet, ratione oneris mere personalis,
vel tributi, quod juxta frequentiorem Juristarum loquen-
di usum, capitationem dicimus, pluries *hoc tit. insinuatam*,
& præsertim supra *disc. 104.* & hæc species utique conveni-
re non potest homini mortuo, qui non est amplius homo;
Adeout nostri cum consuetis frigiditatibus, inferre soleant,
quod gabella imposita pro quolibet animali intelligitur de
animali vivente, non autem de mortuo, Moles *dec. d. §.* 8
14. q. 4. n. 4. cum aliis sup. disc. 62. & 71. n. 13. ubi tamen
advertitur, quod in hoc attendi magis debet substantia ve-
ritatis, quam formalitas verborum, quibus ita inhærere,
semper est error.

Aut vero vectigal, seu dohana exigi prætenditur ratio-
ne mercimonii, sive introductionis, vel extractionis mer-
cium, & bonorum, juxta ea, quæ de isto onere vectiga-
lis, seu dohanæ, aut portorii, habentur supra *disc. 65.
67. 68.* & in aliis; Et tunc pariter nulla ratio suadet hanc
solutionem, cum cadaver sit res omnino inutilis, nullius-
que existimationis, onde propterea ex motivo Religionis,
& pietatis, vel ex altero honorificentiæ, ut consuetudini
satisfieret, sive ob viventium consolationem, aut demum
pro illa majori pietate, quam Christiana Religio sugge-
rit pro aliquo animæ defuncti suffragio, fiant ea, quæ
cum tanto sumptu, & quandoque cum excessivo, ac dam- 9
nabili

nabili solito luxu, pro Regionum moribus practicantur in defunctorum cadaveribus tumulandis, non autem, quod illi jam annihilato viro id congruat, & per consequens nulla subest ratio, ob quam pro sepultura aliquid solvi debeat.

Eatenus etenim, apud antiquos Gentiles aliquam solutionem fieri scriptum invenitur, quatenus juxta gentilitatis leges ac mores, ille ager, vel locus, in quem cadaver illatum esset, ex puro, seu prophano, fieret religiosus, unde propterea in commercio esse prohibebatur ex deductis per Frances *de Ecclesia Cathedrali, c. 26. num.* 136. *&* 153. Ideoque invito, vel ignorante domino in alieno prædio cadaver inferri prohibebatur, per text. *in l. 2. C. eod. tit. de Relig. & sumpt. fun.* & sic ob istud præjudicium, recte de ejusdem possessionis pretio, vel de æstimatione illius diminutionis, quam ita patiebatur, conveniri poterat.

11 Et quamvis hodie apud Catholicos, sepulchrorum, vel funerum emolumenta habeantur, etiam necessaria, favore Parochorum, aliorumque Clericorum sæcularium, vel Regularium, ex iis, quæ in materia juris sepeliendi, & habentur pluries *sub tit. de Paroch.* & præsertim *disc.* 22. *cum plurib. seqq. disc.* 27. *cum seq. & disc.* 28. ac alibi; Attamen id provenit, non ex directa ratione funerum, vel sepulturæ; sed ex indirecta subrogatione istorum emolumentorum loco decimarum, quæ in loco ex consuetudine non solvantur, vel si solvantur, non sufficiant ad congruam substentationem eorum, qui curæ animarum, aliisque divinis, pro populi servitio, ac salute sunt addicti, ex ea ratione, ut qui altari servit, de altari vivat, & ne bovi trituranti os claudatur; Et ob quam rationem in aliquorum etiam Sacramentorum, aliorumque divinorum administratione, aliqua persolvi emolumenta, moribus probabiliter est inductum, dummodo tamen moderate, atque ad limites dictæ rationis id sequatur.

12 Atque hinc liquet, quam detestabiles, quinimo severa punitione digni sit illi abusus, qui recensentur *lib. 9. tit. de testam. disc.* 24. & alibi, præsertim in aliquibus Apuliæ, aliarumque Provinciarum Regni Neapolitani partibus, quod scilicet moriente aliquo externo, vel etiam cive divite, sub hoc prætextu decimarum personalium, vel industrialium, per parochos, & forsan etiam per Episcopos, & per Capitula, magnæ fiunt extorsiones, repræsalias faciendo circa ipsa cadavera, iisque alias sepulturam retardando, vel denegando, quo nil turpius, magisque scandalosum, dum etiam Gentilium, ac Ethnicorum legibus adversum est, ut de pietate Gentilium in sepeliendo, & late Franc. *ubi supr. c. 26. ex n.* 110. & generaliter, *c.* 17. *& 26. per tot.* ubi de materia cadaverum, & sepulturæ, meritoque S. Cong. pluries improbavit.

13 Prædictæ autem traditionis, vel communis opinionis rationem, vel originem, diversam scriptores allegant; Puri etenim Juristæ id referunt errori, Gl. *in l. funeris* 3. *ff. de Relig. & sumpt. fun. verbo Vestiaria*, quod explicat pro vectigalibus, sed male, ut advertit præsertim Cujac. cum quo pertransit Fab. ubi supra; Alii vero historice, seu erudite id referunt, antiquorum Romanorum moribus, ut per Befold. Petr. Greg. Guid. Panciroll. Cujac. & alios relatos per Irand. *in d. tr. de potest. in prel. seu Appar. n.* 98.

14 Quidquid autem sit, atque, sive una, sive altera opinio teneatur, nil ad praxim id refert, cum neutra concludat super hujusmodi prætensionibus subsistentia, ut etiam iidem gabellarii agnoverunt, qui a prætensionis fomento, seu prosequutione abstinuerunt, eamque amplius prosequuti non fuerunt; Idemque ex Alexandro VII. vivæ vocis oraculo, nostra ætate decisum fuit, occasione consimilis prætensionis, quæ habebatur per plurium locorum gabellarios, & dohanerios, pro translatione cadaveris infantis Margheritæ de Sabaudia, nimium exemplaris vitæ, quæ in Urbe decedens, Assisii sepulturam elegit.

FANEN. MOLENDINI,

PRO CIVITATE,

CUM CORBELLIS.

Casus pendet coram A. C.

De eadem materia, de qua supra disc. 144. & 145. juris prohibendi constructionem novi Molendinis Et incidenter de iisdem, de quibus disc. 165. An scilicet Castra existentia in districtu, veniant sub nomine territorii.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quilibet potest construere Molendina, neque alter, qui jam habeat, id prohibet, & quando competat prohibitio.*
3 *De verbo territorium, an complectatur solum territorium particulare Civitatis, vel etiam totum districtum.*
4 *In flumine publico non possunt constitui Molendina sine licentia Principis.*
5 *Quod decisiones causarum hodie pendeant ex facto, & de probatione situationis Castrorum in territorio, seu Comitato.*
6 *Jus privativum, seu prohibendi est de regalibus.*
7 *De eodem, de quo n. 5. an Castra sint de Comitatu.*
8 *Observantia est interpres.*
9 *An aliqua divisio tollat unitatem territorii.*
10 *De ratione, ob quam gabellæ, & collecta diversimode exiguntur in Civitate, & in Castris, seu Villis.*
11 *Declaratur conclusio, de qua n. 2.*
12 *De eodem, & in quibus territoriis loquantur auctoritates, de quibus eodem n. 2.*
13 *Declaratur conclusio, de qua n. 4. circa usum fluminum, qua sint de regalibus.*
14 *Flumina non navigabilia, an sint Civitatis, vel Baronis.*

D I S C. CLXVII.

POssidente Civitate Fani quædam Molendina ad usum triturationis tritici, aliarumque frugum redigendarum ad farinam in fluminibus Metauri, & Arsilæ, impositoque quodam onere super frumento molendo, in universum; Cum id produxisset controversiam, cum aliquibus particularibus possidentibus tria molendina in iisdem fluminibus, hinc Civitas, ista molendina emit, ac propterea obtinuit a Clemente VIII. circa finem decursi sæculi, approbationem dicti oneris impositi super frumento, donec solveretur pretium dictorum trium molendinorum, nec non concessionem juris prohibendi constructionem novorum molendinorum, tam in dictis fluminibus, quam alibi in toto territorio, sine tamen præjudicio refectionis jam existentium, probando quoque in eisdem literis quasdam capitulationes initas inter Civitatem, & Comitatenses, atque ita ab eo tempore, usque ad præsens, spatio circiter annorum octuaginta servatum fuit quod scil. alia molendinorum constructio sequuta non est; Cum autem Corbelli habentes aquas in prædio privato existente in Castro Cartoceti, molendinum construere vellent; hinc Civitas obtinuit ab A. C. inhibitionem, pro observantia dictarum literarum Apostolicarum Clementis, super cujus moderatione assumpta desuper disputatione. 1

Scribentes pro construere volentibus, totum pene desumendo, ex jam deductis supra *disc.* 144. *&* 145. ex Capyc. Latr. *cons.* 106. *aliisque ibi relatis*, insistebant super naturali libertate construendi in suo, non obstante præscriptione, vel possessione prohibendi prætensa per Civitatem, ex vulgari regula desumpta, ex dispositione text. *in l. altius, S. de serv. & aqu.* de qua in his terminis locis citatis, & generaliter *sub tit. de serv. disc.* 1. *cum plur. seqq.* & de molendinis, *eod. tit. de serv. disc.* 30. quod scil. in facultativis non datur præscriptio, neque possessio manutenibilis, non præcedente prohibitione, cum subsequuta acquiescentia. 2

Respondendo autem ad prædictam Apostolicam concessionem dicebant; Primo, quod illa intelligenda esset de territorio in stricta significatione, idest proprio, & particulari ipsius Civitatis contradistincto ab illo Castrorum, non autem de toto Comitatu complexivo territorii Castrorum; Potissime dum adest formalis contradistinctio inter Civitatem, & Castra, cum distinctionis finibus; unde propterea pro bonis existentibus intra eorum limites contradistinctos ab illis Civitatis, solvuntur onera Cameralia, & alia cum quadam diversa forma collectandi, & cum formali communitate diversa; Atque exinde inferebant, quod Castra dicerentur de Comitatu, seu districtu Civitatis improprie, ac remote in sola ratione jurisdictionali, ob subjectionem eidem Gubernatori, non autem de Comitatu proprio, denotante unum, & idem territorium, atque unum, & idem corpus juxta distinctiones, de quibus supra in Interamnen. juris collectandi, *disc.* 165. 3

Et secundo, quod concessio intelligenda de constructionibus in dictis fluminibus, tanquam publicis, a quibus non licet divertere aquam sine licentia Principis, cum sint 4
de

de Regalibus, in id allegando Mandell. *conf.* 505. *num.* 2.
Capyc. Latr. *d. conf.* 116 *n.* 17. Buccier. *de Reg. cap.* 2. *num.*
165. *cum. seqq.* Amiss. *de jure Majest. l.* 3. *c.* 3. *n.* 5. *& seqq.*
non autem ubi agitur de aqua existente in prædio privato,
quæ dicitur de dominio privato Domini prædii, qui pro
libito illa uti potest, ex iis, quæ ad istam materiam aquæ
nascentis, vel existentis in fundis privatis, pluries haben-
tur *eodem tit. de servit. disc.* 25. *cum plur. seqq.*

His autem non obstantibus, scribens pro Civitate (etiam
cum sensu veritatis) contrarium dicebam videri probabi-
lius; Non negabam siquidem dictas propositiones, seu re-
gulas in suis casibus, sed negabam earum applicationem,
justa hodiernam frequentiorem contingentiam in omnibus
5 pene forensibus controversiis; Imprimis autem insistebam
in facti præsupposito, quod videbatur basis, & funda-
mentum totius causæ, quod scil. istud Castrum, prout
pleraque alia adjacentia, esset sine dubio de vero distri-
ctu, & Comitatu Civitatis, ex pluribus claris demonstra-
tionibus, & præsertim ex publico instrumento, per
quod, mediante opera Commissarii Apostolici, ista Ca-
stra, quæ se rebellaverant a Civitate, denuo, illam agno-
scunt in superiorem, & matrem, cum expressa declara-
tione, quod essent de ejus territorio, & Comitatu, ac et-
iam ex alio instrumento transactionis super modo distribu-
tionis onerum, & collectandi, atque capitulationibus appro-
batis in iisdem litteris; Accedentibus etiam, allibratione
omnium bonorum existentium intra fines istorum Castro-
rum in catastro Civitatis, & aliis probationibus, & enun-
ciativis, & præsertim, quod Civitas specialiter in isto
Castro Carrocceti deputat potestatem, cum sola confirma-
tione Gubernatoris Apostolici, ex quibus imo minoribus
probari istam qualitatem, aliis relatis firmatur in Cesenat.
seu Sarcinat. Emphyteusis 10. Junii 1642. Ghislerio, ap-
probata in eadem causa *dec.* 100 *p.* 9. *&* 199. *p.* 12. *rec.*

6 Isto igitur vero certo, & incontroverso facti præsupposito
sic stante, quod scilicet ista Castra essent de vero, & pro-
prio Comitatu, non ex sola ratione jurisdictionis, & sub-
jectionis eidem gubernio, sed in ratione unitatis territorii,
& constitutionis unius corporis juxta distinctiones, de qui-
bus supra *d. disc.* 72. 94. *&* 165 adeout Papa loquente de uni-
verso territorio, de jure veniant etiam Castra, ex deductis
in proxime citatis locis; Ita dicebam fundatam esse inten-
tionem Civitatis in prædicta concessione Apostolica, quæ
tanquam expressa, & litteralis, non admittebat quæstio-
nes, & argumenta ad vulgatam regulam textus *in l. ille,*
aut ille, ff. de legat. 3.

Quamvis enim verum sit, juxta deducta *disc.* 144. *&*
7 145. & alibi pluries *hoc eod. tit. & tit. de feud. disc.* 3. ubi
etiam in specie molendinorum, quod istud jus privativum,
seu prohibendi sit de regalibus, non obtinendum, nisi ex
concessione Principis supremi, adeout Civitas subdita id
statuere non valeat, nisi cum propriis subditis de illorum
consensu, tanquam per speciem voluntariæ collectæ, ex
deductis *d. disc.* 144. Attamen ista difficultas de plano subla-
ta remanebat ex facto, ob existentiam privilegii Apostoli-
ci, quod omnem dubitandi occasionem tollit, quoties
non obstet defectus comprehensionis.

Quatenus itaque pertinet ad punctum comprehensionis,
ad quem revera causa restringebatur, an scil. illa verba *in*
toto territorio, intelligenda veniant de territorio particulari
Civitatis, vel de illo totius Comitatus complexivo Castro-
rum, quorum territorium esset unum indivisibile; Dice-
bam probabilius videri hanc secundam partem, pro com-
prehensione totius Comitatus, tum ex regulis juris, de qua
in *d. disc.* 72 9 . *&* 165. tum etiam, & clarius ob duplicem
facti circumstantiam, Primo, nempe ob amplitudinem,
& universalitatem hujus verbi, *territorii*, dum dicitur in
toto; Et secundo quoniam occasione enunciandi situa-
tionem molendinorum emptorum, ut supra, fit mentio
de agro Civitatis, sub cujus vocabulo explicari solet recin-
ctus Civitatis contradistinctus a finibus particularibus sin-
gulorum Castrorum, unde propterea adest clara discretiva,
inter agrum, & territorium, & per consequens dici non po-
test, quod sub nomine territorii, juncto cum dicto verbo
denotante universitatem, seu totalitatem, veniret solum
ager, juxta ea, quæ circa hanc discretivam loquutionem
in jure habemus in omni pene materia, & præsertim *tit.*
de fideic. in ea quæstione an sub nomine filiorum veniant
descendentes, cum similibus.

Omnemque difficultatem in hoc proposito tolli dicebam,
ob sequutam observantiam, quæ dicitur optima inter-
8 pres, ubi præsertim habeat verisimilitudinis fomentum,
ex iis, quæ in terminis interpretationis indulti Apostolici
habentur *dec.* 59. *n.* 12. *p.* 10. *rec. & frequenter.* Improbabile
etenim est, quod tam diuturno tempore, alterius molendi-
ni constructio neglecta fuisset, nisi istud privilegium coer-
cuisset, ut ponderatur quoque supra *disc.* 145.

Neque hanc territorii unitatem tollit diversitas commu-
nitatis, seu modi collectandi, & solvendi onera, quoniam
ut advertitur quoque supra in Interamn. *disc.* 165. hujus- 9
modi accidentales divisiones ad certos effectus, non tollunt
substantiam unitatis; Adinstar eorum, quæ habentur in
materia jurispatronatus, seu feudi individui *sub tit. de feud.*
disc. 8. *& aliis*, ac etiam *sub tit. de praem. disc.* 3. *cum duob.*
seqq. in uno corpore formaliter individuo Capituli, quod sit
materialiter divisum, seu distributum in plures Ecclesias,
cum diversis juribus, diversoque modo vivendi, atque pas-
sim exemplificant DD. in una, eademque Civitate divisa
per contractas, vel quarteria, quod una pars supportet ali-
qua onera, quæ non supportentur per alteram, puta pro con-
structione, vel refectione pontis, pro usu, & commodita-
te unius partis, quæ solum contribuat, non autem altera,
quæ tali ponte non indigeat, cum similibus.

Atque frequens videtur iste usus, quod Civitas supportet 10
onera uno modo, & Castra supportent altero; Ut præsertim
occasione gabellæ carnis, & exemptionis religiosorum, pro
ea carne, quam extra Civitatem in ejus Castris, & Villis
eleemosynaliter obtineant, de Reatina Civitate habetur
supra *disc.* 57. ob congruam rationem, quod Civitas,
quæ muris recincta est, atque cum portis, speciem clausu-
ræ habet, unde propterea fraudibus magis occurri potest; 11
atque personæ nobiles, & civiles vivunt, publica onera com-
modius supportantur, mediantibus gabellis super pane,
vino, carnibus, aliisque victualibus, dum ita cum majori
facilitate mediante victualium usu, a sponte dantibus in-
sensibiliter exiguntur, nimium vero incommodum, & dif-
ficile est practicare collectas & contributiones; E converso
autem, in Castris, & Villis, seu rusticanis domibus spar-
sis per Comitatum, vel territorium, id est pene impracti-
cabile; Tum ob locorum apertitam, ob quam fraudibus
occurri non potest: Tum etiam quia, ob qualitatem Incola-
rum, magis practicabile, & opportunum est vivere per collec-
tas, seu taxas, & contributiones: Non per hoc tamen
cessat unitas corporis, & territorii; Quinimo in eadem Ci-
vitate dignoscitur ille discretivus modus supportandi publica
onera, inter nobiles, & plebeos, ut illi ea supportent per
collectas super bonis per æs, & libram; illi autem per colle-
ctam personalem, quæ capitatio dicitur, cum similibus.

His autem sic stantibus, atque respondendo ad assum-
ptum, de quo supra, quod scilicet in facultativis non de-
tur præscriptio, vel possessio, sine prohibitione, cum sub-
sequuta patientia, dicebam id recte procedere, quando pos- 12
sessor, soli possessioni, vel temporis beneficio innitatur;
Secus autem, dum accedit titulus explicitus, qui solus, &
de per se sufficit, atque evitari prætenditur ratione non com-
prehensionis, quoniam tunc possessio temporis considerabi-
lis attendenda venit in ratione interpretationis magis,
quam in ratione possessionis, atque aliàs esset de facto elu-
dere, vel circumscribere omnia hujusmodi privilegia, sub
hoc prætextu, & consequenter, quando ex observantia,
vel possessione, ita constat de privilegii effectuatione, tunc
accedere debet res judicata in petitorio, quæ illud declaret,
atque interim habens privilegium conservari debet in eo
statu, qui sit uniformis privilegio.

Hinc proinde resultat, extraneas remanere auctoritates, 13
quæ in hac materia habentur, de quibus præsertim apud
Capyc. Latr. *d. conf.* 116. cum aliis *d. disc.* 144. *&* 145.
cum procedant in dicto alio casu longe diverso, quod scil.
ille, qui prætendit istud jus privativum, seu prohibendi,
innitatur soli possessioni, & observantiæ, potius præscri-
ptivæ, quam interpretativæ; Secus autem ubi titulus ex-
plicitus ad id habilis accedat, possessio autem deducatur,
tanquam effectuatio, & observantia interpretativa, ad eli-
dendam exceptionem non comprehensionis.

Nullus quoque momenti videbatur differentia consti-
tuta inter aquas privatas, & illas fluminum; Tum quia
concessio Apostolica in verbis dirimit quæstionem, dum
facta mentione fluminum, Metauri, & Arsillæ, exi-
stentium in hoc territorio, subjungitur verum universale,
& alibi, complexivum omnium aliarum aquarum; Tum
etiam quia, ut patet ex eodem textu *in c. unic. quæ sint re-*
galia, ea flumina, vere, & proprie dicuntur publica,
ex illa publicitate, quæ redolet regaliam, unde propterea
construi non possunt molendina, & alia ædificia, quæ

causens

causent diversionem aquæ, vel impedimentum navigationis, quando sint navigabilia, sive sint etiam parva, sed quod eis constituatur flumen navigabile ratione publicæ utilitatis, ob quam, etiam extra navigationem, pro aliis publicis usibus cessat illa facultas, quæ de jure dominis prædiorum conceditur, divertendi aquas privatas in eis existentes, ex deductis *sub tit. de servit. disc.* 13. Secus autem ubi agitur de fluminibus non navigabilibus, quæ dicuntur etiam publica improprie, vel scilicet ad denotandum usum publicum Civium, & incolarum, tam pro irrigationibus, quam etiam pro usu molendinorum, aliorumque ædificiorum, juxta casus, de quibus *d. tit. de servit. disc.* 28. & 30. Sive dicuntur publica ad excludendum dominium mere privatum; atque ad denotandum dominium publicum habitualè, quod sine præjudicio usus Civium, & Incolarum, residere dicitur, vel penes Communitates locorum, vel penes Barones, & Domicellos, juxta quæstionem insinuatam,
14 occasione Montium, & forestarum, *sub tit. de feud. disc.* 2. & alibi; Et super quo puncto certa regula statui non potest, ac propterea dignoscitur consuetus error procedendi cum generalitatibus, vel cum traditionibus DD. in sola littera, non distinguendo regiones, quoniam in aliquibus regionibus, vel principatibus, ex consuetudine regula assistit Baronibus, ut ipsorum sint flumina, ut apud Franch. & add. *dec.* 183. & alias plene apud Prat. *discept.* 47. *lib.* 1. E converso autem in aliis regionibus, vel principatibus esse solent Communitates, ut præsertim patet *d. disc.* 30. *de serv.* Clarius vero in hac facti specie id comprobari dicebam, ex eisdem litteris, ipsaque facti serie, dum plures particulares actu possident molendina antiquiora; quæ per privilegium præservata fuerunt, ac etiam possidebantur per tres alios, a quibus ipsa Civitas emit, unde propterea concessio Apostolica non fuit pro facultate construendi molendina, quæ requiritur in illis fluminibus publicis, quæ sint de regalibus, sed solum pro jure privativo, & prohibendi.

PLACENTINA INTRODUCTIONIS SALIS, PRO MARCHIONE MALVICINO FONTANA, CUM FISCO, SEU CAMERA DUCALI.

Responsum

De facultate introducendi salem, illumque vendendi privative, An sit de regalibus, adeout competere non valeat feudatariis, & Domicellis inferioribus; Et quatenus competit, an concessio istius juris in appaltum sub aliqua pensione, vel mercede, importet novam impositionem gabellæ, vel abusum ejusdem juris.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Salaria est de regalibus, & non competit Baronibus, & Domicellis subditis.*
3 *De distinctione inter salinas, & salarias, & de jure privativo furnorum, & molendinorum.*
4 *Quod in hoc jure privativo inesse dicatur vectigal, seu gabella, & quomodo.*
5 *Quando id procedat, vel potius jus privativum importet bonam administrationem*
6 *Quando possessio alicujus regaliæ importet potius passivam exemptionem, seu franchitiam ab onere.*
7 *Quod regalia minora, seu remedia quandoque obtineantur per Barones, & Domicellos.*
8 *De eodem, & quando hæc jura congruant etiam Domicellis.*
9 ***Quid importet jus introducendi, & distribuendi salem, pro certo pretio inalterabili, & non nimium alterato.***
10 ***Quod officia, vel appaltus portarum, vel nivis sint de regalibus.***
11 ***Unde proveniant emolumenta, quæ resultare solent a dictis juribus privativis, absque eo, quod importent vectigal.***
12 ***An Dominus teneatur de fraudibus, & culpis appaltatorum, & quando.***

D I S C. CLXVIII.

1 EXistente ab immemorabili tempore Dominio Castri Nibiani in possessione privativa, introducendi in Castrum, pro usu Civium, & incolarum, ac aliorum in territorio existentium, salem, ut ibi dicitur, grossum. Cum modernus Marchio tale jus concessisset in appaltum quibusdam negociatoribus, sub annua pensione librarum 300. sub lege non alterandi consuetum pretium. Hinc fiscales prætendere cœperunt; quod Marchio dicta facultate abusus fuerit, atque ita quod jura regalia Principis usurpaverit, implicite imponendo novum datium, vel gabellam subditis; sive in dando præfatis appaltatoribus occasionem fraudandi Cameram Ducalem in datio salis, ob distributionem, quæ fieri posset extra territorium. Ac propterea desuper ex parte ejusdem Marchionis responsum petitum fuit. Sed quia communicata non fuerunt jura, seu fundamenta, quibus fiscales innitebantur, idcirco maturum judicium pro veritate non de facili efformare potui. Cum præsuppositis autem contentis in notula transmissa, loquendo potius in abstracto, quam in concreto, tres efformabam inspectiones. Primo nempe super ipso jure, seu ipsa facultate hujus conductionis, & privativæ distributionis, pro certo pretio ab antiqua consuetudine taxato. Secundo superadhuc non practicato modo, concedendi in appaltum istud jus producendi, & distribuendi pro annua recognitione, an importaret, necne dictæ facultatis abusum, vel implicitam impositionem novi operis, & gabellæ. Et tertio, quatenus aliqua exinde innovatio subditis, ac Incolis præjudicialis non sequeretur, sed quod Appaltatores ista occasione fraudes committerent, distribuendo salem extra Castri territorium in præjudicium appaltus generalis Cameræ Ducali, an id importaret aliquod ipsius Marchionis delictum punibile.

Quatenus itaque pertinet ad primum punctum, dicebam, quod licet istud jus introducendi salem in loco, illumque vendendi, vel distribuendi privative ad alios, ex quodam communi omnium principatuum usu, sit de regalibus, atque registretur *in c. unic. quæ sint regalia*, ideo- 2
que denegetur Baronibus, vel Domicellis subditis, ut docet notoria praxis forte omnium principatuum nostri Orbis communicabilis, ut patet ex deductis *supra a disc.* 105. *cum plur. seqq. ad* 115. *& disc.* 158. *&* 159. in quibus de ista materia salis, & salinarum agitur, ibique allegantur concordantes, & præsertim Decius *cons.* 291. *alias* 293. quod in hac materia circumferri sol.t.

Attamen juxta ibi recensitas distinctiones, inter salinas, 3
& salarias, regalia proprie non consistit in salinis materialibus, in quibus sal fabricatur nisi istæ quoque ex legibus, vel consuetudine principatus effectæ sint juris regalis, seu privativæ Principis, dum pro regula magis generali, regalia consistit in salaria, idest in jure privativo introducendi, aut distribuendi salem, suo pretio alterato, ex eo quod ista alteratio in effectu continet sub se vectigal, seu collectam, quæ ita a subditis insensibiliter mediante usu hujus victualis exigitur, eodem modo quo sequi dicitur in quocumque alio jure privativo vendendi victualia, vel alia humano usui necessaria, ut occasione juris privativi aperiendi furnos, seu vendendi panem, & similia, habetur supra in Veliterna, *disc.* 61. *& alibi*.

Et per consequens id procedit, quando verificatur dicta ratio alterationis pretii intrinseci materiæ, quoniam illo extrinseco pretio alterato, vectigal, seu onus consistere dicitur,
4 exindeque inferri dicebam, quod ubi in hac facti specie consuetum antiquum pretium, pro quo distributio fieri consuevit, dicendum veniret solum intrinsecum, & naturale, idest proportionatum expensis, quæ fiunt in fal...tione vel emptione materiæ, ejusque vectura, & conservatione, aliisque expensis, tunc vere, & proprie nulla adesse dicitur regalia, cum id solum importet quamdam provisam œconomicam administrationem, & curam favore subditorum.

Neque qualitas juris privativi, sola, & de per se redoler pernecesse regalia (ut aliqui male opinantur) quoniam, ut permissum est, eatenus illa id importat, quate-
5 nus sub se continuat dict. implicitum vectigal, quod inest in pretio extrinseco, & alterato, cum in his, vel in similibus materiis, cessante ista circumstantia, jus privativum referendum veniat potius rectæ administrationi, quod congruit fieri per unam manum, seu unam personam ad tollendas confusiones, sive quod ita non posset bene consuli publicæ necessitati, vel commoditati, juxta ponderationes de quibus occasione cursitationum, seu potius litterarum, ac etiam occasione provisionis, vel appaltus nivis, habetur supra *disc.* 46. Ac etiam occasione refectionis aggerum, vel expurgationis locustarum, & similium, habetur pariter infra *disc.* 59. *& sub tit. de serv. disc.* 46. cum similibus.

Sive quod isto casu, vere, & proprie, non esset exercere

jus

jus regale, sed potius cum prudenti, & œconomica administratione consulere indemnitati subditorum eo modo, quo supra *disc.* 44. & 45. & 125. habetur de annona.

Aut quod ista facultas non importaret jus regale activum, sed potius quandam franchitiam, seu passivam exemptio- 6 nem ab eodem regalia, sive ab illo onere, quod sub ea inesse dicitur, quod longe differt a jure activo, dum istud sine privilegio explicito supremi Principis, vel illo implicito, quod in vim immemorabilis, vel centenariæ est allegabile obtineri non potest, & tamen de jure, præscriptio exemptionis per solam longissimam possessionem acquiritur, ut supra, hoc eodem titulo advertitur.

Et nihilominus, ubi etiam jus regale activum inesset, ratione impliciti vectigalis vel gabellæ, quæ inest in pre- 7 tio extrinseco alterato. Adhuc tamen istud non est de illis regalibus majoribus quæ pernecesse insunt supremo principatui, a quo divelli non possint, sed videtur potius jus regale medium, seu inferioris ordinis, quod non implicat obtineri etiam per Barones, & Domicellos, juxta *dec.* 56. Franch. cum aliis relatis *sub tit. de feud. disc.* 63. *& seqq.* ubi de jure collectandi competente Baronibus, & Domicellis inferioribus. Verum non videbatur opus assumere hanc provinciam, quoniam dum ex hac innovatione pro adeo modico emolumento Camerales id motivaverant, signum est, quod prius nullum exinde reportaretur lucrum, seu emolumentum extrinsecum, sed vere, & proprie id redoleret dictam prudentem œconomicam administrationem, cum implicita exemptione, vel franchitia a vectigali, seu gabella generali principatus, ita obtinendo quodammodo francum, & pro solo pretio intrinseco illud victuale, quod alii subditi emere coguntur pro pretio alterato, in quo inest vectigal.

8 Ad istius autem juris, vel facultatis comprobationem ponderabam adamussim conferre ea, quæ habentur *d. disc.* 63. *de feud.* quod scil. talis facultas non proveniret a nova concessione Principis, sed retentione facultatis antiquæ, non obstante deditione, dum illud dominium præsupponebatur antiquius, quam esset erectio Ducatus Placentini, eodem modo, quo ponderatur per scribentes in celebri causa status Palavicini relatis *eod. tit. de feud. disc.* 74. *in princ.* Unde propterea quoad dictum jus, seu facultatem introducendi, & distribuendi videbatur, quod nulla caderet ratio dubitandi, quæ (ut supponebatur) tota consistebat in secundo puncto innovationis, dandi scilicet hoc jus in appaltum negotiatoribus, pro dicta annua recognitione, seu responsione librarum 300.

Quatenus itaque ad hunc secundum punctum pertinet, dicebam (etiam in sensu veritatis) quod cum ista concessio in appaltum, non importaret alterationem pretii con- 9 sueti, nullum exinde resultaret subditorum gravamen, sive alieni juris usurpatio, hinc proinde non videbatur, ubinam fundari posset delictum usurpationis, vel exercitii juris regalis. Cum etenim id potius importaret prudentem œconomicam administrationem, ex quo etiam implicito quasi contractu inter dominum, & subditos, ita eos providendi de hoc victuali cum uniformi, & non alterato pretio, ita intrare dicebam ea, quæ habentur in eisdem terminis pretii *tali supra disc.* 110. quod scilicet ista esset quædam species partiti, quod fieri solet cum illis negotiatoribus, qui munitioni appellari solent, manutenendi exercitum, vel in illos præstitarios, qui classem maritimam, de victualibus, aliisque necessariis, pro certo uniformi inalterabili pretio; Sive, juxta illam speciem appaltuum turnotum, qui fieri solent in aliquibus Civitatibus, cum obligatione manutenendi in toto anno pretium uniforme panis venalis, sive juxta casum, *de quo sub tit. de Canonic. & Cap. disc.* 7. cum similibus, dum ita emi, ac respective vendi dicitur incerta alea, quæ potest hinc inde se habere ad lucrum, & ad damnum, quoniam dari potest bona occasio emptionis salis in magna quantitate, ut vulgo dicitur *all' ingrosso*, quodque nullum in eo contingat infortunium, unde propterea iste provisor vendendo ad minutum in aliquibus annis, possit esse in lucro. Et e converso in aliis annis in damno, quia ob sterilitatem salinarum, aliave accidentia supra in hujus materiæ discursibus pluries enunciata, compellatur cariori pretio salem emere, vel quia ille ex aliquo accidenti pereat, vel aliud patiatur infortunium, ac propterea nil prohibet, quia ista administratio, quæ habet hujusmodi incertam aleam, & quam viro nobili non expediat facere per se ipsum, committatur negotiatoribus in materia magis expertis, qui in hujusmodi aleam, seu eventualitatem in se assumant, dando, vel respective recipiendo aliquam recognitionem. Adamussim juxta introductionem cursitationum, & postarum, sive appaltus nivis, & similium ex ponderatis supra *disc.* 46. & alibi.

Et quamvis, ex plene disputatis in Romana census coram Bicch. *inter suas dec.* 571. *&* 606. pateat, quod officia, vel appaltus sint de regalibus, supremo Principi re- 10 servatis, idque procedere etiam in appaltu nivis, late comprobare conetur Ganav. *dec.* 16. cujus contrarium probabilius videri in hoc ultimo præsertim casu appaltus nivis ostenditur *d. disc.* 46. Attamen quidquid sit de hoc puncto in genere, sive in abstracto, admissaque etiam opinione, quod concessiones hujusmodi officiorum, vel appaltuum sint de regalibus, ista regalia consistere dicitur in ipso jure privativo, quod scil. dum Princeps supremus, ex originario motivo publicæ commoditatis, vel utilitatis, recteque administrationis Reipublicæ, istam curam, & administrationem in se suscepit, exercendam per eos, quibus ipse committat, non possint alii in hoc se ingerere. Ac propterea admittebam, quod in hoc jure privativo, seu prohibendi consisteret regalia, sed illam in præsenti casu hic Domicellus jam habebat, ut supra in prima inspectione, Et per consequens, an illam exerceret per famulos, & ministros, vel per appaltatores id non facit differre speciem, neque aliquam innovationem, seu alterius juris regalis usurpationem continet, ut contineret quando exinde resultaret aliqua alteratio illius pretii intrinseci, & naturalis, quod antiqua consuetudo, per supra enunciatum implicitum contractum, vel quasi inter Dominum, & subditos, taxavit, dum illud extrinsecum, seu accidentale pretium alteratum, quod ab hoc jure privativo oritur, redolet aliam regaliam implicitæ collectæ, seu gabellæ, ut supra.

Neque vim facere videtur, quod exinde notabile emolumentum Princeps, ejusque fiscus, vel Camera pene in 11 omnibus principatibus hodie reportare solet, ut docet praxis postarum, seu cursitationum, ac etiam appaltus nivis, vel appaltus impressionis Cameralis, cum similibus, quoniam id provenit potius a casu, quod scil. illa introductio, quæ de ejus tempore, vel initio, potius damnosa, & dispendiosa erat, ob excrescentiam hominum luxum sive ob industriam administratorum pro tempore, effecta sit lucrosa, sed non per hoc inesse dicitur vectigal, seu gabella, dum alias, si ita esset, sequeretur, quod pretium potius litterarum, vel pretium nivis, vel impressionis illarum scripturarum, quæ per alium imprimi non possunt, non deberet esse uniforme in exemptis, & immunibus, sicuti est in subditis, & tamen praxis pene universalis docet contrarium, ex præmissa ratione, quod revera est potius lucrum industriæ, vel excrescentiæ hujus usus, quod ita effecta sit lucrosa illa introductio, quæ in ejus initio erat damnosa, ut ponderatur *d. disc.* 46. Quoties (ut præmissum est.) non adsit innovatio alterativa pretii majoris, quod subditi, & alii, quamvis inviti, solvere cogantur, ex sola ratione juris privativi, seu prohibendi.

Demum quoad tertiam inspectionem suspicatæ, vel possibilis fraudis, quæ resultaret appaltu Ducali, ob distributionem, quæ ita fieri potest, ex industria appaltatorum in aliis locis convicinis. Observabam adamussim congruere ea, quæ ex celebri *cons.* 150. *Socc. l.* 2. *& ex cons.* 414. Ancharr. & aliis, in specie salis habentur superius ponderata *discur.* 159. quod scil. ista possibilitas apta esse potest parere in appaltatoribus actionem, vel exceptionem defalchi, 12 quoties immutatio proveniat a facto ipsius Locatoris, vel etiam tertii, quæ ipse prohibere potest, & non prohibet. Non autem, quod exercente aliquo jus suum, eo modo, quo exercere potest, atque concedente solam hanc administrationem in proprio territorio, si ille, cui administratio datur, male agit, atque sibi præfinitos fines egrediatur, ut ad aliquid teneri debeat ipse dominus, dum iste solum cogi potest prohibere ejus conductori, vel ministro, ne id agat, ejusque culpa adesse dignoscitur, quando possit prohibere, & non prohibeat, juxta dictas auctoritates Socc. & Anchar. cum aliis *d. disc.* 159.

Ad quod comprobandum, congruit practicum exemplum illius, qui sit solitus colere, & administrare propriam vineam per se ipsum, ejusque famulos, & operarios, quoniam si mutato consilio, illam concedat alteri, sub nomine locationis, vel coloniæ, iste vero conductor, vel colonus, quia sit fur, damnum inferat in vineis vicinis, huic furto commoditatem sibi præbente vinea, quam habet conductam, non exinde inferri poterit, quod locator in aliquo deliquerit, sed solum poterit ipse cogi, ut puniat, & prohi-

prohibeat, & quatenus cum prohibitione, vel punitione non consulatur, cogi potest, ut illum removeat, non autem, ut exinde ipse dicendus veniat criminosus, & punibilis, per solum actum locationis, isteque videbatur casus præcisus. Et per consequens concludendo, nisi aliæ adessent ignotæ facti circumstantiæ, mihi videbatur, quod molestiæ essent indebitæ. Incertum tamen est, quid sequutum sit,

ROMANA PORTÆ SANCTI PAULI
PRO JULIANO, CUM CAROLO, ET IGNATIO DE CAPRANICA.

Casus decisus per Rotam pro Juliano.

Da eadem materia, de qua supra disc. 5. an officia sint ad vitam, vel transmissibilia ad successores. Et quando omissa mentio litis obstet gratiæ, & aliqua de Constitutionibus revocatoriis.

S U M M A R I U M.

1 *Solent in Urbe nobiles habere officia mechanica ad utilitatem.*
2 *Super officiis solent etiam imponi census.*
3 *Facti series.*
4 *Resolutio.*
5 *De generalitatibus super exequutione litterarum Apostolicarum, & quod debeant præsupponi.*
6 *De stylo interlineandi in supplicationibus ea, quæ concedi nolunt.*
7 *Officia de eorum natura sunt personalia, & ad vitam.*
8 *Habens pro se regulam, dicitur habere intentionem fundatam.*
9 *De adminiculis facti, quod concessio esset personalis.*
10 *Quando omissa mentio litis non præjudicet gratiæ.*
11 *De Constitutionibus revocatoriis concessionum officiorum.*
12 *Quando concessio dicatur ex causa onerosa.*

D I S C. CLXIX.

Cum ex Urbis consuetudine enunciata supra *disc. 2. &*
1 *disc. 21. & in aliis*, etiam viri nobiles quædam officia mechanica acquirere, ac retinere soleant ad solum emolumentum, exercitio penes famulos, vel conductores residente, illaque soleant etiam esse perpetua, ut pro-
2 pterea super eis imponantur census, *ut disc. 19. de Cens.* Hinc Angelus nobilis Romanus de familia Capranica, de qua agitur *disc. 106. de fideic.* de anno 1563. ex causa resignationis onerosæ ad favorem a possessoribus, tamquam per speciem illius emptionis, de qua in præcedentibus plu-
3 res obtinuit a Pio IV. concessionem officii Custodis Portæ S. Pauli ad ejus vitam, ut concedi in præteritum consueverat, deindeque de anno 1565. in gratiam familiaris ejusdem Papæ intuitu cujusdam summæ eidem familiari solutæ, obtinuit prorogationem ad vitam Dominici, sed in supplicatione signata per concessum, pro quodam stylo tunc currente, adjecta fuerunt verba denotatoria perpetuitatem pro omnibus ejus filiis, & descendentibus.

Defuncto vero Angelo, Dominicus officii possessor a Greg. XIII. de anno 1577. obtinuit aliam prorogationem ad vitam Andreæ filii, contra quem post mortem patris, alii filii, & nepotes respective, prætendentes in vim dictæ secundæ concessionis Pii, coæquale jus habere, litem desuper introduxerunt in Camera, qua pendente, Andreas de mense Maii 1621. facta litis mentione obtinuit a Greg. XV. prorogationem in persona Hyacinthi filii primogeniti, cum facultate, ut emolumentorum participationem aliis filiis concedere posset, ut in testamento fecit, atque de mense Junii sequentis ejusdem anni proposita causa in Camera, prodiit resolutio, ut dicta concessio Pii esset ad vitam, non autem perpetua, neque ulteriorem progressum lis habuit. Sed de anno 1653. Hyacinthus prole carens obtinuit ab Innoc. X. aliam prorogationem in persona Juliani filii Bartholomæi unius ex dictis colitigantibus. Quare sequuto ejus obitu, dicto Juliano petenti coram Vicegerente litterarum Apostolicarum exequutionem, pro adeptione possessionis officii, Carolus, & Ignatius Hyacinthi fratres, ægre ferentes amissionem dictæ participationis, se opposuerunt excitando dictam prætensionem perpetuitatis, eorum tamen prætensione non obstante, prodiit sententia super exequutione. Commissaque per Signatu-
4 ram Justitiæ causa in Rota coram Taja, cum clausula translativa exequutionis, *parito litteris arbitrio*, sub die 15. Martii 1675. Juliano favorabilis prodiit resolutio, pro exclusione arbitrii.

Præsuppositis itaque consuetis generalitatibus, super quibus pro corrupto, inepto quidem stylo moderno, fieri solet inanis chartarum repletio, quod scil. litteræ 5
Apostolicæ justificatæ, habeant exequutionem paratam; non retardandam, per exceptiones dubias, & altioris indaginis, quodque arbitrium reguletur a jure, ideoque non interponendum, non quando incontinenti constet de vitio gratiæ, cum similibus cautionibus, quas, utpote notorias, & quotidie decantari solitas, sufficere deberet breviter indicare, ac præsupponere, nulla penitus allegationum dote eis attributa. Punctus erat in objectis, quæ duo erant. Unum scil. dictæ prætensæ perpetuitatis, & concessionis æqualis favore omnium, & alterum invaliditatis ob non factam mentionem litis pendentis in Camera. Neutrum tamen in utraque instantia scribens pro Juliano, subsistentiam aliquam habere dicebam.

Quatenus enim pertinet ad primum. Quamvis inter causæ patronos, aliosque scribentes hinc inde, nimium certaretur super formalitate verborum supplicationis, quod scilicet in aliquibus partibus diceretur pro Dominico ad ejus vitam tantum, in aliis vero diceretur generaliter pro filiis, & descendentibus, an scilicet ista posteriora verba censerentur 6
delata per quædam signa in forma crucis, cum nolita, cassari, seu interlineari, aut alias signari soleant, juxta stylum, de quo fit mentio *disc. 65. de testam. & disc. 36. de benef. ac etiam disc. 9. in relat. Cur. & alibi*, ut probabilius videbatur.

Dicebam tamen, opus non esse in hoc principaliter insistere, cum negari non posset, quin ex hujusmodi contrarietate, dubietas resultaret, idque sufficiens esset, ut pro consueta vitalitia qualitate, ac restrictione ad vitam Dominici, respondendum esset, tam ex jure, quam ex facto, ejusque adminiculis, & argumentis.

Ex jure scilicet, quoniam regulariter officia illa, præsertim, quæ aliquod industriæ, vel fiduciæ personalis ministerium annexum habent, sunt personalia, & ad sum- 7
mum, ad vitam, cum quandoque etiam manualia esse soleant, ex plene deductis per Barbos. *in l. quadam tale n. 78. ff. solut. matrim.* Cyriac. *controv.* 298. *num.* 1. & 2. cum aliis, de quibus supra *disc. 5. in princ.* ubi ampliatur, id procedere, quamvis adesset dictio, *in perpetuum*, super quo pro consueto collectorio more multa colliguntur per ibidem allegatum Prat. *discept.* 18. *n.* 72. *vol.* 2. Et in individuo hujus casus, Spad. *cons.* 146. *lib.* 1. qui tanquam Advocatus Cameræ scripsit in dicta causa de anno 1621.

Illa vero est regulæ legalis frequenter enunciata operatio, præsertim *disc. 22. de judic.* ut fundet intentionem ejus, cui assistit, donec probetur limitatio, atque non præsumitur, sed per allegantem probanda est. Multo igitur 8
magis, ubi eadem regula comprobata remaneat a praxi, vel observantia generali Curiæ, de qua supra *disc. 1. cum plur. seqq.* ac etiam a particularibus hujus officii, quod de præterito ita conferri consuevit, itaquoque ejus qualitate, seu ministerio existente, cum quamdam administrationis speciem habeat, ut distinguendo advertitur *d. disc. 5.*

Ex facto quoque idem comprobari observabam. Primo nempe, quoniam in mandato de observando, quod illico de anno 1565. expeditum fuit per Camerarium, cum prorogatione ad solam vitam Dominici, ideoque tanquam observantia valde proxima, nimium attendenda est.

Secundo in idem, quoniam in annotatione libri Cameræ pariter ad solam personam Dominici fit restrictio. Tertio, quia de tempore recenti intra spatium scilicet duodecim annorum, & minus idem Dominicus recte conscius qualis esset gratia sibi concessa, prorogationem 9
ad vitam Andreæ obtinuit a Gregorio XIII. contra omnem verisimilitudinem, præjudicando aliis filiis, & descendentibus propriis.

Quarto, ob dictam resolutionem hujus Tribunalis, & Cameræ, cum subsequuta acquiescentia. Quinto in idem, quia idem Bartholomæus, qui cum aliis litem in Camera substinebat, ut supra, curavit obtinere dictam prorogationem ad favorem ejus filii tunc infantis, quibus omnibus simul junctis, tam in facto, quam in jure ita res videbatur omnino plana. Adeout sufficeret hæc observantia, quamvis non esset temporis valde considerabilis, utpote interpretativa, ex deductis *disc. 21. de judic.* multo magis, dum erat per sæculum, & ultra, adeout intrarent etiam termini observantiæ præscriptivæ, atque ad hunc effectum sufficiebat ultimus status, juxta de-

ob libertatem locorum Montium, & ex eisdem fundamentis jam a me prævisis, & excitatis, unde propterea, mihi quamvis in contrarium forsan acrius, magisque elaborate scribenti, resolutio probabilis, beneque fundata visa est.

Atque hic moneri debemus, de eo, quod adeo frequenter insinuatum est, quantum scilicet deferendum veniat illis consulentibus, (qui damnabiliter quidem publicæ lu- 2 ci proferunt sub nomine consiliorum, illas informationes, quas more Advocati, conductitio more occasio dedit facere ad causæ, & clientis opportunitatem, cum vere, & proprie illa dici debeant consilia, quorum auctoritati deferendum est, quæ data sint ad veritatem, illam scire cupienti, sive in figura Assessoris data illiterato Judici, per modum voti consultivi, ad effectum sententiandi, non autem more simplicis Advocati frequenter scribendo, etiam contra proprium sensum,

Quatenus itaque pertinet ad hunc punctum libertatis locorum Montium penes tertios emptores; Reassumendo a me scripta super hujusmodi materia in hoc volumine jam 3 edito, & cum quibus, pene in omnibus processerunt scribentes in contrarium, ac etiam Rota, ut patet ex ultima decisione desuper edita coram Taja, dicebam id, quod frequens mea est consuetudo dicendi, clarum scilicet esse errorem, in hac materia procedere cum solis generalitatibus, sive auctoritates, & decisiones editas occasione aliorum casuum, quibuscumque aliis indefinite applicare; cum vera, & germana, bene judicandi, & consulendi forma sit, reflectere ad distinctiones casuum, eorumque singularium particulares, ac individuas circumstantias; ex quibus metienda est congrua doctrinarum, & legum applicatio, dum applicandum non est factum legi, sed lex applicanda est facto; Isteque adeo clarus, sed nimium frequens, & communis error donec corrigatur, magis, ac magis semper replebit mundum æquivocis, & confusionibus.

Quare plus casus desuper distinguendo; Primus est, ubi agitur de illo possessore, qui directe, ac immediate obtinuit loca Montium sibi deliberari a Judice, seu alias ab eo in possessionem immitti, nulliter, vel injuste, adeout controversia sit inter primum possessorem spoliatum, & 4 secundum possessorem a Judice immissum; Et tunc, si actus est nullus, vel injustus, priori possessori competit manutentio, vel reintegratio, sive aliud remedium rei persequutorium, quoniam admixta non est auctoritas publica, neque intrat ratio peculiaris, quæ resultat ex hujusmodi jurium natura; Et in his terminis loquuntur, *decis.* 284. *part.* 5. *rec dec.* 70. *part.* 7. cor. Dunozet. *decis.* 642. *repertis.* apud Posthum. *de subhast. dec.* 211. & *dec.* 407. *in fin. part.* 12. *rec.*

Secundus casus est, ubi quis ex privata conventinne, emit loca Montium ab intrutivo possessor, qui vere Dominus non esset, atque venditio, seu resignatio admitti- 5 tur per Secretarium, sed id provenit ex privata conventione, inter emptorem, & venditorem, adeout emptor sequatur principaliter fidem privatam possessoris, & de isto casu loquitur, *decis.* 650. Cavalerii, in cujus casu aderat mala fides positiva, ob inhibitionem factam emptori, ac denunciatam litem, unde scire debuit, ac potuit, eum non esse Dominum; neque pariter adaptatur ratio hujus libertatis, de qua infra.

Tertius casus est, ubi quis emit ex privata etiam conventione a vero Domino, admissa per Secretarium, qui emptorem libere describat in libris publicis, quæstio autem 6 sit cum creditoribus venditoris, prætendentibus loca Montium esse eis hypothecata; Et tunc resignatarius est tutus ab hypothecis, aliisque vinculis, præterquam descriptis in litteris patentibus, vel ex natura hujusmodi jurium, ut verius est, vel ratione commercii, ut firmant Gratian. *discept.* 730. *num.* 48. Cenc. *de cens. quæst.* 29. *num.* 13. Merlin. *de pign. lib.* 2. *q.* 54. *num.* 28. & 29. *num.* 13. Rot. *decis.* 14. *in fin.* post Fenzon. apud Merlin. *dec.* 533. *repertis. dec.* 79. *n.* 20. *part.* 9. *rec.* Romana locorum Montium 29. Novembr. 1660. coram Bevilacqua, edita in casu, de quo supra *disc.* 27. Et sic cum præsupposito, quod emptor sciat a quo emat, unde dici valeat, quod ejus fidem privatam sequatur, dum acquisitio provenit a privata conventione inter eos, licet a publico officiali ad id per Papam deputato (qualis est Secretarius) auctorizata sit, atque de hoc etiam loquitur Constitutio 154. Urbani Octavi, cujus mentionem facit in d. decisione cor. Bevilacqua; Illaque non continet rem novam, dum etiam antea idem procedebat, sed prodiit ad majorem declarationem, ac etiam ad probationem, de qua infra.

Quartus est casus, quando tertius, ex causa lucrativa, puta legati, obtinet loca Montium a defuncto possessa, si- 7 ve obtinet pecuniam, quam directe investit in loca Montium, quæ uno, vel altero modo in sui faciem investentur, deindeque detegantur creditores hæreditarii, quibus in subsidium de jure competat vocatio pecuniæ solutæ, & tunc istud privilegium non suffragatur, sed datur etiam actio subsidiaria, & de hoc agitur in Romana lucri Dotis coram DD. Ghisletio, & Albergato, *decis.* 43. *num.* 40. *par.* 10. & *dec.* 25. *num.* 5. & *seqq. part.* 11. *rec.* in casu, de quo agitur a me *in tit. de Dote disc.* 129. & juxta casum, de quo supra *disc.* 29.

Quintus demum casus est noster, ubi juxta communem frequentiorem usum quis, sive Civis, sive exterus, ac sive præsens, sive absens, sed ignarus quisnam habet lo- 8 ca Montium venalia, consignet proxenetæ ordinem directum publico Banco, ut solvat pecuniam in genere ei, quem Secretarius eidem Bancherio testetur libere ad sui favorem resignasse tot loca Montium, adeo ut emptor sit omnino incertus de persona vendentis, sed sequatur principaliter, ac omnino solam fidem Secretarii, tamquam publici officialis, per Papam ad id deputati, talemque resignationem faciat ille, qui nulliter, vel injuste a manu Judicis obtinuerit, atque de Judicis mandato, Secretarius eum descripserit in libro publico.

In isto casu individuo, ac præciso nullam habemus auctoritatem, vel decisionem, quæ loquatur de locis Montium Urbis, ideoque oportet examinare casum, cum doctrinis Doctorum, agentium de consimilibus juribus, quæ habentur cum Principe, seu Republica, ut sunt jura Re- 9 gia Hispaniarum, fiscalia, vel jure super arrendamentis Regnorum utriusque Siciliæ, & loca Montium Venetiarum, Januæ, & Florentiæ, aliarumque Civitatum Italiæ, sive juxta terminos officiorum vacabilium, cum quibus, ac etiam cum terminis resignationis beneficiorum, procedunt inferius allegandi loquentes de prosatis aliorum Civitatum locis Montium, ac juribus hujusmodi.

Quodque ista loca Montium, vel jura exæquata sint offi- 10 ciis venalibus, eorumque jure regulanda veniant, expresse, ac litteraliter disponitur per d. Constitutiooem 154. Urbani VIII. sæpius enunciatam.

Agit vero pro cæteris de his locis Montium, vel juribus Larrea *allegat.* 22. *ex num.* 19. & *seqq.* occasione tractandi, 11 de resolutione hypothecarum a possessore contractarum, atque adhibet eosdem terminos officiorum venalium, quæ tractantur cum terminis beneficialibus, vel cum terminis feudorum, & de eisdem juribus, Salgad. *in Labyr. part.* 2. *c.* 27. *num.* 39. *ubi per tot.* agit de officiis, ac etiam *part.* 1. *c.* 35. *per tot.* ubi cæteri.

Ex deductis autem per dictos Auctores, constat de vera ratione libertatis hujusmodi jurium penes tertium, in quem cum publica Principis, vel ejus officialis auctoritate trans- 12 feruntur, quod scilicet illud dicitur quoddam debitum cum Principe, tamquam species census redimibili, unde quando quis resignat officium, vel jus suum in manu officialis repræsentantis ipsum Principem, tunc dictum jus, vel officium extinguitur, & annihilatur, deindeque Princeps per actum occultum, novum jus ex integro efformat, & concedit resignatario, qui sequitur fidem publicam ipsius Principis, quem in ejus directum, ac immediatum auctorem agnoscit, ut pluries advertitur supra *disc.* 26. & *sequentibus*.

Igitur ille, qui cum bona fide, ignarus, an resignatarius sit Gallus, Hispanus, vel Germanus, seu Indus, cum aliquo privato non contrahit, neque privatam fidem vult sequi, sed directe sequitur solam fidem publicam Principis, non potest, nec debet remanere elusus, sed habet in debitorem ipsum Principem, cum vere, ac proprie loca Montium aliud non sint, nisi debitum Principis super ejus reddiribus, tamquam per speciem census, ut supra.

An autem Princeps, vel officialis, bene, vel male agat in extinguendo, vel supprimendo jus antiqui creditoris, & an suum debitum extinguat cum legitimo, vel cum illegitimo creditore, ipsi videant, hoc unum est tamen, quod novus acquirens recte dicere potest, se contraxisse cum Principe, eumque habere in suum debitorem, quem recte scit habere potestatem id, quod uni concessit, ei auferre, ac alteri dare, dum etiam bona aliena donare, vel concedere potest, atque Domino non remanet aliud jus, nisi agendi contra ipsum Principem, pro reintegratione

tione valoris, ad textum *in l. bene a Zenone, C. de quadrien. præscrip.* cum ibi communiter notatis, de quibus *tit. de Donat. disc.* 43. *& supra hoc tit disc.* 148.

Igitur, aut priori possessori injuste spoliato competit actio contra spoliatorem, vel contra Judicem, vel contra Principem, ejusque Cameram, aut contra officialem, suum officium male explentem, & utitur jure suo; Aut hoc etiam remedio est destitutus, & erit casus fortuitus, qui est sequela dominii.

Talis est praxis inconcussa totius Europæ, in hujusmodi juribus publicis, seu regalibus super gabellis, vel juribus cum Principe, vel Republica; Ideoque dum in Cu-
13 ria non haberemus in his terminis casum decisum, recurrendum est ad observantiam generalem adjacentium aliorum principatuum, ex deductis *tit. de servit. disc.* 2. *num.* 29. *& sæpius*.

Sed vere habemus illum decisum per dictam Constitutionem 154. Urbani VIII. quæ expresse exæquat loca Montium officiis, non quidem in ratione privilegiativa, sed declarativa, quia vere eadem est ratio.

Multa enim in hujusmodi juribus differentibus, atque in libero commercio non existentibus habentur peculiaria, quæ exorbitant a regulis generalibus juris communis, ut videtur in feudis, & juribus regalibus, quod ex veriori sententia, ubi Principis auctoritas non accedat, in eis
14 non intrat titulus de separatione bonorum, unde creditores hæredis cum assensu, vincunt creditores defuncti sine assensu, ut *titul. de feud. disc.* 78. *& tit. de credito disc.* 23. *&* 151. Ac etiam non intrat titulus *plus valere, quod agitur, &c. & tit. de feud. disc.* 24. *& in aliis*; Unde propterea si hæc bona emantur de pecunia aliena, cum pacto expresso, ut acquirantur domino pecuniæ, quodque nomen acquirentis sit simulatum; Attamen si super hoc pacto non adsit assensus Principis, id non attenditur, sed dicitur officialis, vel feudatarius, sive possessor jurium regalium, ille in cujus faciem in libris cantat, ut *dec.* 100. *par.* 9. *rec.* cum similibus, de quibus *d. disc.* 24. *& in aliis de feud.* ideoque regulæ generales, quas habemus in differentibus, ac existentibus in commercio, nullatenus congruunt hujusmodi bonis, ac juribus.

Hinc proinde advertebam, quod causæ defensio consisteret potius in facto, quam in jure, an scilicet ex facti cir-
15 cumstantiis desumi posset collusio, vel mala fides emptorum, qui recte scientes, quomodo in resignantem loca montium obvenissent, ita resignantis potius fidem sequuti essent, juxta secundum casum, de quo supra *num.* 5. sed si cessante hujusmodi circumstantia, processum per eos esset cum bona fide, juxta modum recensitum supra in quinto casu *num.* 8. & tunc omnino probabilius pro emptoribus responderi deberet, dum alias esset mundum revolvere, atque istud commercium impedire, ad quod considerabam etiam a simili ponderationes, de quibus supra *disc.* 129. Ad id autem arguendum advertebam inspiciendum esse, præsertim ad pretium, pro quo emptio facta esset, quoniam si fuisset in summa justa, & communiter currenti, & tunc magnum resultabat bonæ fidei argumentum, sicuti econverso malæ, in casu pretii diminuti, & insoliti, quod reputatur pars periculi ex deductis supra *disc.* 30. *& seqq.* Et per consequens est quæstio potius facti, quam juris ex singulorum casuum circumstantiis decidenda.

16 Putabam tamen de collusione, & mala fide nimium suspectum videri Secretarium, qui erat in hoc munere vir nimium peritus, & diligens, verisimiliter non admissurus adeo de recenti in ignoto, vel parum idoneo deliberatario, talem resignationem liberam, absque ejus corruptela, & notabili emolumento; experientia docente in hujusmodi Secretariis, & officialibus illa miracula, quæ alibi cernuntur in Judicibus, & Magistratibus, quod scilicet officio vix præbente emolumentum sufficiens ad substentationem, intra breve tempus, notabiles parantur divitiæ, ideoque cum eis nimium rigurose procedendum videtur, adjiciendo præsertim legem, ne hujusmodi deliberatariorum, vel hæredum, & successorum resignationes admitti debeant, nisi post notabile temporis intervallum unius, vel plurium annorum, cum ita etiam posset quis falsis probationibus se probare hæredem alicujus, qui adhuc vivat, vel et jam defuncti, qui alium hæredem revera reliquerit, atque sequuta intestatione, posset hujusmodi resignationem facere, absque eo quod domino consultum remaneat.

Idem consultus pro veritate, respondi, in alio casu, in quo loca montium habebat in corpore litterarum, vinculum fructuum ad commodum alterius, ejus vita du- 17
rante, dum proprietarius cum falsis testibus deponentibus de morte reservatarii, obtinuit cum decreto Thesaurarii, vel ejus Auditoris deleri vinculum, atque ita resignationem liberam fecit, absque eo, quod reservatario consultum remaneret ob absentiam, vel inopiam resignantis, & ob assecurationem resignatarii bonæ fidei, ut supra; Isteque est unus ex perniciosis effectibus, qui resultant ab usu propinarum, de quo *tit. de Judic. disc.* 39. quoniam aviditas proprii emolumenti pronos, ac faciles reddit Judices ad faciendum id, quod alias non facerent, vel nonnisi cum majori circumspectione, & maturitate.

Et quamvis ob hujusmodi libertatem, & emptorum
assecurationem, plura resultare possint inconvenientia, 18
& fraudes, præsertim in supplantatione absentium, vel hæreditatum jacentium, seu fideicommissariarum; Nihilominus ex duobus malis, vel inconvenientibus, oportet eligere minus, dum magis præjudicialia Reipublicæ, & libero commercio essent alia inconvenientia contra resignatarios bonæ fidei, ac propterea, ut primis inconvenientibus occurratur, dandæ videntur opportunæ provisiones, & ordines secretariis, atque cum eis rigorose procedendum ad reficiendum de proprio, quando eorum officium non bene exercent.

Ex eadem vero superius insinuata distinctione inter illam venditionem, vel aliam alienationem, quæ fiat inter partes ex privata conventione, vel etiam subhasta ex auctoritate judicis, cujus factum dicitur etiam factum partis,
& illam quæ fiat mediante resignatione in manibus secreta- 19
rii, frequenter consultus etiam pro veritate respondere consuevi, resultare decisionem quæstionis, de qua habetur actum *sub tit. de alien. & contract. prohib. disc.* 12. an scilicet in alienationibus locorum montium, quæ fiant per minores, vel mulieres, requirantur solemnitates statutorum 113. & 151. Urbis, ut primo casu requiratur, non autem posteriori, quodque in hoc sensu, vel cum dicta distinctione, & cum præsupposito, quod ageretur de prima parte, intelligenda est *decis.* 679. Seraph. *& dec.* 50. *p.* 13. *rec.* in quibus id firmatur, cum aliæ desuper allegari solitæ, loquantur obiter, vel ad alios effectus.

Ubi etiam agitur de secunda parte, intrat ratio superius assignata, quod scilicet primus possessor, qui alienat, vere non transfert suum jus in eum, cui fit alienatio, sed potius illud refutat, & extinguit in manu Principis, qui novum jus ex integro obfirmat favore resignatarii agnoscentis in ejus actore ipsum principem, cujus publicam fidem, non autem privatam primi possessoris sequi dicitur.

Ita etiam suadente ratione libertatis commercii, ob cujus conservationem multa permittuntur, quæ alias permittenda non sunt, ut ex. gr. non egrediendo hos terminos solemnitatum statutariarum, habetur, *eod. tit. de alien. & contract. prohib. disc.* 34. in muliere, vel minore exercente mercaturam; Ac etiam recepta praxis docet in locationibus, & conductionibus domorum, vel in emptionibus, & venditionibus victualium, & rerum deservientium ad usum vestium, vel domus cum similibus, quoniam licet agatur de contractibus, absque dubio cadentibus sub statuto 151. attamen ratione subjectæ materiæ, & libertatis commercii non sunt in usu.

Omnemque difficultatem tollit observantia, quæ in omnibus dicitur optima interpres, quoniam cum ab anno 1580. prodierit *d. dec.* 679. Seraph. Attamen in hoc intermedio spatio pene integri sæculi, observantia docuit, & docuit contrarium, quoniam Secretarius, & Thesaurarius respective passim admittunt resignationes sine his solemnitatibus; quinimo ubi partes vellent eas servare, dicti officiales id non admitterent, respondendo, quod eorum sufficere debet auctoritas, non indigens illa alterius Judicis in hoc inferioris, & incompetentis, in aliis Civitatibus, vel Principatibus, præsertim in Veneta, & Januensi, adeo exacte id servatur, ut etiam Capuccini, aliique professi incapaces in communi, & in particulari continuant descripti, & reputantur domini cum libera dispositione, ut insinuatur incidenter *sub tit. de testam. disc.* 36. *& alibi*.

RO-

ROMANA EVICTIONIS LOCORUM MONTIUM,

PRO MARCO PAULO TYERI, CUM GASPARE ALVERO.

Casus disputatus coram A.C. resolutus pro Tyeri.

Vendens loca montium vinculata, an, & quando teneatur ad evictionem, vel ad pretii restitutionem ad factum casum vinculi, si ex facto ipsius venditoris id processit.

S U M M A R I U M

1 *Facti series*

2 *Sciens vitium rei non agit de evictione, neque ad restitutionem pretii.*

3 *Declaratur quando id procedat, & quando etiam praestetur evictio de natura rei.*

4 *In omni conventione nunquam venit dolus, vel factum proprium culposum.*

5 *Venditor tenetur de vitiis sibi cognitis.*

6 *Quando cessionarius pensionis praestet evictionem, vel restituat pretium acceptum.*

7 *Dotis restitutio principaliter spectat ad virum, & fideicommissum est species fidejussoris.*

8 *Declaratur quando idem venditor locorum montium vinculatorum exerceat casum vinculi.*

9 *De differentia inter dotem constituendam, & restituendam.*

D I S C. CLXIV.

1 Recepta facti serie, de qua supra *disc.* 37. super venditione locorum montium provenientium ex pretio Casalis subjecti fideicommisso, cum ejusdem fideicommissi vinculo translato in pretium; Cum uxor Gasparis venditoris, pro assecuratione suarum dotium, & lucri, ob vergentiam viri ad inopiam, ex beneficio *Auth. res quae, C. com. de legat.* loca montium ab emptoribus vendicasset, ut insinuatur *in ead. disc.* 37. *in fine*: Hinc ad aliquod tempus, exorta spe, quod molestiae inferendae eidem Gaspari, inopia non obstante, parare possent emptoribus aliquam recuperationem pretii, saltem in parte, praesertim praefatos Tyeri utriusque Signaturae Praelatus, unus ex emptoribus, judicium contra venditorem instituit pro evictione, seu restitutione pretii, atque post aliquas disputationes, obtinuit mandatum a Signatura quoque canonizatum.

In disputationibus desuper habitis, scribentes pro Gaspare reoconvento, vim constituebant in disputatione textus *in l. si fundum sciens, C. de evict.* cum concordantibus plene deductis per Rot. *dec.* 453. 557. *& 469. part. 9. rec.* Ac etiam habetur *sub tit. de feud. disc.* 44. *& sub tit. de empt.*
2 *& vend. disc.* 10. 11. *&* 17. & saepius in his terminis *sup. disc.* 31. quod scilicet cum venditor expresse denunciaverit emptori hoc vinculum fideicommissi, expressum quoque in litteris patentibus, adeout emptor illius certam habuerit scientiam, ipseque venditor professus sit vendere eadem loca, talia qualia, & pro jure sibi competente, cum declaratione nolle teneri nisi de facto proprio, ita de plano intrare dicebant praefati textus regularem, eximentem non solum a praestatione evictionis, sed etiam a deductione pretii; Quamvis enim plurium sententia sit, ut praefati textus dispositio procedat solum respectu evictionis, non autem respectu restitutionis pretii, a qua venditor excusari non debeat, ob inconveniens locupletationis de alieno; Contrarium tamen, praesertim in Rota, & Curia est receptum, quando diversa conventio explicita non accedat, vel facti circumstantiae eam implicite non inducant, juxta considerationes, de quibus supra in his terminis *d. disc.* 31. Et merito quidem, quoniam ita in contractum censetur deducta illa spes, vel incerta alea, seu eventualitas; Eodem modo, quo docet quotidiana praxis in venditione, seu cessione commoditatis; Idque argui dicebant ex quantitate pretii, quoniam cum pretium intrinsecum locorum montium esset scutorum centum ultra consuetum augmentum extrinsecum, ista venditio facta erat ad rationem scutorum 25. quodque propterea intraret alia juris regula, de qua etiam locis citatis, & praesertim *d. disc. 44. de feud.* super exemptione venditoris a praestatione illius evictionis, quae sequatur de natura rei.

His tamen non obstantibus (etiam cum senso veritatis) contrarium dicebam verius, scribendo pro actore, pro quo justa prodiit resolutio; Admittebam siquidem dictas theoricas, tanquam veras in genere; Diecbam tamen, eas pro- 3
cedere, quando a casu, seu alias citra factum, & culpam ipsius venditoris, bona vendita avocarentur ab emptore, puta quia per ipsius venditoris mortem, factus esset locus fideicommisso ad favorem alterius vocati, vel quod ex ignotis juribus, quae alias quam ex facto proprio ipsius venditoris, tertio competant super casali vendito, daretur eidem tertio actio super locis montium, tanquam in pretio subrogato; Secus autem, dum molestiae veniebant ex ejus facto proprio, quod nunquam censetur exceptuatum, dum id ab omni justitia, & aequitate prorsus est alienum, ut
caeteris relatis plene habetur apud Merlin. *dec.* 874. *num.* 5. 4
& seq. dec. 18. *nu. fin. per.* 11 *rec. & passim*, semper enim in omni contractu, omnique conventione, quantumvis ampla, exceptus censetur dolus, sive aliud factum proprium in quo dolus inesse potest, ut in proxime allegatis, & apud Cels. *dec.* 78. *n.* 6. *cum seqq.* Greg. & add. *dec.* 119. Unde propterea licet venditor, quando protestatus est vendere rem pro tali quali, &c. atque ut vulgo dicitur *come un sacco d'ossa*, ad aliud non teneatur, adhuc tamen tenetur
pro vitiis, & defectibus latentibus sibi cognitis, quae non 5
sufficit exprimere sub involucro generali verborum ex deductis apud Surd. *dec.* 146. *nu.* 4. Gregor. & adden. *d. dec.* 119. *& sub tit. de empt. & vend. disc* 9.

Atque ad id bene conferre dicebam ea, quae habentur *d.* 6
disc. 69. *de Pensionibus*, quod scilicet cessata commoditate pensionis, si ista cessat per mortem naturalem cedentis, vel per insufficientiam beneficii, aut per alium casum, tunc cedens ad nihil tenetur; sed si cessat ob delictum ipsius cedentis, aut ob aliud ejus factum voluntarium, puta quia per matrimonium, vel per militiam, vel per professionem in Religione; aut per dimissionem Clericatus, diversum statum assumat, tunc intrat evictio, cum similibus.

In his autem terminis versari dicebam, quoniam licet emptoribus innotesceret vinculum fideicommissi, quo posito de consequenti intrabat actio praedicta uxoris in vim *Auth. res quae*; Attamen id principaliter provenit ex debito, & facto ipsius venditoris, quoniam nisi dotem uxoris, aliaque ejus bona dilapidasset, utique iste casus non daretur. Ubi enim agitur de dote restituenda per ipsum virum, tunc id
referri non potest casui, sed totum provenit ex facto, & 7
culpa ipsius viri, dum ipse est principalis debitor, fideicommissum autem dicitur quidam legalis fidejussor ejusdem viri, adeout etiam sine cessione subintret in jus mulieris, cui dos restituta est, ejusque actiones exercere valeat pro reintegratione, juxta firmata apud Coccin. *dec.* 1681. cum aliis, de quibus *sub tit. de dote*, *disc.* 145. *n.* 56.

Neque ad rem facere dicebam, *dec.* 7. *&* 57. coram Ninot
in hoc proposito expensas etiam supra, *dict. disc.* 31. quo- 8
niam earum casus est diversus, quod scilicet idem venditor, tanquam tertius, vendicabat loca montium eadem in subportione alterius venditoris ejus fratris, per cujus mortem jus emptoris expiraverat ideoque evictio proveniebat de natura rei, & a casu, non autem a facto culposo, seu alias voluntario ipsius venditoris, quale dicitur illud, quod ab ejus creditoribus provenit, dum ita haec venditio redoleret speciem furti, vel truffae, si ille venditor, qui scit se obstratum esse bonaque vendita obnoxia ejus creditoribus, a quibus ad horam illa vendicari possunt, etiam a pretii restitutione excusaretur, ac propterea excusatio restringenda est ad solum casum.

Ex casu autem, provenire diceretur, quando filiae, & 9
descendentes ipsius venditoris ex eodem beneficio *Auth. res quae*, peterent dotem ubi constitui ex bonis fideicommissi, quoniam dici non potest culposum, quod natura ei foecunditatem dederit procreandi filios, minusque dici potest culpa directa ad casum, quod ipse pariter se inopem fecerit, unde propterea ejus filiabus apertum sit praefatum subordinarium beneficium; Ideoque ut advertitur *eod. disc.* 145. *& in aliis pluries eod. tit.* magna dignoscitur differentia inter casum dotis restituendae, & illum dotis constituendae.

INTERAMNEN. JURIS COLLECTANDI,

PRO CIVITATE INTERAMNAE, CUM CASTRO PAPINIAE.

Casus pendet a Camera.

An, & quando Castra subjecta Civitati, dicantur de ejus Comitatu, vel territorio, ut propterea constituant unum corpus, atque participare debeant de

jur-

juribus, & proventibus Civitatis pro supportatione eorum, vel econverso an debeant Castra contribuere in oneribus majoribus, quæ supportentur per ipsam Civitatem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Comitatenses dicuntur Cives in omnibus.*
3 *De eodem, & qualis dicatur proprie districtus, vel Comitatus.*
4 *De unico territorio constituto ex tota Diœcesi.*
5 *Dismembratio jurisdictionis non tollit unitatem territorii.*
6 *De distinctione inter districtum, & agrum.*
7 *De alia distinctione inter Comitatum, vel Districtum improprium; & generalem, & proprium, & particularem.*
8 *An Civitas possit acquirere id, quod sit de ejus Comitatu.*
9 *Stant simul, quod Civitas sit de dominio unius, & Castra sint de dominio alterius.*
10 *De eodem, de quo n. 5.*
11 *De monito, quod causarum decisiones pendent a circumstantiis facti.*

D I S C. CLXV.

1 DE anno 1525. Civitas Interamnæ emit a quibusdam Domicellis Castrum ibi proximum Papiniæ; cumque postmodum sub Paulo III. & Paulo IV. impositum esset subsidium triennale, a quo proveniunt onera Cameralia, atque pro istius rigorosa exactione Civitas cavalcatas ad præfatum Castrum transmisisset, adeout Pius V. jurisdictionem illi abstulerit, quam Gregor. XIII. successor reintegravit, hinc penes continuæ sequutæ fuerunt controversiæ inter Civitatem, & Castrum, & præsertim super modo contribuendi in solutione dictorum onerum Cameralium, atque per Sacr. Congregationem boni Regiminis, resolutum fuit, Castrum teneri contribuere pro octava parte, sed reassumpta causa in Camera, ubi prius introducta erat, excitata fuit per idem Castrum prætensio, quod onera prius impleri deberent cum proventibus gabellarum respicientium totum Comitatum, quodque propterea ad id, quod opus esset pro suppletione, concurrere deberet in dicta octava parte; Datoque desuper dubio coram Bichio *An, & qui proventus proveniant ex gabellis respicientibus totum Comitatum*, sub die 19. Junii 1673. prodiit resolutio utrique parti respective favorabilis, quod scil. Castro prætendente omnes gabellas in notula deductas venire, Civitate autem nullas, dictum fuit venire quasdam, & non alias.

2 In disputatione autem desuper habita, scribentes pro Castro, ejusque Communitate, cum præsupposito, quod illud esset de Comitatu, dicebant ejus intentionem fundatam esse in juris regula, quod Comitatenses dicuntur cives, omnibusque privilegiis, & favoribus civium potiri debent, eodem modo, quo subjaceant oneribus, dum Civitas, & Comitatus formant unum, & idem corpus, ut definit Bald. *cons. 419. n. 1. l. 1.* Aret. *cons. 67. n. 4.* Hieron. de Mont. *de finib. c. 7. n. 3. & 5.* Cravett. *in terminis onerum, cons. 97* a Gaboc. *l. 2. contr. 20. cum conc.* relatis per modern. de Luca ad Franch. *dec. 316. n. 7.* Rot. *dec. 400. p. 9. rec. & dec. 199 p. 1 a.* atque super hoc assumpto immorabantur, illud exornando de more fere proprium cum aliis generalitatibus; Reliqua enim consistebant potius in facto, super natura, seu qualitate gabellarum, dum scribentes pro Civitate nimium insistebant in d. qualitate, & quænam essent illæ gabellæ, quæ in Civitate solvebantur ab antiquo, priusquam istius Castri acquisitio sequuta esset, & quænam posteriores, quasi quod de antiquis priusquam idem Castrum requireretur, atque efficeretur de hoc corpore, non deberet participare, sed solum de aliis postea impositis: scribens ego pro Civitate, in hac ultima disputatione, adhibendo stylum Advocatorum Urbis, curabam exornare, sive in jure probare ea, quæ in facto deducebantur cum solitis generalitatibus.

Reflectendo autem ad veritatem, mihi videbatur, quod revera quæstio esset potius facti, & applicationis, quam juris; Admittebam siquidem, tanquam veram dictam juris propositionem pluries supra insinuatam, & præsertim *disc. 72. & 94. & sub tit. de praemin.* agendo de civilitate,
3 quod scilicet Civitas, & Comitatus constituunt unum territorium, atque unum, & idem corpus politicum, seu communitativum, eodem modo, quo plura membra unum constituunt corpus humanum, quasi quod Civitas sit caput, & venter, seu reliqua majoris pars corporis, Castra vero, seu Villæ sint brachia, & manus, & crura, & pedes; Sive juxta exemplum finium spiritualium unius Diœcesis, quoniam licet intra ejus fines, ultra locum residentiæ Episcopi, & situationis materialis Ecclesiæ Cathedralis, quamplura existunt Oppida, Castra, & loca inter se omnino distincta, ac etiam sub diversis Provinciis, vel dominis temporalibus, omnia tamen constituunt unum, & idem corpus, sive unum, & idem territorium spirituale; Vel eo modo, quo sequitur quando Civitas, vel alter locus divisus sit per quarteria, aut per pagos, & Villas, juxta aliquarum Regionum usum insinuatum *sub tit. de Jur. disc. 24.* 4

Idque verum non obstante, quod singula Castra, seu Villæ, & loca intra ambitum districtus, seu Comitatus, habeant inter se fines destinctos, & quandam speciem territorii contradistincti, etiam ab illo Civitatis, & cum Constitutionem propriarum subalternarum communitatum, quoniam id non tollit unitatem territorii, seu corporis in universum, sed solum continet quandam divisionem subalternam respectu usus, & commoditatis, ad tollendas confusiones, pro pascuis, & pro cultura prædiorum, & pro aliis effectibus, eo modo quod si pro aliquo magno Ovili diviso in plures turmas, vel greges, destinatum sit prædium, seu tenuta, ut ad tollendas contentiones inter Pastores, singulis turmis, vel gregibus, aut branchia distribuantur partes, vel fines ejusdem tenutæ, seu prædii, quoniam id non tollit unitatem tam ovilis, quam prædii; Unde propterea, ut in ejusdem *disc. 72. & 94.* advertitur, pro ista contra distinctione, recinctus proprius Civitatis, contradistinctus a finibus singulorum locorum Comitatus, appellari solet, sub vocabulo agri, potius quam territorii, ac etiam advertitur infra in Fanen. Molendini, *disc. 167.* 5 6

His itaque constitutis, adeout in iis, quæ juris sunt, nulla adesset discordantia inter scribentes hinc inde in genere, sive in abstracto; Disputatio restringebatur ad factum, sive ad applicationem, juxta pene generalem hodiernam naturam omnium quæstionum forensium, an scilicet istud Castrum dicendum esset de illa specie Comitatus, de qua superius allegati, & alii DD. loquuntur, quod scilicet importet idem territorium constitutivum ejusdem corporis, vel potius esset de illo Comitatu improprio, qui redolet solum jurisdictionem, vel superioritatem, aut dominium accidentale, ut quoddam jus metropolyticum, juxta exemplum antiquæ Romæ, quæ juxta seriem, de qua *decis. 32. de praem. in fin.* & alibi pluries, vi bellica effecta est domina magnæ partis Orbis, adeout diceretur caput, & Metropolis mundi, ideoque omnes Civitates, & Provinciæ dicerentur de ejus imperio, & territorio, seu Comitatu in universum, ratione scilicet jurisdictionis, vel juris terendi; Et tamen non inde inferri poterat ad verum Comitatum, vel territorium, dum habebat suum districtum particularem centum milliarium, qui nunc est quadraginta. 7

Sive, quod, juxta hodiernam praxim, Præfectura, vel Præsidatus Civitatis, complectatur sub se gubernium, & administrationem quamplurium Civitatum, Oppidorum, vel locorum adjacentium, quæ ita quamdam speciem Comitatus præseferre videantur, sed iste est Comitatus improprius ratione jurisdictionis, & juris Metropolitici, non autem vere constitutivus unius corporis, & territorii, ut (ex. gr.) docet praxis Civitatis Perusii, cum similibus, quod scil. alia sunt Castra Comitatus, idest districtus, vel territorii particularia ipsius Civitatis, & alia sunt Castra, & loca existentia sub eo gubernio.

Applicando itaque ad rem, punctus videtur, an istud Castrum esset ex una, vel altera specie, atque scribendo more Advocati, dicebam, quod esset solum de Comitatu improprio, idest jurisdictionali, quoniam cum ante prædictum annum 1525. esset de diverso dominio, diversumque corpus constitueret, dum ex titulo particulari emptionis obvenit in hanc Civitatem, tanquam penes extraneum, ac privatum emptorem, hinc proinde dicebam, ita claram resultare probationem, quod non esset de ejus territorio, & pertinentiis, sed quod esset quid distinctum, ex juris certo principio, quod nemo emit, vel acquirit rem suam, quodque res mea non potest denuo effici mea, unde propterea nova acquisitio probat, quod prius res non esset sua. 8

Verum id non videbatur argumentum, quod concluderet, quoniam, aliud est jus territoriale pro civicis prærogativis, ac oneribus respective, & aliud est jus territoriale, pro exercitio jurisdictionis, ut docet nimium frequens, ac notoria praxis, præsertim in Regno Neapolitano, pro 9

cujus

cujus misera conditione, omnia pene loca sunt infeudata, ut insinuatur *d. disc. 32. de praem. & alibi pluries*, quoniam frequenter datur casus, quod Civitas sit unius Domini, vel sit demanialis, & Castra, quæ ibi Casalia dicuntur, sint diversorum Baronum, ut de aliquibus Casalibus ipsiusmet Regiæ Civitatis Neapolis, habetur apud
10 Franc. *dec.* 129. Gizzar. *dec.* 24. ubi add. Galeot. *lib.* 2. *contr.* 20. Rovit. *dec.* 15. & alios, apud quos disputatur quæstio, an concessio alicujus Castri, seu Casalis in feudum, importet quandam implicitam dismembrationem territorii ad alios effectus jurisdictionales, illum præsertim, an prohibitio, quæ fit bannitis, quibus conceditur salvusconductus sub lege de non conversando in loco delicti, neque in dicta Regia Civitate residentiali Principis, ejusque territorio, complectatur hujusmodi Casalia infeudata, sed hoc non tollit alios effectus civicos, neque unitatem territoris communitativi, ad alios effectus communitativos, tam favorabiles, quam onerosos, ideoque possunt simul stare; quod istud Castrum esset de eodem Comitatu, & territorio, sed quod ex Apostolica concessione, sive ex antiqua usurpatione, aliquis Domicellus haberet ejus dominium jurisdictionale, seu Baronale, quod Civitas acquirere potuit, tanquam per restitutionem antiqui status, atque per quandam speciem recuperationis; Secus autem ubi ista circumstantia cessante, fuisset omnino nova acquisitio, quodque illud esset extra suum ambitum, seu comitatum proprium, quoniam tunc Civitas consideratur potius in ratione Baronis, vel domicelli, ita administrantis hanc subditam communitatem, atque pro meliori administratione, jure cujusdam communionis exigendo, & respective solvendo ejus onera, dum isto casu contributio sine dubio facienda esset ad limites ejus jurium, & bonorum absque participatione jurium Civitatis.

Hinc itaque edocemur, quod causarum decisio non pendet a generalitatibus juris, vel a formalitate verborum, sed semper a circumstantiis facti, ex quibus pendet appli-
11 catio legum, & conclusionum, quoniam ista verba, *Comitatus, Districtus, Territorium*, & similia sunt æquivoca, eaque promiscue sive improprie adhiberi solent, ut præsertim advertitur supra *disc.* 72. & infra in Panen. *disc.* 167. & alibi pluries; Ideoque tota vis est in applicatione desumenda ex circumstantiis facti, sive ex effectibus, ad quos de hoc agitur, semperque error est immorari in solis generalitatibus, vel in formalitate verborum, & sic quod videndum esset, an revera ab ante quo istud Castrum esset de hujus Civitatis Comitatu, seu territorio proprio, ut cum ipsa Civitate, aliisque Castris, unum constitueret corpus, necne

ROMANA

GABELLÆ CADAVERIS.

Discursus pro veritate.

An debeatur Gabella, seu aliud vectigal pro extractione, vel introductione, sive transitu cadaveris.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversia.*
2 *Reprobatur traditio super solutione gabella pro cadavere.*
3 *De auctoritatibus id reprobantibus.*
4 *De errore aliquorum, super legibus, quæ in id allegantur.*
5 *An, & quando juxta leges civiles cadaveris translatio fieri possit.*
6 *Quod cadaveribus impedimenta præstari non debeant.*
7 *De rationibus, ob quas gabella solvi non debeat pro cadaveribus.*
8 *An gabella pro animalibus debeatur, si ea sunt mortua.*
9 *De rationibus, ob quas fiant funera, & exequiæ.*
10 *Quare apud Gentiles aliquid solvebatur pro sepulchro.*
11 *Et quare hodie Parochis, & Clericis solvantur emolumenta, pro sepultura, & funeribus.*
12 *Damnatus quidam abusus circa hoc.*
13 *Unde proveniat opinio, vel traditio, de qua n. 2.*
14 *De exitu controversia, aliaque decisione.*

DISC. CLXVI.

1 SEquuta immatura morte, nunquam satis laudati Cardinalis Giberti Borromæi, in Oppido Neptuni, ad quod pro maritimi aeris salubritate, opportuno tempore se contulerat, ita expertus Lirici Poetæ dictum, quod in medio Tiberi, quandoque Sardinia est, Ejusque cadavere diligenter ad Urbem translato, duplex excitata fuit prætensio super ejusdem cadaveris vectigali, vel dohana; Appaltatoris scilicet dohanæ, aliorumque jurium Cameratiom Neptuni, pro extractione, & Dohanerii Urbis pro ejus introductione in Urbem; Cumque id pene totius Curiæ excitasset curiositatem, ac etiam ejusdem Cardinalis hæredes, veritatem inquirere curaverint; Hinc proinde, quæstione ad forum adhuc non deducta a pluribus meum judicium pro veritate desuper expetitum fuit.

Respondi itaque, quod licet fere per universum Orbem nostri commercii, ista vigere videatur opinio, sive publicanorum prætensio, ut pro cadaveribus de loco ad locum evehendis, quod in illis Principum, & magnatum, aliorumque potentium, frequentius, quam hominum privatæ fortunæ contingeret solet, vectigal, seu passaggium debeatur; Nihilominus, vana est opinio, nullo juris, vel rationis fundamento innixa, sive auctoritates legales, sive rationes attendamus.

Auctoritatibus etenim attentis, ita inter alios firmant Flor. *in l. ne corpora, ff. de Relig. & sumpt. fun.* Ferret. *de Gabell. n.* 96. Cujac. *lib.* 2 *observ. c.* 31. Faber. *in l. funeris* 37. *ff. eod. tit. in fin* Lara *de Anniv. & Capell. lib.* 1. *c.* 25. *præsertim, n.* 44. Molles *in dec.* §. 14. *q.* 4. *in princ.* Irandius *de protest. in appar. n.* 100. *cum seqq.* apud quos concordantes.

Omnes autem in id allegare solent tex. *in l. fin. C. de Relig. & sumpt. funer.* per quem asserunt correctam juris antiqui dispositionem; Verum iste videtur quidam communis error, qui derivat a consueto legistarum vitio, quod scilicet unus alterum inconsiderate transcribat, tum quia ille text. de hoc non agit, tum etiam quia nulla adest antiquior lex, quæ ita disponat.

Ad rem potius facere videntur text. *in l.* 1. *& l. si necdum* 10. *& l. penul. Cod. eod. tit.* dum in earum prima disponitur ex justa, vel necessaria causa, permittendam esse translationem cadaveris de loco ad locum, quæ permittitur etiam *in l. si nec dum*, ubi econverso prohibetur; quoties perpetuæ sepulturæ corpus traditum est; Unde propterea mos inolevit (quando id animo habeatur,) corpus sepeliendi provisionaliter, atque ut vulgo dicitur in forma depositi, text. autem *in l. penul.* hanc translationem quodammodo de Regalibus constituit, dum eam sine Augusti licentia fieri prohibet, nulla facta mentione alicujus solutionis vectigalis, vel alterius oneris.

Magis vero id probare videtur text. *in d. l. ne corpora, ff. eod. tit. de Relig. & sumpt. fun.* per quod generaliter disponitur, ne ossa, aut corpora mortuorum detineantur, aut vexarentur, neve prohiberentur, quo minus via publica transferrentur, quod proprie quæstionem decidere videtur, dum ita præsupponitur impedimentum, quod a vectigalium, & pedagiorum exactoribus forte in viis publicis præstabatur; Atque hinc Doctores communiter inferunt, ut corpora mortuorum, pro ære alieno, sive ex alia causa detineri non valeant, vel sequestrari, aut alias impediri, quo minus sepulturæ tradantur.

Idem dicendum venit, attenta ratione, cui pro genio semper dignior locus tribuitur; Ex duplici etenim causa, vectigal, seu aliud onus solvi debet, vel respective exigi potest; Primo, scilicet, ratione oneris mere personalis, vel tributi, quod juxta frequentiorem Juristarum loquendi usum, capitationem dicimus, pluries *hoc tit. insinuatam*, & præsertim supra *disc.* 102. & hæc species utique convenire non potest homini mortuo, qui non est amplius homo; Adeout nostri cum consuetis frigiditatibus, inferre soleant, quod gabella imposita pro quolibet animali intelligitur de animali vivente, non autem de mortuo, Moles *dec. d.* §. 14. *q.* 4. *n.* 4. *cum aliis sup. disc.* 62. *&* 71. *n.* 13. ubi tamen advertitur, quod in hoc ancodi magis debet substantia veritatis, quam formalitas verborum, quibus ita inhærere, semper est error.

Aut vero vectigal, seu dohana exigi prætenditur ratione mercimonii, sive introductionis, vel extractionis mercium, & bonorum, juxta ea, quæ de isto onere vectigalis, seu dohanæ, aut portorii, habentur supra *disc.* 65. 67. 68. & in aliis; Et tunc pariter nulla ratio suadet hanc solutionem, cum cadaver sit res omnino inutilis, nullusque existimationis, onde propterea ex motivo Religionis, & pietatis, vel ex alicto honorificentiæ, ut consuetudini satisfieret, sive ob viventium consolationem, aut denum pro illa majori pietate, quam Christiana Religio suggerit pro aliquo animæ defuncti suffragio, fiant ea, quæ cum tanto sumptu, & quandoque cum excessivo, ac damnabili

nabili solito luxu, pro Regionum moribus practicantur in defunctorum cadaveribus tumulandis, non autem, quod illi jam annihilato viro id congruat, & per consequens nulla subest ratio, ob quam pro sepultura aliquid solvi debeat.

Eatenus etenim, apud antiquos Gentiles aliquam solutionem fieri scriptum invenitur, quatenus juxta gentilitatis leges ac mores, ille ager, vel locus, in quem ca-
10 daver illatum esset, ex puro, seu prophano, fieret religiosus, unde propterea in commercio esse prohibebatur ex deductis per Frances *de Ecclesia Cathedrali*, c. 26. *num.* 136. & 153. Ideoque invito, vel ignorante domino in alieno prædio cadaver inferri prohibebatur, per text. *in l. 2. C. eod. tit. de Relig. & sumpt. fun.* & sic ob istud præjudicium, recte de ejusdem possessionis pretio, vel de æstimatione illius diminutionis, quam ita patiebatur, conveniri poterat.

Et quamvis hodie apud Catholicos, sepulchrorum, vel funerum emolumenta habeantur, etiam necessaria, favore Parochorum, aliorumque Clericorum sæcularium,
11 vel Regularium, ex iis, quæ in materia juris sepeliendi, & habentur pluries *sub tit. de Paroch.* & præsertim *disc.* 22. *cum plurib. seqq. disc.* 27. *cum seq. & disc.* 28. ac alibi; Attamen id provenit, non ex directa ratione funerum, vel sepulturæ; sed ex indirecta subrogatione istorum emolumentorum loco decimarum, quæ in loco ex consuetudine non solvantur, vel si solvantur, non sufficiant ad congruam substentationem eorum, qui curæ animarum, alisque divinis, pro populi servitio, ac salute sunt addicti, ex ea ratione, ut qui altari servit, de altari vivat, & ne bovi triturant os claudatur; Et ob quam rationem in aliquorum etiam Sacramentorum, aliorumque divinorum administratione, aliqua persolvi emolumenta, moribus probabiliter est inductum, dummodo tamen moderate, atque ad limites dictæ rationis id sequatur.

Atque hinc liquet, quam detestabiles, quinimo severa
12 punitione digni sint illi abusus, qui recensentur *lib. 9. tit. de testam. disc.* 24. & alibi, præsertim in aliquibus Apuliæ, aliarumque Provinciarum Regni Neapolitani partibus, quod scilicet moriente aliquo extero, vel etiam cive divite, sub hoc prætextu decimarum personalium, vel industrialium, per parochos, & forsan etiam per Episcopos, & per Capitula, magnæ fiunt extorsiones, repræsalias faciendo circa ipsa cadavera, iisque alias sepulturam retardando, vel denegando, quo nil turpius, magisque scandalosum, dum etiam Gentilium, ac Ethnicorum legibus adversum est, ut de pietate Gentilium in sepeliendo, & late Franc. *ubi supr. c. 26. ex n.* 110. & generaliter, *c.* 17. *& 26. per tot.* ubi de materia cadaverum, & sepulturæ, meritoque S. Cong. pluries improbavit.

Prædictæ autem traditionis, vel communis opinionis rationem, vel originem, diversam scriptores allegant; Puri etenim Juristæ id referunt errori, Gl. *in l. funeris* 37. *ff. de Relig. & sumpt. fun. verbo Vestiaria*, quod explicat pro
13 vectigalibus, sed male, ut advertit præsertim Cujac. cum quo pertransit Fab. ubi supra; Alii vero historice, seu erudite id referunt, antiquorum Romanorum moribus, ut per Besold. Petr. Greg. Guid. Panciroll. Cujac. & alios relatos per Irand. *in d. tr. de potest. in præl. seu Appar. n.* 98.

Quidquid autem sit, atque, sive una, sive altera opinio teneatur, nil ad praxim id refert, cum neutra concludat
14 super hujusmodi prætensionibus subsistentia, ut etiam iidem gabellarii agnoverunt, qui a prætensionis fomento, seu prosequutione abstinuerunt, eamque amplius prosequuti non fuerunt; Idemque ex Alexandro VII. vivæ vocis oraculo, nostra ætate decisum fuit, occasione consimilis prætensionis, quæ habebatur per plurium locorum gabellarios, & dobanerios, pro translatione cadaveris infantis Margheritæ de Sabaudia, nimium exemplaris vitæ, quæ in Urbe decedens, Assisii sepulturam elegit.

FANEN. MOLENDINI, PRO CIVITATE, CUM CORBELLIS.

Casus pendet coram A. C.

De eadem materia, de qua supra disc. 144. & 145. juris prohibendi constructionem novi Molendini. Et incidenter de iisdem, de quibus disc. 165. An scilicet Castra existentia in districtu, veniant sub nomine territorii.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quilibet potest construere Molendina, neque alter, qui jam habeat, id prohibet, & quando competat prohibitio.*
3 *De verbo territorium, an complectatur solum territorium particulare Civitatis, vel etiam totum districtum.*
4 *In flumine publico non possunt constitui Molendina sine licentia Principis.*
5 *Quod decisiones causarum hodie pendeant ex facto, & ac probatione situationis Castrorum in territorio, seu Comitatu.*
6 *Jus privativum, seu prohibendi est de regalibus.*
7 *De eodem, de quo n. 5. an Castra sint de Comitatu.*
8 *Observantia est interpres.*
9 *An aliqua divisio tollat unitatem territorii.*
10 *De ratione, ob quam gabella, & collecta diversimode exiguntur in Civitate, & in Castris, seu Villis.*
11 *Declaratur conclusio, de qua n. 2.*
12 *De eodem, & in quibus territoriis loquantur auctoritates, de quibus eodem n. 2.*
13 *Declaratur conclusio, de qua n. 4. circa usum fluminum, quæ sint de regalibus.*
14 *Flumina non navigabilia, an sint Civitatis, vel Baronis.*

DISC. CLXVII.

POssidente Civitate Fani quædam Molendina ad usum 1
triturationis tritici, aliarumque frugum redigendarum ad farinam in fluminibus Metauri, & Arsilæ, impositoque quodam onere super frumento molendo, in universum; Cum id produxisset controversiam, cum aliquibus particularibus possidentibus tria molendina in iisdem fluminibus, hinc Civitas, ista molendina emit, ac propterea obtinuit a Clemente VIII. circa finem decursi sæculi, approbationem dicti oneris impositi super frumento, donec solveretur pretium dictorum trium molendinorum, necnon concessionem juris prohibendi constructionem novorum molendinorum, tam in dictis fluminibus, quam alibi in toto territorio, sine tamen præjudicio refectionis jam existentium, probando quoque in eisdem literis quasdam capitulationes initas inter Civitatem, & Comitatenses, atque ita ab eo tempore, usque ad præsens, spatio circiter annorum octuaginta servatum fuit quod scil. alia molendinorum constructio sequuta non est; Cum autem Corbelli habentes aquas in prædio privato existente in Castro Carioceti, molendinum construere vellent; hinc Civitas obtinuit ab A. C. inhibitionem, pro observantia dictarum literarum Apostolicarum Clementis, super cujus moderatione assumpta desuper disputatione.

Scribentes pro construere volentibus, totum pene desumendo, ex jam deductis supra *disc.* 144. *&* 145. ex Capyc. Latr. *cons.* 106. *aliisque ibi relatis*, insistebant super natura- 2
li libertate construendi in suo, non obstante præscriptione, vel possessione prohibendi prætensa per Civitatem, ex vulgari regula desumpta, ex dispositione text. *in l. altius*, *S. de serv. & aqu.* de qua in his terminis locis citatis, & generaliter *sub tit. de serv. disc.* 1. *cum plur. seqq.* & de molendinis, *eod. tit. de serv. disc.* 30. quod scil. in facultativis non datur præscriptio, neque possessio manutenibilis, non præcedente prohibitione, cum subsequuta acquiescentia.

Respondendo autem ad prædictam Apostolicam concessionem dicebant; Primo, quod illa intelligenda essent de territorio in stricta significatione, idest proprio, & 3
particulari ipsius Civitatis contradistincto ab illo Castrorum, non autem de toto Comitatu complexivo territorii Castrorum; Potissime dum adest formalis contradistinctio inter Civitatem, & Castra, cum distinctionis finibus, unde propterea pro bonis existentibus intra eorum limites contradistinctos ab illis Civitatis, solvuntur onera Cameralia, & alia cum quadam diversa forma collectandi, & cum formali communitate diversa; Atque exinde inferebant, quod Castra dicerentur de Comitatu, seu districtu Civitatis improprie, ac remote in sola ratione jurisdictionali, ob subjectionem eidem Gubernatori, non autem de Comitatu proprio, denotante unum, & idem territorium, atque unum, & idem corpus juxta distinctiones, de quibus supra in Interamnen. juris collectandi, *disc.* 165.

Et secundo, quod concessio intelligenda de constructionibus in dictis fluminibus, tanquam publicis, a quibus 4
non licet divertere aquam sine licentia Principis, cum sint de

de Regalibus, in id allegando Mandell. *conf.* 505. *num.* 2. Capyc. Latr. *d. conf.* 116 *n.* 17. Bucciet. *de Reg. cap.* 2. *num.* 165. *cum. seqq.* Altograd. *de jure Maest. l.* 3. *c.* 3. *n.* 5. *& seqq.* non autem ubi agitur de aqua existente in prædio privato, quæ dicitur de dominio privato Domini prædii, qui pro libito illa uti potest, ex iis, quæ ad istam materiam aquæ nascentis, vel existentis in fundis privatis, pluries habentur *eodem tit. de servit. disc.* 25. *cum plur. seqq.*

His autem non obstantibus, scribens pro Civitate (etiam cum sensu veritatis) contrarium dicebam videri probabilius; Non negabam siquidem dictas propositiones, seu regulas in suis casibus, sed negabam earum applicationem, juxta hodiernam frequentiorem contingentiam in omnibus
5 pene forensibus controversiis; Imprimis autem insistebam in facti præsupposito, quod videbatur basis, & fundamentum totius causæ, quod scil. istud Castrum, prout pleraque alia adjacentia, essent sine dubio de vero districtu, & Comitatu Civitatis, ex pluribus claris demonstrationibus, & præsertim ex publico instrumento, per quod, mediante opera Commissarii Apostolici, ista Castra, quæ se rebellaverant a Civitate, denuo illam agnoscunt in superiorem, & matrem, cum expressa declaratione, quod essent de ejus territorio, & Comitatu, ac etiam ex alio instrumento transactionis super modo distributionis onerum, & collectandi, atque capitulationibus approbatis in iisdem litteris; Accedentibus etiam, allibratione omnium bonorum existentium intra fines istorum Castrorum in catastro Civitatis, & aliis probationibus, & enunciativis, & præsertim, quod Civitas specialiter in isto Castro Carroceti deputat potestatem, cum sola confirmatione Gubernatoris Apostolici, ex quibus imo minoribus probari istam qualitatem, aliis relatis firmatur in Cesenat. seu Sarcinat. Emphyteusis 10. Junii 1642. Gluslerio, approbata in eadem causa *dec.* 100 *p.* 9. *&* 199. *p.* 12. *rec.*

6 Isto igitur vero certo, & incontrovertibili præsupposito sic stante, quod scilicet ista Castra essent de vero, & proprio Comitatu, non ex sola ratione jurisdictionis, & subjectionis eidem gubernio, sed in ratione unitatis territorii, & constitutionis unius corporis juxta distinctiones, de quibus supra *disc.* 72. 94. *&* 165 adeout Papa loquente de universo territorio, de jure veniant etiam Castra, ex deductis in proxime citatis locis; Ita dicebam fundatam esse intentionem Civitatis in prædicta concessione Apostolica, quæ tanquam expressa, & litteralis, non admittebat quæstiones, & argumenta ad vulgatam regulam textus *in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3.

Quamvis enim verum sit, juxta deducta *disc.* 144. *&*
7 145. & alibi pluries *hoc eod. tit. & tit. de feud. disc.* 3. ubi etiam in specie molendinorum, quod istud jus privativum, seu prohibendi sit de regalibus, non obtinendum, nisi ex concessione Principis supremi, adeout Civitas subdita id statuere non valeat, nisi cum propriis subditis de illorum consensu, tanquam per speciem voluntariæ collectæ, ex deductis *d. disc.* 144. Attamen ista difficultas de plano sublata remanebat ex facto, ob existentiam privilegii Apostolici, quod omnem dubitandi occasionem tollit, quoties non obstet defectus comprehensionis.

Quatenus itaque pertinet ad punctum comprehensionis, ad quem revera causa restringebatur, an scil. illa verba *in toto territorio*, intelligenda veniant de territorio particulari Civitatis, vel de illo totius Comitatus complexivo Castrorum, quorum territorium esset unum indivisibile; Dicebam probabilius videri hanc secundam partem, pro comprehensione totius Comitatus, tum ex regulis juris, de qua in *d. disc.* 72. 94. *&* 165. tum etiam, & clarius ob duplicem facti circumstantiam, Primo, nempe ob amplitudinem, & universalitatem hujus verbi, *territorii*, dum dicitur in toto; Et secundo quoniam occasione enunciandi situationem molendinorum emptorum, ut supra, fit mentio de agro Civitatis, sub cujus vocabulo explicari solet territorium Civitatis contradistinctus a finibus particularibus singulorum Castrorum, unde propterea adest clara discretiva, inter agrum, & territorium, & per consequens dici non potest, quod sub nomine territorii, juncto cum dicto verbo denotante universalitatem, seu totalitatem, veniret solum ager, juxta ea, quæ circa hanc discretivam loquutionem in jure habemus in omni pene materia, & præsertim *tit. de fideic.* in ea quæstione an sub nomine filiorum veniant descendentes, cum similibus.

Omnemque difficultatem in hoc proposito tolli dicebam, ob sequutam observantiam, quæ dicitur optima inter-
8 pres, ubi præsertim habeat verisimilitudinis fomentum, ex iis, quæ in terminis interpretationis indulti Apostolici habentur *dec.* 59. *n.* 12. *p.* 10. *rec. & frequenter.* Improbabile etenim est, quod tam diuturno tempore, alterius molendini constructio neglecta fuisset, nisi illud privilegium coercuisset, ut ponderatur quoque supra *disc.* 145.

Neque hanc territorii unitatem tollit diversitas communitatis, seu modi collectandi, & solvendi onera, quoniam ut advertitur quoque supra in Interamn. *disc.* 165. hujusmodi accidentales divisiones ad certos effectus, non tollunt 9 substantiam unitatis; Adinstar eorum, quæ habentur in materia jurispatronatus, seu feudi individui *sub tit. de feud. disc.* 8. *& alibi*, ac etiam *sub tit. de præem. disc.* 3. *cum duob. seqq.* in uno corpore formaliter individuo Capituli, quod sit materialiter divisum, seu distributum in plures Ecclesias, cum diversis juribus, diversoque modo vivendi, atque passim exemplificant DD. in una, eademque Civitate divisa per contratas, vel quarteria, quod una pars supportet aliqua onera, quæ non supportentur per alteram, puta pro constructione, vel refectione pontis, pro usu, & commoditate unius partis, quæ solum contribuat, non autem altera, quæ tali ponte non indigeat, cum similibus.

Atque frequens videtur iste usus, quod Civitas supportet 10 onera uno modo, & Castra supportent altero; Ut præsertim occasione gabellæ carnis, & exemptionis religiosorum, pro ea carne, quam extra Civitatem in ejus Castris, & Villis eleemosynaliter obtineant, de Reatina Civitate habetur supra *disc.* 57. ob congruam rationem, quod Civitas, quæ muris recincta est, atque cum portis, speciem clausuræ habet, unde propterea fraudibus magis occurri potest; 11 atque personæ nobiles, & civiles vivunt, publica onera commodius supportantur, mediantibus gabellis super pane, vino, carnibus, aliisque victualibus, dum ita cum majori facilitate mediante victualium usu, a sponte dantibus insensibiliter exiguntur, nimium vero incommodum, & difficile est practicare collectas & contributiones; E converso autem, in Castris, & Villis, seu rusticanis domibus sparsis per Comitatum, vel territorium, id est pene impracticabile; Tum ob locorum aperturam, ob quam fraudibus occurri non potest; Tum etiam quia, ob qualitatem Incolarum, magis practicabile, & opportunum est vivere per collectas, seu taxas, & contributiones; Non per hoc tamen cessat unitas corporis, & territorii; Quinimo in eadem Civitate dignoscitur iste discretivus modus supportandi publica onera, inter nobiles, & plebeos, ut illi ea supportent per collectas super bonis per æs, & libram; illi autem per collectam personalem, quæ capitatio dicitur, cum similibus.

His autem sic stantibus, atque respondendo ad assumptum, de quo supra, quod scilicet in facultativis non detur præscriptio, vel possessio, sine prohibitione, cum subsequuta patientia; dicebam id recte procedere, quando pos- 12 sessor, soli possessioni, vel temporis beneficio innitatur; Secus autem, dum accedit titulus explicitus, qui solus, & de per se sufficit, atque ex eius prætenditur ratione non comprehensionis, quoniam tunc possessio temporis considerabilis attendenda venit in ratione interpretationis magis, quam in ratione possessionis, atque alias esset de facto eludere, vel circumscribere omnia hujusmodi privilegia, sub hoc prætextu, & consequenter, quando ex observantia, vel possessione, in constat de privilegii effectuatione, tunc accedere debet res judicata in petitorio, quæ illud declaret, atque interim habens privilegium conservari debet in eo statu, qui sit uniformis privilegio.

Hinc proinde resultat, extraneas remanere auctoritates, 13 quæ in hac materia habentur, de quibus praecipuum apud Capyc. Latr. *d. conf.* 116. cum aliis *d. disc.* 144. *&* 145. cum procedant in dicto alterio casu longe diverso, quod scil. ille, qui prætendit illud jus privativum, seu prohibendi, innitatur soli possessioni, & observantiæ, potius præscriptive, quam interpretative; Secus autem ubi titulus explicitus ad id habilis adsit, possessio autem deducatur, tanquam effectuativa, & observantia interpretativa, ad elidendam exceptionem non comprehensionis.

Nullius quoque momenti videbatur differentia constituta inter aquas privatas, & illas fluminum; Tum quia concessio Apostolica in verbis dirimit quæstionem, dum facta mentione fluminum, Metauri, & Arillæ, existentium in hoc territorio, subjungitur verum universale, & alibi, complexivum omnium aliarum aquarum; Tum etiam quia, ut patet ex eodem textu *in c. unic. quæ sint regalia*, ea flumina, vere, & proprie dicuntur publica, ex illa publicitate, quæ redolet regaliam, unde propterea construi non possunt molendina, & alia ædificia, quæ

causent

causent diversionem aquæ, vel impedimentum navigationis, quando sint navigabilia, sive sint etiam parva, sed quod eis constituatur flumen navigabile ratione publicæ utilitatis, ob quam, etiam extra navigationem, pro aliis publicis usibus cessat illa facultas, quæ de jure dominis prædiorum conceditur, divertendi aquas privatas in eis existentes, ex deductis *sub tit. de servit. disc.* 13. Secus autem ubi agitur de fluminibus non navigabilibus, quæ dicuntur etiam publica improprie, vel scilicet ad denotandum usum publicum Civium, & incolarum, tam pro irrigationibus, quam etiam pro usu molendinorum, aliorumque ædificiorum, juxta casus, de quibus *d. tit. de servit. disc.* 28. & 30. Sive dicuntur publica ad excludendum dominium mere privatum; atque ad denotandum dominium publicum habituale, quod sine præjudicio usus Civium, & Incolarum, residere dicitur, vel penes Communitates locorum, vel penes Barones, & Domicellos, juxta quæstionem insinuatam,
14 occasione Montium, & forestatum, *sub tit. de feud. disc.* 2. & alibi; Et super quo puncto certa regula statui non potest, ac propterea dignoscitur consuetus error procedendi cum generalitatibus, vel cum traditionibus DD. in sola littera, non distinguendo regiones, quoniam in aliquibus regionibus, vel principatibus, ex consuetudine regula assistit Baronibus, ut ipsorum sint flumina, ut apud Franch. & add. *dec.* 183. & alios plene apud Prat. *discept.* 47. *lib.* 1. E converso autem in aliis regionibus, vel principatibus esse solent Communitates, ut præsertim patet *d. disc.* 30. *de serv.* Clarius vero in hac facti specie id comprobari dicebam, ex eisdem litteris, ipsaque facti serie, dum plures particulares actu possident molendina antiquiora; quæ per privilegium præservata fuerunt, ac etiam possidebantur per tres alios, a quibus ipsa Civitas emit, unde propterea concessio Apostolica non fuit pro facultate construendi molendina, quæ requiritur in illis fluminibus publicis, quæ sint de regalibus, sed solum pro jure privativo, & prohibendi.

PLACENTINA INTRODUCTIONIS SALIS,

PRO MARCHIONE MALVICINO FONTANA,

CUM FISCO, SEU CAMERA DUCALI.

Responsum.

De facultate introducendi salem, illumque vendendi privative, An sit de regalibus, adeout competere non valeat feudatariis, & Domicellis inferioribus; Et quatenus competit, an concessio istius juris in appaltum sub aliqua pensione, vel mercede, importet novam impositionem gabellæ, vel abusum ejusdem juris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Salaria est de regalibus, & non competit Baronibus, & Domicellis subditis.*
3 *De distinctione inter salinas, & salarias, & de jure privativo furnorum, & molendinorum.*
4 *Quod in hoc jure privativo inesse dicatur vectigal, seu gabella, & quomodo.*
5 *Quando id procedat, vel potius jus privativum importet bonam administrationem.*
6 *Quando possessio alicujus regalia importet potius passivam exemptionem, seu franchitiam ab onere.*
7 *Quod regalia minora, seu remedia quandoque obtineantur per Barones, & Domicellos.*
8 *De eodem, & quando hæc jura congruant etiam Domicellis.*
9 *Quid importet jus introducendi, & distribuendi salem, pro certo pretio inalterabili, & non nimium alterato.*
10 *Quod officia, vel appaltus portarum, vel nivis sint de regalibus.*
11 *Unde proveniant emolumenta, quæ resultare solent a dictis juribus privativis, absque eo, quod importent vectigal.*
12 *An Dominus teneatur de fraudibus, & culpis appaltatorum, & quando.*

D I S C. CLXVIII.

1 Existente ab immemorabili tempore Dominio Castri Nibiani in possessione privativa, introducendi in Castrum, pro usu Civium, & incolarum, ac aliorum in territorio existentium, salem, ut ibi dicitur, grossum. Cum modernus Marchio tale jus concessisset in appaltum quibusdam negotiatoribus, sub annua pensione librarum 300. sub lege non alterandi consuetum pretium. Hinc fiscales prætendere cæperunt; quod Marchio dicta facultate abusus fuerit, atque ita quod jura regalia Principis usurpaverit, implicite imponendo novum datium, vel gabellam subditis, sive ita dando præfatis appaltatoribus occasionem fraudandi Cameram Ducalem in dario salis, ob distributionem, quæ fieri posset extra territorium. Ac propterea desuper ex parte ejusdem Marchionis responsum petitum fuit. Sed quia communicata non fuerunt jura, seu fundamenta, quibus fiscales innitebantur, ideirco maturum judicium pro veritate non de facili efformare potui. Cum præsuppositis autem contentis in notula transmissa, loquendo potius in abstracto, quam in concreto, tres efformabam insper ctiones. Primo nempe super ipso jure, seu ipsa facultate hujus conductionis, & privativæ distributionis, pro certo pretio ab antiqua consuetudine taxato. Secundo superadhuc non practicato modo, concedendi in appaltum istud jus producendi, & distribuendi pro annua recognitione, an importaret, necne dictæ facultatis abusum, vel implicitam impositionem novi operis, & gabellæ. Et tertio, quatenus aliqua exinde innovatio subditis, ac Incolis præjudicialis non sequeretur, sed quod Appaltatores ista occasione fraudes committerent, distribuendo salem extra Castri territorium in præjudicium appaltus generalis Cameræ Ducali, an id importaret aliquod ipsius Marchionis delictum punibile.

Quatenus itaque pertinet ad primum punctum, dicebam, quod licet istud jus introducendi salem in loco, illumque vendendi, vel distribuendi privative ad alios, ex quodam communi omnium principatuum usu, sit de regalibus, atque registretur *in c. unic. quæ sint regalia*, ideoque denegetur Baronibus, vel Domicellis subditis, ut docet notoria praxis forte omnium principatuum nostri Orbis communicabilis, ut patet ex deductis *supra a disc.* 105. *cum plur. seqq. ad* 115. & *disc.* 158. & 159. in quibus de ista materia salis, & salinarum agitur, ibique allegantur concordantes, & præsertim Decius *cons.* 291. *alias* 293. quod in hac materia circumferri solet. 2

Attamen juxta ibi recensitas distinctiones, inter salinas, & salarias, regalia proprie non consistit in salinis materialibus, in quibus sal fabricatur nisi istæ quoque ex legibus, vel consuetudine principatus effectæ sint juris regalis, seu privative Principis, dum pro regula magis generali, regalia consistit in salaria, id est in jure privativo introducendi, aut distribuendi salem, pro pretio alterato, ex eo quod ista alteratio in effectu continet sub se vectigal, seu collectam, quæ ita a subditis insensibiliter mediante usu hujus victualis exigitur, eodem modo quo sequi dicitur in quocumque alio jure privativo vendendi victualia, vel alia humano usui necessaria, ut occasione juris privativi aperiendi furnos, seu vendendi panem, & similia, habetur supra in Veliterna, *disc.* 61. & *alibi*. 3

Et per consequens id procedit, quando verificatur dicta ratio alterationis pretii intrinseci materiæ, quoniam illo extrinseco pretio alterato, vectigal, seu onus consistere dicitur, exindeque inferri dicebam, quod ubi in hac facti specie consuetum antiquum pretium, pro quo distributio fieri consuevit, dicendum veniret solum intrinsecum, & naturale, id est proportionatum expensis, quæ fiunt in fabricatione vel emptione materiæ, ejusque vectura, & conservatione, aliisque expensis, tunc vere, & proprie nulla adesse dicitur regalia, cum id solum importet quamdam provisam oeconomicam administrationem, & curam favore subditorum. 4

Neque qualitas juris privativi, sola, & de per se redoler pernecesse regalia (ut aliqui male opinantur) quoniam, ut præmissum est, eatenus illa id importat, quatenus sub se continuat dict. implicitum vectigal, quod inest in pretio extrinseco, & alterato, cum in his, vel in similibus materiis, cessante ista circumstantia, jus privativum referendum veniat potius rectæ administrationi, quod congrui fieri per unam manum, seu unam personam ad tollendas confusiones, sive quod ita non posset bene consuli publicæ necessitati, vel commoditati, juxta ponderationes de quibus occasione custitationum, seu portus litterarum, ac etiam occasione provisionis, vel appaltus nivis, habetur supra *disc.* 46. Ac etiam occasione refectionis aggerum, vel expurgationis locustarum, & similium, habetur pariter infra *disc.* 59. & *sub tit. de serv. disc.* 46. cum similibus. 5

Sive quod isto casu, vere, & proprie, non esset exercere

jus

prohibeat, & quatenus cum prohibitione, vel punitione non consulatur, cogi potest, ut illum removeat, non autem, ut exinde ipse dicendus veniat criminosus, & punibilis, per solum actum locationis, isteque videbatur casus præcisus. Et per consequens concludendo, nisi aliæ adessent ignotæ facti circumstantiæ, mihi videbatur, quod molestiæ essent indebitæ. Incertum tamen est, quid sequutum sit,

ROMANA PORTÆ SANCTI PAULI

PRO JULIANO, CUM CAROLO, ET IGNATIO DE CAPRANICA.

Casus decisus per Rotam pro Juliano.

De eadem materia, de qua supra disc. 5. an officia sint ad vitam, vel transmissibilia ad successores. Et quando omissa mentio litis obstet gratiæ, & aliqua de Constitutionibus revocatoriis.

S U M M A R I U M.

1 *Solent in Urbe nobiles habere officia mechanica ad utilitatem.*
2 *Super officiis solent etiam imponi census.*
3 *Facti series.*
4 *Resolutio.*
5 *De generalitatibus super exequutione litterarum Apostolicarum, & quod debeant præsupponi.*
6 *De stylo interlineandi in supplicationibus ea, quæ concedi nolunt.*
7 *Officia de eorum natura sunt personalia, & ad vitam.*
8 *Habens pro se regulam, dicitur habere intentionem fundatam.*
9 *De adminiculis facti, quod concessio esset personalis.*
10 *Quando omissa mentio litis non præjudicet gratiæ.*
11 *De Constitutionibus revocatoriis concessionum officiorum.*
12 *Quando concessio dicatur ex causa onerosa.*

D I S C. CLXIX.

1 CUm ex Urbis consuetudine enunciata supra *disc. 2. & disc. 21. & in aliis*, etiam viri nobiles quædam officia mechanica acquirere, ac retinere soleant ad solum emolumentum, exercitio penes famulos, vel conductores residente, illaque soleant etiam esse perpetua, ut pro-
2 pterea super eis imponantur census, *ut disc. 19. de Cens.* Hinc Angelus nobilis Romanus de familia Capranica, de qua agitur *disc. 106. de fideic.* de anno 1563. ex causa resignationis onerosæ ad favorem a possessoribus, tamquam per speciem illius emptionis, de qua in præcedentibus plu-
3 res obtinuit a Pio IV. concessionem officii Custodis Portæ S. Pauli ad ejus vitam, ut concedi in præteritum consueverat, deindeque de anno 1565. in gratiam familiaris ejusdem Papæ intuitu cujusdam summæ eidem familiari solutæ, obtinuit prorogationem ad vitam Dominici, sed in supplicatione signata per concessum, pro quodam stylo tunc currente, adjecta fuerunt verba denotantia perpetuitatem pro omnibus ejus filiis, & descendentibus.

Defuncto vero Angelo, Dominicus officii possessor a Greg. XIII. de anno 1577. obtinuit aliam prorogationem ad vitam Andreæ filii, contra quem post mortem patris, alii filii, & nepotes respective, prætendentes in vim dictæ secundæ concessionis Pii, coæquale jus habere, litem desuper introduxerunt in Camera, qua pendente, Andreas de mense Maii 1621. facta litis mentione obtinuit a Greg. XV. prorogationem in persona Hyacinthi filii primogeniti, cum facultate, ut emolumentorum participationem aliis filiis concedere posset, ut in testamento fecit, atque de mense Junii sequentis ejusdem anni proposita causa in Camera, prodiit resolutio, ut dicta concessio Pii esset ad vitam, non autem perpetua, neque ulteriorem progressum lis habuit. Sed de anno 1653. Hyacinthus prole carens obtinuit ab Innoc. X. aliam prorogationem in persona Juliani filii Bartholomæi unius ex dictis colligantibus. Quare sequuto ejus obitu, dicto Juliano petenti coram Vicegerente litterarum Apostolicarum exequutionem, pro adeptione possessionis officii, Carolus, & Ignatius Hyacinthi fratres, ægre ferentes amissionem dictæ participationis, se opposuerunt excitando dictam prætensionem perpetuitatis, eorum tamen prætensione non obstante, prodiit sententia super exequutione. Commissaque per Signatu-
4 ram Justitiæ causa in Rota coram Taja, cum clausula translstiva exequutionis, *parito litteris arbitrio*, sub die 15. Martii 1675. Juliano favorabilis prodiit resolutio, pro exclusione arbitrii.

Præsuppositis itaque consuetis generalitatibus, super quibus pro corrupto, inepto quidem stylo moderno, fieri solet inanis chartarum repletio, quod scil. literæ 5
Apostolicæ justificatæ, habeant exequutionem paratam, non retardandam, per exceptiones dubias, & altioris indaginis, quodque arbitrium reguletur a jure, ideoque non interponendum, non quando incontinenti constet de vitio gratiæ, cum similibus cautionibus, quas, utpote notorias, & quotidie decantari solitas, sufficere deberet breviter indicare, ac præsupponere, nulla penitus allegationum dote eis attributa. Punctus erat in objectis, quæ duo erant. Unum scil. dictæ prætensæ perpetuitatis, & concessionis æqualis favore omnium, & alterum invaliditatis ob non factam mentionem litis pendentis in Camera. Neutrum tamen in utraque instantia scribens pro Juliano, subsistentiam aliquam habere dicebam.

Quatenus enim pertinet ad primum. Quamvis inter causæ patronos, aliosque scribentes hinc inde, nimium certaretur super formalitate verborum supplicationis, quod scilicet in aliquibus partibus diceretur pro Dominico ad ejus vitam tantum, in aliis vero diceretur generaliter pro filiis, & descendentibus, an scilicet ista posteriora verba censerentur 6
delata per quædam signa in forma crucis, cum nolita, cassari, seu interlineari, aut alias signari soleant, juxta stylum, de quo fit mentio *disc. 65. de testam. & disc. 36. de benef. ac etiam disc. 9. in relat. Cur. & alibi*, ut probabilius videbatur.

Dicebam tamen, opus non esse in hoc principaliter insistere, cum negari non posset, quin ex hujusmodi contrarietate, dubietas resultaret, idque sufficiens esset, ut pro consueta vitalitia qualitate, ac restrictione ad vitam Dominici, respondendum esset, tam ex jure, quam ex facto, ejusque adminiculis, & argumentis.

Ex jure scilicet, quoniam regulariter officia illa, præsertim, quæ aliquod industriæ, vel fiduciæ personalis mi- 7
nisterium annexum habent, sunt personalia, & ad summum, ad vitam, cum quandoque etiam manualia esse soleant, ex plene deductis per Barbos. *in l. quadam tale n. 78. ff. solut. matrim.* Cyriac. *controv. 298. num. 1. & 2.* cum aliis, de quibus supra *disc. 5. in princ.* ubi ampliatur, id procedere, quamvis adesset dictio, *in perpetuum*, super quo pro consueto collectorio more multa colliguntur per ibidem allegatum Prat. *discept. 18. n. 72. vol. 2.* Et in individuo hujus casus, Spad. *cons. 146. lib. 1.* qui tanquam Advocatus Cameræ scripsit in dicta causa de anno 1621.

Illa vero est regulæ legalis frequenter enunciata operatio, præsertim *disc. 22. de judic.* ut fundet intentionem ejus, cui assistit, donec probetur limitatio, atque non præsumitur, sed per allegantem probanda est. Multo igitur 8
magis, ubi eadem regula comprobata remaneat a praxi, vel observantia generali Curiæ, de qua supra *disc. 1. cum plur. seqq.* ac etiam a particularibus hujus officii, quod de præterito ita conferri consuevit, ita quoque ejus qualitate, seu ministerio existente, cum quamdam administrationis speciem habeat, ut distinguendo advertitur *d. disc. 5.*

Ex facto quoque idem comprobari observabam. Primo nempe, quoniam in mandato de observando, quod illico de anno 1565. expeditum fuit per Cameratum, cum prorogatione ad solam vitam Dominici, ideoque tanquam observantia valde proxima, nimium attendenda est.

Secundo in idem, quoniam in annotatione libri Cameræ pariter ad solam personam Dominici fit restrictio. Tertio, quia de tempore recensi intra spatium scilicet duodecim annorum, & minus idem Dominicus recte conscius qualis esset gratia sibi concessa, prorogationem 9
ad vitam Andreæ obtinuit a Gregorio XIII. contra omnem verisimilitudinem, præjudicando aliis filiis, & descendentibus propriis.

Quarto, ob dictam resolutionem hujus Tribunalis, & Cameræ, cum subsequota acquiescentia. Quinto in idem, quia idem Bartholomæus, qui cum aliis litem in Camera sustinebat, ut supra, curavit obtinere dictam prorogationem ad favorem ejus filii tunc infantis, quibus omnibus simul junctis, tam in facto, quam in jure ita res videbatur omnino plana. Adeout sufficeret hæc observantia, quamvis non esset temporis valde considerabilis, utpote interpretativa, ex deductis *disc. 21. de judic.* multo magis, dum erat per sæculum, & ultra, adeout intraret etiam termini observantiæ præscriptivæ, atque ad hunc effectum sufficiebat ultimus status, juxta de-

ducta *disc. 104. de feud. disc. 15. de jurepatr. & sæpius sub tit. de benef.*

Quo vero ad alterum objectum non factæ mentionis litis, tres adhibebam responsiones. Primo nempe, quod
10 ipsi non essent legitimi contradictores, utpote nullum interesse habentes, dum eorum jus non aderat ex dicta concessione, ut supra, minusque aliquod jus prætendi poterat ex dicta participatione emolumentorum, cum illa non tangat substantiam officii, neque aliquod jus in re, vel ad rem tribuat, aut liberam vacationem impediat, sed solum contineat gravamen ipsius officialis, ut emolumentorum participationem alteri tribuere debeat, ex iis, quæ pluries habentur in præcedentibus, respectu eorum, qui pecunias tribuant ad emptionem officii in persona alterius pro commodo emolumentorum, ac etiam in proposito participationis appaltuum, habetur *disc. 27. de locato*, & alibi pluries.

Secundo, quod lis per silentium triginta annorum, & ultra, stante præsertim malo jure, tanquam habita pro derelicta de tempore hujus gratiæ, dici poterat deserta, ideoque illius mentio facienda non erat, ex iis, quæ habentur *disc. 92. de benef.* & alibi.

Et tertio, quoniam juxta plene firmata apud Bich. *dec. 286. & 301. & disc. 66. de feud.* & alibi pluries, tunc omissa litis mentio subreptionem causat, quando per illam, aliquod jus alteri quæsitum sit, cui gratia præjudicet, secus autem, ubi per novam gratiam in nihilo colligitanti præjudicetur.

11 Fortius vero, pro exclusione oppositorum procedere dicebatur stante superventa de anno 1624. Constit. 30. Urb. VIII. revocatoria hujusmodi concessionum officiorum in perpetuum. Et quamvis in contrarium nimium insisteretur in eo, quod Constitutio revocat concessiones, ex gratia, non autem illas, quæ sint ex causa onerosa, & correspectiva, cum tunc justitiam potius redoleant, ex iis, quæ in proposito consimilium Constitutionum revocatoriarum habentur *disc. 4. de feud. & sup. hoc tit. disc. 47. & 56.* & alibi. Ac etiam *sub tit. de jurepatr. disc. 10. & 65.* & alibi. Attamen erat leve fundamentum, quoniam id rectè procedit, quando onus, vel correspectivitas sit ad favorem ipsius Cameræ, juxta casum, de quo *d. disc. 4. de feud.* ac etiam supra *disc. 47.*
12 *& 56.* cum similibus, cum ita esset violare justitiam, & æquitatem, obtinendo rem, & pretium. Secus autem, ubi ex parte Cameræ concessio sit gratuita, quamvis ex parte concessionarii sit onerosa, ob pretium solutum privato, cui Pontifex gratificari voluerit, cum tunc dicatur etiam pura gratia facta per personam Pontificis, ad cujus commodum revera cedit, & a quo potius gratiatus obtinere dicitur. Ad instar eorum, quæ *sub tit. de dote disc. 30. & 154.* & alibi, habentur de dote, quæ uni contemplatione alterius detur, ut dotata non a dotante, sed a contemplato potius obtinere dicatur, cum similibus.

MELEVITANA DEPRÆDATIONIS.

Responsum pro veritate ad petitionem incerti recurrentis.

De repræsaliis, vel deprædatione bonorum, quæ jure belli fiant contra subditos infidelium, vel inimicorum, quamvis ipsi bonorum Domini sint fideles, vel respective bellum non exerceant. Et quid inter subditos Principum Christianorum, inter quos vigeat bellum.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversiæ.*
2 *De materia text. in capit. 6. de Judæis, super Christianis, qui opem ferunt infidelibus.*
3 *De dominio bonorum, quæ occupantur jure belli.*
4 *Quod ista non sint quæstiones Juristarum.*
5 *In hac materia non attenditur diversitas Religionis, sed alia ratio.*
6 *De publica, & generali inimicitia cum Turcis, & prohibito cum eis commercio.*
7 *Quare eorum commercium habeatur in portibus, & emporiis, & quomodo permittendum.*
8 *Quod quandoque inimicorum subditis prohibeatur commercium, & quare.*
9 *An liceat deprædari personas, & bona subditorum Principis inimici.*
10 *De modo intelligendi dubia Doctorum, vel leges.*
11 *De eodem, de quo num. 9. & quis non sit subditus, sed adhærens.*
12 *Quod in hac materia non debeat procedi cum legibus civilibus Digestorum, & Codicis, & de ratione.*
13 *Et cum quibus legibus procedi debeat.*
14 *De legibus Maris, vel navigationis.*
15 *Distinguuntur species inimicitiæ.*
16 *De deprædationibus inter Christianos inimicos jure publico.*
17 *De eisdem jure privato.*
18 *De deprædationibus infidelium, vel eorum subditorum.*
19 *Quid de Christianis subditis Turcarum.*
20 *Quod etiam in pugna inter singulas naves intrat ratio belli.*
21 *An deprædationi, vel repræsaliis in Mari obstet ratio violationis libertatis naturalis.*
22 *Quando laicis concedatur cognoscere de statu personarum, an sint fideles, vel infideles, vel Schismatici.*

D I S C. CLXX.

Cum, ultra Sac. Religionis Hierosolymitanæ triremium classem, quæ contra infideles, ad eos coercendum, ne fideles infestent, atque in servitutem redigant, mare cursitare solent, quamplures adsint in eadem 1
Insula Melevitana belligeræ naves, quæ ad differentiam aliarum, quæ gratia mercium vehendarum tenentur, pyraticæ dicuntur, eandem facientes cursitationem, incertæ belli aleæ expositæ, quod scilicet cum Turcarum navibus maritimum ineuntes bellum, capiant, vel capiantur. Contingat autem aliquas, ex Græciæ, & Armeniæ, aliarumque partium, Turcarum Imperio subjectarum, naves Schismaticorum, vel Catholicorum Christianorum Mercatorum reperiri, cum quibus, utpote fidelium amicorum non ferentibus vexillum, sive ob vexilli suspicatam simulationem, pati nolentibus illam visitationem, seu recognitionem, quam leges, vel consuetudines navigationis permittunt ad effectum recognoscendi, an vere fidelium, vel infidelium sit. Et quatenus etiam sit fidelium, an in eis infidelium hostium personæ, vel bona adsint pro eorum deprædatione, ac respective servitute, ideoque pertingat haberi pugnam, dictasque naves in propriam reduci potestatem, ac deprædationem, atque ad eam impediendam objici soleat de ipsorum fideli qualitate, quodque tanquam Christiani subjacere non debeant illis deprædationis legibus, quibus infideles hostes subjacent. Hinc proinde ad eas dirimendas quæstiones, quæ desuper oriri solent, plurium Curiæ Advocatorum consilium pro veritate expetitum fuit super quatuor dubiis, per hæc præcisa verba conceptis.

Primo, an deprædari possint per triremes, vel pyraticas naves Insulæ Melevitanæ personæ, & bona Christianorum Schismaticorum, quæ reperiuntur in triremibus, vel navibus Turcarum, quorum sint subditi, vel etiam in navibus ipsorum Christianorum subditorum, Tyranni Turcarum.

Secundo, ad quem Judicem pertineat cognoscere de Schismate.

Tertio, an Christiani, etiam Catholici, Turcarum subditi, qui voluntarie arma sumunt contra Christianos, possint in persona, & bonis deprædari.

Et quarto super modo probandi dict. voluntariam assumptionem armorum.

Cumque in eadem notula in dubiis data, insinuaretur textus *in cap. ita quorumdam 6. de Judæis*, quasi quod ab ejus dispositione, vel intelligentia penderet dubiorum re- a
solutio. Hinc inter alios Ego consultus, prius quam ad dubiorum examen descenderem, præmittebam, extraneos esse a casu quæstionis terminos dictæ decretalis, ac propterea, superfluum, inanemque laborem remanere illum aliquorum desuper respondentium, qui cum perpetuo damnanda, & contemptibili chartarum inutili repletione, deducebant ea, quæ ad ejusdem textus materiam plene colligit, elaboratus modernus Gonz. in repet. ejusdem textus, recensendo decreta quamplurium generalium, vel nationalium Conciliorum, pluresque Summorum Pontificum antiquas, medias, ac etiam modernas Constitutiones.

Omnes etenim percutiunt casum longe diversum, ubi scilicet illi Christiani, qui sub Principum Christianorum dominio vivant, ab avaritia excæcati, turpis lucri gratia, mercando, sive ex odio, vel æmulatione, cum altero Christiano Principe, communibus hostibus infidelibus opem præstent cum armis, vel navibus, aut victualibus, adeout actus sit ex sui natura criminosus, ideoque subjectus tot pœnis, quæ in conciliaribus, vel Pontificiis decre-

decretis, & legibus continentur, inter quas ista est, ut in servitutem redigi valeant, atque naves, & bona deprædari. Ad praxim deduci non solita dicta pœna personali servitutis. Non quidem ratione consuetudinis, ut Christianus Christianum servum non faciat, ut aliqui putant, sed potius ratione pœnæ majoris, cui per dictas leges, ac etiam per illas Principum secularium subjacent etiam capitali. Verum id nil commune habet cum casu quæstionis, dum hujusmodi orientales Catholici, vel Schismatici Christiani, Turcarum Imperio, vel Tyrannidi subditi, cum eis necessarium habent commercium, atque non gratia præstandi opem infidelibus; sed gratia negotiationis, & mercaturæ, in propriis, vel in illis infidelium navibus navigationem ineunt.

His autem, pro æquivocis tollendis, ita prænotatis: Quatenus ad præmissa pertinet dubia, ut opportune in casu præcisio quæstionis resolvenda essent, observabam, ea quoque male concepta videri, sive quod tria posteriora esse superflua, & præsertim, tertium, & quartum, cum
3 tune respectu bonorum, etiam inter nostri pacifici commercii Catholicos, jus, vel ratio belli, id concedat ex iis, quæ in hac materia dominii, vel acquisitionis bonorum in conflictu belli, habentur deducta *sub tit. de feud. disc.* 58. quoties ejusdem belli justitia verificetur, adeo ut justa adsit causa pugnæ. Secus autem, ubi potentioris navis pugna, contra aliam excitata, injusta, & illicita sit, adeout pyraticum potius crimen redoleat, ut in iis contingit navibus, quæ sint subditorum ejusdem Principis, vel alterius ejus amici, adeout, liberum inter Provincias, vel nationes adsit commercium, dum ad effectum, ut jus, vel præmissa belli ratio intret, isthus requiritur justitia, cujus illud est principale requisitum, ut sit publicum, ab eo indictum, qui hoc regale jus habeat publicum indicandi bellum.

Et quamvis istud solum requisitum non sufficiat, nisi etiam alterum justæ causæ accedat, ne alias tyrannidis potius monitum habeat; Attamen; ut advertitur *d. disc.* 58. *de feud.* ista inspectio cadit respectu ipsiusmet Principis, vel alterius belli auctoris; Et nihilominus etiam isto casu nulla, vel nimium rara est praxis, aut in iis, quæ
4 ad externum pertinent forum, juridicæ regulæ, vel propositiones hujusmodi quæstiones decidant, cum ea, quæ ultima dicitur ratio rerum, earum potius Judex, ac decisor sit, ut alibi quoque advertitur præsertim *sub tit. de dote disc.* 146. *num.* 14.

Prout incongruum advertebam esse secundum dubium, vel quæsitum super competentia cognoscendi de qualitate Schismatis, sive de ejusdem justificatione, quoniam in hac materia sola diversitas religionis absque publicæ inimicitiæ
5 qualitate, non attendatur, nihilque operetur, & per consequens, ubi etiam notorie Schismatici, quinimo Hæretici sint, & quod magis est etiam infideles, qui sub Christiani Principis amici dominio vivant, atque pacificum habeant commercium. Quinimo, & ipsimet Turcæ, seu alii Mahometanæ Sectæ sequaces ad pacificum admissi commercium, hujusmodi non subjacent licitis deprædationibus, adeout illæ, quæ sequantur, illicitæ, & pyraticæ potius censendæ sint, ea iis, quæ apud inferius allegandos communiter firmantur, & per consequens non videbatur ad quid hujusmodi jurisdictionis, vel competentiæ assumeretur quæstio, quam unice ad primum mihi videbatur quæsitum restringi.

Quatenus itaque ad illud pertinet, cum duplici pertractandum esse inspectione, observabam. Primo nempe pragmatico, seu leguleico stylo per doctrinas, & auctoritates. Et secundo, cum altero magis geniali, longeque meliori ratiocinativo.

Primo itaque pragmatico, seu doctrinali stylo attento, tanquam absoluta, & notoria præsupponenda est publica inimicitia, quæ generaliter viget inter Christianos, &
6 Turcas, magis vero quoad istam Religionem, cujus peculiare institutum est, militandi contra hujusmodi infideles, cum quibus, eorumque Principe generaliter omnibus Christianis prohibitum est commercium, juxta decreta conciliaria, & canones, ac Pontificias Constitutiones, de quibus supra, & plene habetur apud Borell. *de præstantia Regis Catholici capit.* 32. *n.* 178. *& seqq.* ubi generaliter de justitia belli cum Turcis.

Et quamvis in aliquibus portubus, vel emporiis hujusmodi infidelium commercium habeatur, non tamen id præmissam tollit genericam inimicitiam, seu hostilitatem. Tum quia commercii libertas non provenit ab amicitia, vel qualitate personarum, quoties specialis conven-

tio non accedat, sed provenit a qualitate loci, ut scilicet tanquam in quodam asylo omnes tuti sint, juxta ea, quæ 7
de publicis portubus, eorumque securitate habentur supra *disc.* 129. Tum etiam, quia interdictio commercii est, ne Christiani infidelibus opem ferant, atque fruges, vel merces, & arma eis tribuant, & ne ita potentiores fiant, non autem, ut ipsi infideles pro nostro servitio, & commoditate ad nostras deferunt regiones ea, quibus caremus, juxta ea, quæ habentur *sub tit. de dote disc.* 23. *&* 143. *num.* 31. *&* 38. *cum seqq.* Quoties tamen personale commercium aliquam in fide, vel moribus labem inferre non possit, sive quod politica ratio status non prohibita, etiam in portubus commercium ratione explorationis propriarum virium, & status rerum, vel ratione exhauriandi a Principatu pecunias, cum venditionibus mercium, justa ea, quæ generaliter etiam inter ipsosmet Christianos Catholicos de prohibitione commercii in propriis portubus, vel emporiis, aliisque lo- 8
cis subditorum Principis inimici, habentur apud Larr. *alleg. fisc.* 17. *& seqq.* & alios pluries in præcedentibus recensitos, *hoc eod. tit.* & præsertim *disc.* 159. ubi de dictis allegationibus Larreæ, occasione agendi de materia defalchi, quod per dohanarum, & vectigalium Appaltatores prætendi solet, ob hujusmodi commercii interdictionem.

Posita itaque inimicitia, seu hostilitate inter Principes, absque distinctione fidelium, vel infidelium, disputant DD. an liceat repræsaliare, seu deprædari personas, 9
& bona subditorum Principis inimici, etiam extra aciem Castrorum, vel conflictum belli. Atque in hoc omnes agnoscere videntur in primum auctoritatem, seu antesignanum, Innoc. *in c. olim il primo n.* 9. *de restit. spol.* ubi proposita quæstione, affirmativam ponit, deindeque subjungit, quod aliqui dubitant, seu negant, quoties id sequatur extra Castrorum aciem, & belli conflictum. Atque exinde nostri, pro consueta legulcica, vereque contemptibili inepta disputant, quam ex his hujusmodi opinionibus ipse Innocentius teneat. Aliqui etenim opinantur, ut teneat posteriorem, ex magis communiter recepta propositione pluries innuata, quod Doctor censetur tenere eam opinionem, quam ultimo loco refert. Alii vero volunt, quod ipse pro suo sensu in prima parte id affirmet, solutique deinde referat dubitantes absque eo, quod ad abstractionem inferri possit, quasi quod agetetur de lege inducente auctoritatem necessariam, quodque ab uno, vel altero dicto, vel sensu unius Doctoris, pendere debeat veritas, & ju- 10
stitia rerum, quo nil ineptius. Unde propterea, juxta dictum Concisis Horatii, risum, ac bilem, eodem tempore promovent hujusmodi simplicitates, quæ nimium frequentes dignoscuntur in magnis quæstionibus, quas nostri assumere solent super interpretatione ambigui dicti alicujus Doctoris, qui subobscure loquutus fuerit, ut præsertim apud Regnicolas feudistas dignoscitur super doctrinis, vel traditionibus Andr. de Isern. de quo dici solet, quod non disputatur, an bene, vel male dixerit, sed an dixerit.

Ut enim advertitur *sub tit. de judic. disc.* 35. *& alibi*, in authenticis, & obligatoriis legibus, quæ necessariam faciunt auctoritatem, ubi ambiguæ sint, atque plurium intellectuum sint capaces, tunc tolerabiles videntur hujusmodi quæstiones, non tamen commendabiles, quoniam stante quæstione adeo controversa, præsertim inter interni fori professores, an lex sit solius effectus potestatis legislatoris, non curata ratione, vel potius sit effectus mixtus potestatis, & rationis, ut propterea utriusque requisitis copulativus accedere debeat concursus. Quando etiam ea tenenda sit opinio, quam merito externus forus magis recepit, ut sit effectus potestatis, quodque propterea legis virtus, vel operatio sit, ut quamvis dura servari debeat, cum subditis tribuendi non veniat licentia, inquirendi de rationabilitate, vel irrationabilitate legum propria Principis, vel Superioris, atque ita Judices se constituendo, sub prætextu irrationabilitatis, eas spernere, vel non servare. Attamen in Doctorum non necessariis, sed probabilibus traditionibus, stultitiæ, vel bestialitatis species videtur, adeo mordicus in littera, vel in una, vel altera eorum dicti interpretatione ad limites verborum, vel ordinis scribendi insistere, & an ex duabus relatis opinionibus unam, vel alteram teneat, dum illo casu, in quo necessaria deficiat legis auctoritas, rationes, & principia juris potius attendi debeant, ut *d. disc.* 75. *de judic.* advertitur.

Et nihilominus, ubi etiam cum ista ineptia procedendum esset, advertebam, quod magis communiter receptum 11
est, ut sensus Innocentii sit juxta primam partem affir-

mativam sui dicti, ex iis, quæ aliis relatis plene firmant in eodem casu scribentes Lanar. *conf.* 84. & Apont. *conf.* 93. *libr.* 1. idem Apont. *in tract. de potest. Proreg.*, (ubi magis quam in consiliis attendi debet) *tit. de triremib. n.* 12. Loffred. *conf.* 54. *n.* 4. Covarr. *in regul. peccatum part.* 2. §. 9. *sub num.* 4. *vers. hinc denique*, *&* §. 10. *num.* 2. *& seqq.* qui per modernos, & præsertim Morales reputari videtur in materia magistrali, atque late prosequuntur, & comprobant Mastrill. *dec.* 354. *ex num.* 41. & Castill. pro more pene transcribendo *dec.* 107. *lib.* 2. Revertet. *dec.* 76. ibique de Marin. in add. Rocch. *de officiis, seu Magistrat. tit. de præda bonorum* §. 2. & plene Magister meus Arias de Mesa *lib.* 2. *var. cap.* 23. *ubi n.* 21. *cum seqq.* bene assumit materiam repræsaliarum, juxta earum diversas species, ac potestatem eas faciendi, vel indicendi, atque cum iis procedere videntur Castropal. & alii Morales, quorum unum dixisse sufficit, ut reliqui de more transcribendo sequantur. In iis tamen, quæ externum percutiunt forum, non multum eorum curata auctoritate, ubi illam forensium habemus. Eam pro interno foro, ut decet venerando, inter quos Diana *part.* 11. *tract.* 3. *resol.* 1. multa colligit in ista materia, præsertim circa capturam personarum.

Quinimo quod magis est, non desunt volentes, ut etiam id procedat in personis, vel bonis eorum, qui non sint subditi Principis inimici, ei tamen adhæreant, atque secum habeant commercium, ut in specie bonorum cujusdam Januensis existentium in triremibus, vel navibus Regis Gallorum deprædatis, vel militis Regis Aragonensis, ex eadem auctoritate Innocentii, & sequacium, Grammatic. *consil. civil.* 24. *n.* 6. cum quo pertransit Constant. *in l. unic. C. de Class. lib.* 11. *n.* 134.

Hactenus agendo de articulo cum solo pragmatico stylo, juxta primam inspectionem, in parte scilicet doctrinali, & cum solis auctoritatibus, & traditionibus in littera. Assumendo vero alteram longe meliorem inspectionem ratiocinativam, quam cessante lege clara, & expressa, omnino attendi debere, observabam; Prorsus improbabile videtur in hac materia procedere, cum iis, quæ disposita leguntur in legibus civilibus Digestorum, vel
12 Codicis, ut plerique faciunt in illarum legum littera, vel interpretatione, aut inductione principaliter innitendo, sive in iis primorum glossatorum, & interpretum traditionibus, quæ excusabiliter ab eis datæ fuerunt in scholis, & Cathedris, ut scholares instituerent.

In illo siquidem septem circiter sæculorum spatio, quod intercessit inter prædictarum legum compilationem, quæ de mandato Justiniani Imperatoris facta fuit in Græcia, & earundem legum casualem inventionem pluries recensitam, & præsertim *tit. de serv. disc.* 1. Magna in hac præsertim in occidentali Europa sequuta fuit legum, & morum mutatio. Magnaque etiam viget differentiæ ratio inter ea tempora, in quibus leges Digestorum, præsertim, ac etiam aliquæ Codicis, Romæ conditæ fuerunt, quando Romanum Imperium, juxta Romanorum prætentionem, in toto Orbe unum constituebat Principatum, adeout omnes illi, qui aliud in Navibus deferrent vexillos, quam [illegible], vel Imperii Romani, pro hostibus, vel te[illegible]s habebantur, & tempora nostra, in quibus habetur tanta divisio Principatuum independentium, adeout quilibet Princeps prætendat esse Imperator in suo Principatu, in quo tantam habet potestatem, quantam Imperator in suo Imperio, unde propterea, ut etiam advertitur supra *disc.* 10[illegible]. & alibi pluries, tot sunt mundi diversi, quot sunt Principatus.

His etenim rerum statu attento, procedendum est cum scriptis, vel non scriptis legibus cujuslibet Principatus,
13 quæ sine dubio prævalent dictis legibus civilibus, quæ apud nos, potius ex populorum usu, ipsorum Principum tacito consensu, quam ex auctoritate per Justinianum Imperatorem illis attributa, vim legum habent, ac propterea in subsidium attendendæ sunt, quando propriæ deficiunt leges.

Potissime vero, & clarius in hac materia navigationis, de qua præfatæ leges non multum agunt, eaque magis re-
14 gulatur a quadam recepta consuetudine navigantium, sive ab illis conventionibus, quæ ad aliquas nationes habitæ fuerunt, & ab aliis postmodum acceptatæ vulgo nuncupatæ, il *Consolato del Mare* de tempore, quo vivebatur sine dictis legibus, dum earum inventio adhuc sequuta non erat, atque respective adhuc non erant communiter receptæ, ut occasione agendi de Consulatu in materia assecurationis, advertitur *sub tit. de cred. disc.* 106. *& seqq.*

Quare pertractando materiam, ut decet juxta currentium temporum leges, vel mores, advertebam, distinguendum esse inter illam inimicitiam accidentalem, quæ ratione belli habeatur inter Principes Christianos Catholicos, & respective hæreticos, ut (ex. gr.) in eodem genere Catholicorum, juxta præsentes contingentias conting- 15
git inter Reges, Catholicum, & Christianissimum. Et in eodem genere hæreticorum inter Anglos, & Olandenses, cum similibus. Et alteram inimicitiam naturalem, ac fixam, communem, & generalem inter Christianos, & Turcas, ut supra.

Quatenus enim pertinet ad primam speciem, distinguendum videtur inter casum, in quo repræsaliæ, vel deprædationes personarum, & bonorum subditorum Principis inimici, fiant a Navibus, & militibus ejusdem Principis, in ratione publica, & illas, quæ e converso fiant ab ejusdem subditis privatis, qui privato jure hanc pyraticam artem exerceant, per quandam speciem mercaturæ, & negotiationis.

Primo etenim casu, ex quadam communi consuetudine, quam asserit, vel præsupponit Aponte *dict. conf.* 63. *num.* 18. 16
receptum videtur, ut quilibet ex Principibus, inter se inimicis, subditos proprii inimici insequatur, eisque commercium prohibere, vel impedire curet, ex ejusdem belli, vel publicæ inimicitiæ, aut status ratione, ad enervandum scilicet, ac debilitandum vires ipsius Principis inimici, dum Principum potentia a subditorum divitiis, ac industriis, in magna parte provenit. Adeout, juxta notoriam praxim impediatur etiam terrestre commercium, gratia simplicis itinerationis, pro qua oportet obtinere assecurationes, & salvos conductus. Multo vero magis, ubi deprædatio sequatur in parte maris, quæ sit sub ipsius Principis jurisdictione, cum tunc intret altera ratio violationis interdictionis commercii, quæ juxta solitum sequuta sit.

Ubi vero casus contingat inter privatos, qui ad privatam utilitatem, ex præmissa industriæ, & mercaturæ ra- 17
tione, illam exerceant pyraticam artem. Et tunc altera intrat distinctio, an id fiat, de ejusdem proprii Principis licentia, & auctoritate sub ejus vexillo, juxta frequentiorem praxim, cum obligatione contribuendi publico ærario aliquam deprædationum portionem, juxta diversas locorum consuetudines. Vel potius, omnino privato jure id fiat. Ut scilicet primo casu succedat idem, quod supra in ipsomet Principe dictum est, ex vulgato legali axiomate, quod omnia nostra facimus, quibus nostram impartimur auctoritatem. In altero autem, actus dicendus veniat illicitus, & criminosus, quoniam sicuti, si aliqui Galli privato jure dissobbatent, atque grassationem committerent in personis, & bonis Hispanorum, aliorumque subditorum Regis Hispaniarum, dicendi essent latrones, & grassatores, neque inimicitia, vel bellum inter eorum Principes, eumen excusaret. Ita pariter in ista grassatione, quæ pyratico more in mari sequatur, dum gravius potius delictum ex quodam communi usu reputari videtur. Nisi absque necessitate obtinendi particularem licentiam, & facultatem a proprio Principe, istius generica licentia, vel permissio accedat, cum tunc idem importet.

In altero vero casu inimicitiæ naturalis, ac generalis, 18
non solum inter Principes, sed etiam inter privatos, qualis est illa inter Christianos, & Turcas; Et tune, absque dicta distinctione inter jus publicum, & privatum, deprædatio licita est, ob licentiam generalem, quæ ab omnibus Principibus Christianis attributa videtur persequendi, & deprædandi infideles, tam ratione hostilitatis, quam etiam ex altera servandi æqualitatem, dum ipsi infideles magis huic pyraticæ arti incumbunt, ut Christianorum personas, ac bona deprædentur, & per consequens ad rem nostram magis de plano intrat præfata theorica Innocentii, quam superius allegati Auctores, & alii indefinite recipiunt etiam inter ipsosmet Christianos.

Neque hanc facultatem adimere debet qualitas personarum, quæ sint communis hostis subditæ, quia nempe essent etiam Christiani, quoniam, ut initio insinuatum
est, vis non consistit in diversitate Religionis, sed con- 19
sistit in publica inimicitia dominantium, & in interdictione commercii. Qualitas autem Religionis operatur exemptionem a formali captivitate, quodque solum capti detineri valeant in ratione carcerum, donec redimantur.

Item quia magna exinde resultaret inæqualitas inter Christianos, & Turcas, in Christianorum præjudicium, & fraudem; Siquidem ita iidem Turcæ, qui hanc pyraticam artem exercere velint, subditos Christianos in navibus secum habere affectarent, illos fingendo mercium

alio-

aliorumque bonorum dominos, ut contingente succumbentia, bonorum jacturam, ac deprædationem non paterentur; Sive quod iidem mali Christiani Schismatici Turcarum subditi, qui æque, & forte magis, inimici sunt Catholicorum, eamdem piraticam artem, Turcarum adinstar, & cum eorum auctoritate licite, ac impune exercerent, & per consequens eo ipso, quod Christiani Turcarum subditi in propriis navibus, magis vero in illis eorumdem Turcarum, navigationem assumunt, scire debent, huic periculo expositos esse.

In hujusmodi item deprædationibus, quas pyraticæ naves
20 faciant, ex beneficio victoriæ, quam pugna præbeat, intrare quoque videtur illa acquisitionis dominii ratio, quam jus belli tribuat, juxta deducta *d. disc. 58. de feud.* cum eadem videatur ratio, seu proportio, inter illum belli conflictum, qui habeatur inter terrestres exercitus, vel maritimas classes, speciem exercitus maritimi constituentes, & inter pugnas, quæ habentur inter hujusmodi pyraticas naves; Quoties tamen pugnæ initium, seu occasio, justa, & licita sit, ex præmissa ratione inimicitiæ Principum, vel Nationum, & diversitate vexillorum; Seu ex justo motivo se opponendi illis recognitionibus, quas leges, vel consuetudines navigationis fieri posse concedunt; Hujusmodi etenim justa causa cessante; pugna ex parte initiantis, dicenda potius esset injusta oppressio, & ea parte aggressi, dicenda veniret justa defensio; Sed data pugnæ justa causa, intrat ratio illius quasi contractus, super incerta alea, qui inter invicem pugnantes iniri videtur, ut scilicet, quemadmodum navis victa, succumbentiam, ac deprædationem passa est, ita victoriam quoque habere poterat, atque deprædationem facere; Ideoque inter Christianos consideratione digna videtur illa circumstantia, an deprædatio, cum ista æquali incerta alea sequuta sit, vel potius cum navi nimium potentiori, & sine pugna, vel oppositione, ut vulgo dicitur manu salva, cum tunc intret dicta alteratio publicæ inimicitiæ, non autem ista, quæ resultat a dicto quasi contracto inter invicem pugnantes.

Et quamvis super præmissa interdictione commercii, &
21 navigationis cum jure repræsaliarum, ac deprædationum, aliqui Historicorum, vel eruditorum, Academicorum more potius, quam forensium Jurisconsultorum more, de jure, vel ratione belli scribentes, ut præsertim est *Hugo Grotius*, hanc Principum denegent potestatem, quasi quod navigationis libertas emanet a jure naturæ, cui Principes derogare non possunt; Attamen commendatione quidem dignæ sunt hujusmodi ponderationes, ratione acuminis ingenii, atque scholis, & Academiis congruæ ad ingeniorum exercitationem, & exercitium, praxi vero sunt penitus incongruæ; Siquidem, ut occasione derogandi ultimis voluntatibus, & fideicommissis, aut legitimæ filiorum, & similibus, quæ per aliquos juris naturæ dicuntur, vel gentium, iste est quidam loquendi usus, ut ita distinguantur ea, quæ per jus civile Romanorum omnino de novo introducta fuerunt, non autem, ut a natura, vel gentibus omnibus ordinatas habeamus eas leges, quas violare non liceat, cum nullibi istæ leges habeantur scriptæ, illudque solum jus naturæ præcise obligatorium inter nos Christianos dicitur, cui denegari non potest per humanam potestatem, quod in sacra novi, seu veteris testamenti scriptura legitur, quod divinum appellatur, promiscue appellari quoque solitum naturale.

Illud namque dicendum esset jus naturæ, vel gentium, quod absque Religionum, & sectarum, vel Nationum differentia, omnes ita afficiat, quod ubique ejus violatio illicita reputetur; Et per consequens, cum Turcæ, Persæ, Scythæ, Indi, & aliæ similes Nationes nostras irrideant, ac spernant leges, atque non cognoscant legitimam, vel testamenta, & fideicommissa, aliasque ultimas voluntates, nisi prout eorum mores concedant, idcirco istæ considerationes inter fabulas collocari merentur, atque consuetas legistarum continent simplicitates.

Hinc proinde opus non erat respondere super secundo quæsito, ad quem scilicet spectaret cognoscere de Schismatica qualitate, dum ista in proposito, in nulla est con-
22 sideratione, ut supra; Verum, ubi de hoc puncto agendum esset, observabam cadere easdem distinctiones, quæ habentur in materia cognitionis clericatus *sub tit. de jurisd. disc. 64.* ac etiam in materia cognitionis usurarum, vel sacrilegii, cum similibus; Quod scilicet, aut agitur de ista cognitione de jure, ac principaliter, ad effectum declarandi illam personam ream læsæ Majestatis divinæ, ac punibilem, & tunc id privative pertineat ad Episcopos, & Inquisitores fidei, nullatenus autem laicalis potestas in hoc se ingerere valeat, utpote in materia mere spirituali, & ecclesiastica; Aut vero incidenter, & de facto ad propriam instructionem pro aliis effectibus, & tunc secus, præsertim vero in hujusmodi contingentiis, in quibus more militari procedi solet; Ac propterea in præmissis omnibus concludendum videtur, ut magis communiter navigationis receptæ consuetudines attendi debeant.

CRACOVIEN. NAVIGII, PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU, CUM PP. TYNECENSIBUS ORDINIS S. BENEDICTI.

Casus disputatus in Rota, resolutus pro Collegio.

An, & quando in juribus regalibus competant remedia possessoria sine titulo habito a Principe supremo, vel potius iste sit necessarius: Et ad quos effectus flumina navigabilia dicantur de regalibus.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio.*
3 *De extremis spolii, & n. 6.*
4 *Flumina navigabilia sunt de regalibus.*
5 *In regalibus, quæ obtineri non possunt sine titulo non suffragatur sola possessio, ideoque non intrant remedia possessoria.*
6 *De eodem, de quo n. 3.*
7 *De errore scribentium immorandi in rebus certis, & non controversis.*
8 *Declaratur conclusio, de qua num. 3. ubi possessio est temporis considerabilis.*
9 *De virtute centenariæ allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.*
10 *De alia declaratione conclusionis, de qua num. 5. ubi agatur non privato.*
11 *Quando juris assistentia, & resistentia in his obstet.*
12 *An jura regalia penes privatum sint talia.*
13 *Quando in judicio reintegrationis obstet exceptio dominii, seu proprietatis.*
14 *Ad quos effectus flumina navigabilia dicantur de regalibus.*
15 *Quod aquæ non possint diverti a flumine sine concessione Principis.*
16 *De differentia inter usum, & dominium in viis, & fluminibus.*
17 *De regulis tenendis per Advocatos, & Consulentes.*
18 *De editione cap. unic. quæ sint regalia, qua occasione processeris, & ex qua ratione, vel auctoritate attendatur.*
19 *Regalia ignota in jure communi, & quomodo ab eo explicentur, & de nomine, vel titulo Imperatoris.*
20 *De nomine, seu vocabulo Principis, & Principatus.*
21 *De Regno Poloniæ, quod non subjaceat Imperatori.*
22 *De errore pragmaticorum super applicatione doctrinarum.*

DISC. CLXXI.

POssidente Collegio Societatis Jesu Cracoviæ, ex dona-
tione cujusdam Nobilis Viri tenimentum, in Oppido 1
Opatovieck; prope flumen Vvistlæ, una cum navigio in eodem flumine; Cum Patres Tynecenses Ordinis S. Benedicti, ex consimili donationis, vel alio titulo habito, ab alio nobili, forsan fratre, vel conjuncto auctoria Collegii possiderent in eadem contrata, & prope idem flumen aliud tenimentum, ad quod potius dictum navigium, sive jus illud retinendi, spectare prætenderent, atque de facto, ab ejus possessione Collegii Ministros, vel Conductores expulissent; Hinc introducta causa coram Ordinario, per istum in possessorio retinendæ fuit pronunciatum pro dd. PP. Tynecensibus; In gradu vero appellationis, Nuncius Apostolicus, in altero possessorio reintegrandæ pronunciavit favore Collegii; Istaque sententia confirmata fuit in altera instantia in Curia per Auditorem Cameræ; Introductaque causa per appellationem in Rota coram Rondinino, atque pro hujus Tribunalis stylo dato dubio ex integro, *An eidem Collegio concedenda sit reintegratio*, sub die 26. Januarii 1647. affirmativa prodiit resolutio, atque in hoc statu causa pendet.

In hac itaque disputatione habita in Rota, in qua solum 2
pro Collegio scripsi, duæ erant inspectiones; Una scilicet

facti super justificatione hujus judicii, & præsertim primi, quod perfectam, & concludentem exigit probationem, dum alterum leviori probatione est contentum, ex deductis *sub tit. de judic. disc.* 44.

Et altera juris super puncto in quo alterius partis defensores insistebant, quod scilicet cum ageretur de flumine na-
4 vigabili, quod est de regalibus, juxta expressam dispositionem *cap. unic. quæ sint regalia*, cum concord. per Peregr. *de jur. fisc. lib.* 1. *tit.* 1, *n.* 19. & 20. Rosenthal. *de feud. c.* 30. *conclus.* 23. Montan. *de Regal. verb. flumina*, & *aliis commun.* Idcirco inferebant ad regulam, quod jura regalia, quæ sine Principis concessione, vel titulo possideri non possunt, sola
5 possessio non suffragatur, sed necessaria est tituli justificatio, juxta auctoritates relatas supra *disc.* 14. *n.* 2. & 8. unde scribentes, tacito Auctore, totum desumebant.

Super prima inspectione, scribens pro Collegio, præsuppositive pro stylo, habebam me relative ad deducta per causæ Patronum in informatione facti, cujus revera po-
6 tius, quam juris erat quæstio, cum in jure non dubitetur de necessitate justificationis duorum extremorum; Primi scilicet antecedentis possessionis illius, qui dicit se spoliatum; Et alterius actualis possessionis illius, contra quam petitur reintegratio cum superius insinuata distinctione, quod scilicet, primum extremum perfectam, concludentem exigit probationem; Alterum vero leviori contenta est, etiam illa præsumpta, quæ ex litis sustentatione resultat, ex insinuatis *disc.* 44. *de judic.*

Ac propterea contemptibilis, & nauseativus, perpetuoque damnandus est stylus illorum Consulentium, vel Scribentium in jure, qui cum inani chartarum repletione, desuper immorari solent, atque allegationum cumu-
7 los faciunt, cum sint principia certa, & præsupponenda, totaque vis consistat in facto, sive in applicatione, an scilicet ex testibus, vel documentis resultet, necne, sufficiens probatio, quæ certam juris regulam non habet, sed remissa est Judicis arbitrio ex facti circumstantiis regulando, ex insinuatis *d. tit. de judic. disc.* 44.

Quatenus itaque pertinet ad alteram inspectionem juris; Pro causæ necessitate, vel opportunitate, etiam disjunctive, seu alternative, quo dicebam sufficere fundamenta, multo magis ea simul juncta consideranda; Primo nempe, quod admisso etiam præsupposito, ut ageretur de jure regali, quodque contentio esset cum ipsius supremi Principis Camera, vel Fisco, adhuc tamen dicta con-
8 clusio procedit in possessione recenti, seu brevi, quæ ita vitiosa, & intrusiva præsumitur, secus autem, ubi ea sit diuturna, & temporis valde considerabilis, quoniam tunc, licet quando sit minor centenaria, vel saltem quadragenaria, cum titulo colorato, & cum fama privilegii, in petitorio reputari non soleat sufficiens; Attamen in possessorio reintegrandæ, vel retinendæ, receptum est, eam esse sufficientem, ut aliis relatis Capyc. *decis.* 209. *num.* 18. Capyc. Latr. *consult.* 68. *num.* 23. Rota in celebri Hostien. litoris maris *decis.* 27. *cum seqq.* & *dec.* 33. *cum seqq. part.* 1. *divers. cum concordan. decis.* 85. *part.* 7. *rec.* Add. ad Gregor. *dec.* 370. Adden. ad Buratt. *dec.* 131. & *frequenter*.

Multo vero magis ubi adesset centenaria, & ultra, ut in præsenti in facto supponebatur, conjungendo etiam possessionem Auctoris, quam ad hunc effectum conjungi debere
9 absolutum, ac receptum est, dum ita etiam in petitorio cessat necessitas justificationis tituli ex recepta, nimiumque frequenter in omni fere materia insinuata conclusione, præsertim *sub tit. de feud. disc.* 3. & *hoc eod. tit. disc.* 47. & *in aliis*, & *sub tit. de alien. & contract. prohib. disc.* 3. quod scilicet centenarius possessor allegare potest quemcumque titulum de mundo meliorem, ut etiam eadem conclusio expenditur *sub tit. de jurisd. disc.* 96. & 97. illamque in proposito hujusmodi jurium regalium, late præ cæteris expendit Capoblanch. de Baron. *pragm.* 1. *n.* 213. & *seqq.*

Cadente solum difficultate examinata *d. disc.* 47. *hoc eod. tit.* & *disc.* 3. *de alienat. & contract.* ac etiam *d. disc.* 96. & 97. *de jurisd.* & *alibi*, quando scilicet constaret de initio infecto, vel resoluto, cum quantitate tamen restrictiva, & exclusiva possibilitatis alterius tituli melioris, ex iis, quæ locis citatis deducta habentur.

Et secundo, quod eadem conclusio, ut juribus regalibus, sola possessio sine titulo non sufficiat, procedit, ubi
10 quæstio sit cum ipso supremo Principe, vel Republica habente juris assistentiam super privativa competentia jurium regalium, unde propterea verificetur copulativus concursus duorum requisitorum, de quibus *in c. ad decimas de restitut. spol. in* 6. ubi videtur sedes materiæ cum ibi notatis juxta collectaneas Barbosæ, & aliorum modernorum Collectorum ibidem; Assistentiæ scilicet juris in eo, contra quem reintegratio petatur, & resistentiæ in eo, qui illam petat juxta ejusdem textus exemplum, in laico prætenden- 11
te possidere decimas spirituales contra Parochum particularem, sive universalem, qualis in plerisque partibus, & præsertim in Hispania solet esse Episcopus, ex deductis in sua materia *sub tit. de decim. disc.* 1. *cum seqq.* & sic quod adsit assistentia in Parocho, & resistentia in laico possessore hujusmodi spiritualium jurium incapace sine privilegio Apostolico, quoties tamen certum sit agi de decimis, vel juribus spiritualibus, secus autem, ubi possibilitas vigeat, quod illæ possint esse decimæ temporales, cum tunc ista possibilitas sufficiat in possessorio, ut advertitur *eod. tit. de decim. disc* 6. Idemque ad instar, & ex paritate rationis, procedit etiam in illis juribus prophanis, quorum privati regulariter sunt incapaces, absque supremi Principis concessione.

Secus autem, ubi contentio sit cum altero privato ex tri-
plici ratione; Primo nempe ex conclusione, de qua plene 12
supra *disc.* 81. ubi de ejus declarationibus, quod scilicet jura regalia, eatenus sunt talia, eorumque naturam, & privilegia habent, quatenus sint penes supremum Principem, vel Rempublicam, secus autem, ubi penes privatum, penes quem desinunt esse talia.

Secundo, quod ita in privato cessat supradictus copulativus concursus assistentiæ, & resistentiæ respective, ut concurrat quando sit quæstio inter Principem, & privatum.

Et tertio, quod ita patet hujusmodi jura esse solita concedi personis privatis, atque ab eis possideri; Quemadmodum enim obtineri possunt ab ipsis collitigantibus, ita a nostris, præsertim dum agitur in solo possessorio.

Quamvis autem præmissa sufficerent; Ac etiam, quod in hoc privilegiato judicio spolii, seu reintegrationis non admittitur exceptio dominii, vel boni juris in petitorio, 13
nisi de illo constet incontinenti per confessionem partis, vel rem judicatam, aut publicum instrumentum clarum, adeout nulla cadat dubietas, vel contraria possibilitas, quæ sola supersit, ex deductis apud Bich. *dec.* 179. *n.* 18. *cum seqq. dec.* 73. *n. fin. part.* 10. *rec.* & *frequenter*, ac etiam habetur *d. disc.* 44. *de judic.*

Attamen ad superabundantiam dicebam, quod admisso etiam, ut dispositio *d. c. unic. quæ sint regalia*, recepta sit, atque locum habeat in Regno Poloniæ; Adhuc tamen clarum videbatur æquivocum recensere inter jura regalia istud navigium, de quo erat quæstio; Siquidem dicuntur de regalibus ipsa flumina navigabilia, ad excludendum in Baroni-
bus, vel Communitatibus, aut privatis illud privatum jus, 14
vel dominium, quod datur in aquis, & rivulis, aut parvis fluminibus, ex iis, quæ habentur *sub tit. de servit.* ad materiam aquarum, ac etiam apud Ann. *singul.* 35. Franch. & Add. *dec.* 183. Capoblanc. de Baron. *pragm.* 8. *part.* 2.

Secus vero ad effectum usus navigationis, quoniam iste dicitur publicus, & communis omnibus ex illo jure, quod improprie, & per quandam contradistinctionem a mero jure civili dicitur naturæ, ut idem Peregr. *de jure fisci lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 19. Montan. *ubi sup. n.* 5. Capoblanc. *d. pragm.* 8. *part.* 2. *n.* 75. & *passim*.

Atque tunc in hoc proposito intraret jus regale, quando in hac retentione navigii præcoderetur jus privativum, ut alter in eodem flumine, illud habere non posset, juxta ea, quæ ad materiam juris prohibendi habetur supra *disc.* 142. & *seq.* & *in aliis*, & de jure privativo piscandi in flumine *sub tit. de feud. disc.* 40.

Et quamvis text. *in l.* 1. §. *ait Prætor. ff. de aqua quotid. & æstiva* disponat, ut e flumine publico aquæ diverti non
valeant sine concessione Principis; Attamen id respicit di- 15
versum effectum, ne scilicet privatis licitum reddatur divertere aquam a flumine publico in præjudicium navigationis, quæ ita impedita remaneret, vel magis incommoda redderetur, vel quod alias publico usui præjudicaretur; Ac etiam, quia est de sui natura illicitum, & intrinsece malum, ut ea, quæ sunt pluribus communia, sibi appropriare liceat, atque facere sua; Hujusmodi etenim jura publica, omnibus communia, in dominio, sive in protectione respective, sunt Principis, vel Civitatis; Ad instar eorum, quæ habentur su-
pra *disc.* 136. de viis publicis, quæ sunt omnibus commu- 16
nes, quoad usum, ideoque nullius quoad dominium privatum, Principis autem, vel Civitatis, quoad dominium, vel protectionem; Ideoque stant simul, quoad privata libera pateat facultas utendi illa via ad usum destinatum, & tamen quod ea in parte occupari non possit, minusque in

eadem

eadem fieri id, quod eidem publico usui aliquod præstat impedimentum, cum similibus.

Item ad superabundantiam, ita cumulando motiva, seu 17 motivando totum id, quod motivari potest, ex pluries insinuatis Advocatorum, & Consulentium regulis deducendis, scilicet omnia deducibilia stricto tamen, & quo breviori fieri potest stylo ob ingeniorum varietatem, juxta dapiferi parabolam; Considerabam, quod non bene supponebatur, in hoc Regno, seu Regione pro certo istud jus regale, quasi quod *d. cap. unic. quæ sint regalia*, esset lex talis naturæ, quod adiostat aliarum legum in corpore digestorum, & Codicis omnibus communis esset, atque ubique eamdem haberet viam, non constito de noto usu, qui non præsumitur ex insinuatis *sub tit. de servit. disc. 1. & alibi*.

Siquidem, ut advertitur *sub tit. de feud. disc. 2. & sup. in annot. ad hanc rubr. vel disc. 1.* Istud *cap. unic.* continet solum quandam conventionem initam inter Fridericum II. 18 Imperatorem, & Civitates confœderatas Longobardiæ, ob quandam Italiæ, illarumque præsertim ejus partium consuetudinem, ut advertit Montan. *de Reg. d. verba flumina navigabilia n. 2. vers. easdem consuetudines*; Idque potius in exclusionem jurium regalium ipsius supremi Principis, ita scilicet explicando ea regalia minora, quæ competere deberent Civitatibus, per quamdam speciem limitationum, per quas firmata fuit in reliquis regula generalis favore Imperatoris, tanquam Principis supremi, cujus respectu considerantur alia regalia majoris sphæræ, quorum omnino incapaces sunt privati, imo etiam dictæ Civitates subditæ, adeout neque ab ipso Principe concedi possint, utpote pernecesse annexa imperio, vel supremo Principatui, ejusque Coronæ, a qua avelli non possunt, ut etiam insinuatur *sub tit. de dote disc. 146. circa princ. & alibi*; Tractu vero temporis apud Italos, ac etiam apud Germanos, ex illa eadem consuetudine, ex qua receptæ sunt consuetudines feudales, utpote insertæ in aliquibus Authenticorum voluminibus, ista quoque conventio transiit in quandam speciem legis, potissime in Germania, & in aliquibus Italiæ partibus, in quibus vigeret auctoritas Imperatoris Germaniæ, qualis præfatus Fridericus erat.

19 In corpore siquidem juris civilis, iste regalium terminus non legitur ob abhorrescentiam apud Romanos, post expulsionem Tarquinii Superbi septimi, & ultimi Regis; vindicatamque libertatem nominis regii, adeout quando Romana Respublica denuo in servitutem recidit, cum mutatione regiminis, ex Aristocratico in Monarchicum, Princeps supremus, quamvis factis, ac reipsa regiam haberet jurisdictionem, ac potestatem, inferiorem tamen, potius assumpsit nomen, vel titulum Imperatoria, dum congruebat supremo Duci militum, qui Regis potius est subditus, ac minister, deindeque ob Romani Imperii magnam potentiam, & amplitudinem, iste titulus adeo magnam sortitus sit fortunam, & majestatem, ut Regum superioritatem, atque creationem redoleret; Ita eo tempore explicando hæc jura publica, in quibus Reipublicæ, vel Principatus dos consistit sub nomine, vel termino jurium fisci.

Quinimo, neque cognitus erat terminus Principis, vel Principatus, eo modo quo nunc in usu est, denotando scil. supremam, ac absolutam Regiam potestatem, cum tunc iste Principis terminus, aliud non denotaret, nisi quandam prioritatem ordinis, quod scilicet inter Reipublicæ Senato- 20 res esset primus, ut etiam hodie Grammatici, seu puræ linguæ latinæ professores, in eodem sensu, atque in eadem significatione istum adhibent terminum, explicando illum, qui inter alios sit primus, quamvis non dominus, neque superior; Puta (ex. gr.) in Collegio Cardinalium, juxta eorum diversos ordines, explicando antiquiorem, seu primum Presbyterum, vel primum Diaconum, & sic pariter in aliis Collegiis, vel Universitatibus, quod nosse Juristis congruit, ac etiam ipsismet Grammaticis ad evitanda, vel tollenda æquivoca super hujus termini, seu vocabuli intelligentia, vel significatione, cum ea varia sit, juxta subjectam materiam, de qua agatur, vel spectato effectu, ad quem iste terminus, vel vocabulum adhibeatur.

Cum itaque istud Poloniæ Regnum, quod revera Reipublicæ liberæ prærogativa potitur, sibi eligendo primum Magistratum, vel regulatorem ad vitam, absque jure successorio, eo modo, quo etiam ad vitam, eumdem primum 21 Magistratum, vel Regulatorem, sibi eligit nostra Itala Veneta Respublica, in qua Italicæ libertatis, & antiquæ majestatis adhuc aliqua conservatur species, vel imago, cum sola differentia tituli, quod iste est Ducalis, ille vero Regius; Istaque Respublica plenam, ac omnimodam profiteatur præscripsisse libertatem; ac exemptionem ab antiquo Romano Imperio, nullatenus vero agnoscat Imperatorem Occidentis, vel Germaniæ.

Hinc proinde ad rem, ad hoc ut intrent termini *d. cap. unic. quæ sint regalia*, probandum esse dicebam, quod ex consuetudine in ea Regione, vel Republica, id quoque receptum esset; Ac propterea consueta leguleica dignoscitur simplicitas Bartoli, aliorumque antiquorum Italorum 22 Scriptorum traditiones proditas pro nostræ Italiæ moribus, aliis Provinciis, & Regionibus indefinite applicare, non constito, quod ibi quoque in moribus receptum sit; Quemadmodum e converso eumdem dignosci errorem, eamdemque simplicitatem leguleicam advertitur *sub titul. de fideicom. disc. 1. & 7. & in aliis pluries*, applicando, scilicet Italiæ primogeniis, & majoratibus auctoritates ac traditiones Hispanorum loquentium de illis majoratibus; Ac etiam *sub tit. de feud.* pluries super consimili errore illorum, qui traditiones (ex. gr.) feudistarum Regnorum utriusque Siciliæ indefinite applicant omnibus feudis regulandis juxta leges, vel consuetudines feudales communes, non reflectendo ad circumstantiam, quod illæ proveniant a legibus, vel consuetudinibus particularibus, cum similibus; Atque quod pejus est, eadem ineptia non solum operatur, ut ad id non applicetur, sed ut potius hujusmodi ponderationes damnentur tanquam ratiocinia ex ingenii acumine, quo nil ineptius, & contemptibilius.

ROMANA PROXENETICI PRO MERCATORIBUS RIPARUM, CUM COLLEGIO PROXENETARUM.

Casus disputatus in Camera, & pendet, ut infra.

De jure privativo concesso aliquibus personis exercendi in Civitate, vel in Emporio, artem proxeneticam super contrectatione mercium, an importet etiam jus coactivum, ut propterea mercatores, aliique contractare volentes, teneantur eorumdem Proxenetarum operam adhibere.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando confirmatio sit in forma specifica, vel communi.*
3 *Jus privativum, vel coactivum est de regalibus, & non conceditur, nisi a Principe.*
4 *De clausula sublata, & de decreto irritanti.*
5 *Princeps non potest, vel debet tollere, vel minuere concessiones ex causa onerosa.*
6 *De commendabili usu proxenetarum.*
7 *De abusu modernorum in scribendo.*
8 *Ad quid deserviat, confirmationem esse in forma specifica, vel communi.*
9 *Quando confirmatio importet ampliationem, vel novam concessionem.*
10 *De argumento discretivo.*
11 *Quando non obstent clausula, de quibus n. 4.*
12 *De bannimentis Camerarii, ad quid attendantur;*
13 *Quæ jura regalia concedi possint, vel soleant.*
14 *Ex stylo arguitur voluntas.*
15 *De puncto in quo consistat causa.*
16 *Servitus non præsumitur, ideoque pro libertate sufficit eam negare.*
17 *Non debent extendi onera, & servitutes, & quod jus coadjuvandi sit majus, quam privativum.*
18 *Quando jus privativum habeat annexum jus coactivum.*
19 *An Proxenetæ teneantur de approbatione.*
20 *De fide præstanda proxenetis.*
21 *De his officiis proxenetarum.*

DISC. CLXXII.

Variis proditis privilegiis, & provisionibus Apostolicis ad favorem Proxenetarum Ripalium, sub Pio 1 Quarto, Gregorio Decimo tertio, Sixto V. & demum Paulo V. de anno 1609. Postmodum idem Pontifex Paulus de anno 1611. novas statuit reformationes, præsertim circa numerum a quadraginta ad vigintiquinque reducendo, ac etiam quod essent officia venalia vacabilia, habentia jus privativum in proxeneticæ artis exercitio cum quadam massa communi emolumentorum, aliisque provisionibus ad rem non facientibus. Nuper autem obtenta per istud Collegium præfatæ ultimæ concessionis Pauli V, confirmatæ a Clemente X. cum no-

va concessione, vel declaratione, quod eorum Jus privativum restrictum non esset ad illam Ripam magnam, prope Portam Portuensem, quæ pro maritimo mercimonio deservit, sed etiam alteram complecteretur Ripam minorem, quæ vulgo Ripetta nuncupatur, prope portam Populi, e conspectu Ecclesiæ S. Rocchi, pro mercibus, quæ ex parte superiori fluminis evehuntur; Istius confirmationis vigore, prætensionem excitarunt Proxenetæ super jure coactivo contra mercatores, & negotiantes, quod scilicet in omni negotiatione, eos evocare tenerentur, atque consuetam mercedem solvere, quamvis invicem contractantes, directe, ac per seipsos paciscendo, concordes essent, curando desuper pro litterarum Apostolicarum executione expediri consueta Cardinalis Camerarii bannimenta, in quibus id contineretur; Quare desuper exorta lite in Camera coram Cavalerio, datoque dubio, an hæc privilegia comprehensa essent in præfata moderna Clementis confirmatione, de mense Martii 1674. prodiit resolutio, juxta istius partis votum, comprehensa, scilicet, esse sola privilegia contenta in præfata ultima cedula Pauli V. reservato videre, an, & quæ ista privilegia sint; Atque in hoc statu causa pendet.

In disputatione itaque desuper habita, scribentes pro Collegio Proxenetarum magnum faciebant, vere inutilem, ac superfluum conclusionum cumulum, cum copioso allegationum apparatu, in plerisque a casu quæstionis extraneis; Primo nempe, quod dicta moderna con-
2 firmatio Clementis, esset ex certa scientia, & in forma specifica, dum habebat insertum tenorem dictarum litterarum Pauli de verbo ad verbum, qui est verus modus dignoscendi, quod confirmatio esset in forma specifica, & ex certa scientia, ut etiam pluries sub diversis materiis advertitur, cum sit conclusio vera, & recepta.

Secundo nimium insistebatur in potestate Pontificis, tan-
3 quam supremi Principis, concedendi hoc jus tam privativum, quam coactivum, quoniam ambo sunt de Regalibus, ideoque nonnisi per supremum Principem concedi possunt, sed de illius potestate non est dubitandum, ubi constet de voluntate, super qua solum quæstiones cadunt, ut etiam in hac materia juris privativi, vel coactivi advertitur sup. *disc. 44. & seqq. & in aliis*, ac etiam *disc.* 148. ubi generaliter de materia potestatis Principis tollendi jus tertii.

Fortius vero id procedere dicebant ex eo, quod istæ po-
4 stremæ litteræ Clementis, ac etiam præcedentis Pauli erant munitæ consuetis clausulis præjudicialibus, nempe decreto irritanti, & clausula sublata, & quod de obreptione, vel subreptione dari non posset, dum istæ claudunt os, & ligant manus Judici, & Parti, ut quidquam in contrarium deduci non possit, ut pariter sub pluribus materiis advertitur, & præsertim *sub tit. de judic. disc.* 20. Postsime vero favore illorum, qui hujusmodi officium obtinebant ex causa onerosa, ideoque Princeps non possit, vel
5 non debeat eis præjudicare, deducendo desuper cumulata per Noguerol. *alleg.* 5. *ex num.* 28. & Gratian. *discept.* 891. *ex num.* 32. *per tot. & supr. d. disc.* 148.

Et demum nimium insistebatur in probando, quod introductio, atque usus proxenetarum esset res nimium commendabilis, atque Reipublicæ proficua, pro commercii fa-
6 cilitate, ac libertate, atque ut ita exteri negotiatores, qui merces vehunt, non decipiantur, neque opprimantur a mercatorum monopoliis, ex collect. per Bracch. *de proxenet. part.* 2. *n.* 11. *cum seqq.* Hartman. Pistor. *quæst. jur. lib.* 3. *quæst.* 3. *n.* 24. Marquard. *de jur. mercat. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 51. *& seqq.* Zacch. *de salar. qu.* 83. *n.* 3. *& seqq.*

Scribens e converso pro mercatoribus contendentibus de eorum libertate, & ne cogi deberent pati hanc servitutem necessariæ evocationis proxenetarum, etiam quando concordes essent; Dicebam, quod omnia præmissa inanem, ac superfluum continerent laborem, utpote extranea, vel inutilia a casu quæstionis, ideoque pro academicis discursibus, vel Tyronum instructionibus essent congrua, forensi autem disputationi omnino incongrua, & nihilominus, adeo iste irrepsit abusus damnabilis, igna-
7 to vulgo placitus, quod per scribentes magnitudine conclusionum, & auctoritatum apparatus, in iis, quæ sint extranea a præciso quæstionis puncto, iste autem intactus, vel nimium leviter actus remaneat, ita abundando in superfluis, & deficiendo in necessariis.

Nil etenim referre dicebam ad effectum quæstionis, an confirmatio esset in forma communi, vel specifica, quoniam ista inspectio cadit ad effectum majoris, vel minoris operationis, ut scilicet quando est in forma communi non sit operativa in iis, quæ sint juri contraria, eo modo, quo operativa est, quando sit in forma specifica, ut sub diversis materiis pluries advertitur, præsertim vero *sub tit.* 8
de success. ab intest. ubi est magis peculiaris statutorum sedes; sed sive uno, sive altero modo, id non alterat confirmationis naturam, quæ est, ut ad limites confirmati restringatur, ac intelligenda sit, neque plus de novo concedat, sed solum operetur effectum revalidativum, sive quod confirmato majus robur tribuat, ad instar juramenti, vel pacti, seu clausulæ exequutivæ cum similibus.

In hoc enim proposito majoris operationis confirmationis, quæstio cadere solet, quando accedat amplitudo 9
verborum, vel nullitas actus, ut propterea confirmatio redolere valeat novam concessionem ex integro, juxta insinuata *sub tit. de feud. disc.* 45. *&* 60. & alibi pluries, & præsertim *sub tit. de judic. disc.* 37. occasione agendi de confirmatione Ægidianæ, cum similibus.

Id autem in hac facti specie prætendi non poterat, ideoque ista non cadebat quæstio, quoniam non solum nulla 10
aderant verba, vel clausulæ, quæ id suaderent, sed potius constabat de contraria voluntate, cujus claram probationem, seu demonstrationem resultare observabam, ex discretivo modo loquendi, respectu Ripettæ, ut supra, dum in hac parte non contentus Pontifex, verbis confirmativis, & approbativis adjecit etiam alia verba denotantia declarationem, novamque concessionem, ideoque dicebam, quod clare intraret argumentum discretivæ, quod scilicet, ubi voluit dixit, &c. ad vulgatem text. *in leg. unic. §. sin autem, C. de caduc. tollen.*

Nullatenus item ex hac parte impugnabatur potestas concedendi utrumque jus privativum, & coactivum, minusque ipsa confirmatio dicebatur infecta; Et per consequens extranea, & inutilia erant, quæ deducebantur super 11
potestate, ac etiam super virtute, & operatione dictarum clausularum præjudicialium, dum istæ solum obstant, quando directe impugnetur gratia, vel concessio, secus autem quando allegetur non comprehensio, cum impugnare, vel contravenire non dicatur, qui non comprehensionem allegat, ex deductis *dec.* 247. *part.* 11. *rec.* & passim, atque advertitur *d. disc.* 20. *de judic.*

Impugnationem autem potestatis deducebam, circa bannimenta Camerarii, quoniam ut advertitur etiam *disc.* 174. *& alibi*; ista bannimenta, ubi præsertim sint plura, & continuata per tempus notabile, suumque effectum, & ob- 12
servantiam habuerunt, nimium considerabilia sunt pro interpretatione Pontificiæ concessionis, quæ ambigua sit, sive pro uno ex adminiculis, & præsumptionibus probationis præsumptivæ ejusdem concessionis, de qua non pateat, non autem pro ampliatione, vel extensione ad casus in concessione non comprehensos, quoniam Camerarius est solum exequutor hujusmodi Pontificiarum concessionum, quarum observantiam cum ejus bannimentis mandat; Præsertim vero ubi agitur de gabellis, vel de hujusmodi juribus privativis, ac similibus, quæ utpote regalia supremo tantum Principi reservata sunt.

Et magis ubi agitur de illorum concessione alicui privato, quoniam tunc longe major incompatibilitatis, ac potestatis defectus rotat in hujusmodi magistratibus, vel in Baronibus, & Domicellis, ac similibus.

Longa siquidem dignoscitur differentia, inter capacitatem obtinendi, & exercendi hæc jura regalia ad propriam utilitatem; Puta habendi jus privativum in molendinis, 13
furnis, ac macellis, & similibus; Aut imponendi, & exigendi vectigalia, & pedagia; Et potestatem ea concedendi aliis; Primo etenim casu, facilius eorum praxis datur in Baronibus, & Domicellis, vel Magistratibus, quamvis Principe inferioribus, ex ejusdem Principis explicito, vel implicito privilegio, quod concedi solet; In altero autem videtur, quod sit magis annexus Coronæ, & quæ non possunt concedi, vel quod non solent; Et per consequens, quod ubi etiam non intret ille defectus potestatis, qui considerari solet in iis, quæ important formalem scissuram, vel deturbationem Coronæ, juxta deducta *sub tit. de dote disc.* 146. *& alibi*; Attamen ex insolito resultat pro- 14
bato voluntatis, quæ ex consuetudine, vel stylo in Principe regulari solet, ex deductis apud Greg. & Adden. *decis.* 150. atque frequenter insinuatur sub diversis materiis, occasione agendi de obreptione, & subreptione, vel defectu intentionis.

Evagantia quoque, atque extranea a casu quæstionis, dicebam esse ea, quæ cum inutili chartarum repletione co- 15
piose deducebantur super commendabili usu proxeneta-
rum;

rum; Siquidem quæstio non erat super hoc usu, etiam privativo, dum iste non impugnabatur, stantibus Apostolicis concessionibus, ac propterea admittebatur, quod quando mercatores, aliique negotiantes adhibere velint in mercium contractationibus, aliisque negotiis operam proxenetarum, teneantur evocare, istosque habere in officium, neque alii, quamvis in arte periti, adhiberi possint; sed punctus controversiæ erat, an exinde inferri posset ad prætensum jus coactivum, ut scilicet etiam nolentes mercatores, & negotiantes, atque sine proxenetatum mediatione inter se concordes, tenerentur inviti, proxenetas adhibere, sive consuetam mercedem absque ministerio eis solvere, atque super hoc puncto stricte, & præcise immorari debere dicebam, & tamen ille remanebat pene intactus, justa insinuatam modernorum frequentem consuetudinem.

In hoc autem dicebam, quod nulla cadebat juris quæstio, sed illa erat nudi facti, ideoque decidenda cum sola lectura prædictarum literarum Pauli, absque librorum apertura, dum totum pendebat a voluntate Papæ, an concedere voluerit; Donec autem per alteram id expresse non probare-
16 tur clare, & concludenter fundata erat hujus partis intentio, quoniam cum id redoleat formalem exorbitantem servitutem; Hinc proinde ille, qui allegat libertatem, cui jus assistit, obtinere debet cum sola propositione actionis, vel exceptionis negatoriæ, eo ipso, quod altera pars concludenter non probat servitutem, ex plene deductis *dec. 101. par. 4. rec. & 2. dec. 399. p. 14.* & frequenter de sua materia *sub tit. de ser.*

Non debent etenim multiplicari onera, & servitutes, neque eorum extensio admittenda est, quamvis rationis identitas accedat, juxta nimium vulgaria, & frequentia axio-
17 mata quotidie per ora forensium volitare solita; Multo vero magis, ubi majoritas rationis, vel exorbitantia accedat, quoniam quando alicujus professoris opera, vel ministerium jam adhibendum est, tunc necessitas adhibendi potius unas, quam alias personas, est quidem exorbitans, utpote redolens restrictionem naturalis libertatis, ac etiam quia sub se continere solet quandam implicitam gabellam, quam secum ferre solet jus privativum, ex pluries insinuatis in præcedentibus, sed adeo magnam non continet exorbitantiam, cum solum importet quandam prælationem, juxta ponderationes, de quibus sup. *disc. 44. & 45. & alibi*, sed cogere ad id, quod alias nullo modo faciendum esset, est multo magis exorbitans, longeque majorem importat servitutem.

18 Quamvis etenim jus privativum, quandoque annexum, seu consequutivum habeat jus coactivum; Attamen id procedit in iis, quæ pernecesse facienda sunt, juxta exemplum, de quo supra *d. disc. 44. & 45.* quod scilicet jus privativum molendinorum, & furnorum, ac similium, habeat annexum, seu consequutivum jus coactivum, in necessariam consequentiam, ob necessitatem istius usus; Secus vero, ubi ista necessitas non urgeat, ut in præsenti, dum etiam sine opera proxenetarum, directe inter se concordes negotiatores perficere possunt negotia.

Ad quod comprobandum, deducebam practicum exemplum Notariorum Cameræ, vel alterius Tribunalis, habentium Notariatum in officium, quod scilicet si partes acta contentiosa, vel voluntaria, publica facere volunt, adhibendo auctoritatem publici Notarii, tunc adhibere debent unum ea hujusmodi Notariis, neque possunt assumere alios bene visos ratione juris privativi, quod importat solum quandam prælationem, quoniam licet id, aliquod importet damnum, vel onus, ob gratuitam operam, sive cum minori mercede, quæ a benevolo Notario ad libitum elidendo obtineretur; Attamen non videtur magna exorbitantia, sicuti esset illa juris coactivi, quod scilicet concordantibus partibus super conventione, inire scripturam privatam, cogi deberent facere publicum instrumentum per unum ex his Notariis, cum similibus; Et hic erat casus ad quem controversia restringebatur, atque super eo stricte, & præcise scribendum erat, reliqua vero continebant inutiles, ac damnabiles evagationes.

19 De hujusmodi proxenetarum materia, an scilicet ipsi teneantur tanquam fidejussores, vel assecuratores eorum, quibus eorum meditatione accedente, mercatores credunt merces, habetur *sub tit. de cred. disc. 87.*

20 Et de fide præstanda eorum attestationibus, vel libris, & de differentia inter proxenetam, & mediatorem, habetur *sub tit. de dote disc. 27. & alibi*; Atque de hujusmodi
21 officiis, quæ dicuntur, portiones Ripæ, quod eorum sint capaces etiam mulieres, vel infantes in habitu, pro emolumentis, injuncto exercitio aliis ejusdem Collegii, sive ab eo approbandis, habetur supra *disc. 6.*

FARFEN. GABELLÆ MACINATUS PRO MONASTERIO FARFEN. CUM APPALTATORE GABELLÆ.

Casus disputatus coram Thesaurario, resolutus ut infra, & pendet in Camera.

An, & quando pro eadem re duplex gabella solvi debeat; Et in specie, an debeatur pro illo frumento, quod solvitur pro molitura gabellæ macinatus, quæ per accedentes ad molendinum jam soluta sit.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De exemptione Congregationum S. Benedicti.*
3 *De eadem re non debet solvi duplex gabella.*
4 *Declaratur, quando id procedat.*
5 *Non debet solvi redecima.*
6 *De ratione, ob quam moderni nesciunt ratiocinari.*
7 *De eadem conclusione, de qua num. 3. & 4.*
8 *Quando immunitas sit realis.*
9 *Et quando pro eadem re pluries exigatur gabella.*
10 *Qualis proprie sit gabella macinatus.*
11 *An a molitura Ecclesiastici sint exempti.*
12 *De qua rata frumenti solvi non debeat ista gabella.*
13 *De rationibus, ob quas solvi non debeat gabella pro frumento molitura.*
14 *Quod Ecclesiastici possint laicis concedere eorum franchitias.*
15 *Quando in hac materia deferendum sit observantiæ.*

D I S C. CLXXIII.

POssidente Monasterio molendinum ad usum frumenti, quædam parva portio ejusdem frumenti, quod ad illud molendinum asportatur, solvi solet pro mercede molituræ, cumque aliqua hujusmodi parvarum portionum notabili cumulata massa, vel quantitate, eam idem Monasterium pro ejus, vel servientium, & laboratorum usu moleret in eodem molendino; Hinc appaltator gabellæ macinatus prætensionem excitavit super solutione gabellæ pro istius frumenti molitura, quare super hoc, & super alia gabella secundi julii in alio frumento, introducta lite coram Thesaurario, prodiit sententia utrique parti favorabilis, appaltatori scilicet pro solutione gabellæ alterius frumenti, Monasterio vero, ne teneatur pro dicto frumento retracto ex molendino, dum pro eo jam soluta fuit, sed revera partium acquiescentia, pendet causa in gradu appellationis in Camera. 1

Ille punctus in quo Monasterium succubuit, erat potius facti, quam juris super inclusione, scilicet hujus gabellæ in quadam concordia, seu compositione inita cum eodem Urbano Octavo impositore per omnes Congregationes Benedictinas, mediante solutione scutorum centum mille, & quatenus dicta compositio illam non comprehenderet, an suffragarentur privilegia concessa ex causa onerosa per S. Pium Quintum, aliosque Pontifices, de qui- 2
bus agitur supra *disc. 56.* adeout non obstarent pluries enunciatæ Constitutiones revocatoriæ, utpote excipientes exemptiones concessas ex causa onerosa mere correspectiva, examinanda in plena Camera.

Quod vero ad alium punctum, scribendo tanquam Advocatus pro Monasterio, deducebam regulam, de qua 3
supra *disc. 68. n. 12. & disc. 97. n. 11.* in quibus concordantes allegantur, quod scilicet pro una, & eadem re, duplex onus, vel duplex gabella præstari non debet, ac propterea, ubi semel pro isto frumento soluta est, illud in quamcumque speciem convertatur, alteri non debeat oneri subjacere; Potissime vero ubi agatur de eadem gabella, quæ respiciat unum, eumdemque finem, usus scilicet panis, ut agendo de ista gabella molituræ, advertitur supra *disc. 54. & 155.* ac etiam in Miscellan. Ecclesiast. *lib. 14. disc. 5.*

Tunc etenim non implicat, ut pro eadem re, duplicata gabella solvi debeat, quando ambæ essent diversæ, diver- 4
sosque haberent fines, vel diversos respicerent effectus, ut ponderantur sup. *d. disc. 68.* & magis *disc. 74.* Puta (ad rem) si in loco adesset gabella imposita frumento introducendo in Civitatem, in ipso actu introductionis, in portu, vel ponte, vel in alio loco non curato, quid de frumento deinde agatur, & an ad usum panis reducatur in eodem loco, vel extrahatur a Civitate, vel Provincia,

seu

seu Principatu, sive an corrumpatur, & pereat, vel detur pullis, &c. Alia vero sit ista gabella macinatus pro ejusdem frumenti molitura, quoniam tunc solutio unius, nil commune habet cum altera, & per consequens vere, & proprie dici non potest illud prohibitum ejusdem rei duplex onus, quod percutit casum, in quo idem onus duplicet ex eadem causa, vel pro eodem fine, seu effectu.

Atque ad idem ponderabam receptam regulam, de qua
5 *sub tit. de decim. disc.* 18. ubi concordando super prohibita solutione tedecimæ, ut scilicet de illis, pro quibus decima jam accepta sit, alteram decimam Parochus, vel aliter decimator exigere non valeat.

Quamvis autem scribentes in contrarium pro gabellario, super hoc puncto nimium leviter pertransirent cum
6 aliquibus generalitatibus, idque ex ratione insinuata in Relat. Curiæ *lib. 15. disc. 46. & alibi*, quod scilicet ista modernorum eruditio, vel scientia, pro frequentiori usu, reducitur ad traditiones, & doctrinas in repertoriis adnotatas, absque parte scientifica principiorum, unde propterea, quando casus non præbeat invenire decisiones vel doctrinas punctuales, aliud dicere nesciunt.

Anamen de tempore, quo causa disputabatur, ea mihi aliquam difficultatem inferebat, ex eadem estione,
7 seu consideratione, de qua in his similibus, nimiumque proximis terminis habetur *d. disc. 18. de decim.* quod scilicet, quamvis pro frumento de tempore recollectæ per dominum, vel colonum in area soluta sit decima, adhuc tamen pro eodem frumento decimator posset alteram decimam exigere a domino molendini, quoniam ita est exigere decimam de fructibus, & emolumentis molendini, accidentaliter consistentibus in frumento, quod solvatur loco pecuniæ pro mercede molituræ.

Siquidem, ut etiam advertitur supra *d. disc. 54. & 155. hoc tit. & disc. 5.* Miscellan. Eccles. ista non est gabella mere realis imposita ipsi merci, adeout ista semel inga-
8 bellata, per quascumque manus transeat, atque plures ejus contractationes fiant, sint immunes, per immunitatem realem eis impressam, ut (ex. gr.) contingit in dohana, quæ pro mercibus serici, vel lanæ, aut similibus, vel pro vino, & aliis solvitur, in introductione in portum, vel in Civitatem, juxta deducta supra *disc. 63. cum plur. seqq.* quoniam tunc si post introductionem, & solutionem dohanæ, plures earum contractationes sequantur in Civitate, atque per plures manus transeant, alia dohana solvenda non est, secus autem si gabella non respiceret ipsam rem, ejusque introductionem, sed respiciat contractum, quoniam si pro contractu inito super una re, soluta sit gabella, prohibitum est, eam pluries exigere pro diversis contractibus, qui deinde super eadem re fiant, ex iis, quæ in materia gabellæ contractuum habentur supra *disc. 49.* atque in Urbe, in qua ista gabel-
9 la generalis contractuum non habetur, docet etiam praxis in gabella panni, seu equorum, de qua supra *disc. 72.* quoniam pro eodem equo solvitur gabella toties quoties illum vendi contingat; ad instar eorum quæ habemus in materia emphyteutica super solutione laudemii, dum isti termini passim parificantur.

Applicando itaque ad rem, ut advertitur in superius allegatis *disc. 54. & 155. ho. tit. & disc. 5.* in Miscell. Eccles. ista gabella molituræ, seu farinæ, dici non potest realis,
10 imposita ipsi frumento, (ut male opinatum fuit quando prodiit resolutio S. Cong. Immunitatis, quod etiam absentes illius franchitiæ gaudere deberent) sed est imposita personis, ratione, vel occasione usus panis, & per consequens non solvitur ratione frumenti, vel aliarum frugum, minusque ratione ipsius molituræ, pro qua so-
11 lum solvitur merx molendinario, & a qua neque Ecclesiastici sunt exempti, nisi in ea majori extrinseca, seu accidentali mercede, quæ solvatur ratione juris privativi, cui Ecclesiastici non subjaceant, *ex insinuatis d. disc. 5.* in Miscellan. sed solvitur pro fine, seu effectu conversionis in usum panis, & sic pro actu diverso, in quo Dominus molendini consideratur tanquam diversa persona, dum illud frumentum ex molendino perceptum, poterat non molere, sed aliis vendere, sive in alium usum convertere.

Et quamvis ita gabellarius duplicatam obtineat gabellam, unam scilicet a molitoribus, & alteram a molendinario; Attamen quoad istum, videtur exceptio de jure
12 tertii, qui sibi imputet cur solvat gabellam pro ista portione, pro qua de jure non tenetur ex dicta ratione, quod ista gabella respicit effectum usus; Unde propterea si molere volentes triticum pro eorum usu, adducerent ad molendinum in uno sacculo justam mensuram tritici molendi; & in alio parvo sacculo, illam portionem, quæ danda est molendinario, videretur, quod de ista portione, cujus usum molentes habituri non sunt, gabella solvenda non esset, sed solum gabellarius exigere posset a molendinario redditionem rationis, ne moleret in fraudem, propterea si molentes eam indebite solvunt, ac remittere volunt gabellario, de hoc ad molendinarium non pertinet.

E converso autem favore hujus partis urgere videbatur consideratio, quod si molendinarius loco accipiendi suam
mercedem in aliqua modica portione frumenti, priusquam 13
molatur, illam percipiat in farina, posset istam ad usum panis convertere absque alia gabella, dum farina est jam ingabellata, ideoque usus percipiendi in frumento gratia majoris commoditatis causare non debeat præjudicium duplicati oneris.

Retorqueri etiam videtur supradicta ratio, vel consideratio, quod scilicet ista gabella imposita non est tritico materiali, neque actui molituræ, sed imposita est personis ratione usus hujus victualis, & per consequens ita ab omnibus personis loci pro rata usus obtinetur gabella integra, quoniam illi de populo, qui accedunt ad molendinum, si solverent mercedem molituræ in pecunia, atque ad domum asportarent integram quantitatem frumenti redacti ad farinam, haberent illum majorem usum, unde propterea ob hanc diminutionem coguntur denuo molere illud plus, atque denuo gabellam solvere, juxta ponderationes, de quibus *d. disc.* 5. Miscell. Eccles. occasione agendi de facultate Ecclesiasticorum vendendi, vel con-
cedendi laicis, eorum bullettas, seu franchitias, dum ita 14
nil gabellario deperit, ex quo Ecclesiastici coguntur emere panem ingabellatum, sic a pari.

Ex his autem negari non posse, ponderabam, quia ca-
sus esset dubius, & per consequens, ut titulum deferen- 15
dum esset observantiæ; Potissime dum illa erat longissima annorum triginta, quæ in hac materia gabellarum regulariter sufficit, etiam præscriptiva pro exemptione gabellæ, alias debitæ, *ex deductis pluries in præcedentibus*; Quamvis enim in hoc Principatu non sit practicabilis ista species præscriptionis, ob tot Constitutiones revocatorias continentes decretum irritans, quod impedit quamcumque præscriptionem, ejusque initio se opponit, ex adeo frequenter insinuatis in omni materia; Attamen saltem attendenda venit, tanquam interpretativa, quæ licet non indigeat temporis decursu, ut præscriptiva, majoris tamen ponderis est, quando sit longissima, ideoque probabilis visa est resolutio.

ROMANA GABELLÆ LIGNORUM,

PRO HOSPITALI MENDICANTIUM SANCTI SIXTI

CUM MERCATORIBUS LIGNORUM.

Casus pendet in Camera.

An, & quando regalia penes privatos retineant suam naturam, ut possideri non possint sine titulo, quodque sola possessio non sufficiat: Et de interpretatione concessionis gabellæ, quid comprehendat: Et de bannimentis Camerarii in Urbe.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *In regalibus non suffragatur possessio sine titulo.*
3 *Possessio non suffragatur ubi constat de titulo infecto.*
4 *An sit deferendum bannimentis Camerarii.*
5 *Gabellæ odibiles, ideoque non extendendæ.*
6 *Quod quæstio esset in applicatione.*
7 *Quando locus plus non habeatur jure privati.*
8 *Princeps tenetur subvenire pauperibus.*
9 *Quando possessio sit manutenibilis etiam in regalibus, aliisque prohibitis.*
10 *An, & quando bannimenta Camerarii attendi debeant.*
11 *In quo proprie gabella, de qua agitur, consistat.*
12 *Quod solvatur etiam pro lignis, quæ introducuntur per terram.*
13 *De differentia in solutione dohanæ inter introductionem per navigationem, vel per terram.*

D I S C. CLXXIV.

Retenta facti serie, de qua supra *disc.* 81. super erectione istius Hospitalis facta per Sixtum Quintum, & concessione sibi ab eodem Pontifice facta de gabella li-

lignorum: Cum a moderno tempore inoleverit usus quarumdam cymbarum, sive instrumentorum navigationis provehendis lignis per flumen, quæ *Chieve*, seu *Meida Chieve* nuncupatur, de quibus privilegium, seu bulla concessionis non loquitur, earumn vero esset per Hospitalis administratores, in bannimentis a Camerario pro tempore renovatis, ut ista nova instrumenta quoque describerentur, atque consuetum esset pro gabella exigi julios quinque pro qualibet Chiova, & duos cum dimidio pro media Chiova; Hinc prætensionem excitarunt mercatores lignorum, ad hujusmodi solutionem non teneri; Introductaque causa coram Præside dohanarum, decreta fuit hospitali manutentio in quasi possessione exigendi, interpositaque appellatione ad Cameram, atque dato solito dubio, An, & quomodo esset inhibendum, prodiit resolutio hospitali favorabilis, super exclusione appellationis suspensivæ, cum consueto hujus Tribunalis rescripto *ad devolutivum tantum*, Concessa vero appellanti nova audientia, in repropositione ob votorum discordantiam, dilata fuit resolutio, quæ pendet.

2 Dubitandi rationem aliquibus præbebat sæpius insinuata conclusio, quod in iis, quæ sunt de regalibus, ut præsertim est sine dubio istud jus imponendi, & exigendi gabellas, non intrat solita hujus interdicti possessorii propositio, quod quærendum non sit de titulo, vel de bono jure, sed sufficiat sola possessio de facto, ex insinuatis, præsertim *disc. 44. de judic. & alibi pluries*, sed doceri debeat de titulo, ob vehementem juris resistentiam in privatis possidendi hæc jura sine privilegio Principis.

Potissime vero ubi possessio non sit diuturna, & temporis valde considerabilis, quo casu solet ipsa propositio limitari, ex insinuatis supra *disc.* 138. & 146.

3 Et fortius ubi in continenti constat de malo jure, atque de infecta, seu intrusiva possessione, contra, vel præter titulum, ad quem possessio restricta sit, cum tunc possessio, quantumvis antiqua non suffragetur, ex deductis supra *disc. 47. & in tit. de alien. & contract. prohib. disc. 1. & 3. & alibi pluries*, quoniam illa præsumptio, quæ a temporis antiquitate resultat, excluditur per contrariam probationem.

Cum etenim eadem bannimenta Camerarii, quorum vigore aliquæ exceptiones ortæ fuerant, relationem haberent ad dictam bullam Sixti V. cujus vigore in omnibus appaltibus, aliisque actibus semper hospitalis administratores istam gabellam possidere professi sunt, adeout incontrovertibilis esset restrictio ad hunc titulum, tanquam unicum, absque eo, quod intrare posset sæpius insinuata possibilitas, vel facultas allegandi alium titulum meliorem, ita de plano præmissa procedere dicebant scribentes pro mercatoribus, ac etiam illi Judices, qui dubitabant, dum ex ejusdem bullæ, seu privilegii tenore incontinenti constabat de incompetentia juris exigendi gabellam, ex hujusmodi specie cymbarum, vel instrumentorum, quorum nulla mentio habebatur, sed ea solum fiebat de quibusdam aliis cymbarum speciebus, ad quas proinde concessio restricta dicebatur.

Cumque aliqui scribentes pro hospitali, & præsertim causæ Patronus insisterent in bannimentis Camerarii, in 4 quibus pro continuatione antiqui styli adjici solet clausula, *habito Sanctissimi vivæ vocis oraculo*, quodque propterea ita adesset Pontificis concessio; Hinc proinde iidem scribentes pro appellantibus, cum consueto moderno superfluo allegationum cumulo, nimium in hoc se diffundebant ad probandum, quod hujusmodi clausula, *super vivæ vocis oraculo*, quæ antiquitus in Cardinalibus, aliisque Magistratibus latius patebat, per modernas Constitutiones nimium moderata fuerit, atque restricta ad ea negotia particularia, in quibus pro qualitate officii, & ipsorum negotiorum solet fieri verbum cum Papa, atque ab eo particulare vivæ vocis oraculum haberi; secus autem in hujusmodi bannimentis, aliisque generalibus provisionibus, in quibus id ex quodam stylo Notariorum adjici solet; Et per consequens cum iste Magistratus, quamvis sit omnium qualificatus, atque de majoribus, & primariis, in hoc tamen gerat partes exequutoris pro observantia concessionum, & provisionum Pontificiarum; Idcirco facere non potest concessionem illorum jurium, quæ sunt de regalibus, & solo Principi reservatis.

Ac ulterius, non solum adesse dicebatur defectus potestatis, sed etiam ille voluntatis, dum bannimentorum tenor ostendebat, quod voluntas non erat aliquid de novo concedendi, sed tantum demandandi exequutionem, & observantiam eorum, quæ jam concessa sint, & competant.

Nimium quoque iidem scribentes cum eodem consueto magno allegationum cumulo superfluo, vel inutili, in iis, quæ certa sunt, ac præsupponenda veniunt, juxta scribentium præcepta insinuata in Relatione Curiæ *disc. 46.* se diffundebant in odibilitate gabellarum, & onerum, quodque propterea earum concessiones extensionem, seu favorabilem interpretationem non admittant, sed ad præcisos verborum limites restrictionem habere debeant, juxta genericam omnium odibilium, & exorbitantium naturam.

His tamen non obstantibus, scribens pro hospitali, etiam cum aliqua sensu veritatis, contrarium dicebam probabilius esse, quodque juste, ac fundate dicta manutentio concessa fuisset, ideoque merito rejecta appellatio suspensiva, juxta istius judicii privilegium, de quo *d. disc. 44 & alibi pluries*; Non quidem negando, vel impugnan- 6 do omnes præmissas conclusiones, quas admittebam tanquam veras, quodque propterea inanis labor esset, eas cum tot allegationibus comprobare, adhibendo consuetam ineptiam inducendi multos testes ad probandam lucem Solis meridiani æstivi; sed quod pro frequentiori, peneque generali forensium quæstionum consuetudine, fallacia consisteret in applicatione, tam de jure, quam de facto.

De facto scilicet, super minus vero præsupposito, quod ageretur de privata persona contendente de possessione, ac pertinentia jurium regalium, cum potius ista exactio fieri, & continuari dicatur per ipsummet supremum Prin- 7 cipem, cujus vice, & nomine hujus hospitalis administratores, tanquam ejus ministri applicant emolumenta huic pio operi, quod Principi ex debito officii incumbit, eodem modo, quo ministri Camerales, vel militares, aliarum gabellarum, aliorumque publicorum onerum redditus, & emolumenta erogant in stipendia militum, & officialium, aliasque publicas impensas, dum Princeps dicitur pater pauperum, eorumque indigentiæ in subsidium consulere tenetur, ut agendo in specie de isto hospitali, 8 istaque gabella, latius advertitur in sup. *alleg. disc.* 81. Et generaliter de ista Principis obligatione erga pauperes, occasione agendi de publica annona, advertitur supra *disc. 44. & seqq. & 125.* Et consequenter, quod æquivocum dignosceretur in facti præsupposito, quo corruente, mole sua corruerent omnes prætatæ juris conclusiones, dum procedunt cum hoc præsupposito, quod agatur de persona privata, quæ ad privatam utilitatem hujusmodi jura publica, & regalia obtinere prætendat.

In jure quoque, applicationis fallaciam adesse dicebam, quoniam præmissa omnia recte procedunt, quando in privato (quatenus admitteretur, quod ejus jure, hoc hospitale censendum esset) nullus adesset titulus, adeout in 9 sola possessione se fundaret, vel adesset titulus, de cujus infectione incontinenti constaret, aut quod eo valido, & legitimo existente, attamen id, quod possideatur clare sit contra, vel præter illum, secus autem ubi vel clarum sit, vel saltem probabiliter dubium, quod idem legitimus titulus comprehendat illam speciem exactionis, de qua sit quæstio, tunc etenim possessio non habet illum juris resistentiam, vel malam præsumptionem, quam habet deficiente titulo, & quando ex illa tantum jus possessoris deducatur; sed potius attendenda venit tanquam observantia interpretativa tituli, seu privilegii dubii; Et per consequens, pendente quæstione super tali interpretatione, vel comprehensione, possessio juxta ejus regularem naturam est manutenenda, cum tunc cesset illa ratio, cui regulæ generalis limitatio specialis, de qua supra, innixa est, dum potius possessio ipsius tituli fomentum habet.

Ad instar eorum, quæ habemus in materia decreti irritantis, quod scilicet quamvis, ubi illud obstet, non competat hoc remedium possessorium, ex ea ratione, quod possessio est infecta, & habenda pro non extante; Attamen ubi aliquod cadat dubium super dicti decreti obstantia, vel comprehensione, interim possessori denegandanon est manutentio, ex insinuatis *d. disc. 81. & 44. de judic. & alibi*, Ita pariter non competunt remedia possessoria illi, qui possidet ex titulo, vel causa jam resoluta ut habetur in possidente causa feudi, vel emphyteusis, & similibus, & tamen si id non sit omnino clarum, sed aliquam recipiat dubitationem, quæ examen, vel discussionem exigat, interim manuteneri debet, ut pluries *sub tit. de emphyt. cum similib.* Et in specie possessionis hujusmodi jurium, quod obtineri non possunt sine privilegio, quod si de illo per possessorem doceatur, e converso autem doceatur de revocatione, tunc ubi ista aliquam dubitationem habere potest, interim possessor est manutenendus, ex de-

deductis *disc. 2. de praemin. & alibi;* Ex ea congrua ratione, quod in possessorio sufficit color tituli, de cujus viribus videndum est in penmtio.

Fortius vero ubi interpretatio, quæ ab observantia, vel possessione resultat, referri non valeat ad potentialem
10 usurpationem, cujus præsumptio ex qualitate personæ, vel regionis cadat, juxta ponderationes, de quibus *sub tit. de feud. disc. 65.* Multoque magis, ubi non sit possessio mere privata, quæ intrusiva dici valeat, sed fomentum habeat auctoritatis superioris, qui titulo, vel privilegio camdem dederit interpretationem, ut in præsenti ob superius enunciata bannimenta Camerarii, circa quæ dicebam idem, quod habetur supra *disc. 172.* quod scilicet, quamvis non habeat potestatem indicendi, vel augendi gabellas, aliaque jura regalia concedendi, illis exceptis, quæ in ejus facultatibus leguntur, sive in quorum possessione existat, ut (ex. gr.) sunt concessiones aliquorum locorum publicorum ad usum, vel ad ædificium, ex insinuatis supra *disc. 142. & sub tit. de serv. disc. 5. & alibi;* Attamen negari non potest, quin tamquam hujusmodi privilegiorum, & concessionum executor, dicendus veniat legitimus interpres, quodque possessio, quæ cum ejus auctoritate sequuta est, bonam, non autem malam habeat præsumptionem.

Prætetea advertebam, quod etiam in bono jure, justitia hospitali assisteret, quonoiam licet pontificia concessio loqueretur de quibusdam speciebus cymbarum, & in-
11 strumentorum, cum quibus ligna per flumen ad Urbem evehuntur; Attamen gabella non est imposita ratione navigationis, adeout dici valeat, quod dispositio loquens de una specie, non conveniat alteri, ob prohibitam extensionem, & adinstar eorum, quæ circa hanc distinctionem specierum navium, vel cymbarum in proposito assecurationum habentur *sub tit. de cred. disc. 106. & seqq.* sed imposita est lignis, seu verius personis occasione usus lignorum juxta ea, quæ de dohana, vel alia gabella introductionis habentur supra *disc. 63. cum plurib. seqq.* Ac etiam in proposito gabellæ macinatus, vel aliorum victualium insinuatur *disc. prae.* ubi alii referuntur, & per consequens attendatur qualitas mercis gabellabilis, quomodocumque introducatur; unde propterea cymbarum species, de quibus Pontificia concessio loquitur, stant demonstrative, non autem taxative, ex eo, quod illæ tunc solum in usu essent, dum inventio, vel introductio hujusmodi instrumentorum erat recens; Alias etenim esset dare inconveniens, quod lex diceretur imposita potius verbis, quam rebus, omnimuque lata, & facilis aperiretur via fraudandi eam gabellam, eamque inanem reddendi, dum posset fieri introductio in longe majori quantitate cum triremibus, aliisque magnis navibus bellicis, vel mercantilibus, quando ob inundationes, vel aquarum copias, flumen esset earum capax, dum de istis concessio non loquitur, tanquam de specie impropria, & insolita, quod utique absonum est dicere.

Quodque dicta gabella imposita non esset cymbis, vel instrumentis, cum quibus ligna vehuntur, ac in Urbem introducuntur, sed ipsi mercimonio, pro quo etiam solvitur dohana, tanquam de merce: Clare comprobari dicebam ex antiqua, & inconcussa observantia, quod eadem gabella exigatur in portis Civitatis ad proportionem quantitatis lignorum, pro illis quæ introducuntur super
12 dorso jumentorum, vel in curribus, & plaustris, iis exceptis, quæ in propriis vineis, vel prædiis incisa introducantur pro usu proprio domestico, idque rationabiliter, quoniam alias ad fraudandum gabellam possent ligna in cymbis, absque instrumentis navigationis introduci ad loca proxima extra Urbem, ibique exonerari, atque fieri introductio per terram animalibus, & plaustris, vel curribus.

Ad instar ejus, quod praxis docet circa solutionem dohanæ, quoniam major quota solvitur in dohana Ripæ, pro illis, quæ cum maritima navigatione introdu-
13 cuntur, quam in dohana terrestri, ex probabili forte motivo majoris sumptus, qui in hac specie introductionis fieri debet per introductores, quoniam si merces, quæ per mare vehuntur, exonerentur in proximis littoribus, ex quibus cum jumentis, vel curribus, & plaustris per terram introducuntur in dohana existente in Civitate, non autem in Ripa, adhuc tamen exigitur dohana ripalis, quoniam jus est in effectu, vel substantia, non autem in formalitate verborum, semper in omni materia damnabili.

ROMANA APPALTUS VEL DEFALCHI.

PRO BARBARINIS,

CUM CAMERA POPULI ROMANI.

Casus disputatus coram Camerario.

De eadem materia, de qua supra disc. 159. An scilicet, & quando Appaltatoribus gabellarum, & vectigalium competat defalcum ob fraudes, & contrabanna, ex eo, quod Locator, vel ejus Officiales illis aliquam dederint causam, sive negligant ea impedire, atque opportunas tradere provisiones.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Non petitur defalcum pro causa jam praexistente, & cognita, & n. 15.*
3 *De eodem, ut non competat pro casu, qui possit praevideri.*
4 *Quod pro fraudibus, & contrabandis non competat defalcum.*
5 *Exceptuatio aliquorum casuum, in quibus competere debeat defalcum, statuit regulam in contrarium in aliis casibus.*
6 *Quando dicatur damnum intolerabile remissione dignum, & de compensatione anni sterilis cum fertili.*
7 *Quomodo ista materia regulari debeat, & quod sit error procedere cum generalitatibus.*
8 *De distinctione casuum, vel specierum quaestionum in hac materia.*
9 *De interesse, ac damnorum refectione facienda per conductorem locatori.*
10 *De casu controverso refectionis damnorum, & interesse, ad quam locator teneatur ex ejus facto voluntario erga conductorem cum distinctione inter factum culposum, & non culposum.*
11 *De damno proveniente a culpa, vel facto tertii, quando locator de illo teneatur, necne.*
12 *Quando perit, vel deficit rei substantia indefinite sit defalcum, non curata qualitate damni.*
13 *Quando dicatur perire, vel deficere substantia rei.*
14 *De deficientia voluntatis, vel praesuppositi, quae aequipolleat deficientia substantia.*
15 *De eadem conclusione, de qua n. 2.*
16 *Quando non obstante scientia, seu praevisione casus, debeatur defalcum.*
17 *In damno casuali, quando illud dicatur magnum, & intolerabile, remissione dignum.*
18 *Posito damno intolerabili, an defalcum competat pro toto, vel solum in eo, quod excedat ratam, ex qua resultat intolerabilitas.*
19 *De compensatione anni sterilis cum fertili, ejusque modo.*
20 *De conventione, per quam conductor suscipiat in se casus, & renunciet defalco, & quando etiam hoc non obstante debeatur.*
21 *Quando istud pactum censendum sit pro adjecto.*
22 *De casu converso, quod fiat pactum super defalco in aliquibus casibus, quomodo tale pactum intelligi debeat.*
23 *Quomodo in hujusmodi quaestionibus procedi debeat.*
24 *De casu praeciso controversia, & qui in terminis in eo intrent.*

D I S C. CLXXV.

SUscepto per Barbarinos negotiatores Januenses de anno 1660. appaltu gabellæ vini, quæ gabella studii nuncupatur, juxta seriem ad aliud propositum enarratam *sub tit. de locat. disc. 26.* Inter alia capitula desuper pro stylo confecta, fuit illud, quod ubi per milites in Urbe morari solitos, pro custodia Papæ, vel Civitatis, aut per familiares, & ministros Oratorum, Regum, & Principum, aliosque exemptos, & privilegiatos, fraudes, vel præjudicia committerentur, tunc tenerentur Conservatores Populi, aliique Officiales Camerales de hoc certiorati hujusmodi fraudibus, & præjudiciis occurrere, atque opportunas capere provisiones, quodque alias defalcum de eo, quod interest fieri deberet, sola denonciationis obligatione ipsis Appaltatoribus injuncta; Cumque familiares, & ministri aliquorum Oratorum Principum, ac etiam aliquorum Cardinalium, necnon milites, in diversis temporibus, de facto vinum sine bulletta, vel gabella vendidissent, absque eo, quod manu, vel potestate sua id impedire potuissent 1

Ap-

Appaltatores, qui tamen ad Capitulorum præscriptum suo tempore præmissas fecerunt denunciationes, ac interpellationes; Hinc proinde finito appaltu, occasione solutionis residualis summæ census, vel pensionis orta est consueta, peneque connaturalia quæstio defalchi cor. Camerario.

In disputationibus itaque desuper habitis, majus, præci-
2 puumque fundamentum scribentium pro Camera Populi, consistebat in individuali *dec.* 60. Cavaler. ubi agendo in specie de ista gabella, & de consimili petitione defalchi petita per Appaltatores, ex consimili causa quarumdam franchitiarum, deciditur, quod cum de tempore suscepti appaltus, illæ franchitiæ jam adessent, atque verisimili-
3 ter innotescerent, non poterat ex earum causa defalcum prætendi; Potissime stante retroacta observantia, dum appaltus censentur facti juata solitum, ut etiam pluries in præcedentibus advertitur; Atque ad idem faciunt ea, quæ ad materiam trat. *in l. si fundum sciens, Cod. de evict.* habentur *in tit. de empt. & vend. disc.* 10. 11. & 17. in emptore non agente ad evictionem pro sibi jam cognitis defectibus, ac juribus alienis.

Deducendo quoque conclusionem firmatam apud Coccin. *dec.* 422. ut scilicet non competat defalcum pro eo
4 damno, quod prævidratur, vel prævideri debuerit; In idem deducendo resolutionem Congregationis Computorum in Ferrarien. de qua supra *disc.* 159. quoniam fraudes, & contrabanna, sunt connaturalia gabellarum, ideoque Appaltatores id recte sciunt, vel scire, ac prævidere debent, eaque videntur pars pretii.

Fortius vero, ob aliquorum casuum expressionem,
5 quibus exceptis conventum est, ut defalcum prætendi non valeat, ex causa scilicet belli divini, vel humani, vel absentiæ Papæ, ejusque Curiæ ab Urbe, ideoque omnes alios in se susceperint, ex iis, quæ apud fiscalem Larream *alleg.* 17. *& seqq.* habentur, ac alios deductos *d. disc.* 159. *& in aliis hoc tit. & disc.* 1. *de locat.*

6 In eo quoque insistendo, quod non justificaretur damnum intolerabile, quale solum dicitur, quando adsit læsio ultra dimidiam, quod scilicet fructus, qui percipiantur, non sufficiant ad medietatem pensionis, juata opinionem, quam inter plures, Romana Curia sequitur dictam decisionem receptam 422. Coccini, & supra *disc.* 65. Et nihilominus, data etiam in uno, vel aliquibus annis ista damni specie; adhuc tamen neque id sufficiat, ut in illis aliorum præcedentium, vel subsequentium uberiorum, ac utilium annorum compensatio, seu peræquatio fiat juxta pluries in præcedentibus insinuata *hoc eod. tit.* & præsertim *disc.* 65. ac etiam *sub tit. de locat. disc.* 1. *& in aliis.*

7 Scribens e converso pro Appaltatoribus dicebam, idem, quod dicitur *disc. prec.* nimiumque frequenter, in omni pene materia, semper tamen utiliter, & opportune, mea est dicendi consuetudo, manifestum scilicet errorem esse in hujusmodi quæstionibus decidendis, cum præmissis, vel similibus conclusionibus indefinite in omni casu procedere, dum illæ, pro singulorum respective casuum qualitate, omnes quidem veræ sunt, sed non omnibus casibus congruunt, ac propterea totum consistit in applicatione, ex singulorum casuum qualitate, & circumstan-
8 tiis regulanda, ideoque reassumendo alias deducta *disc.* 63. *& seqq. &* 159. *hoc tit. & d. disc.* 1. *de locat. & alibi*, advertebam, quod generaliter quatuor distinguendi sunt casus, vel species; Primo nempe, quando damnum proveniat ex facto ipsiusmet Conductoris, vel illorum famulorum, sive ministrorum, & officialium, quos ipse operi præposuerit, adeout de jure, factum istorum, habendum sit pro proprio, juxta deducta *d. tit. de locat. disc.* 7. *& seqq.* Secundo, ubi proveniat facto locatoris, vel suorum officialium, seu ministrorum, ut supra: Tertio, ubi facto tertii; Et quarto, ubi a casu fortuito.

9 In primo casu, certum est, quod defalcum non competat, eodem modo, quo habemus in emptione, & venditione, ut præstanda non sit evictio, quæ sequatur ex facto emptoris; Distinctione cadente inter factum culposum, & excusabile, pro excusatione aliorum damnorum, & interesse, ad quæ locator actione locati, & conducti, vel ex altera legis Aquiliæ contra ipsum agere valeat, ex deductis in præfata sua sede *sub tit. de loc. & cond. disc.* 7. *& seqq.* Cum præsupposito tamen, quod factum sit tale, ut dici mereatur voluntarium, secus autem, ubi ita necessarium sit, ut potius cadat sub quarta specie casus fortuiti, ut frequentius contigit in facto locatoris, ut infra.

10 In secundo autem casu, in quo agatur de facto ipsius locatoris, vel eorum, quorum factum habendum est etiam pro proprio, ut supra, juata toties insinuatam receptam theoricam Bart. *in l. si uno, §. item cum quidam, ff. de locat. & in q. 4. quæ incipit publicanus*, distinctio est, an factum sit ita voluntarium, quod dici valeat culposum, ob violationem fidei, super observantia, & implemento contractus, ac præstatione debitæ patientiæ, quia nempe, nulla accedente necessitate præcisa, vel causativa ad æmulationem, sive ad lucrum, aut ad alterius complacentiam, &c. aliqua fiat innovatio præjudicialis; Et tunc dicatur factum mere voluntarium, ex quo resultat, non solum remissio pensionis, sed etiam refectio omnimoda ejus, quod interest conductoris, etiam ratione lucri amissi, ut in individuo istius gabellæ firmatur in *dec.* 285. post Pacif. de Salv. quamvis in eo casu incongrua videatur applicatio.

Aut vero damnum, sive innovatio proveniat a facto voluntario locatoris, qui volens, potuisset illud non facere, vel differre, sive alias necessitati consulere; Attamen justa accedat causa, quæ si non præcisam, saltem inter privativam necessitatem redoleat; Ut (ex. gr.) contingit in ipsius gabellæ suppressione, vel diminutione, aut alia alteratione, juata casum, de quo *in dict. dec.* 286. post Pacif. & supra in Romana redditionis rationis *disc.* 76. sive casum, de quo supra *dict. dec.* 159. quando motivum diversitatis Provinciæ non obstaret; Vel e converso, quia eadem gabella augeretur, vel fierent novæ impositiones aliarum gabellarum præjudicialium; Aut quod fieret mutatio monetarum, cum similibus, juxta *cons.* 52. Eugen. *lib.* 1. Ann. *alleg.* 21. Marcian. sen. *cons.* 7. *cum aliis relatis supra disc.* 107. *& dict. disc.* 179. *& in aliis*; Et tunc excusabitur quidem locator ab illa refectione damnorum, & interesse, etiam lucri amissi, quæ intrat in casu facti mere voluntarii, & culposi, sed tamen locus est remissioni pensionis, pro rata damni, tale quale illud sit, neglecta distinctione intolerabilitatis, vel compensationis cum anno ubere, cum tunc congruat potius praxis tenta *in dict. disc.* 86. quod scilicet conductor induat pro eo anno, vel tempore personam administratoris, ne sit in lucro de alieno, non autem, ut sit in damno.

Aut vero factum locatoris, vel ejus officialium, & ministrorum proveniat a tali causa, quæ dici mereatur potius necessaria, pro recta Reipublicæ, vel Principatus administratione, ut formidatis damnis, & præjudiciis occurratur, ut (ex. gr.) contingit in casibus, de quibus agunt Camill. de Medic. *cons.* 23. *&* 141. Menoch. *cons.* 671. Larrea *d. alleg.* 17. *& seqq. & alii*; Quia nempe, ob timorem pestis prohibeantur aliquæ nundinæ, sive prohibeatur commercium maritimum, vel terrestre aliquarum Civitatum, vel nationum, vel quod eadem prohibitio sequatur ex causa belli, vel inimicitiæ cum alio Principe, vel populo, cum similibus; Et tunc cessante pacto, de quo infra, quidquid dicant Camill. de Medic. *d. cons.* 23. *&* 141. *& alii*, probabilius videtur, ut sub quarta specie potius hujusmodi casus cadat; Circumspecte tamen tractando cum aliqua majori æquitate, quam ubi agatur de sterilitatibus, aliisque naturalibus accidentibus.

In tertio vero casu, in quo damnum proveniat a facto 11
tertii, intrat quoque distinctio, an sit tertius, quem ipse locator opportune coercere, seu prohibere valeat, necne; Si etenim non possit, tunc pariter sub sequenti quarta specie collocandus venit, ut sunt (ex. gr.) irruentiæ hostium, vel bannitorum, & pyratarum, cum similibus; Sive factum alicujus tertii ita potentis, qui de facto prohibere non possit; Si autem locator prohibere potest, & negligit; Et tunc in sensu aliquorum Doctorum, & præsertim Socc. *in celebri toties excantata cons.* 156. & Ancharan. *cons.* 414. & aliorum, de quibus *d. dec.* 159. videtur, quod sit idem, ac factum proprium culposum, quasi quod paria sint impedimenta præstari a seipso, ac a tertio, quem ipse prohibere possit; Verum erroneum videtur ita indefinite id firmare, cum potius eadem intret distinctio, de qua supra, an scilicet negligentia habeat, necne aliquod justum motivum, vel e converso dici valeat culposa, cum ita culpa intret in omittendo, ac in committendo; Isto etenim posteriori casu recte intrant ea, quæ allegati volunt, secus autem in primo, in quo justum motivum, quod a congruentiæ ratione, vel a prudentialibus motivis proveniat, excusabit quidem a culpa, ut propterea contra locatorem non intret rigor, de quo supra in casu facti culposi, pro omnimoda refectione ejus, quod interest, sed non per hoc e converso intrabunt ea, quæ habentur in defalco, ex damno casuali, de quo infra, & sic, ut juata secundam partem casus præcedentis fiat locus remissioni pensionis ad ratam damni, quale illud sit, quamvis ad metam intolerabilitatis non ascen-

ascendat; Puta (ad rem) quod damnum proveniat a ministris, & familiaribus Oratorum Principum, sive Magnatuum, & potentium personarum, qui de stricta juris censura, justitia mediante, coerceri, & prohiberi possent, sed ex prudentialibus motivis non expediat.

Demum in quarto casu, quod scilicet damnum, absque alicujus facto proveniat a mero casu fortuito; Et tunc eodem retento præsupposito, quod nullum accedat pactum, ideoque in solo puncto juris quæstio sit; Ea imprimis
12 distinctio cadit, an rei substantia in toto, vel in parte perierit, vel potius ea salva adhuc existente, damnum sit in fructibus, vel proventibus; In primo etenim casu peremptionis substantiæ, absque distinctione, an damnum sit magnum, & intolerabile, necne, & an ubertas compenset sterilitatem, cum aliis distinctionibus, de quibus infra, locus est defalco pro rata, vel proportione deficientiæ, qualis qualis illa sit, juxta pluries in præcedentibus insinuata, & præsertim *disc. 64. & seqq. & 105. & seqq. & 159. & d. tit. de locat. & conduct. disc. 1. & seqq. & 42.* dum in hoc scribentes sunt concordes.

13 Adhuc tamen magna inter ipsos discordantia dignoscitur, unde propterea punctus involutus esse videtur super applicatione, seu verificatione istius primæ partis, quando scilicet substantia deficere dicatur, necne; Siquidem plerique volunt, quod quamvis in ipsa proprietate, sive in ipsa habituali jure, aut in ipsa causa fructuum, & emolumentorum productiva, nullum accidens contingat, illud vero sequatur in ea occasione, qua mediante fructus, alioquin inutiles, efficiantur utiles, adhuc substantia deficere dicatur; Puta (ex. gr.) juxta assumptum, de quo apud Surd. *cons. 507. & sup. disc. 105. & seqq.* quod scilicet in salaria, vel in salinis deficere dicatur substantia appaltus, ob mortalitatem hominum, & animalium, in quorum usu consistit valor, seu pretium salis, alias inutilis; Vel juxta casum, de quo *disc. 134.* super impedimento commercii, sine quo inutiles pisces lacus, vel similes fructus, aut super impedimento curstationum, sive super impedimento Tribunalium, in appaltu Cancellariæ, vel Notariatus, *ut tit. de locat. disc. 2. & 3. cum similibus*. Verius tamen est oppositum, quoniam in istis, vel similibus casibus, damnum dicitur potius esse in fructibus, quorum perfectio, vel exitatio impedita, vel diminuta sit, cum damnum in rei substantia, proprie dicatur illud, per quod tollatur, vel impediatur ipsa causa productiva; Puta, quia in rebus soli, fundus, vel rei proprietas perierit, vel infructuosus redditus sit, ob aquarum inundationes, habentes causam permanentem, puta, juxta casum, de quo supra *disc. 108.* in devastatione ipsarum salinarum, vel in urbanis ex ruina, cum similibus accidentibus; Et in incorporalibus, quia sublatum, vel impeditum sit ipsum jus percipiendi, puta, quia concesso appaltu salariæ, seu vectigalium, aut postarum, aliorumve similium jurium aliquarum Provinciarum, vel Civitatum, aliqua Provincia, vel Civitas dismembretur, vel alias occupata sit, dum in ea parte deficit causa productiva, sive ipsum jus habituale. Vel quod illud officium, quod exerceatur, vel exerceri possit per totam Civitatem, sive in universo causarum genere, restringatur ad certam contratam, vel ad certum genus causarum, vel personarum, cum in partibus dismembratis, vel prohibitis, deficiat substantia, idest jus habituale, seu causa productiva, non autem effectus, Secus autem, ubi ipso jure habituali adhuc competente, & non alterato, impedimentum commercii, vel aliud accidens impediat exercitium, quod redundat in diminutionem fructuum, & emolumentorum, juxta casus, de quibus *tit. de locat. disc. 2. & 3.*

14 Et licet quandoque illud accidens, quod importat quandam mutationem status rerum, atque revera percutit potius diminutionem fructuum, vel proventuum, haberi soleat pro cessatione, vel diminutione substantiæ, juxta celebrem, nimiumque frequenter insinuatum casum Ancharani *cons. 402.* de appaltatore vectigalium Civitatis Pistorii, de tempore, quo Pontifex Alexander Tertius, cum ejus Curia ibi residebat, ob ejusdem Papæ, & Curiæ discessum; Attamen id ita dicitur per quandam improprietatem, dum idem jus habituale exigendi victualia in ea Civitate, salvum remanebat, atque per hanc immutationem, solum effectum fuit minus fructiferum, accidentaliter, adeout si Curia rediisset, illud suum majorem effectum produxisset; Adhibetur tamen iste terminus, ad denotandum defectum voluntatis appaltatoris, tanquam ex cessante præsupposito; eodem modo, quo (ex. gr.) appaltus dohanarum suscipiuntur pro majori emptione, intuitu aliquarum nundinarum, quæ prohibeantur, juxta casum, de quo agit dictus Camill. de Medic. *d. cons. 23.* Sive in Urbe intuitu anni sancti, vel Jubilæi juxta ponderationes, de quibus supra *disc. 65.* Si contingat ex aliquo accidenti portam sanctam non aperiri, atque Jubilæum non indici, quoniam jus habituale exigendi dohanas mercium, est idem, atque diminutio exinde potius resultat in fructibus, & proventibus, sed cessat illud præsuppositum, quod fuit causa majoris pensionis, & sine quo, ea tanti conventa non esset, unde substantiæ defectus potius sit in voluntate, quam in ipsa re, vel jure; Et per consequens clarus dignoscitur nostrorum error, qui ad præmissas casuum, vel terminorum distinctiones non reflectendo, materiam in hoc adeo involvunt cum generalitatibus, vel cum confusione doctrinarum, & decisionum, quæ diversos casus percutiunt.

Ubi vero damnum non sit in substantia, vel in fructibus, tunc consideratur in primis, an casus existeret, vel immineret, seu alias prævideri potuerit, ac debuerit, cum tunc etiamsi damnum esset intolerabile, locus non sit defalco, ut sup. *n. 2.* Idque ex ea congrua ratione, quod illud periculum imminens, vel prævisum, sit pars pretii ita diminuti; Unde propterea appaltator, seu conductor incertam aleam emisse videatur, adinstar censuum, aliorumque contractuum vitalitiorum, de quibus præsertim *sub tit. de donat. disc. 54. & sub tit. de empt. & vend. disc. 1.* Sive adinstar emptionis locorum montium vincabilium, ex deductis sup. *disc. 50. & seqq. cum similibus*; Juxta exemplum positum apud Coccin. *d. disc. 422.* de conducente casale, vel prædium prope flumen, cujus inundationibus de sui natura subjaceat, unde propterea locari soleat minus, quam locentur similia casalia, huic periculo non subjecta; Idemque in appaltibus vectigalium, vel dohanarum de tempore, quo bellum jam vigeat, vel indictum sit, aut quod jam rupta sit pax, sive quando pestis grassetur, vel inceperit, in eodem loco, vel in aliis, cum quibus haberi solet commercium, cujus prohibitio prævideri potuerit, ac debuerit, cum similibus. 15

Et nihilo minus etiam in istis, vel similibus casibus, erroneum videtur procedere cum hac generalitate, non reflectendo ad circumstantias facti, & præsertim ad pretium, seu pensionem, an scilicet casus, vel periculi imminentia, seu prævisio fuerit causa diminutionis pretii intrinseci, vel consueti, quod alias secluso hoc accidenti, vel ejus timore, conveniri debuisset, dum tunc intrat dicta ratio susceptionis aleæ, & quod casus sit pars pretii; Secus autem si imprudens conductor a locatore deceptus, vel alias ex ejus imprudentia, non prævidendo id, quod prævidere debebat, suscipiat appaltum pro pretio consueto temporis pacifici, & non accidentalis, quoniam tunc, si non intrant vere, & proprie termini remissionis pensionis, juxta dispositionem regalium jurium *in l. licet, & in s. potuit, &c. propter sterilitates*, intrant tamen termini læsionis, vel alii doli veri, vel præsumpti, Praxis etenim frequenter docet, quod ministri, & officiales fiscales, vel Camerales, ad captandam gratiam Principis, vel supremi Magistratus, quod etiam in malis; & accidentalibus temporibus, cum eorum diligentius fecerint consuetos appaltus absque diminutione, cum vanis, minusque veris assertionibus, vel promissionibus, & quandoque etiam cum minis, aliisque malis actibus, personas imprudentes, vel inexpertas, aut ambitiosas ad id inducere solent, ideoque rei veritas attendenda est, cum dicta conclusio fundata sit in præsumptione juris, quæ per contrariam probationem, vel veritatem cessare debet; Atque pretium sit magnum voluntatis argumentum, ex frequenter in omni materia insinuatis. 16

Seclusa vero dicta circumstantia, præexistentiæ, vel prævisionis casus, unde propterea casus sit vere improvisus, vel fortuitus, tunc intrat inspectio super qualitate damni, an illud sit intolerabile, necne, atque super hoc variæ habentur opiniones; In Curia tamen, (ut supra insinuatum est) inter privatos, & non privilegiatos illa recepta videtur, ut esse debeat ultra dimidiam, juxta terminos textus *in l. 2. Cod. de rescind. vendit.* qui in hoc proposito adhiberi solent; Ac propterea eis retentis in Urbe ad præscriptum Statuti, sufficere deberet, quod sit ultra tertiam; In fisco autem, vel in Civitate, aliisque privilegiatis, in quibus attenditur solum sexta, debeat ista sufficere, ex deductis supra *disc. 64. & seq.* 17

Atque posito; quod damnum ad hanc respective meram ascendat, unde propterea intolerabile, atque remissione dignum dici mereatur, adhuc duæ aliæ intrant inspectiones; Una scilicet, an remissio, vel defalcus fieri debeat 18

so-

solum in ea parte, quæ desit ad supplendam medietatem, vel tertiam, aut sextam respective, vel potius in toto, adeout illa deficientia locum aperiat ad defalcum, vel ad refectionem totius damni, ut verius esse firmatur sup. *disc. 66.*

19 Et altera super compensatione annorum utilium, & uberiorum, cum sterilibus, vel accidentalibus, atque, ad hunc effectum plures cadunt quæstiones, an attendantur solum anni proximi, vel omnium annorum totius appaltus, fieri debeat peræquatio, juxta ea, quæ habentur supra *d. disc. 65. 105. 107. 134. & 159. & in aliis*; Ubi etiam advertitur ad æquivocum nostrorum, non distinguendi illos casus damni, vel infructuositatis, qui proveniant a vitio Cœli, vel Naturæ, quæ unius anni infœcunditatem, cum alterius anni fœcunditate compensare solet, & illos, qui proveniant a peste, vel bello, vel alio accidenti, cui dicta ratio suppletionis, vel compensationis non congruat, ex ibi deductis.

Hactenus quoad illas defalchi, vel restauri quæstiones, quas agi contingat, ex sola dispositione juris, nullo pacto, vel partium conventione accedente. Ubi vero conventio accedat, & tunc duplex intrat inspectio; Una scilicet, quando pactum sit defalchi exclusivum, quia nempe conductor, sive *appaltator* promittat conventæ pensionis solutionem absque ulla exceptione defalchi, cui expresse renunciaverit, aut quod super illo se remittat voluntati, vel arbitrio locatoris, aut quod de illo conveniat in certis casibus, puta (exgr.) juxta frequentiorem Urbis consuetudinem, ex causa belli divini, vel humani, vel absentiæ Papæ, ejusque Curiæ, cum tunc istorum, aliorumque civilium casuum exceptio firmet regulam generalem in contrarium; Et altera inspectio est e converso, quando generaliter in omni casu infortunii, sive in iis, qui jam contigerint, adsit pactum affirmativum defalchi.

20 In prima specie conventionis, plana est regula negativa, tum ex generali axiomate, quod quilibet potest proprio favori renunciare; Tum fortius ob superius insinuatam rationem, quod scilicet casuum, vel periculi susceptio, speciem conventionis aleæ continet, quæ utrique damnum, & commodum æque inferre potest, cum intrinseci, & majoris pretii diminutione, tamquam per speciem assecurationis, juxta ea, quæ de contractu trino, vel similibus assecurationibus habentur *sub tit. de usur. disc. 1. & seq.* vel juxta illam refectionum, aliarumque expensarum susceptionem, quam in se faciat conductor, cum similibus.

Adhuc tamen, ista regula excepta non est ab aliquibus limitationibus, illa præsertim, quæ *ex dec. 139. & 145.* Millin. & aliis habetur supra *d. disc.* 159. quando scilicet contingat casus omnino insolitus, vel in magno excessu, & præter solitum, adeout sit verisimiliter incogitatus; Sive ubi facti circumstantiæ ita suadeant observantiam hujus pacti præseferre magnam injustitiam, magnamque læsionem, juxta generalem conclusionem frequenter sub pluribus materiis insinuatam, & præsertim *sub tit. de decim. disc.* 3. & infra *sub tit. de emphyt. disc.* 54. quod scilicet contractus, quamvis ab initio, & in sua ordinatione licito, si tractu temporis efficiatur nimium injustus, & inæqualis, reduci debeat ad justitiam, & æqualitatem.

Clarius vero, ubi facti circumstantiæ suadeant, quod hujusmodi pactum studiose adjectum non sit, ex particulari conventione inter contrahentes sub dicto requisito diminutionis pretii, eique sit congrua assecurationis merces, seu præmium; Seu potius ex formulario Notarii, aut ex quodam stylo locatoris, absque eo, quod conductor specialiter ad id advertat. Potissime ubi dignoscatur aliqua mutatio temporum, & circumstantiarum, inter antiquos contractus, in quibus hujusmodi pactum adjici consuevit, & illum, de quo agitur; Maxime vero, ob vere detestabilem usum conficiendi instrumenta, & hujusmodi contractus latino idiomate, & quod Notario oretenus, & in compendio stipulante contractum in partibus substantialibus, circa quas revera contrahentium tractatus, & conclusio fuit, postmodum domi transcribendo a formulariis, vel ab aliis instrumentis longas desuper extendat verborum, & clausularum cantilenas, super iis, quæ nunquam a contrahentibus cogitata fuerunt, imo, quod neque ipsemet Notarius intelligat quid scribat, ac propterea Judices ad id præsertim reflectere debent, an scilicet instrumentum ita confectum sit, quod ejus minuta, prout jacet, transierit per manus contrahentium, eorumque Advocatorum, vel Sapientum, adeout pactum ex matura, & studiosa conventione, & præordinatione adjectum sit, vel potius eo modo, quo supra: fortius vero hujusmodi considerationes habendæ sunt, quando istud pactum negativum non sit pure, ac indefinite conceptum, sed aliquam habeat annexam qualitatem moderativam; Puta, juxta casum, de quo *sub tit. de locato disc. 4.* quod scilicet conductor se remiserit arbitrio, & discretioni locatoris, cum similibus.

Atque ita intelligenda videtur Constit. Clementis VIII. nuncupata boni regiminis, super appaltibus, qui fiunt per Communitates, ut adjici debeat, vel pro adjecto habeatur istud pactum negativum, ex deductis per Cohell. *ad dictam Bullam boni regiminis c. 48. cum aliis in tit. de locato, & conducto disc. 6.* quoniam rationabiliter, ac prudenter ita statutum est, ad occurrendum fraudibus, & cavillationibus committi solitis, quod scilicet potentes Cives, & negociatores solebant suscipere appaltus Communitatum, atque in fine retinendo notabilem partem pensionis in manibus, excitare hujusmodi lites, cum quarum colore, colludendo cum administratoribus, ipsæ Communitates supplantari solebant; Quod etiam congruit fisco, & Ecclesiis, aliisque locis piis, & omnibus, qui per se ipsos propria negotia tractare non possunt, sed sub aliena administratione pernecesse vivunt; Ac propterea discrete id intelligendum est ad istius rationis limites, non autem indefinite in omni casu, cum solis generalitatibus est procedendum, ad instar eorum, quæ habemus circa clausulam *appellatione remota*, ut intelligenda sit de frivola, & quæ non habeat omnino justum motivum, cum similibus. 21

E converso autem, in casu pacti affirmativi; Quamvis aliqui opinentur, ut illud intelligendum sit, prout de jure, atque in illis casibus, in quibus debeatur, quasi quod sit expressio ejus, quod inest; Contrarium tamen probabilius, magisque receptum est, juxta opinionem, cujus antesignanus reputatur Angel. *cons.* 312. cum pacta reputari non debeant otiosa, sed aliquid addant juris dispositioni, ita tamen, ut eorum operationum extensio, vel multiplicatio admittenda non sit, vel sufficiat, quod unam faciant operationem, per quam tollatur fatuitas, ex insinuatis supra *disc. 65. & seq. & 105. & 159. & disc. 1. & seqq. sub tit. de loc.* unde propterea si aliud non adsit obstaculum, tunc tale pactum istam faciat operationem, ut desiderandum non sit requisitum intolerabilitatis damni, sed illud tale, quale sit, cum defalco refici debeat, Sed si accedat pactum, de quo supra, quod scilicet causa periculi, vel causas jam præexisteret, vel quod prævideri potuerit, ac debuerit, tunc pactum circa istius obstaculi remotionem, suam facit operationem, ut hoc non obstante, defalcum debeatur, juxta ea, quæ *in d. tit. de empt. & vend. disc. 10. & 11. & 17. & aliis;* habentur ad materiam text. *in l. si fundum sciens, C. de evict.* ut non obstante scientia juris alieni, vel imminentis evictionis, illa debita sit, quoties in conventionem deducta est, quoniam ex eo, quod emptor, vel conductor sciebat, idcirco voluit sibi consulere, sed non faciat aliam operationem, circa requisitum intolerabilitatis, vel circa compensationem sterilitatis cum ubertate, juxta dictum *dec.* 422. Cerini, & supra *d. disc. 64. & seqq. hoc tit. & d. disc. 1. & seqq. de locat.* 22

Atque hinc semper magis, magisque edocemur, quam clarus, ac damnabilis sit error in procedendo in hujusmodi quæstionibus, cum solis generalitatibus, vel cum auctoritatibus, ac decisionibus, quæ diversos percutiant casus, cum revera dicendæ veniant quæstiones potius facti, quam juris, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidendæ, reflectendo quoque ad præmissas, aliasque similes distinctiones, non autem cum consueta ineptia procedendo cum sola litera auctoritatum. 23

Applicando itaq; ad rem, retorqueri dicebam pene omnia supradicta, quod scilicet quo magis jam notæ essent licentiæ, quas desuper de facto sibi assumere solent milites, ac etiam Oratorum Principum, vel Card. aliorumque Magnatum familiares, & Ministri, absq; eo, quod de facili occurri valeat, eo magis appaltatores voluerunt sibi consulere de hoc pacto, ideoque sibi imputet locator, cur illi se subjecerit; Ac propterea ex facti circumstantiis cessabat applicatio omnium conclusionum, quæ, ut supra in contrarium deducebantur, dum ita, ob majorem licentiam, quæ circa hujus appaltus tempora irrepserat, semper in dies excretam, appaltatores edocti, ob casus forte sequutos de tempore appaltus antecedentis, suæ indemnitati consulere voluerunt, cum hoc pacto, per quod habendum est hoc impedimentum, ac si præstitum esset ab ipsomet locatore, qui neglexit ad formam suscepti oneris, illud non tollere, opportunaq; remedia non adhibere; Et per consequens, quod vere, & proprie non versacemur in terminis remissionis pensionis ratione sterilitatis, vel alterius accidentis, juxta dispositionem juris civilis *in l. licet C. loc. & jur. Canon. in c. potuit, & c. propter sterilit. ext. eod.* sed vere, & proprie in terminis non implementi, vel non præstitæ patientiæ, juxta superius enunciatam theor. Bart. 24

Quam-

Quamvis autem ista materia cadat potius sub sede locationis, & conductionis; Attamen quia hujusmodi quæstiones frequentius cadunt in appaltibus gabellarum, & vectigalium, hinc non est incongruum hoc titulo agi, inhærendo jam actis.

NULLIUS FORTIFICATIONUM, VEL CONCESSIONIS.

Consilium pro veritate, suppressis nominibus.

De eadem materia, de qua supra disc. 148. potestatis Principis tollendi jus tertii, vel disponendi de bonis alienis, & præsertim occupandi bona privatorum pro mænibus, vel fortificationibus; Et quatenus id de facto sequatur, deindeque fortificationes demoliantur, vel earum necessitas cesset, an bona occupata prioribus Dominis restitui debeant, sive ab eis vendicari possint.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De donatione facta per Principem de bonis alienis.*
3 *De amissione dominii bonorum, quæ capta sint ab hostibus.*
4 *Destinata ad usum publicum desinunt esse de privata facultate.*
5 *Quando Princeps tollat bona privatorum.*
6 *De situ occupato a flumine, qui deinde mutet cursum, & num. 16.*
7 *Quod bona occupata pro fortificationibus, vel aliis publicis usibus, cessante usu, restitui debeant dominis.*
8 *De auctoritatibus individualibus.*
9 *Quod bonorum dominis refici debeat pretium bonorum, quæ occupentur ex causa publica.*
10 *De ratione, ob quam dicta refectio fieri debeat.*
11 *Quare de facto id non servetur, & quid faciendum sit.*
12 *Quod usus publicus non tollat dominium, sed solum impediat usum, ac utilitatem.*
13 *Etiam in viis publicis datur dominium privatum.*
14 *Declaratur conclusio, de qua n. 2.*
15 *De conclusione, de qua n. 3.*
16 *De altera, de qua n. 4. ac etiam n. 6.*
17 *De refectione expensarum, pro recuperatione bonorum occupatorum, vel eorum reductione ad priorem statum.*

D I S C. CLXXVI.

CUm quidam ex illis Italiæ Principibus, qui Principatum 1 non omnino independentem jure veri allodii, sed jure feudi regalis, & dignitatis obtinent, juxta illas species, de quibus agitur *sub tit. de feud. disc. 1. cum plurib. seqq.* pro sui principatus defensione, in illis extremitatibus, in quibus major habebatur suspicio, juxta bellicæ, seu militaris artis regulas, aliquas construxisset fortificationes, pro quibus de facto, nullo soluto pretio, nonnullorum privatorum, tam sæcularium, quam Ecclesiasticorum, ac etiam piorum locorum prædia, & bona, in toto, vel in parte occupasset; Postmodum vero post aliquem temporis decursum, ea cessata causa, ab eodem, vel successore præfatæ fortificationes demolitæ essent, earumque situm ita sterilem, ac de facto a nemine possessum idem Princeps, cuidam emerito familiari, vel ministro concessisset; priores vero domini, vel eorum aliqui proprios respective situs peterent, ac vendicare vellent; sive quod idem concessionarius ex conscientiæ stimulo id inquirere vellet: Hinc desuper meum pro veritate consilium petiit, ad effectum deliberandi, an deberet cum antiquis dominis aliquam honestam parare concordiam, sive cessionem jurium procurare.

Respondi, quod ejus favore plura ponderari possent argumenta; Primo nempe, ob dispositionem text. *in d. leg. omnes, & l. bene a Zenone, Cod. de quadrien. præscript.* dum agebatur de donatione facta per supremum Principem, ex 2 iis, quæ ad prædictorum jurium materiam habentur *sub tit. de donat. disc.* 43. ac propterea, si quæ actio antiquis dominis competeret, ea exercibilis esset in pretio, seu valore contra fiscum, quatenus non adesset quadriennium, non autem contra donatarium.

Secundo, quod adaptarentur ea, quæ habentur *sub tit.* 3 *de feud. disc.* 58. in materia amissionis dominii, ob casum belli, quoniam licet bona capta ab hostibus non in eodem, sed in alio belli conflictu, recuperentur, non per hoc tamen ad priores dominos redeunt.

Tertio, quod adaptari possent ea; quæ habentur *sub* 4 *tit. de servit. disc.* 21. ut destinatio jam sequuta ad publicum usum tollat privatis dominis illud dominium, vel illam facultatem, quæ alias competeret.

Et quarto, quod quæstio, de qua habetur sup. *d. disc.* 148. super Principis potestate disponendi de bonis privatorum, illorumque dominium uni tollendi, atque alteri concedendi, 5 percutiat casum, in quo cessat causa publicæ necessitatis, vel utilitatis, & tamen etiam in eo casu, saltem in foro externo, magis recepta est opinio affirmativa; Sed ubi accedit causa publica, tunc remanet res extra controversiam, cum tali casu dici possit potius peremptio casualis, dum facta Principum inter casus fortuitos recensentur; Ideoque ita omnino amissum fuisset dominium, quod amplius non redit, ex regula, quod a privatione ad habitum 6 non datur regressus; Ad instar illius situs, quem occupet alveus fluminis, cursum immutantis, quoniam si deinde tractu temporis ad antiquum alveum redeat, sive alias diversum assumat cursum, non per hoc iste derelictus alveus reincidit in antiquum dominium, sed, vel ad terminos juris civilis acquiritur, pro virili dominis prædiorum adjacentium, ex plene deductis per Mart. *cons.* 5. & per Rot. *dec.* 39. post Pacichell. *de distant.* apud eum, vel juxta frequentiorem principatuum usum, remanet de regalibus, & sub genere bonorum vacantium, ex relatis per Mart. ubi sup.

Idemque de situ, qui cum subsequuto effectu, destinatus fuerit pro via publica, quam postmodum immutari contingat, cum similibus.

His tamen non obstantibus, contrarium dixi probabilius videri; tum in parte doctrinali, vel auctoritativa; ex iis, quæ generaliter, & in abstracto desuper Doctores tradunt, tum etiam in parte ratiocinativa, & potissime ob istius casus particulares circumstantias ita duas efformando inspectiones, unam scilicet super conclusione, seu theorica generali, & altera super circumstantiis particularibus casus, de quo agebatur desuper ratiocinando.

Quatenus pertinet ad primam, dixi communem esse tra- 7 ditionem *Innocentii, aliorumque Canonistarum in c. quia plerique de immunit. Eccl. & c. qua in Ecclesiarum de constitutionibus*, ac aliorum, quos referunt Tiraquel. *in tract. cessant. caus. in princ. n. 20. verbo oblationis causa cessante*, & uterq; Anna sen. & jun. *singul.* 8. ut bona privatorum per Principem, vel Civitatem occupata pro mœniis, vel fortificationibus, istarum demolitione sequuta, seu alias rerum statu mutato, tanquam ex cessante causa, ad priores re- 8 deant dominos, a quibus vendicari possint; Ideoque dicebam iotrare illam propositionem, quæ hodie modernorum pragmaticorum est sacra anchora, atque in dies per ipsorum ora volitat, sæpius insinuata, & præsertim *disc.* 35. *de judic.* quod scil. ubi decisiones, & auctoritates individuales habentur, cum istis procedendum est, neglectis generalitatibus, vel ratiociniis.

Assumendo vero alteram magis genialem inspectionem ratiocinativam: Dicebam, quod generaliter respectu om- 9 nium; multo vero magis respectu Ecclesiarum, & piorum locorum, ac personarum Ecclesiasticarum, ab ipsius Principis sæcularis potestate, & jurisdictione exemptarum, in puncto juris verius est, quod licet Princeps, vel Civitas, ex ista publica causa munitionum, etiam invitis dominis bona occupare possit, eisque uti, tanquam per speciem illius necessariæ servitutis, de quo sup. *hoc tit. disc.* 136. *& seq.* vel illius retractus coactivi, de quo *sub tit. de servit. disc.* 2. *&* 83. *cum seqq.* cum similibus; Attamen id intelligitur soluto valore, seu pretio, juxta firmata in specie per Rotam in Barchinonen. murorum, de qua sup. *d. disc.* 148. *n.* 38. *& seqq.*

Idque ex ea nimium probabili, & congrua ratione deducta eodem *disc.* 148. *n.* 33. occasione venditionis, vel 10 concessionis illorum locorum, quæ se redemerint, unde libertatem a servitute baronali habeant ex contractu oneroso, & correspectivo, quod scilicet publicis necessitatibus occurrendum est, cum omnium subditorum æquali collecta, & contributione, quando cum consueta Reipublicæ dote occurri non possit, non autem cum bonis unius, vel aliquorum tantum; Idemque, ubi ex eadem causa belli, & fortificationum, aut pro via publica sternenda, aliisque similibus contingat devastari arbores, & vineas, vel domos, aliaque damna privatis inferri.

Et quamvis, ut eodem *disc.* 148. insinuatur, observantia communis de facto contrarium doceat; Attamen id referen- 11 dum videtur eidem causæ, vel rationi publicæ necessitatis, quod scilicet in bellicoso, vel alias calamitoso tempore, in quo ad hujusmodi actus devenire oportet, aliæ plures urgent indi-

indigentiæ, & occasionis, quibus occurrere oportet, cum collectis, & contributionibus subditorum, sive cum bonis, & redditibus spectantibus ad dotem Reipublicæ, ideoque tunc non est practicabilis ista refectio, cujus tamen obligatio remanet, postquam cessatis calamitatibus, Respublica ad meliorem devenerit fortunam, ex iis, quæ in proposito monetarum inferioris materiæ in casu calamitatum advertuntur supra *disc.* 126. cum similibus, dum aliàs injustitiam, ac tyrannidem potius id redoleret; Et licet pariter praxis de facto istam refectionem non doceat effectivam, idest solvendo in pecunia, vel in alio æquipollenti, id, quod importet bonorum valor, eo quia pro eadem communi nostrorum temporum praxi non de facili verificatur istius melioris fortunæ casus; Attamen omnis justitiæ, & æquitatis ratio exigit, ut cessata necessitate, ipsamet bona, quæ amplius publico usui non deserviunt, prioribus dominis restituantur potius, quam (ut in præsenti) aliis ex liberalitate concedantur, cum ita esset dare locupletationem cum aliena jactura, atque exercere liberalitatem de alieno, directè offendendo justitiam, quæ est virtus major, & in Republica necessaria, ut exerceatur, altera virtus non necessaria, sed solum commendabilis, quando sine justitiæ detrimento fiat de proprio.

12 Considerabam præterea, quod quando hujusmodi fortificationes, ob tunc contingentes necessitates fiant potius occasionaliter, vel temporaliter, tunc revera non sit hujusmodi bonorum dominium, & proprietatem tollere eorum dominis, atque ab eis abdicare, atque in alterum transferre, sed solum sit impedire usum solitum, vel culturam, & fruitionem, antiquo habituali dominio adhuc retento, & continuante, quodque propterea cessata publica necessitate, tamquam per remotionem obstaculi, ejus dominus reassumat antiquum usum, atque continuet, non jure novi dominii, vel novæ recuperationis, sed jure primævo, juxta ponderationes de quibus supra *hoc tit. disc.* 125. *& sub tit. de feud. disc.* 57. *&* 58. cum consueto exemplo deducto locis citatis, ac etiam *sub tit. de benefic. disc.* 1 & in aliis pluries, occasione indultorum conferendi beneficia reservata, illius scilicet, qui habens membra naturaliter valida, & operativa, recipiat in eorum operatione accidentalia impedimenta resultantia a vinculis, & compedibus, quoniam istis solutis, vel remotis ille ambulat, ac operatur non ex nova facultate, sed jure suo naturali, & primævo.

13 Quodque istud privatum habituale dominium, quamvis sine utilitate, retineatur etiam in iis, quæ publico deserviant usui, comprobari observabam ex illa plurium dominiorum distinctione, quæ in viis publicis ponderatur supra *hoc tit. d. disc.* 136. dum datur etiam dominium privatum soli viæ publicæ utile.

14 Neque obstare dicebam, præmissa in contrarium ponderata; Non quidem primum deductum ex text. *in l. omnes; & l. benè a Zenone*, quoniam inter plures limitationes, vel declarationes, quas dictæ leges patiuntur, adeout nimium raro earum dispositio ad praxim reducatur, ex insinuatis *d. disc.* 43. *de donat.* illa præsertim ad rem faciebat, quod id intelligatur, quando Princeps sciens rem esse alienam, adhuc tamen eam concedat, secus autem ubi credat concedere id, quod non fuit, vel nullius.

15 Alterum motivum bonorum captorum in bello remanebat omnino extraneum, tam ex facto, dum non agebatur de occupatione facta ab hostibus, quam etiam ex jure: dum id procedit in bonis mobilibus, non autem in iis, quæ postliminio redeunt, ex insinuatis *eodem disc.* 58. *de feudis*.

16 Cessat quoque applicatio regulæ, de qua *d. disc.* 31. *de feud.* dum intelligitur favore causæ publicæ, quatenus ista duret; Idemque respectu quarti objecti, in quo catenus procedunt ea, quæ insinuata sunt de alveo fluminis, vel de via publica, quatenus casus, vel destinatio esset de sui natura perpetua, adeout imitatet amissim dominii ex altera ratione, quod illud habitum fuit pro derelicto, vel quod priorum dominorum amissa fuerit memoria, dum illa dominii amissio, quæ resultat ab alluvione procedit, quando illa est perpetua, secus autem ubi accidentalis, ac temporalis, vel causativa, ex collectis per Urs ol. *concl.* 94. Harprec. & Ninot. *in §. quod si naturalis inst. de rer divis. apud quos cæteri:* in præsenti ob temporis qualitatem, aliasque circumstancias dici poterat, præsertim respectu Ecclesiarum, ac piorum locorum, pupillorum, minorum, & similium, quibus eadem congruebat ratio, ideoque petentem consilium monui, ut curaret cum honesta concordia ab antiquis dominis jurium cessionem reportare.

17 Ratio etenim dubitandi, quando bona occupata redeunt ad priorem statum, est illa, de qua *d. disc.* 57. *de feud.* super refectione scilicet expensarum, quas erogare oportuerit pro recuperatione, sive pro reductione bonorum ad priorem statum, sed hæc ratio non intrabat, quoniam ubi etiam aliqua impensa erogata fuisset in demolitione fortificationum; Attamen id sequutum non fuerat in gratiam dominorum, & pro reductione bonorum ad primævum statum, adeout intrares æquitativa actio de in rem verso, vel utilis negotiorum gestorum, sed principaliter, ac omnino in causam propriam tollendi scilicet necessitatem custodiendi tales fortificationes cum militibus præsidiariis, ac etiam tollendi occasionem inimicis, ne illas occuparent, & retorquerent contra earum constructorem.

PISAUREN. INDULTI, PRO FRANCISCA LAPIS, CUM EJUS FRATRIBUS, ET PATRE,

Casus variè decisus per Rotam.

De eadem materia, de qua disc. 148. super potestate principis tollendi jus tertii, ac de regulatione voluntatis, ac alia ad hanc materiam; Et de alia materia concessionis, & revocationis gratiarum, vel earum nullitatis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De auctoritatibus in hoc articulo potestatis Principis tollendi jus tertii remissive.*
3 *De distinctione specierum causæ publicæ.*
4 *De æquivocis, & erroribus procedendi cum generalitatibus, quodque procedi debeat cum distinctionibus.*
5 *De differentiæ rationibus inter forum internum, & externum.*
6 *Quibus auctoritatibus in hoc proposito deferri non debeat.*
7 *Quod sit reflectendum ad varios stylos regionum, quodque sit error confundere auctoritates diversarum regionum ad id non reflectendo.*
8 *De differentia inter Papam, & alios Principes sæculares.*
9 *Quod antiqua observantia indicat in Principe restrictionem potestatis.*
10 *Quod stylus Papæ, & Curiæ Romanæ soleat esse varius & de ratione.*
11 *De distinctione inter potestatem ordinariam, & absolutam, vel plenitudinem.*
12 *De alia distinctione inter Principem dependentem, & independentem.*
13 *De alia distinctione defectus potestatis positivi, & interpretativi,*
14 *Quando tollantur bona privatorum, jam possessa jure dominii, & quæ causa publica requiratur.*
15 *Quod isto casu debeat refici pretium.*
16 *Sed quod etiam sine causa, & sine refectione pretii tollere possit, & de ratione.*
17 *Quale sit jus divinum, vel naturale, aut gentium, cui Princeps derogare non potest*
18 *Quomodo occurratur Principis tyrannidi.*
19 *Quod Princeps tollat hypothecas, & credita, & liberet debitores, vel moratorias concedat.*
20 *An possit facere gratiam de delictis & injuriis, sine remissione partibus offensa.*
21 *An deroget contractibus, concessionibus propriis ex causa onerosa, ideoque tollat officia vendita, & similia.*
22 *An tollat pecunias, & bona a privato, tamquam malè parta sine justificatione.*
23 *De jure jam altero quæsito per dispensationem, vel habilitationem incapacis.*
24 *De Bulla Baronum.*
25 *De habilitatione incapacis, vel inhabilis ad impediendam novam acquisitionem alteri capaci.*
26 *De derogationibus fideicommissorum pro facultate alienandi, vel obligandi bona.*
27 *De rationibus, ob quas istæ derogationes concedantur, & an reputentur præjudiciales.*
28 *De derogationibus patronatuum in beneficiis Ecclesiasticis.*
29 *De rationibus, ob quas de omnibus dictis casibus agitur, & quando derogationes non sint damnabiles.*
30 *De gratia dispensativa super retentione incompatibilium, vel non incursu caducitatis, & quod in ea non requiratur causa.*
31 *De infectione conditionis, vel præcepti inducentis viduitatem.*

32 *Ut non procedat in vidua, quod declaratur.*
33 *Non dicitur exorbitans, & odiosum id, per quod fiat reversio ad jus antiquum.*
34 *De differentia in hoc proposito inter Papam, & alios Principes sæculares.*
35 *Quomodo conciliatur dubium, an constet de causa publica,*
36 *De ratione, ob quam in præsenti disputatum sit de causa publica.*
37 *De muliere quinquagenaria, an parere possit.*
38 *De emulatione substitutorum se opponentium gratiæ.*
39 *De distinctione an substitutus sit de sanguine testatoris, vel potius de illo ipsius mulieris contravenientis.*
40 *De usufructu legali debito patri.*
41 *Quod soleat Papa concedere hujusmodi gratias, in specie derogandi præcepto viduitatis.*

D I S C. CLXXVII.

1 Scripta in pingui asse hæres Francisca a Ludovico viro, sub lege viduitatis, in cujus violationis casu, propria dote, & quibusdam prædiis tantum eam contentam esse voluit, nulla tamen isto casu facta substitutione, ac etiam ut moriens, de bonis disponere deberet ad favorem ejusdem hæredis fratrum, vel nepotum masculorum, qui in casu non factæ dispositionis, substituti censerentur; Cupiens ad alia convolare vota in ætate annorum quadragintasex, Apostolicum obtinuit indultum, dictæ prohibitionis dispensativum, ut contraventione non obstante, integram jam adeptam hæreditatem obtinere posset, atque sponsalia de futuro cum N. N. contraxit; Habito vero per ejus patrem, & fratres recursu ad eundem Pontificem pro hujus gratiæ ipsis præjudicialis revocatione, remissoque negotio consulendo pro currenti stylo Congregationi particulari, ex Papæ Auditore, & ex quatuor, vel quinque aliis Prælatis constitutæ, prodiit votum, atque ad ejus normam pontificium rescriptum remissionis causæ ad Rotam, præscripto tamen (præter stylum) dubio, in ea disputando, an constaret de causa publica, & de præjudicio patris, cui Papam noluisse, vel non cogitasse præjudicare, declaratum est.

2 Quare assumpta disputatione coram Albergato Decano, solisque Corresponsalibus votantibus, nulla capta resolutione, mandatum fuit, quod in repropositione, omnes viderent, eaque resoluta sub die 4. Junii 1674. affirmativa prodiit solutio in prima parte, constare scilicet de causa publica, & negativa in altera super patris præjudicio. Repropolita sub die 10. Decembris sequentis, recessum est a decisis, præsertim in prima parte causæ publicæ, cui postremæ resolutioni, præsupponitur, quod identidem Pontifex annuerit, atque in hoc statu causa pendet.

Quatenus itaque pertinet ad dictam primam partem, in qua principaliter disputationes fuerunt; Quamvis in Rota multa hinc inde cumularentur super puncto, de quo supra *disc. 148. n. 11.* An scilicet possit Princeps tollere jus tertii, sive gratias tertio præjudiciales tacere absque requisito causæ publicæ, ita cum consueto inepto transcriptorio moderno stylo, chartas inutiliter replendo cum copiosis allegationibus desumptis ex modernis relatis *in d. jam citato, disc. 148.* Attamen dicebam, quod in hoc Tribunali incongrua erat hæc disputatio, quæ potius congrua fuit in dicta Congregatione, in cujus resolutione super dicti dubii præfinitione, potius æquivocum, & forte aliqua ineptia consistebat, supponendo scilicet in hujusmodi gratia, requisitum causæ publicæ, quod revera non est desiderandum, quoniam cum Rota haberet legem scriptam dubii disputandi, eam præterire non poterat, Adhuc tamen scribens pro Francisca pro gratiæ firmitate, dicebam hanc disputationem neque omnino incongruam, vel superfluam esse in Rota, quoniam cognito, quod hujus causæ requisitum necessarium non esset, tunc quamvis illud omnino negligi non posset;

3 Attamen ita resultare deberet ejus benigna interpretatio pro illo scilicet, quæ largè, & secundariè publica in jure dicitur, quamvis principaliter privata esset, ut est ista matrimonii, & ista, ratione procreationis filiorum, & honestatis fœminarum ad text. *in lib. 1. ff. solut. matr.* ubi Doctores; & præsertim omnium latius Barb. *par. 7. sub nu. 12. vers. tertia mulieres*, ubi in specie publicitatis hujus causæ latè, & doctè disserit; non autem pro magis stricta, & rigorosa interpretatione illius causæ, quæ principaliter publica sit, quia publicum, & commune Reipublicæ bonum principaliter respiciat, quamvis accessoriè privatum quoque resultet, juxta distinctionem, de qua supra *disc. 58.* & in Miscell. Ecclesiast. *disc. 3. & sub tit. de servit. disc. 86. & alibi pluries.*

Agendo itaque de hoc puncto tam occasione scribendi in Rota, quam in dicta Congregatione, vidensque cum consueto stomaco magnas, ac superfluas allegationum, & æquivocorum congeries, quæ cum inutili chartarum repletione; improboque labore per omnes hincinde scribentes fiebant, tractando articulum in genere, sive in abstracto; Advertebam (sed inutiliter tanquam singularis) idem quod frequenter quidem, semper tamen pro meo judicio utiliter, & opportune insinuare soleo, quod ista sit unica, & totalis, vel magna scaturigo, & causa productiva tot frequentium æquivocorum, justitiæ, & veritatis, ejusdemque legalis facultatis existimationi adeo præjudicialium, examinandi scilicet hujusmodi quæstiones in abstracto, & cum solis generalitatibus, non reflectendo, ut omnino decet; quinimo ut precisè necessarium est, ad distinctiones casuum, eorumque particulares circumstantias, sive ad effectus, ad quos disputatio fiat, dum in his distinctionibus mediantibus, facile est, tam propositiones, quam auctoritates, quæ invicem pugnantes videntur, conciliare, illasque ad concordiam reducere. 4

Assumendo itaque articulum per hanc distinctionum viam, eodem modo, quo *d. disc. 148.* sequutum est; Ad illam in primis genericam distinctionem reflectendum esse advertebam, inter forum internum, & externum, ob magnam differentiæ rationem inter unum, & alterum forum militantem, ut *d. disc. 148. n. 11.* frequentius autem *sub tit. de usur.* insinuatam; In primo siquidem interno, Princeps dici non potest solutus legibus, sed neque supremus arbiter, ac dispositor, sed habetur jure privati rei habentis in eo judicio Deum in Judicem, ac judicandi cum Dei legibus, eo pariformi jure, quo omnes alii, cum apud Deum acceptio personarum non detur, neque in eo foro intrant illæ præsumptiones, quæ intrant in externo, in quo ad humanam imbecillitatem veritas occulta, vel ambigua est, eaque ex humana malitia alterari potest, mendacio frequenter illam suffocare, cum in hoc foro non judicetur de internis, vel occultis, quinimo neque de iis, quæ apud judicantem naturaliter, & in conscientia ex particulari notitia certa sint, sed juxta extrinsecas positivas probationes, sive juxta illas, quas legis præsumptio inducit, vel supponit, ex deductis *disc. 18. & 35. de judic. & alibi pluries*, sed apud Deum omnia sunt plana, ipsaque veritas necessaria, & sincera patet, legis civilis formalitatibus non subjecta. 5

Ac propterea clarum est æquivocum in quæstionibus fori externi, & judicialis cumulare auctoritates illorum Moralium, ac etiam Canonistarum, qui de foro interno agere principaliter professi sunt, cum isti potiore a quæstione extranei, segregari, atque ad partes poni mereantur; Atque cum eis etiam illi Canonistæ, vel Legistæ, qui potius collectores, vel transcriptores, quam Doctores, ad id non reflectendo, cum istorum auctoritates procedunt, cum eis congruat id, quod advertitur *d. disc. 35. de judic. & alibi*, quod ii licet dicantur testes de auditu de non informatis, vel ab iis, qui de diverso casu agant, ideoque nulla fide sunt digni. 6

Et quoad forum externum, adhuc ad aliam genericam dicebam, reflectendum esse distinctionem, omnibus casibus, vel gratiarum, & provisionum speciebus, de quibus ista, respective, & proportionabiliter applicabilem, super principatuum scil. legibus, vel receptis stylis, pro quorum varietate in uno, derogationes, & dispensationes, aliæque gratiæ, vel provisiones tertio præjudiciales de facili concedi solent ex solo benevolentiæ, & gratificationis motivo, publica non desiderata causa; In altero autem nonnisi raro, & cum magna difficultate, & non nisi ex causa publica; Et per consequens idem intrat error, vel æquivocum confundendi doctrinas, & auctoritates Hispanorum, Gallorum, Germanorum, & Italorum, aliarumque Regionum non reflectendo ad singulorum Principatuum, vel Regionum leges, vel stylos diversos, etiam advertitur supra *disc. 161. & alibi pluries.* 7

Quinimo in ipsamet citramontana regione, quæ in tot principatus divisa est, magna dignoscitur stylorum in hoc proposito diversitas, ideoque stricte procedendum est cum illis dispositionibus, & auctoritatibus, quæ precisè percutiant illum principatum, in quo quæstio cadat, ex recepto axiomate pluries insinuato, quod scilicet stylus Cancellariæ, & Principis dicitur organum sive indicatio ejus voluntatis, & cum quo, non autem cum illis diversorum Principatuum concedendum est, ad regulandum illius Principis voluntatem, quinimo etiam potestatem, quam per Rempublicam sibi attributam fuisse, observantia comprobet ut infra.

Ad alteram quoque advertebam reflectendum esse distinctionem inter Papam, & alios Principes sæculares, & de qua etiam in proposito legum, quæ ab eis emanant, habetur 8

d. disc.

d. disc. 35. de judic. & alibi; Alii namque Principes eorum potestatem metiuntur a populo, vel a Republica, penes quam habitualis potestas residere dicitur, in dominio directo, & proprio, penes Principem vero residet ejusdem dominii effectus, & usufructus, juxta vulgare exemplum desuper dari solitum in bonis dotalibus inter virum, cujus figuram, vel personam Princeps gerit, seu repræsentat, & mulierem dotis dominam, qualis est Respublica; Atque ex hoc, quod manat illud legis requisitum, ut a populis acceptari debeat saltem per actum negativum non reclamationis intra certum terminum post publicationem; Ac etiam quod eadem lex per contrarium usum tolli possit, quando consuetudinis notoria requisita verificentur.

9 Et per consequens quemadmodum populus, vel Respublica sibi eligit Principem, suamque in eum transfert potestatem, si expressè istam in aliquibus restringit, in iis Princeps ea carere dicitur, ita ejusdem restrictionis probatio ab antiqua consuetudine, vel stylo desumi posse videtur, ad instar eorum, quæ habentur infra *disc. 181. & sub titul. de emphyt. disc. 1. & alibi*, super interpretatione potestatis, quam Princeps vel Episcopus ejus Vicario, vel alteri officiali præbuerit, quoniam solitum, vel observantia, istam regulat interpretationem, sive probat restrictionem, cum similibus.

Omnia vero hæc cessant in Papa ex peculiari ratione *eodem*
10 *disc. 35. de judic.* & alibi sæpius insinuata quod scil. ipse non metitur potestatem a populo, vel a Republica, sed immediatè a Deo; Ac propterea non ligatur legibus, & stylis ipsius Principatus, sed stylus dependet ab ejusdem Pontificis libero arbitrio, & voluntate, unde propterea in hac præsertim specie derogationum, & dispensationum, nimium varius esse solet Curiæ Romanæ stylus, prout generaliter in aliis, ut nostra ætate praxis docuit, quod aliqui Pontifices in derogationibus, & dispensationibus, ac aliis, tertio præjudicialibus nimium duri, ac difficiles esse consueverunt, adeout nullas dederint, vel nimium raras, & nonnisi ex magna causa; Alii vero nimium faciles, & benigni, frequenter eas concedere soliti sint in solam gratiam, & opportunitatem petentium, alia non desiderata causa; Ideoque ubi de gratia, vel alterius provisionis regulatione agendum est, evidens quoque remanet error procedendi cum generalitatibus, & in abstracto, sive etiam cum decisionibus Rotæ, vel aliorum Tribunalium prodiis de tempore Pontificis duri, & difficilis, quando diversus vigebat stylus pro regulatione gratiæ facta per Pontificem facilem, & benignum, alium habentem stylum.

Addita quoque alia distinctione particulari, de qua infra in casu præciso dispensationis præcepti viduitatis, vel alterius conditionis inficientis matrimonium inter Papam, & alios Principes sæculares.

Ex eadem distinctione, vel consideratione styli, resultat quoque inspectio, an congruat, & recipienda sit ea distinctio,
11 quam antiquiores, pro illorum temporum usu tradiderunt; & cum quibus moderni, cum insinuato trascriptorio stylo antiquiorum, ad aliud non reflectendo procedere solent, an scil. gratia, vel provisio prodierit de potestate ordinaria, vel potius Princeps uti voluerit plenitudine potestatis quam aliqui ex Juristis, & Moralibus cum solitis frigiditatibus, dicunt plenitudinem potestatis, quoniam ista reflexio bene procedit, quando de stylo adsit hæc discretiva, quia nempè in aliquibus gratiis, vel provisionibus raro id adjici soleat, non autem generaliter in aliis; secus autem ubi pro quodam communi formulario ista clausula de plenitudine potestatis adjiciatur, ut in gratiis, & provisionibus Apostolicis praxis docet, ut advertitur etiam *d. disc. 148. num. 12.*

Dari quoque solet, tam per Juristas, quam per Morales
12 altera distinctio inter Principes omnino supremos, & independentes quales exemplificant in Papa, & in Imperatore, illisque magnis Regibus, qui omnimodam exemptionem, & libertatem, a Romani Imperii jurisdictione, & superioritate præscripserunt, puta Hispaniarum, Galliarum, & similibus, de quibus præsertim agitur per Borell. *de præstant. Regis Catholici cap. 47.* & illos, qui aliquam dependentiam habeant, quia nempe Principatum, quamvis supremum ab alio in feudum recognoscant, exemplificantes in Italia in feudis Ecclesiæ Regni Neapolitani; & Ducatuum Parmæ, & Placentiæ, & in feudis Imperialibus Ducatuum Mediolani, Mutini, Rhegii, Mantuæ, Montisferrati, Senarum, & similibus; Verum pariter ista distinctio in praxi forensi remanet idealis, ut etiam advertitur *d. disc. 148. n. 14.*

His itaque ita generaliter pro omnium sequentium casuum regulatione, cum omnibus respective cum sua proportione adaptentur; Atque descendendo ad diversas gratiarum, vel concessionum, & dispensationum, aliarumque provisionum species, cum ordine casuum, *in eod. disc. 148.* tento.

Antequam ad singulorum casuum distinctionem, ac examen deveniatur, illa quoque generica prænotanda est di- 13
stinctio, singulis casibus respective pariter applicabilis, circa defectum potestatis, quod scilicet alius est ille defectus, qui dicitur positivus, & præcisus, adeout irritet actum, quamvis ipse Princeps neglectis congruentiæ motivis in eadem voluntate persisteret, & alius est defectus interpretativus, ac directivus, & improprius, qui pendeat a lege congruentiæ, & honestatis, vel a motivo justitiæ, & æquitatis, ut scilicet non cogat præcisè Principem ad annullandum, vel retractandum actum, neque istum irritet, sed ex quadam vi directiva illum impellat ad revocandum, vel moderandum id, quod a seipso, vel ab ejus prædecessore gestum sit, tertio præjudiciale, ut etiam *d. disc. 148. n. 13.* advertitur.

Primus itaque casus ex majoribus est, magisque positivi præjudicii tertii, quando scilicet Princeps tollat privato bona libera indifferentia, quæ allodialia dici solent, in qui- 14
bus ipse Princeps nullum jus habeat, nisi illud protectionis, ac defensionis, & jurisdictionis, & quæ per possessorem obtineantur ex vera justitia commutativa, utpote a seipso, vel ejus majoribus quæsita ex titulo oneroso, & correspectivo, sive aliàs ex industria, & providentia, vel etiam ex liberalitate eorum, qui dicto jure illa obtinerent, putà, quia possessori tolleret domum, vel vineam, aut olivetum, vel aliud prædium, quod alteri concederet, sive sibi applicaret, aut devastaret, aliisque usibus applicaret; Istoque casu (qui, ut præmissum est, omnium fortior, magisque præjudicialis videtur) adhuc certa in jure supponitur Principis potestas ad text. *in l. Lucius Titius, ff. de evict. & in l. omnes, & l. benè à Zenone, Cod. de quadrien. præscript.* de quorum jurium intelligentia, & praxi habetur *sub tit. de donat. disc. 43.* ubi de donatione, quam Princeps uti faciat de bonis alterius.

Desideratur autem isto casu, ex communi sensu Doctorum, causa publica principaliter, putà quod bona dare congruat benemeritis militibus, juxta casum d. text. *in l. Lucius Titius, ff. de evict.* Aut quia bona devastaret pro fortalitiis, & pro munitione, seu pro defensione, aut pro constructione mœnium juxta decisiones Rotæ in Barchinonen. Murorum allegatas *d. disc. 148. n. 38.* Vel quod calamitoso tempore belli divini, vel humani, aut pecuniæ, tollat frumenta, aliaque victualia, vel argenta, & pecunias, vel animalia privatorum pro publico servitio, juxta insinuata supra *disc. 44. & 45.* & infra *d. disc. 181. cum similibus*.

Vel saltem quod si causa publica non sit necessaria, sit tamen utilis, vel decora, putà dejiciendo domos, vel prædia privatorum in toto, vel in parte pro constructione, vel aptatione viarum, seu platearum; Aut saltem quod causa publica sit accessoria vel mixta cum privata, ut contingit in illo retractu coactivo, qui in Urbe ex Constitut. Gregorii XIII. practicatur ex relatis *disc. 79. & seqq. de servit.* quod etiam ubique ex dispositione, vel intentione juris communis pro constructione, vel ornatu Ecclesiæ, aut egregii palatii, ut advertitur *d. tit. de servit. disc. 2. & 83. cum similibus*.

Addito etiam, ultra dictum requisitum causæ publicæ, 15
alio requisito, vel præsupposito refectionis pretii, vel æquivalentiæ faciendæ per ipsum Principem, vel Concessionarium, aut per collectam, vel contributionem omnium civium, vel subditorum, juxta regularem naturam publicorum onerum.

Verum ultra ea, quæ concernunt forum internum, ut præ- 16
missum est ab isto discursu extraneum, quatenus pertinet ad externum, de quo agitur, omnia hæc percutiunt secundum defectum improprium, & interpretativum potestatis; regulatum scil. a lege convenientiæ, & honestatis, sive a vi directiva legis, & justitiæ, quæ Principem quoque afficit ad text. *in l. digna vox, C. de leg.* quod scil. quamvis Princeps sit solutus legibus, attamen secundum illas vivere debet, ut propterea laude dignus, si ab hoc se abstineat, vel si facta retractet, & econverso damnandus veniat, si aliàs se gerat; Non per hoc tamen inferri potest ad alterum defectum positivum, & præcisum, ex quo resultet irritantia actus, quodque Judex possit gesta per Principem retractare, vel invalida declarare, si absque ista, eam tollat, atque pretium non reficiat, ex vulgari dicterio; quod nemo Regi, vel supremo Principi dicere potest, cur ita facis? dum alium in suo principatu superiorem non cognoscit nisi Deum, ex relatis per Gal. *resp. Fisc. 23. & alios*, de quibus *d. disc. 48. n. 20. & per tot.* atque comprobat divinum oraculum *l. 1. Regum, cap. 8.* in Samuele insinuante populo jus Regis, quod privatorum prædia, aliaque optima tolleret; Assignat rationem, quod privata dominia, illorumque tituli, vel modi acquirendi, non

V a pro

proveniunt a lege divina expressa, sed proveniunt a lege civili, seu positiva cui Princeps, qui dicitur lex animata, & potestatem habet faciendi, & destruendi leges, derogare, vel dispensare potest, ita tollendo illud beneficium, vel jus, quod ipse concessit.

17 Et quamvis multi ex illis scriptoribus, qui capiendo leges, vel antiquiorum sapientum traditiones in sola littera, cum solita leguleica simplicitate procedendo, dicant, quod id sit violare jus naturæ, vel gentium, cui Princeps derogare, vel dispensare non potest; Attamen ut *eodem disc. 148.* & alibi sæpius advertitur apud nos Christianos fræno fidei, & religionis, excepta juris divini prohibitione in utraque pagina novi, vel veteris testamenti contenta, aut in illis Apostolorum, & discipulorum, & aliorumque Sanctorum Patrum traditionibus, quas Ecclesia recepit, & declaravit, esse etiam juris divini, utpote provenientе ex ore Christi, & quod jus sub se complicat jus divinum, & naturale, quod cum divino, accipitur tamquam synonymum, in reliquis non videtur in quibus Codicibus, & a quibus personis conscripta sint ista naturæ, vel gentium jura, quæ Juristæ, & Morales, ac etiam Politici figurant, vel præsupponunt; Dicitur namque improprie, & per quendam modum, ac usum loquendi jus naturæ, vel gentium illud, quod est quidem humanum, vel positivum scriptum, vel non scriptum, innixum tamen cuidam naturali instinctui, vel rationi, ac humano discursui, sive cuidam magis gentium, ac nationum communi usui, inducto a fræno religionis, vel a legibus congruentiæ, & honestatis pro conservatione vitæ civilis, & humani commercii, ad differentiam illius juris merè civilis, seu merè positivi, quod sit principalis effectus potestatis cum propriis subditis, & intra limites proprii principatus, vel territorii, in quo etiam exemptos ab ejus jurisdictione, & superioritate non afficiat, juxta insinuata *disc. 142. de dote, & alleg. disc. 35. de judic. & alibi plures,* præsertim *sub tit. de success. ab intest. & sub tit. de alien. & contr. prohib.* in quibus locis frequentius agitur de statutis, & legibus positivis municipalibus, ac etiam *disc. 141. de fid. & alibi.*

18 Prout quamvis aliqui ad probandum, quod iste defectus potestatis proveniat a jure divino, deducere soleant auctoritatem sacræ paginæ Veteris Testamenti, *l. 4. Regum, cap. 9. & 10.* de casu Jezabelis super vineа, quam abstulit Nabot, & qui casus per ora Scriptorum, & Concionatorum adversus facta Principum, & potentium in dies circumferri solet; Attamen id respicit alteram ab isto discursu extraneam inspectionem fori interni apud Deum, non autem istam fori externi, & judicialis pro irritatione, seu retractatione actus per tramites Justitiæ, & cum vi coactiva, quam utique nemo judex exercet.

Ponderant quoque aliqui, quod ita Principum fimbrias nimium dilatando, latam viam, vel januam sit aperire tyrannidi, ac subditorum oppressionibus; Attamen plana est responsio, quod quando Princeps sua abutatur potestate, atque tyrannidem exerceat, tunc subintrat potestas Reipublicæ dominæ directæ, & habitualis, quæ illum coercere, vel deponere potest, juxta idem insinuatum exemplum, vel similitudinem mulieris facientes divortium cum viro nimìs se gerente, juxta tot exempla antiqua, & moderna, quæ in historiis legimus, etiam in magnis ac potentissimis Imperiis, ut nostra ætate vidimus, & practicavimus de recenti in magno Imperatore, vel Tyranno Turcarum, & in Rege Angliæ, quorum alii actu regnant, cum similibus, sed illud dicitur judicium publicum, & politicum cum vi bellica, & potentia exerceri solitum, ideoque non congruit forensibus tractantibus de judiciis privatis contentiosis concernentibus administrationem justitiæ commutativæ; Atque in hoc pariter magna dignoscitur aliquorum scriptorum simplicitas, vel inepta, confundendo scilicet istos terminos, vel judiciorum species.

19 Sub isto casu cadit etiam ablatio jurium incorporalium, quæ pariter ex propria providentia, & privato jure obtineantur, & competant ad eosdem limites justitiæ commutativæ, puta tollere, vel suspendere hypothecas in aliquibus bonis aut liberare debitores, privando creditores eorum juribus, & creditis, sive dilationes, & moratorias concedere, aliasque similes præjudiciales provisiones facere, quoniam licet procedendo cum legibus congruentiæ, & honestatis, id solum permittatur, quando causa publica id exigat, puta pro sedandis popularibus seditionibus, ac motibus; Aut quia sic exigat ratio publicarum calamitatum belli, & excidii, aut pestis, vel magnæ famis, cum similibus; Attamen id percutit quoque dictum improprium defectum interpretativum, non autem præcisum, ad effectum, ut idem Princeps, vel successor revocet, vel moderetur, sed si nolit id facere; Aut quod ex magis publica, magisque congruenti ratione non expediat, juxta casum, de quo infra in Romana locorum montium *disc. 163.* Tunc nemo Principi in proprio principatu objicere poterit; cur ita facis? nullusque invenietur judex, qui actum annullet, vel retractet; Eadem intrante superius insinuata ratione quod scilicet hypotheca, vel actio personalis, aliaque remedia, quæ creditoribus adversus debitores competunt, prodeunt a jure civili, seu positivo, & per consequens ab eodem tolli possunt, ut etiam advertitur *tit. de dote, disc. 166. & tit. de cred.* pluries occasione agendi de potioritatibus, aliisque privilegiis, quæ per legem positivam concedantur posterioribus adversus anteriores.

20 Alter casus est, in quo absque mixtura juris, vel interesse bursali ipsius Principis per ejus gratias, & provisiones tollatur quoque illud jus tertii, quod a delictis, vel injuriis oriatur, faciendo scilicet gratiam delinquentibus de delictis, & injuriis absque consensu, vel remissione partis offensæ, non solum in præjudicium ejus vindictæ, sed etiam in præjudicium juris petendi refectiones damnorum, & interesse ab offensu, injuriato passorum; Et tunc pariter distinguunt Doctores inter causam publicam, & privatam, ut ex priori id agi possit, ut contingit in illis abolitionibus, & indultis generalibus, quæ concedi solent ex causa pacis, vel pro sedandis tumultibus, & rebellionibus, aut etiam pro extirpandis bannitis, aut ad summum ita suadentibus moribus regionis, occasione alicujus magnæ lætitiæ, præsertim ingressus novi Regis, vel Principis, non autem sine hujusmodi causa ad solam gratificationem, vel pecuniam; Distinguendo etiam inter remissionem pœnæ criminalis, & remissionem obligationis reficiendi damna, & interesse, ex deductis *eod. disc. 148. n. 62.* Sed pariter id intelligendum venit cum eadem distinctione defectus interpretativi, & secundum quid, non autem alterius veri, & positivi potestatis.

21 Tertius est casus in quo agitur de tollendo illud jus, quod ex causa etiam onerosa, & ad limites ejusdem justitiæ commutativæ habeat tertius cum ipsomet Principe, vel Republica, seu Civitate, puta, quia juxta casum principaliter actum *d. disc. 148. in princ.* aliqua Civitas, vel oppidum in vim illius prælationis, de qua *sub titul. de feud. disc. 37. & 110.* provocaverit ad demanium, atque se redemerit, solvendo pretium, deindeque contra legem conventionis, denuo alteri concedatur in feudum; sive quia Princeps tollat privato illa officia, quæ concesserit ex causa verè onerosa, & correspectiva, pretio mediante, juxta ea, quæ habentur supra *hoc tit. disc. 2. cum plurib. seqq.* Aut quod deneget solvere sortem, vel fructus locorum montium, seu aliorum jurium ipsius Cameræ principis, vel Civitatis; Aut quod fructus reducat, seu sballet, vel sortem diminutam restituat juxta casum disputatum apud Capyc. Latr. *decis. 188.* Vel appaltum intra tempus auferat, juxta casum, de quo supra *d. 86. cum similibus*, quibus eadem congruat ratio, quia nempè princeps, vel ejus fiscus tanquam privatus contractum inierit correspectivum ad limites justitiæ commutativæ potius, quam distributivæ; Atque in his, vel similibus casibus, regulariter intrat eadem distinctio inter defectum positivum, & interpretativum, ut iste posterior adesse dicatur inductus a lege convenientiæ, & honestatis, juxta ea, quæ de observantia pactorum, quod scilic fungitur tamquam privatus, insinuatur *sub tit. de feud. disc. 3.* & supra *disc. 148. & alibi.*

Verum est defectus considerandus ab ipsomet, ut abstineat a faciendo, vel revocet factum, quatenus velit, & ex vi directiva, non autem coactiva, ut Judex, vel Magistratus retractet, eodem modo quo supra, atque in istis pariter casibus adhiberi solent termini violationis juris naturæ, vel gentium, sed improprie, & per modum loquendi, ut supra, dum praxis nimium frequenter, & quotidie contrarium docet; Et ulterius in aliquibus Regionibus non servatur illud dictum Senecæ Tragici, quod pietas, & fides privata bona sunt.

Quartus casus est, ubi Princeps, vel ejus Vicarius, cui concessum sit omnimodæ ejus potestatis exercitium, revocet concessiones factas jure Principis potius, quam privati, atque ad limites justitiæ distributivæ potius, quam commutativæ, de officiis nempè & muneribus publicis, vel etiam de beneficiis, vel dignitatibus Ecclesiasticis, aut de feudis, non emptitiis, sed gratuitis; Et tunc licet scribentes adhibeant quoque distinctionem, an concessio, sit merè gratuita, vel potius remuneratoria servitiorum, vel aliorum meritorum, ac etiam, an adimere illam concessionem, parere debeat grave præjudicium in fama, & honore, sive in interesse, & mutatione status, ut præsertim omnium fortè latius sequitur Fagnan. *in cap. consultationibus de Cler. ægrot.* cum aliis relatis *eod. disc. 148. n. 20. & seqq. & 27.*

Atta-

Attamen, ut ibidem advertitur, ista sunt motiva regulandi voluntatem potius, quam inducendi verum defectum potestatis, quæ negari solet improprie eodem modo, quo in præcedentibus, istiusque casus frequens esse solet praxis.

Quintus est magis rarus, quandoque tamen practicari
22 solitus, ut nostra ætate tam in ipsamet Urbe, quam in aliis principatibus per Italiam, vel extra vidimus, & qui fraternizat cum primo casu tollendi de facto bona, vel pecunias a tertio possessas, atque sibi, ejusque Cameræ applicando cum ea differentia, quod non constet de expresso legitimo titulo acquisitionis, unde propterea Princeps adimat, quia supponat occasione publici muneris, vel alias, esse pecunias, vel bona malè parta, ideoque auferri posse tanquam ab indigno, nulla tamen accedente judiciali, vel alias positiva justificatione extrinseca, sed cum sola ejus assertione notitiæ, & informationis extrajudicialis, quæ dici solet in præsentia; Et tunc quamvis multa per scribentes desuper dicantur ex relatis, *dict. disc.* 148. ubi etiam de isto casu præciso; Attamen pariter intrat eadem responsio, ut id percutiat forum internum, vel legem congruentiæ, & honestatis pro regulatione voluntatis, ut supra, ideoque in externo judicio contentioso leguleicæ simplicitatis est constanter negare potestatem.

Sextus est casus, quando per gratiam, vel dispensationem, quæ uni concedatur, tollantur alteri bona non so-
23 lum delata, sed etiam acquisita, & possessa, quamvis obventa titulo lucrativo, adeout importet formalem privationem ejus, quod jam obtineatur, ac depauperationem, attento statu, in quo ille tertius jam sit constitutus; Puta quia ob bannum, vel aliud delictum possessoris fideicommissi bona fideicommissaria ex dispositione testatoris in alterum proximiorem obvenerint; sive quod eadem obventio sequuta fuerit ex ejusdem Principis, vel ejus fisci onerosa, vel gratuita concessione, juxta casum de quo *disc.* 27. *de feud.* Aut quod aperta successione feudi, vel fideicommissi per mortem possessoris ob incapacitatem proximioris, quia alias succedere debuisset, nisi incapacitas obstaret, bona obvenerint in alterum in gradu proxime sequenti capacem; deinde vero post acquisitionem, Princeps per quandam fictionem postliminii bannitum restituat, vel incapacem dispenset, ut in fœminis, & Clericis sequi solet, magis vero frequenter in restitutione natalium, & legitimatione bastardorum, dum iste casus sit durior, quam sequens, in quo dispensatio, vel habilitatio concedatur re integra, adeout non tollat alteri jus jam quæsitum, & possessum, sed solum impediat acquisitionem juris delati, vel sperati, & pariter apud scribentes leguntur eædem simplicitates, de quibus in præcedentibus, eædemque tamen intrant responsiones, sed facilius hoc præjudicium reputatur minus, cum tollatur id, quod obvenit titulo lucrativo ex providentia aliena, non autem ex industria, & providentia propria; Atque de hoc ulua insinuata *d. disc.* 148. agitur quoque *sub tit. de fideic. disc.* 68. & 69. ejusque supplemento, occasione agendi de legitimatione bastardi.

Sub hoc autem casu cadit dispositio bullæ Baronum, de
24 qua *sub tit. de feud. disc.* 73. *cum plur. seqq.* quod scilic, post jam sequutam mortem possessoris feudi, vel fideicommissi, suumque jus expiratum, vel annihilatum, & postquam successor jure suo independenti ex fideicommisso, vel investitura effectus est dominus, vel possessor bonorum, eis per Congreg. Baronum privatur per subhastationem, quæ fiat in gratiam creditorum defuncti, & tamen non dubitatur de potestate; Et quamvis ignarum vulgus, qui nonnisi superficiem videt, scandalum de hac bulla concipiat; Attamen est potiùs effectus ignorantiæ, ut *in d. disc. de feud.* pluries habetur præsertim, *disc.* 74.

Septimus est casus supra insinuatus, quia nempe per gratiam habilitativam, vel dispensativam ejus qui ob defectum natalium, vel alterius desideratæ qualitatis, esset
25 alias incapax, præjudicetur alteri remotiori capaci, qui alias fuisset successurus, eique propterea tollatur jus speratum, vel etiam delatum, sed non acquisitum, adeout sibi impediatur acquisitio, sed nihil tollatur, [quod jam obtineat, juxta deducta *d. disc.* 68. & 69. *de fideic.* ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 16. 17. & *alibi*; Et tunc quidquid aliqui dicant super requisito causæ publicæ, quatenus pertinet ad forum externum, de quo agitur verè inter fabulas id reponendum esse docet quotidiana praxis, solumque considerari solet, ac bene cadit distinctio inter præjudicium proximum, & remotum, inter præjudicium certum, & incertum, ac eventuale, quia nempè dispensatio, vel habilitatio conce-

datur post jam factum casum successionis, unde certificatum sit jus successoris; Vel è converso antequam ille fiat, unde propterea incertum sit, an ille capax, qui sperat, sit superstiturus, necnè; Attamen ista distinctio duos percutit effectus; Vel scilicet illum potestatis illorum, qui Principe inferiores legitimandi, seu alias habilitandi potestatem habeant, vel regulationem voluntatis, ut facilius in uno, quam in altero casu, dispensatio, vel habilitatio concedi debeat, sed passim ex mero arbitrio in privatam gratiam concessionarii, id sequitur, ideoque fabulosum pariter remanet assumptum eorum, qui causæ publicæ requisitum desiderant.

Octavus est casus, qui cum præcedenti fraternizat super 26
derogationibus fideicommissorum, aliarumque ultimarum voluntatum, vel etiam investiturarum, & pactorum, ad effectum ut possessor fideicommissi, vel majoratus, aut feudi pacti, & providentiæ, contra legis, vel hominis prohibitionem bona vendere, vel hypothecare valeat, seu aliàs de eis disponere; Et tunc quamvis non desint plerique in ista specie gratiarum, & dispensationum, publicam causam desiderantes, ut in specie habetur, præsertim apud Molin. *de primogen. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 31. & *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 11. & *seqq.* Bosſ. *de Principe*, *n.* 97. & *seqq.* & alii plenè collecti per Antunez. *de donation. regiis*, *lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 11. a quo scribentes in contrarium cum consueto transcriptorio stylo alias plene relatas auctoritates mutuabantur; Attamen pene generalis, & quotidiana praxis docet, ut inter fabulas revera id reponi mereatur, dum passim in solam gratiam privatam possessoris, vel ejus creditorum hujusmodi gratiæ, & dispensationes conceduntur pro Principatuum, vel ipsorummet Principum diversis stylis, ex quibus major, vel ei minor facilitas resultat, ut supra; Atque in ipsamet Hispania, de cujus majoratibus loquuntur Molina, & alii, ut supra patet ex iis, quæ circa derogationes habentur apud Salgad. *in Labyrint. credit.* aliosque modernos Hispanos; Præsertim verò in hoc Principatu Pontificio, id est nimium frequens, ac facile, adeout istius facilitatis aliqua moderatio desideranda veniat, ut patet ex tot casibus, qui recensentur *sub tit. de fideic.* ac etiam ex universa tractatione Bullæ Baronum.

Censenda etenim non venit ista species gratiæ nimium 27
exorbitans, & præjudicialis, quoniam, aut consideratur præjudicium successorum, & istis nullum jus proprium tollitur, sed solum adimitur illud separatum jus, quod ipsa lex positiva concessit, faciendo obligatorias defunctorum dispositiones, quæ alias non erant tales, & sic adimendo beneficium ab ipsa lege positiva concessum, ex insinuatis *d. tit. de feud. disc.* 74. & 89. *de fideicom. disc.* 141. & *alibi sæpius*; Aut vero consideratur interesse, vel præjudicium defuncti, qui illam legem in illis bonis, tamquam a se possessis adjecit; & pariter illud præjudicium dicitur minus considerabile, dum ille jam annihilatus est, nullumque dominium, vel jus amplius retinet.

Nonus est casus, cum præcedenti quoque fraternizans
illarum derogationum, quas in beneficiis Ecclesiasticis in 28
toto, vel in parte practicant Papa, & Curia Romana, & de quibus in sua sede *sub tit. de jurepatron. pluries*; Quamvis in hac specie cadere soleat distinctio inter juspatronatus Ecclesiasticum, vel laicale, sive in genere laicalis, inter illud ex gratia, & privilegio, & alterum ex justitia, ratione fundationis, & dotationis istoque posteriori casu ignarum vulgus scandalizari, atque obloqui soleat de defectu potestatis; Attamen pariter effectus ignorantiæ est, dictaque distinctio inter gratiosum, & onerosum, ac inter regium, & privatum, recte intrat, & considerabilis est pro eadem regulatione voluntatis, ad cujus effectum inspicitur, an necessaria sit mentio specialis, necne, ex deductis in dicta peculiari sede, cum semper dicatur gratia ejusdem Sedis Apostolicæ.

Quamvis autem præmissi, vel alii, si qui sunt similes casus, extranei sint ab illo præsentis causæ, adeout primo aspectu illos recensuisse redolere videatur illud superfluarum evagationum vitium, quod à me pluries damna- 29
ri, & exaggerari consuevit, bene tamen reflectendo, id suum habet mysterium, seu finem rationabilem, ut ita scilicet dignoscatur, quod si in præmissis casibus longe magis præjudicialibus, magisque exorbitantibus, non est de potestate dubitatum, quodque in eorum aliquibus causæ publicæ requisitum desiderandum non est, multò minus in sequenti casu, in quo longe minus est præjudicium, longeque minor exorbitantia.

Decimus itaque ad rem nostram est casus, in quo ille, qui jam legitime bona, vel jura obtinuit, & possidet aliquod

onus, vel vinculum incumbat; adeout illum statum, in
30 quo obtinuit mutata, prohibentur sub pœna caducitatis, & privationis, vel amissionis, puta quia feudum, vel majoratus non possit retineri in statu clericali, aut quod non possit teneri cum alio majoratu, vel fideicommisso, sive, ut de beneficiis Ecclesiasticis, quod non possit retineri cum Episcopatu, vel cum alio beneficio incompatibili, aut cum statu regulari, vel quod Ecclesiasticæ pensiones non possint retineri in statu uxorato, vel militari, aut regulari adeout per mutationem status amittantur bona, & justa jam obtenta, & possessa, qualis erat proprius, ac præcisus casus hujus quæstionis, quod scilicet hæreditas non poterat retineri in statu uxorato, ideoque ob alias nuptias amittebatur.

Isteque casus tam theorice, quam practice sepuratur omnium præcedentium facilior, minusque præjudicialis, quoniam ille, cui conceditur dispensatio, ut non obstante statu incompatibili continuare possit in dominio, & possessione, ac fruitione bonorum, & jurium, quæ jam obtinet, nihil cum alterius præjudicio, vel jactura acquirit, nilque de novo sibi conceditur, sed solum per quandam speciem remedii præservativi, potius quam curativi, occurritur futuro malo, ne incurratur, sive claudatur fovea, ne in illam incidatur, continuando in obtentione jure proprio, & primævo. Ille vero, qui in casu contraventionis, vel mutationis status possessoris commodum spectaret, nihil amitti, neque certum præjudicium pati dicitur, quoniam nisi possessor dispensaretur super assequutione novi status, quem assumere intendat, illum assequi vel mutare abstineret; Ideoque impediretur casus amissionis, vel privationis, dum totum pendet ab ejus electione, & libera voluntate, non autem ab incapacitate, vel alio obstaculo inducto a lege vel ab homine, juxta casus præcedentes, & per consequens multo minus desiderandum venit requisitum causæ publicæ, quod revera bene pensatis Doctoribus illam desiderantibus, isto casu non intrat, quoniam fieri solum dicitur aliquod præjudicium voluntati illius defuncti, qui hanc legem, vel conditionem adjecit, & tanquam jam annihilatus, incapax est damni, & præjudicii, ut supra.

Hinc videmus, quod in provisione beneficii de Jurepatronatusque fiat, isto neglecto, requiritur, ut si laicale, & expressa ejus derogatio, vel saltem mentio specifica cum ejus qualitate, unde implicita derogatio resultare dicitur, idemque in resignatione, vel promotione, aut in impositione pensionis; Sive quando gravantur Ecclesiæ Metropolitanæ, & Cathedrales, requiritur derogatio Concilii Lateranensis, & aliorum similium; Atque ubi derogetur fideicommissis pro bonorum alienatione, vel obligatione, juxta aliquorum principatuum, vel Principum stylos, desiderari solet consensus proxime successuri, & interessati unius, vel plurium, vel solent evocari; Prout etiam in legitimatione bastardorum plerique Doctores voluit citandos esse interessatos, quod pro eadem stylorum varietate, quandoque servari solet, cum similibus; Et tamen in hujusmodi gratiis, & dispensationibus super incompatibilium retentione, vel super immutatione status, ut ea non patiat illud damnum, quod alias passura esset, nihil ex his desideratur, cum interesse sit remotum, ob dictam rationem, quod a libera voluntate, liberoque arbitrio possessoris dispensandi totum pendet, atque si non dispensetur, statum non mutabit, ex relatis *d. disc.* 148. magis vero ad rem *disc.* 1. *de pension.* & *disc.* 65. & 66. *de jurepatron.* & alibi pluries; Unde propterea se opponere denegationi hujus gratiæ, vel ejus jam concessæ effectuationem impedire, atque revocationem, vel moderationem obtinere, æmulationem, vel malignitatem obtinere videtur, impedimenti scilicet, absque propria auctoritate, alterius commodum, quod ex mutatione status, vel assequutione incompatibilis obtineret, & a quo abstinere cogitur.

Si ergo ista procedunt in præmissis casibus, vel exemplis, in quibus incompatibilitas, vel prohibitio mutationis
31 status sit in jure certa, nullamque habeat infectionis dubietatem; Multo magis, atque citra omnem dubitandi rationem ea procedere dicebam in hac specie conditionis, vel præcepti viduitatis regulariter a jure civili damnatæ, ac habendæ pro non scripta, adeout neglecto testatoris precepto, commodum præsertim sit modale, & a parte postea obtineatur ex juribus, & auctoritatibus recensitis, *disc.* 73. *de testament.* & *disc.* 44. *de fideic.* & alibi.

Et quamvis ista regula limitationem recipiat in vidua, cui præsertim a viro ejus favore disponente, onus viduitatis injunctum sit per jus novissimum authenticorum reassumptum in *Auth. cui relictum*, *C. de indicta viduitate tollend.* cujus dispositionem hodie vigere, atque usu in foro receptam esse magis communiter Doctores firmant; Dicebam tamen reflectendum esse, quod ista esset novissima lex *Justiniani* præcedentium jurium antiqui, medii, ac novi Digestorum, & Codicis contradictionem habens, dum antiquum jus Digestorum indefinitæ viduitatis conditionem damnat in plerisque juribus, quæ a locis citatis referuntur, latius vero cum consueto modernorum collectorio superfluo nauseatorio stylo per Altogr. *cons.* 77. *lib.* 2. editum in eodem casu, de quo *d. disc.* 44. *de fideic.* 32

Jus autem magis novum Codicis post Imperii translationem editum, juxta mores Græcorum, potius quam juxta illos Romanorum, juxta quos dictum antiquum jus prodiit, illam induxit distinctionem motivi, ex quo mulier vidua ad alias cupiat convolare nuptias, an scil. ex illo libidinis, vel potius ex altero desiderandi filios, ut primo casu, præceptum sit obligatorium, in altero autem non unde propterea desuper exigi solebat ipsius mulieris juramentum, an ex uno, vel altero motivo nuptias contrahere vellet; Sed quoniam experientia docebat magnam perjuriorum frequentiam, hinc proinde Justinianus ultimus in jure civili legislator, illam jurisjurandi obligationem remisit, ut de his patet in *l.* 2. *cum seqq. C. d. indicta viduit. tollend.* & ex eodem novissimo jure *Auth. in §. quæ vero nunc sequitur Auth. de nupt.* cujus summa continetur *in d. Auth. qui relictum*, & sic quod pro magna illius Imperatoris volubilitate, & inconstantia, ut tot leges ostendunt, aut verius ex authoritate Theodoræ, vel Triboniani, qui totum faciebant, ipso Imperatore, ut aliqui Historici volunt, tanquam indocto, parumque capaci, deserviente pro signo ad tabernam, conditum est dictum jus novissimum, per quod indefinite in viduis istud virorum præsertim preceptum effectum est obligatorium.

Id autem nimia consideratione in proposito dignum esse advertebam, ut ita dispensatio dicenda non veniat exorbitans ab omni jure claro, & certo, dum potius importat restitutionem juris antiqui, juxta probabilem, ac receptam
distinctionem, quam habemus in materia statutorum, ut 33
scil. odiosa, & exorbitans censenda non sit, quando per ea corrigatur jus novum, quia reintegratur antiquum, ex pluries relatis in particulari statutorum sede *sub tit. de succ. ab intest.* & alibi.

Et nihilominus advertebam, quod prædicta juris novissimi dispositione quoque retenta, magis communiter receptum est, quod ea procedat in muliere vidua, ex matrimonio consummato, secus autem ubi de consummatione non
constet, ex firmatis per Bald. Ang. Dec. & alios *in ead. Auth.* 34
cui relictum, Sanch. *de matr. l.* 1. *disp.* 34. *n.* 30. *in fine* & *l.* 7. *disp.* 91. *n.* 5. Capyc. Latr. *cons.* 127. *n.* 67. Atque ubi consummatio requiritur, ut illa probanda sit per eum, qui in se fundet occasione dotalis lucri statutarii assequendi, matrimonio consummato, & non alias, cæteris relatis habetur *dec. n.* 237. & 370. *p.* 6. *rec.* & *in aliis*, cum ob nullam filiarum procreationem, incerta esset matrimonii consummatio.

Nimium quoque considerabilem esse advertebam, superius initio insinuatam distinctionem inter hujusmodi dispensationes, quæ concedatur per alios Principes sæculares, &
illam, quæ concedatur per Papam in statu Ecclesiastico, 35
in quo utrumque gladium, sive utramque exercet spiritualem, & temporalem potestatem Principis, & Papæ.

In Principe siquidem sæculari aliud non urget motivum, nisi illud voluntatis gratificandi dispensato, eique legis prohibitionem remittendi, quod motivum, cessante ista causa publica, parum commendabile videtur, in Papa vero eandem habebam potestatem in sua Ditione, alterum probabile, & commendabile concurrere potest motivum libertatis matrimonii, cujus ipse est protector, & defensor, ac etiam, ut tanquam medicus spiritualis ita occurrat incontinentiæ, & periculo peccandi, ut etiam ponderatur per Ruin. *cons.* 189. *lib.* 2. Ac etiam ob regulam, quod omnes secundo nubentium pœnæ, illis exceptis, quæ favorem liberorum primi matrimonii concernunt, per jus canonicum correctæ sint; Quamvis enim magis receptum sit, ut sub ista correctione non cadat hoc præceptum, eo quia non est pœna legis, sed potius cessatio voluntatis disponentis, adhuc tamen id videtur consideratione dignum, ut gratia aliquod justum habeat motivum, neque adeo exorbitans dici valeat.

Ad salvandum autem ineptiam, vel incongruentiam dubii, ut supra, per Congr. a Papa deputatam præscripti, adverte-

vertebam, quod haberi potuerit consideratio ad prędictam distinctionem, de qua *in l. 2. C. de indict. viduit. toll.* capiendo causam publicam pro illa, quæ adesse dicatur in procreatione liberorum, cujus possibilitas in præsenti aderat in muliere adhuc non quinquagenaria, in qua hanc possibilitatem adesse claré decidit text. *in l. si major quinquagenaria, ff. de legit. hered.*

Et quamvis desuper, cum consuetis frigiditatibus mul-
37 ta per scribentes hinc inde accumularentur, cum auctoritatibus etiam Medicorum, & Philosophorum, super aptitudine mulieris ad filiorum procreationem post annum quadragesimum quintum, & an casus insoliti, tamquam portentosi habendi veniant in consideratione, ex deductis, in utraque decisione, & prius *decis.* 119. post Turr. *de pact. fut. succ.* Attamen ad rem non facere credebam, quoniam sola possibilitas ad hunc effectum sufficere videtur.

Æmularotiam quoque, peneque malignam dicebam, hujusmodi oppositionem videri ex duplici consideratione.
38 Primo nempe, quod ista oppositio nullam oppositoribus inferebat utilitatem, dum in casu revocationis gratiæ mulier abstineret a nuptiis, ideoque continuando in statu viduitatis, impediret casum substitutioni; sed potius adesset ipsorum oppositorum damnum; tum in existimatione ob illud dedecus, quod ita mulieri resultare posset, ob jam contracta sponsalia, juxta ponderationes, de quibus *sub tit. de dote disc.* 79. *& seqq. &* 166. tum etiam, quoniam ita potius impediri dicitur eorum magis proximum, ac speratum emolumentum per ipsius hæredis mortem, quæ facilius contingere posset ex matrimonio, quatenus in ea ætate juncta cum aliqua obæsitate conciperet; dum numquam pepererat, ut frequentior praxis docere solet, ideoque verificari dicebam veram, & propriam ęmulationem inferendi damnum sibi ipsi, ut alteri damnum inferatur, dum ita magis expediret, ut nuberet.

Ponderando, quod omnes quæstiones, quas in corpore juris actas hucusque habemus, respiciunt casus, in quibus annullatio, vel revocatio gratiæ tribuat oppositori jus, quod non habeat, vel conservet illud, quod alias per gratiam assileret, juxta casus, de quibus supra *disc.* 148. *&* tot alios *sub tit. de fideic. & sub titul. de pens.* & alibi, quod in præsenti de supra non verificabatur.

Et secundo fortius, quoniam hujusmodi præcepta tunc
39 rigorose servari debent, adeout repugnet ęquitas illis dispensandi, quando substitutio concepta sit in casu contraventionis ad favorem conjunctorum, & de sanguine ipsius testatoris, quibus uxorem pręferre voluerit, cum pręsupposito, quod permanendo in viduitate, matrimonii reliquias retineret, atque ejus uxoris figuram adhuc faceret, alias non relicturus; Secus autem in præsenti, quod testator nullam sanguinis, vel affectionis personalis rationem habuit erga substitutos, dum eos vocavit sub nomine collectivo, ac per alternativam, adeout substitutio, vel mulieris dispositio in nomine, ex jam natis, & testatori cognitis, verificari posset, ipsaque mulier fuit medium, seu organum, per quod erga eos dispositio per extraneum facta est, potius ex quodam provido consilio erga ipsammet mulierem, ne alias seductionibus extraneorum subjaceret, prudentem disponendi modum sibi pręscribendo, ideoque non intrat illa ratio, quæ intraret, quando substituti essent de sanguine testatoris.

Hinc de consequenti cessare dicebam interesse Patris, ratione ususfructus legalis sibi competentis, quatenus alii filii jure substitutionis hæc bona obtinerent, dum ita ces-
40 sabat obtentio proprietatis, in altero enim usufructu legali, pręsertim per patrem in bonis ipsius filiæ, quæ illum non intraret ex voluntate testatoris, & ex natura gravaminis, ex deductis in materia ususfructus *sub tit. de serv. disc.* 64. non cadebat sub inspectione gratiæ, dum salvum jus patris remanebat, & per consequens non cadebat in disputatione.

Et quod Papa solet concedere hujusmodi dispensationem in specie super conditione, vel onere viduitatis,
41 patet ex *decis.* 1576. Cocc. in qua disputatur, an in ista specie gratiæ requiratur derogatio regulæ de jure tertii, & deciditur affirmative, quia ob matrimonium jam contractum de tempore primæ gratiæ, ista non suffragabatur, & de tempore secundæ erat jam quæsitum jus tertio, quod non facit ad rem, ac etiam habentur alia exempla posteriora.

ROMANA JURIS DOCTORANDI.

PRO COLLEGIO PROTONOTARIORUM PARTICIPANTIUM,

CUM COLLEGIO MEDICORUM.

Casus disputatus coram Cardinali Camerario.

De facultate, vel jure doctorandi, cui competat; Et an, & quando secunda concessio desuper facta, priori præjudicet; Et præsertim de differentia doctoratuum in utroque jure, & illorum in aliis scientiis, vel facultatibus.

Et incidenter de administratione Universitatis divisa inter plurium facultatum Collegia, an Mediei, & Philosophi diversa constituant Collegia, vel unum tantum, quod sit utriusque facultatis complexivum,

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Possessorium est prius terminandum.*
3 *Per hanc determinationem causa corporum universalium finem habent.*
4 *Jus doctorandi est de regalibus.*
5 *In regalibus non sufficit sola possessio per manutentionem sine titulo.*
6 *Declaratur Conclusio cum pluribus limitationibus.*
7 *Etiam in possessorio solet gustari de bono jure.*
8 Non *est immorandum in receptis principiis, quæ sunt supponenda.*
9 *De auctoritate decisionum Rota.*
10 *De differentiis inter istum casum, & alterum, de quo agitur in decis. Seraphini.*
11 *De differentia inter doctoratuum in utroque jure, & in medicina.*
12 *Quod introductio doctoratus sit moderna, & de moribus diversis.*
13 *De licentiatura, & quando hæc æquipolleat doctoratui pro dignitatibus, & Officiis Ecclesiasticis.*
14 *An possit exerceri medicina sine licentia.*
15 *Quando doctoratus sit ex mero privilegio, necne.*
16 *Observantiæ est deferendum, & n.* 20.
17 *De regula de jure tertii quæsito non tollendo.*
18 *Quod non sit insistendum in formalitatibus verborum, sed in substantia rerum.*
19 *De alio Casu controversia inter Collegia Medicorum, & Philosophorum Bononiæ.*
20 *De eadem conclusione, de qua num.* 6.

D I S C. CLXXVIII.

AUcto per Sixtum V. a septenario ad duodenarium nu-
mero Protonotariorum participantium eo modo, quo 1
in plerisque aliis Curiæ Romanæ Collegiis sub diversis temporibus sequutum fuit, ut in relatione Curiæ advertitur; Hinc, ut compensaretur damnum antiquorum septem, quod ex ista accretione in emolumentorum participatione, per necessarium consequens resultabat, huic Collegio quamplura concessit privilegia, inter quæ fuit illud facultatis doctorandi in quacumque facultate, certam desuper præscribendo formam; Adversus quam concessionem, dicto Pontifice defuncto, Collegium Advocatorum consistorialium, quod ex concessionibus Julii III. & ejusdem Sixti hanc facultatem habet doctorandi in utroque jure, litem instituit in Rota coram Seraph. coram quo sub die 3. Aprilis 1598. Collegio Advocatorum favorabilis prodiit resolutio, registrata inter *decis.* ejusdem Seraph. *dec.* 1271. in qua firmatur hujus concessionis Protonotariorum inefficacia, & ne alteri antiquiori concessioni dicti Collegii Advocatorum præjudicare posset, ad cujus decisionis normam expeditus desuper fuit Motus proprius Clementis Octavi; Postmodum vero Urbanus VIII. huic Protonotariorum Collegio indulsit, ut quatuor singulis annis Doctores in utroque jure creare posset, eo tamen pacifice continuante in prædictæ facultatis exercitio, quod alias facultates usque ad annum 1620. in quo Protomedicus, & Collegium Medicorum, quod ex ejusdem Julii III. concessione hanc doctorandi facultatem in Philosophia, & Medicina habebat, eamdem promovit litem, atque sententiam favorabilem a Commissario reportavit, sed quia judicium nulliter actum fuerat, utpote non legitime citato Corpore Collegii, sed aliquibus Protonotariis jure singulati,

lari, idcirco introducta causa per appellationem in Camera, Collegium Medicorum agnoscendo dictam nullitatem renunciavit omnibus actis, ad hoc, ut novum judicium ex integro valide instituere posset, sed ulterior prosequutio non adfuit, ideoque Collegium Protonotariorum in sua possessione continuavit usque ad annum 1674. in quo denuo hæc prætensio excitata fuit coram Cancellario per dictum Collegium, a quo, & a scribentibus pro eo, totum fundamentum constituebatur in allegata *decis.* 1271. Seraphini, illa mutato cortice verborum in substantia, pene ad litteram transcribendo, quasi quod idem esset casus, ideoque eædem intrarent rationes.

2 Scribens itaque pro Collegio reo convento, advertebam in primis ad distinctionem possessorii, & petitorii, quodque pro nunc usque necessitate assumendi inspectionem negotii principalis in petitorio sufficere possessorium, quod tamquam privilegiatum prius terminandum est, juxta notitias, & quotidianas propositiones, de quibus *sub titul. de jud. disc.* 44. & in his præcisis terminis consimilis controversiæ inter Collegium Medicorum Neapolis, & alterum Salerni super jure doctorandi, cum consueta superfluitate ad satietatem colligit Pratus *discept.* 42. *l.* 3. *n.* 35. *cum sequent.* ubi super hoc notorio, atque præsupponendo principio, pro consueto modernorum detestabili vitio, adeo magnum cumulum facit allegationum,

Praxis etenim docet, quod in hujusmodi controversiis
3 inter corpora politica, sive universalia, in quibus agitur de iis juribus, quæ pluribus communia sunt, totus punctus est in possessorio, quo terminato ad favorem unius, ut plurimum, causæ insensibiliter pereunt, ut vulgo dicitur, ex febri ethica, cum negligi soleat id quod pluribus commune est, potissime ubi agitur de incommoda, ac dispendiosa prosequutione petitorii, per tres conformes, ob varietatem morum, & ingeniorum illorum, qui succedunt iis, qui erant magis zelantes jurium universalium.

Et quamvis in hac materia non procedat illa propositio, quæ in privatis indifferentibus bonis habetur, ut in hoc possessorio retinendæ, quod vulgo manutentionis dicitur, non quæratur de justitia, vel injustitia, neque admittatur
4 exceptio dominii, seu boni juris, sed attendatur nudum factum possessionis. cum agatur de jure doctorandi, quod est de regalibus, spectantibus ad supremum Principem, vel ad eum, cui ipse concesserit, ex relatis per Borell. *de præst. Reg. Cathol. c.* 34. Ripoll. *de Reg. c.* 48. Prat. *eadem discept.* 42. Muscat. *de præstat. doctor. p.* 2. *n.* 46. *& passim*, cum solius principis sit conferre hanc dignitatem, atque alios Magistros declarare.

Vera etenim, & recepta est propositio, de qua *eodem*
5 *disc.* 44. *de jud. & alibi*. quod in iis, quæ possideri non possunt sine privilegio Principis, atque sint de Regalibus, quorum regulariter incapaces sunt privati, non datur manutentio sine titulo, ideoque sola possessio non sufficit, neque attenditur illud vulgare practicorum dicterium, quod inter privatos, atque in rebus indifferentibus admittatur, nempe possideo, quia possideo.

Verum in hac facti specie advertebam huic objectioni tres congruere responsiones, quarum una sufficeret, multo igitur magis eis simul junctis; Primo nempe, quoniam ad rigorose procedit cum ipso Principe, ejusque fisco
6 contendente cum privato, secus autem inter duos privatos invicem contendentes de pertinentia, Secundo, ut procedat in possessione recenti; non autem diuturna, & temporis valde considerabilis, cum tunc ex illa resultet præsumptio privilegii, vel alterius tituli, cujus ob antiquitatem non sint conscii moderni possessores, ideoque ista præsumptio, insufficiens in petitorio, sufficiens tamen esse debeat in possessorio, ex relatis *eod. disc.* 44 *de judic.* & alibi pluries.

Et tertio clarius, dum adeat explicitus titulus concessionis factæ per Sixtum V. ut supra, unde propterea quæstio non erat super ejus existentia, sed solum super validitate, & efficacia inter duos contendentes de ejusdem juris, & privilegii potioritate, quo casu absolutum est dictam propositionem non intrare, sed possessionem interim sufficere.

Neque his adversari dicebam præfatam *dec.* Seraphini, tum quia, ut ejus contextus probat, de hac distinctione petitorii, & possessorii actum non est, neque ad hæc descenditur, tum etiam quia in eo casu nimium recenter lis mota fuit, adeout inter tempus privilegii, & illud dictæ decisionis, intermediat solum spatium annorum duodecim, cum tamen decisio supponat, juxta notum, & regularem cursum causarum in magnis Civitatibus, & Tribunalibus, initium litis per aliquod antecedens tempus considerabile.

Adhuc tamen opportunum judicatum fuit, incidenter, & pro gustu deducere concernentia merita negotii princi- 7
palis, etiam in petitorio, pro commendabili Curiæ stylo pluries insinuato, præsertim *in d. tit. de judic. disc.* 37. *&* 44. & in relatione Curiæ *disc.* 31. agendo de Tribunali Signaturæ, tum ex prudentiali directione causæ, ne insistendo mordicus in solo possessorio, imprimeretur mala causæ opinio super diffidentia boni juris, ac etiam, quia cum Cardinalis Camerarius, coram quo denuò causa excitata fuit, & qui alias de facili fuisset recusabilis, ob consumptionem jurisdictionis Tribunalis, & introductionem causæ in Camera, ut supra gereret illam personam primi ministri Papæ, de qua habetur *in d. Relat. Cur. disc.* 6. Ita more Principis potius, quam Judicis, istius causæ cognitio assumpta videbatur.

Quatenus itaque ad bonum jus, vel petitorium pertinet, cum privilegium esset expressum, ac litterale, neque aliqua caderet ratio dubitandi super potestate conceden- 8
tis, minusque super assumpto, quod posteriora derogent, ac prævaleant prioribus, cum istæ sint generalitates notoriæ, ac præsupponendæ, ideoque manifestam ineptiam merito contemptibilem continet stylus juristarum super eis se diffundere, atque inanem cartarum repletionem facere: Hinc proinde punctus erat in objectis, quæ ut præmissum est, desumebantur ex prædicta individuali *decis.* Seraphini, ita stricte occurrendo puncto difficultatis, juxta verum scribendi modum.

Potuisset autem evitari d. decisio, ex assumpto insinuato etiam *disc.* 32. *in Relat. Cur. & disc.* 35. *de judic.* agendo de efficacia, sive auctoritate decisionum Rotæ, quod 9
scilicet illæ præsupponi debent, & quamdam speciem necessariæ auctoritatis faciunt in eadem causa, & inter easdem Partes, quando firmato uno puncto, vel dubio, assumatur disputatio super altero, secus autem in tertio non audito, & in causa diversa; Sed pariter ista erat vaga generalitas nimia cultura parum digna, quoniam punctus non erat in auctoritate decisionis de per se, sed in ejus motivis, & fundamentis, aliquod non leve recipientibus fomentum, ex eo, quod alias super eodem præcisio puncto per Rot. antiquam canonizata fuerint, ob reverentiam, quæ erga antiquitatem haberi solet, dum omne antiquum, vel ignotum pro magnifico.

Assumendo itaque rationes differentiæ inter prædictam aliam controversiam, & istam, ita de plano dicebam esse illorum motivorum applicationem, in qua hodie tota est judicandi, vel consulendi vis.

Primo, namque in eo casu accedebat circumstantia, quæ probabiliter, ut ejusdem decisionis tenor quoque comprobat, 10
potissima causa fuit resolutionis, quod scil. idem Pontifex Sixtus V. qui concessionem nostro Collegio fecerat infra breve tempus biennii, ex causa onerosa venditionis officii Rectoratus, factæ eidem Collegio Advocatorum, privativam facultatem doctorandi in utroque jure alias competentem innovavit, & confirmavit; Unde propterea intrabat eadem propositio huic pacto favorabilis, quando posteriora derogant prioribus, potissime ob brevitatem temporis, intra quod memoria recens supponenda est.

Secundo, pro meo judicio magis stringenter, ob notabilem differentiæ rationem inter unam, & alteram concessionem ejusdem Julii III. utrique Advocatorum, & Medicorum Collegio factam; Illa siquidem prior Advocatorum est Motu proprio, ut patet ex d. Pontificis Constitut. 16. altera vero posterior Medicorum est ad suppositionem, ut patet ex Constitut. 19. Et quod magis est, prior est per quamdam speciem legis, adjecta ratione favoris publici, posterior vero per viam gratiæ, & privilegii, ob notabilem differentem rationem inter unam facultatem, & alteram.

Doctoratus etenim in utroque jure, vel Canonico tantum in hoc Pontificio Principatu, magis quam alibi magnas secum trahit consequentias, non solum ob publi- 11
cos Magistratus securiores eo modo, quo in aliis Principatibus, sed magis, ac principaliter pro Episcopatibus, & Archiepiscopatibus, ac etiam pro primis dignitatibus Cathedralium, & Collegiatarum, aliisque Prælaturis, & officiis Ecclesiasticis, dum ista dicitur administratio necessaria, quam subditi, licet nolentes, ac scientes, illum nomine, non autem re doctorem esse, juxta distinctionem inter Doctores re, & nomine, de qua *disc.* 35. *de præemin.* vitare non possunt.

Econ-

Econverso autem in alia facultate medicinæ, prout etiam in legali, respectu Advocatorum, & Procuratorum, aliorumque causidicorum, ac etiam illorum Assessorum, seu Consiliariorum, qui voluntatie assumantur ex electione populi, sive illorum particularium Civium, cui eorum opera, seu ministerio indigeant, doctoratus male collatus est quidem alicujus, sed non adeo magni, & gravis præjudicii, cum in istis potius communis existimatio, ac fama doctrinæ, & idoneitatis, quam doctoratus attendatur, & operetur, ut evocentur, eorumque opera adhibeatur, dum videmus in una, vel altera facultate solemnissime doctoratum in publicis, & famosis Universitatibus omnino otiosum. Et econverso alium doctoratus gradum non habentem magni nominis, magnique exercitii, ideoque magna differentia est inter primum casum administrationis necessariæ, & istum administrationis, vel exercitii voluntarii ad liberam electionem eorum, qui ipsorum opera uti velint.

Ponderando etiam eadem, quæ habentur deducta *dict. disc. 35. de praemin.* quod scilic. in jure civili, ex quo ad antiquos Romanorum mores arguitur, non videtur
12 cognita ista solemnitas doctoratus, modernis temporibus introducta, postquam a quinque sæculis citra omnes scientiæ redactæ fuerunt ad formam facultatum, cum his formalitatibus magistrorum, & doctoratuum, sed adhibetur terminus professorum, idest illorum, qui non ex privilegio, vel simplici solemnitate, sed ex Cathedra, vel alio exercitio actuali, re potius quam nomine professores, necessitas autem, seu requisitum doctoratus in dignitatibus, vel Magistratibus, ut supra, & præsertim Ecclesiasticis, emanare videtur ex Concilio Tridentino, alisque hujus Ecclesiastici, vel aliorum sæcularium principatuum Italiæ, aliarumque Regionum legibus, vel moribus, qui sunt inter se diversi, dum videmus, quod in Italia etiam in magnis, & probatis Universitatibus illico post completas scholas, quinimo, neque illis visis, & initiatis, adolescentes, aliique nullatenus versati, istum gradum, cum nimia facilitate obtinent; pro quadam ceremonia cum sola recitatione cujusdam cantilenæ; Econverso autem in Hispania gradus doctoratus non confertur, præsertim in Salmanticensi Universitate nonnisi cum magna causæ cognitione, ac personis provectis, & quæ diu se exercuerint, ideoque illi, qui studiis completis cupiunt habilitari ad publicorum munerum exercitium, conceditur solum licentiatura, quæ æquipollet doctoratui Italiæ, ut advertitur in proposito Vicarii ca-
13 pitularis *sub tit. de canonic. & Capitul. disc.* 24. *& in annot.* ad Concil. Trid. *disc.* 31. atque docet praxis illarum Religionum, quæ habent hunc usum Doctorum, seu Magistrorum, quoniam in aliquibus, magisterium idem est, ac inter laicos doctoratus, qui cum majori facilitate, & frequentia illico obtinetur; in aliis vero cum magna difficultate, & nonnisi post plurium munerum exercitium, sed in istis, Baccalaureatus æquipollet doctoratui, juxta dictam distinctionem inter doctoratum, & licentiaturam; Et per consequens doctoratus non videtur in exercitio professionis medicinæ necessarius, pro requisito, eodem modo, quo neque in facultate legali, pro muneribus voluntariis, sed solum pro necessariis, & auctoritativis, ut supra.

Et quamvis in utraque facultate, præsertim vero in ista medicinæ, cum agatur de re gravi, nempe de vita hominum, concedenda non sit cuique libera facultas illam exercendi, unde propterea ubique usu introductum est officium Protomedici, qui per se ipsum, vel per ejus substitutum, & Commissarios inhibere potest illos, qui per publicam Universitatem Magistri, & habiles decla-
14 rati non fuerint, ne illam facultatem exerceant; Attamen id operatur solum, ut possit eos pro libito, examini subjicere, & ne alias imperiti non professores se intrudant in hoc exercitio, juxta illam distinctionem de qua inter Parochos approbatos in concursu, & simplices confessarios, habetur *sub tit. de paroch. disc.* 16. & alibi, atque deducitur apud Prat. *d. discept.* 42. *lib.* 3. sed non per hoc resultat, ut doctoratus sit præcise necessarius in publica Universitate, non autem per privilegium.

Potissime vero, quia ista species Doctoratus, neque dici potest omnino privilegium, juxta illas species,
15 quæ recensentur *d. disc.* 35. *de praeminen.* non solum quia tractatur etiam de Collegio in eodem duodenario numero, adhuc tamen non sufficeret, cum non sint professores hujus facultatis, quia ad præscriptum Sixtinæ concessionis, idem Collegium adhibere debet tres peritos, ac probatos professores, qui cum diligenti examine doctorandi inquirant, & sic interveniunt tres Medici, quod Collegium, & Universitatem constituunt.

Et demum in præmissorum quoque comprobationem magni faciendam esse differentiam inter unum casum, & alterum resultantem ab observantia, quæ ex frequenter insinuatis in omni materia dicitur optima interpres. Po- 16
tissime vero ob discretivam, quod facultas doctorandi in utroque jure illico contradicta fuit, ista vero habuit pacificam observantiam per annos quadraginta circiter, usque ad dictam contradictionem anni 1628. quæ tamen neque effectum habuit, ut supra, unde propterea continuavit per annos circiter nonaginta.

Ex his autem motivis, solidius videbatur illud primo loco recensitum recensitis implicitæ revocationis, per concessionem ab eodem Sixto factam Collegio Advocatorum; Alterum etenim motivum de facultate doctorandi in utroque jure, non adaptatur, dum istud Collegium Protonotariorum constitutum est ex duodecim Prælatis, qui sunt Doctores in utroque jure, ideoque constituunt æqualem, vel forte magis qualificatam universalitatem, & per consequens congruit eadem ratio.

Objiciebatur quoque, quod non esset derogatum regulę de jure tertii quæsito non tollendo, ut gratiis tertio
præjudicialibus, quę per Papam fiant, derogare debere 17
statuitur per regulam Cancellariæ, unde propterea in gratiis, quæ ab hoc Principe fiant longe magis procedit vulgaris, & frequens regula juris communis desumpta ex textr. *in l.* 2. *§. si quis a Principe, ff. ne quid in loc. publ.* quod gratia, vel concessio Principis intelligenda venit, cum præsupposito, quod non præjudicet tertio, cujus jus tollere voluisse non præsumitur, ex relatis ad hanc materiam istius regulæ supra *disc.* 148. ubi late, & ex professo de hac materia potestatis Principis tollendi jus tertii, ac etiam *sub tit. de serv. disc.* 5. & alibi pluries; Verum istud videbatur leve objectum ob aliam pariter receptam, ac vulgarem propositionem, de qua eadem *disc.* 148. ac etiam *sub tit. de praem. disc.* 9. & alibi pluries, quod scilicet id non procedat, quando agatur de gratiis pernecesse, ac de sui natura alteri prejudicialibus, qualis absque dubio ista dicenda venit, non solum respectu hujus Collegii Medicorum Urbis, sed etiam tot aliorum Collegiorum, & Universitatum in Statu Ecclesiastico existentium istam facultatem doctorandi quoque habentium, & quorum ignorantia in Papa supponi non potest, utpote in re notoria.

Ponderando etiam circumstantiam, de qua supra, quod scilicet concessio facta per Julium Collegio Medicorum esset ad supplicationem, ex mera gratia privata, ideoque non intrent illæ majores difficultates, quę intrare solent, quando agatur de gratia prejudiciali tertio foventi causam onerosam, & correspectivam, unde propterea resistat æquitas, ac etiam quidam improprius defectus potestatis in ratione directiva, si non coactiva, sive morali, si non physica, adeo ut lędi videatur justitia commutativa, unde propterea magis intrat pręsumptio exclusiva voluntatis, super qua ad satietatem plura colliguntur *per add. ad dec. 666. par. 4. rec. tom.* 3. atque advertitur locis citatis, & alibi pluries; Ideoque revera ista remanet quęstio, potius facti, quam juris, utpote voluntatis, ac propterea intrat consuetus error procedendi in ejus decisione, cum solis generalitatibus, cum verius id pendeat a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis.

Accedente quoque dicto efficaci motivo observantię, ac etiam altero discretivę, quoniam, cum utrumque Collegium Advocatorum, & Medicorum, pro hujusmodi facultatis doctorandi exercitio, conveniat in eodem loco, qui Sapientię dicitur, atque in occasione essent quodammodo gemelli, altera vero facta per Sixtum V. huic Collegio Protonotariorum, occasione adeo notabilis immutationis ejus status, quod ex septenario numero, constitutus esset duodenario, utique tam concessio, quam subsequuta lis acta per Collegio Advocatorum habuerunt speciem notorii.

Et ex his advertebam, tolli quoque applicationem quarundam vere levium considerationum, quę continentur in principio *d. dec. Seraph.* circa majorem pręgnantiam verborum, & clausularum prioris concessionis, cum illa
motiva, quę desumuntur ex ejusmodi formalitatibus 18
verborum, vel clausularum, resultantibus a majori, vel minori diligentia, seu advertentia Notariorum, sive expedito-

peditorum, aut Officialium pro meo sensu contemptibilia videantur, sola, & per se, solumque consideratione digna sint ssmulative, vel comprobative, quando alia accedsnt circa substantiam principaliter attendendam.

In hoc item proposito Collegiorum, sive Universitatum, & specialiter Collegii Medicorum, cum Eugenius IV. concessisset Doctoribus legentibus in studio, seu Universitate Bononiæ in jure Canonico, & Civili, & artibus, ac medicina, pro eorum stipendiis emolumenta cujusdam gabellæ grasciæ, & mercenariarum, conquererentur autem
19 Doctores, quod in his emolumentis a Thesaurariis ac depositariis, ac Ministris fraudarentur; hinc Julius II. eorumdem professorum Collegiis, dictæ gabellæ administrationem concessit faciendam per duos Juris Canonici, duos Juris civilis, & duos artium, & medicinæ Doctores collegistos, singulis annis a propriis respective Collegiis erigendos; Cumque in eadem Universitate distincta sint Collegia Medicorum, & Philosophorum, in quorum utroque pro majori parte adscripti sunt illi, qui sint principales medicinæ scientificæ professores, dum huic facultati pernecesse annexa videtur altera artium, seu philosophiæ, in illo tamen philosophorum, illi præsertim nobiles viri, qui medicinæ vacare nolunt, antiqua tamen observantia dederit, quod Collegium Medicorum hanc administrationem habuerit: excitavit pretensionem alterum Collegium physicorum super participatione hujus administrationis; Quare introducta per appellationem causa in Rota coram Calasijò, datoque dubio: *De cujus bono jure constet*, *sub die 13. Junii 1674.* pro bono jure Collegii Medicorum, me pro eo scribente, responsum fuit, ex præfato potissime motivo observantiæ diuturnæ, ex relatis *dis. 21. de judic.*
20 & alibi, quando est antiqua, & excedit metam annorum quadraginta tamquam præscriptiva apta est tollere jus clarum uni, illudque alteri tribuere, Multo igitur magis ad effectum interpretationis, ad quem effectum sufficit etiam minoris temporis.

Certum autem videri dicebam, quod concessio Julii esset ambigua, & interpretationis capax, quinimo quod ista interpretatio, quam observantia dedit, esset probabilis, quoniam pro magis communi, ac pene universali usu Italiæ eadem unio duarum facultatum artium, & medicinæ, quæ consideratur in Medicis, consideratur quoque in Juristis, quod scilicet sint professores, & Doctores utriusque Juris Civilis, & Canonici; Et tamen Pontifex distinguit Collegia, eorumque singulis concedit administrationem coæqualem; Istud vero considerat tamquam unum cum unica voce coæquali aliis, juxta regulam desumptam ex *Clemen. plures de jurepatr. de qua sub tit. de jurepatr. disc. 34. & 61.* ideoque illud solum Collegium honorare voluit quod esset utriusque facultatis complexivum, & sic penes illos, qui utramque haberent qualitatem, atque sedentes in isto Collegio, haberent etiam jus sedendi in altero, cum ad utrumque admitti soleant in Civitate professores medicinæ, habentes requisita necessaria, ut patet *ex disc. 797. & 382.* Merlin. *& decis. 180. par. 9. recent.* quasi quod ita absque necessitate distinguendi Collegia, in isto alterum saltem in parte comprehenderetur; Ac propterea probabilis visa est resolutio.

ROMANA DATIORUM, PRO UNIVERSITATE HEBRÆORUM, CUM FRATRIBUS DE VELLETRIS.

Votum Arbitramentale.

De eadem materia, de qua supra disc. 100. An scilicet, & quando durante quinquennio juramenti præstiti inter Hebræos pro regulatione Datiorum, locus sit desalco, ob superventa infortunia, ex quibus bona notabilem diminutionem passa sint.

S U M M A R I U M.

1 *CAsus controversia.*
2 *An ob argumentum, vel diminutionem bonorum durante quinquennio æstimi, fieri debeat augmentum, vel diminutiones datiorum.*
3 *Quod intrent similes termini desalchi pendentis in locatione.*
4 *Leges particulares, & capitula prævalere debent juri communi.*
5 *Ad quid recurrendum etiamsi sit ad regulas juris communis.*
6 *Quando evagationes sint laudabiles, vel vitiosa.*
7 *De applicatione ad rem, & quare non intraret desalchum.*
8 *Culpa ministri imputanda domino, vel proponenti.*

D I S C. CLXXIX.

PRæsupposita consuetudine Universitatis Judæorum Urbis, de qua supra *disc 100. & seqq.* conficiendi quolibet quinquennio æstimum mediante possessorum juramento, pro regulatione datiorum; Cum in Capitulo decimosexto enunciato in eod. *disc. 100. in fin.* disponatur quod contingentibus infortuniis, vel accidentibus evidentibus furti, incendii, & similibus, ita, & taliter, quod sequatur deterioratio status in quarta parte illius quantitatis, quæ jurata fuerit, fieri possit per factores Universitatis, & alios quatuor deputandos a consilio, quod inter eos Congrega nuncupatur, desalcum etiam infra quinquennium, quatenus eis visum fuerit, illud admitti debere, & quod extra istos casus, ex quocumque alio casu desalcum non admittatur, ne alia confusio inducatur; Atque fratres de Velletro bancum pignorum exercentes, in secundo, vel tertio anno currentis quinquennii; recognito negotio comperiissent ob fraudes, & dissipationes institorum, & ministrorum, notabilem adesse diminutionem, excedentem quartam partem quantitatis juratæ; Hinc oretenus, & concorditer in me ipsi, & Universitas compromiserunt, ut declararem, an intraret, necne d. Capitulum 16. adeout locus esset desalco. 1

Negative respondendum censui, quoniam in hujusmodi allibrationibus, quæ in singula quinquennia, seu alias ex regionis more, statuis tempora fieri solent, firmari dicitur pro eo tempore quidam status firmus, & invariabilis per quandam speciem conventionis correspectivæ, quæ tam ad Universitans, quam singulorum commodum, & incommodum potest se æqualiter habere, quoniam si hoc medio tempore singulis facultates augeantur; non per hoc Universitas, vel alter, qui jus collectandi competat, augmentum collectarum, vel datiorum prætendere poterit, ita econverso si minuantur, competere non debet singulis diminutio, vel defalchum; tum ex regula secundum naturam, &c. ut quem sequuntur commoda, sequantur incommoda, ac etiam ex alia regula text. *in l. Præses, C. de fideic.* ut læsivus, & præjudicialis non dicatur ille actus, qui æque se habere potest ad commodum, & incommodum, quamvis eventus respectu unius sit malus, dum poterat esse bonus; tum etiam ob nimiam congruam rationem in præfato capitulo 16. in fine recte consideratam, quod scilicet ita sequerentur confusiones, & quotidianæ lites, & per text. *in l. fin. Cod. de alluvion.* firmat ibi Bald. & alii ibid. Incertus apud Petr. de Ubal. *de gabell. cons. 1. nu. 1. & 8.* Menoch. *cons. 1194. num. 89. & seqq.* Cyriac. *controvers. 156. n. 5. & seqq.* Atque advertitur etiam supra *disc. 100.* ubi *& disc. seq.* agitur in specie de istis datiis Hebræorum. 2 4

Sed quoniam æquitati nimium adversari videtur, ut contingente infortunio, quod notabilem assis, & fortunæ deteriorationem causet, addenda sit afflictio, istum cogendo ad solvendum datia pro bonis, quæ non habet, dum ita dari posset casus, ut cogendus veniret quis pati jacturam omnium fructuum bonorum, quæ remanserunt, vel majoris partis eorum pro solvendis datiis bonorum peremptorum; Hinc proinde, quando damnum, quod contigit, sit notabile, juridice intrare debet defalchum, ad similes terminos text. *in leg. licet, Cod. locat. &c. potuit, cap. propter sterilitatem extra eodem*, de quibus frequenter supra *hoc eodem tit. disc. 65. & seqq. & disc. 159. & in hoc supplem. disc. 175.* ac etiam in ejus peculiari sede *sub tit. de locat. disc. 1. cum seqq.* 3

Quamvis autem inanis evagatio videatur præmissa deducere in terminis generalibus juris communis, dum habetur lex particularis capitulorum, quæ juri communi semper prævalere debet, quoties turpia, & illicita non contineat, adeout obstet defectus potestatis, ex relatis *disc. 35. de judic.* & alibi, & in specie capitulorum appaltuum, seu vectigalium, ut pro lege haberi debeant, 4

beant,

beant; pluries in præcedentibus *hoc eod. tit.* advertitur;
5 Attamen opportunum, imo necessarium potius, quam evagatorium censui hæc prænotare pro congrua, & germana intelligentia, sine interpretatione hujus legis particularis passivam interpretationem de sui natura recipienti a jure communi, ut in materia statutorum, aliarumque legum municipalium, quotidianum habemus.

Atque hinc edocemur, quando evagationes, vel præ-
6 notationes vitiosæ censeri debeant, necne, separato scilicet fine ad quem fiant, quoniam, ubi non influant ad causæ decisionem, vel examen, sed pro inani propriæ eruditionis substentatione, aut insequendo abusum regionis fiant, adeout revera inutiles, ac superfluæ sint pro decisione causæ, vitiosæ censendæ sint, ac damnabiles; Secus autem ubi honestum, ac rationabilem habeant finem dilucidandi æquivoca, sive interpretandi legem, vel conventionem particularem, vel alium finem proficuum, & in casu præcisu.

Descendendo itaque ad speciem, dum capitulum loquitur de casibus, vel accidentibus evidentibus, ac provenientibus citra culpam possessoris, & qui illud notabile damnum saltem in quarta parte producant, exemplificando incendium, vel furtum, & similia, & sic ubi adaptabiles essent termini defalchi, de quibus supra; Hinc dicebam non intrare in casu illius damni, quod minutatim, & in dies ex mala administratione, vel negligentia, seu alia culpa contingat, quamvis illud in dies crescendo tractu temporis detegatur notabile, ut in præsenti supponeba-
7 tur, quod scil. ob fraudes, & dissipationes Institorum, & ministrorum banci, ac etiam ob deceptionem aliquorum negotiatorum, istud negotium detectum esset notabiliter diminutum, ex pluribus modicis diminutionibus, quæ factis calculis, seu bilanciis simul junctæ reddebant damnum notabile excedens quartam partem, qui casus mihi non videbatur comprehensus in capitulo.

Ponderando, quod culpę potius quam casui ista deterio-
8 ratio referenda veniebat; tum ex eo, quod mala electio est in culpa, unde propterea habemus, quod Dominus tenetur de facto famuli, vel præponens de facto præpositi quoties delictum versetur circa illud opus, cui præpositus fuerit, ex deductis *sub tit. de locat. disc. 9.* & alibi; tum etiam quia de culpa redarguendi videbantur ipsi principales, cur neglexerint singulis annis, vel temporibus facere bilancia, & revidere rationes ad effectum dignoscendi, an Institores, & ministri fideliter, ac bene agerent, dum non agebatur de administratoribus legalibus, & necessariis, sed de mere voluntariis; Et quemadmodum iisdem administratoribus bene agentibus, ac propterea negotio notabile recipiente augmentum, ultra quartam partem in capitulis taxatam non posset universitas prætendere augmentum dationum infra quinquennium, ita visum est dicendum forte in casu converso, ex regula, seu natura correlativorum, adhibendo quoque eosdem terminos defalchi in materia locationis, & conductionis, ut scil. illud intret, ubi damnum proveniat a casu, non autem a culpa, aut mala administratione famulorum, & præpositorum, cum isti
1 termini videantur congrue ad rem adaptabiles.

PISANA, SEU FLORENTINA DEPRÆDATIONIS,

PRO JOANNE FRANCISCO CARDO,

CUM MICHAELE ANGELO VACCARIO.

Responsum pro veritate.

De materia deprædationis indebitæ factæ per navem piraticam, ejusque Magistrum, seu Capitaneum; An de illa teneatur Dominus navis, qui talem magistrum præposuit; & quid ubi culposus non fuerat præpositus ab ipso Domino, sed ab altero per eum præposito.

S U M M A R I U M

1 *Facti series.*
2 *De probatione mandati præsumpti.*
3 *Dominus navis teneatur de facto præpositi mediati, idest, præpositi ab eo, quem ipse præposuit.*
4 *Quod dominus navis non tenetur de robbaria, & delicto magistri navis.*
5 *Contrarium quod teneatur.*
6 *Quomodo istæ contrarietates concilientur.*
7 *Quando Dominus teneatur de facto famuli, vel præpositi.*
8 *De casu in quo dominus non teneatur, ut tamen affecta sit ipsa navis.*
9 *De exclusione culpæ deprædatoris.*
10 *Ad quod teneatur deprædator sine culpa, & delicto.*
11 *Quomodo in causis decidendis procedendum sit.*
12 *Resolutio casus.*

D I S C. CLXXX.

Pyraticam navem pro deprædationibus contra infideles in portu Liburniensi instruxit Jo: Franciscus, atque servatis iis, quæ ex legibus, ac stylis loci servari solent, 1
ac debent, magistrum vulgo Capitaneum præposuit Joannem Baptistam, qui in partibus Orientalibus decedens, ex vulnere habito pugnando cum navi infidelium; ejus loco præposuit Paulum, jam habentem munus ejus Locumtenentis, Joannis Francisci conjunctum, qui inita societate, cum duabus consimilibus pyraticis navibus Melitensibus vulgo *di conserva*, quibus præerant duo milites Hierosolymitani, relatione habita, quod frumentum, aliæque merces repertæ in quadam cymba, seu minori nave oneratoria vulgo *Tartana*, cui præerat Michael Angelus Christianus, spectarent ad Magistratum Niciæ vulgo *Agà* Turcam, istas merces tantum deprædatus est, navem vero alias merces, quas præsuppositum fuit esse Christianorum dimittendo, atque prædam cum dictis navibus sociis, juxta stylum divisit; Quasi præfatus Michael Angelus datis justificationibus, quod etiam merces deprædatæ essent propriæ, non autem infidelium, eumdem Liburniensem portum adiens, coram ejus magistratu, tam Paulum, quam Joannem Franciscum navis dominum, convenit pro restitutione pretii, ac restitutione damnorum, & interesse, favorabilemque reportavit sententiam contra Paolum, cum istius condemnatione in petiis 1300. pro mercium pretio, ac in damnis, & interesse liquidandis, reservato videri, an contra navis dominum actio competeret, atque in hoc statu ex parte Joannis Francisci domini, pro veritate consultus fui, an, & quale jus foveret, ad effectum deliberandi, an litem substinere deberet, vel potius honestam procurare concordiam, transmissa proprii Advocati in partibus informatione, quæ in effectu aliud non continebat, nisi reassumptionem eorum, quæ habentur apud Magon. *decis. Florent.* 111. deducendo quoque auctoritatem Sanfelic. *decis.* 179.

Respondens itaque, duas efformabam inspectiones; unam facti, an scilic. Paulus, qui deprędationem fecerat, dicendus esset præpositus ab ipso Joanne Francisco; Et quatenus non, quia præpositus a præposito, quid id relevaret? Et alteram, an pręponens in casu quæstionis, de facto præpositi teneatur, sive sit mediatus, sive immediatus.

Quatenus pertinet ad primum; Quatenus in notula 2
transmissa supponeretur, quod scribentes pro actore prætenderent, nimiumque insisterent, ut Paulus dicendus esset pręsuppositus immediatus, tamquam conjunctus, ac nepos Joannis Francisci; Dicebam tamen, quod istud (quatenus id interesset) videbatur contemptibile fundamentum, quoniam conjunctio sanguinis inter mandantem, & mandatarium, inducit siquidem unam ex pręsumptionibus ad probationem mandati pręsumpti, ex deductis *disc. 6. de judic. num. 3. & seqq.* Sed est simplex pręsumptio, quę sola absque aliis non sufficit, & multo minus dum exclusa remanebat a contraria probatione expressa, quod fuisset pręsuppositus Joannes Baptista, qui moriens in remota regione, istum pręposuerat per viam subrogationis.

Difficultatem tamen, ob quam ista inspectio inanis remanebat, consistere dicebam in puncto juris, cujus dispositione attenta dominus navis tenetur de facto magistri, 3
vel prępositi etiam mediati, quia scilicet ab eo, quem ipse pręposuerit, deputatus esset, ad textum expressum *in leg. 1. §. Magistrum autem secundo, ff. de exercitor. act.* ubi Baldus, & alii, cum quo pertranseunt Afflict. *dec. 89. nu. 9 in fine*, Stracc. Joannes de Evia, & alii relati per Rocch. *in ejus notabil. de navibus post secundum volumen cons. notab. 5. n. 9.* Et quamvis durum videatur, ut esse dicit Faber. *in rational. in eod. text.* Attamen dicebam

quod

quod econverso magis durum esset in foro ex sola repugnantia naturalis discursus obtinere contra id, quod expresse in jure decisum habetur, atque per Doctores communiter receptum.

Ac ulterius quidquid sit de hoc puncto in genere, & pro aliis casibus, quibus diversa congruat ratio; In hac tamen facti specie ob ejus particulares circumstantias, dicebam rationabiliter adaptabilem esse hanc legis decisionem, quoniam Paulus, qui a Magistro, seu Capitaneo, necessitate ita impellente, præsuppositus fuit, erat jam in munere ejus locumtenentis, seu Vicarii, qui proinde, ubi etiam præpositus non fuisset, de natura officii in locum defecti capitanei succedere debuisset, ideoque ita ejus substitutio jam prævisa, & præordinata fuerat ab eodem domino, additis etiam ratihabitione, & conjunctione sanguinis ita considerabili.

Hinc proinde restringi dicebam causam ad alteram inspectionem, an scilicet posita dicti Pauli culpa in faciendo illicitam deprædationem, pro ista adversus navis dominum, & præponentem, actio competeret ei, qui deprædationem passus est.

In hoc autem discurrendo, advertebam, domino navis assistere specialem auctoritatem, Roman. *consil.* 74. ubi deciditur, quod dominus navis non teneatur pro rubbaria facta per magistrum, seu præpositum, istamque auctoritatem, quæ reputatur in materia magistralis, sequuntur Ursill. ad Afflict. *dec.* 82. *n.* 1. Stracca *de navib. par.* 5. *versic. Scio alienum*. Rocc. *de navib. ut supra notab.* 11. *in fin. & notab.* 13. ex generali vera propositione, quod
4 mandatum non censetur datum ad delinquendum; Potissime vero, ubi mandatarii persona non sit diffamata, vel suspecta, sed potius bonæ opinionis, adeout imputari non possit mala electio.

Econverso contra dominum observabam facere doctrinam Bart. *in l.* 1. *§. familia*, *ff. de publican.* per illum
5 text. ut dominus teneatur de rubbaria magistri, seu præfecti navis, atque firmant etiam Afflict. & Ursill. *dict. decis.* 82. Bocr. *dec.* 56. Rocc. *ubi sup. notab.* 18.

Stantibus itaque præmissis hinc inde, dicebam pro declaratione idem, quod adeo frequens est mea dicendi consuetudo, ut scil. perpetuo erroneum censendum sit, cum hujusmodi generalitatibus, vel cum doctrinarum littera,
6 & in sola earum fide indistincte procedere, cum vera, & methodica forensium controversiarum decisio pendeat a casuum distinctione, ac singulorum qualitate, & circumstantiis; Illa tamen attenta generali propositione, vel di-
7 stinctione pro facti regulatione, de qua *sub tit. de locat. disc.* 9. *nu.* 5. *& seqq.* & alibi pluries; quod scil. aut præpositus delinquit circa opus cui præpositus est, & tunc dominus teneatur, aut extra illud, & tunc secus.

Ac propterea applicando ad rem, dictasque in oppositum doctrinas conciliando, advertebam, quod si ex. gr. agatur de navi oneratoria, & tunc si præpositus, seu magister rubbariam committat, seu alias in culpa sit in mercibus in ea oneratis, sive etiam in viatorum personis, teneatur de ista culpa dominus, quoniam dicitur delictum præpositi, circa opus, cui præpositus est, unde propterea si idem deviando ab eo munere, cui præsuppositus fuit, artem piraticam exerceat, atque in aliis navibus rubbarias, & illicitas faciat deprędationes, sive alias culpose agat extra illud genus, cui navis destinata est, tunc dominus teneri non debeat, atque in his terminis procedat prima propositio, quæ antesignanum habet Roman. *d. consil.* 74. In aliis autem procedat altera, quæ antesignanum habet Bart. *auth. l.* 1. *de publican.* Nisi in casu, in quo delictum famuli, vel præpositi sit extra opus, intret aliqua ex limitationibus late recensitis per Farinacc. *sub tit. de variar. crim. q.* 110. puta quia domino innotesceret mala qualitas præpositi, sive quod sciens non provideat, aut quod ratum habeat, vel deprædatum sit in ejus authoritate.

Et per consequens econverso ad rem si agatur de nave piratica principaliter destinata deprædationibus contra infideles, vulgo *per andar in corso*, tunc si magister, vel præpositus, deviando a munere suscipiat merces vehendas, atque in eis rubbarias, vel fraudes committat, dominus, teneri non debet, utpote extra opus, cui est præpositus; atque ultra fines mandati, juxta *d. dec.* 82. Afflict. ubi de prohibitione accipiendi merces mercatorum, circa quas casus contingit. Sed si delictum, vel culpa versetur circa ipsum munus, vel officium deprædationis, & exercitii artis piraticæ, quia nempe exercenda solum in bonis, & personis infidelium, ex deductis supra *in Melevitana deprædationis disc.* 170. & infra in alia *Pisana, seu Liburnien. disc.* 195. cum illis regulis, & justificationibus, quas præbeat usus communis navigationis, ista vero ars illicite exerceatur cum fidelibus, & amicis; Et tunc dicitur delinqui circa opus, cui præpositus est, & per consequens dominus tenetur; Et hic videbatur casus quæstionis.

Alia etiam ponderata ratione, ob quam posita culpa, nimiam sentiebam difficultatem contra requirentem, quod scil. delictum non esset personale Capitanei, seu magi- 8
stri, sed esset ipsius navis repręsentantis personam formalem, & intellectualem constitutam tam ex Capitaneo, quam ex militibus, & nautis, ac etiam ex tormentis bellicis, aliisque armis, seu instrumentis, adeout navis capta, vim, & deprędationem passa sit, non a fraude, & machinatione solius Pauli magistri, seu Capitanei, sed ab ipso corpore navis, ejusque potentia; Et per consequens, ubi etiam contra ipsum dominum, & præponentem in ejus persona, & in aliis bonis non competeret actio, adhuc tamen ista competeret contra ipsam navem damnificantem ex noxali actione, sive ex illa legis Aquiliæ, ad instar illius damni, quod inferat absque domini mandato, vel præpositione servus, quoniam non tenebitur quidem dominus de proprio ad emendam damni, sed tenebitur pati amissionem servi damnificantis, ut noxa pro noxa remaneat affecta.

Concludebam itaque; quod prætenti Joannis Francisci requirentis defensio non consisteret in jure, sed in facto, curando scil. excludere crimen, vel culpam præfati Pauli Præpositi, quasi quod in bona fide versatus fuerit, justamque assverationibus nautarum ipsiusmet cymbræ deprædatæ, credendi causam habuerit, quod illæ merces spectarent ad infidelem inimicum; Atque istius bonæ fi- 9
dei justæque credulitatis nimium probabile argumentum desumi videbatur ex tribus circumstantiis. Primo nempe ex qualitate loci, in mari scilicet sub dominio Turcarum, & proprie illum locum, ad cujus officialem, vulgo Agà, & merces pertinere pręsuppositum fuit; Secundo ob divisionem aliarum mercium, ipsiusque navis, vel cymbæ, ac ejus instrumentorum notabilis valoris, quoniam ubi in dolo versatus esset committendi rubbariam; & illicitam deprædationem, ita in omnibus sequuta fuisset; Et tertio ob participationem publice, & palam, & candide cum duabus aliis navibus sociis, seu *di conserva*, quas regebant duos milites Hierosolymitani, viri nobiles, & religiosi, in hac arte bene periti, ob caravanas, quas super ejusdem Religionis maritima classe in hoc munere persequutionis infidelium faciunt, adeout inter Christianos, Insula Melevitana videatur hujus ministerii metropolitica sedes, ac major universitas, vel schola; Ac propterea, quod ipsi navis domino expediret pro ejus jure, & interesse assumere defensionem forte neglectam, vel non bene factam ejusdem Pauli præpositi cum præfatæ sententię ejus condemnatorię revisione.

Posita etenim exclusione delicti, & culpę positivæ, adeout casui potius, actus referendus esset, tunc alia 10
non intraret actio, nisi de utili in rem verso, juxta ea, quę in materia ejus actionis competentis contra eum, qui nullam habeat obligationem ex contractu, vel quasi, aut ex delicto, vel quasi, habentur *sub tit. de credit. disc.* 72. Ideoque desuper ex defectu notitiæ, & circumstantiarum facti omnino maturum judicium efformare non potui.

Insinuavi tamen, quod quando aliud motivum ex facti circumstantiis non assisteret, tunc causa videtur periculosa, ideoque consului, quod magis expediret cum aliqua honesta concordia illi finem dare; Non potest etenim ejusdem administrationis in concernentibus ejusdem administrationem factum dividi, sed æqualis esse debet causa commodi, & incommodi, ut passim habemus in complimentariis, aliisque negotiorum administratoribus, unde quemadmodum præponens reportavit, vel reportasset commodum licitarum deprædationum factarum cum opera hujus ministri, ita econverso huic incommodo subjacere debet.

Ac propterea concluditur, quod juxta pene genericam hodiernam forensium controversiarum naturam, punctus 11
non est juris, sed potius facti, ex cujus particularibus circumstantiis singulorum casuum decisio pendet, non autem ex generalibus propositionibus, vel ex doctrinis, quæ in diversis casibus prodierint, cum quibus perpetuo erroneum est procedere absque his distinctionibus, & reflexionibus.

Juxta

Juxta præmissa ad favorem Cardi prodiit resolutio Ro-
13 tæ Florentinæ de mense Julii, vel Augusti 1675. nulla tamen dictorum articulorum facta discussione, vel examine, sed ea solo motivo limitationis dari solitæ ad regulam obligantem dominum de facto famuli, vel preponentem de facto Præpositi, de qua Farinacc. *d. quæst. 110. & alii recensiti dict. disc. 9. de locat. & alibi*, quod scilicet excusetur dominus, vel præponens si eligat, vel præponat personam bonæ famæ, inhærendo auctoritati Vares. *cons. 96. in civil.* ubi rejicitur *d. decis.* Afflict. sed id videtur ex adverso propositum; talia est frequens eventus causarum, ut earum resolutio sequatur ea minus considerabilibus, vel neglectis motivis ob ingeniorum varietatem.

PERUSINA REPRÆSALIARUM

PRO CAPITULO CATHEDRALI, ET TOTO CLERO,

CUM CIVITATE, ET THESAURARIIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Immunitatis, & resolutus pro Capitulo, & Clero.

De repræsaliis, a quibus, & contra quos exerceri possint, & de earum diversis speciebus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De Sacra Congregatione Immunitatis, & de quibus causis ad ipsam cognoscere pertineat.*
3 *Non attenditur qualitas personæ materialis, sed qualitas officii, ideoque si Prælatus exercet officium sæculare, habetur tamquam judex laicus.*
4 *De ratione ob quam Clerici, & Ecclesiastici solvunt onera, & gabellas in Statu Ecclesiastico.*
5 *Thesaurarius generalis Papæ est etiam Magistratus Ecclesiasticus.*
6 *An Episcopi, & alii inferiores Papa possint committere causas Clericorum Magistratibus sæcularibus.*
7 *De repræsaliis non concedendis contra Clericos.*
8 *Quod insolita non veniant sub mandato, seu delegatione generali.*
9 *Quænam sint vera, & propria repræsalia.*
10 *De quadam repræsalia judiciali etiam in causis privatorum.*
11 *De repræsaliis contra cives pro debito Civitatis, & de illarum ratione.*
12 *Ad quod cives cogi possint pro occurrentiis, & debitis Civitatis, vel Communitatis.*
13 *De ratione resolutionis, & quare cum Clericis non debeant practicari repræsalia, de quibus nu. 11.*

D I S C. CLXXXI.

Cum in Statu Ecclesiastico immediato ex rationibus
1 insinuatis supra *disc. 55. & 56.* modica, peneque nulla sit ecclesiasticæ immunitatis realis praxis, dum Ecclesiæ, & Clerici, aliæque ecclesiasticæ personæ plerisque oneribus, & gabellis subjacent, præsertim illis, quę Cameralia dicuntur, ut etiam patet ex deductis *disc. 26. de Regalibus, & alibi*; Hinc inter singulorum locorum Communitatem laicalem, & Clerum, controversiæ haberi solent super hujusmodi onerum repetitione, ac supportationis modo, prout contingit in hac Perusina Civitate, in qua ea Arbitrorum laudo emologato, quædam annis decursis prodiit concordia, ad cujus limites prætendentibus tam Civitate, quam Appaltatoribus Cameralibus, sub Thesaurariorum vocabulo explicari solitis, Clerum, & Capitulum in cujusdam notabilis summę solutione morosum esse, obtenta a Thesaurario generali Urbis, generali communicatione ejus facultatum, ejusdem Civitatis, ac Provinciæ Umbriæ Gubernatori, qui pro istius Principatus stylo in Prælaturæ statu, quinimo etiam in Episcopali dignitate constitutus erat, de istius mandato repræsalia commissa fuit in persona cujusdam qualificati Canonici Cathedralis, qui supponebatur Syndicus, & administrator, vel superintendens negotiorum Cleri, illum indecenter detrudendo in carcerem, a quo ut se liberaret, coactus fuit summam prætensam deponere; Quare adversus hunc actum habito recursu per ipsum Capitulum, ac universum Clerum ad Sacram Congregationem Immunitatis post trinam propositionem sub die 18. Decembris 1674. prodiit resolutio in præcedentibus propositionibus, ex Cameralium oppositionibus, & subterfugiis dilata ad favorem Cleri, & Ecclesiasticorum tam pro isto actu particulari, quam generaliter in futurum, hujusmodi scilicet repræsalias, quamvis cum sæcularibus practicari solitas, illicitas esse cum Clericis; cum quibus practicari non possent, nec deberent.

In disputationibus itaque desuper habitis, me pro Capitulo, & Clero scribente, duæ fuerunt inspectiones; Una scilicet ordinis, vel jurisdictionis, & competentiæ hujus Congregationis Immunitatis; Et altera meritorum negotii principalis super licita, aut illicita repræsalia contra aliquos Clericos particulares pro universali, vel communitativo debito Cleri, seu Capituli.

Quatenus pertinet ad primum; Dicebam Camerales
scribentes pro Thesaurariis, & Civitate, incongruum esse 2
recursum ad hanc Sacram Congregationem Immunitatis, ipsamque proinde incompetentem censendam fore, quodque causa remitti deberet ad suos Judices ordinarios, prout de jure, qui judicarent, an bene, vel male dictus Gubernator a Thesaurario generali desuper delegatus, in hoc se gesserit; Ista namque Sacra Congregatio Immunitatis, ex insinuatis in Relat. Curiæ *disc. 17.* ac etiam in Miscell. Eccles. *disc. 2. & 4. cum seqq.* sub Urbano VIII. erecta fuit pro jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiæ conservatione, & defensione adversus laicorum magistratuum perturbationes, & præjudicia; secus autem, ubi contra Clericos, vel Ecclesiasticas personas processum fuerit cum auctoritate Judicis Ecclesiastici, generalem, seu habitualem cum eis competentiam habentis, quoniam si actualis incompetentia allegetur, sive unius ex pluribus æque competentis major competentia, juxta tot quæstiones, de quibus in sua sede *sub tit. de jurisd. disc. 1. & seqq. & per tot.* ac etiam in dicta Miscell. Eccles. *disc. 16. & 22. & seqq.* ad Sacras Congregationes Episcoporum, & Concilii, sive ad unam, vel alteram Signaturam Gratiæ, vel Justitiæ cognitio pertinet, non autem ad istam Congregationem Immunitatis, quæ super prædicto solum causarum genere erecta est, atque ita istando pro remissione causæ ad Thesaurarium generalem, quod idem importabat, ac succumbentiam omnimodam hujus partis in negotio principali, dum ex pluries insinuatis *d. titul. de jurisd. & alibi*, frequenter contingit, quod ex qualitate Judicis, vel Tribunalis pendet decisio.

Scribens econverso pro competentia jurisdictionis hujus Congregationis, quæ in prima causæ propositione se talem declaravit, dicebam præmissa recte procedere, quando nulla laicalis potestatis quæstio, vel mixtura desuper caderet, quia nempe repræsalia facta esset per Episcopum, vel alium Magistratum mere Ecclesiasticum, secus autem in casu, dum illa facta erat de mandato ejus, qui personam, seu figuram gerebat Gubernatoris, vel Præsidis sęcularia, unde manat violatio jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticę.

Neque obstare advertebam, quod persona materialis, quę hunc Magistratum exercebat, esset in Prælatura, &
in Ecclesiastica dignitate constituta, quoniam non quali- 3
tas personę materialis, sed illa personę formalis, & muneris in hoc proposito attendenda venit, juxta casum, de quo *sub tit. de jurisdict. disc. 65.* quod scil. ille Pontifex Regni Neapolitani, de quo ibi agitur, constitutus erat in dignitate Cardinalitia, ac etiam Archiepiscopali; & tamen consideratur, tamquam Princeps, seu Magistratus sęcularis; idemque in casu, de quo *disc. 4.* Miscell. Eccles. & *eod. tit. de jurisdict. disc. 1. & seqq.* de Magno Magistro Religionis Sancti Joannis Hierosolymitani in Insula Melevitana, & de ejusdem Religionis Prioribus, & Commendatariis, quamplura dominia temporalia possidentibus, quoniam licet sint personę Ecclesiasticę & capaces Ecclesiasticæ jurisdictionis, quam actu exercent, etiam cum Clericis, & cum aliis Religiosis professis, vel servientibus, habentibus requisita, de quibus *disc. 4. de jurisd.* Attamen in iis, quæ concernunt dominium, vel Magistratum sæcularem, considerantur tanquam sęculares violatores ecclesiasticę jurisdictionis, & immunitatis.

Atque in fortioribus terminis habemus in ipsamet Urbe, & Statu Ecclesiastico, & in persona ejusdem Pontificis, ejusque Tribunalibus, & Magistratibus, quod in iis, quę concer-

concernunt dominium, & regimen temporale, pro mere sæcularibus habentur, quoties non accedat voluntas Papę conjungendi utrumque gladium, & utramque potestatem, ex pluries insinuatis sub diversis locis, & præsertim *disc. 37. de judic.* occasione agendi de Ægidiana, & in Relat. Curiæ *disc. 4. 25. & 36. & in aliis*, agendo de ipso Papa, & Gubernatore Urbis, ac etiam de Congregatione Consultæ, & similibus officialibus.

Et quamvis emolumenta hujusmodi onerum cedant ad commodum ejusdem Cameræ Apostolicæ, sive solvantur
4 per sæculares, sive per Ecclesiasticos; Attamen diversa est causa debendi, atque in hac parte Papa duplicem respective gerit personam, ipsaque Camera duplicem diversam habet speciem, ex insinuatis supra *d. disc. 55.* ubi etiam insinuatur, id verificari quoque in aliquibus Principibus sæcularibus, & præsertim in Rege Catholico ex Apostolicis concessionibus exigente pleraque subsidia, & contributiones ab Ecclesiasticis, ac etiam gerente personam Prælati, ac magni magistri plurium militarium Religionum, sed non per hoc exercet hujusmodi jura Ecclesiastica, vel spiritualia per Magistratus, & Tribunalia Principatus sæcularis, dum adsunt proprii Magistratus Ecclesiastici.

Quo vero ad aliam inspectionem, dicebam, quod ex præmissis constabat de inefficacia delegationis, vel com-
5 municationis facultatum factæ per Thesaurarium generalem, qui absque dubio dicendus venit Magistratus mixtus, habens sibi a Papa communicatam utramque potestatem, cum sit collector generalis spoliorum ecclesiasticorum, aliorumque jurium Cameræ Papæ, uti Papæ, præscindendo a Principatu temporali etiam extra dominium temporale Ecclesiæ, dum est Judex appellationum, & recursuum a Nunciis, & Collectoribus Apostolicis, aliisque Cameralibus officialibus, & ministris per universum Orbem Catholicum, ex deductis in Relat. Curiæ *disc. 35.*

Verum hanc potestatem committere non potuit d. Ma-
6 gistratui sæculari cum Clericis, cum soli Papæ id concedatur, quoties agatur de judicando, & exequendo judicatum proprium, secus autem, ubi de exequutione nudi facti mandatorum, & judicati Magistratus Ecclesiastici competentis, unde propterea receptum habemus, quod Episcopus, vel alter Prælatus, Papa inferior non potest deputare laicum in Vicarium generalem, & foraneum, sive causas contra Clericos præsertim criminales, vel civiles circa coercitionem personarum, quidquid sit de judiciis mere realibus in bonis, ex relatis frequenter per modernos collectores, præsertim Barbos. *de Episcop. alleg. 54. num. 4.* Peregr. *de Vicar. in princip. pag. 2. n. 4. & passim.*

Quinimo ad rem dicebam, quod probabilius respectu Clericorum, & Ecclesiasticorum, neque in ipsomet Thesaurario adesset ista facultas repræsaliandi, quamvis illam absque dubio habeat, & exerceat cum laicis, cum quibus
7 etiam conceditur appaltatoribus in appaltibus Cameralibus, eo quia cum laicis pro debitis, & contributionibus fiscalibus, id videtur ex communi consuetudine, præsertim Italiæ, passim receptum, & connaturale pro debitis scilicet Communitatum exequendis in bonis, & personis aliquorum civium, ut infra; In Clericis autem, & personis Ecclesiasticis repræsaliæ sunt expresse prohibitæ per decretum Concilii Lugdun. *registrat. in cap. unic. de pen. in 6.* ubi Doctores relati per Carol. de Graff. *effect. Cler. 33. n. 1. & 2.* Barbos. *in Collectan. ad idem cap. unic.* Cohell. *ad Bul. bon. regim. cap. 12. n. 32 & n. 72. & seqq.*

Quamvis enim revera ista prohibitio percutiat casum diversum, ubi scilicet agatur de faciendo repræsalias in per-
8 sona, vel bonis Clericorum pro delicto, vel debito laicorum, unde propterea non videtur, quod capiat casum, in quo agatur de debito ipsorum Clericorum, eorumque Communitatis, ut pro absoluto habuit eadem Congregatio; Attamen quia id est insolitum, & nunquam practicari consuevit, ideirco dicebam, & hæc Sacra Congregatio, admisit intrare conclusionem, de qua *disc. 1. de emphyteusi, & aliis*, quod scil. in generali concessione jurisdictionis & facultatum facta Vicario, vel alteri Magistratui non veniant insolita, ut etiam occasione agendi de alia specie repræsaliarum, ut infra, quando non obstet consuetudo, aliis relatis plene firmatur apud Arias de Mesa, *resolut. 22. lib. 2.* dum in hoc totum facere videtur consuetudo.

Ad id autem comprobandum, occasione quoque respon-
9 dendi multis auctoritatibus, quas desumptas, vel transcriptas ab Arias de Mesa *d. lib. 2. cap. 11. cum plurib. seqq.* deducebant scribentes in contrarium; Advertebam, quod illę repræsaliæ, de quibus antiqui Doctores loquuntur; & præsertim Bart. qui particularem desuper edidit tractatum, & quarum facultas connumeratur inter regalia majora Principi reservata, longe diversam habent speciem, dum proprie dicuntur illæ, quæ fiunt in personis, vel bonis subditorum alterius Principis, vel Civitatis in proprio Principatu, vel Civitate, ad effectum cogendi d. Principem, vel Civitatem, ut abstineat ab aliquibus actibus prejudicialibus ipsi repræsalianti, vel ejus subditis, ut nostra ætate frequens praxis docuit in dominiis Regis Catholici, quod repræsaliæ positæ fuerunt in bonis, & juribus Januensium, aliarumque Nationum ob gesta Reipublicæ, vel alterius Principis, istarumque repræsaliarum occasione, Arias de Mesa utpote desuper consulens, disputat quæstionem, an Vicarius Regis, qualis est Prorex Regni Neapolitani, hanc habeat potestatem, concludendo affirmative potius, ratione consuetudinis, & observantiæ, & ob nimiam amplitudinem mandati, & facultatum istius Magistratus.

Istarumque repræsaliarum ad instar, per quandam earum speciem, vel imaginem inolevit etiam in Magistratibus, & Tribunalibus usus exequendi judicatum in una 10
re, loco alterius, juxta *decis. 149.* Bichii, cum aliis relatis *disc. 40. n. 47. de judic.* ac etiam insinuatur *sub tit. de feud. disc. 56. & alibi.*

Diversa est species hujusmodi repræsaliarum, de quibus agebatur, dum istæ tales improprie dicuntur ex quodam usu loquendi, istæque non habent illam exorbitantiam, quam habent præcedentes, neque revera dicendæ veniunt de regalibus majoribus supremo Principe, præcise reservatis, quoniam licet non habeant juris assistentiam, non ta- 11
men habere dicuntur omnimodam resistentiam, ex ea ratione, quod omnes cives dicuntur debitores erga Principem, vel Rempublicam pro tributis, & collectis, aliisque publicis oneribus, & contributionibus, atque Communitates, tamquam corpora ficta, & inanimata de per se, aliud non sunt, nisi quædam arca, seu bursa omnium Civium, qui cum singulorum collectis, & contributionibus, aut cum assignatione illorum jurium, & emolumentorum, quibus seipsos privant, juxta insinuata supra *disc. 24. & seqq.* ac etiam *disc. 35. & seqq. de servit. & disc. 2. de feud. & alibi*, illam arcam, seu bursam implent, ut ita commode promptam Principis, vel Reipublicæ Quæstores pro publicis urgentiis habeant, & per consequens, quando iidem cives id negligunt; ex quadam generali consuetudine introductum est ex boni publici motivo, atque ut prompte publicis urgentiis occurri valeat, cogendi aliquos cives divites, magisque idoneos ad promptam solutionem, ut deinde ipsi ex singulorum collectis, & contributionibus reintegrentur; Ita inferendo stimulum, ac timorem ditioribus, & potentioribus, penes quos Communitatum regimen, & directio esse solet, alicujus majoris solicitudinis super singulorum collectis, & contributionibus.

Ad instar eorum, quæ insinuatur etiam supra *disc. 44. & 45.* ut calamitoso tempore belli, penuriæ, aut pestis cogi possint divites, ac idonei cives exhibere, & vendere tri- 12
ticum, aliaque victualia, sive pecuniam pro illorum emptione mutare, aut se obligare de proprio erga creditores Communitatis, qui nolentes Communitatis fidem sequi, exigere solent obligationem aliquorum civium particularium, juxta casus relatos *sub tit. de alien. & contract. prohib. & alibi*, in proposito obligationis particularium pro Communitate.

Est itaque ista repræsalia impropria, ita nuncupata ad instar, totaque provenit a consuetudine, de qua testantur Bart. & alii relati per Cohell. *ad Bul. bon. regim. d. c. 12.* Et per consequens cum in hoc totum faciat consuetudo, istaque non adsit in Clericis, aliisque personis Ecclesiasti- 13
cis, ita resultat, quod ea indebite practicata fuerit, non bene arguendo a praxi, quæ habetur cum laicis, dum ex insinuatis *d. disc. 55.* ex diverso jure, diversaque persona collectæ, & contributiones, aliaque onera exiguntur ab Ecclesiasticis, quæ exiguntur a laicis, quamvis de facto eadem videatur Camera, seu bursa, atque ex ipso motivo deficientis consuetudinis potissime, prodiit resolutio, quę justa, beneque fundata visa est.

R O.

ROMANA LIBERTATIS,

PRO ISAACH AROVAS HEBRÆO ORIENTALI,

CUM N. N.

Casus disputatus coram Vicesgerente.

An Hebræi Orientales domicilium habentes in locis de dominio Turcarum, efficiantur servi Christianorum, a quibus vi bellica in terra, vel mari capiantur; Et quid de ipsismet Christianis subditis infidelium; Et de Christianis apostatis.

S U M M A R I U M

1. *Facti series.*
2. *De potestate Magni Magistri Hierosolymitani in Insula Melevitana.*
3. *Princeps potest servos libertate donare.*
4. *Quando id procedat, & an attendi debeant litteræ testimoniales libertatis.*
5. *De privilegio Apostolico concesso Judæis an possint effici servi.*
6. *Quomodo istud privilegium veniat intelligendum.*
7. *De eodem Magistro, de quo nu. 2. & in quo subjaceat Sedi Apostolicæ.*
8. *De depradationibus bonorum subditorum Principis inimici, & quid quoad personas.*
9. *De statu Judæorum, & quorum sint capaces, eorumque materia.*
10. *De differentia inter Judæos, & Turcas, & an Judæi efficiantur servi.*
11. *Declaratur propositio, quod Christianus non habet servum Christianum.*
12. *Christiani apostatæ vulgo rinegati capti, si dicant velle redire ad fidem, an donentur libertate.*

D I S C. CLXXXII.

1 TRaducto ad oras Portuenses vulgo Fiumicino, sive ad ripam Urbis in quadam Navi, vel Cymba Melevitana in forma servi a pluribus annis capto in navi Turcarum Isaac Hebræo Orientali, curavit Universitas Hebræorum Urbis, de hoc certiorata, illum attestari, ne alio duceretur, assumendo illius libertatis opus ex duplici motivo coram Vicesgerente Cardinalis Vicarii; Primo nempe ob litteras Magni Magistri Religionis Hierosolymitanæ, in qua ille enunciatur olim servus, nunc manumissus, & liber, hortando omnes, ut eum, tamquam liberum tractent, neque tamquam servum tractari, seu molestari permittant, juxta hujusmodi litterarum patentium, seu testimonialium consuetam formam; Et secundo, quod tam de jure, quam ex Apostolico privilegio Sixti V. hebræi libertatem commercii habeant cum Orientalibus subditis Imperatoris, vel Tyranni Turcarum, quodque propterea non possint per Christianos effici servi, ex eo quod in Turcarum navibus inveniantur.

In disputatione itaque desuper habita, in qua pro hebræi libertate ad Universitatis instantiam scribebam; quatenus pertinet ad primum punctum, quo subsistente, inanis labor erat agere de altero, ille videbatur potius facti, quam juris; Non negabant etenim scribentes proco, qui se dominum prætendebat, atque servitutem allegabat, ea, quæ a me dicebantur super fide præstanda dictis litteris Magni Ma-
2 gistri, qui Insulæ Melevitanæ est Princeps cum supremo Imperio, & regalibus majoribus, ex deductis *hoc tit. sup. disc. 126. & disc. 69. de jurisd. & disc. 4. Miscell. Eccles.* & per consequens cum ipse aliquem in sua ditione liberum declarat, tali declarationi deferendum est, ob facultatem, quam Princeps habet donandi servis libertatem, ad text. *in leg. fin. &*
3 *tot. tit. ff. de natal. restit. cum concord.* apud Rovit. *super pragmat. in rubr. de serv. manum ff.*

Dicebam tamen id recte procedere, quando litteræ non essent fiduciariæ, & in gratiam ipsius domini, cujus intererat, ut ille servus redimeretur, ideoque admonitus, quod illum traducendo ad Urbem, Universitas hebræorum Urbis, vel probabilius altera hebræorum Orientalium Anconæ, de qua contradistincta ab hebræis occi-
4 dentalibus, habetur supra *disc. 104.* redimeret; hinc proinde ipsemet dominus de hujusmodi litteris in discessu sollicitus fuit, ut contingente casu redemptionis, illa prompte practicabilis esset, juxta stylum quo hujusmodi attestationes dari solent, ac propterea, ut præmissum est, dicenda erat quæstio potius facti, quam juris; Ideoque reflectendo ad veritatem, mihi quamvis in contrarium scribenti, probabile videbatur, non solum ob aliquas justificationes quæ desuper dabantur, de quarum efficacia in stricta juris censura, nimium dubitari potuisset, sed potissime ex argumento resultante ab eo, quod istæ litteræ non essent penes ipsum hebræum, qui se liberum contendebat, sed penes illum, qui tamquam dominus, illum ducebat vinctum in statu servitutis; Addita etiam probabilitate, seu bona fide resultante ab accessu ad Urbem, vel ejus portum libere, & publice, cum tamen notorium sit in eadem Urbe adesse Universitatem adeo numerosam, & considerabilem hujus sectæ, ideoque insimul consideratis omnibus circumstantiis, cum regula, ut singula, quæ non prosunt, &c. videbatur quod ita se haberet rei veritas.

Quo vero ad alium punctum, illum distinguebam in duas inspectiones, unam scilicet particularem resultantem a privilegio Sixti V. Et alteram in terminis generalibus juris communis.

Super prima, scribendo more Advocati ad causæ opportunitatem, dicebam, quod ita intraret vulgaris regula sæpius enunciata, *text. in l. ille, aut ille, ff. de leg. 3.* quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumen-
ta, cum privilegium sit litterale, atque descendat ad speciem illorum hebræorum, qui in partibus Orientalibus sub dominio Turcarum, cum navigatione commercium habeant; Neque dicebam dubitandum esse de potestate, quoniam absque necessitate assumendi altiorem inspectionem super potestate Papæ in temporalibus, in toto mundo, & in alienis Regnis, & Principatibus, & super quam aliquid insinuatur in Relat. Curiæ *disc. 2.* cessabat difficultas ex facto, dum persona erat in Urbe sub dominio temporali Papæ, ac etiam ille, qui de servitute contendebat, subditus dici poterat, utpote de Insula Melevitana sub dominio Magni Magistri Hierosolymitanæ Religionis, qui est subditus Papæ, adeout ab ejus sententiis ad Papam, ejusdem Curiam appelletur. 5

Multoque magis dicebam, dicto privilegio deferendum esse, dum constabat de ejus praxi, vel observantia sub Clemente VIII. quod in consimili casu per sententiam particularem Congregationis trium Cardinalium, alter hebræus liber declaratus fuit.

Verum reflectendo ad veritatem, dubitabam de motivi relevantia, ut juxta stylum ab initio requirentibus insinuavi, quoniam ex præfati indulti, seu privilegii tenore liquet, illum concessum fuisse per Papam, tamquam per temporalis ditionis Principem, non autem tamquam Papam pro regimine Ecclesiæ Universalis, eodem modo, quo sunt aliæ provisiones, de quibus *sub tit. de Usur. disc. 6. & alibi pluries*; Cum etenim ex insinuatis supra *d. disc.* 6
104. in Anconitana præsertim Civitate magis apta navigationi, & commercio partium Orientalium, vivant hujusmodi hebræi Orientales, adeout particularem constituant Universitatem contradistinctam ab Occidentalibus, ita congruum fuit concedere libertatem commercii cum illis regionibus active, & passive, ut scilicet illi, qui in dicta Civitate Status Ecclesiastici, aliisque partibus morantes, ad illas partes infidelium accederent, causa negotiationis, ac etiam ii, qui in illis partibus Domicilium habentes, ad nostras venire possint, tamquam per communicationem commercii, ob quam ab uno Principe concessam ex quadam communi lege congruentiæ, quæ gentium dici solet, omnes alii Christiani Principes, per quorum territoria transire contingat, non permittent eos deprædari, ac servos effici; Secus autem, ubi de his agatur hebræis, qui non ex causa hujus negotiationis, vel commercii jam concessi, sed in Turcarum navibus militent, aut itinerantur, dum etiam ipsorummet Turcarum, & infidelium negotiatorum, cum nostris Regionibus idem commercium 7
quandoque haberi solet, eisque ista conceditur assecuratio. Et quoad superioritatem Insulæ Melevitanæ ponderabam obstare posse ea, quæ habentur *dict. disc. 69. de jurisd.* ut scil. superioritas sit in iis, quæ concernant ipsam Religionem, ejusque regimen, & in quibus ipse Magnus Magister consideratur tamquam ejusdem Religionis Prælatus; Secus autem in temporalibus, in quibus gerit personam diversam feudatarii Regni Siciliæ.

Quo vero ad alteram inspectionem in terminis generalibus juris communis; Præsupposito assumpto, ex com-

muni

moni consuetudine recepta, ut ea, quæ in Jure statuta
8 sunt, tam super deprædationem bonorum hostium, quam super servitute personarum, hodie inter Christianos, quamvis inimicos, procedant solum quoad bona, non autem quoad personas, quæ fiunt quidem vinctæ ratione carceris, non autem in ratione servitutis, eo quia Christianus non habet servum Christianorum, quamvis hereticum, vel schismaticum, ideoque jus veræ servitutis inter solum cum Turcis, aliisque Mahumetanæ sectæ sequacibus, qui proprie dicuntur nostri hostes, ex deductis apud Mastrill. *decis. 254. repetit.* apud Castill. *decis. 107. cum aliis*, de quibus in Meleviana deprædationis in hoc eod. Supplem. *disc. 150.* idcirco stante hoc præsupposito, advertebam, punctum esse, quid dicendum veniret in isto casu mixto, quod scilicet non ageretur neque de Christianis, neque de infidelibus Mahometanis, sed de tertia specie professorum sectæ Judaicæ, an scil. potius sub Christianorum, vel sub infidelium genere in hoc proposito venire deberent.

In hoc autem, retento eodem themate scribendi more Advocati ad causæ opportunitatem, deducebam ea, quæ cum consueto illius, alioquin docti Auctoris prolixo nauseanto stylo habentur apud Paris. *cons. 2. lib. 4. in princip.*
9 quod scil. quamvis apud Deum Judæi criminosi, & delinquentes censendi sint, utpote in eorum perfidia perseverantes, atque veritatem Redemptionis agnoscere nolentes, ac propterea servi reputentur; attamen id improprie procedit ad prædictum, scilicet effectum fori interni apud Deum, & Ecclesiam, sed in foro externo habentur tamquam liberi, & cives, eodem modo, quo Christiani, adeout gaudeant omnibus favoribus, & privilegiis, ac statutis, & legibus, quibus alii cives, etiam in iis, quæ fundata sint in æquitate, & contra ipsosmet Christianos ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de servit. disc. 70.* occasione competentiæ retractus, & generaliter occasione privilegiorum minoris, vel occasione lucri dotalis *sub tit. de dote*, & occasione facultatis faciendi fideicommissum, *sub tit. de fideicomm. & alibi*.

Atque discurrendo etiam per rationes, dicebam, quod quamvis Judæi sint infideles, non tamen sunt publici hostes generaliter, & in generica prohibitione commercii, ut sunt Turcæ, dum Ecclesia in ipsamet Urbe ejus Metro-
10 poli, & in nullis locis permittit eorum commercium, adeout habeantur potius tamquam cives, vel pacifici amici; Ponderata etiam alia notabili ratione differentiæ inter Mahometanos, & Judæos, quod scil. illa secta in ejus introductione habuit formalem apostasiam a fide Christiana jam introducta, & dilatata, unde prout in ejus injuriam, & destructionem, vel diminutionem, cui sectarii quotidie student male scil. ac tyrannice tractando Christianos, eosque incapaces reputando omnium munerum, & honorum, quorum capaces reputant, quando apostatando a fide, eorum amplectantur sectam, & sic est continua pugna contra Christianos, tam cum vi bellica, quam cum ista vi interpretativa; E converso autem secta Judæorum, antequam compleretur mysterium Redemptionis, erat religio sancta, & a Deo probata, ipseque populus electus, ex quo Verbum æternum carnem suscipere voluit, atque ex ea habemus Apostolos, aliaque magna Christianæ fidei luminaria, ut advertitur *in disc. 34. Miscellan. Eccles* occasione agendi de puncto, an esse de sanguine Judæorum inducat irregularitatem pro assequutione ordinum, & beneficiorum? Continuatio autem in eadem, non redolet apostasiam, seu novum crimen, sed solum continet errorem, ac perfidiam, non recipiendi, & credendi adventum Christi, & implementum mysterii, per quod eorum legis mystica, & cæremonialia evacuata fuerunt, unde propterea exinde immutata natura ex religione, effecta est secta, & sic est simplex perseverantia in antiquo statu, quem credunt adhuc esse licitum, ut antea, ideoque valde notabilis dignoscitur differentia inter unam, & alteram sectam.

His tamen non obstantibus, reflectendo ad veritatem, contrarium credebam probabilius ex defectu applicationis præmissorum ad casum; Præmissa etenim recte procedunt, ac vera sunt in illis Judæis, qui more civium, & subditorum vivunt in proprio Principatu, vel in altero etiam Christiano amico, sive indifferenti; & non
11 inimico, sed ubi vivunt in Principatu inimico, adeout intret ratio publicæ hostilitatis, tunc etiam hodie inter Christianos viget ratio belli, & depredationis respectu bonorum, quæ jure belli fiunt deprædantium, ex deductis fusius in hoc Supplem. in dicta Meleviana deprædationis *disc. 170. & sub titul. de feudis discurs. 25. & alibi.*

Eatenus autem non practicatur deprædatio personarum in forma antiqua veræ captivitatis, & servitutis, sed solum in forma carcerationis, quatenus ita induxerit consuetudo ratione identitatis religionis, quod Christianus Christianum non habeat servum, & de quo late aliorum collector, Diana *tom. 11. resol. tract. 3. Miscell. resol. 1.* Et sic tamquam per speciem limitationis regulæ introductæ a consuetudine; Ideoque duplex intrat recepta propositio; una scil. prohibitiæ extensionis limitationis, quæ in jure reputatur stricta, & odiosa; Et altera prohibitæ extensionis consuetudinis, attendendo an casu individuo, & præciso, ex deductis *sub tit. de judic. disc. 35. & sub tit. de benefic. disc. 30. & alibi*; Ideoque Judæi subditi Principis hostis remanent sub regula.

Præterea occasione illius causæ, per modum tamen simplicis discursus, maturo non efformato judicio, cum causæ necessitas, vel opportunitas non exigeret; Cogitabam quod d. proposito, ut inter Christianos non detur jus captivitatis, quamvis inter eos ratione heresis, vel schismatis circa articulos fidei, quam omnes pari formiter profitentur, aliqua dignoscatur diversitas, & de quo in specie Diana *d. resol. 1.* ubi concordantes, ut scil. id procedat, ubi bellum esset inter Principes Christianos, inter quos regulariter non obstante diversitate Religionis circa speciem, non autem circa genus, esse solet pax, & amicitia, & commercium, & quandoque etiam confœderatio, adeout bellum sit accidentale, ut docet quotidiana praxis Regnorum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, & Sueciæ, ac Danimarchiæ, & similium, ac tot Principatuum Germaniæ superioris, & inferioris, quoniam licet bellum sit inter Catholicos, & Hæreticos, attamen omnes sunt in eodem Orbe Christiano cum inimicitia accidentali, adeout schisma, vel hæresis non tollat unitatem fidei in genere inter Principatus, & Principes.

Secus autem in illis Christianis schismaticis subditis Imperio Turcarum, & qui in ejus exercitu militarent, vel alias in Turcarum navibus existentes jure belli, & deprædationis, deveniant in posse Christianorum, quoniam sicuti non implicat, ut servi Mahometani, si deinde Christianam fidem amplectantur, adhuc tamen in servitute perseverent, unde propterea Christianus habeat servum Christianum, quamvis Catholicum. Ita non videtur quænam adsit implicantia, ut Christianus habeat servum Christianum schismaticum, & subditum ejus, qui est perpetuus, ac naturalis inimicus nominis Christiani in universum.

Ac propterea dict. propositio, ut Christianus non habeat servum Christianum, recipienda videtur, ubi agatur de bello inter Christianos accidentali, non fixo, & naturali, adeout inter eos dari valeat reconciliatio, & amicitia, sive practicari valeat permutatio carceratorum belli; secus autem ubi cum isto bello perpetuo, & irreconciliabili, quoniam isto casu, cessante d. ratione, duo dari possent inconvenientia Christianis præjudicialia; Primo nempe, quoniam ita libentius possent, & vellent Turcæ habere milites Christianos eorum subditos, illosque in navibus pyraticis adhibere in milites, & nautas, dum ita certi sunt, quod non efficientur servi, ex quo resultaret nostris præjudicialis inæqualitas, & Claudicatio Christianis, dum e converso nostri, quatenus ab eis vincantur, indifferenter servi efficiuntur.

Et secundo quia potius damnosa, & præjudicialis victoribus, & capientibus esse victoria, dum oporteret alere tot carceratos inutiles, adeout expediret potius in conflictu belli, vel post obtentam victoriam, eos trucidare, quod esset magis inconveniens, magisque inhumanum, ac præjudiciale ipsismet captis, cum in eis non viget illa ratio æqualitatis, quæ consideratur in bello inter Christianos super permutatione, & reciproca restitutione carceratorum, etiam durante bello, & multo magis in casu pacis, vel treguæ.

Tunc autem dictam propositionem de Christiano non faciente servum Christianum, etiam schismaticum, procedere advertebam, quando agatur de illis Christianis, qui more civium vivant in Civitatibus, & locis, quæ antiquitus erant de dominio Christianorum, & per Turcas tyrannice occupati sint, & a quorum manibus, vi bellica recuperentur, sive etiam, ubi non sequatur formalis recuperatio cum perseverantia, sed solum fiat deprædatio, vulgo *Sacco*, quasi quod ipsi Christiani potius id desiderent, atque nostris opem ferre curent, ut eorum obtineant libertatem a tyrannide, & servitute, eodem

modo

modo, quo juxta frequentem praxim, contingit in illis Christianis, qui in Turcarum captivitate existentes, tamquam servi remigent in eorum triremibus, aliisque navibus, quoniam inviti in pugna cooperari coguntur, & per consequens gaudent potius de succumbentia, quam de victoria eorum, pro quibus operantur; Secus autem ubi veniant sub deprædatione, eodem modo, qua bona; Adhuc tamen maturiori judicio hæc reservata sint.

Prout frequenter contingente casu, quod in navi-
12 bus, & in triremibus Turcarum inveniuntur Christiani apostatæ, vulo *Rinegati*, dubitari contingit, quomodo cum eis sit procedendum, & an efficiantur servi vel potius donari debeant libertate, si dicant, id egisse per vim, & metum, atque sint prompti abjurare apostasiam, & reverti ad fidem; Et in hoc me remittendo judicio S. Congregationis Universalis Inquisitionis, ut etiam in aliis, de quibus supra; Quatenus pertinet ad hunc punctum prophanum libertatis, videtur quod eadem Congregatio procedat cum distinctione, quod si apostasia sequuta est de tempore infantiæ, vel alias in statu imperfecti judicii absque eo, quod esset instructus in fide, restituatur libertati; Si vero in ætate adulta inspiciendum, an sit captus pugnando more hostis, & tunc remaneat servus in pœnam apostasiæ, sub ea tamen restrictione, ut non possit vendi, vel dari in excambium infidelibus, ad quos redire possit, sed si sponte pœnitens compareat, aut quod navim ascendisset, ut facilius ad partes Christianorum confugeret, animo redeundi ad fidem, vel consimilem justificet excusationem, donetur libertate, ita tamen, ut tam baptismatis ab eo asserti, quam aliarum excusationum, adsit sufficiens justificatio, quoniam quando agitur de præjudicio tertii non admittitur illa probatio baptismatis ex ejus assertione, & unico teste, juxta distinctionem, de qua apud Mascard. *de probat. conclus.* 163.

JANUEN. SEU MEDIOLANEN. LOCORUM MONTIUM.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

Argumentum, vel diminutio locorum Montium sequuta intermedio tempore inter venditorem, & translatorem, cujus commodo, vel incommodo cedat, an emptoris, vel venditoris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Cujus sit periculum, an emptoris, vel venditoris.*
3 *De peculiari natura venditionis locorum Montium, & de effectibus exinde resultantibus circa eorum commercium.*
4 *Promissio de vendendo producit actionem ad interesse.*
5 *An adimplementi defectus resolvat contractum.*
6 *Adimplementum per terminum conventum, an sufficiat.*
7 *Quandoque negligi solet translatio in emptorem, & de ratione.*
8 *Quando intret actio ad damna, & interesse.*
9 *An incertitudo impediat perfectionem emptionis, & venditionis.*
10 *Conclusio responsi, seu resolutio casus.*

D I S C. CLXXXIII.

1 POssessor quorumdam locorum Montium Mediolani, de quibus agitur supra *disc.* 26. vendidit alteri concivi Januensi tantum eorum ratam, quæ cederet sub summa scut. 80. pro quolibet loco, atque numerata accepit scuta 500. cum conventione solutionis reliquorum quingentum post sequutam translationem in personam emptoris, quam venditor intra duos menses facere promisit; Cum autem eadem translatio, nonnisi septimo, vel octavo mense sequuta fuisset, hoc autem medio tempore eadem loca deteriorationem, sive aliquam valoris diminutionem passa essent; Hinc venditore petente residuum pretii; emptor de d. deterioratione excipiebat; Quare desuper suppressis nominibus, incertum est ex cujus parte, consultus fui.

Respondi juxta terminos generales, quo in jure habemus *tot. tit. Digestorum, & C. de pericul. & commod. rei vendit.* de quibus supra *hoc eod. tit. disc.* 118, *& sub tit. de empt. & vend. disc. 4. & seqq. & alibi,*
quod scilicet exceptis illis rebus manualibus, quæ consi- 2
stunt in pondere, numero, & mensura, in aliis post jam perfectam venditionem, etiam ante traditionem, tam periculum, quam commodum sit emptoris, quoniam licèt dominium ante traditionem non transferatur, ex relatis *disc. 160. de dote, & alibi*, attamen receptum est, quod diversa est periculi ratio.

Neque præmissis obstare dicebam ea, quæ ex peculia- 3
ri natura hujusmodi locorum montium, aliorumque similium jurium in specie habentur supra *disc.* 41. quod scilicet privata conventio partium super eorum emptione, & venditione, illam vere, & proprie non importet perfectam, sed solum promissionem, vel tractatum de vendendo ex ea ratione, quod non sint in privato commercio sine assensu, & auctoritate officialis ad id deputati, eodem modo, quo in officiis, aliisque juribus regalibus pluries supra insinuatis; Quoniam advertebam id esse quidem verum ad alios effectus; Primo nempe ad illum probationis perfectæ conditionis non de facili præsumendæ, cum dicta particularis natura, ex magis communi usu, præsumptionem inducat, ut hujusmodi conventiones potius redoleant simplicem tractatum, sive conclusionem conditionalem, quatenus scilicet sequatur resignatio, ex insinuatis supra *d. disc.* 41. Secundo pro jure tertii, cui post hujusmodi conventionem illa valide cum dicta auctoritate officialis resignentur, vel obligentur; Et tertio pro jure ipsius Reipublicæ, vel Principis, ut creditorem habere dicatur illum, quem in ejus libris descriptum habebat, cui bene fructus solvat, ac etiam ubi montis extinctionem sequi contingat, sortem restituat cum similibus effectibus.

Sed ubi ex facti circumstantiis tollatur præsumptio, de qua supra in primo effectu, adeout constet de per-
fecta venditione inter ipsas Partes, adeout futura resi- 4
gnatio, vel translatio, ita exequutionem importet, quamvis quoad alios effectus resolvatur in promissionem de vendendo, & de emendo, attamen inter ipsos contrahentes, absque mixtura interesse, vel præjudicii tertii, intrant iidem termini generales, sive alii refectionis ejus, quod interest, quam perfecta promissio de emendo, & vendendo producit, ex relatis apud Coccin. *decis.* 1651. *repetit. decis.* 58. *par. 6. recent.* & pluries insinuatur sub diversis materiis.

Defectus autem implementi intra conventum terminum, hunc effectum non tollit, nisi quando constat de
præcisa voluntate ejus, cui adimplendum erat, ut non- 5
nisi cum hoc præsupposito contrahere voluerit, alias non contracturus, cum in reliquis, quidquid aliqui velint, de quibus late apud Becc. *cons.* 45. quod pro ea opinione tamquam magistrale conferri solet, in contractibus nominatis verius est non implementum non inducere resolutionem, sed solum actionem ad id, quod interest, ex relatis apud Gregor. & Adden. *decis.* 130. *& sub tit. de locat. disc.* 18. *& alii.*

Et in proximis terminis adimplementi post tempus præ-
finitum super resignatione officii, vel similis juris, ut at- 6
tendatur, aliaque ratio non habeatur, nisi ejus quod interest, aliis relatis apud Rovit. *decis.* 53. Mant. *decis.* 270. cum aliis per Add. ad Burat. *decis.* 571.

Hinc proinde cum in hac facti specie contractus in-
ter ipsas partes esset in omnibus perfectus, soluta etiam, 7
ac respective recepta parte pretii, adeout conventa translatio respiceret solam exequutionem ad præfatos alios effectus, & quæ quandoque negligi etiam solet, adeout loca montium, & alia jura, vel officia in conventionem deducta ad evitandam solutionem emolumentorum translationis, sive ad alios effectus emptori proficuos, negligi solet, ita juribus continuantibus in persona venditoris ad commodum tamen, & incommodum emptoris, ex deductis supra *hoc eod. tit. disc.* 16. *& alibi*; exinde resultat, ut intrent ea, quæ generaliter in isto contractu emptionis, & venditionis habentur.

Aliam propterea dixi, non intrare actionem empto- 8
ris contra venditorem morosum in adimplementum in tempore, nisi illam ad id, quod interesset, & super qua ob defectum melioris notitiæ circumstantiarum facti, judicium dari non potuit, quod scilicet casus deteriorationis contigisset post contractam moram, adeout emptor dicere valeat, quod si translatio statuto tempore sequuta fuisset, ipse antequam casus eveniret, pro antiquo consueto

pretio illa vendidisse; Verum ubi etiam ista circumstantia verificaretur, quod scilicet casus contigisset post contractam moram, adhuc tamen nisi doceretur de isto animo, & alterius contrahentis voluntate, difficiliter dixi, hanc actionem intrare ex iis, quæ ad materiam refectionis damnorum, & interesse in fidejussore, aut in alio habentur *sub tit. de usur. & sub tit. de Cambiis, & sub altero de credito, & alibi.*

Quatenus vero venditor majorem hujusmodi locorum montium quantitatem possideret, quod in facta notula non exprimebatur; tunc ponderabam, an intraret consideratio imperfectionis contractus ratione incertitudinis rei in illum deductæ, ex iis, quæ aliis plene relatis habentur apud Merlin. *decis. 567. & 605. repert. decision. 172. & 248. part. 6. rec. & sub tit. de empt. & vend. disc. 4. & seq.*
9 Verum advertebam, neque istam dubitandi rationem cadere, quoniam tunc id procederet, quando essent loca montium diversarum specierum, vel erectionum, adeout casus contigisset, vel contigibilis fuisset potius in una, quam in altera specie, eo modo, quo exemplificari solet, ubi fiat incerta venditio tot jugerum, vel modiorum terræ alicujus prædii non deducendo ad speciem, in qua parte, & quænam essent cum similibus, in quibus intraret eadem ratio possibilis contingentiæ magis in una, quam in altera parte; Secus autem ubi agatur de genere bonorum, quod in omnibus ejus speciebus, & partibus eamdem habeat naturam, eamdemque sortiatur fortunam, adeout non intret dicta ratio possibilis contingentiæ magis in una, quam in altera parte, vel specie, cum tunc cesset ratio, ob quam incertitudo impediat contractus perfectionem, ex qua commodi, & periculi effectus resultat.

Quemadmodum itaque si hoc intermedio tempore ca-
10 sus præbuisset alterationem valoris, non potuisset venditor prætendere suppletionem pretii ultra conventum ex iisdem rationibus, de quibus supra, ita quoque in casu converso, ex regula *secundum naturam*; Ac propterea contra emptorem concludebam, ut ad conventi pretii suppletionem teneri deberet, nisi facti circumstantiæ aperirent prædictam actionem refectionis damnorum, & interesse ratione moræ, ut supra.

FIRMANA BULLETTÆ
PRO ARCHIEPISCOPO
CUM THESAURARIIS MARCHIÆ.

Casus resolutus per S. Congregationem Immunitatis, pro Archiepiscopo.

In qua specie nectum suffragetur possessio exemptionis, etiam in Statu Ecclesiastico absque eo, quod obstent Constitutiones revocatoriæ exemptionum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De stylo quandoque tenendo in Sacris Congregationibus, & generaliter per Advocatos.*
3 *De circumstantiis facti in casu.*
4 *Privatæ, & informes attestationes, quando attendantur.*
5 *An, & quando molestiæ, & interruptiones obstent immemorabili.*
6 *Quod possessio, vel observantia æquivoca non suffragetur.*
7 *De constitutionibus revocatoriis franchitiarum.*
8 *Quare in Statu Ecclesiastico non sit practicabilis præscriptio franchitiarum ob possessionem triginta annorum.*
9 *Quando, & quare immemorabilis sit necessaria in præscriptione collectarum, & gabellarum, & quid vere d. præscriptio importet.*
10 *Negligentia conductorum, & appaltatorum an præjudicet.*
11 *De operatione immemorabili, vel centenaria.*
12 *De rationibus, ob quas non intrarent constitutiones revocatoriæ.*
13 *De differentia inter exemptionem laicorum, & Ecclesiasticorum circa præscriptionem, vel observantiam.*

DISC. CLXXXIV.

Ex antiqua consuetudine, quæ certum non habet suæ introductionis titulum, & causam, in Provincia Mar- 1
chiæ Anconitanæ, frumentum extrahi, atque asportari de loco ad locum etiam intra Provinciam non potest absque illius Thesaurarii, vel ejus ad id deputatorum licentia, seu bulletta, pro qua solvuntur quatuor julii pro quolibet rubro, unde propterea in ejusdem Thesaurariæ appaltus capitulis, istud inter alia emolumenta, vel membra recensetur cum expressione, ut ab omnibus etiam Ecclesiasticis, qui essent soliti, exigi posset, exceptuando Cardinales pro eorum, non autem colonorum portione, & quosdam alios, & generaliter omnes alios, quorum exemptio in viridi esset observantia.

Cum autem ab antiquo tempore Archiepiscopus Firmanus esset in possessione hujus exemptionis tam pro frumento suæ dominicalis portionis, quam pro illa colonorum, quibus ipse, vel ejus officiales bullettam concederent, istaque Ecclesia, quandoque per Cardinales, quandoque vero per Prælatos obtineri solita sit; Hinc eam possidente Archiepiscopo Gualterio ex Cardinalis patrui, qui eam plurium annorum spatio obtinuerat, resignatione, opinantes moderni Thesaurarii retroactam exemptionem Cardinalitiæ qualitati referendam esse, prætensionem excitarunt post mortem Cardinalis, ut Archiepiscopus, ejusque Coloni huic oneri subjacerent, molestias de facto, ac manu Regia, juxta publicanorum stylos, ac privilegia inferendo; Quare Archiepiscopo recurrente ad Sacr. Congregationem Immunitatis, Thesaurario audito, dilata fuit resolutio, ac rescriptum, quod Archiepiscopus melius ejus exemptionem justificaret; Ab isto propterea factis justificationibus, de quibus infra, & reproposita causa de Mense Decembris 1674. prodiit resolutio Archiepiscopo in omnibus favorabilis, tam scilicet pro seipso, quam pro Colonis, quorum exemptio in ejus quoque utilitatem tendere implicite dicitur, dum ex hoc respectu, facilius prædia coluntur, atque melior efficitur Ecclesiæ conditio; juxta ea, quæ in terminis communicationis exemptionis, seu franchitiæ etiam Colonis, habentur supra *hoc eodem tit. disc. 53.* ubi plures distinguuntur casus.

Cumque in prima propositione processum fuisset pro frequenti stylo hinc inde cum simplicibus memorialibus in lingua materna, atque post dictum rescriptum pro di-
rectione repropositionis, ex parte Archiepiscopi, habitus 2
esset pro commendabili Curiæ stylo Advocatorum congressus quamvis in hoc omnia Ecclesiæ fundamenta, & respective Thesaurarii objecta per tramites juris discussa fuerint; Attamen Ego senior, fui in sensu, cui etiam alii adhæserunt, ut cum eadem primæva simplicitate procedendum esset, per viam scilicet memorialis in lingua materna, stricte parendo restrictive super enarratione justificationis, non autem formiter scribendo in jure, juxta stylum Advocatorum, bene tamen se præparando, ut altera parte id agente, prompte responderi posset, breviter solum insinuando solidiora Ecclesiæ fundamenta, & responsiones jam excitatis objectis, alia non excitando, cum sæpius Advocati, & defensores, qui debitam non adhibentes prudentiam, proprium ingenium, propriamque eruditionem ostentare volunt, objecta excitando, aliasque superfluas faciendo evagationes, non modicum causis præjudicium parare soleant, *ut disc. 35. de judic. & disc. 46 in Relat. Curiæ*, ac etiam in opusculo styli advertitur præsertim vero in Sacris Cardinalitiis Congregationibus, in quibus stylum facilem, ac planum, quo magis fieri potest adhibere congruit.

In isto itaque congressu, cum causæ Patronus, juxta stylum recensuisset justificationes, quæ in facto habebantur quales erant, Primo nempe antiqua instrumenta locationum, & concessionum in Coloniam prædiorum Ec-
clesiæ usque ab anno 1573. quando erat instans Cathe- 3
dralis priusquam per Sixtum V. erigeretur in Metropolitanam, in quibus ista exemptio colonis promittitur; Secundo decreta, & literæ Cardinalis Legati Provinciæ, qui tunc aderat de anno 1608. aliisque successivis temporibus, pro istius exemptionis observantia adversus consimiles molestias Thesaurarii illius temporis.

Tertio privatæ depositiones informes, tamen ob

defe

defectum citationis Partis aliquorum testium, qui fuerant Cancellarii, & ministri Curiæ, vel mensæ Episcopalis de anno 1630. deponentium de hac observantia, cum requisitis immemorabilis, de quibus *disc.* 21. *de judic.* Et quarto, quamplures attestationes de præsenti factæ a septuagenariis, & octogenariis super eadem observantia, & cum eisdem requisitis immemorabilis.

Ista facti serie sic enarrata, de duobus punctis actum fuit; Primo nempe, an adesset bene probata immemorabilis; Et secundo, quatenus non, an adesset benè probata quadragenaria, vel trigenaria, istaque suffragaretur necne.

Quatenus itaque pertinet ad primum; Quamvis tam antiquæ attestationes de anno 1630. quam modernæ, immemorabilis requisita concluderent; Attamen dicebam, eam dici non posse bene probatam, adeout quando ne- 4 cessaria esset dicta conventio, potius timendum veniret, non solum ex eo, quod ageretur de extrajudicialibus, ac respective informibus attestationibus, dum iste defectus fuisset superabilis ob antiquorum testium mortem, & ob adminicula resultantia a dictis antiquis instrumentis, & a decretis, & literis Cardinalis Legati, cum etiam privatæ, & informes attestationes habent vim adminiculorum, & perfectam probationem concludere possunt, ex deductis *disc.* 22. *de judic.* sed fortius ob interruptiones, tam de dicto anno 1608. quam de annis 1630. & 1631. in quibus ministri Archiepiscopi Rinuccini pluries hujus- 5 modi emolumenta deponere coacti fuerunt, cum ita cessaret præcipuum immemorabilis requisitum, ut numquam aliquid in contrarium dictum, vel productum fuerit, ex deductis *d. disc.* 21. *de judic.* pariter dicebam istum defectum videri superabilem, quoniam illæ perturbationes, & molestiæ, quæ non habuerunt effectum, atque in eis possessor victor potius remansit in ejus possessione, postmodum pacifice continuando, non causant interruptionem, neque nocent, sed potius prosunt, magisque possessionem confirmant, & canonizant, ex deductis *eodem disc.* 21. *de judic. & alibi*.

6 Magis verò apud me urgebat, atque difficultatem inferebat alia consideratio, quod ista observantia, tamquam æquivoca non concluderet, utpote referibilis ad accidentalem exemptionem illorum Archiepiscoporum, qui Cardinalitia fulgebant dignitate, & quorum erat major pars; potissime de illo antiquo, ac primævo tempore, in quo dicta instrumenta habebamur; Ac etiam de tempore, in quo prodierunt dicta decreta, & Epistolæ Cardinalis Legati, unde propterea quando fuisset necessaria immemorabilis, magnam dubitandi rationem superesse advertebam, ea tamen cessante ex hujus necessitatis cessatione, ut infra.

Atque hinc resultare observabam, neque adesse bene conclusam quadragenariam, ex eadem ratione, quod observantia remaneret æquivoca; Et nihilominus, quando adesset, & in qua junior Advocatus totam vim constituebat, advertebam non relevare ex duobus objectis, 7 in quibus Thesaurarii fundamenta consistebant; Primo nempe illo Constitutionum revocatoriarum omnium exemptionum, & franchitiarum Pauli Quinti, aliorumque successorum Pontificum, de quibus pluries in præcedentibus, & præsertim *disc.* 47. *& discurs.* 148. Unde propterea ibi, & alibi infertur, quod illa tricennalis præscriptio exemptionis a gabellis, aliisque publicis oneribus, quæ in jure datur, non de facili practicabilis est in hoc Principatu, ob istas Constitutiones revo- 8 catorias, ac etiam ob decretum irritans adjici solitum in Constitutionibus, vel Chirographis impositionum gabellarum, & onerum, ob vim hujus decreti, & clausulæ *sublata*, *&c.* ex quibus quæcumque contraria possessio inficitur, adeout perfici, quinimo nasci impediatur consuetudo, vel præscriptio, ex plene relatis *decis.* 400. *par.* 9. *recent. & decis.* 199. *par.* 12. cum aliis *d. disc.* 21. *de judic.* & alibi pluries.

Ideoque ex hac ratione in hoc Principatu ad exemptionem necessaria est immemorabilis, vel illa centenaria, quæ non docto de initio infecto, immemorabili æqui- 9 valeat, non quidem ex privilegio, & natura regalium, inter quæ gabellæ, & publica onera recensentur, ut aliqui male putant, cum regalia ita privilegiata consistat in jure activo, quod inferior prætendat, juxta casum *dec.* 56. Franch. cum aliis relatis *disc.* 43. *de feud.* & alibi. Vel in exemptione passiva universali, quia nempe Civitas, vel populus prætendat præscripsisse libertatem adversus Principem, & collectis, & gabellis, aliisque oneribus gravari non possit, dum ita est præscribere ipsum jus habituale in universum; Secus autem ubi aliquis privatus per longissimum triennale tempus in pacifica exemptionis possessione fuerit, quoniam tunc ista vere, & propriè non est præscriptio, adversus Principem, vel Civitatem, ut aliqui male putant, terminos non bene distinguentes, sive conclusionum rationem, aut medullam non penetrante, sed est potius præsumpta probatio privilegiativæ exemptionis, ex aliqua justa causa ab ipso Principe; vel Civitate concessa, juxta ea, quæ generaliter in materia hujus præsumptæ probationis resultantis a longissimi temporis observantia, habentur *eod. disc.* 21. *de judic.* ac etiam *disc.* 143. *de dote*, *& disc.* 1. *&* 3. *de alienat. & contra l. prohib. & alibi*.

Ista itaque longissimi temporis operatio inutilia in hoc Principatu remanet ob dictas Constitutiones revocantes omnes privilegiatas exemptionum concessiones, quamvis certas, & expressas, ideoque multo magis hanc fictam, & præsumptam, ne alias detur absurdum, ut majoris virtutis, ac operationis remaneat fictum, ac præsumptum, quam verum.

Alia quoque consideratione accedente, quod in hujusmodi gabellis, aliisque oneribus, quæ directè non exi- 10 gantur per ipsum Principem, vel officiales, aut Civitatem, sed per arrendatarios, & conductores, quos in hoc Principatu Appaltatores dicimus, unde propterea non de facili verificari potest illa pacifica observantia hujus præjudicialis effectus productiva, ex regula, de qua pluries in præcedentibus, quod conductorum, sive arrendatariorum negligentia præjudicare non potest, ex deductis pluries in præcedentibus, præsertim *disc.* 68. *num.* 4. per tex. *in l. locatio*, *§. earum*, *ff. de publican.* istaque est ratio, ob quam etiam in aliis Principatibus, in quibus non intret dicta ratio Constitutionum revocatoriarum, non de facili ad praxim reducitur ista præscriptio tricennalis super exemptione gabellarum, aliorumque publicorum onerum.

Merito autem istis, & consimilibus difficultatibus non subjacet immemorabilis, vel centenaria, quæ non habeat 11 certum initium vitiosum, quoniam eum ejus vigore allegari possit quicumque titulus de mundo melior, ita allegari potest contractus onerosus, & correspectivus in eisdem Constitutionibus revocatoriis præservatus, ex deductis *dict. disc.* 21. *de judic. & disc.* 3. *de alien. & contract. prohib.* & sic non in ratione præscriptionis, quæ ut locia citatis advertitur, fere numquam ad praxim, seu perfectionem reducitur, sed in ratione probationis.

Verum in hac facti specie præmissa omnia extranea remanere, dicebam: Tum quia non constito de hujusmodi oneris impositione per aliquam Constitutionem, vel provisionem habentem decretum irritans, & clausulam *sub-* 12 *lata*, ita cessabat unum ex dictis objectis; Tum etiam quia revera non versabamur in aliqua gabella, vel alio onere Camerali, pariformiter supportando per omnes subditos pro publicis necessitatibus, loco antiquorum tributorum, & collectarum, aut superindictorum, sed potius in exactione cujusdam emolumenti præstari soliti pro dicta licentia asportationis frugum de loco ad locum, cujus necessitate consuetudo introduxit, adeout ista species nullatenus cadere videatur sub præfatis Constitutionibus revocatoriis, loquentibus de collectis, & gabellis, aliisque ordinariis, vel extraordinariis oneribus communibus Principatus.

Clarius vero, ac extra omne dubium, quoniam in capitulis appaltus, in quibus consistit lex contractus, Camera non concessit Appaltatori jus exigendi hoc emolumentum ab omnibus, sed solum ab illis, qui essent soliti illud solvere, expresse mandando, ut esse deberent exempti omnes illi, qui reperiuntur in ista possessione exemptionis, ideoque dicebam attendi debere dictas antiquas probationes simul junctas ad ostendendum, quod non esset nova introductio, vel usurpatio, minusque ex accidentali dignitate Cardinalitia id provenisset, sed esset inconcussa observantia antiqua, ad effectum docendi, quod versabamur in casu exceptuato; & merito, quoniam cum sit onus, quod resultat solum a consuetudine, & observantia, idcirco nonnisi ad ejus limites attendi debet, & non ultra.

Nimia quoque ponderatione dignum esse observabam,

ham, quod quæstio non erat cum laicis, & de populo sæculari regulariter subjecto publicis oneribus Principatus sæcularis, sed de Ecclesia de jure ab eis exempta; Et quamvis in hoc Principatu contrarium in plerisque oneribus doceat praxis; Attamen id provenit ex illis considerationibus, de quibus habetur supra *hoc eodem titulo disc.* 55. adeout requiratur enixa, & exempta
13 voluntas Papæ, uti Papæ, & per consequens, cum ista potius esset in oppositum, quia noluit ad hanc solutionem teneri eos, qui ratione consuetudinis ei non subjacerent, injusta remanebat prætensio, ex ea differentiæ ratione inter Ecclesiasticos, & sæculares, quod scilicet contra sæculares urget regula generalis illorum obligatoria ad onera Civitatis, vel Principatus, unde propterea, quando allegatur contraria observantia, ista dicitur formiter præscriptiva, & per consequens odibilis, & rigorosa, tamquam inducens juris correctionem, & regulæ generalis limitationem, quæ non præsumitur, ideoque non mirum si desiderantur requisita præscriptionis, eique obstent ea, quæ præscriptioni obstare solent; In altero autem casu Ecclesiasticorum, res est in oppositum, quoniam eis assistit regula exemptiva, unde propterea ille, qui allegat limitationem ob voluntatem Papæ, illius probationis onere gravatur, atque de consequenti possessio, vel observantia exemptionis non continet exorbitantem, & odiosam limitationem regulæ, & correctionem juris, sed potius favorabilem conservationem ejusdem regulæ ac dispositionis juris, removendo obstaculum odibilis, & correctoriæ limitationis, atque capiendo talem observantiam, non tamquam præscriptivam, sed potius tamquam interpretativam voluntatis Papæ, quod noluerit eos huic oneri supponere, eorumque regularem exemptionem tollere; Et sic maxima differentia est inter unum casum, & alterum; & per consequens manifestus est error, eos pariformiter cum eisdem generalibus propositionibus regulare; Atque ex his reflectendo etiam ad solam veritatem, justa, beneque fundata visa est resolutio.

ROMANA MONTIS CERÆ,

INTER MONTISTAS, ET ALIOS CREDITORES.

Casus disputatus in Congregatione particulari, & resolutus, ut infra.

De eadem materia, de qua supra disc. 148. & 177. de Potestate Principis tollendi jus tertii, & præsertim de suspensione, vel remotione hypothecarum, aliorumque vinculorum a bonis assignatis, pro erectione Montis baronalis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Dos non est generaliter privilegiata.*
3 *Creditores cum assensu posteriores, in prohibitis præferuntur anterioribus sine assensu.*
4 *Cessio super bonis jurisdictionalibus, sine assensu non obtinetur.*
5 *De errore assumendi quæstiones juris in abstracto, neglecto facto.*
6 *De potestate Principis tollendi jus tertii.*
7 *Facilius substinetur factum, quam concedatur faciendum.*
8 *De libertate, aliisque privilegiis locorum Montium.*
9 *De interesse Principis conservandi libertatem locorum Montium.*
10 *Cum quo stylo in his materiis procedi debeat.*
11 *De distinctione, an gratia sit motu proprio, & quomodo.*
12 *An emptor teneatur esse sollicitus de versione.*
13 *Quo jure competat hypotheca, & an eam tollere, lædat jus naturæ, vel gentium.*

D I S C. CLXXXV.

1 CUpiens Cardinalis Federicus possessor Ducatus Ceræ extinguere antiquum Montem, aliaque debita, quibus iste Ducatus erat obnoxius, obtinuit a Clemente Decimo, cujus erat Secretarius status, cum Motu proprio erigi novum Montem, Ceræ nuncupatum locorum trium millium, quorum pretium in dictam extinctionem cederet, atque pro d. Montis dote, assignata fuerunt idem Castrum Ceræ, aliaque bona partim jurisdictionalia, & partim allodialia, quæ liberata, & exempta fuerunt amplissimè ab omnibus nexibus, vinculis, & hypothecis quantumvis anterioribus, & potioribus, ut propterea essent libera, & exempta pro Montistis, sequuta vero morte Cardinalis, orta est controversia inter Montistas, qui pro majori parte erant exteri, præsertim Januenses, & dicti patrimonii creditores, inter quos primam figuram, ac majores oppositiones faciebat Maria Aldobrandina Uxor Ducis Andreæ, per cujus obitum iste Ducatus, cum aliis bonis transitum fecit in Boromæum, juxta seriem, de qua *disc.* 89. *de feud.* tamquam creditrix dotis, & fructuum, juxta seriem, de qua in Romana dotis, & fructuum *sub titul. de Dotis disc.* 183. & 196. prætendentibus d. Maria, aliisque creditoribus tempore anterioribus vincere Montistas posteriores, non obstante d. Motu proprio, cujus reductio ab eodem Pontifice petita fuit, quare desuper ab eodem Pontifice deputata fuit Congregatio particularis, cui per Innocentium Undecimum successorem, ego tamquam ejus Auditor adjunctus fui.

In disputationibus itaque desuper habitis, de pluribus actum fuit, cum præsupposito facti, quod per dictum Motum proprium essent sublatæ hypothecæ anteriores creditorum, quoniam licet negaretur, quasi quod Pontifex intellexerit solum de hypothecis, ex causa fideicommissorum, attamen littera videbatur clare in contrarium. Primo nempe, an sub hac generalitate veniret dictum creditum dotale. Secundo, an Papa potuerit id facere. Tertio, quatenus potuerit, an adesset voluntas, stante quod non omnes pecuniæ erant erogatæ in extinctionem æris alieni. Et quarto quatenus potuerit, & voluerit, an d. Motus proprius, tamquam nimium exorbitans, ac præjudicialis tertio, mereretur moderationem, ac reductionem ad viam juris.

Quatenus pertinet ad primum, modica, peneque nulla habita fuit difficultas super comprehensione etiam crediti dotalis, quoniam licet Scribentes pro muliere, 2 insisterent in assumpto, quod dos non venit sub generali dispositione, sed indiget expressa, & speciali mentione, juxta opinionem Saliceti, & sequacium, quos cum consueto improbo transcriptorio labore cumulabant, attamen observatum fuit, hanc opinionem esse magis communiter reprobatam, ex deductis *discurs.* 83. *de Dote numer.* 3. & alibi, quod scilicet, dicitur solum privilegiata in casibus, qui habentur in jure expressi, potissime quia verba Motus proprii erat nimium ampla, quamvis essent credita ex causa pia, & privilegiata.

Quo vero ad alias quæstiones, cum Scribentes hinc inde nimium elaborassent, peneque volumina confecissent, dicebam ego motivando, quod respectu Castri, 3 aliorumque bonorum jurisdictionalium, quorum valor Montistis sufficiebat, & exuberabat, labores adhibiti videbantur inanes, quoniam tunc istæ inspectiones intrarent, quando alii creditores haberent hypothecas anteriores, vel potiores, quæ ita dicerentur sublatæ, secus autem his deficientibus, ut sequi dicitur quoad bona jurisdictionalia in debitis contractis absque beneplacito Apostolico, propter obstaculum Constitutionum Apostolicarum, dum ita Montistæ, tamquam habentes assensum, licèt posteriores tempore, censendi sunt anteriores, ideoque non indigent beneficio Motus proprii, qui resolvatur ita in assensum, seclusa dicta exorbitantia tollendi jus tertii, juxta frequenter deducta *sub titulo de feud.* ac etiam *sub titulo de credito disc.* 13. & 151. & alibi sæpius, super assumpto, quod in prohibitis posteriores cum assensu, vincunt anteriores, qui illo careant.

4 Et quamvis ex parte mulieris prætenderetur, quod cum ejus pecunia data in dotem extincta fuissent cum cessione jurium quædam antiqua debita, pro quibus absque dicto assensu, valide obligata erant bona jurisdictionalia, utpote contracta priusquam ederentur Constitutiones Apostolicæ prohibitoriæ. Attamen adhuc obstare dicebatur eumdem defectum, cum per easdem Constitutiones expresse

presse prohibitum etiam sit reportari cessionem jurium,
quæ absque assensu remaneat inefficax, vel in ea subintra-
re, & per consequens dictæ quæstiones cadebant solum
super bonis allodialibus, quando etiam super istis Mon-
tistæ prætenderent potioritatem, quod non videbatur o-
pus examinare ob sufficientiam, quinimo exuberantiam
5 jurisdictionalium, ideoque verificabam id, quod *in di-
scurs.* 35. *de judic.* & in opusculo *styli*, ac alibi sæpius
insinuatur, quod hodierni professores negligendo factum,
sive ejus applicationem, magnas assumunt cum improbo,
ac superfluo labore quæstiones juris, extra causæ necessi-
tatem, vel opportunitatem.

Quatenus vero de concursu in allodialibus indifferenti-
6 bus ageretur, vel quod ratione assensus, etiam super juris-
dictionalibus aliis creditoribus, qui erant in tempore an-
teriores competeret hypotheca, quæ per dictum Motum
proprium sublata fuit. Assumendo secundam quæstionem
potestatis, deducebam eadem, quæ habentur supra *disc.*
148. *&* 177. & in aliis, super potestate Principis supremi
tollendi ea, quæ tertio quæsita sint, & competant ex pro-
visione, vel beneficio legis positivæ, ut est præsertim an-
terioritas, vel potioritas, quæ proveniat ratione hypothe-
cæ, vel alterius qualitatis per legem positivam inductæ,
seu privilegiatæ, cum ita tollat, quæ sua sunt eo modo,
quo favore dotis, & fisci, cum similibus factum est, ut
etiam pluries advertitur *sub tit. de feud. ad mater. Bulla
Baron.* Distinctio autem causæ percutit potius forum in-
ternum, sive etiam externum ad effectum regulandi volun-
tatem, sive dictæ potestatis usum, ne similes gratiæ tertio
præjudiciales concedantur, vel quod concessæ per eumdem,
aut per successorem revocentur, aut moderentur, & ad
hunc secundum effectum hæc inspectio remanebat oppor-
tuna, atque ubi non urgeret favor causæ publicæ, de quo
proxime infrà, intraret quarta inspectio, seu quæstio, in
qua pro moderatione, dicebam responderi debere.

Secus autem in hac facti specie, ob ejus particulares cir-
7 cumstantias, ob quas advertebam urgere favorem publi-
cum, privato semper anteponendum, etiam ubi res esset
in fieri, quodque ageretur de gratia facienda, multo ve-
ro magis, ubi agatur de substinendo gratiam jam factam,
cui innixi tertii contraxerunt, alias non contracturi;
tum ex vulgati axiomate per Juristas etiam passim rece-
ptu, quod turpius ejicitur, quam non admittitur ho-
spes, & ex altero, quod multa facta tenent, quæ fieri
prohibentur. Tum clarius ratione subjectæ materiæ, quæ
de sui natura secum fert libertatem, ac securitatem, ne-
glectis quibuscumque præjudiciis privatorum, dum agi-
tur de locis Montium, quæ ex nimium frequenter insi-
nuatis hoc eodem titulo, de eorum natura, ob publicam
fidem eis insitam, sunt de libero, tutoque commercio,
atque non subjacent illis nexibus, quibus ex quadam ju-
ris civilis forte parum rationabili parumque commenda-
8 bili subtilitate, vel superstitione, subjacent alia bona,
quorum dominium, & commercium in incerto semper
esse dicuntur, dum in illis contrahentes sequuntur fidem
privatam possessorum, in hac vero specie sequuntur fi-
dem publicam, ut præsertim advertitur supra *disc.* 163.
cujus casum ad rem particulari consideratione dignum es-
se advertebam, dum ibi habetur, quod loca Montium
cadunt sub hypotheca, aliisque vinculis, quibus alia bo-
na indifferentia subjacent, ut propterea super eis compe-
tant Salvianum, aliaque remedia, illaque possunt exe-
qui, & subhastari, & tamen, quando resignantur, tran-
seunt libera in resignatarium bonæ fidei, tollendo hypo-
thecas, aliaque jura, & vincula jam impressa, & credi-
toribus possessoris quæsita, ita suadente publico favore,
qui privato commodo prævalere debet. Atque si id proce-
dit generaliter subjectæ materiæ ratione, multo magis,
ubi altera fortior accedit conservationis fidei, quam su-
premus Princeps particulariter, & expresse interposuit, &
quam fidem publicam exteri negotiatores, potius quam
privatam erectores Montis sequuti fuerunt. Idque influit
9 etiam ad Reipublicæ bonum, quando fides inconcussa re-
maneat, & malum, quando violetur, ut in Principatus
indigentiis alliciantur, non autem arceantur, cum hodie
majus, peneque totum Principum peculium in bonæ fidei
opinione vel existimatione consistere videatur, ideoque in-
trat ratio publici favoris, & justæ causæ concernentis pu-
blicam utilitatem, ac propterea in hujusmodi concessioni-
bus nimium circumspecte, & parcè procedi debet, atque
facilitas laudabilis non est, sed postquam sunt factæ cum
subsequuto effectu in tertii ignaris, a quibus absit omnis
suspicio collusionis, & fraudis, adeout si revocarentur,
isti remanerent a publica, & inviolabili fide Principis de-
cepti, tunc tenaciter observari debent.

Atque in hoc præsertim dignoscitur toties exaggera-
tus error pragmaticorum procedentium cum littera, vel 10
generalitate conclusionum, & doctrinarum, non di-
stinguendo, ut decet casus, eorumque particulares cir-
cumstantias, ex quibus diversimode super eodem pun-
cto judicari debet, quoniam aliud est agere de casu, in
quo emptor principaliter sequatur fidem venditoris, at-
que cum eo directe contrahat more privatorum indiffe-
rentium contractum; curetur autem ad uberiorem cau-
telam adhiberi auctoritatem Pontificis cum Chirogra-
pho, vel cum Motu proprio, juxta tot casus recensitos
sub tit. de feud. ad materiam Bulle Baronum, *& dict.
disc.* 13. *&* 151. *de Credito*, *& alibi frequenter*. Et
aliud est agere de erectione Montis, cujus loca ad instar
aliorum Montium emantur per negotiatores exteros, vel
Incolas, sequendo principaliter fidem publicam, ipsius
subjectæ materiæ naturam.

Ex hac autem distinctione resultare quoque obsevabam
responsionem ad objectum subreptionis, vel non adimple- 11
menti finis, ob quem Pontifex gratiam concessit, dissolutio-
nis nempe integri æris alieni, juxta tertiam inspectionem,
quando etenim gratia, inspecta naturali veritate, de fa-
cto dici meretur concessa ad privatorum contrahentium
supplicationem, vel instantiam, quamvis dicatur Motu
proprio, cum aliquo rigore procedendum est, ut quomi-
nus fieri potest lædat jus tertii, habeatque potius naturam
gratiæ concessæ ad postulationem, sed quando in gratiam
quidem privatam obtinentis prodita, respicit universi-
tatem contrahentium, qui publicam fidem concedentis
principaliter sequantur, tunc secus. Ponamus etenim,
quod quis cum malis artibus, falsisque suggestionibus ex-
torqueat a Principe privilegium in forma Motus proprii,
super portu, vel emporio franco, cum assecuratione ne-
goliatorum illuc confluentium, atque ementium merces,
quantumvis alienas, & furatas, juxta ea, quæ habentur
supra hoc titul. disc. 129. & alibi, utique tale privile-
gium suffragari non debebit impetranti in præjudicium
tertii, ejusque respectu moderatione, vel annullatione di-
gnum erit, numquam tamen dicendum erit, ut moderari
debeat in præjudicium negotiatorum, qui ignari quænam
esset conditio, vel status ejus, qui obtinuit privilegium,
sub istius publica fide contraxerunt, & hic est casus.

Clarius vero, quoniam in ea quæstione, de qua *sub* 12
titul. de alienat. & contract. prohib. & alibi sæpius, an
emptor teneatur esse folicitus de versione, difficultas cadit,
quando expresse non disponitur, adeout recurrendum sit
ad dispositionem juris, & quo casu proceditur cum vera,
& recepta distinctione, an implementum adjiciatur pro
forma adimplenda a parte antea, itaut constet, quod Pon-
tifex noluit sequi fidem venditoris, vel pro modo a parte
postea sequendo fidem venditoris, cui concessa est facultas
faciendi alias prohibitam alienationem. Sed quando ex-
presse disponitur, quod emptor non teneatur de hoc esse
solicitus, quodque ab hoc onere sit exemptus, tunc nulla
cadit ratio dubitandi ad vulgatem regulam text. *in leg. il-
le, aut ille, ff. de legat.* 3. Et hic erat casus, dum in di-
cto Motu proprio ita exprese disponitur.

Exaggerabatur nimium non solum per Scribentes pro
creditoribus, & aliquos ex Judicibus deputatis, sed etiam 13
pene per omnes Curiæ professores superficiales, & alios,
hujus motus proprii nimia exorbitantia, cui iniquitatis
titulus tribuebatur, quasi quod læderetur ipsum jus na-
turæ, seu gentium, tollendo hypothecas anterioribus quæ-
sitas. Advertebam vero, id continere unum ex adeo fre-
quentibus erroribus popularibus resultantibus a consueto
superficialium, seu pragmaticorum vitio procedendi in lit-
tera, vel superficie, non perscrutando rerum quidditatem,
& originem, cum hypotheca, sive conventionalis, sive le-
galis, juxta effectus, quos producit, nullum habeat legis,
vel rationis naturalis fundamentum, sed potius contineat
quoddam pignus fictum, vel intellectuale, seu quoddam
figmentum juris civilis Romanorum, juxta deducta *disc.*
22. *de credit. & alibi*, adeout nisi sequuta esset istius ju-
ris civilis casualis inventio post tot sæculorum sepulturam,
& oblivionem, juxta sæpius enunciatam historiam lega-
lem, præsertim *disc.* 1. *de serv. & in ejus adnotatione*, ne-
sciremus quidnam esset ista hypotheca, quousque effectus pro-
duceret, quinimo, ut præfatum jus in hac parte potius legi,
vel rationi, seu discursui naturali adversari videatur, quoniam

ipsa ratio, vel discursus naturalis suadere videtur, ut absque distinctione chirographariorum, & hypothecariorum, seu privilegiatorum, & non privilegiatorum ille, qui attentare veritate naturali pecuniam, vel merces alteri credidit primum locum occupare debeat, atque præferri aliis, qui postea crediderunt, ex ea clara ratione, quod tunc sciebat debitorem idoneum, aliisque debitis non implicitum, ideoque credidit alias non crediturus. Et per consequens irrationabilis videtur legis civilis dispositio, super coæquali concursu omnium creditorum, & chirographariorum, tam antiquorum, quam modernorum, cum prælatione inter eos aliquorum privilegiatorum, sive eorum, qui possideant, & præoccupaverint, Magisque irrationabilis altera dispositio, ut illi ultimi, & posteriores, qui sagaciores fuerint, fortèque in majori mala fide, vel minus bona, servando hanc formalitatem hypothecæ, vel illi, quibus ipsa lex civilis beneficium ejusdem privilegii legalis dare voluit, aliis præferantur, eosque excludant, quodque creditores ex causa dotis, vel fiscali, sive primipilarii præferantur, istorumque respectu ab eadem lege tollantur, atque inefficaces reddantur hypothecæ anteriores, cum similibus. Igitur si lex civilis, mereque positiva potuit id inducere, non videtur, cur id negandum sit Principi supremo, qui dicitur Lex viva, & animata longè majoris potentiæ, & efficaciæ, quam sit ista lex civilis mortua, & quæ legis vim habet, potius ex auctoritate, & permissione ejusdem Principis, quam ex ejus intrinseca natura, & qualitate, juxta ponderationes, de quibus *eod. disc 1. de servit. & disc. 35. de judic.* & alibi frequenter, dum etiam statutis inferiorum id quandoque conceditur, juxta casum, de quo *disc. 10. de Credito*, & alibi pluries. Non quidem, ut in hoc Princeps facilis esse debeat, sed potius nimium parcus, & circumspectus, adeout si res esset in fieri, ego non consuluissem, neque de facili consulerem, quoties justa, & rationabili causa non accederet, sed quando sumus in facto esse, quodque retractatio majus inconveniens, majusque præjudicium publico bono, ut supra produceret, tunc revera hujusmodi leguleicæ considerationes fabulosæ censendæ sunt, atque irrisione dignæ, quæ in earum littera, & superficie se fundant, & ambulant.

ROMANA SUPPLEMENTI, PRO MONASTERIO CONVERTITARUM, CUM HÆREDE AGATHÆ.

Casus disputatus coram judice dicti Monasterii, & concordatus,

An officia vacabilia in prohibitoriis, veniant sub genere contractuum vitalitiorum, quos illa persona prohibita sit facere, ob præjudicium tertii.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversia.*
2 *In odiosis danda non est extensio.*
3 *Officia sunt de regalibus, & obtinentur immediate a Summo Pontifice.*
4 *De præjudicio Cameræ, seu Principis ex restricta libertate.*
5 *Quando istud præjudicium adesse dicatur.*
6 *In calculo legitimæ quænam bona veniant.*
7 *Quod istud Monasterium sit loco filii, ut ei debeatur legitima.*
8 *Ubi lex habet rationem, tunc ista attenditur, & admittitur æquipollens.*
9 *Quid operetur, provisionem esse de maturo consilio.*
10 *Declaratur conclusio, de qua num. 3.*
11 *De conventionibus ex hac prohibitione resultantibus.*
12 *De qualitate hujus prohibitionis, & quando intret.*
13 *De rationibus differentiæ inter officia vacabilia, & census vitalitios.*
14 *De differentia inter investimentum privatum, & publicum in loca Montium.*

DISC. CLXXXVI.

CUm super casu examinam, *sub tit. de testament. disc. 37.* isto jam impresso, & edito, ex voto particularis Congregationis desuper deputatæ, prodierit diploma Clementis Decimi ad favorem Monasterii, ut inhonestæ mulieres non possint inire census, aliosque contractus vitalitios sine consensu Administratorum dicti Monasterii, ob rationes, vel ponderationes, de quibus *dict. disc. 37.* ut ita scilicet occurri possit fraudibus, & collusionibus, ac etiam, ut ipsum Monasterium in hujusmodi contractibus prælationem habeat. Prædicta vero inhonesta mulier, seu alias de comprehensis sub Constitutionibus Apostolicis, emisset quædam officia vacabilia, quæ portiones Ripæ nuncupantur, quorum etiam mulieres sunt capaces, unde per ejus obitum sequuta est vacatio, producens eumdem præjudicialem effectum, qui ea censibus, aliisque contractibus vitalitiis resultat. Hinc Administratores prætensionem excitarunt, ut tertia pars hæreditatis defunctæ testatæ Monasterio debita, ex reliquis aliis bonis remansis integra suppleri deberet, dictorum officiorum valore quoque collato, seu calculato. Introductaque desuper causa coram ejusdem Monasterii Judice particulari, post aliquas disputationes, me consulente, & cooperante, concordia litii finem dedit.

Dupliciter itaque de hoc puncto actum fuit, more scil. Advocati scribendo pro Monasterio, & in congressu pro meliori directione, & œconomica directione.

Juxta igitur primam speciem, Scribentes pro hæredibus, immorabantur in regulis generalibus, quod scilicet in hac materia exorbitanti, & odiosa impeditiva libertatis disponendi de rebus suis, danda non sit extensio de casu ad casum, sed dispositio intelligi debeat de eo, quod litteraliter, ac in verbis continetur, juxta ea, quæ in proposito statutorum, & consuetudinum habentur *sub tit. de successionn. ab intest. disc. 15. & in aliis, & sub. tit. de benefic. disc. 20. ac etiam disc. 35 de judic. & alibi*. Ideoque cum Motus proprius loquatur de censibus, & contractibus vitalitiis, complecti non debeat casum officiorum, cum ista sint de regalibus Principis, atque non obtineantur ex privato contractu, sed potius ex ejusdem Principis privilegio, & concessione, quamvis etiam per alterius privati possessoris resignationem, id sequatur, pretio mediante, ex ratione pluries in præcedentibus insinuata, quod scilicet ille qui pro nostro usu, vel intelligentia, venditoris personam gerere dicitur, nullum jus directe transfert in emptorem ex privato contractu, sed suum jus extingui per refutationem in manu ipsius Principis, ut ita sequatur vacatio officii, quod tamquam vacans directe & immediate per Principem confertur alteri, ut etiam in locis Montium sequi dicitur. Et ex qua ratione manat hujusmodi officiorum, & locorum Montium, aliorumque regalium jurium libertas, ut propterea hypothecis, aliisque vinculis per priorem possessionem injectis, non subjaceat.

Alia quoque addita regula generali, ut in qualibet dispositione non veniat persona loquentis, vel disponentis Potissime vero, ubi agatur de ejus præjudicio, quale id adesse dicebatur, dum ob restrictam libertatem in hujusmodi mulieribus acquirendi officia, difficilior redderetur illorum venditio, quæ per Datariam fieri solet in casu vacationis, ex insinuatis supra *disc. 2. & alibi*, vel quod ita diminueretur numerus emptorum, quorum copia, & concursus, pretii augmentum producere solet, & è converso diminutio sequitur ob raros emptores. Ita immorando in istis, ac similibus generalitatibus, easque cum consueto moderno parum commendabili stylo nimium exornando, cum copiosis auctoritatum allegationibus ac inutili chartarum repletione, super jam certis, ac notis principiis præsupponendis.

Scribens itaque pro Monasterio dicebam, istas esse nimium vagas generalitates, veras quidem in suis casibus male tamen ad rem applicatas, quoniam tunc ultimum motivum impeditæ libertatis, ipsi Papæ, seu Dataria præjudiciale, consideratione dignum esset, quando ipsa acquisitio directe prohibita esset, sive quod Monasterium in casu vacationis aliquod jus super ipsis officiis vacatis vel super eorum pretio competeret, quorum neutrum in præsenti sequi dicitur, non solum contra Principem ejus-

ejusque Cameram in hujusmodi officiis, sed etiam contra illos privatos, cum quibus census, vel alii contractus vitalitii initi sint, quoniam contingente casu lucri debitoris per mortem mulieris creditricis, non per hoc contra debitorem aliqua reservatur actio. Quinimo in eodem Motu proprio expresse disponitur, quod nulla competat, ita dirimendo illud dubium, quod resultat ex decisione 58. Buebut, super censu vitalitio inito per Religiosum professum habentem ex Apostolico indulto aliquorum bonorum administrationem, sed solum præservatur Monasterio jus petendi suppletionem, ex aliis bonis, quæ erunt in hæreditate; ideoque nullum illi resultat Cameræ, vel Datariæ damnum, seu præjudicium.

6 Quare descendendo ad specialia, vel proxima, quæ magis in judicando attendi debent, quam hujusmodi generalitates. Dicebam ad rem recte adaptari ea, quæ pluries habentur *sub titul. de legitim. præsertim disc. 9. 19. & 27.* ut scilicet in calculo illius assis, vel patrimonii, ex quo liberorum, vel ascendentium legitima detrahenda est, veniant omnia ea, quæ legitime debentur ex causa donationis, vel etiam dotis, aliove titulo lucrativo, sive illa, quæ in fraudem distraxit, ac dissipavit, ita tamen, ut ex aliis extantibus bonis, illa juxta talem calculum detrahatur.

7 Istos autem terminos ad rem adaptabiles esse dicebam, ut scilicet Monasterium ita esset loco filii, vel parentis, cui legitima de necessitate debita sit. Quinimo cum aliqua majori prærogativa, ut nullitatem testamenti ab ejus præteritione resultantem, non salvet clausula codicillaris, ut in liberis, vel parentibus contingit, quodque juxta non improbabilem opinionem, de qua agendo de hoc eodem Monasterio *sub titul. de legitima*, occasione alterius legitimæ, ex bonis inhonestæ mulieris, per ejus matrem detrahendæ, ut sit species æris alieni.

8 Præterea ad rem quoque proxime adaptari dicebam propositionem, de qua *sub titul. de feud. disc.* 87. & *sub titul. de testament. disc.* 18. & alibi pluries, quod scilicet, quando lex, vel alia dispositio expressam habet rationem, quæ majorem contineat amplitudinem, quam verba, tunc ratio debet esse regulatrix, ac propterea non præcisa, sed æquipollens forma attenditur ad limites rationis, non autem verborum. Ideoque cum idem Motus proprius expressam habeat rationem fraudis, & præjudicii hujus Monasterii; Idcirco omnes casus complecti debere dicebam, quibus eadem congruat ratio.

9 Potissime vero, & fortius, dum agebatur de gratia, vel provisione ad solam supplicationem, vel suggestionem partis interessatæ emanata, ut propterea ejus tenor, citra Principis voluntatem, affectationis habeat suspicionem, sed causa cognita, prævioque maturo consilio, & examine in particulari Congregatione peritorum, quæ circumstantia nimium attendenda est, ut propterea reddat confirmationem in forma specifica, quamvis insertio tenoris desit, ut pluries in suis locis advertitur. Ac etiam, quod id non concernat favorem privatum, sed potius publicum, ideoque latior, ac benigna cadat interpretatio, juxta sæpius insinuatas, hodieque notorias propositiones.

10 Ponderando quoque, quod licèt juridicum, ac verum sit præfatum assumptum in contrarium ponderatum, ut scilicet hujusmodi officia, utpote de regalibus non sint in libero privatorum commercio; neque privatis subjaceant conventionibus, cum totum pendeat a Principis facto, & potestate. Attamen id percutit substantiam officiorum pro effectibus publicis inter ipsum Principem, & Rempublicam. Secus autem quoad pretium, sive quoad privatum commodum, vel interesse bursale, ut in præcedentibus frequenter advertitur.

11 In congressu vero, in quo Deputati, potius, quam Advocati more loquebar, ad effectum deliberandi quid magis expediret. Dicebam, aliquam superesse dubitandi rationem, non solum ob inconvenientia ex hujusmodi prohibitione resultantia, quæ licet negligenda veniant, quando aliter claré, & expresse disponat Princeps, vel alter, qui potestatem habeat. Attamen in ambiguo, & pro interpretatione debent nimium attendi, ex pluries insinuatis *sub titul. de fideicommiss.* præsertim *disc.* 30. & alibi, sed etiam fortius ob rationis diversitatem.

12 Siquidem etiam in censibus, aliisque contractibus vitalitiis, juxta præsertim illam speciem, *de qua sub titul. de emption. & vendit. disc. 1. & tit. de donat. disc. 35.* Pontifex non simpliciter, & indefinite id prohibuit, sed solum qualificate, ne scilicet fieri valeant sine scientia, & consensu Administratorum, pro effectibus consideratis *eodem disc. 37. de testament.* Primo nempe, ut ita occurratur fraudibus, & collusionibus, & secundo, ut volens, possit ipsum Monasterium in isto contractu præferri, quod bene remanet practicabile, quamvis ille, qui ejus pecuniam huic contractui exponere vult, dicat, quod non propriæ, sed alienæ vitæ aleam experiri velit, cum id recte practicabile sit eodem modo, quo in officiis, & locis Montium vacabilibus frequens praxis docet, atque in præcedentibus pluries advertitur. Ut scilicet in faciem unius, ad commodum alterius fiat contractus.

Unde quando una, vel altera cessante ratione, quia nempè contractus vitalitius fiat sincere, ac citra omnem fraudem, atque Monasterium præferri negligat, adeout desit justa causa denegationis hujusmodi consensus, ille valeat per Judicem suppleri, juxta quotidianam receptam praxim frequenter sub diversis materiis insinuatam.

13 Plures itaque differentiæ rationes inter istam investimenti speciem, & alteram in censibus aliisque privatis contractibus vitalitiis dignosci videntur, ex quibus dicebam, nimium dubitari posse, an sub genere aliorum contractuum, qui ampliative ad census in hoc diplomate enunciantur, veniat ista species investimenti.

Primo nempe, quia in ea non cadit illa suspicio, vel possibilitas fraudis, vel collusionis considerata, *dict. disc. 37. de testam.* dum investimentum fit publice, & palam cum auctoritate Principis, & per adeo publicum, & authenticum organum Officialium Datariæ.

Secundo, quia longa dignoscitur differentia inter istud investimentum, & illud, quod fiat cum privatis; tum ob majorem securitatem, & exemptionem a periculo evictionis, vel insufficientiæ debitoris; tum etiam ob magis promptam, facilem, & commodam exactionem fructuum, sive emolumentorum. Et fortius ob libertatem extra statum infirmitatis, vel nimium gravis ætatis, hujusmodi officia vendendi, & se liberandi a periculo amissionis pretii, ut supra *disc. 6.* & in aliis pluries, quod in censibus vitalitiis non est practicabile ob omnimodam irrepetibilitatem, ac mortem sortis principalis, & ob quam rationem praxis docet, quod fructus censuum vitalitiorum sint majores, quam illi hujusmodi officiorum.

Et tertio in idem, quia in hac specie practicabilis non est ipsius Monasterii prælatio, & per consequens ob adeo diversas rationes, nimium dubitari posse advertebam, de illatione ab una specie ad alteram, quodque iste consensus in hac specie desiderandus non veniat.

14 Ad quod proxime ponderari posse videtur id, quod in praxi habemus circa conventionalia investimenta, sive illa, quæ per Principem demandentur pro cautela, & interesse tertii, quoniam quando agitur de investimento privato in bona stabilia, vel in census ob fraudis, & collusionis, vel etiam imprudentiæ suspicionem, & possibilitatem, demandari, vel respective conveniri solet, ut fiat non solum cum scientia, sed cum consensu interessati, secus autem, ubi agatur de investimento in loca montium Cameralia libera ob eorum securitatem, & libertatem ab omnibus vinculis, & nexibus, ac propterea cessat illa ratio, ob quam interessati consensus desiderentur.

Ac demum ubi etiam superius ponderata ratio alicujus præjudicii Cameræ, seu Datariæ in ita restricta commercii officiorum libertate, sola, & de per se non esset adeo considerabilis, adhuc tamen cum præmissis aliis conjuncta, aliquam meretur considerationem, Ideoque censui casum honesta concordia dignum.

ROMANA PALATII,

PRO MARCHIONE DE PERNE,

CUM PRINCIPE SABELLO.

Casus varie decisus.

De Fiscalibus Regni Neapolitani, eorumque natura, & qualitate, & quomodo transeant de uno in alterum, sive quomodo amittantur. Et incidenter de pacto resolutivo, an sit transmissibile ad hæredes, vel potius personale.

S U M M A R I U M

1 *Facti series,*
2 *Resolutiones.*
3 *Quod pactum rescissorium sit transmissibile,*
4 *Quando sit personale.*
5 *Quomodo pacta debeant interpretari.*
6 *Quomodo attendi debeant clausulæ, & distinctiones.*
7 *De casu speciali, & quomodo pactum attendi debeat.*
8 *De dominio dotis in viro.*
9 *De pacto, ut importet declarationem animi.*
10 *De abusu modernorum circa auctoritates.*
11 *Qui vult rescindere permutationem, vel alium contractum, debet restituere, quod accepit.*
12 *De fiscalibus Regni Neapolitani, eorumque natura.*
13 *De aliis regalibus.*
14 *De hujusmodi redditum venditione privatis.*
15 *De libertate, aliaque natura hujusmodi redditum, & jurium.*
16 *In quibus differant fiscalia, & alia jura Regis Regni Neapolitani a locis montium Urbis.*
17 *Quid operetur Regia pragmatica a fiscalibus.*
18 *Factum privatorum, vel administratorum Communitatum in hoc nullum jus tribuit.*

D I S C. CLXXXVII.

1 POssidens Latinus Ursinus regia fiscalia ejusdem proprii Oppidi Amatricis, quod jure feudi antiqui possidebat pro rata annui redditus ducatorum trium millium, ex eis cessit ratam scutorum septingentum circiter Duci Joanni Sabello in satisfactionem cujusdam crediti dotalis. Cumque defuncto Joanne, superstite unica filia, & hærede Camilla fundatrice Monasterii, de quo agitur *sub titul. de Regular. in hoc Supplemento*, ac etiam habetur mentio *sub tit. de servit. disc.* 39. Itaque, vel forte etiam ipsemet Joannes neglexisset obtinere hujusmodi ratæ fiscalium descriptionem in ejus personam in illis publicis libris sub vocabulo intestationis explicari solitam, eodem modo, quo de locis montium Urbis habetur pluries in præcedentibus, & de ipsismet similibus juribus in hoc Regno habetur supra *hoc tit. disc.* 40. Idcirco in ea hujusmodi fiscalium, aliorumque jurium generali recognitione, quæ in quædam tempora pro illius Regni stylo fieri solet, secutum est, quod de anno 1612. ob istius intestationis defectum, ipsa Regia Curia, seu Camera, hanc ratam sibi applicavit, impediendo propterea exactionem Joannæ, quæ ob promissam a Latino evictionem, & exigibilitatem, litem instituit contra Alexandrum Latini filium, & hæredem, ejusque Oppidi pro moderno frequenti titulorum usu, vel abusu, sub titulo, seu dignitate Principis dominum, ac possessorem. Cumque ista lite pendente, circa finem anni 1636. Alexander in Urbe matrimonium contraxerit cum Anna Maria Caffarellia sorore illius Ducis, hujus cognominis, cujus adeo frequens mentio habetur *sub tit. de feud. disc.* 79. *& seqq.* ac etiam *sub tit. de credit.*, *& alibi pluries*, cum dote scutorum triginta millium, in quorum computum, pro rata decem millium circiter, tamquam species tamen, & fundus dotalis, assignatum fuit palatium, in eadem Urbe, situm prope Ecclesiam S. Andreæ a Valle. Idcirco initio anni 1637. ad quatuor circiter menses post matrimonium ad prædictam litem componendam per viam concordiæ, inter Alexandrum, & Annam Mariam conjugem ex una, dictamque Camillam ex altera, inita est permutatio prædictorum fiscalium, aliorumque jurium Joannæ competentium cum præfato palatio, eo tamen pacto ex parte Annæ Mariæ adjecto, ut in casu soluti matrimonii, vel quocumque alio, ob quem ejus dotis restitutioni, vel assecurationi locus fieret, contractus resolutus remaneret, sibique licitum esset ad proprium fundum dotalem regredi.

2 Dissoluto itaque matrimonio per mortem mulieris, superstite N.N. unico filio, in pupillari ætate, hic factus major, patre adhuc vivente, tamquam hæres matris, in vim dicti pacti resolutivi, atque in eo adjectæ facultatis capiendi propria auctoritate, obtinuit ab Aud. C. contra Principem Sabellum dictæ Joannæ hæredem ad palatium associari. Introductaque causa in Rotam coram Priolo sub die 27. Februarii 1673. pro ejusdem immissionis competentia favore actoris, responsum fuit. Reproposita vero causa coram eodem sub die 9. Aprilis 1674. recessum fuit a decisis, istaque posterior resolutio confirmata sub diebus 27. Junii sequentis, & 1. Februarii 1675. coram Taja, subrogato in locum Prioli interim defuncti, atque in hoc statu causa pendet.

Cum autem de extremis, atque de personæ legitimatione non dubitaretur, hinc ad duos punctos restringebatur quæstio. Primo nempe ad prædicti pacti personalitatem ex parte Rei conventi prætensam, ideoque illud per hæredem exerceri non posset. Et secundo, quod ubi etiam pactum esset exercibile per hæredem, adhuc tamen restitui deberent dicta fiscalia accepta, quorum restitutio sequi non posset, ex eo, quod per superventam Regiam pragmaticam de anno 1648. illa essent amissa, & Regiæ Cameræ applicata ob neglectam comparitionem & justificationem, ut ita sequeretur intestatio, ideoque, ejusdem Annæ Mariæ, vel ejus hæredis culpæ id adscribendum esset.

3 Prior punctus personalitatis in prima decisione rejectus fuit, neque in posterioribus dictum est contrarium, quinimo in ultima disputatione sub die 2. Februarii 1675. potius Rota inclinabat in hac parte in confirmationem primis resolutionis. Et merito, quoniam regulariter hujusmodi pacta resolutiva, ac etiam prælativa, & similia quoties verba, vel facti circumstantiæ limitationem non suadeant, sunt transmissibilia, & cessibilia, ut advertitur *sub tit. de servit. ad materiam retractuum disc.* 85. *&* 88. *ac etiam sub tit. de feud. occasione bullæ Baronum disc.* 96. *& alibi pluries.*

4 Et quamvis aliquando super hujusmodi pactorum stricta, & religiosa intelligentia procedi soleat, & propterea censenda sint personalia, & non transmissibilia, juxta ea, quæ præsertim habentur aliis relatis *discurs.* 330. *&* 372. *part.* 11. *rec. & sub tit. de usur. disc.* 8. *ac etiam sub tit. de alienat. & contract. disc.* 46. *& alibi*. Attamen id procedit ratione subjectæ materiæ odibilis, ob suspicionem usuræ, ut ex. gr. contingit in pactis commissionis, juxta casum, de quo *dict. disc.* 330. *&* 371. *par.* 11. *d. disc.* 8. *de usuris, cum similibus.*

5 Ideoque in hujusmodi pactorum regulatione, attendenda quoque venit adeo frequenter, sed semper opportune insinuata propositio in ambiguarum voluntatum, tam defunctorum, quam viventium interpretatione omnino attendenda, ut scilicet immorandum non sit in cortice, & formalitate verborum, vel clausularum, & dictionum, sed principaliter attendi debet substantia verisimilis voluntatis, deducenda ex natura, sed qualitate conventionis, & ex aliis circumstantiis, ut locis citatis advertitur.

6 Clausulæ siquidem, ac dictiones attendi debent famulative, & concomitanter, non autem principaliter, ac solæ, & de per se, quoniam, ut sæpius advertitur, stante præsertim abusu Notariorum extendendi contrahentium, vel disponentium mentem in lingua latina, Partibus ignota (ut in præsertim inter mulieres) & juxta eorum formularium. Hinc resultat, quod casualiter aliquæ clausulæ, vel dictiones adjiciuntur, absque eo quod, non solum Partes, sed neque ipsimet Notarii ad eas advertant, earumque vim, & operationem sciant. Ideoque irrisione digni semper censendi sunt illi, qui in judicando, vel consulendo, in hujusmodi verborum formulis, eorumque grammaticali intelligentia, vel significatione vim constituunt, nisi quando deserviant famulative, vel pro interpretatione ejus, quod pro facti qualitate ambiguum sit; sive quod clausulæ, vel dictiones respiciant validitatem actus, illumque juxta agentium voluntatem,

ob

ob rigorem juris præservent a nullitate, ita lege rationabiliter præsumente, quod Partes quamvis illas clausulas ignorent, atque ad illas non advertant: Attamen generaliter in animo habuerint adhibendi Notarium, tamquam peritum, ut adjiceret omnes clausulas, & cautelas pro actus meliori firmitate, juxta ea, quæ occasione clausulæ codicillaris, & similium habentur *sub tit. de testam. disc. 57. & alibi*.

Ille vero discursus de plano, peneque ad litteram cadebat in hac facti specie, in qua propterea (etiam in sensu veritatis) scribendo pro Actore, dicebam omnino contemptibilia censenda esse ea, quæ cum magno allegationum cumulo, solitoque improbo, ac superfluo labore, juxta ineptum pragmaticorum stylum, deducebantur circa quasdam dictiones, & verba, personalitatem denotantia, ut præsertim sunt dictiones *ipsi*, vel *illi*, & similea, stante subjecta materia, ejusdemque conventionis contextura.

Cum etenim diceretur, quod ad eam deventum esset
7 per concordiam pro superius enarrata lite componenda, in qua mulier palatii domina, & quæ de pacto resolutivo sibi consuluerat, nullum penitus interesse, vel participationem habebat, ac propterea sibi nullatenus congruebat iste terminus concordiæ, vel transactionis, qui non cadit nisi, ubi adsit lis, vel ejus probabilis timor, & inter ipsos colliti gantes, ut in sua sede *sub tit. de empt. & vendit.* & alibi passim. Hinc propterea advertebam, quod verus germanusque hujus pacti sensus erat, quod contractus permutationis, vel concordiæ principaliter initus est inter Alexandrum, & Camillam colliti gantes, ejusdem vero Alexandri mulier, pro quadam Camillæ cautela exuberanti intervenisset, præstando illum consensum,
8 qui neque necessarius erat, dum constante matrimonio etiam in fundis dotalibus, vir habet illud dominium utile, vel subalternum, de quo in sua sede *sub tit. de dote disc. 158.* ac propterea mulieris nil intererat, constante matrimonio, atque viro ejus onera supportante, & in consueto bono statu continuante, adeout nec restitutionis, nec assecurationis locus fieret, an bona dotalia essent penes ipsum virum, vel tertium ejusdem viri cessionarium, sed penes eum noluit perseverare, postquam ipsius viri jus cessasset, ac resolutum esset.

9 Et sic non in ratione illius veri, ac proprii pacti resolutivi, per quod destruatur, & annihiletur substantia contractus jam perfecti quoad ipsos contrahentes, juxta casus, de quibus agitur *in decisionibus, & auctoritatibus supra recensitis*, sed in ratione declarationis animi, seu limitationis consensus ad certum casum, ultra quem consensus habendus esset pro non præstito, atque actus pro infecto, juxta illam speciem pacti, de qua *sub tit. de feud. discurs. 57.* Unde potius remanet conventio in terminis conditionis impedientis in casu convento, vel specificato, perfectionem, vel essentiam actus, & ne incipiat, quam destructio actus jam perfecti, & juris quæsiti ablationem, juxta distinctiones de quibus *sub tit. de testam. disc. 73. & sub tit. de fideicomm. discurs. 154. & alibi*.

10 In hoc autem præsertim dignoscitur vera intolerabilis, & nauseativa modernorum pragmaticorum ineptia, quod scilicet conventione continente explicitum, vel implicitum pactum resolutivum super ejus interpretatione, vel praxi, in confuso cumulentur omnia, quæ cum improbo labore revolvendo, repertoria decisionum, aliorumque librorum, in eis inveniantur sub verbo *pactum resolutivum*, ad litteram attendendo omnes decisiones, & auctoritates, quæ de materia pacti resolutivi agant, non reflectendo ad diversas species, & an faciant ad casum, necne, ratiocinia, & subtilitates reputando hujusmodi discursus, & distinctiones, quo nil ineptius.

11 Tota itaque difficultas hujus causæ residebat in alio motivo, quod de jure, & in abstracto erat verum, sed malè ad rem applicabatur, quod scilicet ille, qui in vim hujusmodi pacti ad rem suam vult regredi, restituere debet alteri contrahenti rem propriam ejus facto, & culpa non deterioratam, vel ab alio occupatam, juxta auctoritates in causæ decisionibus recensitas, quarum testimonium neque necessarium erat, dum ego scribens in contrarium, non negabam, immo expressè admittebam veritatem assumpti in puncto juris, quodque propterea cumulus allegationum pro frequentiori contingentia redoleret inanem chartarum repletionem. Dicebam tamen etiam in sensu veritatis apertam fallaciam consistere in applicatione ad casum.

Ad id autem probandum, opportunum censui explicare hujusmodi fiscalium naturam, quoniam licet id sit notorium in ea regione; attamen tale dici non potest in Urbe, & præsertim in hoc Tribunali, quod constitutum est in notabili parte ex Ultramontanis, ut insinuatis *disc. 32. in Relat. Curiæ*.

Dicebam itaque, quod ut advertitur *disc. 5 Miscell.* 12
Eccles. ex antiquis illius Regni moribus, & concordatis respective inter ipsum Regnum, & Reges pro tempore, Rex non imponit collectas neque gabella, ut facit Papa in Statu Ecclesiastico, & faciunt quidam alii Italiæ Principes, sed pro ordinariis antiquis oneribus, Rex exigit a quolibet loco, seu Communitate annuam uniformem summam ad rationem focularium, ducatorum scilicet quatuor circiter pro quolibet foculari, & anno, istaque præstatio explicatur sub isto nomine fiscalium. Pro aliis vero extraordinariis expensis, vel subventionibus Regis, solet idem Regnum in generali Parlamento facere Regi in tempora aliquod donativum, atque pro istis, aliisque oneribus communitativis quælibet Communitas sibi ipsi, ejusque Civibus inducit gabellas, vel collectas varie, prout provinciarum, vel regionum, sive locorum qualitas exigit, dum alicubi omnia fere onera supportantur per gabellas super pane, & vino, aliisque vectigalibus, juxta ea, quæ habentur supra *disc. 54. & in Miscell. Ecclesiast. d. disc. 5. & 6.* Alicubi vero super bonis per collectam per æs, & libram, & alicubi per collectam personalem, quæ capitatio dicitur vulgo *la testa*, sive prout alias loci, vel populi qualitas exigat, regia licentia solum requisita, ubi de novis collectis, vel gabellis indicendis agatur.

Hujusmodi itaque fiscalia, prout etiam pleraque alia
jura Regalia, ad Regem pertinentia, ex quibus ma- 13
gni redditus, & emolumenta percipiuntur, ut sunt Dohanæ, juxta illam speciem, de qua occasione agendi de Dohanis Urbis, habetur supra *disc. 65. & 67.* & alia dohana pecudum, & pascuorum, de qua pariter supra *disc. 94. & 95.* necnon salinæ, & salariæ, de quibus pluries in præcedentibus, ac mineralia, & jura privativa, & alia, sub hoc genere Regalium cadentia, juxta pene omnium Principatuum Europæ introductionem, ex eo quod annui redditus eo modo, quo singula tempora percipiuntur, pro urgentibus indigentiis belli non sufficiat, consueverunt vendi personis privatis in proprietate non quidem vendendo ipsam Regaliam, sed
solum ipsos redditus, vel emolumenta ad rationem tot 14
pro centennario, tanquam per implicitam impositionem census consignativi, quem Princeps, vel Respublica super hujusmodi juribus faciat, ut recipiendo centum in sorte, promittat solvere quatuor, vel quinque pro centenario, eodem modo, quo plures in præcedentibus dictum est de locis montium Urbis, cum in effectu, ubique hujusmodi venditiones idem importent, quamvis pro diversitate regionum diversa sortiantur vocabula, quod scilicet alicubi loca montium, alicubi fiscalia, vel respective jura super arrendamentis, alicubi jura cum Rege, ut in Hispania, & alicubi Comperæ, sive cum aliis vocabulis nuncupantur.

Omnia vero ubique pariformiter eandem sortiuntur naturam ob rationis identitatem, quod scilicet quoad
ipsum Principem, vel Rempublicam ille reputatur domi- 15
nus, & possessor, qui in libris publicis ad id destinatis per manus officialium, ad hoc munus deputatorum, describuntur, absque eo, quod sint in privato commercio abdicativo, & respective translativo dominii, & possessionis ex sola privata conventione absque facto, & auctoritate officialis, sine qua etiam in hæredes, vel successores quoscumque non datur transitus dominii, vel possessionis, nisi eorum præscriptio in præfatis libris sequatur, sub intestationis vocabulo explicari solita, eodem modo, *quo sub tit. de feud. disc. 7. & in aliis*, dictum est de descriptione feudatariorum in libris, vel quinternionibus feudorum, cum pariformiter hujusmodi jura Regalia, sub quorum genere veniunt quoque officia venalia, regulari videantur, adeout intret quoque eadem propositio, de qua *d. tit. de feud. disc. 24. & in aliis*, ut in eit non iotret rubrica, *plus valere, quod agitur, quam quod simulate concipitur*, sed verus dominus possessor dicatur ille, qui in illis libris fit descriptus, absque eo quod alteri jus in re, vel ad rem quæratur, nisi ejusdem Principis, vel Reipublicæ, seu officialis

cialis ad id deputati auctoritas, ad instar assensus domini super feudis accedat.

Atque hinc, potius ratione subjectæ materiæ, ipsorumque jurium natura, quam ex privilegio, ut aliqui erroneè credunt, manat hujusmodi jurium liberum commercium, de quo supra *disc. 26. cum pluribus seqq.* ut in alterum in quem transferri contingat, transeat libera, & exempta ab omnibus hypothecis, vinculis, & nexibus, quibus penes priorem possessorem obnoxia essent, ex pluriès assignata congrua ratione, ut scilicet cessio, vel resignatio, quam possessor faciat, redoleat speciem refutationis jurium in manu ipsius Principis extinctivam potius, quam translativam, adeout extincto, vel corrupto priori jure, idem Princeps, vel Respublica per organum officialis ad id deputati, jure novæ creationis, vel efformationis, idem jus alteri concedat, qui id directè, ac immediatè ab eo recipere dicitur, ipsumque in ejus auctorem agnoscit, alteri non subjectus vinculo, nisi illi, quod in ipsismet libris ac litteris desuper expediri solitis, exprimatur, juxta regulas beneficiales in resignationibus beneficiorum ad favorem in manu Papæ.

16 In plerisque autem hujusmodi fiscalia, vel consimilia jura Regia illius Regni a nostris Locis Montium Urbis differre videntur. Primo nempe, quod quandoque præsertim, ea quæ antiquis temporibus, tam ex causa onerosa, & correspectiva, quam etiam ex Regum munificentia, concedi consueverunt, concedantur in feudum, non autem in allodium, ut propterea regulis, ac oneribus feudalibus, & præsertim illi Adobæ subjaceant; quod in Urbe non est in usu, nisi quando annuus redditus pecuniarius super hujusmodi juribus Cameralibus, esset subrogatus loco alicujus feudi sub eadem natura.

Secundo quod in Urbe assignamentum, sive dos Locorum Montium præsertim Cameralium non est sub administratione ipsorum privatorum, qui directè, ac manu sua ad proprium commodum, vel incommodum fructus, & emolumenta exigant, sed est penes illos publicos officiales, qui Depositarii nuncupantur, a quorum manibus privati Montistæ singulo quoque bimestri fructus exigunt, adeout assignamentorum augmentum, vel diminutio ipsius Cameræ Apostolicæ, vel respective alterius debitoris Montis, damno vel commodo cedat. In prædicto autem Regno dicta Fiscalia, aliaque consimilia jura assignantur privatis, qui directè, ac manu sua exigant ab illis Communitatibus, vel aliis, ad quos solvere pertineat, eorumque sit idoneitatis, vel deficientiæ Communitatum, vel debitorum commodum vel incommodum.

Et tertio ad rem nostram (neglectis aliis differentiis ad eam non facientibus) quod in Urbe si Montistarum hæredes, & successores, sive cessionarii translationem in eorum faciem, sive intestationem negligant, id cedere solet ad commodum depositariorum, non quidem in substantia, sed in dilatione, ac usu fructuum intermedii temporis, quoniam detecto domino, huic omnes decursi fructus solvi debent, eoque non detecto, adeout habeantur pro vacantibus, subintrat Camera, ex jure Fisci in hujusmodi bonis, sed & quandoque etiam in substantia quando id negligatur. In dicto autem Regno in tempora fieri solet revisio, seu regulatio generalis, & præsertim pro jure Adohæ, vel devolutionis, in illis Fiscalibus, quæ possideantur in feudum, atque ubi comperiatur non adesse legitimum possessorem in dictis Libris descriptum, sibi ipsi applicat, non quidem jure omnimodi, ac irretractabilis dominii, quoniam id injustitiam, ac tyrannidem redoleret, sed jure illius possessionis, & tenutæ, quæ ubique consueta, & connaturalis est in Fisco non litigante manibus vacuis in iis bonis, quæ ex causa devolutionis, vel alias ad se spectare prætendat, juxta insinuata pluries *sub tit. de feud.* & alibi. Idque sequutum fuit in his Fiscalibus in situatione, vel revisione anni 1612. ex quo tempore Regia Curia illa possedit, atque de eis disposuit.

His itaque sic stantibus, dicebam scribens pro actore contra posteriores resolutiones, cum eodem insinuato sensu veritatis, quod duo resultarentur. Primo nempe, quod de anno 1637. in quo initus fuit contractus, Camilla non habebat nec dominium, nec possessionem, quorum neutrum, neque prius habuerat, & per consequens, vel in dictam Annam Mariam transferre potuit, ea vulgari axiomate, *quod nemo plus juris &c.* Minusque Anna, quæ nihil receperit, ad aliquam teneretur restitutionem, quoniam dum sola verba accepit, sufficiebat, eadem verba restituere.

Et secundo quod ita in hujusmodi Fiscalibus d. Regia pragmatica, nil novi induxerat, dum jam per annos 36. antecedentes, Regia Curia obtinebat. Unde propterea opus non erat examinare punctum, an dicta pragma- 17
tica disponat solum id, quod supra insinuatur circa possessionem, & tenutam donec legitime justificentur titulus illius, qui prætendat jus habere, vel potius pœnalem amissionem ob contumaciam non justificationis factæ in tempore, juxta casum de quo supra *disc.* 14.

Ultimæ præsertim resolutionis de anno 1675. fundamentum unicum, fuerunt quædam modicæ exactiones fructuum, quæ supponebantur, factas esse a Syndico dictæ Communitatis per Camillam de annis 1625. & 1627. & per Annam post dictum contractum. Verum ultra ea, quæ in facto deducebantur circa hujusmodi exactionum veritatem, quæ ex hac parte impugnaba- 18
tur. Ubi etiam ita res esset, adhuc tamen cum eodem sensu veritatis dicebam id continere æquivocum manifestum, quoniam non ex eo, quod Syndicus, vel alter administrator Communitatis solvat aliquam partem hujusmodi fructuum, resultat dominium, & possessio, vel aliud jus in eo, cui solutio fiat, cum non ab illius administrationis facto, & voluntate, sed ab illo Principis, vel officialis ad id deputati, juxta consuetam formam id pendeat.

Ut exemplificando in illis Locis Montium Urbis, quæ Communitatum dicuntur, quia scilicet, ipsæ Communitates sunt vere, & proprie debitrices, solumque Papa, vel ejus Camera fidem accommodet cum erectione Montis, vel aggregatione alterius Montis, quoniam si hæres, vel cessionarius Montistæ absque eo quod sit descriptus in libris, & quod per Secretarium Montis, loca ad defunctum, vel ad cedentem spectantia in ejus faciem intestentur ab aliquarum Communitatum administratoribus exigat fructus, non per hoc dici poterit dominus, vel possessor, sed erit simplex intrusus, nullum habens dominium, nullamque possessionem, eodem modo quo esset ille, qui a colonis, vel debitoribus, seu rendentibus alicujus beneficii, aliquos exigeret fructus, absque aliquo titulo sibi collato per Papam, vel per ordinarium, qui alteri idem beneficium contulisset, sive posuisset sub sequestro tamquam vacans, vel alias de eo disposuisset, quoniam non per hoc dici potest, ut ille esset Beneficiatus ita, & taliter, ut illud beneficium cum altero permutare posset; istosque dicebam esse veros, & proprios præsentis causæ terminos.

ROMANA OFFICII CURSORATUS,

PRO ALEXANDRO ALBRITIO,

CUM HÆREDE SEBASTIANI BERTARELLII.

Casus decisus per Rotam pro herede.

An, & quando reservatarius officii dicendus sit dominus, vel potius creditor. Et de effectibus exinde resultantibus pro augmento, vel diminutione valoris, cujus commodo, vel incommodo cedat.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De formula decreti reservationis, ut sit uniformis tam favore domini, quam creditoris.*
3 *Quod ab hac distinctione pendeat inspectio commodi, vel incommodi.*
4 *Quomodo dignoscatur, an reservatarius, sit dominus, vel creditor.*
5 *De applicatione ad casum, ejusque circumstantiis.*
6 *Observantia est optima interpres, eique deferendum est.*
7 *Quando dicatur adesse fraus usurarum.*
8 *Actus spectantes ad officium fiunt per officialem, non autem per reservatarium, quia in eo residet substantia officii.*
9 *Augmentum causatum ab industria officialis fiduciarii, an sit suum, vel reservatarii.*

DISC.

D I S C. CLXXXVIII.

1 Officium Cursoratus, quod vacabat per obitum possessoris, de anno 1662. Dataria concessit Alexandro Albitrio pro pretio scutorum 1400. quo solvit Sebastianus Bertarellus, ad cujus favorem facta fuit illa reservatio decreti, de qua pluries agitur supra, præsertim *disc.* 1. 4. *quæst.* 7. 10. 11. & 12. Attento vero eo tempore, modicum erat juniorum, seu noviter admissorum lucrum, quoniam negotia, ex quibus majora emolumenta resultant, ex quodam jure accrescendi seniorum pro majori parte esse solebant, hic autem status de anno 1665. immutatus fuit, quoniam ex omnium Cursorum conventionali lege per Papam approbata, constituta fuit massa communis, ideoque tractu temporis produxit hujusmodi officiorum valoris notabile augmentum, super quo exorta controversia inter dictum Alexandrum officialem, & heredem Sebastiani interim defuncti coram Datario, atque ab isto remissa controversia consultationi Rotæ coram Ubago, datoque dubio, cujus temporis pretium attendendum esset, sub die 15. Februarii 1675. reservatario favorabilis prodiit resolutio; ad ipsum scilicet spectare officii dominium, & per consequens pretium, eique commodo de præsenti attendendum fore. Atque mihi, licet in contrarium scribenti pro officiali; probabilis visa est resolutio, & juxta proprium sensum jam ab initio pro stylo requirenti sincerè insinuato.

2 Punctus itaque pro meo judicio facti potius, quam juris erat super partium voluntate; quoniam cum uniformis hujusmodi decreti sit formula, eaque ita congruat illi, qui pecuniam præbeat ad officium emendum jure dominii ad proprium commodum, & incommodum, ac illi, qui eandem pecuniam mutuet jure creditoris, ita obtinendo illud decretum tanquam per speciem illius assensus, de quo *disc.* 13. & 151. *de credito, & pluries sub tit. de feud.* Et advertitur supra *hoc eodem tit. in disc. supra cit.*

3 Hinc, ut præmissum est, punctus non erat in jure, sed in facto, sive in applicatione, & qualis fuerit voluntas partium, reservatarii scilicet, & officialis, cum ab hoc revera decisio pendeat, adeout evidens videatur error procedendi cum generalitatibus in abstracto, sive constituendi vim in formalitate verborum decreti Apostolici, cum illa æquè bene uni, ac alteri reservatario congruant.

Atque ex hac distinctione pendet resolutio, cujusnam esse debeat augmentum, vel decrementum, cum unum, vel alterum, tanquam sequela dominii, ad illum spectare dicatur, qui dominus est, non autem ad creditorem, ut de augmento Locorum Montium, Carill. *decis.* 148. *& alibi pluries.* Et quamvis aliquando creditor, non de jure, sed de facto decrementi damnum sentire soleat, quia nempè ita resultat insufficientia debitoris, ut advertitur pluries supra, *ac etiam disc. 7. de Societ. Officii*, occasione agendi de illis Societatibus, quæ præter communem usum fiant super periculo vitæ ejusdem officialis debitoris, attamen id provenit ex accidenti, non autem ex Juris dispositione.

4 Ad dignoscendum autem an uno, vel altero modo pecunia data sit, certa, & generalis regula cuicumque casui applicabilis, non de facili statui potest, dum ex præmissis non est punctus juris, sed facti ex singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis regulandus, vel decidendus. Unde pariter intrat idem insinuatus error, qui pragmaticis, vel Collectoribus connaturalis esse solet, procedendi absque alio ratiocinio, vel discursu cum propositionibus generalibus, vel cum illis decisionibus, & auctoritatibus, quæ diversos percutiant casus.

Ex illis vero generalitatibus, quæ in ambiguis, & conjecturalibus materiis attendi solent. Tres in proposito attendendæ videntur, non quidem ad certam probationem, sed ad præsumptionem, in ambiguo suffragantem, nimiumque attendendam, quoties alia in contrarium magis non urgeant. Primo nempe inspici debet summa, seu quantitas pecuniæ, & an sit pro toto pretio, vel potius pro parte, quoniam quando fit pro toto, magnum argumentum est dominii. Quando vero è converso pro parte, argumentum est crediti, ut conjicitur ex combinatione casuum, de quibus supra *disc.* 1. *cum multis sequentibus*, in quorum plerisque de una, & in aliis respective, de altera specie agitur.

Secundo in idem, & magis restringens inspici debet modus solvendi pecuniam, an scilicet illa directe, & immediate per Datorem solvatur Datariæ, vel resignatori, aut è converso solvatur ipsi, emere volenti officium, ut in primo casu intret præsumptio pro dominio, in altero autem pro credito, juxta casum *decis.* 34. Aponte, & alios, de quibus supra *disc.* 12. *& in aliis*.

Et tertio magnum argumentum resultare videtur ex magis communi usu, qui, ut praxis docet, regulam recipere solet a natura, seu qualitate officiorum. Siquidem, ubi agitur de illis officiis, ex quorum intrinseca natura, & qualitate magis, quam ab industria, & exercitio officialis, emolumenta resultant, adeout etiam absentibus, vel idiotis, aut infantibus, & respective etiam mulieribus congruant; aliquod vero ministerium illis annexum, comparative ad emolumenta sit modicum, illudque cum modico pariter stipendio explicari valeat, & soleat per substitutum, ut sunt pro majori parte officia Cancellariæ, & Secretariatus Apostolici; & tot militiæ, vulgo, Cavalleratus, necnon portiones Ripæ, & similia, & tunc præsumptio magis assistit dominio. Aut vero è converso sunt officia, in quibus principaliter requiratur industria personæ, atque majora emolumenta ex eadem industria, & peritia, ac labore personali manent, ut ex. gr. sunt ista officia Cursorum, ac etiam illa Notariorum Auditoris Cameræ, & Tribunalis Cameræ, nec non Vicarii, & Capitolii, & similia, & tunc secus, ut scilicet, potius crediti, quam dominii urgeat præsumptio, ut præsertim in officiis Notariorum generalis praxis docere videtur.

5 Applicando autem ad rem. Quamvis scribendo pro officiali conductitio, seu venali more Advocati, ad evitandas decisiones, & auctoritates insinuatas, in allegatis discursibus, de quibus supra, ex quibus perscribentes, hinc inde totum desumebatur principaliter, ac omnino insistere in hac distinctione, seu circumstantia naturæ, vel qualitatis officii, quodque ita omnes auctoritates, hinc inde assistentes conciliarentur. Attamen, reflectendo ad veritatem, advertebam, istam esse circumstantiam nimium quidem considerabilem ad inducendam, potius unam, quam alteram præsumptionem, quæ tamen, juxta naturam simplicis præsumptionis juris, per contrariam probationem, & fortiores præsumptiones eliditur, ut in hac facti specie sequi videbatur, ob alias duas priores præsumptiones, quod scilicet Sebastianus integrum pretium directe, ac immediate, solvisset Datariæ venditrici, non autem tradidisset ipsi futuro officiali ad emendum.

6 Fortius vero ob subsequutam observantiam, quæ, ut insinuatur *disc.* 21. *de judiciis*, & alibi frequenter omnium ambiguorum est optima interpres, atque dicitur interpretationum Regina, quoniam per alteram partem docebatur de conventione, ex qua ad evidentiam dominii, probatio resultabat, quod scilicet, ipse Alexander officialis conduxit officium pro certa pensione correspectiva ad illa emolumenta, quæ detracta mercede operis, ac laboris personalis referenda veniunt ad officium, unde propterea non videbantur intrare termini interpretationis, de quibus, *in l. si de interpretatione, ff. de legib.* sed potius alii vulgares textus *in l. ille, aut ille ff. de leg.* 3.

7 Et quamvis alii pro hac parte scribentes, præsertim vero acutus causæ Patronus replicarent hujusmodi conventionem, ita initam esse in fraudem usurarum, ut ita non servata forma in societatibus officiorum per Apostolicas Constitutiones demandata obtineatur pinguis pecuniæ fructus. Attamen observabam, eidem causæ Patrono, ac principali insinuando, id recte procedere, quando alia datori pecuniæ non assisterent argumenta, quæ potius urgerent in contrarium, ut in crediti, potius quam dominii, vel tituli causam pecunia data esset, & per consequens intraret præsumptio usurarum, atque pro earum pallio talis conventio inita esset. Secus autem, ubi eadem conventio veritatis habeat adminicula, seu argumenta.

8 Magnum item per alios scribentes, quibus ego quoque more Advocati adhærebam, constituebatur fundamentum in illis actibus, qui fieri solent in nova admissione officialis, ac etiam successive in progressu, & præsertim, ac magis in dicta conventione facta per totum Collegium super immutatione consueti status, ac reductione emolumentorum ad massam communem, unde supponebant valoris argumentum prodiisse, dum omnia gesta erant per Alexandrum officialem, absque eo, quod refer-

reservatarius se ingereret, vel aliquam haberet participationem.

Sed pariter id mihi videbatur leve argumentum, quoniam, ut pluries in præcedentibus habetur, quoad Principem, & Rempublicam, ac negotia vel jura officiis, vel officialium Collegio, seu Universitati incumbentia, verus officialis dicitur ille in cujus persona officium cantat, & cui Princeps non curata, quamvis clara, & expressa fiducia, vel simulatione, officium contulit, cum in hujusmodi officiis, & juribus regalibus eodem modo, quo in feudis non intret rubrica *plus valere quod agitur*, *&c.* ut frequenter insinuatum est, adeout dominium reservatarii ut improprium, illudque non resideat in substantia ipsius officii, sed potius in commoditate, seu emolumentis. Et per consequens ad ipsum officialem spectabat facere actus officio incumbentes, tam singulares percutientes exercitium, quam etiam communitativos, seu universales pro ejusdem Collegii administratione ad majorem utilitatem ordinata, & ad quem effectum reservatarius implicitum mandatum ipsi officiali, tamquam ejus Institutori, seu Complementario dedisse dicitur, adeout si ex hujusmodi nova conventione immutativa antiqui status, quemadmodum prodiit eventus bonus, prodiisset malus; valoris diminutionem causasset; reservatarii tanquam domini fuisset damnum, dum non poterat ipse ita objicere culpæ malæ administrationis officialis, ex quo fecit cum bona fide actum, quem tot alii officiales magis provecti, & qui tanquam domini officiorum, proprium gerebant negotium, fecerunt, ideoque ejusdem debet esse commodum ex regula *secundum naturam*, *&c.*

4 Quinimo etiam si augmentum valoris hujus officii particularis prodiisset, ab ipsius officialis majori diligentia, industria, & applicatione, ut sequi solet in officiis Notariorum, quod scilicet, penes unum Notarium magis peritum, & industrium, officii valor notabiliter crescit, & penes alterum minus industrium minusque diligentem decrescit, adeout pretium non sit uniforme, attamen cum jure administrationis, potius id sequutum sit, dicendum est, quod ita administrator proprio muneri satisfecerit, suumque munus bene impleverit ad commodum tamen domini, cujus aliàs fuisset damnum, ut aliis relatis in proposito advertitur, *decis.* 45. *num.* 3. *in fin. part.* 2. *rec.* ex deductis per Butr. *in cap. cum M. Ferrarien. de Const. num.* 56. & Felin. *num.* 22. *& conferunt deducta*, *disc.* 27. *de feud. num.* 11.

Dicebat idem principalis, quod ex dicta nova conventione creverat ejus labor, sed id ad rem facere non videbatur, quoniam id solum illi justum præbere potuisset motivum petendi a reservatario majus salarium, seu majorem sui laboris mercedem, non inde tamen inferri posse, ut suum esse deberet pretii augmentum, quemadmodum suum non fuisset decrementum, ut supra.

SPOLETANA, SEU REATINA COLLECTÆ,

PRO CIVIBUS, ET INCOLIS OPPIDI LEONISSÆ,

CUM COMMUNITATE OPPIDI MONTIS LEONIS.

Responsum pro veritate.

An, & ad quæ onera teneantur Forenses pro bonis, quæ in territorio possident.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An Forenses possint Collectari.*
3 *Consuetudo specialis prævalet generali.*
4 *Observantia attenditur in materia gabellarum, & onerum.*
5 *Quare Advocati, & consulentes deducant motiva parum tuta.*
6 *De ratione, ob quam observantia, non de facili inducit exemptionem.*
7 *De constitutionibus revocatoriis exemptionum, quando procedant.*
8 *De exemptione in vim reciprocæ transactionis.*
9 *Collectæ reales quales sint, & quare à Forensibus solvantur.*
10 *Gabellæ super victualibus sunt merè personales, ideoque non solvendæ per absentes, qui in loco non vivunt.*

D I S C. CLXXXIX.

PRomiscuè possidentibus Civibus, & Incolis adjacentium Oppidorum Montis Leonis, de pertinentiis 1
status Ecclesiastici, & Leonissæ de pertinentiis Regni Neapolitani terrena, & prædia in utroque respective territorio; De anno 1608. inter eosdem, seu eorum Communitates deventum est ad concordiam, usque ad præsens observatam, quod pro bonis in quolibet territorio possessis, respective solvi deberent solum Collectæ ordinariæ, quales in statu Ecclesiastico dicuntur impositæ pro illis oneribus antiquis, & ordinariis, quæ Cameralia dicuntur. Et in Regno Neapolitano pro illis pariter antiquis, & ordinariis, quæ dicuntur Fiscalia, dum reliqua sub extraordinariorum, & Communitativorum generalibus, & vocabulis veniunt. Cum autem circa annum 1642. sub Urbano octavo in statu Ecclesiastico immediato imposita esset gabella carnis, seu aliquæ gabellæ factum esset augmentum, cujus mentio pluries in præcedentibus habetur præsertim *disc.* 57. 62. *&* 71. Illaque diversimode per singulas Communitates ab earum Civibus, & Incolis exigi solent, pro solutionis repartimento, Thesaurario, vel Appaltatoribus Cameralibus faciendæ, quoniam in aliquibus locis exigitur, juxta ejus propriam, & regularem naturam, in extrinseco, scilicet, augmento pretii carnis, quæ in macellis venditur in frusta, & alicubi per Collectam super bonis per æs, & libram, ut de hac distinctione in eadem Civitate ejusque Castris, seu locis comitatus, & districtus, habetur supra *d. disc.* 57. Itaque Communitas Montis Leonis, usque ab anno 1651. de licentia Congregationis Boni Regiminis, consueverit eam exigere 2
in posteriori forma pro modo faculiatum, seu per æs & libram, a solis tamen ejus Civibus, & Incolis, non autem ab illis dicti alterius Oppidi bona in eo territorio possidentibus. Post vicennalem autem observantiam, & ultra, prætensionem excitaverit, ista quoque bona, & prædia collectare: hinc desuper ex parte dictorum Civium Leonissæ pro veritate consultus fui, an collectari possent.

Negative visum est respondere. Primo ex generali juris regula pluries in præcedentibus insinuata, & præsertim *disc.* 73. 77. 83. *&* 91. ut Forenses, qui bona in territorio possideant collectari non possint, utpote Communitati collectanti non subjecti, dum juxta magis communiter receptam opinionem, de qua præsertim occasione statutorum habetur in sua magis peculiari Sede *sub tit. de success. ab intest.* requiritur copulative utraque subjectio, personarum, & bonorum.

Et quamvis de antiqua consuetudine Italiæ attestati etiam per Bart. aliosque primos Magistros, id non procedat in hac materia collectarum, ad quarum effectum sola bonorum subjectio sufficit, ex relatis *decis.* 3. post Cenc. *de Cens.* & per alios de quibus locis citatis; Attamen, ut specialiter advertitur in his terminis supra *disc.* 73. & generaliter in omni fere materia incidenter, principaliter 3
autem super ipsa materia legum, & consuetudinum *disc.* 35. *de judic.* consuetudo generalis cedit particulari, quæ prævalet, magisque attendenda venit. Accedente etiam natura subjectæ materiæ gabellarum, & onerum, quod in eis totum facit observantia, quæ ubi sit longissima excedens metam 30. annorum, attendenda venit etiam ad effectum omnimodæ exemptionis, ut ex Bart. & aliis an- 4
tiquioribus, apud Euger. *cons.* 92. *num.* 25. *& seqq. lib.* 1. Cohell. *ad Bull. cap.* 50. *num.* 23. *& seqq.* Capyc. Latr. *consult.* 68. *num.* 24. *& seqq. cum aliis relatis supra d. disc.* 48. *&* 52. *& in aliis pluries.*

Verum istæ generalitates, quamvis eas deducerem ad satisfaciendum Juristarum stylo scribendi, aliquod ha- 5
benti fomentum rationis insinuatæ, præsertim *disc.* 46. *in relat. Cur. & alibi*, quod scilicet, ob ingeniorum vacitatem sæpius levia parumque congrua placent, meliusque capiuntur, solida vero, ac specialia, ex defectu capacitatis, displicent, sive reputantur subtilitates, & ratiocinia; Non placebant; neque sufficientes videbantur, & quatenus persistendum esset in solis terminis observantiæ, vel consuetudinis inducentis quandam gratuitam exemptio-

ptionum; Tum ex facto, dum ab anno 1651. in quo
ista gabella per collectam exigi consuevit usque ad tem-
pus motæ controversiæ non aderat spatium 30. annorum,
sed solum viginti, & parum plus, ideoque ex solo fa-
cto cessabat applicatio.

Tum etiam quia, ut pluries in præcedentibus adverti-
tur, nimium rarum, nimiumque difficile est, istam pro-
positionem ad praxim deducere, cum de facili, admini-
6 stratorum, sive appaltatorum, aut exactorum negligen-
tiæ, id referri soleat, non aptæ prejudicari ipsi Commu-
nitati; Præsertim verò in statu Ecclesiastico ob Consti-
tutiones Apostolicas, sæpius enunciatas, revocatorias
omnium exemptionum, & franchitiarum, illis exceptis,
quas explicite constet concessas esse ex causa vere onero-
sa, & correspectiva, sive quod idem titulus in vim im-
memorabilis, vel centenariæ, quæ non habeat princi-
pium infectum, juxta casum de quo supra *disc.* 47. al-
legari valeat.

Et quamvis dictæ Constitutiones vere, & proprie per-
cutiant gabellas Camerales, ac prodierint ad tollenda
7 præjudicia Cameræ Apostolicæ; Attamen cum onera
Communitativa frequentius, ut in specie bujus casus
tendant ad commodum ejusdem Cameræ, vel solent ad
ea catendi, vel nimium attendi ad facilius admittendam
restitutionem adversus Administratorum, vel Appaltato-
rum negligentias.

Istas autem dubitandi rationes in hac facti specie non
cadere observabam, quoniam non observabamur in simpli-
8 ci observantia, vel consuetudine inducente quandam
speciem gratuitæ, & privilegiativæ exemptionis, sed po-
tius erat ad titulum mere onerosum, & correspectivum
tendentem ad utriusque Communitatis coequale commo-
dum, & incommodum, adeout neque intrarent illæ ra-
tiones dubitandi, quæ super consimili concordia haben-
tur supra *dict. disc.* 73. quando scilicet, excresoentia one-
rum illam detegat, seu efficiat læsivam, dum in hac spe-
cie reciprocæ, & omnino coequalis exemptionis, illi
termini non cadunt.

Fortius vero, atque (pro meo sensu,) citra omnem
dubitandi rationem præmissa locum habere dicebam, ex
natura oneris, ob quam seclusa etiam dicta concordia,
ejusque observantia idem dicendum veniret; Ubi etenim
9 agitur de Collectis pro illis oneribus, quæ erga Princi-
pem, vel Rempublicam præstanda sunt, intrat conside-
ratio de qua in proposito onerum Cameralium habetur
supra *disc.* 92. ac etiam *disc.* 35. *de servitut.* & alibi,
quod scilicet tamquam subrogata loco antiqui, vel su-
perindicti, ad instar decimarum Spiritualium, quibus
exequari solent, habent affecta ipsa bona, adeout videa-
tur species onerum realium, non curata qualitate posses-
sorii, an sint Cives, & Subditi, vel Forenses & exem-
pti; Ideoque merito d. consuetudo generalis Italiæ ino-
levit, ut etiam Forenses pro modo facultatum & bono-
rum, quæ in eo territorio possideant, collectentur.

Id autem nullatenus adaptari posse dicebam ad rem;
Quoniam hujusmodi gabellæ, quæ imponuntur super vi-
10 ctualibus verè, & propriè sunt personales, & exiguntur
a personis, quæ in eo loco vivant cum isto commodio-
ri modo, occasione usus eorumdem victualium, ut plu-
ries advertitur in præcedentibus, & præsertim *disc.* 52.
cum pluribus seqq. & *disc.* 61. 65. & 67. & *in aliis*,
ideoque solvi debent solum ab illis, qui in loco vivant
eademque victualia consumant, non autem ab exteris
alibi viventibus; Quinimo, neque ab ipsimet Civibus
& Incolis, qui alibi vivant, ut occasione franchitiarum
advertitur supra *disc.* 54. & *alibi*; Esset etenim alias da-
re magnum inconveniens, ut eorumdem victualium du-
plicata solveretur gabella in loco scilicet domicilii, &
in loco, in quo habeantur bona; Fortius vero ob di-
versitatem principatuum, dum in istis personis in diver-
so principatu, non verificantur illæ rationes, de quibus
supra *disc.* 55. & *alibi*. Ideoque concludendo, pro meo
judicio res videbatur plana pro hac Parte.

ASSISIEN. COLLECTARUM,

PRO CIVITATE ASSISII,

CUM COMITIBUS DE UBALDIS.

Casus disputatus in Congregatione Boni Regiminis.

An & quando castrum, quod alias sit de districtu Civitatis, alteri concedatur in feudum proprium, vel improprium, sive in baroniam cum jurisdictione, & Civitate omnino dismembratum, etiam ad effectum collectarum, aliorumque publicorum onerum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De dismembratione Castri, vel loci ab aliquo territorio.*
3 *A finibus spiritualibus non infertur ad temporales, & è contra.*
4 *De probatione situationis in territorio.*
5 *De eadem dismembratione, de qua n. 2.*
6 *Quod ista, facta quoad jurisdictionem, non intelligatur ad alios effectus.*
7 *Quando habens titulum Comitis, vel similem non sit Baro, & bona non sint feudalia, vel jurisdictionalia.*
8 *Districtuales, vel Communitatenses dicuntur Cives, & gaudent honoribus Civium.*
9 *De ponderatione, an Castrum constituat Communitatem separatam, & supportet onera.*

DISC. CXC.

CUm quoddam Castrum Blasani nuncupatum, situm 1
in districtu, seu territorio Civitatis Assisii, occa-
sione cujusdam belli, ibi peracti dirutum, ac depopula-
tum fuerit, atque Jo: Baptista de Ubaldis Perusinus, Leo-
ni Decimo obtulerit, illud reædificare, si illi in titulum
Comitatus concederetur, cum mero, & mixto Imperio,
ac baronali jurisdictione prout sequutum fuit; Ejus au-
tem successores ob non solutum canonem, juxta rigoro-
sam Constitutionem Gregorii Decimitertii, de qua *disc.* 5.
de feud. in commissum ceciderint: Urbanus vero Octa-
vus gratiose caducitatem remiserit, quoad dominium pri-
vatum bonorum, & prædiorum, ac etiam quoad hono-
rificum titulum Comitatus, non autem quoad jurisdi-
ctionem, & imperium, adeout in antiquum statum in
hac parte restitutum fuerit, ut esset sub eadem jurisdi-
ctione Gubernatoris Civitatis; Adhuc tamen hoc non
obstante, dicti Comites pro prædiis, & bonis in dicto
Castro possessis prætenderent non subjacere collectis,
aliisque oneribus Civitatis, quibus alia Castra, vel pa-
gi territorii, vel districtus subjacent; Hinc introducta
causa in Congregatione Boni Regiminis, restrictum
fuit, ut videretur strictè, an Castrum, & bona essent
de territorio Civitatis, ex cujus parte in hoc statu evo-
catus fui.

In disputatione itaque desuper habita; Scribentes pro
dictis Comitibus, transcribendo latè deducta super hoc 2
puncto dismembrationis alicujus loci à Civitate; ea quæ
latè deducuntur per verbosissimum Veturin. *consil.* 4. in-
sistebant in omnimoda dismembratione hujus Castri a
territorio, seu districtu Civitatis, dum illud per Princi-
pem alteri concessum fuit, ex eo, quod dandi non es-
sent ejusdem rei duo Domini in solidum; In idem quo-
que cumulando, ea quæ habentur in plerisque Rotæ de-
cisionibus per eos allegatis, nempe in Sancti Angeli
Lombardorum, & in Montis Cassinen. & in Astoricen.
jurisdictionis, de quibus frequenter in sua Sede *sub tit.
de jurisdict. disc.* 1. *cum pluribus sequentib.* & *præsertim
disc.* 7. ubi de dicta Astoricen. & *disc.* 18. ubi de dicta
Cassinen. seu Marsitana.

Scribens itaque pro Civitate dicebam, prorsus a casu
quæstionis extraneas esse præfatas Rotæ decisiones, alias- 3
que similes editas super controversiis jurisdictionalibus
inter Episcopos Diœcesanos, & Prælatos inferiores super
jurisdictione Spirituali, & quasi Episcopali, & respecti-
vè, super territorio separato, vel dismembrato, a Diœ-
cesi,

cesi, quoniam, ut in eisdem locis citatis advertitur, & præsertim *disc.* 1. & 3. longè diversi sunt fines Spirituales a temporalibus, neque ab unis, ad alios arguere licet, ob longe diversam rationem; Ideoque omnia, quæ percuterent fines spirituales, ac territorium diœcesanum, utpote omnino extranea, superfluam evagationem, ac inutilem chartarum repletionem redolebant.

4 Bene tamen a simili conferre dicebam ea, quæ præsertim *dict. disc.* 5. *de jurisd.* ac etiam *in aliis seqq.* habentur super probatione situationis hujus Castri in districtu, seu territorio Civitatis, non solum ob nimiam adjacentiam, sed etiam ob circumdationem, undique ab eodem territorio, adeout non intrent illæ considerationes, quæ desuper cadere solent, quando locus esset in aliqua extremitate.

Et quidem antiqua, & connaturalis situatio in territorio erat incontrovertibilis, dum non solum assistebat dicta præsumptio juris, quæ resultat ab omnimoda circumdatione, ut supra, sed etiam clarius, ob prætensam dismembrationem desumptam a dicta concessione Leonis, quæ pernecesse supponit præcedentem unitatem cum illo corpore, a quo fiat dismembratio, ac etiam ob subsequutam praxim, & observantiam super reversionem jurisdictionis ad suam antiquam unitatem, quod scilicet, cassata per incursam caducitatem Baronali, vel domicellaria jurisdictione, ista, utpote in remissione caducitatis non comprehensa, reversa fuit ad suum primævum statum, in quo adhuc continuat.

Hinc proinde reservatis tamquam superfluis, & inutilibus omnibus, quæ ut supra, cum magno allegationum cumulo deducebantur, advertebam, quod causa restringebatur ad punctum, an per hujusmodi concessionem Leonis inducta esset omnimoda, & formalis dismembratio hujus Castri, ab aliquo Civitatis territorio, etiam ad effectum constituendi diversam Communitatem pro exem-
5 ptione collectarum, aliorumque onerum, juxta quæstionem de qua apud Venturin. *dict. consil.* 4. Ac etiam ad effectum exemptionis a statutis Civitatis, & ne cum illis procedendum sit, ut apud Honded. *consil.* 13. *lib.* 1. allegatum ab eodem Venturino, & in qua auctoritate pro consueta ineptia, magnum constituebatur fundamentum, tamquam in auctoritate individuali, ex eo, quod ageretur de consimili concessione facta per eundem Leonem Decimum.

In hoc autem, ubi etiam res esset in eodem statu, in quo constituta fuit per dictam Leonis concessionem, adeout dicti Comites baronalem, seu domicellariam retinerent qualitatem, atque continuarent antiquam jurisdictionem; Adhuc tamen, cum sensu etiam veritatis, dicebam: hunc effectum non resultare dismembrationis omnimodæ a territorio, etiam pro collectis, & oneribus, vel e converso pro favoribus, & privilegiis Civitatis, ipsorum districtualium, seu Comitatensium, quoniam hujusmodi concessiones in feudum, vel in Baro-
6 niam cum mero, & mixto imperio, & jurisdictione important solum dismembrationem guberni jurisdictionalis, sive ipsius jurisdictionis, & territorii considerati, tamquam jus terrendi, non autem territorii civici ad alios effectus, tam favorabiles, & utiles, quam præjudiciales, & onerosos juxta ea, quæ in terminis individualibus alicuius Castri, seu Villæ, aut pagi, & apud Regnicolas pro illo usu loquendi alicujus casalis Civitatis habentur, apud Franch. *decis.* 316. *num.* 4. & 5. Rovit. *decis.* 11. *num.* 12. Sanfelic. *decis.* 327. Galleot. *lib.* 2. *controv.* 20. *num.* 13. Prat. *observ.* 28. de Luc. ad Franch. *dict. decis.* 316.

Fortius vero in hac facti specie, in qua etiam jurisdictio ad suam antiquam rediit unitatem, adeout hujusmodi Comites revera, & de facto spectata substantia ve-
7 ritatis, domicellariam, seu baronalem qualitatem, seu prærogativam amiserint, eorumque dominium non amplius publicum, ut antea cum civibus, & Incolis loci ad fidelitatem erga eos obligatis adesse dicatur, sed solum privatum prædiorum, & bonorum decoratum titulo comitatus abusivo, & honorifico.

Adeout probabilius dicendum veniat, quod quando Castra, vel bona, in vera qualitate baronali vel domicellaria non habeant jurisdictiones, possessores dicendi non sint comprehensi in Bulla Baronum, non obstante titulo, & possessione, cum vis consistat in jurisdictione ex pluries insinuatis in sua Sede *sub tit. de feudis*.

Prout etiam, quod hujusmodi prædia, & bona, dicenda non veniant comprehensa sub Bulla Piana de non infeudando, ut praxis docuit sub Urbano octavo, ob incorporationem, dum facta est, de bonis, eorumque privata utilitate, juxta ponderationes, de quibus *disc.* 61. *de feud. & in aliis*.

Et de consequenti, neque cadant sub Constitutionibus Sixti V. & Clementis VIII. aliorumque successorum super prohibita alienatione jurisdictionalium, de qua *eodem tit. disc.* 66. *& alibi*.

Ponderabam quoque, quod, ubi de facto istud Castrum
esset inhabitatum, adeout adesset populus, tum ad duo 8
reflectendum veniret, ex quibus principaliter hujus controversiæ decisio penderet; Primo nempe, an isti Incolæ, seu Vicani gaudeant, necne privilegiis, & favoribus Civitatis, juxta ea, quæ in hoc proposito favorum, & privilegiorum competentium Vicanis, seu Comitatensibus, habentur plene collecta apud Pratum *dict. observ.* 28. & alios supra allegatos ac etiam advertitur in sua Sede civilitatis *sub tit. de præeminen.* cum tali casu ex regula *secundum naturam &c.* eadem Civica qualitas dividi non possit, quoad onera, ut apud supra allegatos.

Et Secundo, an iste locus constitueret formalem Communitatem, cum propriis administratoribus, & cum separato Æstimo, seu Catastro, adeout supportaret more
aliarum Communitatum erga Principem, seu Rempubli- 9
cam omnia onera publica ordinaria, & extraordinaria, ac etiam privata communitativa, quæ exceptis Salariis Medicorum, & Chirurgorum, & expensis horologii, aliisque similibus, non magnæ considerationis, sub publicorum extraordinariorum genere potius cadere videntur; Quoniam ubi id verificaretur, tunc intrare posset ratio prohibens duplex gravamen, ac eorumdem onerum multiplicationem, recteque inferri posset ad prætensam dismembrationem; secus autem è converso, dum ita esset facere istos incolas Acephalos, & exemptos ab oneribus publicis.

T A U R I N E N.

Suppressis nominibus.

De eadem materia confiscationis de qua disc. 160. & ibi: An scilicet, per delinquentem in Fisci præjudicium, bona donari, vel alias alienari possint; Et an donatarius, vel alter possessor bonorum, sive delinquentis creditores, aliique interessati admittendi veniant ad excusationem, vel defensionem inquisiti absentis, & contumacis; Et quid cessante interesse.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Distinguuntur inspectiones.*
3 *Creditor non admittitur ad defensionem contumacis, cum sua nil intersit, quia etiamsi sit reus, Fiscus tenetur ad debita.*
4 *De Fisco herede anomalo, & in quo differat a vero herede.*
5 *Sed quod creditor admittatur, quando sua intersit.*
6 *De confiscatione ex causa criminis lesæ majestatis.*
7 *In casu istius delicti feuda veniunt potius jure devolutionis, quam confiscationis.*
8 *De differentia inter confiscationem, & devolutionem.*
9 *In casu devolutionis, Fiscus non tenetur ad debita sine assensu.*
10 *Et quomodo teneatur ad illa cum assensu.*
11 *De alia differentia ad effectus Bullæ S. Pii V. de non infeudando, &c.*
12 *De eodem de quo, num. 5. pro admissione creditorum.*
13 *De regula, ut contumax non audiatur, nisi per se ipsum, & de legibus particularibus in hoc.*
14 *De donatione facta post delictum, an & quando valeat, & præjudicet Fisco.*
15 *An sub confiscatione veniant feudalia, & emphyteutica, remissive.*
16 *Quando, & quomodo possit comparere, vel tertius comparere pro contumace, illumque defendere, vel excusare.*

DISC.

DISC. CXCI.

1 IN eodem casu, de quo agitur *disc. 130. de feud.* sup-
pressis pariter nominibus personæ, & loci, consultus
fui super puncto, an idem ibi præsuppositus Cajus filius,
cui Titius pater feudum, & quædam alia bona assigna-
verat in causam æris alieni, de quo ibi, & cum aliis
oneribus, de tempore, quo a Patria profugus in aliena
ditione vivebat, suspicans jam detectam inquisitionem,
pro quibusdam criminibus capitalibus, etiam illo læsæ
Majestatis, pro patre contumace defensionem suscipere
posset, ejusque innocentiam, cum testibus, & scripturis
justificare, ut ita contumacialem impediret sententiam
capitalem, cum publicatione bonorum, quam etiam at-
tenta dispositione juris communis intrare, in transmissa
notula supponebatur, quod dictum supposuit crimen.

2 Respondi itaque, tres efformando inspectiones; Unam
nempe, considerando ipsum filium tamquam creditorem
patris, vel assignatarium bonorum ex causa onerosa, &
correspectiva; Altera considerando eundem, tamquam
donatarium in ea parte, in qua bona excederent onus;
Et tertiam eundem considerando tamquam filium, qui
patris innocentiam alleget, ejusque personam excusare ve-
lit, ac impedire, ne condemnetur.

Quoad primam inspectionem, sub ea dixi non cadere
3 quæstionem, de qua propriè agunt Doctores, de quibus
infra, super excusatione, vel defensione personæ absen-
tis contumacis; Idooque in præsenti agi de facultate ve-
rificandi credita, quatenus per Fiscum prætenderentur,
minus vera sive minus legitima, ita præventive occur-
rendo propriæ idemnitati, ad quem effectum extranea
ex defensione personæ a crimine, quoniam posita veri-
tate debitorum, tam de jure, quam de facto, idest, quod
sint vera, & legitima, seu non impugnabilia ab eodem
debitore, vel ab ejus hærede vero, sive anomalo, qua-
lis est fiscus, nil refert, an debitor de aliquo crimine
4 inquisitus declaretur reus, & condemnetur ad publica-
tionem bonorum, dum fiscus tamquam hæres anoma-
lus, tenetur ad omnia debita, & onera, eodem modo
quo hæres verus, justa firmata supra *disc. 123. num. 5.*
Ubi habetur, quod fiscus est potius deterioris conditio-
nis, quam sit hæres verus, quamvis extraneus circa
transmissionem fideicommissorum, aliorumque jurium
delatorum non agnitorum, itaque justificatio nullatenus
negari posset.

Uno autem casu, advertebam, quod idem filius, tam-
quam creditor, ac etiam alii creditores, & interessati,
non quidem pro excusatione, vel defensione personæ de-
5 linquentis, sed pro interesse, vel indemnitate propriè,
& juridicè possent assumere defensorem debitoris absen-
tis, & contumacis, ejusque innocentiam justificare, seu
alias qualitatem excusantem a graviori pœna ordinaria
deducere, & probare; Quando scilicet, in casu conde-
mnationis creditores non possent adversus fiscum agere,
quatenus non possideant, vel excipere quatenus possi-
deant; Puta in feudo, super quo totus forte quæstionis
effectus circumferri videbatur.

Siquidem stante præsupposito in notula transmissa con-
tento, quod pro criminibus, pro quibus transmissa fue-
6 rat inquisitio, intrare posset bonorum publicatio de jure
communi, quod idem est, ac dicere, quod ageretur de
crimine læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ, pro quo
solum de jure communi intrat ista pœna ex relatis su-
pra *dict. disc. 161.*

Hinc proinde hoc proposito, cum id in feudatario,
ubi præsertim agatur de læsa Majestate humana, im-
7 portet felloniam, stante quod idem Princeps, vel Do-
minus directus feudi, ita crimen redoleret speciem
mortis, atque intraret devolutio, etiam in præjudicium
successorum; Et per consequens, idem feudum non ca-
deret sub confiscatione ad commodum fisci pœnalis,
sed potius ex devolutione, & jure consolidationis per-
tineret ad Cameram Domini directi, quæ sub fisci vo-
cabulo quoque explicari solet, quando ipse sit Princeps
supremus.

Magna vero est differentia inter unam, & alteram fi-
8 sci speciem; Tum ob diversitatem bursarum, ad quarum
respective commodum bona cedant, dum etiam sub eo-
dem Principem diversæ solent esse confiscationum, & pœ-
narum bursæ ex deductis, supra *eodem disc. 161.* Quin-
imo, ubi etiam non adsit hæc distinctio, ratione diver-
sitatis provinciarum, vel Civitatum, seu principatuum,
adhuc ista differentia solet esse considerabilis pro jure,
vel interesso tertii; Puta quia emolumenta confiscatio-
num, & pœnarum concedantur in appaltum, ut in spe-
cie habetur, supra *disc. 124.* aut in officium venale; Un-
de propterea, quando feudum, vel Castrum non devol-
veretur, sed quod pro delicto privato indifferenti cade-
ret sub confiscatione, tunc ad istam bursam spectaret,
non autem si unicæ devolutionis.

Tum etiam, quia in casu confiscationis, fiscus illud 9
obtineret tanquam hæres obligatus ad debita, ut supra,
eodem modo, quo successor feudi habens qualitatem hæ-
reditariam, secus autem in casu devolutionis, dum tunc
ex regula textus *in l. vectigali, ff. de pignor.* ut resoluto
jure datoris, resolvatur jus acceptoris, feudum redit li-
berum ad Dominum, qui ad alia onera, & debita non
tenetur, nisi ad illa, quæ imposita sint cum ejus assen-
su, dum hic sit liber, & purus, secus autem si qualifi-
catus a clausula *sine præjudicio*, vel alia æquipollenti, ut
advertitur *disc. 1. de feudis & alibi*. Atque docet fre-
quens, & quotidiana praxis feudorum Regni Neapolita- 10
ni, in quibus etiam inolevit stylus, a Fiscalibus intro-
ductus, quod in casu devolutionis, neque admittuntur
creditores super feudo, quamvis assensu libero, & puro
muniti sint, nisi facta excussione patrimonii allodialis,
quod ibi burgensaticum dicitur, ut insinuatur *disc. 30.
de credito, & alibi.*

Et de ista differentia inter pertinentiam Castri ad Fi-
scum jure confiscationis pro crimine privato, & indiffe- 11
renti, vel è converso, jure devolutionis ex capite lineæ
finitæ, vel criminis feudalis habetur, apud Spadam *con-
sil. 116. lib. 1.* ubi de hoc agit, ad effectum comprehen-
sionis sub Bulla de non infeudando, quamvis ad hunc
effectum, distinctio non intret, ejusque opinio videatur
tuta, ut advertitur *disc. 128. de feud.*

Et per consequens (applicando ad rem,) cum credi-
toribus isto casu felloniæ consulium non remaneat, re- 12
ctè ipsi reorum indemnitati comparere possunt, exaudiri
debent ad excusandom, & tuendum eorum debitorem,
quamvis absentem, & contumacem, ex ea ratione, quod
id agere non dicuntur in gratiam ipsius delinquentis,
ut ipsum excusent, & defendant, & principaliter pro
eorum interesse, & in eorum gratiam, ita proprium ge-
rendo negotium, ut impediatur devolutio illorum feu-
dorum, ac bonorum differentium, ex quorum pretio,
vel saltem commoditate, durante vita naturali debitoris,
possent satisfieri; Ut cæteris relatis habetur, apud Fari-
nac. *quæst. 99. numer. 154. cum seqq.* Cyriac. *contr. 429.
num. 21. & 22. ubi concordantes.*

Et quatenus fiscus criminalis replicaret, quod id esset
per indirectum facere defensiones contumacis non au- 13
diendi extra Carceres, potissimè vero, ubi ultra ea,
quæ desuper de jure communi disposita sint, adsit etiam
statutum, vel lex particularis, quæ id disponat, ut in
principatu, in quo erat quæstio, adesse supponebatur,
prout pene generaliter præsertim in Italia verificari vi-
detur.

Siquidem in statu Ecclesiastico, ita disponitur per Con-
stitutionem 24. Julii Secundi registratam quoque in Con-
stitutione Ægidiana *lib. 4. cap. 15.* Et in Regno Neapoli-
tano adest ritus M. Curiæ Vicariæ, de quo Campana
observ. crim. 11. Et De Ducatu Mantuano agit Cyriac.
controv. 488. & sic similiter alii de aliis principatibus; At-
tamen rectè creditores, aliique interessati onerosam cau-
sam veram, & non fraudulentam ferentes, allegare po-
tuerunt regulam desumptam ex vulgari textu *in l. altius,
Cod. de servit. & aqua*, quod scilicet, ille, qui allegat,
vel exercet jus suum, ut sibi prosit, curare non debet
consequutivum præjudicium, quod alteri resultet; Ideo-
que Fiscalibus tali casu replicari potest, quod si credunt,
id eis præjudicare in toto processu, & causa principali,
habent remedium promptum, declarandi, scilicet, non
uti condemnatione in ipsorum creditorum, vel interes-
satorum præjudicium.

Quo vero ad secundam inspectionem, quod scilicet fi-
lius idem gereret tanquam donatarius, in ea bonorum 14
parte, quæ debita, & onera excederet; Dicebam, quod
quando ageretur de privatis, ac indifferentibus crimini-
bus, pro quibus non ipso jure, sed ex Judicis condemna-
tione, bonorum publicationi locus esset, tunc intraret
idem, quod in præcedenti inspectione, quod scil. fiscus
oppositori objicere posset sua non interesse, an inquisitus
decla-

declaratur innocens, vel reus, dum etiam in casu, in quo reus declaratetur, adhuc tamen non probata per fiscum fraude, quæ in dubio non præsumitur, sed per allegantem est probanda, donatio valida est, potissimè ante citationem, seu transmissam inhibitionem, ad text. *litteralem in l. post contractum, ff. de donat.* ubi Bartol. & alii, de quibus apud Peregrin. *de jur. fisci lib. 5. tit. 1. num. 178. & seq. & lib. 6. art. 6. num. 12.* Guttier. *lib. 2. Canon. quæst. cap. 5. numer. 53. & seqq.* Castill. *tom. 8. cap. 57. numer. 15. & seqq* Vermigliol. *consil.* 8. Rovit. *pragm. 1. de bon. prodit. numer. 1. & seqq. & decis. 91. num. 31. & seqq. & alibi.*

Verum quia supponebatur, quod ut supra ageretur de crimine, pro quo intraret bonorum publicatio ipso jure ex legis communis dispositione; Hinc proinde cum tali casu donatio, vel alia alienatio non obster fisco, utpotè jus acquirenti ab initio patrati delicti, juxta distinctionem, de qua apud eosdem mox allegatos, idcirco adamussim advertebam intrare eadem, quæ in præcedenti inspectione dicta sunt, ut donatarius pro ejus jure potius, quam pro defensione contumacis audiri debeat: licet creditoribus aliisque onerosam, & correspectivam causam foventibus, quædam major assistat æquitas, quam foventi causam lucrativam, quæ inter patrem, & filium, aliosque a recta sanguinis conjunctione attinentes, aliquam præseferre videtur fraudis suspicionem, quæ tamen sola non sufficit, nisi aliis munita sit adminiculis, ex ea congrua ratione, quod debitor, vel respective donator non potest cum ejus contumacia præjudicare creditori, vel donatario, cui expressè, & directè præjudicare non posset.

Hisque sic stantibus, non videbatur opus assumere quæstionem, super qua, respectu bonorum feudalium, &
25 emphyteuticorum plura cumulantur per Cyriac. *controv. 491. num. 8.* Rovit. *d. pragm. 1. de bon. proditor. n. 14. & seqq.* Rota *decis. 261. part. 10. recent.* an veniat sub confiscatione saltem commoditas, durante vita, seu vita delinquentis, cum ita ob criminis qualitatem, feudum jure devolutionis potius, quam confiscationis ad Principem dominum directum rediret.

Demum quoad tertiam inspectionem, considerando sci-
26 licet ipsum filium tamquam defensorem patris, dicebam, quod multa cumulantur in materia per Farinac. *d. qu. 99.* & per Scribentes apud eum *cons. 35. num. 3. & seq.* ibique latius add. litt. E, ubi de Patre, Cyriac. *controv.* 488. Concial. *tom. crim. verb. legitima resolut.* 2. Jo: Maria Campana Neapolitanus *resol. crim. 11. num. 1. & seqq.* & plenius Carolus Orilta in hac Rom. Curia Advocatus adhuc vivens *in observ. ad eamdem resol. 11. n. 1. & seqq.* apud quos habetur, quod judices debent generaliter, aliquo petente, recipere saltem in forma extrajudiciali scripturas, & testes, qui in promptu adducerentur per tertium, tamquam instructorem, & defensorem innocentiæ, quoniam aliud est proponere exceptiones ex parte ipsius inquisiti, & aliud est audire instructorem super innocentia absentis, & ne ex ratione contumaciæ cum malis probationibus contentis in processu informativo, ad injustam procedat condemnationem.

Atque si id procedit in quolibet tertio comparente, planius, multoque magis dicendum est, ubi compareat pater pro filio, vel filius pro patre, & uxor pro marito, vel è contra, dominus pro servo, & similes; Quamvis in hoc, in casibus super quibus, suppressis nominibus personarum, & locorum, consilium petebatur, istud non de facili maturum dari poterat, cum magnam desuper partem habeant locorum, & Tribunalium styli.

FOROSEMPRONIEN. APPALTUS,

PRO APPALTATORIBUS,

CUM ALIQUIBUS PRIVATIS.

Casus resolutus per Congregationem boni Regiminis pro Appaltatoribus.

De obligatione, quam habet Appaltator juris privativi vendendi victualia minutatim, & emendi eadem victualia a possessoribus prædiorum illa producentium, quomodo, & quando procedat.

S U M M A R I U M.

1 *Falli series.*
2 *Capitula appaltus habent vim legis.*
3 *Declaratur quomodo id intelligendum sit.*
4 *De provisionibus super annona, & grascia.*
5 *Quomodo istæ provisiones intelligi debeant.*
6 *In quibus jus civium non procedat.*
7 *An exemptiones, & privilegia suffragentur Colonis.*
8 *De eodem, & quando conductor potiatur privilegio locatoris.*
9 *De eisdem provisionibus, de quibus num. 4.*
10 *Monitum in judicando, & consulendo.*

D I S C. CXCII.

Obtinente Communitate Civitatis Forisempronii jus
privativum vendendi dictum oleum minutatim, ta- 1
leque jus concedente in appaltum, eodem modo, quo de furnis pro pane venali, ac similibus practicari solet, juxta casus, de quibus supra *hoc tit. disc. 61. & disc. 46. de locat.* & alibi. Inter alia capitula appaltus, vel onera est illud, ut appaltatores teneantur emere oleum, quod cives in eorum prædiis colligant, eis injuncta lege, ut ad diem Cinerum, teneantur eisdem appaltatoribus denunciare quantitatem, quæ detracto usu proprio, venditioni destinata esset: Cum autem aliqui ex dictis civibus aliquam notabilem cumulassent quantitatem olei, partim in pluribus annis in eorum prædiis recollecti, partim vero ex aliquorum exterorum prædiis conductis, ac etiam ex responsionibus cujusdam molendini pariter conducti, prætenderent autem quod appaltatores in vim capitulorum emere tenerentur; Hinc introducta causa in Congregatione boni Regiminis, ob assistentiam, quam Communitas pro ejus interesse præstabat appaltatoribus, istorum favore prodiit resolutio, nempe non teneri emere, atque mihi, pro eis scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, justa, beneque fundata visa est resolutio.

Non negabam etenim veritatem conclusionis in præ- 2
cedentibus pluries insinuatæ, quod scilicet capitula appaltuum pro lege servanda sunt, & in qua conclusione totum erat fundamentum scribentium pro illis particularibus, qui prætendebant cogere appaltatores ad emptionem, reliquum etenim continebat solitam, ac inutilem chartarum repletionem, cum regulis generalibus, quæ licet notoriæ, & incontrovertibiles, ac etiam extra causæ opportunitatem cum magno allegationum cumulo exornari solent.

Dicebam tamen, quod ista alioquin vera conclusio
intelligi, & practicari non debet in solo sensu litera- 3
li, ac indefinite in omni casu, sed cum illa propositione, quæ licet frequenter deducta, & inculcata forte in omni casu repeti meretur, ut scilicet non cortex, & formula verborum attendi debeat, sed substantia veritatis, vel finis, & effectus, ad quem actus, vel dispositio dirigatur.

Iste siquidem appaltus cum jure privativo illum respi- 4
cit finem, vel effectum, ob quem annona frumentaria, aliæque provisiones prudenter in Civitatibus, & locis introductæ fuerunt, & de quibus supra *hoc eodem titulo disc. 44. & 45. 125. & 134.* ut scilicet ita occurratur monopoliis, ac dardanariorum oppressionibus, & suffocationibus, quibus in victualibus pauperes subjacent, qui earum colligunt in propriis prædiis, minusque valent provisiones debito tempore facere.

Sed quoniam è converso justum est, ut illi cives, qui oleum in eorum prædiis colligunt, è converso non subjaceant illis suffocationibus appaltatoris, quæ ex jure privativo resultare solent ob prohibitionem vendendi; idcirco prudenter statutum est, ut appaltator teneatur emere a civibus illud oleum, quod ipsi, dicto tempore determinato denunciarent collegisse in eorum bonis, atque ultra proprium usum, destinatum esse venditioni.

Ex his autem de consequenti resultare dicebam, istud 5
jus coactivum non competere pro oleo conflato ex plurium annorum recollectis, præsertim vero ex molendino, aliisque exterorum bonis conductis; Primo, nempe respectu olei provenientis ex molendinis, quia ut illud nullatenus aptum esset dicto usui, vel fini, cum inter

appal-

appaltus capitula; illud præsertim legeretur, ut oleum esse deberet lucidum, ac bonæ, & perfectæ qualitatis, utpote victui principali destinatum, & consequenter id non erat verisimile in hac specie olei conflari ex mixtura plurium diversarum specierum in ea modica summa, quæ pro molitura solvi solet.

6 Secundo, respectu olei recollecti ex prædiis exterorum, quoniam isti per capitula appaltus contemplati non fuerunt, ideoque statuta favore civium attendi non debent in iis, quæ iidem cives ex causa negotiationis cum exteris agunt, ex deductis in proposito juris pascendi, competentis jure civico, habentur *disc. 40. de servit.*

7 Quinimo ubi etiam ageretur de prædiis conductis ab aliis civibus, scribendo more Advocati, dicebam idem procedere debere ex regula, de qua supra *disc.* 53. & alibi, ut scilicet privilegia exemptionis non suffragentur pro industriis, & negotiationibus, neque extendantur ad colonos.

8 Verum reflectendo ad veritatem de hac distinctione dubitabam ex eadem ratione spectandi finem, vel effectum, ac substantiam veritatis, quoniam ex tenore capitulorum appaltus, liquet, finem hujus introductionis fuisse, providere civibus indigentibus dietim hac specie victualis, tam circa taxam justi pretii, & indeficientiam, seu congruam provisionem, juxta frequentiorem praxim annonæ frumentariæ, ut supra, quam etiam circa ejusdem victualis qualitatem, ut scilicet sit de illo, quod colligitur in prædiis ipsius Civitatis, quod supponitur melioris conditionis, quam sit illud adjacentium locorum in planitie, vulgo *di sotto*, dum in uno ex capitulis disponitur, ut appaltator ab his civibus teneatur emere ad rationem unius grossi plur. pro qualibet amphora, vulgo *fiolo*, quam communiter vendatur aliud oleum *di sotto*, ita prudenter consulendo quoque civibus habentibus prædia in ipsius Civitatis territorio, ut eorum culturæ, & ampliationi vacare possint; Et per consequens nil refert spectato fine, vel effectu, an per unum, vel alterum ex civibus jure dominico, vel jure colonico fructus colligatur, quoniam sicuti appaltator teneretur emere oleum a locatore, si non locasset, sive ipse coluisset proprium prædium, ita quoque a conductore, qui in hoc proposito censendus venit locatoris colonus, & minister; Neque urget congrua ratio disparitatis.

9 Ad quod conferunt ea, quæ habentur supra *hoc eodem tit. disc.* 115. & alibi, quod scilicet Ecclesia, vel persona Ecclesiastica pro ejus prædiis, & bonis, quæ sua manu colit, si aliqua potiatur immunitate, vel exemptione, eadem gaudere debet conductor, præsertim, ubi sit etiam persona Ecclesiastica, vel alias exempta, neque isto casu intrant ea, quæ habentur de Clerico negotiatore.

Tertio, demum etiam respectu olei recollecti per cives in propriis prædiis, dicebam cum eodem sensu veritatis, id intelligi debere de oleo recenti cujuslibet anni, non autem pro illo annorum præcedentium, dum obligatio emendi non est indefinita, sed qualificata, in illo scilicet oleo, quod dicto statuto tempore denunciabitur, quasi quod non denunciando, faciat quis se extraneum ab hoc privilegio ponderando eandem rationem finis, vel effectus, ob quam hæc denunciatio frequentius in tritico demandari solet, ut scilicet ita initio anni regulandi a complemento recollectæ, fieri posset calculus, vel peræquatio tam ad effectum regulandi pretium metiendum a majori, vel minori ubertate, & copia, quam etiam ad effectum, an quantitas in territorio recollecta sufficiat, necne, pro usu populi minuti, ad hoc, ut in casu insufficientiæ ob illius anni sterilitatem fieri valeant opportunæ provisiones abunde, & in casu exuberantiæ ratione ubertatis, appaltator providere possit excitationi quantitatis exuberantis extra locum.

10 Atque hinc edocemur idem, quod adeo frequenter, sed semper opportune inculcatur, ut in judicando, & consulendo punctus non sit in regulis, & propositionibus juris in abstracto, minusque in auctoritatum cumulo, & consarcinatione, sed principaliter consistat in facto, aliisque circumstantiis spectata substantia voluntatis, seu fine, vel effectu dispositionis, non autem formalitate verborum in sensu grammaticali.

MUTINEN. LEGITIMATIONIS PRO MARIA CATHARINA GHERARDINA, CUM JO: ANDREA, ET ALIIS DE GHERARDINIS.

Responsum pro veritate in causa vertente in Consilio Mutinæ.

De eadem materia, de qua supra disc. 148. & 177. super potestate Principis tollendi jus tertii cum ejus gratiis, & habilitationibus nobilium, ipsoque declarante, non habuisse animum præjudicandi tertio, quomodo hæc declaratio intelligenda veniat.

Et in specie de legitimatione illegitimorum, an attendatur, & operativa sit extra territorium, & legitimantis jurisdictionem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De operatione rei judicatæ.*
3 *De præscriptione.*
4 *In specie, quod defectus legitimationis præscribatur per decennium.*
5 *De quæstione, an legitimatio operetur extra ditionem legitimantis, & de opinionum diversitate.*
6 *De erroribus, & simplicitatibus scriptorum in materia.*
7 *De distinctionibus, cum quibus dicta quæstio veniat decidenda, ut primo deferri debeat legibus, & stylis locorum.*
8 *Quid in successione feudi, & emphyteusis.*
9 *De successione in fideicommissis.*
10 *Quid de successione in bonis liberis, & indifferentibus, & quando unica legitimatio sufficiat.*
11 *De ratione ob quam unica legitimatio sufficere debeat.*
12 *De operatione statutorum extra territorium.*
13 *Considerantur inconvenientia, si unica legitimatio non sufficeret.*
14 *De casu particulari.*
15 *De ratione ob quam Dominus mediatus non exerceat jurisdictionem in feudo majoris dignitatis.*
16 *Quid operetur declaratio Principis, quod per ejus gratiam non intellexit præjudicare tertio.*
17 *De operatione rei judicatæ, & præscriptionis, de quibus n. 2. & 3.*

D I S C. CXCIII.

Moram trahens in Civitate Neapolitana pro servitio Ducis Mutinæ ejus Domini Jo: Jacobus Gherardinus uxoratus, absente uxore, quam in patria reliquit, ex muliere soluta filiam suscepit Mariam Catharinam, quam jam adultam propriæ domi educatam, & retentam, cum assertione, quod ipse esset jam senex destitutus non solum propria prole, sed etiam fratribus, & sororibus, vel nepotibus ex eis, obtinuit a quodam comite Imperiali habente ab Imperatore facultatem legitimandi, dictæ ejus filiæ amplissimam legitimationem: factoque postmodum casu ejus mortis ab intestato, d. filia obtinuit a Duce prædicto proprio Principe ejus confirmationem, ac etiam per sententiam Consilii Mutinæ sibi decerni patris successionem, quam spatio annorum circiter viginti possedit; & quamvis remoti agnati dicti Jo: Jacobi ad biennium circiter post dictam confirmationem moniti forsan de cautela, de qua apud Thesaur. *dec.* 69. obtinuerint ab eodem Duce declarationem, quod non intellexit juribus alterius præjudicare, profitendo ad suppositionem facere hanc declarationem juxta dispositionem juris; Attamen ea tunc usi non sunt, sed post diuturnum silentium a moderno Duce mediato successore obtinuerunt revisionem dictæ sententiæ in eodem Consilio, ista revisionis causa pendente, ex parte dictæ Mariæ Catharinæ rei conventæ requisitus. 1

Respondi, antequam assumerem inspectionem meritorum negotii principalis, quod pro ejusdem rei conventæ absolutoria, sufficiebant duo fundamenta ordinis; Primo, nempe illud rei judicatæ, quæ firmat statum, atque facit ens de non ente, sive de nigro album, vel econtra relatis *disc. 40. de judic. in princip. cum notis*; Et alterum præ- 2

3 scriptionis dupliciter intrantis; Primo nempe, juxta terminos generales præscriptionis bonorum mobilium per triennium, & stabilium per decennium inter præsentes, in casu cum sententia prædicta habeat speciem tituli, ut *dec. 130. n. 9. part. 3. rec.* Et secundo, ex terminis specialibus, ut per decennium legitimatio præscribatur, adeout post istud tempus adversus illam objici non valeat,
4 ex relatis per Lup. *de illegitim. comment. 2. §. 3. n. 55.* ubi allegantur Dec. Surd. & alii.

Ista motiva erant extra quæsitum a me insinuata ad effectum parandi majores rei conventæ defensiones, quodque ejus defensores præsentes, ita quoque colerent; non tamen super eis judicium pro veritate efformavi, cum id sequi non valeat absque bene distincta facti, ejusque circumstantiarum notitia, potissime vero quia refugium præscriptionis fragile, ac periculosum frequentius esse solet ob tot subdistinctiones, vel exclusiones, aut refectiones, ex relatis *disc. 21. de judic.* quando solum, & de per se deducatur; bene tamen illud, ac alterum rei judicatæ consideratione digna sunt coadjuvative ad merita negotii principalis, ut infra.

Quatenus itaque pertinet ad dicta merita negotii principalis, super quibus requisitus fui; Duas efformabam inspectiones; Unam nempe super efficacia, vel inefficacia legitimationis obtentæ a Commissario Imperiali, & an esset necessaria, necne confirmatio obtenta a proprio Principe; Et alteram, posito, quod ista confirmatio esset necessaria, itaut confirmantis, potius quam confirmatio sit operatio, quid relevaret dicta declaratio postmodum ab eodem Principe facta? Inanis etenim labor esset agere de hoc secundo puncto, si confirmatio non esset necessaria, adeout ea etiam seclusa, legitimatio esset operativa, atque decisio istius puncti pendet a quæstione in qua nostri nimium se involvisse videntur, an scilicet legitimatio facta per eum, qui hanc habeat potestatem, suffragetur, atque operativa sit extra territorium, vel ditionem legitimantis, vel illius Principis, ex cujus auctoritate, & privilegio alter inferior, tanquam ejus Vicarius, vel Commissarius hanc exerceat facultatem?

5 In hoc autem DD. de more in varias scinduntur sententias; Aliqui etenim generaliter, ac indefinite sequuntur affirmativam, ut legitimatio facta per habentem potestatem, utpote imprimens qualitatem in persona, quæ est individua, ubique eundem operetur effectum; Alii e converso generaliter, & indefinite sentiunt oppositum, ut nonnisi intra præcisos limites actualis, & immediatæ ditionis legitimantis; Alii distinguunt, an agatur de legitimatione facta cum auctoritate immediata, vel mediata illius regis, vel principis, qui restrictam habeat potestatem ad proprium regnum, vel principatum, vel cum auctoritate illius, qui habeat potestatem, & jurisdictionem universalem saltem habitualem in toto mundo, quales exemplificantur in Papa pro illa potestate, de qua agitur *disc. 2.* in relatione Curiæ, & alibi; & in Imperatore ratione antiqui dominii Imperii Romani, quasi quod prior species non egrediatur propriam ditionem, secus autem posterior, alii vero hanc secundam partem omnino negantes in illis Regibus, & Principibus, qui de facto omnimodam libertatem, & independentiam præscripserint, & possideant, id solum admittunt in principatibus vere dependentibus, quia nempe per possessores recognoscantur a Papa, vel Imperatore, aut ab alio jure feudi, quamvis majoris, & veræ dignitatis cum regalibus etiam majoribus, adeout importent, seu redoleant Principatum absolutum juxta illas species feudorum, quæ enunciantur in sua sede *sub tit. de feud. disc. 1. cum seqq. & disc. 63. & alibi*, quod tamen alii acriter negant etiam isto casu; Et alii considerant qualitatem personæ legitimatæ, an sit sæcularis, vel Ecclesiastica, ut respectu personarum Ecclesiasticarum, attendenda non sit legitimatio Principis sæcularis, etiam in proprio Principatu, vel ditione, quasi quod ita esset dare exercitium potestatis laicalis cum clericis, & personis Ecclesiasticis, & super quo magna dignoscitur discrepantia, quam aliqui conciliare satagunt cum distinctionibus effectuum spiritualium, vel temporalium respective; Et demum alii cum eadem nimia discrepantia distinguunt effectus, seu casus, de quibus infra, & an legitimatio importare dicatur actum jurisdictionis contentiosæ, vel voluntariæ, ut posteriori casu operetur etiam extra territorium, secus autem in priori, ut de his omnibus præsertim patet, aliis antiquioribus relatis apud Giovagnon. *conf. 16. lib. 2.* Lup. *de illegitim. comment. 3. §. 3.* & omnium latius Bellon. jun. *de jur. accrescen. in tertio opere posthumo cap. 10. quæst. 4.* & obiter *disc. 45. de præeminent. & disc. 54. de testam.*

Atque in hoc ultimo præsertim admiranda videtur nimia patientia in adeo magna collectione adhibita, sive commiseratione dignus censendus est ille Legistarum improbus labor, qui apud aliarum literarum professores, adeo contemptibilis, & damnabilis reputatur, quem iste alioquin doctus, & existimatione dignus auctor passus est; 6
Prout multæ irrisione quidem dignæ apud allegatos, & alios per eos relatos dignoscuntur leguleicæ simplicitates circa potestatem Imperatoris, ac respective Papæ in temporalibus in toto mundo, præsertim vero illa, de qua apud Giovagnon. *d. conf. 16.* super jure Imperatoris in Urbe, & statu Ecclesiastico ex concessione Constantini aliisque Imperialibus concessionibus.

Nolui autem hanc Provinciam assumere ex professo in singulis casibus, vel distinctionibus, examinando adeo varias opiniones, & quænam esset, tam inspectis auctoritatibus, quam rationibus probabilior, tam genio, quam aliis occupationibus, magis vero connaturali impatientia id prohibentibus, ac etiam vere commendabili stylo effugiendi inanes digressiones, quando qualitas causæ non exigat.

Incidenter tamen priusquam ad examen casus præcisi descenderem, insinuabam, quod pro meo judicio illa videbatur probabilis distinctio, ut in primis reflectendum esset 7
ad leges, vel stylos particulares illius Regni, vel Principatus, quibus existantibus, ut contingit in casu, de quo in *d. dec. 69.* Thesauri, eis deferri debeat.

Hujusmodi autem legibus, vel stylis deficientibus, reflectendum veniat ad distinctionem, seu qualitatem effectuum, & præjudiciorum respective; Aut etenim agitur ad effectum habilitandi illegitimum ad successionem bonorum feudalium, vel emphyteuticorum, adeout hæc habilitatio non solum præjudicet legitimis agnatis, & aliis per legem investituræ vocatis cum præjudicio mere privato, sed etiam præjudicet domino directo contra cujus voluntatem implicite, vel explicite, & a lege subintellectum admittantur personæ incapaces, & abhorritæ, & tunc indistincte intret opinio negativa, ut legitimatio non sit operativa, nisi in iis ad quæ extendatur potestas legitimantis copulative in persona, & bonis, dum alias esset dare exercitium jurisdictionis cum non subdito, ac propterea etiam in proprio principatu, vel territorio, intrat defectus potestatis, ratione diversitatis fori, puta, quia agatur de feudo, vel emphyteusi Ecclesiæ, in cujus præjudicium potestas laicalis habilitare non possit inhabilem, dummodo tamen tale præjudicium personæ exemptæ adsit, quia nempe Ecclesiæ dominæ directæ intersit non admitti hoc genus personarum, per quod devolutio nimis in longum protrahatur, sive ex quovis alio respectu sibi præjudicetur, secus autem, ubi ipsa Ecclesia non existente in causa, nullumque revera patiente præjudicium, vel habente interesse, sit sola quæstio pertinentiæ inter laicos, quoniam tunc licet Curia Romana credat etiam isto casu, quod bona censeri debeant Ecclesiastica, ratione habitualis, & directi dominii Ecclesiæ, quamvis sola contentio sit inter laicos, ex iis, quæ ad effectum Ægidianæ, aliosque similes effectus habentur *disc. 37. de judic. & alibi*; Attamen ista opinio videtur Curiæ singularis, alibi non recepta, ut *eod. disc. 37.* advertitur.

Istoque casu probabilior, magisque recepta in praxi circa punctum territorii etiam inter laicos est opinio, quæ negat operationem legitimationis concessæ per dominum directum, seu mediatum, quoties agatur de dicta specie feudi majoris, & dignitatis cum omnibus regalibus, redolente verum, & absolutum principatum, cum in hac specie feudorum, dominus, iis exceptis, quæ jus feudi, & alti dominii respiciunt, omnem aliam jurisdictionem a se abdicasse videatur, illamque in feudatarium transtulisse, nisi contraria consuetudo aliter declaret, secus autem, ubi agatur de feudatariis, vel Domicellis inferioribus, & subordinatis sub Baronum potius, quam Principum genere venientibus, juraque regalia regulariter non habentibus.

Aut vero agitur de illis bonis differentibus, in quibus ex privato judicio privatum interesse, vel præjudicium adsit eorum, qui ex eodem judicio vocati sint, ut contingit in bonis subjectis fideicommisso ex privata dispositione ordi-

nata

nato ad quod solùm legitimi vocati sint; Et tunc, aut
9 ipsius fideicommittentis ordinaria, seu voluntas legitimationi assistit, taliquecasu verius videatur, ut quoties præsertim agitur de legitimatione obtenta re integra per illegitimi patrem fideicommissi possessorem, ad effectum, ut ad ejus posteros magis, quam ad alios remotos transversales, vel extraneos substitutos bona transeant, adeout utraque voluntas gravantis, & gravati assistat, dicendum veniat idem, quod in casu sequenti dicitur in bonis liberis, & indifferentibus; Aut voluntas fideicommittentis resistit, vel non assistit, & tunc procedat idem, quod in casu præcedenti, quamvis non utraque ratio, sed una earum assistat simplicis, nempe, non autem duplicis præjudicii, quoniam ita esset quoque exercere jurisdictionem contentiosam cum non subditis, atque isti jus tollere si non in re, & de præsenti, saltem in spe trahente causam de præterito, in qua radices jam habeat natas, & fixas; Multo magis, & absque dubio post jus quæsitum, quo casu etiam in eo, qui legitimetur ex auctoritate proprii Principis intret ratio potestatis ex iis, quæ habentur supra *disc.* 148. & in casu de quo *disc.* 68. *de fideicomm.*

Aut demum agitur de bonis indifferentibus liberæ di-
10 spositionis, & tunc si legitimatio non est obtenta per ipsum patrem, vel de ejus mandato, sed eo inscio, vel invito, seu defuncto, planum est legitimationem non suffragari, quamvis obtentam a proprio Principe, vel domino, nisi constet de ejusdem legitimantis certa voluntate, in dubio non præsumenda, habilitandi usque ab initio cum retrotractione, quodque accedat ejusdem legitimantis potestas tollendi jus tertii, juxta ea, quæ habentur supra *d. disc.* 148. *&* 177. quod verificabile non est in hujusmodi legitimationibus mediatis, quæ per inferiores ex privilegio supremi conceduntur, ut ita distinguendo advertitur *d. disc.* 68. *de fideicomm. & alibi.*

Sed si legitimatio obtineatur ab ipso patre, vel de ejusdem voluntate, seu præordinatione libera, & simplici, per quam ipse se constituit in necessitate agnoscendi illum legitimatum in suum, adeout decedendo intestatus, teneatus illum saltem in legitima instituere, & decedendo testatus illum habeat legitimum hæredem, & successorem, juxta receptam distinctionem inter legitimationem simplicem, & puram, & alteram qualificatam a clausula sine præjudicio venientium ab intestato, de qua apud Gregor. & Adden. *dec.* 135. *&* 201. *decis.* 200. *part.* 7. *rec. dec.* 35. *part.* 8. & frequenter advertitur in plerisque locis.

Et tunc quidquid in scholastico, mereque leguleico rigore irrationabili teneant Bellon. *d. quæst.* 4. *num.* 140. *& seqq. & alii ibid. relat.* omnino probabilior videtur altera opinio relata per eumdem *num.* 127. *& seqq.* bene substentata per Giovagn. *d. consil.* 16. in Curia per Rotam aliaque Tribunalia recepta etiam in fideicommissariis successionibus, quando fideicommittentis assistat voluntas, ut supra, ex relatis *d. disc.* 58. *de fideicomm. & alibi pluries*, ut unica legitimatio facta per habcotem potestatem, abluat maculam, & qualificet personam individuam ubique, nisi repugnet lex loci, quæ expresse contrarium disponat.

11 Idque non solum ex ratione assignari solita, quod sit actus voluntariæ jurisdictionis, quæ prorogari potest cum ista sola ratione attenta, non improbabiles essent considerationes tenentium contrarium, ut non possit subditus in præjudicium proprii Judicis, seu Superioris alienæ potestati, & jurisdictioni se subjicere, sed ex altera, quod ita in bonis liberis legitimantis, qui poterat illa dissipare, atque, ut nostri dicunt, projicere in mare, seu relinquere extraneis, quinimo relinquere ipsimet illegitimo, quamvis non legitimato, quoties, ut in hac facti specie nullus obstet defectus potestatis, quia nempe non adsint filii legitimi, & non agatur de legitimo suscepto ex damnato, & punibili coitu, legitimatus bona obtinere dicitur ex voluntate ipsius patris, quæ est unica, & individua, ubique operativa, potius quam ex potestate, & jurisdictione legitimantis.

Ad instar eorum, quæ habemus in materia statutorum exigentium copulativam subjectionem personarum,
12 & bonorum, adeout non operentur in bonis extra territorium, ex pluries relatis in sua sede *sub tit. de success. & alibi*, & secus, ubi statuti operatio fomentum recipiat a voluntate disponentis, ubique operativa, etiam in bonis extra territorium, ex deductis apud Merlin. *decis.* 447. *repetit. dec.* 355. *part.* 5. *rec.* & sæpius adverti-

tur *eodem tit. de success.* & præsertim *disc.* 9. *& disc.* 109. *de jurisdict.*

Alia quoque ratione accedente impracticabilitatis, & absurdi, quoniam stante hodierna divisione mundi in tot 13
Principatus, & dominia, si quis haberet ejus patrimonium sparsum in plerisque dominiis, & territoriis, ut præsertim docet praxis Italiæ in Januensibus, Florentinis, Lucensibus, Bergomensibus, & Comensibus, & aliis similibus industribus nationibus, cuperet autem habere successorem ejus filium illegitimum per legitimationem habilitatum, vel etiam extraneum jure adoptionis, cogeretur obtinere multas, & multas legitimationes, vel facere multas adoptiones, quot sint dominia, vel territoria, in quibus bona sita sint, idemque in casu successionis fideicommissariæ ob assistentiam voluntatis fideicommittentis, quod utique absurdum, & irrationabile, peneque impracticabile censendum est, communi usui quoque contrarium.

His itaque obiter prænotatis; Atque descendendo ad speciem, seu applicationem; Certe videbatur voluntas patris libere, ac pleno jure hanc filiam legitimandi, ut 14
illam tamquam legitimam haberet in unicam successitricem non solum, quia curavit obtinere legitimationem puram, & liberam, ac in forma amplissima, sed clarius ob rationem ab ipso expresse assignatam in ejus impetratione, quod scilicet esset jam senex, ac destitutus non solum legitima prole propria, sed etiam proximis attinentibus transversalibus, quales reputantur fratres, & sorores, ac nepotes ex eis, nullusque obstabat defectus potestatis, cum dici non posset filia suscepta ex coitu damnato, & punibili, utpote ex muliere soluta, non obstante, quod ipse esset uxoratus, cum de consuetudine adulterium in viro non sit punibile.

Et per consequens confirmatio obtenta a proprio Principe, non erat necessaria, sed fuit ad exorbitantem cautelam, & ad bene esse.

Potissime vero, & fortius, dum legitimatio sequuta fuerat auctoritate Imperatoris Domini directi, quam una opinio credit sufficere etiam in casibus, in quibus ne- 15
cessaria sit jurisdictio, & potestas contentiosa, quoniam licet, ut supra contraria opinio probabilior videatur, magisque recepta, ut potestas Domini mediati non sufficiat, attamen id est in quæstione cum veritate opinionum; Ideoque minus exorbitans, majorque dubitandi ratio videtur illa injuriæ, & præjudicii ipsius domini immediati, quando iste, ejusque nomine vicemagistratus, & officiales contradicant; secus autem, ubi assentiatur, cum volenti, & assentienti non fiat injuria, ut in specie in hoc eodem Principatu advertitur *d. disc.* 53. *de testam.* Ideoque dicta confirmatio non legitimationis ex integro, sed prædicti consensus, & approbationis speciem potius habere dicitur.

Hinc de consequenti resultare dicebam resolutionem alterius inspectionis circa declarationem ab eodem Prin- 16
cipe factam non præjudicandi tertio, quoniam ubi etiam ista declaratio præseferret omnimodam revocationem, & annichilationem dictæ confirmationis, adhuc nil referret, dum confirmatio non requirebatur, ut supra, sed obtenta fuit ad uberiorem cautelam, quæ propterea nocere non debet, nec potest. Multo igitur magis ex duplici consideratione; Primo nempe, quod Princeps non processit per viam revocationis, sed per viam declarationis, quæ non importat dispositionem, sed solum explicationem ejus, quod inest de jure, cujus dispositione attenta gratiæ Principum ita etiam sine dicta declaratione in dubio veniunt interpretandæ, ex relatis *dict. disc.* 148. *de Regal.* & alibi sæpius; Et secundo, quia idem Princeps professus fuit dictam declarationem facere secundum juris dispositionem, qua attenta, nullum jus considerabile, ut supra agnatis actoribus quæsitum fuerat, ideoque gratia non importabat præjudicium considerabile.

Ac demum advertebam, quod in omnem eventum negari non posset, quin casus esset probabiliter dubius, ut 17
propterea dicta res judicata jamdiu exequuta, & observata, dici non posset nulla, vel injusta, ut in isto gradu revisionis retractari mereretur; Quodque interim fuerit posseditrix in statu bonæ fidei, ac propterea inter dictum motivum præscriptionis, atque ad hunc effectum consideratione digna esse dicebam duo motiva initio insinuata, rei judicatæ, & præscriptionis.

TAURINEN. RENUNCIATIONIS.

PRO COMITE AURELIO DE ASINARIIS, CUM MONASTERIO MONIALIUM JESU.

Responsum pro veritate extra Curiam.

De eadem materia potestatis Principis præjudicandi tertio; Et incidenter, quando Princeps judex laicus sit competens in causis Ecclesiasticorum, sive istorum jus tollat: Et aliqua ad materiam renunciationis factæ per ingressuros in Monasterium.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De restitutione in integrum adversus duas, vel tres conformes.*
3 *An promissio de faciendo, habeatur pro facto.*
4 *De solemnitatibus in renunciationibus, quæ fiunt per ingressuros Monasterium, vel Religionem.*
5 *Quod renunciationes puellarum sint solitæ, & favorabiles.*
6 *De distinctione inter Signaturam gratiæ, & justitiæ, & de alia distinctione inter diversas species restitutionis in integrum.*
7 *Quando non intret quæstio potestatis Principis tollendi jus tertii.*
8 *An Princeps possit facere gratiam proprio subdito in præjudicium non subditi.*
9 *De restitutione in integrum facilius concedenda venienti independenter jure proprio.*
10 *De errore juristarum assumendi quæstiones extraneas, & superfluas.*
11 *An, & quando Judex laicus sit competens in causa cum persona Ecclesiastica.*

D I S C. CXCIV.

1 Volentes duæ filiæ Comitis Aurelii senioris de Asinariis habitum suscipere in Monasterio sub invocatione JESU Ordinis Sanctæ Claræ, in quo jam educationis gratia morabantur, in instrumento inito super constitutione dotis præstandæ Monasterio, & consuetæ vitaliniæ præstationis factæ per patris procuratorem, promiserunt suo tempore ad formam mandati procuræ amplam facere renunciationem bonis paternis, & maternis, & forsan aliis, sed secuta professione renunciatio neglecta fuit; Defunctaque postmodum matre ab intestato, pater deinde decedens, hæredem in testamento scripsit Octaviam alteram filiam nuptam, cum gravamine perpetuæ primogenituræ in linea filii, vel filiorum ejusdem; Quare secuto testatoris obitu, Monasterium ex persona dictarum Monialium contra dictam Octaviam, sententiam a Senatu Pedemontano de anno 1623. reportavit super duabus ex tribus partibus intestatæ maternæ hæreditatis, necnon super supplemento legitimæ in paternis bonis, confirmatam ab eod. Senatu de anno 1627. adversus quas de ann. 1672. Comes Aurelius junior dictæ Octaviæ nepos ex filio, ad breve tempus defuncto, factus major obtinuit rescriptum Principis super restitutione in integrum adversus dictas duas conformes, & ipsum tempora cum clausula, *quatenus suprema auctoritas extendatur, absque læsione justitiæ.*

In hoc itaque statu ex parte ejusdem Comitis Aurelii causam excitantis contra Monasterium, super multis pro veritate consultus fui, & præsertim, an suprema potestas Principis extenderetur ad hujusmodi restitutionis concessionem contra Monasterium personam Ecclesiasticam ab ejus potestate exemptam, ex quo de consequenti maneret jurisdictio, vel competentia dicti Senatus; Et an dici posset adesse in d. concessione læsionem justitiæ, cum alia pleraque quæsita non viderentur nimio discursu digna, vel de illis incidenter infra mentio fiat, occasione agendi de dictarum sententiarum injustitia.

Respondi itaque opus non videri assumere hanc altiorem inspectionem super suprema Principis potestate præjudicandi tertio non subdito, cum gratiis, & habilitationibus, quæ proprio subdito concedantur; Et an hujusmodi gratia contineret læsionem justitiæ, vel indigeret suprema Principis potestate; Cum dictum rescriptum restitutionis
in integrum directum eidem Judici, & Tribunali cum dictis clausulis, *absque læsione justitiæ*, nullam contineat exorbitantiam, sed in substantia sit illa commissionis species, 2
quam in Curia quotidie practicat Signaturæ Justitiæ Præfectus super restitutione in integrum, prout de jure, quæ deneganda non est, etiamsi adsint duæ, vel tres conformes, quando prætendantur injustæ, quoniam leges, quæ de duabus, vel tribus conformibus disponunt, amplius sub disputationis trutina non ponendis, intelligendæ veniant de justis, non autem de injustis, ex relatis *disc.* 38 *de judic.* atque videtur hodie nimium vulgare, ac species notorii quotidie decantari, & practicari.

Injustitia vero dictarum sententiarum videbatur clara, decernendo successionem puellis, quæ recepta dote, ei renunciaverant; Nil obstante, quod ad actum renunciatio- 3
nis promissæ, deventum non esset, quoniam licet apud nostros majores, magna sit quæstio, in qua cum solita scissura, nimium se involvisse videntur, an promissio de faciendo habeatur pro facto, ex relatis apud Coccin. *dec.* 1895. & 1951. quæ sunt repetitæ *dec.* 393. *part.* 5. *rec.* & *dec.* 58. *part.* 6. solitæ reputari magistrales, atque habetur *disc.* 48. *de donat.* & *disc.* 138. *de fideicom.* & *alibi*.

Attamen id producit diversos effectus translationis, nempe dominii bonorum, quæ in promissione deducta sunt, ac juris tertii, cui medio tempore bona fuerint quæsita ex titulo singulari translativo dominii, quoties promissio munita non sit hypotheca, cum aliis considerationibus, quæ pro consuetis nostrorum formalitatibus, vel superstitionibus fieri solent, secus autem quoad ipsum promittentem, ac alios, ex ejus jure venientes, ejusque personam repræsentantes, ne liceat pœnitere, promissamque promissionem impugnare, ut generaliter latis relatis, & in specie consimilis promissionis de renunciando factæ per puellam, volens suscipere habitum in Monasterio apud Merlin. *controv.* 4. *lib.* 1.

Supponebatur dictas sententias principaliter fundatas esse 4
in ejusdem promissionis invaliditate, ob non adhibitas solemnitates ex illis decretis Ducalibus, vel Constitutionibus præscriptas in contractibus minorum, sive alias solemnitates statutas a Concilio Trident. sed desuper insinuabam ea, quæ in hoc proposito habentur *disc.* 15. *de donat.* *disc.* 59. *de regular.* ac etiam *disc.* 40. & *in annot. ad Conc. Trid.* Insinuando quoque ea, quæ habentur *disc.* 13. & 14. *de renunc.* super consuetudine Italiæ, ut puellæ occasione car- 5
nalium, vel spiritualium nuptiarum, hujusmodi faciant renunciationes, quæ propterea justæ, ac rationabiles reputantur, quoniam sufficit eas esse congrue provisas; Atque ex hoc manat responsum ad objectum læsionis, quod regulando rem ab eventu pro eisdem leguleicis formalitatibus, frequenter adversus hujusmodi renunciationes deduci solet, ut in eadem renunciationum sede, & alibi.

Sed quidquid esset de præmissis, & aliis circa efficaciam, vel inefficaciam dictæ promissionis, advertebam id respicere merita negotii principalis, & an de restitutione in integrum, adversus duas conformes respondendum esset, necne, non autem circa ipsam promissionem, ad effectum, ut Tribunal, non obstante obstaculo duarum conformium, de hoc cognoscere posset.

Atque stante dicto rescripto non lædendi justitiam, ad-
vertebam in proposito, reflectendum esse ad distinctiones, 6
quæ habentur *disc.* 30. & 31. *de Relat. Curiæ*, inter Signaturam Gratiæ, & Signaturam Justitiæ, & inter illam restitutionem in integrum, quæ conceditur per Signaturam Justitiæ, prout de jure in hujusmodi judicialibus, an læsa sit justitia, de qua proprie agitur *disc.* 38. *de judic.* & illam restitutionem, quæ per viam veræ gratiæ adversus aliquod factum, vel non factum, concedatur in præjudicium tertii, cui jus quæsitum esset, & de quo supra *dict. disc.* 149 & 177. & *alibi*.

Ac propterea in hac facti specie advertebam, opus non 7
esse assumere hanc inspectionem supremæ potestatis Principis super gratiis tertio præjudicialibus, cum difficultas cessaret ex facto deficientis voluntatis, dum Princeps noluit rescribere in forma Signaturæ Gratiæ, sed potius in forma Signaturæ Justitiæ, ideoque extra propositum remanere dicebam ea, quæ in notulis transmissis, nimium ab alto ressumpta erant super jure naturali, vel gentium, ac super iis, quæ super potestate supremi Principis tam Juristæ, quam Morales disputare solent circa requisitum causæ publicæ, ex relatis *d. disc.* 148 & 177. ad quos remissive me habeo, utpote in puncto superfluo.

Prout superfluum, ac extra punctum quæstionis, adverte- 8
bam

bam esse alteram in eisdem oculis excitatam quæstionem, an scilicet posita etiam potestate Principis præjudicandi tertio ei subdito, id agere possit cum tertio non subdito, & super quo remissive quoque me habui, ad deducta *disc. 143. de dote, & disc. 8. in Miscellan. Ecclesiast.* ubi de distinctione jurisdictionis, quæ exerceatur cum proprio subdito, quamvis indirecte, & per consequentiam redundet in præjudicium non subditi, dum ut supra nullus actus gratiæ, sed actus justitiæ factus fuit.

Potissime vero, & clarius, quoniam etiam sine dicto rescripto in eodem Senatu potuisset ad limites justitiæ intentate idem remedium, dum iste modernus Comes veniebat independenter ab ejus avia, tamquam vocatus ad primogenituram.

9 Quamvis etenim verius sit, ut sententia lata cum hærede gravato, vel cum alio legitimo possessore fideicommissi, seu primogenituræ, ubi servatis servandis causa defensa, & citra suspicionem collusionis lata sit, afficiat etiam successores jure suo venientes, quamvis sufficiat, eam latam esse cum legitimo contradictore, ex relatis *disc. 40. de judic. & alibi*; Attamen longe facilius beneficium restitutionis in integrum impartiendum est successori independenti, cui prædecessoris culpa, vel negligentia præjudicare non potuit, quam hæredi, vel alteri successori dependenti, cui actoris negligentia præjudicet.

Atque hinc monemur de continuo errore Professorum
10 hujus facultatis assumendi inutiles, & extraneas quæstiones, ac involvendi materias ex deficiente omnino necessaria reflexione ad distinctiones casuum, ad effectus, de quibus agatur.

Demum quoad punctum jurisdictionis, & competentiæ
11 Principis, vel Judicis sæcularis cum loco Ecclesiastico, & exempto, insinuabam ea, quæ habentur *disc. 58. & 94. de jurisdict.* dum ista non erat causa nova, & integra, sed continuatio causæ antiquæ in eodem Senatu pendentis, & introductæ ab ipso Monasterio tamquam actore.

PISANA, SEU LIBURNIEN. DEPRÆDATIONIS
PRO CAROLO LONGLAND CUM HÆREDITATE MARTINI.

Responsum pro veritate extra Curiam.

An, & quando pyratica deprædatio sit licita, necne; Et quatenus illicita detegatur, an deprædator teneatur erga deprædatum ad damna, & interesse; De modo justificandi casum deprædationis, & liquidandi valorem rerum deprædatarum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod in his, quæ sunt facti, & probationum, non de facili judicium pro veritate efformetur.*
3 *In quo consistat pondus judicandi, & consulendi.*
4 *De differentia circa probationes ad effectum assecurationis, & ad effectum deprædationis.*
5 *Probato delicto, contra delinquentem leviores probationes admittuntur super liquidatione.*
6 *De ratione differentiæ, de qua n. 4.*
7 *Quomodo procedat lex decernens justificationem deprædationis infra annum.*
8 *De juramento in litem, vel suppletivo.*
9 *Transactio per carceratum invalida.*
10 *An Procurator, vel institor possit transigere.*
11 *Etiam in transactione intrat læsio.*
12 *Dominus vendicat bona sua furata, vel deprædata a possessore, quamvis bona fidei.*
13 *Delinquens tenetur ad damna, & interesse.*
14 *Stigmata, vel signa probant dominium.*
15 *Deprædantur bona inimicorum, & bona amicorum.*
16 *De causis inducentibus bonam fidem.*
17 *E converso inducentibus malam fidem.*
18 *In casualibus attenditur initium actus.*
19 *Quando redimens rem alienam a furibus, vel hostibus, recuperet pretium.*
20 *Deferens vexillum inimicum, se supponit deprædationi.*

DISC. CXCV.

1 CUm Carolus Longland Anglus navem haberet, cui præfecit Petrum Vittingh pariter Anglum causa mercimo-

nii sub vexillo proprii Regis supponitur, quod olim Martinus cum ejus navi pyratica, illam aggressus sub prætextu, quod in ea invenisset quasdam mercium arcas, vel sarcinas, torcico stigmate obsignatas, non solum dictas arcas, vel sarcinas mercium deprædatus fuit, sed ipsammet navim, ejusque instrumenta, aliasque merces, & pecunias, apponendo etiam Petrum institorem, & nautas sub vinculis, eo modo, quo cum hostibus infidelibus, vel cum publicis inimicis practicari solet, atque ita spatio quatuor circiter mensium detinuerit, deindeque per concordiam cum mediatione cujusdam personæ qualificatæ initam cum eodem Petro, navem, & quandam partem mercium restituerit; ac personas libertati donaverit.

Quæstio autem hodie fit super restitutione reliquarum mercium, & pecuniarum, aliorumque bonorum, necnon super damnis, & interesse per eumdem Carolum ex dicta causa passis.

Quatuor constituendæ videntur inspectiones. Primo nempe super probatione quantitatis, & qualitatis mercium, & bonorum, quæ supponuntur esse in navi per Martinum deprædata, & non restituta; Secundo posita probatione, an obstet concordia; Tertio posito, quod non obstet, super obligatione restituendi bona deprædata, sive eorum valorem; Et quarto super damnis, & interesse.

Quatenus pertinet ad primam inspectionem cum probationum relevantia pendeat a dicto, & fide testium, hinc inde inductorum, ac etiam ab aliis adminiculis, & circumstantiis, ac propterea sit quæstio potius facti, & arbitrii, juxta celebrem, vereque magistralem textum *in l. 3. ff. de testibus cum concordantibus relatis disc. 32. de judic.* Hinc proinde per absentem, atque non omnino informatum de omnibus circumstantiis facti, non de facili maturum judicium pro veritate potest efformari. 2

Ad sequentia tamen reflectendum venit, ut ex eis pro facti qualitate, bene judicium efformetur, atque evitentur illa æquivoca, quæ in hac facultate nimium frequentia esse solent, confundendo unum cum altero casu, atque auctoritates, quæ unum casum percutiant, alteri applicando, cum in hac reflexione, seu distinctione, totum judicandi, & consulendi pondus consistat.

In hac namque materia probationis naufragii, aliorumque accidentium, quæ in mari contingunt, magna constituenda est differentia inter illam probationem, quæ facienda sit ad effectum probandi casum assecurationis pro cogendo in actione mere civili assecuratores ad solvendum pretium mercium assecuratarum; Et illam probationem, quæ facienda sit per eum, qui indebitam, & criminosam passus est deprædationem, ad effectum cogendi delinquentem deprædatorem ad refectionem rei deprædatæ, ejusque quod interest. 3

Priori etenim casu nullum in assecuratoribus concurrit delictum, ob quod in eorum odium probationes, quamvis leves, & imperfectæ admitti debeant, nullaque subest præsumptio, vel suspicio, quinimo res est in oppositum, quod scilicet, potius urget suspicio, vel possibilitas fraudis in securato, qui pretiosarum mercium revera non oneratarum, neque periculo expositarum, assecurationem callide procurare potuit, deindeque navis naufragium affectare ad hoc, ut pretium ab assecuratoribus per quandam speciem furti ob modicum præmium solutum consequatur; Ideoque merito circa probationem, ac liquidationem respective proceditur cum aliquo rigore, & circumspectione ex iis, quæ habentur in his terminis assecurationis deducta *in tit. de credit. disc. 106. cum pluribus seqq.* ac etiam postea per Rotam in Romana assecurationis 26. Junii 1673. coram Matthæjo, in qua tacito auctore reassumuntur a me locis citatis deducta. 4

In altero autem casu deprædationis qualis est ille, de quo agitur, res est in oppositum, quoniam in deprædato nullum concurrit delictum, nullaque considerari potest fraudis, & collusionis præordinatio, & affectatio, sed e converso delictum, & culpa concurrunt in injusto, & illicito deprædatore, cui in casu illicito latronis, & violenti spoliatoris, ac perturbatoris commercii nomen congruit.

Et per consequens intrat vera, & recepta conclusio, quod in odium delinquentis, constito de delicto in genere, vel in substantia quoad quantitatem, & qualitatem rerum deprædatarum, admittantur leves, & imperfectæ probationes, adeout aliqui velint, ut juramento ejus, qui deprædationem passus est; deferatur ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur apud Farinac. *de furt. q. 196. num. 19. & seqq. & in frag. part. 2. verb. juramentum n. 1005.* 5

Bellon. jun. *conf.* 92. *n.* 9. & 10. Vermigliol. *conf.* 27. *n.* 19. Rub. *de testam. ad pias causas cap* 98. *n.* 353. *& seqq.* atque plories advertitur præsertim *disc.* 22. *de judic. n.* 16. Et specialiter de casu naufragii, vel deprædationis, quamvis in confuso non distinguendo casus, juxta solitum stylum collectorum, Mascard. *de probat. conclus.* 273.

6 Ubi etenim versatemur in priori casu assecurationis recte dici potest, quod sibi imputet assecuratus, cur non bene sibi præcaverit super justificationibus onerationis mercium assecuratarum, ut adveniente casu naufragii, vel periculi ejus actiones prosequi valeat contra assecuratores, dum est casus jam prævisus, & formidatus ab initio, ac etiam imputari potest, cur in primo loco post passum naufragium, vel alium casum, suas non fecerit probationes, justa formam præscriptam a consulatu, sive in ordinationibus ibi registratis, sed hæc omnia cessant in isto alio casu injustæ deprædationis; quoniam dici non potest casus prævisus, & cogitatus, ob quem sibi præcavere debuerit, neque habet illam suspicionem fraudis, & affectationis, quam habet dictus casus assecurationis, minusque deprædatio objici potest, cur illico suas non fecerit justificationes, dum idem deprædator Ducem navis ejusque nautas, & ministros victos ad formam servorum per tempus adeo notabile detinuit; Ideoque ad has distinctiones, & differentias omnino reflectendum venit, cum alias manifestum sit æquivocum, hujusmodi terminos, vel casus confundere.

7 Atque hinc resultat non solum æquivocum, sed evidenter fabulosum esse applicare textum *in l. neminem Cod. de suscept. præpos. lib.* 10. quoniam ut patet ex tenore textus ex iis, quæ Bartolus, & alii ibidem observant, id procedit in iis, qui juxta illorum temporum mores suscipiebant, tamquam per speciem muneris publici vehere merces, & pecunias de loco ad locum cum obligatione reddendi rationes, in quarum dispunctionibus pro eorum exoneratione similes casus allegare solebant dispersionis, vel furti, aut alterius deprædationis; cum tunc in eisdem susceptoribus intrare posset eadem ratio fraudis, & affectationis, quæ supra consideratur in illis, qui sunt soliti de assecuratione, ut supra; Ac propterea, in textu litteraliter assignatur ratio celeris notitiæ, & justificationis, ut inquiri possint fures, vel deprædatores; Et per consequens manifestæ fabulæ speciem habet considerare istum textum adductum per Mascard. *d. conclus.* 273. *n.* 11. *& seqq.* ad favorem ipsius furis, & deprædatoris, adeout istud motivum omni penitus discursu indignum censendum veniat.

8 Præterea circa istam primam inspectionem probationis, quatenus pro ᶠ[illegible]letione exceptionum, quæ dantur adversus testes, exhibeatur juramentum, ponderandum est, quod æquivocum quoque videtur procedere cum puris, & simplicibus terminis juramenti in litem, quod solum, & de per se deducitur pro fundamento intentionis; Unde intrent ea, quæ in hac materia juramenti in litem habentur deducta *disc.* 25. *de Judic.* ac etiam *disc.* 4. *de Tutor.* aliisque administratorum & alibi, quoniam potius dicendum est, ut sit species juramenti suppletivi, de quo eodem *discurs.* 25. *de Judic.* cum aliis, de quibus supra pro removendis scilicet exceptionibus, quæ in dictis, vel in persona dantur ad testes illos criticandos perinde, ac si ageretur de probatione contractus, vel alterius actus voluntarii initi in statu, & tempore pacifico, adeout actori imputari valeat cur meliores probationes sibi non paraverit, sibique melius non caverit; Ac propterea, circa istam primam inspectionem cum hujusmodi considerationibus, & distinctionibus bene concludere videntur probationes magis distinctæ, ac diligenter expensæ per Advocatos pro parte dicti Caroli scribentes.

Quo vero ad secundam inspectionem, an scilicet, obstet transactio inita inter Martinum deprædatorem, & Petrum deprædatæ navis Capitaneum, seu præpositum, omnino plana videtur pars negativa ex pluribus fundamentis, quorum singula sufficerent, multo magis simul juncta.

9 Primo nempe, quoniam, ubi etiam Petrus, cum quo inita est concordia, esset principalis, ac dominus, qui de mercibus deprædatis, liberam haberet disponendi facultatem, adhuc tamen concordia invalida, nulliusque efficaciæ censenda esset, utpote facta cum illo, qui injuste, & tyrannice vinctus detinebatur, juxta celebrem nimiumque vulgatem textum *in leg. qui in carcere, ff. de eo, qui metus causa*, cum concordan. plene deductis per Rot. apud Merlin. *dec.* 506. *repetit. dec.* 26. *part.* 6. *rec.* atque pluries advertitur, præsertim *sub tit. de alienation. & contract. disc.* 41. cum aliis collectis per modernum Valeron. *de trans. fact. tit.* 6. *quæst.* 3. *num.* 11. *& per tot.*

Secundo fortius, quia dictus Petrus non erat Dominus, ideoque absque speciali mandato super rebus alienis transigere non poterat ex notoriis, non obstante, quod esset navis Præpositus, quoniam id recte consideratione dignum esset, quando ageretur de illis concordiis, aliisque conventionibus, quæ initæ essent circa opus, vel ministerium, cui præpositus esset, quia nempe quemadmodum præpositus fuit emptioni, & venditioni mercium, aliisque actibus mercimonii, & navigii, regimen concernentibus, ita potuerit super casibus dubiis desuper contingentibus transigere, nullatenus vero in casu, de quo agitur, utpote extra officium. 10

Et tertio ratione enormissimæ læsionis, quam hodie magis receptum est, etiam in isto contractu transactionis locum habere, ex relatis *sub tit. de empt. & vendit. disc.* 27. *& sub tit. de alienat. & contract. disc.* 50. *n.* 13. 11

Super tertia inspectione nulla cadere videtur ratio dubitandi, quoniam ubi etiam deprædator ob stigmata hostilia aliqua excusatione dignus esset, (quod neque subsistit, ut in inspectione sequenti) adhuc tamen detecta veritate, id non excusat a restitutione bonorum, quæ deprædationi vere non subjacebant, sed solum excusat a pœna ex iis, quæ aliis relatis habentur apud Caball. *conf.* 136. Vermigliol. *d. conf.* 271. *& conf.* 275. atque advertitur pluries præsertim *supra hoc eodem titulo disc.* 129. *de regal. & disc.* 5. *de usur. & sæpius.* 12

Major itaque forteque unica dubitandi ratio ad quartam, & ultimam inspectionem restringi videtur, an scilicet, deprædator teneatur etiam ad damna, & interesse, idque pendet a puncto, an intret, necne justa excusatio a dolo, & delicto; Ubi etenim excusatio non intraret, planum est venire quoque damna, & interesse contra prædonem, vel furem aliosque similes delinquentes, secus autem e converso ex relatis per Farinacc. *de furt. quæst.* 167. *n.* 18. Vermigliol. *conf.* 275. *in princip.* & passim, cum sint principia notoria, & in foro quotidiana occasione spolii, vel attentatorum, & similium. 13

Quando itaque Martinus, qui pyraticam artem exercebat, contentus fuisset sola deprædatione Arcarum, & Sarcinarum habentium stigmata Turcica, tunc probabilius dicendum esset, excusatione dignum reputari debere, quoniam cum regulariter stigmata probent dominium, & pertinentiam *l. stigmata C. de fab. lib.* 11. ubi Luc. de Penn. Bart. & alii de quibus Marco. *conf.* 129. *n.* 3. Grat. *discept.* 570. *n.* 5. *& seqq.* Pena *dec.* 6. *n.* 17. *juxta Venetam impressionem*; Ita juste credere potuit esse merces, & bona hostium, nil obstante, quod navis esset amicorum, quoniam non implicat, ut in una eademque navi amica, vel neutrali, adsint merces, & bona amicorum, & inimicorum; 14 15 Ideoque tam lex, quam usus belli concedunt deprædari bona inimicorum, & relinqui bona amicorum, juxta casum relatum *disc.* 6. *et n.* 3. *de empt. & vendit.* ac etiam corroboratur ex deductis per Dian. *part.* 11. *tract.* 3. *res.* 1. *in fin. vers. confirmatur hæc veritas, &c.*

Et quamvis ex parte Longlandi ingeniose, ac laborare probatum sit per Scribentes, quod stigmata sint æquivoca, quandoque adhiberi, vel relinqui solita pro evitandis hostium molestiis, vel aliquibus gravaminibus, quodque propterea Martinus deprædator teneretur inquirere veritatem ex apocis oneratoriis vulgo *di carico*, ejusque justificationibus; Attamen, quando aliud non concurreret, nimium dubitarem, quoniam Nauta exercens artem pyraticam, non tenetur esse peritus Jurisconsultus, atque cum juris subtilitatibus, se Judicem constituere, ac hujusmodi exactas diligentias adhibere, sed potius sibi imputet Rector navis, qui signa inimicorum adhibuit, ut in specie amici adhibentis vexillum Regis inimici, quamvis ex justo motivo, id quandoque fieri soleat, ad effectum excusationis a dolo, & consequenter a damnis, & interesse advertitur a Stracca *de naut. part.* 3. *n.* 23. *fol.* 133. 16

Verum cum aliis tali circumstantiis, nempe deprædationis totius navis una cum ejus instrumentis aliisque bonis, & mercibus, dicta stigmata non habentibus ejusque retentionis continuatæ per notabile spatium quatuor mensium cum intentione continuandi in futurum, nisi auctoritativus mediator se interposuisset, occasione appositionis sub vinculis Præpositi navis, & nautarum, more hostium, contrarium dicendum videtur, quod scilicet ita convincatur de dolo, & delicto inexcusabili, dum more hostis, deprædatus est navem amicam, ejusque personas, & bona. 17

næ, in quibus stigmatum excusatio non intrabat, & per consequens ex regula *semel malus, sive ab uno crimine, &c.* convincitur dolosus, & culposus deprædator amicorum, quodque merces, de quibus agitur, quamvis dicta stigmata non haberent, deprædatus esset.

18 Ad quod conferunt ea, quæ habentur de criminibus causalibus, vel alias excusatione dignis, ut excusatio non intret in eo, qui dabat operam rei illicitæ, adeout initium actus fuerit illicitum, & criminosum, ex relatis per Farinac. *quæst.* 126. *part.* 2. *n.* 60. *cum plurib. seqq.* Fagnan. *in cap. quidam de homicid. n.* 3.

Et magis proxime conferunt ea, quæ ex Spada *cons.* 149. *n.* 5. *& seqq. lib.* 1. habentur deducta *d. disc.* 5. *de usuris n.* 16. *&* 17. ac etiam supra *d. disc.* 129. ad materiam textus *in l. incivile, C. de furt.* quando scilicet ille, qui
19 rem furtivam emit, adversus dominum illam vendicantem excipere valeat de restitutione pretii saltem ex æquitativa actione negotiorum gestorum, vel de utili in rem verso, quoniam distinctio est, quod si actus gestus fuerit cum bona fide, bonoque animo recuperandi rem pro Domino, intrat æquitas, & justa excusatio, secus autem si convincatur de malo animo, quoniam tunc potius præsumitur in dolo, emendo bona viliori pretio, quod nonnisi in furtivis pro frequentiori contingentia sequi solet, cum similibus considerationibus, quæ fieri possunt.

Tunc enim deprædatio universalis etiam navis, ejusque
20 instrumentorum, & personarum, aliorumque bonorum Turcico stigmate non obsignatorum esset excusabilis ad excludendum delictum, quando ipsa navis deferret vexillum Turcicum, vel alterius inimici, cum tunc juste credere potuerit esse navim inimicam, ut in specie Gram. *cons. civil.* 24. *n.* 5. *&* 6. & de eodem vexillo loquitur Straccha *ubi supra*. Constant. *in l. unica Cod. de Class. lib.* 11. *n.* 124. sed cum deferret vexillum Regis Christianissimi, & amici, non poterat illam aggredi jure hostili, sed solum juxta leges, vel usum navigationis poterat illam visitare, & recognoscere ad effectum inspiciendi, an adessent bona inimicorum, illaque solum deprædandi, non autem generalem deprædationem facere potuit, dum ita delictum remanet inexcusabile.

Ideoque concludendum, nisi ex parte Martini deprædatoris, vel ejus hæredis doceatur de aliqua justa causa, ob quam etiam navim, & personas, aliaque bona dictis stigmatibus non designata deprædatus est, dum deferebat vexillum Regis Christianissimi, & amici, de manifesto, & inexcusabili dolo convinci videtur; Ideoque de consequenti pro obligatione refectionis damnorum, & interesse veniat respondendum.

SENEN. GABELLÆ, SEU CONTRACTUS

PRO GALLICHIS,

CUM MANCINELLO.

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

De gabella solvenda pro contractibus, quando debeatur, necne, & de annullatione contractuum in casu non denunciatæ, & non solutæ gabellæ, quomodo, & quando procedat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Plures contractus diversi esse possunt in una scriptura.*
3 *Gabella contractuum non debetur pro pignore.*
4 *Quando debeatur de contractu emptionis, & venditionis.*
5 *Pactum commissorium, vel resolutivum procedit creditore volente.*
6 *Quid operetur clausula,* ex nunc pro ex tunc.
7 *Emptio est perfecta non obstante reservatione dominii, pendente solutione pretii.*
8 *De differentia inter conditionem suspensivam, & resolutivam.*
9 *Augmentum, & decrementum pignoris est debitoris.*
10 *De invaliditate pacti commissorii, quando procedat.*
11 *Denunciatio facienda est etiam per exemptos a gabellis.*
12 *Adimplementum post terminum sufficit.*

13 *Nemo opponit defectum, quo ipse laborat.*
14 *Quid operetur lex adimens fidem scripturæ.*

DISC. CXCVI.

EXistens debitor Franciscus Pamputinus Salvatoris Gallichi in quadam summa, pro ea de anno 1658. per apo- 1
cam privatam dedit in pignus domum, ejus pensiones cederent loco interusuriorum crediti, ea lege adjecta, quod debitore infra novennium non solvente sortem, ex nunc pro tunc domus censeretur vendita pro eodem pretio, dictæque obligationi accessit Mancinelius; Cumque defuncto creditore infra novennium, quidam creditor anterior Francisci domum evicisset, hinc hæredes obtinuerunt condamnari Mancinellum fidejussorem ad dictæ summæ debitæ solutionem, pro qua obtinuerunt in concursu creditorum sibi deliberari pecuniam ex ejus bonis retractam; Sed in hoc statu idem Mancinellus, vel ejus creditores se opposuerunt, se fundando in nullitate dictæ scripturæ resultante a bannimentis gabellæ annullantibus omnes scripturas non denunciatas infra mensem, non obstante, quod denunciatio, & respective solutio gabellæ essent jam sequutæ, utpote extra dictum terminum, unde desuper ex parte hæreditariorum creditorum consultus.

Respondi prænotandum esse in primis, quod scriptura, de cujus efficacia, vel inefficacia agebatur, duplicem continet contractum, unum nempe mutui sub pignore, & alterum emptionis, & venditionis, cum de jure non implicet, ut in una, & eadem scriptura, sive publica, sive privata, duo vel plures diversi contractus contineantur, quoties omnimoda, & positiva implicantia non prohibeat,
ex relatis apud Duoozett. *dec* 443. *n.* 102. & apud Bich. 2
dec. 314. *n.* 5. & melius *dec.* 406. *n.* 29. *& seqq.* ac in specie istorum contractuum pignoris, & venditionis, ratione pacti commissorii, patet ex deductis *disc.* 8. *&* 9. *de usur.* & in decisionibus ibi recensitis.

Pro antecedenti autem contractu pignoris, gabella non 3
debebatur, cum receptum sit apud DD. ut hujusmodi gabellæ contractuum jure communi ignotæ, non debeantur pro contractu pignoris, ut antiquioribus relatis habetur apud Guttier. *de gabell. quæst.* 69. Grat. *discept.* 777. *n.* 13. *& seqq.* Merlin. *de pignor. lib.* 4. *tit.* 4. *q.* 168. *n.* 1.

Prout etiam de contractu emptionis, & venditionis tunc debetur gabella, quando ipse sit jam purus, & perfectus in substantia, quamvis exequutio ad aliquod tempus, vel aliquem casum dilata sit, secus autem, ubi sit conditionalis conditione suspensiva, a cujus purificatione pendeat perfectio in substantia, cum tunc non debeatur ex iis, quæ aliis relatis habentur apud Surd. *dec.* 305. *n.* 16. *& seqq.* Nigr. *de laudem. quæst.* 7. *art.* 1. *n.* 37. *& seqq.* Contr. *discept.* 96. *n.* 1.

His itaque prænotatis dicebam, quod creditori, qui in- 4
tra novennium vixit, imputari non debebat cur denunciam non fecerit, atque gabellam non solverit, dum in eo tempore vigebat solum contractus non gabellabilis pignoris, atque incertum erat, an alter contractus sequuturus esset, necne, dum termino durante, poterat debitor solvendo debitum, impedire ne alter contractus venditionis ad perfectionem reduceretur, elapso vero termino cum ob mortem interim sequutam creditoris superessent ejus filii, & hæredes in pupillari ætate, intrabat absque dubio juxta excusatio.

Ac ulterius, cum hujusmodi pacta commissoria adjici 5
soleant in gratiam creditoris, & ad sollicitandum debitorem eique incutiendum timorem, ut infra statutum impleat id, quod implere tenetur, hinc sequitur, ut nonnisi creditore volente, locum habeant, adeout debitor contra invitum creditorem illa exercere non valeat, quoties verba conventionis non sint talia, ut obligationem ex parte creditoris quoque inducant, ut apud Merlin. *de pign. lib.* 5. *q.* 7. Leotard. *de usur. q.* 6. *num.* 26. Olea *de cess. jur. tit.* 4. *q.* 13. *n.* 23. Rot. *dec.* 330. *n.* 25. *& seqq. part.* 15. *rec.* & advertitur supra *sub tit. de feud. disc.* 57. *n.* 3. *disc.* 33. *de empt. & vend. & sæpius alibi*, & per consequens ob non factam hanc declarationem, quam neque volentes facere poterant creditores, ratione pupillaris ætatis, contractus perfectæ emptionis, & venditionis adesse non dicitur.

Motivabatur per Scribentes in contrarium, sive per 6
judicem juxta commendabilem quidem stylum loci, quod stante clausula, *ex nunc pro ex tunc*, contractus emptionis, & venditionis censeretur usque ab initio perfectus dilata exequutione post novennium ex auctoritate

Manent. *conf.* 130, *n.* 20. *& seqq.* deducendo etiam ea, quæ habentur apud Burat. & Adden. *dec.* 179. *num.* 8, Contr. *dict. discept.* 96.

Verum advertebam in hoc procedi cum æquivoco, quoniam dictæ auctoritates, & aliæ apud eas, percutiunt casus diversos, vel scil. ubi venditio sit ab initio pura, & perfecta, habita tamen fide de pretio, pro quo venditor dominium sibi reservat, de quo casu agitur præsertim apud Contr. *d. discept.* 96. In his etenim terminis quidquid aliqui Doctores, vel potius Collectores, & præsertim Morales, æquivocando dicant, opinando quod interim non sit verus, & perfectus contractus emptionis, & venditionis, neque in emptorem transferatur domi-
7 nium, sed remaneat in terminis locationis, & conductionis; Attamen id continet errorem, cum verius sit, contractum esse perfectum, atque dominium in emptorem transferri, tam ad effectum periculi, quam omnes alios effectus, dictamque dominii reservationem in substantia aliud non importare, nisi cautelam potioritatis adversus alios emptores, & creditores ad effectum tollendi illum vere irrationabilem, ad judaicum rigorem legalem, per quam alias anteriores creditores emptoris vincerent venditorem etiam in re propria, ut advertitur in sua sede *sub tit. de empt. & vendit. & sub tit. de credito*, & alibi pluries, ideoque merito ab initio debita est gabella.

8 Vel ubi sit pariter purus, & perfectus contractus in substantia, adeout ab initio transferatur dominium in emptorem, adjiciatur tamen in casu alicujus non implementi, seu alias, pactum resolutivum, quod de sui natura præsupponit actum jam perfectum, qui deinde resolvatur, tamquam per speciem privationis, quæ præsupponit habitum, ut advertitur alibi frequenter, & præsertim *disc.* 73. *de testam. & disc.* 154. *de fideic.* ubi de distinctione inter conditionem suspensivam, & resolutivam, & in his terminis loquitur Mantic. *ubi supra.*

Sive demum, ubi (ut in contractu donationis frequentius, rarius autem in isto emptionis, & venditionis, in quo tamen adhuc quandoque datur casus) ad certum tempus, vel ad certum casum puta mortis venditoris, differatur solum executio, non autem substantia, in quibus terminis procedunt ea, quæ habentur apud Burat. & Adden. *ubi sup.* & habetur *sub tit. de donat. disc.* 70. *& alibi.*

In nullo autem hujusmodi, vel similium casuum dici poterat, quod versaremur, dum emptio, & venditio con-
9 cepta erat sub conditione suspensiva, quæ ut supra poterat deficere, ideoque ab ejus purificatione pendebat perfectio in substantia, adeout revera interim domus continuaret in natura pignoris, & consequenter in dominio debitoris; Et si interim periisset, vel alias deteriorationem passa esset, periculum fuisset debitoris, tamquam Domini, & e converso suum fuisset augmentum, non obstante conventione emendi pro eadem summa debiti, quoniam intelligenda venit rebus in eo statu permanentibus, & ratione æquitatis, de qua *disc.* 32. *de empt. & vendit. & alibi pluries*, quoties non constaret de conventione, tamquam super quadam incerta alea hinc inde ab initio.

10 Ad excludendum item contractum emptionis, & venditionis, ponderabant invaliditatem hujus pacti commissorii, juxta deducta *d. disc.* 8. *& 9. de usuris*, sed in hoc solidum fundamentum constitui non poterat, cum incertus esset verus rei valor, ex quo pendet validitas, vel invaliditas, tamquam ex justitia, vel injustitia ex deductis locis citatis.

Difficultatem autem mihi inferebant verba edicti annul-
11 lantia scripturam, eique fidem adimentia, non quidem ob defectum solutionis gabellæ, quo casu recte intrarent dictæ inspectiones, an actus esset gabellabilis, necne, sed ex defectu denunciationis non factæ intra terminum faciendæ de omnibus scripturis, & conventionibus, tales quales illæ sint, & quamvis essent super contractu non gabellabili, ut innotescant gabellario, ad quem pertinet potius, quam ad ipsos contrahentes inquirere, an actus sit gabellabilis, necne, unde habemus, quod etiam exempti a gabella, pro introductione mercium teneantur tamen denunciationem facere, ut supra *disc.* 57. *& alibi.*

Verum, in sensu etiam veritatis, dicebam hanc difficultatem recte procedere, quando nonquam denunciatio, & respective solutio gabellæ facta esset, secus autem, dum uterque actus jam sequutus fuerat re integra, gabellario ac-
12 ceptante, & non allegante commissum, vel aliam pœnam, minusque altera parte delegante nullitatem, dum ita quoties interim tertio jus quæsitum non sit, implementum etiam post tempus attenditur, ut apud Rovit. *dec.* 53. *n.* 10. Mantic. *dec.* 270. Adden. ad Burat. *dec.* 571. *n.* 6. & pluries alibi advertitur.

Potissime vero, & clarius, quoniam hoc onus denunciationis incumbebat utrique parti, & per consequens di- 13
cendum veniebat delinquens æque unus, ac alter contrahens, unde sequitur, quod non admittatur quis ad objiciendum ad proprium commodum, & lucrum de illo crimine, quo ipse laboret, præsertim contra foventem causam onerosam, cujus in pari causa melior est conditio, ut occasione defectus inventarii advertitur *sub tit. de hered.* 14
cum similib. Ac etiam, quia hujusmodi leges, vel ordinationes annullant quidem actum, & adimunt fidem scripturæ, sed non tollunt substantiam veritatis debiti, de quo aliunde constet, neque faciunt, ut debitor ita liberationem obtineat, & locupletetur cum aliena jactura juxta ea, quæ a simili habentur *disc.* 29. *de feud. & disc.* 143. *de dote cum similibus.*

AVENIONEN. REDDITIONIS RATIONUM PRO N. CUM CAMERA.

Consilium pro directione.

An, & quando Officialis cum pecunia Fiscali possit ad sui commodum facere lucrum cum negotiationibus, vel cum agiis, & permutationibus monetarum, vel aliis, &c.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De Auctoritatibus hinc inde super articulo.*
3 *Expenditur dec.* 285. Sanfelic.
4 *De errore circa allegationes auctoritatum, sive modum eis deferendi.*
5 *Quomodo legibus sit deferendum, & cum quibus considerationibus.*
6 *Ut reflecti debeat ad historiam legalem, & diversitatem temporum.*
7 *De eodem circa doctrinas.*
8 *De diversis effectibus civili, & criminali, & illorum differentia.*
9 *De diversitate casuum, & circumstantiarum.*
10 *Nimium in hoc defertur judicis arbitrio, & quomodo istud interponi debeat.*
11 *Distinguuntur plures casus, cum diversis decisionibus.*
12 *De diversis speciebus monetarum.*
13 *Quando præjudicium privatum redundet etiam in præjudicium publicum.*
14 *De differentia inter puros officiales, & administratores ex officio, & habentes illam administrationem in appaltum.*
15 *Quando lucrum alias debitum domino, pertineat ad administratorem.*

DISC. CXCVII.

IN redditione, vel solidatione computorum, quam in Congregat. Camerali fecit N. pro administratione illius 1
muneris, quod in hoc Principatu Collateralis nuncupatur, distributoris scil. seu pagatoris stipendiorum, seu pagarum, quæ singulo quoque mense præstantur militibus præsidiariis, aliisque stipendiariis in statu Avenionensi, & forte etiam in Comitatu Venaissino, pluries juxta solitum per Cameræ Commissarium, & Rationatores excitatæ fuerunt difficultates, inter quas ad rem fuit illa, quod cum Cameræ officiales ad quos pertinet, illi dedissent pecunias argenteas, & bonas in tanta quantitate, quantam juxta calculum arithmeticum, importarent militum stipendia; Attamen ista soluta non essent in eadem moneta integre, sed solum in duabus ex tribus partibus, alia vero tertia pars juxta solitum esset soluta in quadam moneta inferiori nuncupata *patacche*, habente minorem valorem, adeout illud aggium, quod importat valor major monetæ argenteæ, vel aureæ bonæ, attenta quantitate stipendiorum, ob tempus notabile decursum, importaret lucrum valde considerabile, quod ad favorem Cameræ, non autem officialis cedere debere, resolutum fuit, ideoque ex computis deducendum; Aliæ siquidem partitæ potius factæ, quam juris inspectionem habebant. Sc-

Sequuta itaque ista resolutione, aliis Scribentibus pro officiali succumbente, iste meum petiit consilium, ad effectum deliberandi, an expediret quatenus bonum jus foveret, in revisione in eadem Congregatione, vel cum tela judiciaria in tribunali Cameræ illud experiri, vel e converso magis expediret honestam procurare concordiam; Atque de hac secunda parte, mihi visum est respondere.

Visis itaque Scribentium hinc inde informationibus, in eis consuetos hujus facultatis errores adesse comperii, tractandi scilicet articulum cum auctoritatibus in abstracto, earumque congerie, quasi quod tota vis consisteret in majori numero arithmetico, qui uni, vel alteri opinioni assisteret.

Siquidem Scribentes pro officiali, deducendo in mate-
2 ria magistralem auctoritatem Cumani *consil.* 178. *num.* 2. *in* 2. *lib.* quem sequaces hujus opinionis officiali favorabiles, agnoscunt in Antesignanum, quod scil. ejus sit lucrum, allegabant Dec. *consil.* 6. Alciat. *consil.* 12. *num.* 14. *lib.* 5. Peregr. *de jur. fisc. lib.* 6. *tit.* 3. *n.* 10. Tondut. *resol. civil. part.* 1. *cap.* 16. *num.* 2. Larr. *alleg.* 33. *n.* 17. Noguer. *alleg.* 5. *num.* 19. *& decis.* Sanfelic. *dec.* 285. *n.* 78. Bursat. *consil.* 325. *num.* 12. *& seqq.* apud quos alii habentur.

E converso autem ea parte Cameræ dicebatur stare originalem auctoritatem Bartoli, eamque contra Cumanum esse veriorem, firmari dicebant apud Franc. Marc. *decis.* 201. *&* 202. Farin. *quæst.* 171. *per tot.* ibique allegatum Jodoc. *in prax.* & Boss. quorum auctoritas magnificabatur, Munoz. *de ratiocin. cap.* 14. *num.* 27. *& seqq.* & alios relatos apud Surd. *cons.* 391. Berlich. *part.* 4. *concl.* 57. *num.* 82. *& seqq.* Flores de Mena *variar. lib.* 2. *quæst.* 21. *num.* 162. *& seqq.* Pro hac opinione quoque deducendo *d. decis.* 285. Sanfel. *a princ. usque ad numer.* 68. ubi late de juribus Fisci contra officialem.

Considerando igitur hujusmodi auctoritates, plures tam in ipsismet, quam in scribentibus, qui eas hinc inde transcribebant, animadverti errores, & æquivoca; Primo nempe, quod Scribentes circa *d. decis.* 285. Sanfel. ita
3 illam præsupponendo alicujus magni Tribunalis decisionem, proindeque majoris auctoritatis, juxta ordinem recensitum *disc.* 35. *de judic. & in opusculo styli, ac alibi pluries*, non reflectebant, quod decisio proprie continetur in altera antecedenti 284. Super puncto, an publicani, seu Appaltatores jurium Fiscalium de hujusmodi lucris criminaliter inquisiti, audiendi essent extra Carceres per Procuratorem, vel e converso nonnisi in carceribus, quod pendet a qualitate criminis ejusque pœna; Alia vero subsequens *sub num.* 285. nil penitus continet, quod percutiat causæ decisionem, nullumque verbum habetur ipsarum decisionum Auctoris, sed solum registrantur duæ informationes, hinc inde; Una scilicet, Advocati Fisci scribentis ex officio contra Inquisitos, qui tunc erat Capyc. Galeot. *auctor responsorum Fiscalium, & controversiarum ex num.* 1. *ad* 68. & altera *a num.* 69. *ad finem*, Advocati, & defensoris Inquisitorum; Unde quælibet informatio continebat solita, & connaturalia extrema vitiosa, pro opportunitate clientis; Et per consequens neutra merebatur pro auctoritate considerari, multoque minus allegari, tanquam decisio, nec pro una, nec pro altera parte, &
4 tamen in dies istas experiuntur ineptias, quod quando auctoritates allegantur, inspicitur solum in illis numeris, qui indicantur, ac de hoc loquuntur, atque in cæca fidelitate desuper efformatur judicium, non reflectendo ad illius Auctoris qualitatem, minusve ad finem, vel effectum, ad quem ita ibi loquatur, quo nil ineptius, juxta monita, de quibus *d. disc.* 35. *de Judic. & disc.* 46. *in relat. Curiæ, & in d. opusculo styli, & alibi*.

Alterum advertebam errorem, ipsorummet Auctorum, qui hinc inde allegabantur, ut supra, & præsertim dicto-
5 rum Scribentium, hinc inde, apud Surd. *d. decis.* 285. procedendi scilicet in sola littera antiquarum legum civilium de crimine peculatus, & de administratione, ac usu pecuniæ Fiscalis loquentium, quas præsertim, & diligenter de more expendunt dictus Fiscalis Galeota, & Farinac. *d. quæst.* 171. non reflectendo ad id, ad quod reflecti debere sæpius advertitur, an scilicet, sint leges *Digestorum, vel Codicis* editæ in Urbe de tempore, quo in ea, Sedes Imperialis aderat, vel in Urbe Constantinopolitana, postquam ad eam dicta Sedes translata fuit ob mores, ac modum gubernii nimium immutatos ex mutatione Cœli, & ex aliis intermediis contingentiis.

Et quod magis est, non reflectendo ad id, ad quod reflecti debere, advertitur nimium frequenter, sed semper opportune, præsertim supra *disc.* 161. *& disc.* 1. *de servit.* Super historia scilicet legali, ac super differentia temporum, quod nempe, tunc unum erat Imperium, 6
unaque Regiminis forma, adeout ubique cum eisdem viveretur legibus, nunc vero tot sunt diversi Principatus nimium diversas habentes leges, ac stylos, ac regiminia formas, præsertim circa administrationem rerum Fiscalium, ut præcipue occasione pœnæ fraudatorum advertitur supra *disc.* 119. *& alibi*; Et per consequens nimium evidens videtur error, ita indefinite cum littera dictarum legum procedere.

Idemque error influit quoque in auctoritates, quarum aliæ sunt Italorum, aliæ Hispanorum, aliæ Gallorum, & aliæ Germanorum, cum tamen hujusmodi, ac aliarum 7
provinciarum mores, ac styli nimium diversi, peneque oppositi videantur, Quinimo in singulis Provinciis præsertim vero in Italia, & Germania, utpote majorem Principatuum scissuram patientibus, diversi ac sæpius oppositi sunt singulorum Principatuum mores, & styli, seu leges; Igitur ineptia manifesta, qua nulla major, videtur ista consarcinandi in confuso auctoritates, ad hujusmodi reflexiones non advertendo.

Tertio confundendo inspectionem criminalem ad effectum pœnarum, an scilicet, intret crimen peculatus, vel 8
furtum, sive illud genericum, quod explicari solet, cum nomine stellionatus, & ad quem effectum agi solet de natura pecuniæ administratæ, an sit vere, & proprie Fiscalis, vel potius improprie, & remote, & an agatur de Fisco vero, idest Principis Supremi, vel de administratore Civitatum subditarum, aut Baronum, & Dominorum inferiorum, cum aliis ponderationibus, de quibus apud allegatos, ut plurimum de isto effectu agentes, ut præsertim apud Farin. *d. quæst.* 171. Bursatt. *d. cons.* 283. & Sanfel. *d. dec.* 284. *&* 285. Et inspectionem civilem faciendi, necne proprium illud lucrum, quod ea pecunia administrata factum sit, & ad quem effectum loquuntur Cuman. Decius, Noguerol. & alii, ob magnam differentiam, quæ dignoscitur inter unam, & alteram inspectionem, quoniam respectu primæ, requiritur dolus, & malitia positiva, sine quibus non datur delictum considerabili pœna criminali dignum, atque de facili intrant excusationes ponderari solitæ, præsertim vero illa usus, vel justæ credulitatis; Secus autem ad alterum effectum civilem, se locupletandi de alieno, ac faciendi proprium illud lucrum, quod ad alterum pertineat, juxta distinctionem, quam præsertim habemus in materia usuraria, ac etiam conferunt ea, quæ in materia indebitæ, vel excessivæ exactionis gabellarum habentur supra *disc.* 71. Sive ea, quæ in materia alterationis, vel erroris computorum habentur supra *disc.* 119. *& seqq.* cum plerisque similibus.

Ideoque manifestus error est auctoritates, ita consarcinare, non distinguendo, an ad unum, vel ad alterum effectum loquantur, ob adeo magnam diversitatem inter unum, & alterum, dum ad posteriorem civilem restitutionis, vel non bonificationis illiciti lucri, nil refert, an agatur de administratione publica, vel privata, sive in genere administrationis publicæ, an illa sit Fisci veri Principis Supremi, vel sit Baronis, aut alterius Domini inferioris, aut Communitatis subditæ, cum similibus.

Quartus demum error (neglectis aliis minus considerabilibus, qui ponderari possent) est in idem ille confunden- 9
di prædictas, & alias auctoritates, etiam cum præsupposito, quod non urgerent alii errores, vel animadversiones, de quibus supra, quia nempe omnes loquerentur, ad eundem effectum criminalem, sive ad eundem effectum civilem (ad quem in præsenti casu erat quæstio) omnesque loquerentur cum præsupposito ejusdem juris communis, adeout nulla legum, vel stylorum diversitas dignosceretur, quoniam adhuc magna inter eos viget diversitas in figuratione casus, vel etiam ratione circumstantiarum, ex quibus longe alteratur dispositio juris; Et sic pariter error est clarius in cumulo, & numero arithmetico auctorita- 10
tum vim constituere, cum principaliter oporteat reflectere ad distinctionem casuum; Quinimo in eadem specie casus ad diversitatem circumstantiarum, super quibus tamen impossibile est certas statuere regulas; Ideoque ad hunc effectum lex introduxit Judicis arbitrium, non quidem ex voluntate, vel cervice, aut ex affectione, vel odio regulandum, sed ex dispositione, vel intentione juris cum rectitudine boni, & judiciosi viri, ut frequenter sub diversis materiis advertitur.

Pro aliquali tamen cognitione, seu lumine ad effectum regu-

regulandi præsentem controversiam, ac dignoscendi, in quo casu versaremur, sequentes casus distinguendi, & considerandi videntur, aliis tamen non exclusis, de quibus in rei contingentia apud allegatos, cum majori otio videri poterit.

11 Primus itaque casus est illius Thesaurarii, vel Capserii, sive officialis, quocumque vocabulo nuncupetur, qui nullum habens ministerium juris, vel facti in exactione, habet solum ministerium facti in custodia, & conservatione pecuniæ fiscalis, seu alias publicæ, potius tanquam speciem, quam tanquam genus, & quantitatem, adeout ejus officium, & administratio, redoleat speciem depositarii regularis, ut (exempli gratia) in Urbe est Capserius Montis Pietatis, vel Banchi Sancti Spiritus, aliorumque Banchorum, adeout dici non valeat, quod pecunia confundatur cum ejus patrimonio, & efficiatur de ejus dominio; Istoque casu quidquid sit de una, vel altera specie criminis magis, vel minus gravis, quod pendet a qualitate pecuniæ, & administrationis, ut supra, ad effectum tamen lucri, quod reportetur ex agio, vel commutatione pecuniæ de una specie meliori in alteram deteriorem, semper ac indefinite lucrum est illicitum, utpote redolens contractum rei alienæ, invito Domino.

Alter casus est officialis, & administratoris pariter potius facti, quam juris, ut proprie est ille præsentis controversiæ, & de quo præcise loquuntur Jodoc. & Boss. relati per Farin. *d. quæst.* 171. *num.* 43. quia nempe nullam habeat administrationem circa ipsam pecuniam, cujus exactio, vel alia administratio sibi incumbat, sed solum habeat Ministerium facti, quod scilicet, illam statutis temporibus recipiat a Thesaurariis, aliisque officialibus, vel ministris, ad quos pertinet, ut eam solvat, & distribuat, militibus, aliisque stipendiatis, vel assignatariis; Istoque casu non intrat consideratio, de qua in casu præcedenti super omnimoda prohibitione usus pecuniæ, ejusque commutationis in deterius ad proprium lucrum, quoniam recipiuntur in quantitate cum oblatione distribuendi etiam in quantitate, adeout periculum furti, vel alterius casus esset ipsius officialis, qui ita acquirit ejusdem dominium in forma depositarii irregularis; Et per consequens isto casu cum ejus industria non videtur prohibendus facere illud lucrum, quod absque aliquo damno, vel præjudicio ejus, qui dat pecuniam, & eorum, quibus est solvenda, facere possit.

Puta (exemplificando in Urbe, quod per depositarium aliosque officiales, vel appaltatores, & debitores Cameræ, sibi detur ad hunc effectum pecunia in notabili 12 quantitate in scutis auri novarum stamparum habentibus inter negotiatores pro cursu cambiorum, sive pro expeditionibus Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ quemdam extrinsecum majorem valorem sub agii vocabulo explicari solitum frequenter insinuatum *sub tit. de cambiis*, & sub alio *de Regalibus & de pensionibus & de beneficiis, & alibi*. Inter privatos autem, pro acquisitione victualium, aliarumque rerum usualium, & præsertim in modica quantitate, id non habeatur in consideratione, adeout ejusdem usus, & commoditatis sint hujusmodi scuti, ac illi stamparum veterum, si sit æquivalentia in moneta argentea juliorum, & grossorum, ac similium specierum; Quinimo majoris commoditatis ista sit pro quotidiano, & minuto usu, pro quo frequentius hujusmodi stipendia deserviunt; Et tunc prohibendus non videatur iste officialis hanc adhibere industriam, commutandi acceptam pecuniam, quæ sibi data fuerit in specie meliori, in alteram inferiorem, respectu tamen usus ejusdem æquivalentiæ, cum tunc nulli fiat injuria, vel præjudicium, dum tam Cameræ debitrici, quam stipendiariis creditoribus, id nil præjudicat; Quod etiam in inferiori moneta ærea, quæ tamen quoad dictum usum æqualem, atque eundem habeat valorem, licet inter negotiatores, vel ubi agatur de magna quantitate ob majorem commoditatem transportationis de loco ad locum, aliquem habeat majorem extrinsecum valorem agii, ut (ex. gr.) contingit in Regno Neapolitano ob magnam copiam monetæ æreæ, & aliquam penuriam argenteæ, & aureæ, quoniam si officialis recipit monetam argenteam, vel auream, atque cum ejus diligentia, & dexteritate, absque tamen aliqua concussione, & violentia curet, ut milites, aliique stipendiarii libenter suscipiant pagas in moneta ærea, ita faciendo aliquod lucrum ex agio, pariter id prohibitum non videtur.

Sive quod sibi anticipate data sit pecunia distribuenda pro pluribus mensibus, vel in fine cujuslibet, ipse autem curet, eo intermedio tempore, pecuniam trafficare, atque ex illa aliquod reportare lucrum; Et tunc pariter ex eadem ratione prohibitum non videtur, cum pariter interim suum sit periculum, nullumque dignoscatur tertii damnum, vel præjudicium, quoties particularis prohibitio non accedat.

Sed si recipiendo pecuniam argenteam, vel auream, distribuat monetam inferioris valoris, adeout ad omnes effectus illa minus valeat, ut est in casu, de quo supra *disc.* 126. & contingit præsertim in Hispania in illa moneta noncupata *de Velon*, ac etiam in hac facti specie verificari supponebatur in dicta moneta pataccarum; Et tunc aut debitum ipsius Cameræ, vel respective Communitatis, & alterius, cujus vice solutio fiat, in hac specie monetæ consistat, adeout in illa solvenda debitum satisfiat, neque creditor illam recusare valeat (ut in facti specie in tertia parte ex consuetudine verificari supponebatur;) Et tali casu lucrum Cameræ, vel Communitatis, sive alterius, cujus nomine solutio fiat, esse debet, non autem officialis, vel ministri, qui nullum habere dicitur titulum, vel prætextum, ex quo tale lucrum faciat suum, ut in hac specie contingit, ideoque justam dixi resolutionem.

Quatenus vero debitum sit in pecunia bona, stipendiarii vero, vel assignatarii expresse nolint, & eis invitis solvatur mala, & inferior, tunc non dicitur, quoad interesse bursale fraudari ipsa Camera, vel alter, cujus vice, & nomine fiat solutio, sed dicitur fieri præjudicium, & fraus stipendiariis, vel assignatariis, quibus solvitur minus debito, unde quodammodo inviti hanc minorem solutionem recipere coguntur; Ideoque intrare videntur ea, quæ de solventibus minus debito habentur apud Sanfelic. *decis.* 284. & 275. atque ita fraus, & præjudicium committi quoque dicuntur cum Principe, ejusque Camera, aut Communitate, cujus vice, & nomine fiat solutio, adeout crimen publicum quoque adesse videatur, quoniam quoad milites, aliosque inservientes, & stipendiarios, ita minus recipiendo, non adeo bene servitium præstare possunt; Et quoad creditores, & assignatarios, 13 nimium diminuitur existimatio, quæ e converso integre, & punctualiter solvendo, augetur pro majori, ac faciliori concursu negotiatorum, ut in valore, & existimatione locorum Montium, aliorumque publicorum jurium praxis docet, ut propterea lucrum in officiali remaneat illicitum.

Tertius demum est casus illorum officialium, & ministrorum, in quibus admixta sit aliqua administratio juris, quia nempe onus exactionis ejus periculo subeant; Et tunc quoties Cameræ, vel Domini nil interest, dum tam exactio, quam exactæ pecuniæ periculum interim ejus damno cedit aliqua industria citra subditorum concessionem, 14 & justitiam prohibita non videtur, juxta casum, de quo agit Decius *cons.* 6. quoties lex, vel consuetudo non prohibeat, cum in hac materia totum faciant leges, vel consuetudines, & styli.

Aliqua tamen differentia constituenda venit inter simplices officiales habentes illam administrationem in officio, & appaltatores, seu arrendatores principaliter agentes causam propriam ad industriam, & negotiationem, ut priori casu magis stricte, & rigorose contra officialem procedendum sit, ex ea differentiæ ratione, quod isto casu habetur ad instar tutoris, qui utilia gerere debet ad commodum pupilli, vel alterius cujus tutelam gerit, in altero autem appaltatoris iste dicitur procurator in rem, & utilitatem propriam, ut advertitur *dict. disc.* 71. *hoc eod. tit.* Ideoque non placent ea, quæ habentur per Scribentes apud Sanfel. *d. decis.* 285. parificando appaltatores officialibus.

Eatenus vero in hac facti specie (applicando ad rem) istum officialem excusabilem fore dicebam, ut propterea suum deberet esse lucrum, quatenus id ex antiqua consuetudine 15 a superioribus tolerata proveniret, atque lucrum referendum esset ad quandam speciem salarii, vel mercedis, quod ex facto pendebat.

ROMANA OFFICII PRO MARCELLINIS, CUM CAMERA POPULI.

Casus disputatus coram Judicibus deputatis, & resolutus, ut infra.

De eadem materia, & puncto de quo supra disc. 3. prorogationis officii ad vitam alterius? Et vendens officium non vacatum, ad quid officialis teneatur, an ad pretium, vel ad fructus donec vixit.

Et incidenter ad quid teneatur ille, qui concessionem a Principe obtinuit de re alterius.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando confirmatio Apostolica revalidet actum alias invalidum.*
3 *Quomodo applicari debeant distinctiones desuper tradi solitæ.*
4 *Ad quid potissime in hoc reflecti debeat.*
5 *De applicatione ad casum controversiæ.*
6 *An contra donatarium Principis rei alienæ detur actio ad restitutionem.*
7 *Si vendatur officium alienum, quid restitui debeat.*
8 *De eodem, & de æstimatione vitæ hominis.*

DISC. CXCVIII.

1 DE eodem anno 1636. in quo per Conservatores Populi Urbis, concessa fuit prorogatio superius peracta *disc.* 3. concessa quoque fuit ista de officio possesso per Attilium, prorogata ad Jo: Franciscum fratrem natu minorem, eadem adamussim accedente Apostolica confirmatione Urb. VIII. Defuncto vero Attilio, continuante Camera populi, in ibi enunciata prætensione invaliditatis hujusmodi prorogationum, quodque propterea sequuta fuerit vacatio officii, istud prævio mandato Pontificio ad præscriptum Chirographi Innoc. X. enunciati etiam supra *disc.* 14. venditum fuit, atque pretium de licentia Clem. IX. erogatum in extinctionem æris alieni per eamdem Cameram contracti pro expensis solemnis equitationis ejusdem Pontificis, adeptionis in possessionis in Basilica Lateranensi, juxta stylum; Quare Jo. Franciscus Superstes, ejusque pendente lite, defuncti hæredes, judicium contra dictam Cameram instituerunt, cor. Prælato judice deputato, pro restitutione dicti pretii, atque sententiam favorabilem reportarunt; Commissaque causa appellationis alteri Prælato; Cum ex parte actorum tam in præcedenti, quam in ista instantia præcipuum fundamentum constitueretur in deductis in specie *d. disc.* 3. jam publicæ luci edito, Scribentes vero pro Camera impugnarent responsiones ibi datas ad impugnationem confirmationis Apostolicæ, ac etiam insisterent in eo, ut contra ipsos, tamquam donatarios Principis, dicti pretii jam consumpti, nulla competeret actio; Vel quod, ubi competeret, illa restringeretur, ad quanti interest, & sic ad fructus pro tempore superviventiæ dicti Jo: Francisci, per cujus obitum sequuta quoque fuisset vacatio; Hinc judice quoque exoptante desuper, ea parte actorum requisitus fui ad scribendum, meumque pro veritate sensum proferendum.

Tres itaque erant puncti; Primo nempe, de quo *dict. disc.* 3. super dictæ prorogationis validitate; Secundo, quatenus illa valida esset, an contra ipsam Cameram competeret actio, necne; Et tertio, quatenus competeret, an esset ad totum pretium, vel etiam ad fructus, quos dictus Jo: Franciscus percepisset.

Quatenus pertinet ad primum; Non controvertebam inefficaciam prorogationis ex sola potestate Conservatorum, ut etiam admittitur *d. disc.* 3. ideoque disputatio restringeba-
2 tur ad efficaciam confirmationis Apostolicæ, in qua ibidem pro validitate actus constituitur fundamentum; In hoc etenim Scribentes pro Camera dicebant, quod Dec. *cons.* 341. in cujus auctoritate fundamentum constituitur, loquitur cum præsupposito, quod accedens quoque clausula, *& nihilominus de novo concedimus, &c.* quæ operatur, ut confirmatio transeat in speciem novæ concessionis ex integro, juxta ea, quæ habentur *disc.* 2. *& 3. de feud. & alibi*, quodque cum eodem præsupposito loquantur ibidem allegatæ *decis.* 1432. Seraph. *decis.* 157. *part.* 6. *rec.* unde propterea cum in dicta confirmatione præfata clausula non adesset, minusque altera *ex certa scientia*, quam solum, & de per se neque sufficere quoties aliunde non constaret, quod confirmatio revera esset, & ex certa scientia, & in forma specifica, verius, magisque receptum est in Rota, & Curia, ideirco dicebant non suffragari, sed remanere in terminis simplicis confirmationis in forma communi, quæ nullum jus, vel robur tribuit actui confirmato, sed juxta ejus naturam regulatur, quasi quod Pontifex præsupposuerit, seu crediderit, quod conservatores istam haberent facultatem.

His non obstantibus persistebam in eodem sensu, de quo *d. disc.* 3. quod scilicet, ista confirmatio Apostolica robur, ac validitatem actui tribueret, omnemque suppleret defectum, tamquam per speciem novæ concessionis, juxta firmata in ibidem deductis auctoritatibus, ac etiam *d. disc.* 2. *& 3. de feud. & alibi pluries*, cum aliis plene deductis per Barbos. *in collect. ad c. cum dilecta ex n.* 12. *de confirm. utili, vel inutili*, qui forte omnium latius hanc materiam Apostolicæ confirmationis pertractat, omnes recensendo opiniones, pluresque distinguendo casus, ac etiam cum eadem distinctione procedit Fagn. *in c. si quis eod. tit. de confirm. utili, vel inutili*, idemque est sensus Rotæ in supra allegatis decisionibus, ac etiam *decis.* 145. *part.* 7 *rec. repertis.* apud Carill. *decis.* 24. apud Buratt. *dec.* 93. apud Coccin. *decis.* 1763. & in aliis modernioribus pluries, quod scilicet; Aut agitur de simplici confirmatione in forma communi, sive certa scientia defectus, vel præjudicii, quod alteri inferretur, & tunc recte procederent ea, quæ per dictos Scribentes in contrarium deducebantur, aut vero de confirmatione in forma specifica, certa scientia, & tunc secus, sed procederent ea, quæ dicebantur ea hac parte; Ideoque punctus erat potius facti, & applicationis, quam juris, an scilicet in una, vel in altera distinctionis parte versaremur.

In hujusmodi autem applicationis regulatione dignoscitur idem consuetus, adeo frequenter damnatus, & inculcatus error procedendi cum generalitatibus, vel in sola li- 3
tera auctoritatum, & decisionum, quæ diversos percutiant casus, & præsertim procedendi cum distinctione, cum qua turba Scriptorum in superficie procedere solet, an sit incerto tenore, necne, quasi quod ex hac incertitudini [illegible] affirmatione, vel negativa resultet natura confirmationis, vel ex additione clausulæ prægnantes, & præsertim illa *ex certa scientia*, sive aliæ *supplentes*, aut altera, *Et nihilominus de novo, &c.* cum istis nudis formalitatibus, quoniam [illegible] quæstione, & facti, [illegible] voluntatem ex illius facti particularibus circumstantiis desumendo, non autem ex [illegible] formalitate clausularum, & verborum, ipsis [illegible] probationem, vel adminiculum, [illegible] est quidem una species probationis, [illegible] confirmatio fuerit ex certa scientia specifica, [illegible] & præcisa, cum aliæ species quoque [illegible] *pars*, quia compendiose narretur actus confirmatus in rebus [illegible] partibus substantialibus, vel quia constet confirmationem emanasse, causa cognita, & prævio voto, seu consultatione alicujus Congregationis, aut peritorum ad id deputatorum, juxta ea, quæ habentur *dec.* 193. *&* 21[illegible]. *part.* 1. *rec.* vel quod agatur de defectu claro juris, qui peccat in communi, & cujus ignorantia danda non est in Papa, ejusque officialibus, sive quod alias confirmatio evidenter inutilis remaneret, ejusque impetratio claram redoleret fatuitatem, [illegible] probationum speciebus, etiam per testes, ut [illegible] per Barbos. *ubi supra*, per quem præsertim expenditur *d. decis.* 193. *part.* 1. *rec.* & advertitur supra *hoc eodem tit. disc.* 97. *num.* 7. *& disc.* 35. *de Judic. n.* 63. *vers. adeo tamen, & alibi.*

Principaliter autem, ac potissime advertebam reflecten-
dum esse ad circumstantias particulares casus, de quo aga- 4
tur, an scilicet, [illegible] confirmationis sit singularis, & insolita super aliquo actu, ac partibus, cujus verisimiliter Papa plenam, & exactam cognitionem non habeat, vel e converso sit gratia solita concedi, & super re, cujus verisimilis habeatur notitia, reflectendo quoque ad qualitatem præjudicii exinde resultantis, adeout resultet verisimile, vel inverisimile, a quo vere, ac principaliter materia ambiguæ, & conjecturatæ voluntatis normam recipere debet, ut frequenter tam in ultimis voluntatibus, quam in actibus inter vivos in hoc proposito ambiguæ, & conjecturatæ voluntatis advertuntur, itaque videntur veri, ac proprii termini, seu veræ reflexiones, cum quibus materia regulanda videtur, non autem procedendo cum regulis,

gulis, & præpositionibus generalibus in abstracto, sive cum littera auctoritatum, & decisionum, quæ diversos percutiunt casus, diversas habentes circumstantias.

Applicando autem ad rem cum non agatur de gratia
5 singulari, & insolita, sed consueta, & frequenter concessa, minusque agatur de negotio existente in remotis regionibus, sed in Urbe, & in negotio publico, & notorio spectante ad Cameram Populi, de cujus statu Papa informationes recipere solet a Senatore, & a Fiscali Capitolino, qui frequenter ad ejus audientiam admitti solent, ac etiam sint bene cognita Papæ officialibus, sitque defectus, qui consistit in mero puncto juris jam noto utpote discusso, & deciso, ut in decisionibus in eodem *disc.* 3. relans; Hinc de consequenti, unum clarum, ac firmum esse dicebam, ut dicenda esset confirmatio ex certa scientia, atque principaliter obtenta ad revalidationem, ac firmitatem actus, quem jam notum erat non esse validum.

Fortius vero attenta qualitate præjudicii, quod modicum, atque potius privatum, quam publicum erat; Siquidem attento eo tempore, quando adhuc sequuta non erat dicta provisio Innocentii X. emolumenta hujusmodi vacationum cedebant in utilitatem Conservatorum pro tempore, vel erant ad eorum dispositionem, adeout in his prorogationibus consideraretur sola ratio supplantationis successoris, non intrante altera ratione voti captandæ mortis, ob consensum possessoris officii, dicta vero ratio stante usu, adhuc cessat, quoniam illud damnum, quod Conservatores præsentes, & actuales, ita sentiunt a gestis per prædecessores, compensatum remanet ab illo damno, quod cum eorum lucro per consimiles concessiones faciunt successoribus, & sic successive, ut in appaltibus considerari solet.

Ista enim consuetudo non est nova, sed antiquissima, ut p... ex eisdem decisionibus, quæ illam non sufficienter probatam, ex quadam stricto juris rigore declarant, relatis eodem *disc.* 3. ideoque stante dicta declaratione, pro ejus continuatione adinventa fuit ista cautela ex actuum multiplicitate, ac subjectæ materiæ qualitate probabili, apud Pontifices eorumque officiales notoria.

Ad quod satis proxime conferre videntur ea, quæ habentur *sub tit. de dote disc.* 22. *& seq. & disc.* 143. Super Apostolicis gratiis, quæ conceduntur pro revalidatione dotium excessivarum contra formam Sixtinæ Constitutionis, quod in eis non intrant ea, quæ adversus gratias objici solent ex defectu subreptionis, vel obreptionis, aut defectu intentionis, quoniam sunt gratiæ notoriæ, consuetæ, & frequentes, non solitæ negari, & quæ alium non habent finem, aliamque non faciunt operationem, nisi revalidandi id, quod jam notorium est, esse alias invalidum.

Quo vero ad secundum punctum, an scil. pro repetitione pretii competeret actio contra Cameram; Dicebam
6 etiam cum eodem sensu veritatis, quod quando illa non fecisset alias dictas impensas, neque debitum contractura fuisset adeout liberalitas Papæ, ad id eam impulisset, alias non factura; Et tali casu pro ea probabilius respondendum fore mihi videretur, ex iis, quæ magis in specie habentur *disc.* 43. *de donat.* & magis generaliter circa actionem, de in rem verso *disc.* 72. *de credit. & disc.* 56. *de dote, & alibi*; Sed quoniam expensa erat ex lege consuetudinis, & congruentiæ necessaria, illaque erat jam facta, atque debitum jam contractum, adeout, nisi illud pretium erogatum fuisset in ejus dissolutionem, istam a... se facere oportuisset, hinc sequitur, ut adsit verbum illudque durer, ideoque alias intraret locupletatio de alieno, juxta deducta in eisdem locis mox citatis; Adeout concessio Papæ non redoleret gratiosam concessionem de suo, sed potius licentiam erogandi hanc speciem pecuniæ in istum usum ad tollendum obstaculum, quod resultabat a dicta provisione Innocentii X.

Demum quoad tertium punctum, pro restitutione totius accepti respondendum fore dixi, non obstante subse-
7 quutum eventu ob possibilitatem, quod possessor officii, utpote in statu valido, & in ætate congrua, potuisset illud vendere cum licentia Papæ, quæ cessante infirmitate, vel gravi ætate, negari non solet, neque de justitia potest, vel debet, ex pluries deductis in præcedentibus, & præsertim *disc.* 6.

Ad quod conferre observabam ea, quæ habemus de bonis mobilibus datis in dotem ad usum, adeout soluto matrimonio, restituere sufficiat usu consumpta, & talia, qualia sunt, & a quorum restitutione excusat lapsus longi, vel respective longissimi temporis; ob præsumptionem consumptionis, juxta eorumdem speciem, seu qualitatem; Et tamen si vir ea vendat, atque pretium obtineat, tenetur ad istius restitutionem, neque excusatur ex eo, quod nisi vendidisset fuissent consumpta, ut per Castr. *in l. si æstimatis ff. solut. matrim.* Ursill. ad Afflict. *decis.* 270. *in fine*. Sive in hærede gravato excusato a restitutione illorum mobilium, quæ usu consumuntur, ut nihilominus teneatur, si ea vendidit, & pretium obtinuit, *ut disc.* 30. *de fideic.* & forte *disc.* 25. *de legit. & detract. & alibi cum similibus*.

Verum omnem difficultatem cessare advertebam ex eo, 8
quod præfatus Jo: Franciscus Superstes de tempore mortis Attilii erat in ætate annorum 45. Ac propterea, quando procedendum esset cum computatione text. *in l. ad hereditatem ff. ad l. Falcid.* superessent anni quatuordecim, quorum fructus in hujusmodi vacabilibus longe majores, quam in perpetuis valorem æquant, & superant; Et quando, ut verius mihi videtur], procedendum esset cum illis considerationibus, de quibus supra *disc.* 30. & latius *disc.* 54. *de donat. & alibi*, majus tempus æstimari debuisset, ob validum statum, ac fortem complexionem, ideoque attendi non debet eventus, qui sicuti fuit brevis, ita poterat esse longissimus, usque ad centum annos ob possibilem durationem vitæ hominis ad dictam ætatem, ex relatis *sub tit. de emphyt. & alibi pluries*.

TAURINEN. BONORUM.

Pro eodem, de quo supra *disc. CXCI.*

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

An Fisco competant remedia possessoria, & præsertim illud adipiscendæ ad bona, & jura delata delinquenti, vel indigno. Et de donatione facta per patrem filio, quando sit revocabilis, vel onerari possit fideicommisso in exclusionem confiscationis bonorum filii donatarii.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An, & quando Fisco pœnali competat remedium possessorium adipiscendæ ex remedio*, l. fin.
3 *In Fiscum non transit jus cognoscendi jura delata, & non agnita.*
4 *Remedium possessorium adipiscendæ non competit ei, qui semel possederit.*
5 *An Fisco competant alia remedia possessoria retinendæ, & reintegrandæ.*
6 *De differentia inter Fiscum heredem anomalum, & heredem verum.*
7 *An & quando unus sit alteri legitimus contradictor ad impediendum remedium possessorium adipiscendæ.*
8 *Juramentum validat donationem inter patrem, & filium.*
9 *Quando id procedat, & quomodo intelligatur.*
10 *In vim reservationis adjici possunt ex intervallo conditiones, & onera.*
11 *Declarationi donationis, an & quando sit deferendum.*

D I S C. CXCIX.

IN eodem casu, de quo agitur supra *disc.* 191. ac etiam 1
disc. 130. *&* 131. *de feud.* diversas præter stylum, facti series narrare oportet, ob veritatem articulorum, ac etiam quia super singulis, super quibus distincta responsa petita fuerunt, illa tantum series transmissa fuit, quæ punctum præcisum percuteret, & quandoque manca, & imperfecta, ut præsertim liquet ex *d. disc.* 131. *de feud.*

Quatenus itaque pertinet ad præsentem casum, præsupponebatur in transmissa notula, id quod, respectu bonorum allodialium neglectum fuerat in aliis, utpote percutientibus articulos feudales, quod scil. cupiens Marchio Planezzæ, qui primi Ministri illius Principatus celebrem apud Historicos personam gessit, atque pleraque alia exercebat majora munera, istis omnibus aliisque mundanis abdicatis, solitariam, ac pauperem vitam ducere, ut ita cœlestibus magis vacaret, de anno 1667. post munerum dimissionem, Marchioni loci, quod nuncupatur Polonia, filio jam adulto, & uxorato oretenus, & de facto omnium bonorum feudalium, & allodialium possessorem, ac administratorem dimiserit; Deindeque de anno 1671. ultra illam

illam assignationem feudi, de qua agitur in dictis *disc.* 130. & 131. *de feud.* per publicum instrumentum juratum, eidem refutaverit feudum Montasiæ extra illum Principatum, de directo dominio Ecclesiæ, atque in hoc instrumento narratum fuerit, quod usque ab anno prædicto 1667. oretenus de omnibus bonis donationem filio fecisset, cum reservatione unius prædii sufficientis ad ejus substentationem in statu paupertatis, & cum aliis reservationibus exprimendis in instrumento desuper conficiendo ob aliqua impedimenta adhuc non facto, quodque propterea, tunc ad refutationem dicti feudi puram, & absque alia conditione deveniebatur, reservato super aliis magis opportune, aliud instrumentum facere.

Postquam igitur dictus Marchio filius, præfato alio instrumento non confecto, inquisitus fuit de crimine, locis supra citatis, enunciato, Marchio pater, antequam transmitteretur inquisitio, per aliud instrumentum declaravit revocare, quantum ejus extenderetur potestas, quodcumque assignamentum, vel donationem filio factam, ac etiam ad præscriptum ejus, quod jam in testamento a pluribus annis ante præfati Status mutationem condito, ordinaverat habuisse in animo adjiciendi perpetuum, ac descendentium fideicommissum cum ordine primogenituræ, necnon privationem delinquentium, juxta vulgarem passimque practicatam cautelam per plures dies antea, cum substitutione alterius proxime venientis, atque hoc stante, eadem bona cum dicto onere assignavit, ac dedit, traditione quoque subsequuta ejus ex dicto Marchione filio, nepoti primogenito, contra quem jam possessorem, stante pluries conneiata sententia contumaciali in pœnam capitis, & confiscationum omnium bonorum, Fiscus vigore præfati instrumenti anni 1671. judicium immissionis ad eadem bona instituit, ex remedio *l. fin. C. de edit. D. Adrian.* Quare desuper quoque sicuti super aliis punctis, de quibus locis citatis peractum est, ex parte dicti Marchionis senioris, jura nepotis, ut decet, tuentes, consultus.

Duplicem, respondendo, efformabam inspectionem; Unam nempe ordinis super dicti intentati judicii possessorii competentia, vel incompetentia, & alterum justitiæ, seu meritorum in negotio principali; Atque in utroque ad favorem requirentis contra Fiscum, ad solam veritatem reflectendo, visum est respondere.

Quatenus itaque pertinet ad primum punctum ordinis, vel competentiæ judicii, dicebam quod ex veriori, ac re-
2 cepta sententia agnoscente in auctorem Bald. cum quo alii pertranseunt, ex relatis per Menoch. *de adip. remed.* 4. *n.* 299. *& seqq.* & Arguel. *de acqu. poss. q.* 10. *art.* 8. *n.* 131. *& seqq.* Fisco eatenus istud remedium possessorium competit, quatenus competeret etiam ipsi delinquenti, vel indigno, ex cujus persona, tanquam hæres anomalus venire diceretur, illud peteret; Secus autem si veniat ex persona propria independenter ab ejus auctore, & contra istius judicium, ut contingit, quando veniat adversus alienationes, aliosque actus in ejus fraudem factos, cum tunc sibi competat actio rescissoria ex *Edicto de his, quæ in fraud.* in judicio ordinario petitorii peragendo, Atque eatenus ex persona auctoris, istud remedium ad bona, & jura sibi delata competit, quatenus etiam agnitio sequuta sit ab
3 ipso principali, cui in Fiscum pœnalem, ex veriori, magisque recepta sententia, non transeant ea quæ latent in animo, ac præsertim istud jus adeundi, vel agnoscendi, ex deductis supra *disc.* 123. ac etiam *disc.* 160.

Dupliciter autem ipsi Marchioni primo donatario, ex cujus persona, & jure Fiscus veniebat, istud remedium non competere, advertebam; Primo nempe, quoniam
4 cum supponeretur, quod ipse possessionem bonorum jam obtinuerit, ac retinuerit usque a dicto anno 1667. per spatium annorum circiter septem, ita plana remanebat incompetentia hujus interdicti, quod solum conceditur ei, qui numquam possederit, ad novam possessionem obtinendam, non autem, ei, qui semel possederit, cum tunc alia interdicta reintegrandæ, vel retinendæ concedantur, non autem istud, ex plene firmatis *decis.* 34. post Turr. *de pact. futur. succ.* ubi concord. & habetur *disc.* 44. *num.* 10. & 63. *de Judic.*

Cogitabam pro ratione dubitandi, an istud motivum posset esse potius Fisco proficuum, atque reo convento
5 præjudiciale, adeout loco evitandi istud judicium adipiscendæ, ita excitaretur Fiscus ad prætendendum aliud magis proficuum, magisque privilegiatum remedium recuperandæ, vel retinendæ in vim dictæ possessionis intentoris sui auctoris.

Sed quamvis illud in responso edito non excitaverim, nec adeo duro adversario, qualis est Fiscus, novæ aperirentur prætensiones; Attamen credebam, quod quando etiam motivum excitaretur, nullam haberet subsistentiam, dum etiam in hærede testato, vel intestato favorabili non conceditur ex persona propria remedium retinendæ, eo quia possessio defuncti in ipsum non transit absque actuali apprehensione, minusque illud reintegrandæ, nisi quatenus auctor illud intentavit, vel spoliatum se dixerit, ex deductis *d. disc.* 44. *de judic. & alibi.*

Multo igitur minus in Fisco hærede anomalo, & odioso, in quem, juxta deducta *d. disc.* 160. & 123. non transeunt ea, quæ in privatum hæredem favorabilem transeunt, dum ab eo potius alienus præsumitur animus principalis, cui succeditur, juxta ponderationes, de quibus *d. disc.* 160. ac etiam *sub tit. de legit. disc.* 13. adeout potius præsumendus sit animus, eo modo, quo proprio filio magis expediat, atque Fisco odibili noceat, & præjudicet, habendi se pro spoliato, ac habendi possessionem pro derelicta, ut propterea utrumque interdictum non intret. 6

Et alterum erat fundamentum super ejusdem intentatii remedii possessorii incompetentia, ex eo, quod ageretur cum altero donatario habente parem titulum, & possessionem ab eodem auctore in vita, quo casu dicitur legitimus contradictor, cum quo agendum est in judicio ordinario, & petitorio, in quo diffiniendum est, an intret, necne dispositio text. *in l. quoties, C. de donat. quæ sub modo*, ex iis, quæ ad materiam legitimi contradictoris habentur *disc.* 43. & 44. *de judic.* ac etiam *disc.* 73. *de benef. & alibi*, ac propterea illa prima inspectio plana videbatur ad favorem possessoris. 7

Quo vero ad alteram in meritis negotii principalis, inane reputabam opus assumere quæstionem, an illa dimissio bonorum, quam oretenus, ac de facto principaliter filio fecit de anno 1667. importaret donationem, vel simplicem assignationem jure peculii, sive administrationis, & ad effectum, ut idem filius vice, ac nomine patris absentis ex eorumdem bonorum fructibus, juxta decorem, ac statum, familiam substentaret, quoniam, ubi etiam fuisset jure donationis, adhuc effectus esset idem ob prohibitam donationem inter patrem, & filium, sive imperfectam, atque pro libito revocabilem, ex deductis *disc.* 40. *de donat.* cum notationibus, idque recte Fiscales agnoscebant, dum totum fundamentum constituebant in juramento contento in instrumento, ut supra celebrato de anno 1671. Quamvis etenim istud in parte dispositiva contineret solum refutationem perfectam feudi; Attamen supponebatur, quod fiscales fundamentum constituerent in narrativa enunciante donationem ab initio, stante quod in dispositiva cum juramento dicebatur, quod omnia narrata essent vera, ideoque ita intraret limitatio, de qua *eod. disc.* 40. *de donat.* super validitate, ac perfectione, & irrevocabilitate donationis inter patrem, & filium ratione juramenti. 8

Verum id continebat fallaciam evidentem, quoniam tunc juramentum in omnibus prohibitionibus, quæ a jure positivo manant, hanc facit operationem tollendi hujusmodi prohibitiones, & obstacula, quando deducendo hujusmodi prohibitiones ad praxim, vel usum, resultaret peccatum, seu reatus perjurii, cum directa impugnatione, adeout intraret dispositio, vel ratio text. *in cap. cum contingat de jur. jur. & in c. per vestras de donat. inter vir. & uxor.* Secus autem, ubi impugnatio fieret a tertio, juxta casum, de quo *sub tit. de cred. disc.* 10. vel fieret ab eodem ex capite non comprehensionis, vel ex altero defectu naturali, ex quo de consequenti ipsum juramentum corruat, atque inefficax remaneat, puta ratione doli, metus, vel erroris, aut negatæ existentiæ vel probationis; Et in summa, quod non sit impugnatio præcisa, & directa, ex qua dictus census oriatur, sed indirecta, juxta illam distinctionem, quæ *disc.* 143. *de dote, & alibi*, pluries præsertim *sub tit. de alien. & contract. prohib.* habetur in materia potestatis laicalis derogandi, necne juramento, atque in his terminis donationis habetur, quando revocatio proveniat ex ejus natura, quia nempe sit clara, & expressa causa mortis, & tamen adhibeatur juramentum, quoniam istud non tollit facultatem renovandi, utpote de natura actus, quoties illud simpliciter interpositum est, quæstione cadente, quando illud expresse adjectum sit promissioni de non revocando, an corrumpat naturam actus, illudque transire faciat in donationem inter vivos, ex deduct. per Merlin. *decis.* 665. *repetit. dec.* 9. 8. 7. *rec.* & pluries in sua Sede *sub tit. de donat.* 9

Applicando autem ad rem; Hinc esset impugnare hoc

jura-

juramentum affertorium, quando donator negaret affertionem, afferendo nunquam donaffe contra juratam narrativam in inftrumento factam, fed fi donator affirmet de præfenti, id quod nudi facti eft, quod fcilicet, dictam dimiffionem bonorum in animo facere habuerit, non jure fimplicis peculii, & adminiftrationis, fed titulo donationis, non per hoc inferri poteft, quod ifta donatio fimpliciter, & oretenus facta fine aliquo juramento, dici valeat jurata, adeout intret limitatio regulæ, ob juratam affertionem ex intervallo fuper ejus facto, quoniam ita effet dare retrotractionem hujus fimplicis juramenti affertorii ad actum geftum per quatuor annos antecedentes, quod nullo jure, nullaque ratione dici poteft.

Omnem tamen dubitandi rationem ceffare advertebam,
10 etiam ubi ageretur de donatione ab initio valida, & perfecta ob refervatam facultatem adjiciendi conditiones, & onera, feu faciendi refervationes, ut exprimitur in eadem prædicta narrativa, in qua Fifcus totum fundamentum conftituebat, quæ dividi non poterat, tum ex regula, quod confeffio in civilibus dividi non poteft, *ut difc. 23. de judic. n. 26.* Tum ex altero axiomate, ut unus, & idem actus non poffit in parte approbari, & in parte reprobari, potiffime, ubi non impugnatus, fed acceptatus fuit ab eo ex cujus perfona, & jure veniatur, atque hoc ftante, abfolutum remanet, ut conditiones, & onera ex intervallo adjici valeant, cum illæ cenfeantur ineffe ab initio ex iis, quæ habentur *fub tit. de fideicomm. difc. 134. cum plurib. feqq.* præfertim *difc. 138. & 140.*

Alia quoque in idem fuffragante conclufione, de qua
11 locis citatis, ac etiam in fua fede *fub tit. de donat. pluries*, præfertim *difc. 36. & difc. 85. de feud.* quod donator etiam ex intervallo illam etiam juratam, & perfectam donationem, quæ abfque dubio fit irrevocabilis, atque pœnitentiam excludat, declarare poffit in iis, in quibus ob aliquam dubietatem cadat terminus declarationis, vel interpretationis, cui declarationi eft deferendum.

Potiffime vero, ac extra omne dubium, quando declaratio non tendat ad privatum commodum, & intereffe ipfius declarantis, illaque fit verifimilis, magis vero, fi fomentum, vel adminiculum, aut primordium veritatis habeat; Hæc autem omnia infimul concurrere videbantur, quoniam ut patet ex deductis fupra *alleg. decif. 160. de legitima*, & pluries *fub tit. de fideicom.* cautela exclufiva confifcationis, videtur hodie generalis, & ordinaria etiam in perfonis privatæ fortunæ, multo magis in viro ordinis magnatitii, adeo prudente, atque rerum mundi experto, & in patrimonio adeo pingui, & qualificato; Magis vero ob primordium veritatis comprobatum a teftamento condito tempore ab omni penitus fufpicione remoto, utpote per plures annos ante dictam terminationem, in quo idem continetur, ac in ultimo inftrumento de anno 1674. ad favorem nepotis, quod potius præventivam teftamenti quam executivum continere dicitur, ideoque concludebam cafum videri clarum, ac omnis difputationis dote indignum.

ROMANA EXTINCTIONIS MONTIS.

Difcurfus in ratione motivandi.

Quomodo fieri debeat depofitum pecuniæ reftituendæ pro extinctione locorum Montium cum illis Montiftis, qui citati, non curant in termino comparere, & recipere pecuniam.

S U M M A R I U M.

1 *Facti feries.*
2 *Quomodo fieri debeat depofitum pecunia pro extinctione locorum montium, & per totum.*
3 *Depofita pupillorum, viduarum, & fimilium fieri debent penes publicam ædem.*
4 *Quando debitori liceat deponere in contumaciam creditoris.*
5 *Depofitarius montis, an fit idoneus pro recipiendo depofito dictarum pecuniarum.*
6 *Cedulæ bancariæ inter negotiantes habent vim pecuniæ numeratæ.*
7 *De modo fervando in cafu, fupra n. 2.*

D I S C. CC.

Obtenta per Ducem Hieronymum Matthæum a Cle-
mente X. erectione montis pro extinguendis debitis 1
fub gravioribus ufuris, cum Tutores ejufdem defuncti unici filii, & hæredis agnofcerent, non expedire, quoniam licet apparenter fructus montis effent minores, attamen de facto comperiebantur graviores, ftante confueto pacto cum capfore, quem idem Dux elegerat in depofitarium, ut pro fructibus quolibet femeftre folvendis ei liceret illum ponere fub cambiis, & recambiis; Hinc deliberarunt vendere quædam Caftra Duci Lantes ad effectum erogandi pretium fcutorum quinque mille circiter ad effectum extinguendi dictum montem in parte; cumque ad hunc effectum defuper neceffaria eft licentia Apoftolica ftantibus Conftitutionibus pluries enunciatis *fub tit. de feud.* quæ prohibent alienationes bonorum jurifdictionalium, atque in Chirographo fuper hac licentia juxta ftylum extenfo pro confueto formulario contineretur, quod pecuniæ deponi deberent in banco ejufdem depofitarii rifico, & periculo Ducis debitoris infra terminum quindecim dierum affignari folitum Montiftis extractis ad eamdem pecuniam recipiendam, ab inde vero citra rifico, & periculo cre-
ditorum; dictus autem Pontifex Innoc. XI. Pontificatus 2
initio, expertus dum effet Cardinalis aliqua inconvenientia ex ea refultari folita, quod inconfiderate per Pontifices fubfcribi folent Chirographa, quæ per miniftros, & officiales fubfcribenda proponuntur, cum ea fola notitia, quæ habetur ex quodam brevi fummario in eorumdem Chirographorum pede apponi folito, determinaffet illa non fubfcribere, nifi prius reviderentur a me, tamquam ejus Auditore, hinc in ifto Chirographo, quod fuit primum, adverti, quod injuftum, ac irrationabile effet præfatum depofitum penes privatum capforem per montis debitorem electum pro eo tempore, quo non ipfius eligentis, feu Montiftarum rifico, & periculo illud ftare deberet, fed quod elapfo præfato termino pecunia deberet afportari ad montem Pietatis, tum ob Apoftolicas provifiones Clem. VIII. & Pauli V. & aliorum Pontificum regiftratas in volumine ftatutorum ejufdem Montis, ut depofita judicialia, vel alias neceffaria in præfato monte fieri deberent, & quibus provifionibus in ifto Chirographo de more derogabatur; tum etiam, quia ita difpofitum vide-
tur de jure communi, ut depofita pecuniarum pupillorum, 3
& mulierum, ac abfentium fieri deberent penes publicam ædem facram juxta ea, quæ agendo de ifto monte Pietatis Urbis infinuantur *fub titul. de credit. difc. 68.* idque non folum d. depofitario, fed omnibus aliis capforibus, & mercatoribus novum, & exorbitans vifum effet, ftante quod de præterito in plerifque fimilibus cafibus ita fervatum fuiffe dicebam, ut abufus, & corruptelæ potius nomen, hæc obfervantia dici mereretur. Siquidem quando creditor pulfatus ad recipiendam pecuniam fit contumax, unde propterea debitori liceat illam deponere juxta frequentem praxim, quæ habetur in materia extinctionis cenfuum ex pluries infinuatis in fua fede *fub tit. de cenf.* ac etiam *difc. 51. de dote, & alibi*, tunc lex fingit in odium contumacis, quod ipfe vere a debitore pecuniam receperit, eamque re-
ceptam incontinenti denuo in illo banco depofuerit ad pro- 4
prium creditum juxta naturam novationis pluries infinuatam *eod. tit. de credit.* in quo eft ejus peculiaris fedes; unde propterea ifte capfor non dicitur amplius depofitarius ex electione, & judicio debitoris montis, fed ipforum Montiftarum, quorum ficta voluntas non effet præfumenda, tamquam continens actum imprudentem deponendi pecuniam penes privatum capforem de facili fubjectum decoctioni, ut quotidiana praxis docet, dum haberi poteft publica ædes facra tuta, & in qua dictum periculum verifimiliter non cadit; Alias etenim effet dare cumulum plurium exorbitantiarum, & fictionum contra omnia principia; Primo nempe fuper derogatione privilegiorum montis, ut fupra; Secundo per contumaciam non veram, fed fictam cum intimationibus, quæ prædicta fieri folent fingendo folutionem. Et tertio fingendo dictam voluntatem, fed electionem inverifimilem, ac propterea dicendo, quod fi de præterito id fervatum quandoque fuerit, error, & abufus potius dici meretur.

Et quamvis replicaretur, quod dum in erectione mon- 5
tis, Pontifex approbaverat tunc depofitarium, tam fuper folutione fructuum, quam etiam fuper depofito fortis in cafu extractionis, ita hæc perfona videbatur approba-

ta,

ta, nedum a Principe, sed etiam ab ipsismet Montistis, qui emendo hæc loca montium, recte sciebant, vel scire debebant qualitatem depositarii, non tamen istud videbatur motivum considerabile, utpote procedens, donec perseveraret natura montis, quæ post lapsum d. termini omnino extingui, ac cessari dicitur, dum ex natura novationis fingitur solutio, ut supra, adeout penitus extincto, & cessato isto termino fingatur pecunia indifferens ex voluntate ejus domini deposita penes istum capsorem, tamquam diversum a depositario montis. Et quidem nimium durum, ac irrationabile videri dicebam, quod Montistæ absentes, vel etiam præsentes infantes, pupilli, vel alias sub aliena administratione viventes, aut etiam majores non curantes advertere ad hujusmodi edicta, quæ affigi solent, ita montibus, & pretio privati remanere deberent, quodque de facili fraudibus, & collusionibus locus esse posset, erigendo montem, & eligendo depositarium parum idoneum, ut ita supplantarentur Montistæ, quo nil absurdius.

6 Sed quoniam pro frequentiori praxi, quando fiunt hujusmodi emptiones, non habetur intra pecunia numerata, sed per ipsosmet capsores habita fide fiunt cedulæ bancariæ, quæ inter negoriatores habent vim pecuniæ numeratæ, & sic magnum incommodum producebat ista praxis asportandi post quindecim dies pecuniam ab isto banco ad montem Pietatis, hinc egomet insinuavi, consuli posse, decernendo in eodem Chirographo, quod pecunia etiam post lapsum terminum prædictum usque ad veram, & effectivam solutionem continuaret in eodem banco, risico tamen, & periculo ejusdem Ducis debitoris, qui illum capsorem eligerat, prout practicatum fuit, quamvis Tutores 7 Ducis pupilli ita in se assumpserint periculum decoctionis istius capsoris, quæ tractu temporis contingeret, sed eorum indemnitati consuluerunt cum obligatione alterius nimium idonei negotiatoris, qui in tali casu promisit ipsos tutores indemnes relevare.

ROMANA APPALTUUM PRO CAMERA APOSTOLICA, CUM ALIQUIBUS APPALTATORIBUS.

Discursus in congressu.

De eadem materia de qua supra disc. 81. super privilegio Fisci addictionis in diem, vel rescissionis ex capite læsionis. Et incidenter, an Princeps successor obligetur facto prædecessoris.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series, sive casus controversiæ.*
2 *Quæ læsio sufficiat in Fisco.*
3 *Dolus annullat actum.*
4 *De privilegio Fisci circa addictionem in diem.*
5 *An successor in prælatura, vel beneficio teneatur stare locationi prædecessoris.*
6 *Quando Princeps successor obligetur facto prædecessoris, & de gratiis præventivis.*
7 *De eadem materia addictionis in diem, de qua n. 4.*
8 *Non intrat, ubi adhibita sint solemnitates, & quid ubi remissæ sint solemnitates.*
9 *Gratiæ exorbitantes, & præjudiciales debent stricte intelligi, & sufficit, ut aliquam faciant operationem.*
19 *In Chirographis aliisque gratiis attenditur solum id, quod continetur in summario.*
11 *Quales clausulæ debeant attendi.*
12 *Resolutio, &c.*

D I S C. CCI.

1 PRætendentibus Ministris Cameralibus initio Pontificatus Innoc. XI. non teneri ad observantiam quampluzium appaltuum concessorum per Clem. X. prædecessorem stantibus majoribus oblationibus, quæ cum notabili Cameræ utilitate fiebant, hinc de mandato ejusdem Papæ, tamquam ejus Auditor interveni in eorumdem Cameralium solita Congregatione, ut inquireretur veritas, eaque a me referretur eidem Pontifici nolenti tollere jus tertii, atque a justitiæ tramitibus deviare. Quare in congressu desuper habito cum essem primus in discurrendo, tamquam ultimus, vel novissimus Prælatus, distinguebam duas species appaltuum, unam nempe illorum, in quibus res non esset integra, quia nempe jam incæpti essent, & alteram illorum, qui per annos, ac respective menses præventive facti erant, adhuc durantibus antiquis appaltibus, adeout non essent incæpti, ideoque res esset integra.

Quatenus pertinet ad primam speciem respondi pro appaltatoribus contra Cameram, quoties non constaret de læ- 2 sione, quæ in rebus fiscalibus sufficit in sexta parte juxta firmata superius *hoc eod. tit. disc. 65.* & alibi pluries, vel ubi non constaret sufficienter de illo dolo, de quo aliqua habebatur suspicio, ac diffamatio, quia nempe ex collusione inter aliquos ministros, & appaltatores facti essent appaltus cum dolo, & mala fide pro ministri censu, vel pensione, intuitu utilitatis, vel participationis dictorum mini- 3 strorum, vel aliorum, quibus iidem ministri obsequi, vel gratificari cupiebant, cum tunc adesse diceretur dolus, qui etiam in privatis sub aliena administratione legali viventibus, causat absque dubio nullitatem actus, multo magis, ac extra omnem dubitandi rationem in Fisco, tam attenta dispositione juris communis, quam clarius in hoc Principatu illa constitutionum Apostolicarum.

Seclusis namque præfatis remediis nullitatis, vel rescis- 4 sionis respective, aliud non suppetere dicebam remedium, nisi illud addictionis in diem, quod non intrat, re non integra, & post jam cœptum appaltum, ex deductis supra *disc. 81. & disc. 46. de locato*, & alibi, ubi concordantes, atque in hanc sententiam omnes devenerunt, adeout donec super dicto suspicato solo haberentur probationes, quæ deerant etiam in læsione; conclusum fuerit abstinendum fore ab appaltatorum molestiis.

Quo vero ad alteram speciem appaltuum, in quibus res erat adhuc integra; Quamvis aliqui motivassent, quod Pontifex successor non ligaretur facto prædecessoris, attamen istud motivum respuendum fore censui, quoniam ea, 5 quæ in jure habentur de successore in prælatura, vel beneficio, ut stare non teneatur locationi factæ per prædecessorem, ex deductis *disc. 25. & 51. de locat.* & alibi percutiunt Prælatos inferiores, non autem Principem supremum non ligatum a regulis juris positivi, eodem modo, 6 quo in eodem Principe non procedunt ea, quæ de impedita supplantatione successoris cum præventivis confessionibus prædecessoris habentur *sub eod. tit. disc. 2. & disc. 1. de emphyt. ex deduct. disc. 1. de pens. & disc. 146. de dote*, & alibi pluries, potissime vero in actibus correspectivis, & onerosis gestis bona fide, & cum justa speratâque credulitate, quod Princeps, qui fecit actum, deberet supervivere, dum ratio dubitandi cadit, quando ob malum statum, in quo faciens reperiatur, intrat illa fraus præsumpta de qua *disc. 1. de feud. & in ejus annot.* sive quando agatur de concessionibus lucrativis, & gratiosis, in quibus intrare valeant Constit. Urb. VIII. & aliorum Pontificum revocative hujusmodi concessionum, vel aliæ considerationes, de quibus *d. disc. 146. de dote, & alibi*, inanem dicebam esse laborem agere, utpote extra casum.

Neglecto itaque isto motivo, cum novæ oblationes essent duplicis qualitatis, quia nempe aliquæ erant adeo notabiles, quod sextam, imo quintam partem, & plures excederent, aliæ vero ad istam non ascenderent metam, idcirco eas distinguendo, quoad primam speciem dicebam, quod nulla caderet ratio dubitandi per argumentum a fortiori, dum etiam in jam cœptis, atque re adhuc non integra poterat actus rescindi, ex isto capite Læsionis, ideoque restringebatur difficultas ad aliam speciem, in qua intrabat solum præfatum remedium, seu privilegium addictionis in diem, quod receptum est competere Fisco, 7 dum rationes dubitandi, de quibus supra *d. disc. 81.* percutiunt Ecclesias, & loca pia, vel Communitates, aut minores, ex ibi deductis.

Motivabatur tamen in contrarium de duobus. Primo nempe, quod in Chirographis Pontificiis, quorum vigore Ministri Camerales dictos appaltus fecerant, remissæ fuerunt omnes illæ solemnitates, quæ ex Apostolicis Constitutionibus, vel de jure communi essent necessariæ; adeout eis non obstantibus firmi, ac validi esse deberent, suumque 8 effectum sortiri, ideoque sicuti juxta unam opinionem relatam *eodem disc. 81.* quæ magis communis videtur, non intrat hæc addictio in diem, quando solemnitates essent adhibitæ, sic a pari, cum suprema Principis potestas fictum reddat verum ex insinuatis frequenter sub diversis materiis.

Et secundo fortius, quod licet non in omnibus, sed in aliquibus Chirographis, expresse disponitur, ut appaltus validi, ac firmi esse deberent, suumque sortiri effectum, quamvis aliæ supervenirent majores oblationes.

His

His tamen non obstantibus adhuc in eodem persistebam sensu, ut huic Fiscali remedio, seu privilegio locus esse deberet, siquidem circa primum motivum, advertebam, quod cum ista Chirographa dicenda essent absque dubio a Jure exorbitantia, & continentia rem Fisco præjudicialem, sufficiebat eis dare aliquam operationem, ne alias fatua, & inania remanerent, non autem, ut exorbitantiarum, vel specialium cumulus admitti deberet juxta valde nota sæpiusque firmata axiomata, ideoque cum hæc remissio solemnitatum suum, & quidem magnum operaretur effectum validitatis actus, qui alias irritus, ac invalidus esset, trahenda non erat ad hunc alium effectum. Accedente potissimum nimium rationis disparitate inter veritatem, & fictionem in hoc proposito, unde propterea non intraret exæquatio. Ubi namque revera solemnitates adhibentur, illa præsertim edictorum, & publicationum sub hasta, tunc de animositate, vel æmulatione suspectæ videntur novæ oblationes, quæ ab initio fieri poterant, dum ignorantia non valet allegari, istaque est ratio, cui innixa est dicta opinio denegans hoc fiscale privilegium, quando solemnitates adhibeantur, quæ ratio non est adaptabilis ad casum in quo illæ ominantur, licet ex Principis remissione illarum omissio non causet nullitatem actus.

Alicujus majoris ponderis, vel difficultatis videbatur alterum pro cujus remotione tres ponderabam responsiones, quæ simul junctæ, una alteram coadjuvante, videbantur pro meo sensu efficaces. Primo nempe ex eodem superius
9 insinuato axiomate, quod gratiis, ac dispositionibus exorbitantibus sufficiat, aliquam dari operationem, ne fatuæ remaneant, in reliquis vero attendi debere intellectum minus præjudicialem, ac propterea, ut intelligi deberent, vel de illis oblationibus, quæ non essent notabiles, sed modicæ, vel de illis, quæ re non integra supervenirent, ita desuper tollendo quæstiones, de quibus in eodem *disc.* 81. *hoc tit. ac etiam d. disc. 46. de locato.*

Secundo, quod recte allegari posset defectus intentionis Principis ex defectu scientiæ, sine qua voluntas, vel intentio præjudicandi tertio, ac tollendi jus Fisci danda non est, ex insinuatis supra *disc.* 148. & 177. & frequenter: Siquidem hujusmodi chirographa non leguntur per extensum per Papam; sicuti, neque leguntur supplicationes, vel cedulæ motus proprii, sed per Datarium, vel Thesaurarium, aliosque officiales, qui officium ea signando, in calce fit breve summarium continens substantialia gratiæ,
10 ad quæ Papa respicit, an concedi debeant necne: alia vero in corpore, ubi non innotescunt, & quæ propterea substineri debent, quando sint adjici solita de stylo, tamquam consequutiva, vel connaturalia pro validitate gratiæ, non autem insolita, & exorbitantia ad instar eorum, quæ recepta habentur de imbreviatura Notarii, ut possit eam ampliori forma extendere in protocollo, ut hæc facultas concernat ea, quæ de stylo apponi solent, vel debent non alterata substantia, non autem ea, quæ concernant substantiam voluntatis partium, cum similibus, ideoque merito in Dataria inolevit stylus, quod gratiæ, sive sint ad supplicationem, sive motu proprio, non attenduntur, nisi ad limites summarii ad quod revisores gratiam restringunt cassando ea, quæ in corpore adjecta essent a summario deviantia, vel in eo non expressa, atque ad hunc effectum judiciose, ac prudenter idem Pontifex Innocentius decrevit non subscribere Chirographa, nisi prius essent a me revisa, & obsignata.

Et tertio, quod in omnem eventum ista esset gratiosa concessio, quæ caderet sub dictis Constitutionibus revocatoriis, vel quod revocari mereretur eodem modo, quo revocari solent gratuitæ concessiones Cameræ præjudiciales franchitiarum, & exemptionum cum similibus.

Quia vero in uno ex dictis appaltibus qui erant multi, adhuc non incœpti in numero viginti circiter, ultra consuetum præcedens Chirographum, eo modo, quo in aliis, post instrumentum desuper ad formam Chirographi stipulatum, accesserat etiam amplissimus motus proprius confirmatorius, in quo dicebatur, ut actus validus, ac firmus esse deberet, suumque plenarium sortiri effectum, neque posset impugnari, etiam ex capite enormis, vel enormissimæ læsionis, hinc super isto appaltu, in quo intrabat motivum læsionis, dum oblatio excedebat nedum sextam, sed etiam quintam partem, aliqua major habebatur difficultas,
11 quam tamen non obstare adhuc censui ex eisdem responsionibus, de quibus proxime supra, præsertim ex secunda, & tertia, quas ad rem adaptari dicebam; Et ulterius, quoniam in eodem Motu Proprio Papa expresse profitetur, illum concedere pro confirmatione gestorum relative ad Chirographum, & instrumentum unde propterea intrabat receptum, sæpiusque insinuatum axioma, quod confirmatio non alterat naturam confirmati in substantialibus, sed ad ejus limites intelligi, & operari debet, Potissime vero, quia tam in parte proœmiali, ex qua regulatur voluntas, quam etiam in dispositiva, ad limites Chirographi, & instrumenti totum legitur restrictum, reliquum vero super non obstantiis etiam ex capite læsionis continetur in clausulis executivis, quæ potius ex officialium formulariis adjectæ censentur citra præcisam Principis voluntatem non præsumendam, ut in sui Fisci præjudicium læsionem quantumvis enormem, imo enormissimam canonizare voluerit, dum etiam in actibus privatorum hujusmodi clausulæ, & cautelæ super renunciatione beneficio læsionis, ac remissione, & condonatione ejus, quod res plus valeret negligi solent.

In meum votum alii concorditer devenerunt, atque desuper capta resolutio, approbata etiam fuit per pleniorem Congregationem Cameralem nuper ab eodem Innocentio erectam, & constitutam ex omnibus illis Cardinalibus, qui fuerunt Thesaurarii, ac etiam ex tribus Cameræ Clericis, & ex solitis ministris Cameralibus nempe Thesaurario, Advocato Fiscali, & Commissario Cameræ, quibus etiam ego de mandato ejusdem Papæ adjunctus fui. 12

Cum præsens decisio Sacræ Rotæ spectet ad materiam disc. 9. hujus Libri, & non potuerimus suo loco eam adjungere, idcirco hic ponendam censuimus.

R. P. D. U R S I N O.

Romana Pecuniaria.

Luna 14 Junii 1688.

PRætendentes Notarii A.C. temporibus hisce attenuatis tantam negotiorum, & causarum factam esse diminutionem, ut emolumenta propriorum officiorum oneribus Cameralibus, ac expensis pro eorum manutentione necessariis via satisfaciant, fructus Societatum super eisdem officiis initarum nedum solvere recusarunt Creditoribus Reservatariis, sed insuper istos uti Dominos officiorum damnari obtinuerunt a diversis Judicibus Urbis ad exsolutionem onerum præfatis officiis annexorum. Quare reservatarii ex Creditoribus in debitores conversi, ut propriæ consulerent indemnitati in Jus vocare coacti sunt Notarios tam pro restitutione sortis, quam pro solutione fructuum; Cumque nonnulli eorum diversis in Tribunalibus diversa reportaverint mandata adversus personas, & bona propria Notariorum supervenit hinc specialis commissio manu Sanctissimi signata, in qua prævia avocatione omnium causarum coram diversis Judicibus penden. hæ in statu, & terminis, ac cum facultatibus Aud. C. unitim ad Rotam remissæ fuerunt, mihique directæ, verum de consensu Partium Dubio congruo, & generali efformato inquirendum hodie proposui. An mandata sint exequenda, vel potius de novo relaxan. & an, & ad quæ teneantur Reservatarii? Et Domini suspensa resolutione quoad fructus Societatum officiorum respectu quorum dixerunt expectandam esse petitam, quoad sortem illarum censuerunt mandata esse exequen. aliaque de novo relaxanda; Ita suasi a clara, & littetali lege conventionis contenta in Instrumentis dd. Societatum, in quibus Notarii favore creditorum sese adstrinxerunt, nedum eos participes facere de fructibus eorum officiorum ad certam quantitatem inter ipsos conventam, & præfinitam, sed etiam facta disdicta sortem principalem restituere; Quamobrem cum modo agatur de Societatibus jam disdictis factus est locus restitutioni sortis sub obligatione Camerali promissæ, pro qua denegari subinde non potest, quin mandata juste per Judices relaxata exequantur, & quin alia per me relaxentur vigore facultatum A. C. quæ Sacræ Rotæ communicatæ fuerunt juxta firmata per Rot. *in decis.* 900. *num.* 1. coram Dun. Jun. & *decis.* 263. *num.* 3. *part.* 19. *rec.*

Nec obstare visum fuit, quod actores non sint simplices Creditores, sed cum reservatione decreti ad eorum favorem per Papam adjecta in supplicationibus exemptionum dd. officiorum cujus vigore, cum effecti iidem dicantur veri, & absoluti Domini officiorum, Notariis autem meri, & simplicis Administratores ex firmatis per Rot. *decis.* 151. *num.* 1. apud Pacif. de Salv. *decis.* 863. *num.* 1. cor. Baratt.

dec.

dec. 503. *n.* 1. coram Cavalet. *dec.* 986. & 1005. *n.* 1. coram Dun. Jun. *dec.* 337. *num.* 1. coram Cels. *dec.* 3. *per tot.* coram Ubag. *dec.* 206. *in princ.* & *n.* 1. & *p.* 11. & *dec.* 411. *n.* 34. & *seqq. p.* 19. *rec.* Illi non autem isti periculum currere debeant diminutionis pretii, & emolumentorum, officiorumque onera, & expensas subire in sequelam dominii & consequenter etiam nec modo possint consequi satisfactionem sortis, & fructuum, nisi super dictis eorum officiis, non autem contra personas, & bona propria Notariorum, sive Administratorum. Etenim, & si reservatio Decreti in emptionibus similium officiorum vacabilium aliquando importet verum dominium favore reservatariorum secundum auctoritates in objecto relatas, multoties tamen resolvitur in specialem, & privilegiatam hypothecam, juxta subjectam materiam, & Partium intentionem, ut observant Tondut. *de prevent. p.* 1. *c.* 31. *nu.* 34. Merlin. *de pign. lib.* 4. *q.* 105. *n.* 2. & Card. de Luc. *de Seq. disc.* 7. *n.* 8. & decisum fuit per Rot. *dec.* 2. post Cens. *de cens. dec.* 138. *par.* 3. & *dec.* 135. *par.* 7. *rec.* & alibi passim.

Hic autem reservationem Decreti non importare verum dominium Officiorum, sed specialem hypothecam Domini pro comperto habuere, tum ex generali natura contractus, tum ex antiqua origine reservationis Decreti, tum deinde ex qualitate Actuum, qui circa dicta officia geruntur, tum ex parte Principis concedentis, quam ex parte Notariorum, ac etiam Creditorum.

Ex natura quidem contractus. Nam Societas Officii valde in Romana Curia usitata tam de sui natura, quam de communi praxi non exigit, nec efficit, ut socius dans pecunias Officiali admittatur ad condominium Officii, sed solum ad participationem fructuum, in quibus vere, & proprie perficitur, & substantiatur dictus contractus, ex late adductis per Castrac. *de Soc. Offic. cap.* 42. *per tot.* Zacch. *tod. tract. q.* 1. *n.* 35. & *seq.* & dixit Rot. *decis.* 69. *n.* 22. penes eundem, & *decis.* 42. *num.* 3. & 4. coram Pen.

Ex origine autem reservationis Decreti, quia antiquitus Notarii, aliique Officiales, ut pecunias pro emendis Officiis facile adinvenerint, pro securitate dantium præstabant cautiones, & fidejussiones, ut testatur Castrac. *de Socies. Offic. c.* 46. *n.* 1. Cumque tractu temporis istas de facili reperire non possent, invaluit usus, seu praxis reservandi in actu emptionis Officiorum speciale Decretum favore Creditorum pecunias dantium, per quam isti tam pro sortis restitutione, quam pro solutione fructuum essent cæteris aliis Creditoribus potiores, & omnino securi, ut refert Card. de Luc. *de Regal. disc.* 7. & *per tot.* & suadet pactum, quod apponi semper solet in Instrumentis dictarum Societatum, quod scilic. impetrari debeat per Notarios reservatio Decreti ad majorem cautelam Creditoribus Jura Juribus addendo, & cumulando cautelas cautelis, ut sunt verba præcisa Instrumentorum data in *Sum. Actor. n.* 1. Atque hinc cum reservatio Decreti in substantia adinventa, & subrogata fuerit in locum cautionis, seu fidejussionis, sicut ista non impediebat translationem Dominii Officiorum in Notarios, sive officiales, & adhibebatur pro simplici Creditorum securitate, ita nonnisi simplicem hypothecam pro Reservatariorum indemnitate, & cautela importare dicitur reservationem Decreti in locum dictæ fidejussionis, seu cautionis subrogatam per text. *in l. si cum*, §. *qui injuriarum*, *ff. si quis cautien.*

Ex qualitate vero actuum qui circa officia geruntur ex parte Principis concedentis, nam ubi Summi Pontifices Officia subjicere voluerunt certis aliquibus oneribus, vel imposita tollere, semper ipsos Notarios consideraront uti Dominos Officiorum nulla habita ratione Creditorum cum reservatione Decreti, dictaque Officia tam in supplicationibus, quam alibi semper supposuerunt, & denominarunt propria Notariorum, ut bene docetur ex pluribus actibus datis *in d. Sum. num.* 3. & præcipue ex motu proprio Pii IV. impresso apud Zacc. *de Soc. Offic.*

Ex actibus pariter, qui ex parte Notariorum geruntur hoc idem quam maxima resultare DD. opinabantur animadvertentes primo quod Notarii non pro Reservatariis, vel ad illorum commodum, sed pro se ipsis tam quoad titulum, quam quoad exercitium directe a Camera acquirunt officia cum clausulis translativis dominii, & possessionis, ut constat ex *d. Sum. n.* 1. Ipsi solvunt pretium in Camera nomine proprio, stipulantur Instrumentum emptionis officiorum, possessionem capiunt absque interventu, & consensu Creditorum, ad quorum favorem fit solum reservatio Decreti ad instantiam eorumdem Notariorum, & quando resignant officium ipsi non autem reservatarii illud transfe-

runt in alium Officialem, cum omnibus honoribus, oneribus, salariis, & aliis emolumentis *d. Summ. n.* 1. & 2.

Secundo quia Notarii tam in Societatibus initis pro emendis officis, quam in aliis etiam contractibus post reservationem Decreti, ac in pluribus supplicationibus, sive gratiis Summis Pontificibus porrectis semper enunciarunt, ac pro constanti præsupposuerunt officia ad eos spectare, ea denominando propria, ut ostenditur *in Summ. num.* 3.

Tertio pariter quia dicti Notarii non obstante reservatione Decreti habent facultatem extinguendi ad libitum Societates super officiis contractas, & retinendi pro se officium liberum absque novo assensu Papæ, vel translatione dominii, nec mediante novo Decreto, atque si vendunt, aut resignant officia pro pretio excedente pecunias habita a reservatariis, non tenentur eisdem restituere, nisi pecunias ab ipsis acceptas retenta sibi, & superlucrato augmento, quæ utique facere non valerent si Reservatarii essent Domini; Nam inviti isti compelli non possent ab officio discedere obstante text. *in l. dudum*, *C. de contrah. empt.* & oporteret, ut novo actu, ac traditione idem dominium existens penes Reservatarios transferretur in Notarios, & mediante novo Decreto Principis sine quo officia, tanquam de Regalibus Principis de uno in alium transferri prohibentur, & demum augmentum pretii ad reservationes in sequelam Dominii, non autem ad Notarios administratores spectaret.

Quarto denique quia Notarii semper se gesserunt tanquam Domini cuncta ad libitum disponendo, & fructus officiorum percipiendo, nulla unquam reddita ratione, quam utique reddidissent, si revera ipsi essent prout asserunt simplices administratores, cum de Jure quilibet administrator rei alienæ ex quacumque causa administraverit, rationem reddere teneatur ex text. *in l.* 1. §. *Officio*, *ff. de tutel.* & *ratioc. distrah. l.* 2. §. *Sane*, *ff. de neg. gest.*

Consonant denique actus, qui geruntur ex parte Creditorum, qui illi dantes pecunias pro emendis officiis simpliciter a Notariis admittuntur ad participationem fructuum officii, non autem ad Condominium ipsius officii, quod est quid distinctum a fructibus ibi -- *promisit eum participem facere de omnibus dicti officii fructibus* -- quod mirifice ostendit dominium verum, & proprium officiorum esse penes Notarios. Nam alias si essent penes Reservatarios, isti ad participationem admitterent Notarios, non autem a Notariis admitterentur; nec fructus officiorum perciperent vigore pacti, & ut participes, sed jure dominii, quod fructus sequuntur ad text. *in l. ex diverso*, §. *ubi autem*, *ff. de rei vend.*

Insuper Reservatarii Societates contrahunt, ut plurimum ad sex menses, & deinde ad beneplacitum duraturas pacto adjecto, quod finito semestre, & facta præcedenti disdicta Notarii teneantur ad restitutionem sortis, ad quam se suaque bona propria obligant in forma Cameræ. Hæc autem non bene conveniunt acquisitioni Dominii respectu Reservatariorum. Implicat enim quod reservatarii uno eodemque temporis contextu cum pecunia quam dant ad Societatem pro emendis officiis, illorum dominium acquirant, quodque remaneant creditores ejusdem pecuniæ ad eorum beneplacitum exigendæ, & recuperandæ.

Et demum reservationem Decreti iidem paciscuntur in d. Instrumentis Societatum non principaliter, & primario, ut officiorum dominium acquirant, sed ad majorem ipsorum cautelam jura juribus addendo, & cumulando cautelas cautelis, ut habetur *in Sum. num.* 1. quæ proinde resolvitur in simplicem dumtaxat hypothecam privilegiatam, & specialem.

Quibus sic stantibus non adversantur amplissimæ clausulæ appositæ in reservatione Decreti; Nam illæ importantes facultatem percipiendi fructus propria authoritate, & vendendi officia etiam Notariis non requisitis, vel reluctantibus, non tantum non implicant cum hypotheca speciali, & improprio dominio, sed passim apponuntur ad favorem creditorum jure pignoris possidentium juxta firmata per Rot. in *Sabinen. de fideic.* 27. *Januarii* 1687. §. *Suppositis enim cum seqq.* coram R.P.D. meo Caccia.

Et in præsenti adjectæ intelligi debent pro majori cautela, & securitate Creditorum in solo casu moræ ipsorum Notariorum, vel in solvendis fructibus, vel in restituenda sorte Societatum facta illatum disdicta, cum præter d. casum moræ habere non possint creditores usum d. Decreti, ut optime advertit Card. de Luc. *de reg. disc.* 7. *n.* 2. & 5. *n.* 7. *usq. in fin.*

Minus autem concludit dominium altera clausula, quod scilicet reservatarii teneantur proportionabiliter pro eorum ratis ad solutionem montium aliorumque onerum, dd. officiis incumbentium; nam quidquid in hujusmodi onus fuerit reservatariis injunctum in solo casu assumptæ ab ipsis administrationis officiorum, quemadmodum informantes pro iisdem reservatariis substinere contendebant, objectum nihilominus cessat ex quo cum onera sint solvenda ex fructibus, dicta obligatio necessario non refertur ad jus dominii, sed ad jus participationis fructuum, ad quam illi fuerant admissi, quoniam omnes participes tenentur proportionabiliter, ac pro rata effective participationis fructuum ad onera Societatis, quamvis bona socialia non communicentur participi quoad dominium ad tradita per Card. de Luca *de credit. disc. 89. num. 6.* Rot. Januen. *disc. 14. num. 50.* Ubald. *decis. 213. num. 7. vers. altra quod, & in rec. decis. 68. num. 6. part. 8. & in Romana Cambii* 10. *Januar.* 1685. *§. Confirmat denique cor. me.*

Denique non adversatur alia obligatio, qua in eodem decreto adstringuntur reservatarii, pro dolo scil. fraude, & delictis Notariorum, quia cum dicta clausula adjecta legatur immediate post attributam facultatem reservatariis percipiendi fructus, ac disponendi de officiis propria auctoritate prædicta pœna reservatariis injuncta censetur non ratione dominii, cui tot superius relata argumenta repugnant, sed ut illi soliciti essent in utendo dicta facultate ad vitandam malam administrationem, & præjudicium interesse habentium in fructibus, vel etiam uti fidejussores officiorum cum verba, & pacta semper intelligenda veniant juxta subjectam materiam, & ad limites contractus cui adhærent Rot. *disc. 234. numer. 2. in fin.* coram Eminen. Cerr. *in rec. decis.* 330. *num.* 11. *pariter in fine, & num. seq. part.* 11. *decis. 129. nu. 14. & seqq. part. 12. & in Romana donationis* 10. *Martii* 1687. *§. quo enim ad 2. cor. R. P. D. meo Caccia.*

Neque huic intellectui obstantur plures Sacræ Rotæ decisiones relatæ per Card. de Luca *de Reg. discurs. 7. num. 1. aliæque plures congestæ, in §. obstare visum fuit hujusmet decisionis*, in quibus firmatum fuit dominium officiorum observationem Decreti spectare ad Reservatarios, non autem ad officiales, & Notarios. Etenim Domini inhærentes distinctioni, in hac materia receptæ, de qua Cardin. de Luc. *de Reg. dicto disc. 7. per totum, & disc. 15. numer. 14. & disc. 12. numer. 2. & sequenti*, advertebat dd. authoritates recte quidem procedere in casu, quo is ad cujus favorem fuit reservatum decretum solvit pecunias de proprio, & officium primario acquisivit ad sui utilitatem, & commodum, & pro periculo vitæ, illud posuit sub nomine alterius eidemque etiam dedit administrationem, tunc enim cum intentio emententis sit acquirendi officium pro se, reservatio decreti dominii translationem importat juxta terminos dictarum decisionum. At secus est, quoties prout in præsenti casu, quis non habens pecunias pro emendo officio, in quo suam industriam valeat exercere, contrahit Societates officii, & pecunias a Creditoribus acceptas, erogat in emptionem dicti officii nomine proprio impetrata pro majori cautela, & securitate creditorum pecunias solventium, reservatione Decreti ad illorum favorem. Hoc enim casu talis reservatio non importat, nisi simplicem quamdam, & specialem hypothecam sive dominium improprium ad favorem creditorum pro perceptione fructuum conventorum, & restitutione sortis, non autem veram, & liberam translationem dominii ad libitum exercibilis a Reservatariis super officii proprietate, ut articulo ex professo discusso, examinatis casibus, & conciliatis authoritatibus, quæ inter se videntur contrariæ firmat, & pro sensu veritatis tenet Card. de Luc. *disc. 7. num. 2. & per tot. de Regal.*

Et ita in utraque parte informante omnibusque DD. de ordine Sanctissimi suffragantibus decisum fuit.

SUM-

SUMMA,
SIVE
COMPENDIUM

Eorum, quæ continentur in hoc Lib. II. De Regalibus.

INDEX RUBRICARUM;

I.

Procemialia.

DE Regalium origine, ac introductione, eorumque divisione, & de aliquibus generalitatibus.
a num. 1. ad 12.

II.

De officiis venalibus.
a n. 13. ad 31.

III.

De locis montium, aliisque juribus cum Principe, vel Republica.
a n. 32. ad n. 51.

IV.

De Vectigalibus, Dohanis, Gabellis, Pedagiis, Collectis, Datiis, Fidis, Vaxis, contributionibus, aliisque publicis oneribus.
a n. 53. ad n. 70.

V.

De Salinis, & Salariis, aliisque salis materiam concernentibus.
a n. 71. ad 80.

VI.

De mineralibus, & mineriis, aliisque fodinis, & excavationibus eorum, quæ sint post superficiem, & de thesauris.
a n. 81. ad n. 88.

VII.

De Fisco, ac juribus Fiscalibus pœnalibus, ac successoriis, in bonis scilicet proscriptorum, aliorumve delinquentium, sive in vacantibus, vel naufragatis aut alias derelictis, certum non habentibus dominum, ac possessorem.
a n. 89. ad n. 110.

VIII.

De monetis earumque cusione, & usu;
a n. 111. ad n. 118.

IX.

De pluribus regalium speciebus, nempe; De nundinis, & mercatis; De ponderibus, & mensuris; De juribus privatis, & prohibendi; De tractis, & extractionibus, & Repræsaliis.
a n. 119. ad n. 114.

X.

De Mari, Fluminibus, Lacubus, Portubus, & Ripis, Silvis, & Montibus, Forestis, Piscationibus, vel Piscationum juribus, Venationibus, Pascuis, aliisque usibus, & eorum prohibitionibus.
a n. 125. ad n. 134.

XI.

De locis, & Viis publicis, & de Angariis, & perangariis, aliisque servitiis.
Ac etiam de jure publici belli, ac de armamentis, & fortificationibus.
Et de jure creandi Titulatos, & Barones, concedendi nobilitatem, creandi Doctores, & Notarios, & erigendi Universitates, & Academias.
a n. 134. ad n. 146.

XII.

De potestate concedendi leges eisque derogandi.
De jure concedendi gratias tertio præjudiciales, vel tollendi jus tertii, ac revocandi concessiones, seu alias inhabiles reddendi habiles, remittendique delicta, & pœnas, aliave similia faciendi, quæ in jure prohibita sint.
a n. 14-. ad num. finalem, &c.

Card. de Luca, Lib. II.

SUMMARIUM

I.

1 *DEbent peti rerum principia, & quare.*
2 *Regalium usus est antiquus, & de ratione.*
3 *In quibus dos principatuum, & Rerumpublicarum consistere soleat.*
4 *Quare antiquitus non appellarentur regalia.*
5 *De causa ordinationis* text. in c. unic. *quæ sint regalia.*
6 *Recensentur regalia comenta in dicto textu.*
7 *Quod non omnia in eo recenseantur.*
8 *Alia pertinent ad Principem magis, quam recensita, & quæ sint.*
9 *Pertinent ad Principem, non autem ad Barones, & subditas Civitates.*
10 *Regalia penes privatum desinunt esse regalia.*
11 *An, & quando sola possessio, sine titulo in his sufficiat.*
12 *Qualis ordo in hoc teneatur, &c.*

II.

13 *De differentia inter officia venalia, & officia ad justitiam ministrandam.*
14 *Officiorum venalium sunt capaces etiam infantes, & mulieres, & quando secus.*
15 *Quod ista officia sint antiqua in jure explicata sub nomine militiarum.*
15 *In hac materia officiorum nια datur certa regula, & quare, quodque agatur solum de illis Cameræ Romanæ.*
17 *Officia sunt de regalibus, & non possunt obtineri nisi ex concessione Papæ.*
18 *Sunt regulariter vacabilia per mortem naturalem, vel civilem, & præsertim per Cardinalitiam dignitatem.*
19 *Non sunt in commercio, sine assensu Papæ.*
20 *Est in commercio commoditas emolumentorum, & quid hæc importet.*
21 *Habentes assensum Papæ, vel reservationem decreti, vincunt eos, qui non habeant.*
22 *Hic assensus denegari non solet, non debet, & quando denegari possit.*
23 *An in Resignatione officiorum habeat locum regula de infirmis resignantibus.*
24 *Assensus, vel licentia in obligatione non præjudicat pro casu vacationis.*
25 *De diversis speciebus reservationis decreti, earumque diversis effectibus.*
26 *Quale jus habeant super officiis creditores non habentes reservationem decreti.*
27 *De pluribus quæstionibus inter creditores officialis super validitate, vel operatione reservationis decreti.*
28 *De imputatione erogati in emptionem officii in legitimam.*
29 *De donatione pretii ut supra erogati.*
30 *De præventiva, vel abusiva concessione officii adhuc non vacati.*
31 *De oneribus, quæ officio incumbunt, &c.*

III.

32 *De origine, vel introductionem locorum montium in quo consistant.*
33 *De aliis rerum vocabulis.*
34 *De qua specie locorum montium agatur.*
35 *Sunt jura regalia.*
36 *Dantur etiam loca montium non Cameralia, & non regalia.*
37 *Duplici eorum pretio intrinseco, & extrinseco.*
38 *Non sunt in privata commercio, sine auctoritate officialis ad id deputati.*

39 De obligatione Secretarii.
40 Venditio sine auctoritate officialis, non tangit substantiam, neque jus transfert, ideoque potior conditio secundi emptoris cum assensu.
41 Transeunt libera in tertium resignatarium ab omnibus vinculis, & quenam retineant.
42 De ratione dicta libertatis.
43 Quando ista ratio cesset, ideoque cesset etiam libertas.
44 De motu proprio Urbani VIII. super eadem libertate.
45 De attergatione, an inducat eamdem libertatem, & securitatem.
46 De venditione commoditatis, vel vendende substantia cum ipsismet vinculis.
47 De evictione, an & quid intret facto casu vinculi.
48 Vincula minuunt de pretio, & quomodo in hoc detur lasio.
49 An libertas prosit fraudulentis, vel foventibus caussam lucrativam.
50 De implicita donatione pretii si unus de sua pecunia emit commodo alterius.
51 De reservatione dispositionis locorum montium, vel fructuum.
52 An sint stabilia, & circumferebantur loco, necne.

IV.

53 De vectigali, quod dohana vulgo dicitur pro introductione mercium, & in qua quota solvatur.
54 Sub quibus aliis vocabulis explicetur.
55 Non debetur pro mercibus per transitum.
56 A quibus solvatur.
57 Alicubi solvitur pro extractione.
58 De alia dohana pro pascuis, ac de fida, & diffida.
59 De pedagiis, quenam sint.
60 Gabellarum nomine, que onera veniant, quidque importent, & a quibus solvi dicantur.
61 Quomodo exempti, & immunes in hoc se gerant.
62 De gabella contractuum.
63 De collectis, earumque variis speciebus, & distinctionibus.
64 Quando immunes, & exempti ad eas teneantur, & presertim de Fisco, vel alio gabelle domino.
65 Quibus competat jus dicendi Gabellas, & collectas, aliave onera.
66 Denegatur Civitatibus, & Baronibus subditis, & quomodo concedende.
67 De aliis collectis, taxis, & contributionibus privatis, vel communitativis.
68 De penis fraudata gabelle, vel dohana.
69 Quod predicta vocabula soleant confundi.
70 De gabella non solvenda de cadaveribus.

V.

71 De salinis, & de salariis, & de differentia inter eas.
72 Salaria sunt ubique de Regalibus, & de ratione.
73 Quid de Salinis.
74 De salinis terrestribus, & de aliis maritimis.
75 In quo consistant appaltus salariorum, & salinarum.
76 Pretium in distributione salis qua fit populis non alteratur.
77 De defectibus in his appaltibus ex aliquo casu fortuito.
78 De mutatione qualitatis salis consueti.
79 De majori exitatione prohibita in fine appaltus.
80 De ratione ob quam magne saline sunt de regalibus.

VI.

81 De Mineriis auri, & argenti, quod sint de regalibus.
82 Quid de aliis mineralibus, & fodinis.
83 Et quid in rebus laboratis, & manufactis.
84 De Thesauris, & de pecunia abscondita.
85 De generali prohibitione effossionum, & excavationum, sine licentia, & de ratione.
86 Quid in excavationibus, & thesauris in locis sacris, vel Ecclesiasticis.
87 An emolumenta fodinarum, & excavationum sint fructus, vel sors.
88 De appaltu mineralium, & fodinarum.

VII.

89 Fiscus secularis est de regalibus, ideoque ad solum Principem pertinet, non autem ad Barones, & subditas Civitates.
90 Quid de Episcopis, & Prelatis Ecclesiasticis.
91 De duplici fisco successore, & penali.
92 De fisco successore in bonis vacantibus.
93 In bonis vacantibus Clericorum an fiscus secularis, vel Ecclesia succedat.
94 In bonis de directo dominio alterius non intrat fisci successio.
95 De aliis qui fiscum excludunt, eique in successione preferuntur.
96 In bonis Ecclesiasticis, vel Ecclesie intuitu quesitis questio non cadit.
97 An iste fiscus succedat in jurepatronatus.
98 De confiscatione omnium bonorum ejusque diversis speciebus
99 De conclusione, quod quilibet confiscat in suo.
100 De jure fisci in bonis, que auferuntur ab indigno.
101 De penis, & mulctis particularibus.
102 De pluribus questionibus in materia fisci penalis.
103 An confiscatio possit prohiberi.
104 An prohibitio capiat legitimam.
105 De filiorum numero confiscationem, vel aliam penam impediente.
106 An fiscus agat contra parentem pro legitima filii delinquentis.
107 De restitutione delinquentis, vel condemnati an suffragetur pro bonis confiscatis.
108 De fisco favorabili, & privilegiato, & in qua bonorum, vel jurium specie fisci favores, & privilegia procedant.
109 Quando etiam jura penalia, & odiosa fisci privilegiis potiuntur.
110 De Pœna decupli, aliisque penis contra fraudantes fiscum.

VIII.

111 Jus cudendi monetas est de regalibus soli Principi competentibus.
112 Princeps tenetur condere monetam bone materie, & justi valoris.
113 Facere monetam malam est species collecte, & gabelle.
114 Q o i in hac materia non cadat regula generalis.
115 Moneta valoris alterati cujus commodo, vel damno cadat, & cujus temporis valor attendi debeat.
116 De crimine false, vel tonse monete.
117 An liceat impendere monetam, quam sciatur esse prohibendam.
118 An, & quando debitor admittatur ad solvendum monetam reprobam.

IX.

119 De nundinis, & mercatis, diversisque speciebus, & quando sint de regalibus, & de ratione.
120 De ponderibus, & mensuris, quando sint de regalibus.
121 De juribus prohibendi, & cogendi, &c. in furnis, molendinis, macellis, tabernis, & aliis hujusmodi.
122 De prohibitis tractis, vel extractionibus, quando earum concessio non prosit, atque impediri possit.
123 De annona, ejusque regimine, & privilegiis.
124 De repraesaliis.

X.

125 De jure maris, fluminum, lacuum, & nemorum, vel forestarum pro navigatione, & piscatione, vel venatione cujus est usus.
126 Quenam ex his juris regalis sint, ut prohibitio cadat.
127 An, & quando Baronibus, & aliis liceat prohibere venationem, & piscationem, aliosve naturales usus.
128 De prohibitione, vel restrictione pascuorum cum defensis, & bannitis.
129 Quando liceat, necne, uti aquis fluminum, vel fontium pro molendinis, vel hortis, & pratis.
130 De mari ejusque dominio, & jurisdictione.
131 De portubus, & de ripa maris.
132 De ripis fluminum, & de arboribus, que in eis sint.
133 De libertate portuum, & emendum in eis merces, ut etiam de nundinis.

XI.

134 De theatris, plateis, pontibus, & viis publicis, cujus sit, attenta dispositione juris communis.
135 Quid hodierno tempore, & de questione inter Communitatem, & Baronem.
136 In quibus consistit jus regale in viis, & plateis.
137 Distinguuntur diverse species questionum in hac materia pontium, & viarum.

138 Qua-

I.

PROOEMIALIA.

De regalium origine, ac introductione eorumque divisione, & de aliquibus generalitatibus.

1 Rerum principia, & quidditatem, in legalibus quoque exquiri congruæ applicationis, rectæque justitiæ administrationis ratio exigit, ut ita quod suum est, cuique adaptate tribuatur, & ne legum provisio, quæ uni casui opportuna sit alteri incongrue applicetur.

Quamvis itaque omni ævo, omnique Reipublicæ, vel
2 dominationis generi, publici ærarii provisio, ut publici, belli, & pacis occurratur indigentiis, opportuna, quinimo necessaria in usu fuerit, tamquam per illam dotem, quam omnes pene gentes, omni tempore, mulieri tribuerunt, cui Respublica, sive soluta sit, sive sub viro (qualis est Princeps) assimilatur, ut ita politici matrimonii onera decentem habeant substentationem.

3 Istaque dos, ex subditorum tributis, & oneribus, vel ex illa bonorum specie constitui pro frequentiori usu consuevit, in quibus natura insolitam, & excedentem exercuerit libertatem, ut ita hoc ingens naturæ beneficium, omnium commodo pariformiter cedat, non autem ut aliquorum privatorum dominio ac utilitati, solum subjaceat; Adeout si non omnia, quæ sub regalium genere, pro nostrorum temporum usu cadunt, eorum tamen pars notabilior, apud antiquitatem quoque eamdem sortita sint fortunam, vel naturam.

Diversa tamen apud Romanos, aliasque antiquas do-
4 minantes Nationes, ac Imperia, sortita sunt nomina; isto regalium vocabulo Romanorum legibus, atque linguæ latinæ possessoribus ignoto, ob Regii nominis apud Romanos, post vindicatam libertatem, nimiam odibilitatem, ac perhorrescentiam.

5 Cum igitur post tot Hunnorum, Gothorum, Vandalorum, aliorumque barbarorum incursiones, quas Italia, post Sedis Imperialis translationem in Græciam passa fuerat, sub Longobardorum jugo, ac dominatione cum eorumdem legibus, illis Romanorum pene in oblivionem abitis, viveret, iique Arrianæ hæresis sequaces, Catholicæ Religioni Romanoque Pontifici molestias, magnaque præjudicia inferrent; Romanus vero Imperator, vel ejusdem Arrianæ hæresis pico contaminatus, vel Græci schismatis fautor; Ecclesiæ Romanæ ejusque Pontificis defensionem adversus Longobardos indebite negligeret, cum Catholicæ fidei præjudicio; Hinc Pontifex, prævia Imperii dismembratione, Carolum Magnum occidenti Imperatorem præfecit, cujus ope ab hujusmodi molestiis exemptionem reportavit; Exindeque ejusdem, aliorumque successorum potestas in aliquibus Italiæ partibus enituit; Ejusdem vero Imperatoris, ob dominationum scissuram, diminuta potentia, Cæsarei nominis ac potestatis in Italia pene oblivio inducta est, donec illorum aliquam præbente renovationem accessus Henrici primi, quem cognomento Pium, Ecclesia Catholica Sanctorum Catalogo adscriptum veneratur, ille etenim a Romano Pontifice evocatus adversus Græcorum molestias in Apuliam se contulit.

At sequuta per matrimonium cum ultima Normandorum prole, accidentali unione Imperii, cum utriusque Siciliæ Regnis, quæ tunc unum solum Regnum constituebant. Exortisque adeo Italiæ perniciosis Guelfa, & Ghibellina factionibus; cum Imperator Fridericus II. Siciliæ Rex Ghibellinæ factionis tutela, & protectione suscepta, Romanoque Pontifici nimium esset infensus, Imperialemque auctoritatem, in plerisque Italiæ partibus restituere satageret; Hinc inter ipsum, & aliquas Lombardiæ confœderatas Civitates, asperum sequutum est bellum, cum ea pace, quæ apud Juristas Constantiæ dicitur, sopitum.

Inter alias itaque desuper habitas conventiones, ea fuit, ut firmum esse deberet, quænam jura regalia hujusmodi confœderatis Civitatibus remanerent, ac per eas exerceri possent; Cumque eorum enumeratio atque registratio inter feudales consuetudines sequuta esset; Hinc istud Regalium nomen, seu vocabulum prodiit, istaque conventio in hac Regalium materia, pro communi lege haberi cœpit, usuque deinceps recepta est; Ea autem juxta ibi tentum ordinem sunt.

Armandiæ; Via publica, Flumina navigabilia, & illa ex quibus fiunt navigabilia; Portus Ripatica Vectigalia, quæ dicuntur etiam Tellonia, moneta, mulctarum pænarumque compendia, Bona vacantia, Bona quæ ab indignis auferuntur, Bona contrahentium incestuosas nuptias, Bona condemnatorum, & proscriptorum, Angaria, Perangaria & plaustrorum, ac navium præstationes, extraordinaria collatio, Potestas constituendorum Magistratuum ad justitiam expediendam, Argentaria, Palatia in Civitatibus consuetis, Piscationum redditus, & salinaria, Bona committentium crimen majestatis, & Thesaurarii juxta certas portiones, &c. 6

Non omnia tamen, ista conventio continet jura, quæ hodie pro communi Principum, & Rerumpublicarum praxi 7
juris regalis existant, quinimo desunt ea, quæ majoris primæve ordinis, regiæque coronæ magis annexa censentur, non omnium etenim concessio pro regula facta est, sed aliquorum pro limitatione; firma in reliquis remanente regula apud Imperatorem, cujus imaginem quilibet Princeps hodie in sua ditione præsefert, qui jura supremi Imperii habeat.

Eamdem regalium naturam, seu qualitatem, ex tempo- 8
rum, ac morum varietate pleraque alia in hac lege non recensita, sortita sunt, qualia præsertim sunt, armamenta, sive jus publici belli, & pacis, ac officia venalia, eaque jura super vectigalibus, aliisque juribus Principis, quæ Romana Curia sub locorum montium vocabulo explicat, aliave pro locorum moribus, vel legibus.

Omnium itaque præmissorum, aliorumque similium jurium regalium, sola pertinentia est supremi Principis vel Reipublicæ, quæ jura Imperii obtineat, Privatis autem 9
quinimo Baronibus, & Domicellis, subditisque Civitatibus eadem pertinentia pro generali regula denegata est, ejusdem Principis explicito non accedente privilegio, vel eo implicito, quod legitima immemorabilis, vel centenaria non vitiosa possessio allegari posse concedat. a

Adeoque jura regalia privato dominio incongrua esse, apud Juristas est receptum, ut eis, de privatorum jure, 10
vel dominio, ex Principis concessione effectis, antiqua regalium corrupta natura, novam privatorum, ac indifferentium bonorum sortiuntur, & obtineant; Nisi concessio solam commoditatem, vel fruitionem percutiat, penes ipsum Principem, vel Rempublicam eorumdem jurium substantia adhuc remanente. b

Solam itaque hujusmodi jurium possessionem, quantumvis longam, nisi immemorabilis, vel centenariæ non vitiosæ qualitatem habeat, privatis, aliisque Principe in- 11
ferioribus non suffragari sine titulo magis receptum est, ideoque ad ejusdem tituli justificationem possessorem cogi posse sub amissionis pœna, c in solo retinendæ possessorio diuturni, nimiumque considerabilis temporis possessione suffragante, d firma, & generali regula desuper non cadente, ob nimiam morum, ac stylorum diversitatem, quibus est deferendum.

Directionem autem quoad in singulorum jurium examine videbitur, quam in eorum enunciata lege sit adhibitum, ut
12 quia Romanæ Curiæ forensi praxi de his agatur, quæ singularis accepterit, cum ob nimiam regionum, ditionumque varietatem, ad aurem Curiam, vel Ditionem, se restringere necessitas cogat, ut adillationes exinde, vel consequentias, pro rationis, vel circumstantiarum identitate, congrue deveniri valeat.

a *Hoc tit. disc.* 14. & 81. & *in Supplemento*.
b *Dicto disc.* 81. & *alibi*. c *d. disc.* 14.
d *De judic. disc.* 44.

II.

De officiis venalibus.

Diversa est venalium officiorum hujusmodi qualitas, ab iis magistratibus, qui in Regalium seu feudali speciem insinuato registrantur, cum de illis, quæ ad justitiæ administrationem deputantur, textus agat, de eis au-
13 tem inferius agitur; ex ista vero officia, quæ pro frequentiori praxi venalia sunt, justitiæ administrationem pro eorum natura non habent, nisi quatenus, pro alicujus Principatus moribus, aliqua accidentalis mixtura insit, eorum substantia in bursalibus emolumentis consistente, ob idque venalitatem lícite admittunt.

14 Hinc pleraque, infantibus, ac exsticis quinimo mulieribus congrua sunt, quoties personalem administrationem, vel industriam præcise annexam non habeant, sive quod per substitutum eadem administratio fieri valeat. *f*

15 Antiqua est hæc Regalium species, ab ipsorum Romanorum moribus, ac legibus derivata, satisque in Romana Republica, vel Imperio frequens, sub diverso tamen militiarum vocabulo appellata; Ideoque quod in Romanorum Legibus in militiis statutum legitur; hodiernis venalibus officiis pro generali regula congruit, iis exceptis in quibus diversorum locorum leges, vel mores limitationem indu-
16 cant; Cumque ex jam prænotatis, non de facili istius, omniumque aliorum jurium Regalium materia uniformem ubique applicabilem recipiat regulam, exindeque resultet consuetus connaturalis Juristarum error, cum generalitatibus procedendi, sive unius Regionis, vel principatus res judicatas, Scriptorumque traditiones aliis generaliter applicandi, non distinguendo loca, & tempora, seu legum, ac morum diversitatem. Hinc ut pro regula in omnibus jam statutum est, de Romanæ Curiæ officiis pro norma, seu idem agitur, ut exinde ducto argumento, juxta singularum regionum leges, ac mores congrua fiat illatio, seu applicatio.

17 Stat itaque regula, ut hujusmodi officia, tamquam jura regalia, nonnisi ex Principis privilegio, vel concessione per scripturam obtineri valeant, sive ex concessione illius inferioris magistratus, vel subditæ Civitatis, cui idem Princeps facultatem concesserit, adeout possessor ad tituli justificationem cogi valeat, sin minus officii privationem pati merito debeat. *g*

18 Ex regulari natura quoque eorum personalia, seu vacabilia sunt, atque per duplicem mortis speciem in Curiæ eorum vacatio sequitur, naturalis scilicet, & civilis; sub istius genere cadente tum illa, quæ ex banno capitali, vel caducitate, seu privatione ob crimen in ipsius officii exercitio resultet, cum etiam illa, quæ ex Cardinalitiæ dignitatis assequutione procedit. *h* Nisi de iis officiis agatur, quæ ex privilegio, vel erectionis lege pro regulæ limitatione perpetua sint, ad hæredes transmissibilia, quæ tamen nimium rara sunt, præsertim ex Cameralium genere, aliquibus Romani Populi, seu Capitolii Nominatus officiis istam sortientibus naturam, cum concessionis tamen renovatione in qualibet persona, feudorum ad instar. *i*

Eadem regalis qualitas, privati commercii libertatem excludit, ideoque de manu in alium transferri, sive alteri obli-
19 gari, aliudve jus reale quovis modo imponi sine Papæ assensu, seu licentia, vetitum est, in obligatione, vel alio reali jure decreti reservationem loco licentiæ pro Curiæ stylo adhibendo. *l*

Privati commercii libertate solum admissa in ea fru-
20 ctuum, seu emolumentorum commoditate, quæ rei substantiam non feriat, nullumque jus reale imprimat, feudorum, aliorumque prohibitorum, & Ecclesiasticarum pensionum ad instar, ideoque in vendente, vel cedente officium adhuc residet, ejusque persona vacationem regulat. *m*

Hinc in officiis manet usuque receptum est, quod in
21 feudis aliisque prohibitis habetur, ut ii, quibus ex Principis licentia, vel decreto, officiorum loco facta sit, sive hypotheca, aliudve jus quæsitum, potiora habeant jura, omnesque alios vincant quantumvis temporis majorem antiquitatem ex sola privata conventione habentes; Ea enim congrua ratione, quod ille, qui cum Principis auctoritate jus obtinet, prior esse dicitur, aliis omnibus neglectis, qui tali legitima auctoritate sunt destituti. *n*

Hanc autem auctoritatem, vel assensum, pro officii for- 22
mali translatione, sive pro ejus obligatione, quæ sub reservationis decreti nomine, ut supra explicari solet, Pontifex denegare non solet, nec debet, nisi gravis senii, infirmæque valetudinis, aliave similis ratio, quæ ob imminentem vacationem, fraudem redoleat, justam denegandi causam præbeat; Ideoque stylus est hujusmodi licentiam, nonnisi prævia officialis visitatione, cum aliquo competenti spatio concedendi. *o*

Quæstione cadente, an resignatione admissa ad breve autem tempus morte sequuta resignantis eadem intret infir- 23
morum, vel de viginti Cancellariæ regula, beneficiali, probabiliori existente negativa, cum diversa vigeat ratio. *p*

Licet item in distrahi, vel obligari prohibitis, domini
licentia, vel assensus, quoties clausula præjudicii præser- 24
vativa munita non sit, illum operetur domino assentienti præjudicialem effectum, ut facto devolutionis, vel vacationis casu, adhuc duret hypotheca, aliudve jus tertio quæsitum, ut in feudali Sede advertitur; Diversum tamen est in officiis, pro Romanæ Curiæ praxi, ut assensus, vel decreti reservatio suas quidem faciat operationes, contra ipsum officialem, ejusque creditores, aliosve ab eo causam habentes, atque ut in ipsomet officio exercibile sit jus obtinentis decretum, donec jus durat officiali, non autem eo expirato per vacationem officii, quod liberum ad Cameram Papæ redit. *q*

Hujus autem reservationis decreti, vel assensus variæ
sunt species; Alia etenim est, quæ pro frequentiori usu, 25
plenaria & omnimoda sit, atque in reservatario officii dominium præferre videatur, ubi nempe officium, de alicujus pecunia in alterius persona ematur, non ut aliqua liberalitas cum eo exerceatur, vel beneficium aliquod conferatur, sed pro sola demonstratione personæ, ex cujus mortis naturalis, vel civilis periculo vacatio sequuta sit, ita domino pecuniæ omnimoda fructuum, ac officii facta sit reservatio, ut reservatarius omnia percipiat officii emolumenta, atque jus habeat (nova tamen accedente licentia, sine causa denegari non solita) officium vendendi, sive officiales cogendi, ut vendant.

Ipsius autem reservatarii mors naturalis, vel civilis, nullum causat præjudicium, atque Titularis vita, vel jure durante, omne jus ad hæredem transmittitur, sive in hæreditate remanet, Titulari nudum nomen desuper habente, quamvis quoad Papam, pro casu vacationis, vel administrationis, hæc persona demonstrata, attendenda veniat; Ejusdemque reservatarii creditoribus jus conceditur, eo modo quoad reliqua debitoris bona, & jura, officii natura immutata, respectu vacationis. *r*

Altera est consimilis reservationis decreti species, quæ dominium pariter redolet, magis tamen limitata sit, ad ipsius reservatarii vitam, seu dispositionem, ut propterea eo defuncto absque facultatis disponendi exercitio, officium libere pertineat ad officialem, ex occulta, vel implicita pretii donatione, ut propterea transmissio ad hæredem, ut in præcedenti specie, non intret. *s*

Tertia est species reservationis, quæ dominium non redolet, sed potius speciem assensus, super hypotheca, vel affectione, jure crediti, favore illius, qui pro officii emptione pecuniam officiali credit, sive pro alio indifferenti debito, ita obligetur illud officium, quod jam obtinetur, tanquam per superius insinuatam speciem illius assensus, qui super feudorum, aliorumque prohibitorum obligatione concedatur, tunc exinde periculo officialis damno cedente, ut officii vacatione sequuta, jus creditoris salvum sit, in reliquis bonis expetibile; Ideoque male huic reservationis, idem dominii tribuitur effectus, quem aliæ superius recensitæ species producunt, cum illius ille sit effectus potioritatis supra alios officialis creditores, quantumvis tempore anteriores, juxta eam speciem concursus, quæ inter creditores assensum habentes, & alios, qui eo careant in feudis, aliisque prohibitis cadit, ac etiam pro competentia, vel exercitio juris realis, vel facultatis cogendi ad vendendum officium. *t*

Cessante vero jure, vel interesse reservatarii, & Pa-
pæ, aliis quoque creditoribus hanc decreti reservatio- 26
nem

ntem non habentibus, in actione personali, vel Judicis
officio deneganda non est facultas debitorem cogendi ad
vendendum officium, ut ex pretio sibi satisfiat, eodem
modo, quo in feudis est dispositum. *n*

27 Ista vero decreti reservatio, juxta præmissas species, ad
effectum facultatis vendendi, sive cogendi officialem ad
venditionem; concedi non solet in iis officiis, quæ Præ-
laturam cum aliqua administratione annexam habeant, ut
sunt Clericatus Cameræ, aliave officia Prælatitia in suis
sedibus recensita. *x* cum in privatorum libito repositum
esse non debeat hujusmodi officiales in statu Prælaturæ
constitutos deponere; Eadem reservatione ad alios effectus
concedi solita reliquos operante, super concursu scilicet,
vel jure ad ejusdem officii fructus, & emolumenta, ac
etiam ad pretium quatenus de Papæ placito, ipsiusque of-
ficialis consensu, venditio sequatur.

Quæstio item in tertia reservationis specie cadit, quæ
creditum potius, quam dominium redolet, super ejusdem
reservationis valida, vel invalida concessione, in aliorum
creditorum officialis præjudicium, idque a facti circum-
stantiis pendet, subreptionis, vel obretionis vitium redo-
lentibus. *y*

Altera quoque super æquali, vel inæquali plurium re-
servatariorum concursu, qui in ipsius reservationis con-
cessione tempore inæquales existant, si causæ æqualitas
accedat; *z* Et altera, an concessa pro sorte, suffragetur
pro fructibus, idque pariter a facti circumstantiis decisio-
nem expectat; An scilicet Judicis officio, vel jure actio-
nis, & ex stipulato debeantur. *a*

Donationis item quæstiones in ista officiorum materia
28 cadunt; Ac etiam imputationis in legitimam, aliave ju-
ra, ubi absque decreti reservatione, vel cum ea limitata,
de pecunia unius officium in persona alterius quæratur;
Verum pariter id certam non recipit regulam, cum facti,
& voluntatis potius, quam juris dicenda veniat, quæstio
pro facti qualitate, & circumstantiis decidenda, cum a
voluntate erogantis pecuniam, totum pendeat; Imputa-
tioni tamen in legitimam regula assistere videtur. *b*

Licet aliquando etiam ad donationem referatur. Ces-
29 sante præsertim causa necessaria, videtur assistere regula,
ex diversa tamen etiam tacita voluntate limitationem re-
cipiente. Itaque donatio, causa mortis, potius quam inter
vivos censenda venit. *c*

30 Super præventiva, vel abusiva adhuc non vacantium
officiorum concessione, vel translatione, eadem habetur
dubitatio, quæ in feudo, vel emphyteusi oriri solet, &
propterea sub eisdem terminis decidenda videtur, an scili-
cet, qui concessionem facit, jus habeat supplantandi suc-
cessorem, eique præjudicium inferendi. *d*

31 Onera, quæ officiis incumbunt, occasionalia sunt,
ideoque cessato officio, cessant, nisi ex officialis facto,
privatoque commodo, officium onere gravatum sit, vel ubi
de illis agatur oneribus, quæ durante officii possessione
impleta non essent, cum aliis in sua sede. *e*

e *Inf.* 146 f *Hoc tit. disc.* 2. 6. 15. *& in aliis.*
g *Dicto disc.* 14. h *Dicto disc.* 2. *&* 5. i *Disc.* 5. *&* 17.
l *Dicto disc.* 7. 10. *& seq.* m *d. disc.* 7. 10. *& seq. & disc.* 16. *& seqq.* n *d. disc.* 10. *& seqq.* o *disc.* 6.
p *Ibid.* q *d. disc.* 10. *& seqq.* r *d. disc.* 10. *& seq.*
s *Disc.* 2. *&* 24. t *disc.* 10. *& seqq.* u *Ibidem.*
x *Hoc tit. disc.* 2. *& in relat. Curiæ disc.* 41. y *d. disc.* 19. *& seqq.* z *Ibid.* a *Ibid.* b *disc.*
c *Dicto disc.* 1. 24. *&* 150.
d *Disc.* 3. *& in suppl.* e *Disc.* 8. *& seq.*

III.

De locis montium, aliisque juribus, cum Principe, vel cum Republica.

32 PRincipe, vel Republica, prompta pecunia in ingenti
summa, ex belli præsertim occasione, aliisque publicis
causis indigente; Cum per illa emolumenta, quæ ex vecti-
galibus, & gabellis, vel subditorum collectis, aliisve contri-
butionibus, & oneribus, sive ex consuetis principatus ju-
rium regalium proventibus percipiuntur, opportunitati, vel
indigentiæ prompte occurri non possit; Hinc per implici-
tam sortis, vel proprietatis venditionem, cujus pretium
opportunum sit necessitatis remedium, sive per quandam
impositionis census speciem, ab eodem Papa, vel Repu-
blica privatis conceditur hujusmodi jurium, seu emolumen-
torum in singulos annos participatio, quantitativa po-

tius, quam quotitativa, ut in singula centena, quæ Prin-
cipi, vel Reipublicæ præstita sint, perpetuus super eis-
dem juribus assignetur redditus, ad instar census, cum
ejusdem acceptæ sortis restitutione redimibilis. *f*

Hoc itaque jus participandi de illis proventibus, qui ju-
ris publici, ac regalis existunt, sub locorum montium
nomine in Romana Curia explicatur, ut quælibet scuta
centum in sorte, juxta præsentem statum, annuorum 33
scutorum quatuor productivum, unum locum constituant;
Aliis vero principatibus, vel Rebuspublicis diversa adhi-
bentibus vocabula, nempe jurium cum Rege, sive Fisca-
lium, sive comperarum, & similium in idem, spectato
effectu conveniunt, idemque sonant.

Sed quia non omnium regionum, ac Principatuum ea- 34
dem est lex vel forma; Hinc officiorum ad instar, de il-
lis Romanæ Curiæ sermo erit, a quibus, cum sua propor-
tione, ad illa aliorum locorum, illationes fieri, vel con-
sequentiæ trahi valeant.

Regalia quoque pro eorum regulari natura, hæc juri
reputantur, utpote per Papam, vel Rempublicam con-
cessa, super iis emolumentis, quæ juris regalis sint; Eo- 35
rum tamen ad instar, aliquando ejusdem Principis indul-
to, erectiones conceduntur super aliquibus bonis, quæ pro
dote assignentur, per Communitates, ac per Barones, &
quandoque etiam per privatos fiunt, ideoque discretio da- 36
tur montium Cameralium, & non Cameralium, quamvis
eadem sit omnium regula, idemque privilegium.

Duplex in eis pretium datur, intrinsecum, scilicet, & 37
naturale, primæ erectionis, vel concessionis, inter Ca-
meram, & privatum emptorem scut. centum pro quolibet
loco, extrinsecum vero, vel accidentale illud est, quod
ex privata contractatione, seu privato commercio, quan-
doque majus, quandoque vero minus ratione bonæ, vel
deterioris conditionis in commercio sit; Istud autem acci-
dentale, sive extrinsecum pretium, non alterat, ideoque
solum primævum erectionis pretium intrinsecum pro ex-
tinctione restituendum est, sive pluris, sive minoris priva-
tus possessor ab altero privato ea resignatione quæsierit. *g*

Inter alios autem hujus juris regalis effectus, ille major,
ac præcipuus dignoscitur ut in privato commercio, priva- 38
tive contractatione non fit, sine Principis assensu, qui per
illum officialem præstari solet, qui Thesaurarius dicitur,
per rogitum alterius officialis, qui Notarii vices in hoc ge-
rendo, Secretarium appellatur, cujusve attestationibus,
super resignatione, ipsorumque locorum montium liberta-
te defertur; Ipsi Secretario obligatione incumbente de 39
proprio refirere totum id quod emptoris interest assertio-
nem esse minus veram. *h*

Hinc officiorum venalium ad instar, sola privata con-
tractatio, absque officialium hujusmodi interventu, & as-
sensu, commoditatis concessionem redolet, quæ ipsorum
locorum non tangit substantiam, penes priorem possesso- 40
rem, venditione non obstante, adhuc remanente, exin-
deque resultat, quod venditore alteri cum præfato assen-
su, eadem loca resignante, posterioris resignatarii, cum
assensu, potior erit conditio, eodem modo, quo in offi-
ciis dictum est. *i*

Atque hinc, hujusmodi jurium, seu locorum libertas
manat, quæ eorum commercio, ac facili contractationi 41
magnum præbet fomentum, ut scilicet, ab omnibus hy-
pothecis, aliisque nexibus, & vinculis, quibus alia bo-
na, & jura possessoris subjaceant, libera in emptorem,
seu resignatarium transeant, aliaque non retineant vin-
cula, vel nexum, nisi ea, quæ in ipsa Secretarii assertio-
ne, vel fide, sive in Thesaurarii litteris desuper concedi
solitis, quæ patentes dicuntur, exprimantur.

Id autem illi nimium probabili rationi innixum est,
quod novus emptor, vel acquisitor, non privati possesso- 42
ris, ac venditoris fidem sequatur, minusque ejus condi-
tionem inquirere satagat, sed publicam fidem Principis,
ejusque officialium sequatur; Ita duplici actu occultato;
In priori scilicet possessore resignante, illo refutationis
proprii juris in manibus Principis, a quo obtinuit; Et al-
tero effotuationis novi juris, quod idem Princeps per
ejus officialium organum concedit resignatario, qui dire-
cte, ac immediate a Principe obtinere dicitur, ad instar
resignationum, quæ in Papæ manibus fiant ad certæ per-
sonæ favorem de beneficiis Ecclesiasticis, quibus in hoc
proposito hujusmodi jura assimilata sunt. *l*

Ista vero publica auctoritate non accedente, hæc loca
montium donec penes priorem possessorem, vel alterum
ab eo ex privata conventione causam habentem existant,

quoad hypothecas, aliave vincula, vel jura tertii, eam-43 dem sortiuntur naturam, ac alia privata bona indifferentia, ut etiam penes tertium emptorem eadem retineant vincula, & affectiones; etiamsi cum Judicis auctoritate, ac per hastam publicam, vel per adjudicationem, acquisitio sequuta sit, dum cessante præmissa solemnitate auctoritatis magistratuum, seu officialium, quos desuper Princeps deputavit, ita cessat hujusmodi libertatis præmissa congrua ratio. *m*

44 Quam etsi de Jure sufficientem pontificia lex ad majorem firmitatem, omneque dubium dirimendum roboravit. *n*

Quæstione cadente, an eadem libertas, vel omnimoda securitas tertii, qui cum hac publica auctoritate con-45 trahat, in eo actu cadat, per quem, non ipsorum locorum substantia, vel proprietas, per formalem resignationem de uno in alterum transfertur, sed per quandam obligationis, vel pignoris, & hypothecæ speciem, per ejusdem Secretarii organum, in ipsis litteris patentibus, fiat atergatio; idque varias habeat opiniones in sua sede recensitas, firmamque adhuc habere non videtur regulam, vel decisionem, quæ ab ipsius atergationis forma, vel specie probabiliter pendere videtur, an scilicet in ipso Secretarii libro quandam protocolli Notarii speciem redolente resignationis ad instar, id adnotatum sit, adeout creditor eamdem publicam fidem sequutus dicatur, ipseque officialis ex propriis actis facti certior de alienis vinculis, a liberæ resignationis admissione abstineat, proprio periculo sit minus expositus. *o*

In privato itaque commercio feudorum, & officiorum, ac pensionum Ecclesiasticarum, aliorumque prohibitorum ad instar, sola commoditas est, quæ rei sub-46 stantiam non tangat; sub eadem vero conventione, quæ cum præmissa publica auctoritate fiat, cadit quoque substantia, vinculis tamen, quæ in litteris contineantur obnoxia, ut propterea emptor, vel resignatarius, ipsorum vinculorum, eorumque casus periculum per aleæ speciem in se suscipiat; Eoque casu contingente, nullum adversus venditorem evictionis, vel restitutionis pretii regres-47 sum habet, dum evictio de natura rei, dicitur, si non a casu, & connaturali periculo per emptorem suscepto, sed ex ipsius venditoris dolo, vel fraude, aliove facto culposo proveniat, ut in pensionum Ecclesiasticarum sede quoque advertitur. *p*

Sed hujusmodi periculi, seu vinculorum susceptio, notabilem causat pretii diminutionem, super qua læsionis quæstione in foro audiri solent, certam tamen non reci-48 pientes regulam, cum ex vinculorum numero, & qualitate, susceptique periculi magis proximo, vel remoto timore, id pendeat, ideoque Judicis arbitrio id remissum est, ex facti qualitate, & circumstantiis regulando. *q*

Præmissa libertate, novique emptoris omnimoda securitate, illos potiri congruum est, qui onerosum titulum 49 foventes, cum bonæ fidei fomento obtineant. Foventes vero causam lucrativam, quamvis malæ fidei nota digni non sint, subsidiariæ vendicationi, ex æquitate, locupletationem de alieno prohibente, subjacent: Ubi vero ea mala fides accedat, quæ fraudem, seu collusionem positivam, cum tertii supplantatione redoleat, etiam onerosus titulus a subsidiaria refectione ejus, quod tertii interest, excusare non debet. *r*

In his quoque juribus, idem quod præcedenti rubrica in 50 officiis venalibus insinuatum est, sub quæstione cadere solet, super præsumpta scilicet donatione pretii, quod per unum de proprio erogari contingat in hujusmodi jurium emptione, vel acquisitione ad alterius favorem; Idque frequentius praxis dabat in illa hujusmodi locorum montium specie, quæ vacabilia sunt, quorum usus antiquiori tempore nimium frequens, pro præsenti rerum statu pene abolitus est. In omnibus autem procedit idem, 51 quod in officiis insinuatum habetur: Idemque adamussim circa eamdem officiorum occasione insinuatam decreti reservationem, favore erogantis, vel credentis pecuniam, dum in hac jurium specie, prædictæ reservationis decreti ad instar, in ipsius Secretarii libro, ipsisque patentibus litteris, dispositionis reservatio tam pro sorte, quam pro fructibus sive pro sorte, & non pro fructibus, vel e converso fieri solet. *s*

52 Apud Majores sub quæstione fuit, an hæc loca montium, aliave similia jura sub nomine jurium, & actionum, vel nominum debitorum veniant, ut personam possessoris sequantur, vel potius sub nomine stabilium, ut loco circumscribantur, ac etiam sub bonorum stabilium nomine veniant; Ista vero posterior pars hodie jam recepta est, ut eo loco Metroplitic[æ] Civitatis circumscribantur in qua erectio facta est, ac destinata fructuum solutio; Adeoque sub stabilium nomine veniant, ut sub eisdem alienandi prohibitionibus cadant, nisi erectionis lex aliter suadeat, ac etiam super eis census constitui valeant aliive similes effectus exinde resultent, cum aliis in sua sede.

f Disc. 26. cum pluribb. seqq. & in disc. 163. in supplem.
g Disc. 33. h Disc. 27. & seqq. & in supplem. disc. 163.
i Disc. 41. l Dicto disc. 27. cum seqq. & disc. 163. in suppl.
m Ibidem. n Ibidem. o Disc. 30. & 31. & in proximis.
p De pension. disc. 69. q Dicto disc. 30. & 31. hoc tit.
r Disc. 29. & 164. in supplem. s Disc. 24. & 25.
t Tit. de feud. disc. 92. & hoc tit. disc. 92.

IV.

De Vectigalibus, Dohanis, Gabellis, pedagiis, collectis, Datiis, fidis, taxis, contributionibus, aliisque publicis oneribus.

Singula hæc vocabula, de stricta Juris censura, inter se diversa sunt, diversamque significationem habent, 53 ac naturam; Vectigal etenim, utpote a vehendo derivatum, illud onus importat, quod Principi, vel Reipublicæ solvitur; in quadam mercium, quæ ad Civitatem, vel portum evehuntur, quota, quæ de jure communi dictata est portio, pro Ditionum autem, vel principatuum diversis legibus diversa est; Urbis praxi docente, ut in illis mercibus, quæ ex Maritimæ navigationis majori commoditate, ac beneficio advehantur, sit in septima, in illis autem, quæ per terram, sive per flumen Tyberis a montibus, in nona, eaque frequentius in pecunia pro majori evehentium commoditate solvitur, ad valoris mensuram, in eorumdem tamen evehentium libito existente solutione in ipsarum mercium quota, si commodum tamen id sit, practicari valeat. *u*

Ista vero species oneris publici, quæ in legibus Romanorum, sub hoc vectigalis vocabulo explicari solet, pro quorumdam aliarum legum particularium loquendi magis barbaro usu, sub diversis, *telonie, portorii, & scaricature* vocabulis explicatur; In praxi vero, pro li- 54 sis præsertim frequentiori usu, barbaro vocabulo *Dohanæ*, quod antiquis Jurisconsultis, ac linguæ latinæ professoribus ignotum est. *x*

Introductionis formalis mercium vectigal est, ubi nempe, ita in portum, vel Civitatem merces introducantur, 55 ut ibi remaneant, & contractentur; Secus autem ubi transitus gratia, ut alio evehantur. *y*

Quamvis autem a mercium Domino, ac introductore solvatur, re tamen, vel effectu spectato, ab eorum emptori- 56 bus, ejusdem loci, vel Ditionis populo, illas contractaturo, fit solutio, ob pretii alterationem exinde resultantem, ideoque in minutibus ex consueto pretio hujus ratæ fit deductio, ut ita solum intrinsecum, ac naturale persolvant. *z*

Pro hujus vectigalis grammaticali significatione, ma- 57 gisque frequenti usu, mercium evectionis, vel introductionis onus est, quod alicubi tamen pro extractione magis, quam pro introductione persolvitur, juxta varios locorum, ac ditionum mores, ita præsertim in Italia Neapolitanæ Civitatis praxi docente.

Idem barbarum *Dohanæ* vocabulum, promiscue, pro 58 illo quoque onere adhibetur, quod Principi, vel Reipublicæ, pro publicis animalium pascuis, hibernis præsertim, & alicubi etiam æstivis, quæ sint de Principis reservatis, atque de juribus Regalibus, ex quadam introductione effecta sint, præsertim vero pro ovibus; isto pascuorum pretio, alicubi sub nomine *fidæ* quoque explicari solito, *diffida* vocabulum adhibendo pro quadam majori, ac pœnali solutione ob pascuorum fractionem, seu violationem, extra tempus, vel modum permissum; Idque inter publica onera recensetur, ob necessitatem, quæ sumendi pascua animalium Dominis quamvis invitis incumbat, cum pretii alias repetibilis alteratione, in qua vectigal, seu onus publicum consistit. *a*

Pedagiorum nomine, in stricta, legalique significatione, illa veniunt onera, quæ pro mercibus, vel pro domesticis animalibus, sive pro gregalibus animalibus, ad industriam, & alicubi etiam pro hominibus persolvantur, ratione transitus per portam, pontem, semplam, viam, 59 aliumve locum, & alicubi per naves, per aliquam ma-

gis

ris partem transeuntes, sive portum aliquem intrantes; Istaque frequentius onera uniformia, & materialia sunt, non ratione valoris mercium, sed per capita transeuntium, vel pro qualitate navium, aliorumque instrumentorum pro diversis quoque moribus. *b*

60 Gabellarum nomine, in stricta, & propria significatione, alia veniunt onera, quæ insensibiliter, occasione usus victualium, aliorumque usualium, cum aliqua, intrinseci, & naturalis pretii alteratione, ab emptoribus supportantur; Quamvis etenim ad instar vectigalis, seu dohanæ, per venditorum manus, materialis solutio fiat, revera tamen spectato effectu, ab emptoribus fieri dicitur, ita quandam exactorum, seu administratorum ipsis 61 venditoribus personam, seu figuram gerentibus, ut illud scilicet, extrinsecum, alteratumque pretium, quod pro gabella exigunt ab emptoribus, ipsius gabellæ domino, ac impositori restituant, naturali, ac intrinseco fructum mercium, & rerum, seu victualium pretio contenti, ne alias publica, & regalia jura, in privatam cedant utilitatem, illicitaque de alieno locupletatio resultet; Ideoque non venditorum, sed emptorum immunitas, vel exemptio spectanda est, ut isti vilius emant, non autem, ut illi carius vendant; Ut pro frequentiori usu illæ sunt gabellæ, quæ super pane, vel farina, vino, oleo, carnibus, piscibus, fructibus, aliisque similibus imponuntur; *c* Istaque onerum species omnibus, Principi scilicet, vel Reipublicæ imponenti, populoque persolventi (quando debitæ moderationis metam non excedat) omnium commo-62 dior reputatur, Gabellarum etiam vocabulo contractibus congruente, quæ pro diversis regionum moribus diversam habent regulam. *d*

Collectarum vocabulum triplicem habet significationem, mere realium scilicet, mere personalium, & mixtarum; Reales etenim illæ sunt, quæ pro modo faculta-63 tum, atque ut vulgo dicitur *per æs & libram*, persolvuntur, possessoris qualitate non curata; Personales, quæ a personis subditis præstentur, certam habentibus qualitatem, ac propterea personæ qualitas attenditur, nulla bonorum, seu virium ratione habita, vel constituta differentia; Mixtæ vero, quæ a personis quidem subditis præstandæ sunt, bonorum tamen ratione, ac pro modo facultatum.

Istæque species, præsertim duæ priores, mere reales, ac mere personales, suas quoque habent subdistinctiones, inter ordinarias scilicet, & fixas, ac extraordinarias, seu accidentales, ac variabiles; Ordinariæ siquidem reales illæ sunt quæ perpetuæ, ac invariabiles, in uniformi quota, vel quantitate in singula tempora Principi, vel Reipublicæ præstentur, tamquam per speciem decimæ spiritualis, quæ parocho persolvitur, sive tamquam per speciem canonis, vel census, aut tributi; Personales autem, in singulis quibusque annis, aliisve certis statutis temporibus, in uniformi, ac invariabili summa, per capita personarum persolvuntur, ideoque capitationis nomen, seu vocabulum habent; Extraordinariæ vero, sive accidentales, in stricta significatione sub contributionum, & taxarum, seu datiorum, vel impositionum nominibus veniunt. *e*

Atque hinc immunium, vel exemptorum obligatio pendet, pro iis bonis, quæ a subditis in eo obvenerunt, & quæ prius laicalibus oneribus penes subditos priores domi-64 nos subjecta erant, ut scilicet, prima species mere realium, ordinariorum, ac fixorum tamquam species decimæ, ipsa bona principaliter afficiat, personæ qualitate, vel immunitate neglecta; secus autem, ubi de aliis agatur speciebus, ideoque non juris, sed facti, & applicationis desuper quæstiones cadunt, quando scilicet, unam vel alteram speciem collectæ, sive onerum redoleant. *f*

Aliæ vero gabellarum, & onerum personalium, vel mixtorum species plures habent quæstiones, super Secularium quoque privilegiativa exemptione, illa præsertim Fisci, vel Civitatis, quæ gabella domina sit, de quibus in sua sede videndum, cum plures habeant distinctiones compendio non facile congruas. *g*

Super imponendi facultate quæstiones etiam cadunt, 65 quam solis Papæ, & Imperatori nonnulli in legali simplicitate ambulantes, tribuunt, aliis Principibus licet supremis, & absolutis denegando; Contraria vero usu secepta est regula generalis, quæ omnibus assistit Principibus, ac Dominis, vel Civitatibus, jura regalia, atque supremi Principatus potestatem, ac Imperium in propria Ditione habentibus, quamvis jure feudi regalis, & dignitatis Principatum ab alio obtineant, illumque in sola alti dominii ratione superiorem agnoscant; Nisi lex investituræ, seu altera scripta, vel non scripta lex, aliter disponat. *h*

Eadem econverso regula generalis subditis, Baronibus, 66
& domicellis, ac Civitatibus resistit, nisi Principis explicita licentia, vel concessio accedat, sive illa implicita, quæ, ex immemorabili, vel centenaria vitiosum initium non habente, manat, cum jus indicendi publica onera, inter regalia numeretur, ideoque Principi competat; *i* Regionum moribus tamen magnam desuper partem habentibus, dum alicubi Principes publica onera, Communitatibus, vel in certa quantitate pro personarum, vel fumantium domorum numero indicunt, ipsarumque Communitatum partes remaneant exactionis modum indicere, qui pro locorum moribus, vel qualitate varius est, adhuc tamen Principis, vel supremi Magistratus assensu, seu licentia desiderata. *k*

Aliæ quoque dantur extraordinariæ collectæ, seu con- 67
tributiones, & taxæ, quæ comparative ad præcedentes, privatæ magis, quam publicæ dicuntur, pro privatis scilicet locorum, & populorum indigentiis, vel commoditatibus, & quæ comparative ad singulos privatos, publicatum nomen, seu vocabulum quoque habent, Communitativæ nuncupatæ, sive ubi pro singulorum in aliqua territorii parte, bona habentium, necessitate, vel commoditate, per Communitatis speciem, collectæ, vel contributiones indicantur, ideoque super immunium, & exemptorum obligatione frequentes cadunt quæstiones, certam non de facili regulam recipientes, utpote a diversis decisionem expectantes distinctionibus, in sua sede videndis. *l*

Super gabellarum, & dohanarum fraudibus, earum- 68
que pœnis, & commissis, frequentes praxis quæstiones producit, certam pariter non habentes regulam, cum ab ipsarum gabellarum, vel onerum legibus, vel a locorum moribus, ac stylis decisio nimium pendeat, ut in propria sede advertitur. *m*

Quamvis autem præmissæ sint singulorum vocabulo- 69
rum legales, ac propriæ significationes, adhuc tamen certa desuper non cadit regula, cum pro vario loquendi usu, eadem vocabula confundi soleant, eorumque promiscuus usus adhiberi, illo præsertim vectigalium, omne genus onerum aliquando complectente. Ideoque non in nudis vocabulis, sed in rei veritate, ac substantia immorandum venit.

Vulgi quædam communis opinio, vel traditio pene 70
generalis est, ut pro cadaveribus de loco ad locum vehendis gabella, vel dohana solvi debeat, Quod tamen omni caret juris, ac rationis fundamento, ideoque erronea est opinatio. *n*

u *Disc.* 65. & 67. *hoc tit.* x *Proxime supra.*
y *Disc.* 63. z *d. disc.* 67. a *Disc.* 94. & 95.
b *Disc.* 131. & 156. c *Disc.* 52. & *seqq.* 155. *hoc tit.* & *disc.* 5. & 6. *Miscellan. Eccles.*
d *Disc.* 49. e *Disc.* 96. & *seqq.*
f *Disc.* 50. & 51. & *disc.* 2. *Miscellan. Ecclesiast.*
g *Disc.* 44. & 45.
h *Disc.* 63. & 64. *de feud.*
i *Proxime supra.*
k *Disc.* 43. *hoc tit.* & *disc.* 5. *Miscellan. Ecclesiast.*
l *Disc.* 98. & *seqq.*
m *Disc.* 69. 87. 88. & 152.
n *Disc.* 166. *in supplemento.*

V.

De Salinis, & Salariis, aliisque salis materiam concernentibus.

Diversa est Salina a Salaria; Salina etenim est ille 71
locus terreus, vel aqueus, in quo salis materia effoditur, vel fabricatur; Salaria vero denotat privativum jus vendendi, seu distribuendi salem in principatu, seu loco, aut in provincia, juxta distributos fines, pro alterato pretio, quod excedat intrinsecum, seu naturale pretium materiæ. *o*

Juris regalis ubique est hæc posterior species, ideoque 72
nonnisi Principi, vel cui ipse concesserit, ea competit, nedum ratione juris privativi, seu prohibendi, quod naturali libertati contrarium, de supremo Principi competentibus dicitur, dum privatis, vel subditis incongruum

est,

est, sed etiam, ob complicantiam gabellæ, quæ ita inest,
atque a subditis insensibiliter exigitur, in ea alterata, &
extrinseci pretii parte, quæ ab invitis solvitur, alias non
solvenda, si libertas emendi suppeteret. p

Super prima vero Salinarum specie, quæstio cadit, an
publici, ac regalis juris de earum regulari natura censeri
debeant; Aliis communi quidam usui innixis affirman-
tibus; Aliis vero negantibus, ex legum civilium disposi-
tione, quæ privatis aliorum prædiorum more, eas decer-
nunt, atque de eorum dominio, & utilitate supponunt;
73 q Ea vero apud Juristas recepta videtur distinctio, inter
magnas, suique natura publicas salinas terrestres, quæ
mineralium, magnarumque fodinarum speciem habent,
ut in ea Italiæ parte, quæ Calabriæ dicitur, ac etiam
ita ea Poloniæ regione, quæ Velitia nuncupatur, praxis
74 docet; Sive in maritimis, ut in Italia in ea parte, quæ
Apulia nuncupatur, inter Garganicum montem, & Ja-
pigios, seu Barensem provinciam, magnæ habentur, mi-
nores vero sunt in Emilia, quæ Cervienses dicuntur;
Aliæve prope Urbem ad ostia Tyberina; r Privatæ ve-
ro quæ modicæ sunt, in privatis fundis, vel puteis, seu
fontibus, salitas aquas habentibus. Moderno vero tem-
pore de facto, saltem pro Italiæ moribus, ut fraudibus
occurratur, quibus salariæ Principis subjacebant, priva-
tæ sunt prohibitæ, vel suffocatæ, earumque usus abole-
tus, ideoque ambæ species, inter regalia merito recen-
seri debent.

Majores itaque forus desuper audit quæstiones, cum
hujusmodi salariarum, vel salinarum appaltatoribus, vel
75 conductoribus, quandam aliæ speciem emenibus, juris
scilicet, privativi vendendi, vel distribuendi, intra præ-
finitos fines præfinitumque tempus, certam, ac statutam
salis quantitatem ab eis, pro convento pretio solvendam,
sive illam integram percipiant, ac vendant, sive non,
ut proinde periculo se exponant, solvendi omnis altera-
tam pretium materiæ, non habitæ, vel quæ habita, fi-
nito statuto tempore inutilis remaneat, atque post deter-
minatum tempus, in commercio sit prohibita, adeout in
ipso jure vendendi, majorique venditione, ipsius appal-
tus substantia, Appaltatorisque utilitas consistere dicatur;
Isto periculo ab eo lucro compensato, quod reportatur ex
facultate revendendi, seu distribuendi pro longe majori
pretio, quam ipsi solvant. s

Pretium vero a legibus appaltus, vel a consuetudine
76 statutum, in ea distributione, quæ populis subditis fiat,
est inalterabile, nedum augmento, sed etiam diminutio-
ne prohibitis; Augmento scilicet, dum novam redoleret
gabellam; Et diminutione, cum id Principi locatori, vel
futuro appaltui præjudiciale dicatur, ut in sua sede latius
advertitur. t

Casuum belli, vel pestis, seu ipsarum salinarum steri-
77 litatis contingentia, frequentes parere solet quæstiones
defalchi seu restauri, in sua sede in notabili parte recen-
sitas; Ex eo præsertim decisionem recipientes, an casus
rei substantiam, vel potius fructus perceptionem feriat.
Ista etenim substantia in privativo jure vendendi consi-
stit, major autem, vel minor fructus, in minoris, vel
majoris quantitatis venditione esse dicitur; Causa vero
diminutionis, vel sterilitatis attenditur; Ubi etenim ea,
ex locatoris, ejusque officialium, vel ministrorum parte
culposa sit, actionem conductori præbet ad totalem in-
teresse refectionem etiam lucri amissi, si vero voluntaria,
sed non culposa, utpote justæ causæ fomentum habens,
pensionis remissionem ad ratam producit, absque illis in-
tolerabilis damni requisitis, quæ in casu considerantur.
Ubi vero mere casualis distinctio est an causam producti-
vam, seu substantiam, vel potius fructus percutiat, ut
primo casu, damnum quale quale sit, refici debeat, in
altero autem intolerabilitatis requisitum desideratur, juxta
omnium locationum generales regulas.

Illa præterea consuetæ speciei, seu qualitatis salis
78 mutatio, quæ a salinarum sterilitate, aliove impedi-
mento resultat, salinatori præjudicialis, ac remissionis
quandoque productiva reputatur; Ubi ex maritimo ter-
restre, sive ex Cerviensi, vel Hostiensi, magis humido,
minusque salito, alterum pariter maritimum magis vero
durum, & salitum Apuliæ, distribuere oporteat, cum
deterior qualitas in salinatore melior reputetur. x

79 Eadem salinatori, vel appaltatori prohibitione incum-
bente, quæ in publicanis, seu gabellarum, & dohanarum
conductoribus præcedenti rubrica insinuata est, circa ap-
paltus extrema tempora consueta majorem affectandi ven-
ditionem, vel distributionem, quæ salariæ domino, vel
sequenti appaltui præjudicialis censetur. y

In magnis autem nimiumque fœcundis salinis, ea
congrua ratio cadit, aliis mineriis, ac fodinis, seu ma- 80
gnarum piscationum, & venationum locis quoque con-
grua, ut juria regalis censendæ sint; meritoque Princi-
pes, vel Respublicæ, juris publici effecerint, ut ita sci-
licet ingens, ac insolita naturæ fœcunditas, ac liberali-
tas, omnium loci incolarum commodo, ac beneficio pa-
riformiter cedat, cum penes Principem, vel Rempubli-
cam, pro ejusdem Reipublicæ dote pollicitique matrimo-
nii supportatione deserviant, ita illa ferendo publica one-
ra, quæ alias ex incolarum collectis, & contributioni-
bus ferre oporteret. z

n Disc. 105. & seqq. p Ibidem.
q Ut supra. r Ibidem.
s Ibidem. t Ibidem. u Ibid. & disc. 159.
x Disc. 107. & seqq. y Ibidem.
z De feud. disc. 2. & in supplemento.

VI.

De mineriis, ac mineralibus, aliisque fodinis, & excavationibus, ac Thesauris.

Ex eadem proxime superius insinuata ratione, ut in-
gens, ac insolitum naturæ beneficium, non aliquo- 81
rum privato, sed omnium publico commodo cedere de-
beat, ubique usu receptum est, ut auri, & argenti fodinæ,
quas vulgo minieras dicimus, publici, ac regalis juris esse
dignoscantur, ut propterea privato dominio incongruant,
quamvis in privatis fundis, vel prædiis existant.

Sub quæstione vero est, an idem, in ferri, æris, &
lapidum, aliorumque mineralium fodinis, dicendum sit. 82
Idque ex legum civilium sensu ab ea distinctione deci-
sionem recipit, an in solo publico, vel privato existant,
ut primo casu juris publici, ac regalis esse censeantur.
In altero autem privati, ita tamen, ut metallorum alio-
rumque similium effossoribus, ob publicam utilitatem,
ipsis privatis dominis effodere negligentibus, eis invitis,
effossionem facere liceat, decima domino, aliaque deci-
ma Principi, vel Reipublicæ persolvenda. Adhuc tamen,
certam, ac generalem id non recipit regulam, cum a
singularum Ditionum, vel Principatuum variis legibus,
vel stylis id pendeat, normamque recipiat, pro frequen-
tiori usu, in metallis præsertim ferri, vel æris, utpote
bellicis instrumentis ipsiusque Principis, vel Reipublicæ
usui magis adaptatis, ejusque hostibus, vel æmulis de-
negandis, ut juris regalis, ac publici adhuc existant,
ad lapidum usualium, non autem valde pretiosorum,
quæ gemmarum speciem habeant, sive ad sulphuris, si-
ve vitrioli, vel terræ aliquibus usibus opportunæ, priva-
torum jure restricto, in illis fodinis, quæ in eorum præ-
diis existant.

In rebus vero manufactis, sive hominis industriam ha- 83
bentibus, quas ab antiquo, sub terræ superficie, citra a-
liquam hominum memoriam existentes, ex casus, vel for-
tunæ beneficio, sive ex effossoris industria, & diligentia
reperiri contingat, quæstio item cadit, an publici, & re-
galis, vel privati juris esse censeantur, eaque juris com-
munis dispositione attenta, neutro casu illam habent na-
turam, dum in privatis fundis ad privatos Dominos per-
tinere dignoscuntur, eodem modo, quo exceptis illis au-
ri, & argenti, in aliis fodinis statutum est. In locis vero
publicis, utpote nullius occupantis fierent.

Posterior autem distinctionis pars, ex generali usu,
naturæ mutationem sortita est, ut quæ in locis publicis
existant, juris publici, & regalis esse censeantur, abolito
usu facultatis, quam leges civiles præoccupatoribus con-
cedunt. Prior autem pro ditionum, vel Principatuum
diversis legibus, vel moribus, diversas habeat regulas,
frequentius autem etiam manufacta opera auri, & ar-
genti, sive illius nimium pretiosi lapidis, qui sub gem-
marum genere veniat, publici, ac regalis juris censean-
tur. Reliqua vero privatum sequantur dominium. Quæ-
stione cadente inter directum, & utile, quoties hæc di-
visa sint, probabilitas vero major, magisque receptus usus
utili assistit. a

In thesauris quoque, legum civilium dispositione at- 84
tenta, illa in primis adhibetur distinctio, inter thesau-
rum, & pecuniam absconditam, ut thesauri nomine so-
lum

lum venit, auri & argenti, ac gemmarum, aliarumque nantis pretiosarum rerum congeries, quæ supra hominum memoriam, omnino incertum, ac ignotum habeat dominum, ac possessorem. Talique posita qualitate plures eadem distinctiones inter loca publica, & prophana, & loca sacra, & fundos privatos, in primo, & secundo casu publici, ac regalis juris censeantur, certa portione inventori assignata. In altero autem totum domino, qui etiam inventor sit, deferatur. Ubi vero diversus a domino sit inventor, certa inter eos distributione stanta, quoties ex casu, vel ex licita industria, sine aliquo sortilegii crimine sequatur, cum tunc Fiscus, tamquam turpiter quæsitum totum occupet; diversa tamen est pene ubique praxis, pro ditionum, seu Principatuum diversis legibus, ac stylis, ex quibus etiam in fundis privatis certa portio, quamvis nullum admissum sit crimen, Fiscalis, seu regalis juris esse censetur, ideoque ubi casus, vel fortunæ beneficium, nimium diligens, beneque custoditum annexum non habeat attentum magnum etiam in re propria, quinimo in persona redolet maleficium, ob Fiscalium consuetos rigores, & molestias. Pecunia vero abscondita juris est privati. *b*

Hinc generalis ubique inolevit usus, effossionum, seu
85 excavationum etiam in privato fundo prohibitivus, absque Fiscalium scientia, & licentia, quæ pro diversis Regionum, seu principatuum stylis, diversas habet leges, ac formulas, quas exacte servare expedit, ne beneficium in maleficium, ut supra convertatur. Duplici hujusmodi prohibitionis assignari solita ratione. Uos scilicet, ne ea, quæ juris regalis sint, atque ad Principis Fiscum pertinent, a privato occupentur effossore. Et altera, ne effossione extrinsece in privato solo initium affectate habente, in publico tamen sequatur effectus.

Sub Judice vero, adhuc indecisa pendet quæstio super
86 iis thesauris, aliisque pretiosis rebus, quæ in sacris, vel Ecclesiasticis locis, & fundis existant, an ad prophanum Fiscum quoque pertineant, vel ad Pontificium, sive ad ipsam Ecclesiam, utpote a temporali imperio, ac jurisdictione exemptam, quod varias de more opiniones habet, a locorum tamen stylis, vel moribus saltem de facto decisionem, id recipere solet, ideoque certam non habet regulam. *c*

Effossionum autem, seu fodinarum emolumenta, quæ
87 in dies, & tempora percipiuntur, an sortis, vel fructuum speciem redoleant, sub dotis, ac ususfructus, & fideicommissi sedibus agitur, cum id regalium peculiarem non percutiat materiam. *d*

Atque ubi verum, vel interpretativum ex Principis edicto, vel naturæ beneficio, jus privativum in hujusmodi
88 mineralium usu, & venditione accedat, eadem, quæ in salinarum, & salariarum appaltibus dicta sunt, hujusmodi fodinarum, sive excavationum appaltibus, vel concessionibus ad certum tempus, pene in omnibus congruere videntur, dum non in ipsius materiæ intrinseco, ac naturali valore, sed in jure vendendi intra statutum tempus, locatio, & conductio, aliave fruitio consistere videtur, ut in sua sede latius. *e*

a *Disc. 147. hoc tit. & disc. 160. de dote.*
b *Ead. disc. 147. & tit. de servit. disc. 47.*
c *Eodem disc. 147.* d *Disc. 160. de dote.*
e *Disc. 217. hoc tit.*

VII.

De Fisco, ac juribus Fiscalibus pœnalibus, ac successoriis, in bonis scilicet, proscriptorum, aliorumve delinquentium, sive in vacantibus, vel naufragatis, aut alias derelictis, certum non habentibus dominum, ac possessorem.

Ipsius Fisci pertinentia in genere, ex magis communi, receptaque sententia, juris regalis censetur, ut propterea, quatenus ad prophanum, vel sæcularem pertinet, ad solum Principem, vel ad Rempublicam, quæ
89 jura Principis habeat, non autem ad subditos, ac subordinatos Barones, seu domicellos, minusque ad subditas Civitates pertinere dignoscatur, nisi Principis accedat explicitum privilegium, sive illud implicitum, quod ex immemorabili, vel centenaria possessione, quæ vitiosum non habeat initium, resultet. Aliqua in Baronibus, vel domicellis, aut subditis Civitatibus, Fiscali exigere remanente, pro delinquentium punitione, ac pro privatis mulctis, & pœnis, non autem pro generalibus confiscationibus. Id autem omnium fere regalium adinstar, certam, ac generalem non recipit regulam ob nimium regionum, ac Principatuum diversam praxim, diversasque leges, ac stylos, quibus deferendum venit. *f*

In Episcopis vero, aliisque locorum Ordinariis, ac
Prælatis Ecclesiasticis quæstio est, consuetam habens non 90
modicam opinionum scissuram, an Fiscum habeant, Jurataque Fiscalia, vel potius unicus sit Romani Pontificis, vel universæ Catholicæ Ecclesiæ Fiscus, idque pariter, pro regionum, & Principatuum diversis moribus, vel stylis, diversam habet praxim.

Fisci vero, unius, vel alterius posita pertinentia, du- 91
plicem ille naturam, seu speciem habet, successoriam scilicet, favorabilem, pœnalem, odibilem. Et alteram magis favorabilem, & privilegiatam, quæ in publicis Reipublicæ, vel Principatus bonis, ac juribus consistit.

Successoria ea est, quæ in bonis vacantibus, nullum 92
habentibus privatum dominum, ac possessorem cadit. Qualia censentur bona naufragata, seu alias habita pro derelictis, & quæ ea legum civilium placito, nullius dicuntur, ideoque primo occupantis fiunt, cum hæc ex generali Principum, vel Rerumpublicarum usu publici, ac regalis juris esse censeantur, ideoque de juribus Fisci sint.

Frequentius vero, in iis contingit bonis, quæ vacantia dicuntur, quia nullum habeant legitimum, testatum, vel intestatum, defuncti Domini, ac possessoris hæredem, quia nempe non extante testamentario, nul-
lus intra decimum civilem gradum per agnationem, vel 93
cognationem conjunctus, minusque conjux supersit, cum post istos fiscus, hæredis, ac successoris locum occupet, veri ac favorabilis in universo activo, ac passivo jure successoris, & hæredis personam gerendo, si defunctus ejusdem Principis subditus existat. Ubi vero non sit subditus, vel respectu alterius Ecclesiasticæ qualitatis, ab ejus jurisdictione, ac imperio exemptus, non modica est quæstio, consuetam habens opinionum scissuram, an fiscum laicalem, vel potius Ecclesiam particularem cujus servitio defunctus addictus esset, vel formalem Ecclesiam diœcesanam, hæredem habeat. Id autem a legitima consuetudine primam decisionem recipit, eaque cessante, una opinio distinguit inter ea bona, quæ soli sint, sive loco circumscribantur, atque sub territoriali jure cadent.
Et alia, quæ personæ inhæreant, illamque sequantur, 94
ut hæc posterior species personæ naturam, seu exemptionem sortiatur, ideoque Ecclesiam habeat hæredem. Prima vero sub vacantium genere veniat, atque ad sæcularem fiscum pertineat. Alia vero probabilior magisque recepta opinio, in sæcularis fisci exclusionem, totum Ecclesiæ defert, iis exceptis bonis, quæ de ipsius Principis, vel Domini, Reipublicæ directo sint dominio, cum quo utile, vel subalternum ob legitimi successoris defectum, excluso fisco consolidetur. *g* Id autem non ea fiscali, vel regali jure provenit, sed ex natura, seu operatione dominii directi, quamvis illud privatum sit, ut utile, & subalternum, detecto legitimo hærede (fisco excluso) ad se attrahat. *h*

Plures vero pro diversis locorum moribus ultra deci- 95
mi gradus conjunctos, & conjugem, dantur successores, qui fisci successionem quoque excludant, eique præferantur, Hospitalia scilicet, Collegia, Congregationes, & adunantiæ, sive monasteria in bonis novitiorum, ita tamen, ut in hospitalibus, & Collegiis, aliisque adunantiis, fixa, & perpetua verificetur vitæ addictio. Id autem neque certam, ac generalem recipit regulam, quam in singulis regionibus, vel ditionibus consuetudo præbet. *i*

Præfata in Clericis, & Ecclesiasticis personis quæstione 96
cadente laicalium bonorum respectu, quæ ex majorum successionibus, vel ex personali industria aliove fortunæ beneficio, ac alia quam Ecclesiæ, vel clericatus occasione parta sint, ut prophani patrimonii censeantur, ideoque prophanum legitimum habeant hæredem. In aliis etenim, quæ sub Ecclesiastico cadunt patrimonio, dubitandi occasio abest, dum in eis clericus Ecclesiam habet hæredem necessarium aliter disponendi interdicta facultate, quam peculiare indultum Apostolicum non tribuit, eaque accedente, illam habet conditionem, ut ad exercitium deducatur, quo cessante, vel effectum non sortiente, subintrat regula, quæ Ecclesiæ assistit, cum dispensativum indultum fisco prodesse non debeat. *l*

In

In iis quoque juribus, quæ spiritualia sint, vel anne-
97 xam habeant spiritualitatem, ista fiscalis successio non admittitur, ut in Ecclesiastico jurepatronatus, ex magis probabili sententia, praxis docet. Nisi de illo agatur, quod reale sit, ipsis bonis annexum, eorumque accessorium, cum tunc bonorum dominum, ac possessorem sequatur. m

98 Altera vero pœnalis, ac odibilis est fisci successio, quæ anomalæ hæreditatis speciem redolet, in proscriptorum bonis generaliter cadens, sub universali omnium bonorum confiscatione pro forensi loquendi usu, explicari solita.

Duplicem vero speciem ista successio apud Juristas habet; unam scilicet ex juris communis dispositione manantem, qualis est ea, quæ pro utriusque Divinæ, ac humanæ majestatis læsione resultat. Alteram vero, quæ ex locorum, vel ditionum, seu principatuum legibus particularibus, pro aliquibus manat criminibus, quibus jus commune hanc non indixit pœnam, ut temporalis Ecclesiæ Ditionis, vel principatus frequentior forte praxis docet, ut ea crimina, quæ capitis pœnam habent, hanc alteram publicationis bonorum, pro regula pene generali, annexam habere videantur.

Hinc manat quæstio, an in uno territorio, vel prin-
99 cipatu, sequuta confiscatio, omnia complectatur bona, quæ in aliis territoriis, vel principatibus quoque existant, ad singulorum Principum, vel dominorum favorem, ita quolibet in suo confiscante. Idque nimiam habet opinionum scissuram, pluresque recipit distinctiones, ac declarationes compendio incongruas, ideoque in sua sede videndas. n

Regalis juris quoque illud est, ut fiscus ea bona capiat,
100 quæ ab indignis auferri, atque fisco applicari lex disponit. o Ubi vero de veris, vel contumacialibus pœnis, vel mulctis particularibus a lege, vel ab homine indictis agitur, id juris regalis non est, sed cuilibet Judici, vel
101 magistratui congruit. Certa & generali regula neque desuper cadente, ob diversam ditionum, ac principatuum praxim, diversasque leges, vel stylos.

Plura vero in hoc jurium fiscalium pœnali genere cadere solent, quæ applicationem, vel pertinentiam percu-
102 tiunt, sive an, quæ in vita delinquentis declarata non sunt, post mortem, declarationem, vel prosequutionem habeant. Vel an fiscus illo transmissionis beneficio potiatur, quo alter hæres potiri deberet, ac similia non ipsum jus regale in habitu, vel substantia, sed ejusdem modum, vel exercitium respicientia, quæ proinde in sua sede videnda sunt. p

103 Præcipua cadente quæstione super hominis privata facultate, istud fiscale jus, in aliquibus bonis tollendi, vel prohibendi, ut in iis præsertim praxis docet, quæ ex alterius ultima voluntate, vel dispositione obvenientia, hanc habeant legem, ut fisco non quærantur. Aliquibus hanc potestatem negantibus. Affirmantium vero magis communis receptaque opinio est, ubi positivæ fraudis in dubio non præsumendæ probatio non accedat. q Adeo favorabili hac dispositione reputata, ut etiam, ea complectatur bona, quæ necessariam habeant successionis, vel dispositionis spe-
104 ciem, gravamen eis adjiciendi interdicta facultate, qualis præsertim ea est liberorum, vel parentum necessaria portio, quæ legitima dicitur. r

Filiorum quoque numerus ex legum civilium placito
105 hoc fisci pœnale jus impedit, vel minuit. Quod tamen certam non recipit regulam pro diversa ditionum, ac
106 principatuum praxi ex legum, vel morum diversitate manantem. ſ Eaque diversa quoque est in eo fiscali jure, quod pro filiorum crimine a parentibus legitimam quoque aufert eis debitam. t

Restitutiones criminosi in gratiam Principis varias quoque producunt quæstiones super publicatorum bonorum
107 recuperatione diversam pariter habentes praxim, vel decisionem, pro diversis legibus, vel moribus, sive pro diversa restitutionis formula, vel tenore, ideoque pariter certæ, ac generalis regulæ incapacitatem id habeat, cum similibus in sua sede recensitus. u

Altera demum illa est fisci species, quæ publicorum jurium, sive dotis Reipublicæ, vel principatus admini-
108 strationem, percutit. Itaque omnium favorabilior, magisque privilegiata est fisci species, præsertim vero, pro tacita hypotheca, vel potioritate adversus anteriores creditores, in bonis postea quæsitus, aliisque pluribus privilegiis, & favoribus, quæ fisco adversus debitores, & administratores conceduntur. Ea etenim pœnalis fisco denegatur, ac etiam alteri successorio, quamvis magis favorabilis censeatur, dum jure privati utitur. Ideoque illa juris regula, quæ in dubio pro fisco judicari debere decernit, tertiam hanc fisci speciem percutit, non autem alias priores, præsertim vero secundam pœnalem, quæ oppositam potius habet regulam, ut contra fiscum in dubio sit judicandum, quodque sub bono Principe fisci causa semper mala sit. x

Ea tamen, quæ a prima, vel secunda specie obveniunt, 109
tertiæ favorabilis, ac privilegiativæ speciem sortiuntur, illorum scilicet bonorum, vel jurium respectu, quæ fisco jam quæsita sint, quodque tamquam fiscalia bona, vel jura sub generica fiscalis patrimonii administratione sint posita, ut adversus administratores, vel occupatores idem, ac generale sit privilegium, ad instar eorum, quæ de odibili usurarum, vel fructuum specie in jure statuta sunt, quod licet ad superfœtationem, vel anatocismum inhabiles penes debitorem sint, penes tamen administratorem, vel tertium indifferentem bonorum, ac sortis naturam sortiantur, ideoque novos fructus, vel usuras producere prohibitionem non habeant.

Fiscalium bonorum, vel jurium administratoribus, ac 110
etiam Appaltatoribus pro diversis regionum, ac principatuum legibus, vel stylis minus fideles reddentibus rationes, seu alias jura fisci fraudantibus, graves indictæ sunt pœnæ, in Ecclesiæ præsertim temporali ditione, ultra censuras aliasve personales pœnas decupli, quæ diversas producunt quæstiones non de facili sub compendio cadentes, ut in aliis plerisque contingit, ideoque in sua latiori sede videndas. y

f *Disc. 160. & 161. hoc tit.*
g *Disc. 149. hoc tit. & tit. de feud. disc. 72.*
h *Ibid.* i *d. disc. 149. & in supplemento.*
l *D. disc. 149.* m *Tit. de jur. patron. disc. 38.*
n *Hoc tit. disc. 161. in supplem.* o *d. disc. 160.*
p *D. disc. 160.* q *d. disc. 160.* r *Ibid.*
ſ *D. disc. 160.* t *Ibid.* u *Disc. 148. & 160.*
x *D. disc. 160.* y *Disc. 119. & seqq.*

VIII.

De Monetis.

Regalis juris esse facultatem cudendi monetas non am- 111
bigitur; ideoque Baronibus, ac Domicellis, vel subditis civitatibus jura supremi principatus non habentibus denegari non dubitatur, nisi supremi Principis indultum accedat.

Quamvis autem ille, qui supremi Imperii, ac Princi- 112
patus jura in sua ditione obtinet, positiva, vel humana lege, cui dispensare, vel derogare potest, solutus sit. Illam tamen directivam vim, quam etiam ex humana lege Princeps patitur, in hoc monetarum jure, magis forte, quam in aliis sentire videtur, ut bonæ ligæ, seu materiæ ad ejus intrinseci valoris normam, monetam cudere debeat. Ita quoque publici boni Principatus, ac Reipublicæ politicia exigentibus rationibus, ob ingentia damna, & præjudicia, quæ subjectis populis, ipsique
Reipublicæ, vel Principatui deterioris monetæ qualitas 113
producit. z. Ideoque in ea, cui major, & accidentalis immeritus valor ex Principis auctoritate tribuitur, gabellæ, seu collectæ speciem inesse videtur eodem modo, quo in sale aliisque jus privativum habentibus, ut superius adnotatur. a

Adhuc tamen istius quoque regalis juris species certæ, 114
ac generalis regulæ incapacitatem patitur, ob consuetam ditionum ac Principatuum legem, ac praxis diversitatem, ideoque fatuitatem redolet, cum antiquis Romanorum legibus, vel cum iis Interpretum traditionibus, quæ ab eis derivant, ubique procedere, cum tunc diversa esset ratio, quod unum esset Imperium cum unica lege, & Principe.

Privati vero potius, quam publici juris sunt illæ, quas frequenter forus audit, quæstiones, super moneta-
rum alterato valore, an creditorum, vel debitorum com- 115
modo, vel respective incommodo cedere debeant, sive an obligationis, vel solutionis tempus inspici debeat, ideoque sub creditis, & debiti, & Ecclesiasticarum pensionum sedibus id potius cadit, ubique videndum. b

Cri-

Criminumque quoque fedem, feu materiam potius, quam
116 Regalium percutit monetæ fabricatio, vel falsificatio, feu tonsio. Illa juris regalis inspectione cadente, quæ fori competentiam, super hujusmodi causarum cognitione, vel criminis punitione percutiat, an scilicet privativa ad Barones aliosve inferiores magistratus ipsius Principis, ejusque magistratuum cognitione, & competentia sit ob ejus majestatis, vel regalis juris læsionem.

117 Internum vero magis, quam externum forum illæ percutiunt quæstiones, quæ de facultate contractandi pecuniam, reprobationi destinatam habentur, quando imminentis prohibitionis habeatur notitia.

Privati quoque juris altera est quæstio, an vectiga-
118 lium, aliorumque publicorum jurium, vel privatorum etiam bonorum conductori, vel administratori, eam liceat solvere jam reprobatam pecuniam, quæ ante prohibitionem exacta sit, quam respuendi facultas non erat. *c*

z *Hoc tit. disc.* 126. *& seqq.*
a *Ibid. & in Miscellan. Eccles. disc.* 4.
b *D. disc.* 126. *& seqq. hoc tit. titul. de cred. disc.* 139. *&* 140. *& de pension. disc.* 34. *&* 35.
c *Disc.* 68. *de credit.*

IX.

De pluribus Regalium speciebus, nempe, De nundinis, & mercatis. De ponderibus, & mensuris. De juribus privativis, & prohibendi. De tractis, extractionibus, & Repræsaliis.

PUblicas, ac solemnea nundinas celebrandi facultas ex magis recepto juristarum sensu, regalis juris est,
119 ideoque nonnisi ex Principis privilegio explicito, vel eo implicito, quod ex immemorabili, vel centenaria resultat, ea competit. Triplici id suadente ratione. Ea nempe ob præjudicium, quod publicis vectigalibus & dohanis resultat. Altera jurisdictionis magistri nundinarum, quæ ordinariis Judicibus & magistratibus, cum extraordinariis insolitis processibus summariis, ac inordinatis more castrorum potius, quam Civitatis præjudicat. Et tertia, politica vel status, ob magnam populorum etiam exterorum, & non subditorum affluentiam, ac adunantiam, quæ Principi suspecta esse debet.

Ubi ergo præmissæ non urgeant rationes, quia scil. de illis minoribus, ac privatis nundinis agatur, quæ ex alicujus solemnitatis causa, sive pro victualium meliori usu, ut monopoliis revenditorum occurratur ad privati populi commoditatem, ac absque his exemptionum, & jurisdictionis circumstantiis fiant, & quæ ad differentiam, sub mercati vocabulo explicari solent, jus regale non intrat; Bene tamen localis magistratus licentia, seu facultas desideratur, ob genericam adunantiarum prohibitorem; ut conventiculis, & tumultibus occurratur. Quæstio disputari solita, super privilegiativa facultate, publicas, ac solemnes nundinas celebrandi, an per diuturni temporis non usum amittatur. Sive an obtenta facultas revocatione, vel annullatione digna sit ob præjudicium, quod alterius loci nundinis inferatur. Vel an liceat consuetum locum immutare, cum similibus. *d*

Pondera, & mensuras, juris communis dispositione attenta, cujuslibet loci Magistratus statuere potest, ut
120 venditorum fraudibus, ac deceptionibus occurratur. Ex quodam tamen pene generico principatuum, vel respective Civitatum, vel Provinciarum usu, de juribus regalibus ad Principem pertinentibus, reputari solent, vel ex ratione, ut in universo principatu pro majori subditorum commoditate unica sit, ac uniformis ponderum, & mensurarum taxa, vel quia jus prohibendi usum aliorum ponderum, & mensurarum, quæ publicum stygma, vel signum non habeant, sub zecchæ vocabulo explicari solitum, vectigal, seu gabellam implicitam, seu occultam habeat. *e*

Eadem implicitæ gabellæ publicive oneris ratio ma-
121 gis, quam altera, impeditæ, vel ademptæ naturalis libertatis, frequentius inter juta regalla recensere facit privativa, seu prohibendi, ac respective cogendi jus, in illis usibus, qui humano victui, vel commercio necessaria sint juxta ea, quæ de sale insinuata habentur, ut in molendinis, furnis, macellis, aliisque tabernis, & apothecis victualium, habetur. Ubi etenim non extrinseci, ac alterati pretii utilitatem id percutiat, sed solum, ut monopoliis occurratur, sub cujuslibet Magistratus potestate cadit. Regulariter autem jus privativum, extrinsecum ac alteratum rerum pretium producit, atque vectigalis, vel gabellæ speciem redolet; ideoque nonnisi ex Principis privilegio explicito, vel ex eo implicito, quod ab immemorabili, seu non vitiosa centenaria resultat, Baronibus, & Domicellis, subditisque Civitatibus, multo magis privatis, id non conceditur nisi justa causa, quæ ob aliquod accidens ex juris communis dispositione, vel ratione aliquam desuper provisionem per locorum magistratus adhiberi posse suadeat, ut in penurioso, vel alias calamitoso tempore praxis docere solet. *f*

Frugum, ac victualium aliarumque mercium, & rerum extractionibus prohibitio extra Ditionis, vel principatus fines, ubique merito viget. Duplici congrua ratione impellente. Ea nempe, ut publicæ occurratur annonæ, & ne mercatorum, ac dardanariorum avaritia, penuriam in eo loco introducat, in quo natura benefica, & liberalis fuit. Et altera, ut Principis, ac Reipublicæ intersit, inquirere, ac scire, ad quæ loca, per quasve personas ex propria Ditione, fruges, ac merces aliave bona evehantur, ne cum hostibus, vel suspectis id sequatur. Ideoque juris regalis est tractatum, seu extractionum concessio, quæ ex communi usu loci, temporis, ac modi, taxam, seu regulam habere solet. Certa tamen, ac generali desuper non cadente regula, cum a singulorum principatuum legibus, vel stylis, vel a singularum concessionum formulis decisionem recipiat. 122

Ejusdem vero concessæ facultatis exercitium, accidentalis superveniens penuria, sive publicæ annonæ necessitas, vel opportunitas, juste impedit, quamvis onerosam, & correspectivam causam concessio foveat cum debita refectione, vel deductione ejus, quod interest. *g*

Annona vero, privati juris cujuslibet Civitatis legum civilium dispositione attenta, reputatur, sub Principis tamen protectione, quæ magis proxima illius Civitatis est, in qua sit sua sedes. Ideoque calamitosi temporis qualitate, vel dardanariorum malitia, aliave simili justa causa impellente, Ordinariis, ac inferioribus magistratibus, facultas est cogendi, ad victualium, ac rerum venditionem, vel respective emptionem, aliquo justo quoque pretio taxato, quod juris tertii positivam læsionem non redoleat. Illa vero juris regalis, ac fiscalis annonaria provisio reputatur, quæ Principis, vel Reipublicæ peculiare munus concernat, pro gratuita scilicet in toto, vel in parte panis, aliorumque victualium distributione populis facienda, idque illam præsertim percutit effectum fiscalis exemptionis a vectigalibus, & gabellis. *h* 123

Repræsaliarum concessio juris regalis censetur, cum illæ legum prohibitionem habeant, ideoque ad alium non pertinent, nisi ad illum, qui legibus derogandi, vel dispensandi potestatem habeat, quod tamen a locorum, vel principatuum stylis, vel moribus recipit regulam. *i* 124

d *Disc.* 131. *&* 132. *hoc tit.*
e *Disc.* 130. *hoc tit.*
f *Disc.* 144. *&* 145. *hoc tit. & in supplemento.*
g *Disc.* 133. *& in annot.*
h *Disc.* 44. *&* 45. *&* 125. *& in supplemento.*
i *Disc.* 148. *hoc tit.*

X.

De Mari, Fluminibus, Lacubus, Portubus, Ripis, Silvis, Montibus, Forestis, Piscationibus, vel piscationum juribus, Venationibus, pascuis aliisque usibus, & earum prohibitionibus.

LEgum Civilium dispositione attenta omnia hæc publici juris esse censentur, ut sub Principis quidem, 125 vel Reipublicæ protectione, ac dominio habituali esse censeantur. Quoad usum vero, ac fruitionem, omnium sunt, cum cuilibet in mari, vel lacubus aut fluminibus piscationia, vel navigationis usum, atque in Silvis montibus & forestis illum venationis natura concedere videatur.

Com-

Communis vèro quædam introductio, juris regalis effecit illas maris, seu lacuum, & fluminum, seu fontium, ac etiam nemorum, & forestarum partes, in quibus natura, præter communem consuetudinem, magnam, ac extraordinariam exercuit liberalitatem, cum magna piscium, vel avium, aliorumque animalium, vel pascuorum aliorumque fructuum copia, ut propterea piscatio, seu venatio, illam non habeat incertam, ac laboriosam aleam, quam pro magis communi usu habere solet, sed potius magnum redoleat proventum.

Ea etenim nimium probabilis ratio, quæ magnarum fodinarum occasione superius insinuata est; juris regalis hæc effecit, ut ea liberalitas, quam in loco natura exercuit, non in aliquorum potentium, & præoccupantium privatam, sed in omnium incolarum publicam, & coæqualem cedat utilitatem, quæ inesse dicitur, ubi ad Principis, vel Reipublicæ ærarium, hujusmodi naturalis beneficii emolumenta pertineant, ita iis consulendo publicis oneribus, quæ alias cum ipsorum incolarum collectis, vel contributionibus, & gabellis ferre oporteret. *l*

126 Eadem quoque ratio publici juris effecit nimium commoda, & insolita pascua in vectigalium, & dohanarum rubrica superius insinuata, occasione explicandi onus fidæ, ac diffidæ. *m*

Piscationis igitur, seu venationis prohibitionem face-
127 re Baronibus, & Domicellis, vel subditis Civitatibus non conceditur, sed de Principi reservatis est, ideoque ejus privilegium exigitur, explicitum, vel sæpius enunciatum implicitum. Nisi ratio privati dominii aliter exigat, Ecclesiasticæ Immunitatis desuper cadente quæstione, quæ a distinctionibus in suis sedibus latius recensitis decisionem recipit, an scilicet hujusmodi prohibitiones, quæ ex Principis auctoritate, vel privilegio fiant sive per Barones, vel Domicellos, vel subditas Communitates, in quibus eas facere liceat, Clericos, & Ecclesiasticos afficiat. *n*

128 Ic illis præsertim pascuorum prohibitionibus hujusmodi quæstione cadente, quæ ex concordi Civium consensu in aliquibus territorii partibus per Communitates fiant, sub bannitarum, seu defensarum vocabulo explicatis solitis, ut ita cum illarum pascuorum pretio, ac emolumentis, publicis occurratur oneribus, ac indigentiis, quod ab aliis distinctionibus recipit decisionem. *o*

129 Quamvis item cuilibet privato communis sit, fluminum, seu lacuum, aliarumque aquarum in publico solo existentium usus pro molendinis, sive ædificiis, vel pro hortorum, ac pratorum irrigationibus, ut præoccupantis potior conditio sit, alterius tamen usu, vel industria non impeditis juxta varios locorum, ac Regionum mores. In navigabilibus tamen, vel quæ alteri in navigabili deserviant, sive aliam habeant publicæ causæ rationem, id non conceditur, ideoque juris regalis censentur, cum hæc publica causa, vel commoditas privatarum aquarum, fundorum, ac prædiorum dominis usum, ac libertatem impediat. *p*

130 Illa autem impedimenta, quæ navigationis maris naturali libertati præstantur, pro vectigalium, seu pedagiorum solutionibus, vectigalium, ac pedagiorum, seu gabellarum materiam concernunt, ut in eorum rubrica superius insinuatum est. Alia vero quæ maris jurisdictionem, vel dominium, aliamve superioritatem concernunt sub politicis potius, quam legalibus cadunt regulis, ac rationibus.

131 Portuum maris juris publicum, ac regale in habituali dominio, ac protectione dicitur, omnium vero commune quoad usum, eodem modo quo de ipsius maris navigatione habetur, ut propterea hostibus, vel suspectis prohibeatur ingressus. *q* Vectigalium, & pedagiorum materiam potius concernentibus illis oneribus, quæ pro ipsorum ingressu, ac mora fere pro diversis locorum moribus congruit. Idemque in mari ripa statutum est, ut in nullius dominio, in omnium vero usu sit. *r*

Diversa vero est Fluminum, & lacuum ratio, ut ri-
132 parum, & portuum, ac adjacentium arborum privatum sit dominium adjacentium prædiorum, ita tamen, ut navigationis usus, & commoditas non impediatur, nisi aliud suadeat consuetudo. Quamvis etenim in hac regalium lege, riparica inter jura regalia censeantur; Vectigalium tamen, seu pedagiorum speciem id potius redolet. *s*

133 Super portuum libertate quæstiones forus audire solet, tam pro publicorum oneruin, & vectigalium exemptione, quam pro confluentium securitate, quæ sub salviconductus vocabulo ex communi loquendi usu explicari solet. Ac etiam pro ementium, & contractantium assecuratione quodque aliena bona, & merces a dominis molestias non recipiant, ubi citra fraudem id sequatur, quod tamen certam ac generalem non recipit regulam, cum a regionum, vel principatuum legibus, vel stylis decisionem expectet. Idque nundinis, aliisque publicis emporiis commune esse solet. *t*

l *De feud. disc. 2. hoc tit. disc. 147. & 134.*
m *Disc. 94. & 95.*
n *Disc. 134. & Miscellan. Eccles. disc. 40.*
o *Tit. de servitut. disc. 35. & seqq.*
p *Tit. de servitut. disc. 31. & hoc tit. in supplemento disc. 171.*
q *Disc. 129. r disc. 138.*
s *Ibidem. t dicto disc. 129.*

X.

De locis, & Viis publicis. Et de Angariis, & Perangariis, aliisque servitiis.

Ac etiam de jure publici belli, ac de armamentis, & fortificationibus.

Et de jure creandi titulatos, & Barones, concedendi nobilitatem, creandi Doctores, & Notarios, & erigendi Universitates, & Academias.

THeatra, allave publica Civitatum loca, & viæ pu- 134
blicæ ac fluminum pontes juris communis dispositione attenta, sub Principis protectione, & sub Civitatum, intra quarum fines, & territoria existant, dominio habituali. In actuali autem, ac prohibitivo dominio sunt nullius, dum sub omnium publico, & communi usu esse dicuntur. Nulla Baronum, vel Domicellorum habita mentione, cum Romanorum legibus isti non innotescant. *u*

Ob illam vero status mutationem, quam pene in o- 135
mnibus aliis rebus, Romani Imperii scissura, totque principatuum, ac dominiorum divisio induxerunt, certa, ac generalis desuper statuta non est regula, ob ditionum, ac Principatuum diversas leges, ac stylos, præsertim vero super secunda dominii specie, an potius penes locorum Communitates, vel penes Barones, & Domicellos existant. Quod etiam de fluminibus, forestis, aliisque publicis, & communalibus bonis, sub quæstione est, quæ pariter a locorum diversa praxi decisionem recipit. *x*

Ubique tamen, ex Juristarum communi sensu receptum videtur, ut hæc & similia, juris regalis esse censeantur, ad aliquot effectus diversam pariter habentes praxim, pro eisdem Ditionum, ac Principatuum diversis legibus, ac moribus.

Primo nempe ad illum juris probibendi liberum usum, sive aliquibus privativam facultatem concedendi, ut in eis faciant, vel aliis facienda concedant, quæ alias omnibus communia esse debent, ut in Civitatum plateis frequens praxis docet. *y*

Secundo ad effectum indicendi pedagia, aliaque onera pro illo transitu vel usu, qui alias liber, & publicus est.

Tertio pro privativa competentia, seu cognitione criminum, quæ in viis publicis, aliisque locis hujusmodi patrari contingat, quasi quod ita lædi quodammodo dicatur majestas Principis, sub cujus custodia, & protectione existunt,

Et quarto super cura, & refectione, jureque indicendi collectas, & contributiones, pro constructione, & refectione, seu custodia, cum similibus, certam tamen, ut præmissum est non recipientibus regulam, ob legum, ac morum insinuatam diversitatem. *z*

Viarum autem, ac pontium, aut similium locorum, 136
publico usui deservientium, duplicis generis, forus quæstiones audit. Primo nempe inter privatos prædiorum dominos, intra quorum fines viæ existant, aliosque privatos, vel populos, super libertate, ac jure transitus, viæque publicæ substantia, seu qualitate, cum illæ quæstiones, quæ privatam transitus, vel usus facultatem jure servitutis percutiunt, sub diversa servitutum sede cadant. *a*

Et altera inter Principem, ejusve magistratus, & Ba- 137
rones,

tones, seu Domicellos, vel Communitates, super viarum, & pontium, aliorumve locorum hujusmodi qualitate, an juris regalis, magisque publici totius principatus ad præmissos aliosve similes effectus existant, vel potius publici quidem juris, comparative ad privatum dominium singulorum dicantur, privati autem, seu localis, comparative ad præmissam majorem publicitatem.

138 Illæ siquidem viæ vere publicæ, atque juris regalis, sub immediata supremi Principis cura, & protectione esse dicuntur, quæ juxta regionum varios loquendi usus, Consularium, seu Militarium, aut Basilicarum, vel Regiarum, seu Romanarum stratarum, nuncupationem habentes, ab una Civitate ad alteram, sive a Civitate ad Mare, vel ad publicum navigabile flumen, initium ac finem habeant, seu alias inter duas vere publicas existant extremitates, adeout, non unius, vel aliquorum adjacentium populorum, pro eorum privata communicatione, usum concernant, sed pro universo humano commercio totiusque orbis habituali commoditate deserviant.

Istæque viæ, quas discrete Urbis loquendi usus Romanas appellat, sunt illæ quas leges civiles publicas reputant, aliæ vero privatarum, ac respective vicinalium vocabula sortiuntur, quamvis comparative ad illas mere privatas vias, quarum usus jure simplicis servitutis competat, publicæ quoque sint. Ideoque super una vel altera specie, seu qualitate, facti potius quam juris cadunt quæstiones certam proinde, ac uniformem non recipientes regulam, utpote a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decisionem expectantes. *b*

139 Quamvis autem vere publicarum, ac militarium, vel consularium refectio Reipublicæ sumptu, vel ex omnium populorum æquali onere, & contributione facienda sit inæqualitas tamen aliquando dignoscitur pro majori, vel minori populorum usu. Idemque de fluminum pontibus, aliisque hujusmodi. Privatarum autem ad Communitates, vel populos, quibus principaliter deserviant. *c*

140 Regalis quoque juris censentur angariæ, & perangariæ, quæ certi servitii necessitatem præseferunt a mercedis præstatione, vel exemptione distinctionem recipientes. Ea etenim, quæ naturali libertati adversantur, atque invitos ad alienum servitium cogunt, utpote legibus contraria, nonnisi ex privilegio Principis, qui legibus derogare potest, obtinentur. Nisi diuturna immemorabilis, vel centenaria possessio, privilegii præscriptionem inducat. Adhuc tamen omnino certam, ac generalem id non recipit regulam, ob diversas Dinuoum, ac principatuum leges, vel mores, ex quibus etiam major, vel minor usurpationis vel concussionis mala præsumptio, vel juris resistentia manat, ideoque pro locorum qualitate, factique circumstantiis decisio regulanda est. *d*

141 Publici belli jus (quisquis antiquorum temporum fuerit stylus) ex communi ubique recepto sensu, de Regalibus est majoribus, ac primi ordinis, Supremo Principi privative competentibus, ut inferioribus non facile concedatur ex eo privilegio, quod in aliis regalium generibus manare solet. *e*

142 Sub hoc autem belli jure, pro magis communi, ac recepto usu, terrestria, ac maritima armamenta, arciumque munitiones, aliæve fortificationes cadunt, illa fortiom domorum, seu palatiorum munitione, seu fortificatione subdius, ac inferioribus concedi solita, quæ pyratarum, seu bannitorum, & latronum, vel privatarum inimicitiarum tutelam concernat, quod pariter certam, ac generalem non recipit regulam pro diversis ditionum, ac principatuum legibus ac moribus.

143 Dignitates Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum conferre solius supremi Principis est, ideoque primarii regalis juris censetur. Idemque in nobilium ac rectorum feudorum concessione hodierna praxis docet, quidquid servaret antiquitas. Ideoque ut in propria feudorum sede habetur, ea quæ per subditos, ac inferiores concedontur, impropria feuda potius censenda sunt, ex præfato publici belli privativo jure, cum verum feudum primi ordinis militiam redoleat, ideoque nonnisi habenti jus publici belli, hos milites constituere conceditur. *f*

144 Doctoratus gradum, vel Notariatus officium concedendi facultas, juris quoque regalis est. Cujus etiam censetur, publicarum Universitatum vel Studiorum, seu Academiarum erectio.

145 Nobilitatis item concessio est de Regalibus, quoniam reddere nobilem illum, qui ex natura, vel legis dispositione sit ignobilis, atque ita verum reddere id quod verum non sit, solius est Principis, qui legibus derogandi facultatem habet. Civitatibus, vel Collegiis, aut nobilium adunantiis facultate competente, eorum gremio adscribendi eos, qui nobilitatem juridicam jam habentes, tamquam tales agnoscantur, ut proinde, non collationem nobilitatis, vel status mutationem, sed veritatis agnitionem, ejusque declarationem, quod jam inest, id redoleat, sive pro ipsorum recipientium privato præjudicio, eodem modo, quo subditis Civitatibus civilitatem concedere fas est, ut in præeminentiarum magis peculiari sede advertitur. *g*

Magistratuum creatio ad justitiam ministrandam in 146
Regalium lege inter hæc jura recensetur. Contrarium vero praxis docet, ut Barones, & Domicelli, ac etiam subditæ Civitates hanc habeant facultatem. Ideoque illis videtur Magistratibus referendum, qui universalem in tota ditione, vel Principatu habeant potestatem.

u *Disc. 135. & seqq.* x *Titul. de feud. disc. 2. & in annotat.*
y *Dicto disc. 135. & 142. & in annot.*
z *Disc. 139. cum pluribus seqq.*
a *Disc. 136. & seq. & tit. de servit. disc. 23.*
b *Disc. 136. & seq.* c *Ibidem.*
d *Tit. de feud. disc. 51. & 65. & hoc tit. disc. 146.*
e *Titul. de feud. disc. 52. & 58.* f *Dicto disc. 52. de feud.*
g *Tit. de Preeminen. disc. 30. & 35. & in aliis.*

XII.

De potestate condendi leges, eisque derogandi, de jure concedendi gratias tertio præjudiciales, vel tollendi jus tertii, ac revocandi concessiones, seu alias inhabiles reddendi habiles, remittendique delicta, & pœnas; aliave similia faciendi, quæ in jure prohibita sint.

NOvas leges condendi, atque antiquas corrigendi, 147
seu moderandi, aut eis dispensandi facultas, juris regalis, supremique Imperii est, ideoque soli Principi conceditur, non autem subditis Civitatibus, vel Baronibus, & Domicellis, aliisve Magistratibus, nisi ipse Princeps concedat. Vel nisi de eo majori Magistratu agatur, qui ob absentiam Principis ejus vicariam potestatem in omnibus exerceat, ut (ex: gratia) in Italia in Proregibus Regnorum utriusque Siciliæ, Status Mediolani Gubernatoribus praxis docet. Quamvis etenim alii 148
in eadem Italia supremi, ac primi ordinis habeantur Magistratus, omnium pene jurium regalium, supremive Imperii exercitium habentes, cum aliqua etiam potestate in casibus particularibus dispensandi legibus, vel aliqua eis adversantia demandandi, ut (ex: gr:) in Ecclesiæ Romanæ temporali Ditione Italica plures sunt Apostolicæ Sedis Legati, qui aliquam Provinciarum, vel Civitatum regimini præficiuntur, adeout Principis vicarias partes, ac figuram gerant, non tamen absque Pontificia specifica auctoritate, vel confirmatione, ista conceditur facultas, ordinandi leges, antiqui contrarias, jurisque communis directe correctorias constitutiones, aliquas legum species condendo in iis, quæ secundum, vel præter commune jus esse dignoscantur, sive ejusdem juris interpretationem contineant, cum pleraque juri contraria specialibus indultis, & facultatibus referenda veniant.

Aliis vero inferioribus Magistratibus, vel subditis, 149
mereque subordinatis Civitatibus, ac Domicellis, & Baronibus, generaliter statuta, & leges condendi absque Principis prævia licentia, vel subsequuta confirmatione, facultas denegatur. Et eo magis in enunciata Ecclesiæ temporali ditione, ob Egidianæ Constitutionis præscriptum, iis exceptis, quæ ipsius juris communis observantiam, vel declarationem, ubi dubium sit, concernant. Sive ubi de illis agatur legibus, quas in rei propriæ concessione Baro, vel Civitas adjiciat, cum eam speciem redoleant illarum conventionalium legum, quas in contractibus cuilibet privato adjicere licet.

Non omnis tamen ejusdem Principis confirmatio, ad 150
id sufficiens reputatur, sed in iis, quæ juri communi, seu etiam particulari, ab ipso Principe specifice confirmato, contraria sint, illa confirmationis species desideratur, quæ in forma specifica dicitur, inserto scilicet ipsius

legis

legis tenore. Sive quod alias de certa ejusdem Principis scientia constet, ut in iis confirmationibus praxis docere solet, quæ prævio alicujus Magistratus, vel Congregationis examine, ac voto, concedantur.

Altera vero species confirmationis, quæ præfata circumstantia non accedente, in forma communi dicitur, in iis, quæ juri contraria sint, insufficiens reputatur, solumque prohibitionis obstaculum tollit, in iis, quæ juxta, vel præter leges statuantur.

Istam vero speciem, vel naturam, habet illa confirmatio, quæ præsumpta dicitur, quia nempe ex sola longissimi temporis observantia præsumatur, nisi de iis agatur, quæ favorabilia potius quam odiosa dicenda sint, utpote restitutiva antiquarum legum, quas moderniores abolęverint, ut in statutis fœminarum, & cognatorum exclusivis, atque agnationis favorem concernentibus pro nostris Italiæ moribus receptum habemus, vel nisi immemorabilis, aut centenaria observantia sit a vitioso initio non infecta, ex cujus consueta virtute, ac operatione, meliorem titulum specificæ confirmationis allegare liceat. Aut quod de illius Civitatis, vel Domicelli lege agatur, quæ in statu libero legislatoris, condita sit, quamvis subsequens ejusdem status immutatio subjectionem produxerit, si novus superior cum consuetis legibus continuari concesserit, vel permiserit. *b*

Gratias tertio non præjudiciales, a jure tamen exorbi-
151 tantes, atque legum correctionem, vel dispensationem implicite continentes, concedendi facultas pariter juris regalis, supremique Imperii est, illegitimos nempe legitimis natalibus restituendi pro honoribus absque effectibus, qui tertio jus non tollant, neque lædant. Sive delinquentibus, & criminosis præsertim vero condemnatis indulgendi, quando Partis offensæ præjudicium cesset, ob ejus pacem, seu consensum, cum similibus, quæ licet mere gratiosa sint, quia tamen legum correctionem implicitam habent, jus Reipublicæ in universum lædere videntur. Ideoque subditis Baronibus, & Domicellis, vel Magistratibus, ut pro regula non conceditur, nisi ejusdem Principis privilegium, vel generalis, aut particularis legitima consuetudo hujus regulæ suadeat limitationem.

Magis vero extra quæstionem, negativa regula locum
152 obtinet, ubi de concessionibus, & gratiis tertio præjudicialibus, quæ alienum jus tollant, minuant, vel impediant, agatur. Illam etenim potestatem, ipsimet Principi qui supremi Imperii jura habeat, absque duplicæ necessitatis, vel utilitatis justa causa, quamplures denegant.
153 Magis vero communis, usuque recepta opinio, pro externo judiciario foro concedit, in iis omnibus, quæ divinum, vel naturale jus non lædant, sed ab humana, seu positiva lege manent. Justæ causæ deficientiam in id considerando, ut idem Princeps suam regulet voluntatem, sive quod eamdem non bene regulatam ipse, vel successor revocet, seu moderetur. Aut quod, ubi ea dubia sit, & interpretatione digna, Judices, & Magistratus ex hujusmodi justæ causæ affirmativo, vel negativo interventu, arbitrium regulent, benignam, vel latam, aut respective strictam, & rigorosam adhibendo interpretationem. *i*

Concessiones item factas, & gratias revocandi, sive 154
in beneficiis, vel officiis institutos destituendi facultas, juris regalis, ac supremi Imperii est, omnisi supremo Principi competens, cujus potestas easdem habet quæstiones, cum eisdem insinuatis distinctionibus, quatenus ad externum pertinet forum decidendas, iis, ad quos magis pertinet pro foro interno decisione reservata. Ea potissimum distinctione attendenda, an concessio de cujus revocatione, vel destitutione agitur, gratiæ, & causæ lucrativæ speciem habeat, vel potius econverso justitiæ, & onerosæ, vel correspectivæ causæ. *l*

Quamvis etenim majores Nostri, in altera ordinariæ, 155
& absolutæ potestatis distinctione, magnam vim constituere soleant; Moderno tamen tempore pro forensi praxi fabulæ speciem id redolere videtur, dum pro communi stylo, vel formulari, potestatis plenitudo semper interponi solet, ubi accedat voluntas, ad quam propterea omnes rediguntur quæstiones, quoties ea clara, & expressa non sit, ubi præsertim justæ causæ fomentum desit, vel justitiæ ratio resiltat, si alias jus tertii saltim in fama, vel existimatione lædat, ut præsumi non debet, ut in sua sede latius. *m*

Supremas defunctorum voluntates commutandi, vel destruendi, fideicommissis præsertim, & majoratibus derogandi, juris Regalis pariter, supremique Imperii est, ac soli Principi, vel iis, quibus ipse concesserit, ad quoscumque subditos privative competat. Illa tamen in ipso supremo Principe a foro pariter exulante antiquiorum potestatis quæstiones, ex eo quod juris naturæ præceptum sit, supremas morientium voluntates exequi, ac servari, cum verius a positivæ legis benignitate id pendeat. Solumque in piarum dispositionum, vel harum, quæ jurisjurandi religionem habeant, ista potestatis in Principe sæculari quæstio cadit, ut soli Pontificiæ potestati id reservatum sit. *n*

b *De hac materia legum, & statutorum titul. de judiciis disc. 35. & tit. de success. ab intestat. pluries.*

i *Disc. 184. hoc tit.*

l *Eodem disc. 148.*

m *Eodem disc. 148.*

n *Tit. de fideicommiss. in summa ex num. 2. & 295. & sequentibus.*

Finis Libri Secundi.